



AVREÆ

DECISIONES SERAPHINI OLIVARII RAZZALII

Sacræ Rotæ Decani, poſtea Patriarchæ Alexandrini, ac deniq; S. R. E. tit. S. Saluatoris in Lauro Cardinalis celeberrimi.

Ex originalibus eiuſdem Authoris ſummo ſtudio, ac diligentia depromptæ, Adiectis Summarijs, ac Indice locupletiſſimo, vnà cum multis additionibus ex ipſarum cauſarum patrocinijs deſumptis.

INGENIO AC LABORE

LAVRENTII VITALIS BONONIEN. I. V. D. Eius intimi familiaris.

Nunc primò communi omnium voto in lucem æditæ.

Pars Prima.

CVM PRIVILEGIIS.

ROMÆ Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ. MDCXIIII

SVPERIORVM PERMISSV.


SERAPHINVS OLIVARIVS RAZZALIVS S.R.E. CARD. ANN. ÆTAT. LXXVI. MENS. VI.

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. Magist. Sac. Pal. Apost. *Cesar Fidelis Vicerger.*

Ego Theodosius Rubeus Priuernas Sacr. Theologiæ, & I. V. D. ex commissione R. P. M. Fr. Ludouici Ystellæ Magistri Sacri Palatij Apostolici vidi, & qua potui diligentia perlegi volumen bipartitum, cui est titulus. Aureæ Decisiones Seraphini Oliuarij Razzalij; &c. in quo tanti viri elucet ingenium, cum huius Supremi Apostolici Tribunalis tot selectissimorum hominum Decisiones (à me sæpius etiam ipso viuente reuolutas) propalando admirabili styli facilitate, & verborum compendio fuerit vsus, & factis nomen ita emulasse videatur, vt nihil in eis Sacrosanctæ Fidei, nec Sacr. Canonum Decretis, aut bonis moribus dissonum contineatur, ipsasq; in lucem ædere multum posteris profuturas esse censeo. Datum ex meo studio hac die v. Iulij 1612.

Ego Theodosius Rubeus qui supra manu propria.

Imprimatur. Fr. Thomas Pallauicinus Bononien. Magister, & Reuerendiss. P. F. Ludouici Ystella Sacr. Pal. Apostolici Magistri socius Ord. Prædic.



PAVLO QVINTO
PONTIFICI OPT. MAX.
LAVRENTIVS VITALIS I. V. D. BONONIENSIS.



Eraphini Olivarii Razzalii Rotæ olim Auditoris Decisiones ab eodem, dum viueret, mihi traditas, nulli alij, Beatissime Pater, potius dicandas, quàm Sanctitati tuæ censui; tum quia idem omni tempore, & præsertim postquam fuit ad Cardinalatum euectus, mirum in modum tibi addictissimus, & obsequentissimus extitit; tum etiam quia, cum viuens in omni bonarum artium genere excelleret, vt meritò de eo dici posset, quod de Mariano Seniore Pius II. Sanctitatis tuæ Prædecessor asseruit; nemini scilicet pauciora ad integram perfectionem vnquam defuisse, quàm illi: æquum erat viri vsquequaq. eruditissimi labores auspicijs fęlicibus doctissimi ac sapientissimi Pontificis ad publicam vtilitatem prodire. Suscipe, Beatissime Pater, pro singulari tua humanitate munus hoc tibi perhumiliter oblatum, & aduersus detractores, si qui fuerint, Decisiones hasce summa illa, qua polles, auctoritate protege; ita enim fiet, vt operi egregio laus egregia succedat, & deinceps alij pleriq. ad similia peragenda alacrius moueantur. Deus Optimus Maximus Sanctitatem tuam diutissime seruet, & cæpta, quæcunq. à te fuerint, optato rerum exitu subsequentę perficiat.

PERILLVSTRIBVS AC REVERENDISS. DOMINIS D. Ioanni Baptistæ Coccino Sacri Palatij Apostolici Decano meritissimo, cæterisq; Romanæ Rotæ Auditoribus Dignissimis.

LAVRENTIVS VITALIS I. V. D. BONONIENSIS.



VANTVM dignitatis, ornamenti, ac splendoris præclarissimo ordini vestro attulerit SERAPHINVS OLIVARIVS RAZZALIVS, Patres celeberrimi, dum viuens inter vos cooptatus, ac spatio annorum circiter quadraginta versatus fuit, nemo est, vt arbitror, qui nesciat: Summa enim eius in qualibet bonarum artium præstantia eximia cum humanitate coniuncta adeo enituit, vt rectè de eo dici queat quod de Germanico Cæsare Suetonius tradidit, omnes scilicet illi virtutes, & quantas nemini cuiquam contigisse; & Præcipuè ingenium in vtroque eloquentiæ, ac doctrinæ genere præcellens, beneuolentiam singularem, conciliandæ hominum gratiæ, promerendiq; amoris mirum & efficax studium. Cuncta hæc ipse postea Cardinalis creatus, nedum retinuit, sed etiam auxit; itaut sacro illi purpureo Collegio non minimum decoris & auctoritatis addiderit, & inter alios eiusdem cætus velut seraphici spiritus iubar illuxerit. Opere pretium igitur me facturum duxi, si tanti viri causarum decisiones ab eo, dum viueret, extensas, & mihi traditas, ac prius per RR. PP. DD. Franciscum Peniam olim eiusdem Rotæ Decanum; necnon Alexandrum Ludouisium nunc Archiepiscopum Bononiæ ac Principem, & postea per Illustriss. ac Reuerendiss. DD: Io. Garsiam Millinum S. R. E. Presbyterum Cardinalem, Almæq; Vrbis Vicarium, tres tunc temporis ex collegis vestris doctissimos viros PAVLI PAPÆ Quinti Pont. Opt. Max. iussu recognitas, & approbatas dari curarem, & vobis traderem. Accipite Patres Amplissimi; lætoq; animo conspicere Seraphinum vestrum aliqua ex parte rediuiuum factum, & dolorem illius morte aliàs conceptum, præsentium eius operum relectione leuate, laboremq; nostrum, qualiscunq. fuerit, haud inanem existimate; ita enim nec me eius hactenus impensi pœnitebit, nec vos egregiæ, ac in omnes studiosos propensæ vestræ humanitatis obliuiscemini.



HIEREMIAS GVELPHVS RO. I. V. D. CARDINALIS SERAPHINI DEDITISS.

Ad Amicum Lectorem.





N tandem amice Lector, SERAPHINI OLIVARII RAZZALII *Sacri Apostolici Palatij Rotæ olim Auditoris, tum Decani, mox & S. R. E. Cardinalis meritissimi iamdiu tibi expetitas decisiones. quas si aureas dixerim parum è merito dixerim, & qui solem digito indicare tibi velle videver, cui tanti viri ingenij felicitas, styli facilitas, breuitatis perspicuitas iamdiu est nota, qui ipsarum nonnullas inter nouissimas diuersorum impressas, alias manuscriptas vagantes quadraginta ferè annorum curriculo ad tuorum studiorum opem relegisti, sed eas vtrasque ita male acceptas, ita vel impressorum vel librariorum inscitia an incuria nescio, deprauatas, vt vix ipse Autor suas sibi inter cæteras dignosceret. Quod in causa fuit vt is ipse à suis partim, partim ab exteris, diuturnis efflagitationibus prouocatus recensendas illas, & se autore vulgandas sibi proposuisset. & effecisset vtique, ni morte præuentus, consilio suo frustratus ipse, spe votisq; frustrasset & alios. At non oportet, nam quod tibi tunc fuit dilatum, maiore cum operis dignitate, maioreq; tua cum vtilitate nunc confertur. Eo enim vita functo S. D. Noster* PAVLVS PAPA V. *qua est rebus in omnibus inexcogitabili prudētia, ab eiusdem Tribunalis selectissimis viris recognoscendas, eas sua ipsius autoritate & edendas iussit, adeo vt quod à Cardinali expectabas, id à Papa accepisse te gloriari amplius possis. Sicut autē sæpe euenit, vt vnus serat, colat, metat, alius trituret, & triticum in horrea inferat, sic & hasce ab Autore satas, cultas, messas Dominus Laurentius Vitalis intimus eius familiaris, ita triturauit, vt cum autographis exactè collatas, additionibus non pœnitendis adauxerit, summarijs enuclearit, indice locupletarit. vt dici possit, cum vnum expectares, duos assequutum te esse Autorem scilicet, & Auctorem. Reliquum erat vt prælo traditæ tuo vsui prodderentur. Id mea fuisse prouincia duplici nomine agnoscens, tum quod Autoris viui æque familiaris, iam mortui obsequia non deserere iustum duxi, tum etiam quod eiuscemodi opera in Vrbe imprimere mihi soli ius est, tamquam Apostolicæ Cameræ Typographiæ Officiali, in patroni optimi memoriam, nec tempori parcens, nec sumptui, quin tuæ potius expectationi, quam meis opportunitatibus consulens, tuumq; compendium dispendio meo præferens, vt ne totidem quidem iulijs comparare eas sit tibi facilè, quot aureis antea cum difficultate cogebaris, rem alacri animo in tui gratiam aggressus, prospera velificatione absolui. Tu vale, & dum hisce frueris, paria ex me expectato.*

PAVLVS PAPA V.



D PERPETVAM REI MEMORIAM. Cum ſicut accepimus dilectus filius Hieremias Goelphus, qui in Alma Vrbe noſtra, officium Typographiæ Cameralis obtinet, Deciſiones bo.me. Seraphini S. R. E. Presbyteri Cardinalis tunc in minoribus conſtituti Capellani noſtri, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditoris typis mandauerit, Nos ne alij, qui ex alieno labore lucrum quærunt. Deciſiones huiuſmodi typis cudi facere quouis prætextu, & ex quacunq; cauſa curent, ipſius Hieremiæ indemnitati in præmiſſis opportunè prouidere volentes, & eundem Hieremiam à quibuſuis excommunicationis, ſuſpen. & interdicti, alijsq; eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſoluen. & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus eius nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, non recedendo à Priuilegijs dicto officio Typographiæ, & illud pro tempore obtinenti à Sede Apoſtolica conceſſis, eidem Hieremiæ, vt nemo tàm in Vrbe quàm in vniuerſo Statu Eccleſiaſtico mediatè, vel immediatè nobis ſubiecto, Deciſiones prædictas, dummodo antea à dilecto filio Magiſtri Sacri Palatij approbata ſint, abſq; dicti Hieremiæ conſenſu imprimere, aut ab alio, vel alijs impreſſas vendere, ſeu quoquomodo venales habere, vel proponere poſſit auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea vniuerſis, & ſingulis Status noſtri Eccleſiaſtici vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus præſertim librorum impreſſoribus ſub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amiſſionis librorum, & typorum omnium pro vna Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, ac pro alia eidem Hieremiæ, & pro reliqua tertijs partibus accuſatori, & Iudici exequenti, irremiſſibiliter applican: eo ipſo abſq; vlla declaratione incurren. pœnis, ne Deciſiones prædictas, etiam prætextu additionum tàm in magno quàm in paruo folio, ac tàm in Vrbe, quàm in reliquo Statu Eccleſiaſtico prædictis, ſine huiuſmodi conſenſu, ſeu licentia imprimere, aut ab alijs impreſſas vendere, ſeu venales habere, vel proponere quoquomodo audeant, ſeu præſumant. Mandantes propterea dilectis filijs noſtris, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatis, ſeu eorum Vicelegatis, ac Præſidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & alijs Iuſtitiæ Miniſtris Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, & locorum Status noſtri Eccleſiaſtici prædicti, quatenus eidem Hieremiæ in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes quandocunq; ab eodem Hieremia fuerint requiſiti, pœnas prædictas contra quoſcunq; inobedientes irremiſſibiliter exequantur. Non obſtan. conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis, cæterisq; contrarijs quibuſcunq; Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam in ipſis Deciſionibus impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ, apud Sanctam MARIAM Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris die viij. Aprilis. M.D.C.XIIII. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

S. Cobellutius.



OVYS par la grace de Dieu Roy de France, & de Nauarre.

A Noz amez & feaulx Conseillers Les gens tenant noz Cours de Parlement Baillifz Seneschaux, ou leurs Lieutenans, & à tous Noz Tuges & Officiers quil appartiendra, salut. Nostre bien Amè Hieremie Guelfy Imprimeur à Rome nous à faict dire, & remonstrer quil auroit recouuert vn liure Intitule Les Decisions de feu le Cardinal Serafin Iadis Auditeur de la Rote de Rome, lequel liure il desireroit volontier Imprimer, ou faire imprimer & mettre en lumiere mais il doubte qu'aucuns libraires, ou Imprimeurs de cettuy Nostre Royaulme pour le frustrer de ses grandz frais & mises faictes & à faire le voulussent aussy faire Imprimer, ou. susciter les libraires, & Imprimeurs estrangeres de ce faire, & les exposer en vente à son tres grand dommage & perte sil ne luy estoit pourueu de remedes conuenables Pource est il que Nous Inclinans liberallement à la requeste dudict exposant, & pour aulcunement le releuer de ses grands frais & mises quil luy à conueuu & conuiendra faire pour mettre ledict liure en lumiere; Auons par ces presentes permis, accordé, permettons & accordons de nostre plaine puissance, & authorite Royalle au dict Guelfy, & à tous ceulx qui auront droict de luy, & non aultres quil puisse faire Imprimer, les dictes Decisions, & ce tant de fois, & en telle marge, & caractere quil trouuera ou les siens bon estre durant le temps & terme de dix ans prochains & consecutifz à conter du iour & date que la premiere Impression du dict Liure sera paracheuee d'Imprimer Auec deffences à tous libraires, Imprimeurs, & aultres de quelque qualite & condition quilz soient d'Imprimer, ou faire Imprimer soit dedans, ou dehors Nostre Royaulme toucquer ne alterer le dict liure ny en extraire aulcune cose vendre, ne debiter sy ce nest du consentement du dict Guelfy, ou aultres ayans droict de luy sur peyne de confiscation des liures & exemplares qui seront trouuez auoir estè Imprimes, & mis en vente contre & au preiudice des presentes soit en publicque, ou en particulier, & de mil liures d'amende applicable vn tiers à nous, vn tiers aux pauures, & laultre tiers au denonciateur sans aulcune diminution. Voulons & nous plait aussy qu en mettant au commencement, ou à la fin de chacun des dictz liures vn extraict des presentes elles soient tenues pour suffissement signifiees, & venues à la cognoissance de tous comme si expressement & particulierement elles leur auoient este signifiees. Si vous mendons & à chacun de tous endroict commendons que nos presentes graces congè permission, & contenue y dessus vous faictes Iouyr le dict Guelfy, & ceulx qui auront droict de luy vser plainement, & paisiblement cessant, & faisant cesser touttes troubles, au contraire, & de laider à lencontre de ceux qui contreuiendront à lauctorite de Nerdictes lettres par touttes voy, & deues & accoustumees, & par les peines susdictes. Car tel est nostre plaisir non obstant oppositions ou appellations quelconques Clameur de Haro Chartre Normandie prise & partie, & touttes lettrez à ce contraires au quelles auons deroge & derogeons par ces presentes pour, & a la derogatoire des derogatoires, & à tou ce qui pourroit estre faict au preiudice des presentes que nous entendons sortir leur plain & entier effect. Non obstant mesmes tous arrestz de Cours contraires à icelles. Donnees à Paris le 29. iour de Nouembre lan de grace mil six cens douze, & de nostre Regne le troisiesme.

Par le Roy en son Conseil.

Perrochel.

Locus ✠ sigilli ceræ flauæ en parchemin.

CARLO Emanuel per gratia di Dio Duca di Sauoia, Prencipe di Piemonte, &c.

Hauendoci Hieremia Guelfi Vfficiale della Stamperia della Reu. Camera Apostolica di Roma fatto sapere, come fà stampare à spese sue, in due volumi, in foglio, le Decisioni della bo. me. dell' Illustrissimo, & Reuerendiss. Sig. Cardinale Serafino ad vtilità publica, per le quali hauendo ottenuto Priuilegio particolare dalla Maestà Christianissima, & d'altri Potentati, di non essere ammesse in vendita meno stampate nelli loro Stati, saluo le da lui fatte stampare, Ci hà humilmente supplicato concedergli il medesimo Priuilegio, Al che volentieri inclinando tanto più per ceder à beneficio vniuersale; Perciò con le presenti di nostra certa scienza, & auttorità, & co'l parer del nostro Conseglio, Concediamo licenza, e permettiamo al detto Hieremia Guelfi di poter liberamente far vendere nelli nostri Stati, sì di quà, come di là da' Monti, & in ogni Città, Terra, & Luoghi d'essi, le dette Decisioni di esso Illustriss. & Reuerendiss. Sig. Cardinale Serafino. Et di più inhibiamo, & espressamente prohibiamo à tutti Stampatori d'essi nostri Stati, di stamparle, ne meno farle stampare, Et ad ogni persona, di qualsiuoglia qualità, stato, e conditione esser si voglia, di venderle, nè far vendere per interposita persona in detti nostri Stati, Et ciò durante il tempo di dieci anni prossimi d'auuenire; Saluo co'l consenso particolare d'esso Guelfi, & alla pena di cento scudi d'oro, contro ogn'vno, & ogni volta che sarà contrauenuto, al Fisco nostro applicati, oltre la perdita, & confiscatione di tutti li Libri di esse Decisioni stampate, oltre il consenso sudetto. Mandando à tutti nostri Magistrati, Ministri, Vfficiali, & à chi spettarà d'osseruare, & far osseruare le presenti senza difficoltà, Che tal'è nostra mente. Dat. in Turino li xx. Decembre 1613.

CARLO EMANVEL.

Vista Prouana.


luogo ✠ del sigillo.

Delale.

O R A T I O

In Funere Seraphini Olivarii Razzalii S. R. E. Cardinalis.

De eiusdem vita, & moribus.



SI vitæ cursus à SERAPHINO OLIVARIO S.R.E. Illustriss. & Reuerendiss. Cardinale Gallo summa cum laude confectus, pari splendore, copiaq; orationis, hodierna die repræsentari deberet, non video, cur mihi vni potissimum, ex tot tantoq; eloquentissimorum virorum, qui Romæ versantur, numero, id oneris fuerit subeundum, qui iampridem sepositis eloquentiæ studijs, intermissoq; eleganter dicendi vsu, longè aliam studiorum rationem huic valde dissimilem, sim sequutus: Verum vnde initium facere queam, non satis animaduerto; atque vtrum ex meis aliorumque oculis fletus, & lachrymas ciere obiecto Cardinalis Seraphini funere, an illius vitæ præstantiam laudare, an grauissimos, qui hinc inde astant viros solari oporteat addubito: nam si communis in Seraphini Cardinalis discessu perpendatur calamitas, dolendum procul dubio est Pontifici, Ecclesiæ, Purpurato Sacro Senatui, Almæ Vrbi, Christianissimo Regi, Galliæ, Europæ, cæterisq; omnibus; & si eius iam ad superos, vt vitæ decursæ ratio piè suadet, translati integritas, & innocentia singularis ad nostram memoriam reuocetur; quis se à laudibus cohibere poterit? si denique flexa omnium vestrum ab eius funere in mœstitiam ora respiciantur, quis non vestris pectoribus mœrentibus adhibendam esse consolationem dixerit? At ne & officio meo, & vestræ in re aliqua desim expectationi, hac vna breuissima oratione, tria hæc paucis præstabo, si prius vos commonuero Periclis fulgurantis, aut Cineæ blandiloqui, Oratorum nec mentis, nec oris egentium esse, Seraphinum, qualem viuum nostis, sermone delineare, atque ei Olympico verè victori antiquorum Hellanodicarum more laudationem ad commensum instituere, meamq; orationem tantum ab eius vestris animis impressa virtutum effigie differre, quantum ipsius heroica mens à cæterorum mente distabat, tamq; ab eius morum excellentia vinci, quàm altissimus Aquilæ volatus humanum obtutum superat: Rogo tamen, & obsecro per eius virtutes, per ingentia defuncti merita, amplissimam hanc lectissimorum virorum coronam, vt adsit animis confidatq; meum studium, & grati pectoris officium, inter præclaros, qui ipsius ætate fuerunt Cardinales, Illustrissimo Cardinali Seraphino non defuturum, & eius virtutes sine fuco, absque vlla verborum pompa, omni apparatu sermonis neglecto, intemerata nihilominus veritate, me relaturum; non secus ac ille, dum humanitatis adhuc lacerna indueretur, vanas ostentationes & superuacaneum ornatum pro innato solidi & veri boni amore calcauit. A Præficis olim veteres obeuntes defleri solitos narrat historia: at longe digniori luctu Cardinalis Seraphini funus ornatur, quē PAVLVS V. mitissimus & moderatissimus Pōtifex dolet consilij assiflorē sibi ademptum: Ecclesia, firmissimum columen à se translatum: Purpureus Sacrarus ordo lapillum prætiosissimum è monili suo auulsum. Eadem etiam Christianissimum, Inuictissimum, & Pijssimum Regem Henricum IIII. tanti Cardinalis occasu, cura coquit, & graue versat sub pectore vulnus, huius viri videntem eclipsim, qui non minus suæ Maiestati, quàm planeta Mercurius soli adhærebat; qui illi erat adamante durior, magnete fidior, quique omni officio & integritate ipsius discriminibus semper præsto fuerat. Hephestionis exequijs talentorum effudit decem millia Alexander Macedo; at Crœsi thesauros regia & liberali manu funderet Henricus, Agamennone illustrior, & fortior, modo Nestoreos victurus in annos repuerasceret Seraphinus Cardinalis, ipso Nestore cautior & probior. Sed quo loco Galliam locabo? quæ vix tollerare potest auolantem hunc suum pellicanum, qui se tot laboribus, curis, & vigilijs confecit, vt Francia Regi redderetur, Rex, & talis Rex, Francia potiretur; Rex & Francia, salua & incolumi Christianæ Reipublicæ dignitate, Deo, Pontifici, Ecclesiæ seruarentur. Hunc, inquam, suum Agesilaum, qui quicquid sibi gratiæ ab externis gentibus, aut à Romana aula debebatur, id omne pro patriæ, quæ illi charissima, pro Regis, qui illi sacratissimus semper extitit, salute & præsidio, despexit: maiori perpetuò charitate Regem Henricum Quartum, & Franciam, quàm quosuis honores prosequutus, arbitrans se tantas quantas ipsæ Franciæ, quæ illum protule-

tulerat, deberet, & Regi qui illam in manu potenti, & brachio excelso iugo manifestæ seruitutis exemerat, nullo vnquam tempore posse referre gratias. Omnium etiam, qui Romæ & per Europam vitam traducunt, statim vt Illustrissimi Seraphini Cardinalis discessum audierunt, horruere comæ, & vox faucibus hæsit: Sicut nanque Atheniensium cum probi cuiusquam meminisset quis, in Aristidem; Romanorum priscorum, in Scipionem Nasicam ferebantur oculi: eadem prorsus ratione Romani ac Europæi vniuersi, Cardinalem Seraphinum, Ianum quempiam, alterumq; sæculi huius Catonem denotantes, digito monstrabant. Quod eo die, quo corpus ipsius elatum fuit, cunctorum conspexere oculi: tunc etenim Romani & cum Gallis etiam Hispani, luctum & iustitium sibi indixerant; itaut præter viam, qua funus deducebatur, eamq; lachrymis madentem, & suspirijs resonantem, Vrbs à populo deserta esse videretur. Quòd si lachrymis ab ijs, qui nihil in ipso spei vnquam posuerunt, eius funus decoratur; alicui mirum esse poterit, si plus omnibus profluenti lachrymarum fonte illud persequor? Ego, quem dilexit, immo vnicè amauit; & cui plus quàm cuiuis alteri mortalium splendor eius affulsit. Dolent ergo Pontifex Ecclesia, Purpurati Patres, Rex, Gallia, Roma, Europa Seraphinum Cardinalem Illustrissimum abijsse non obijsse, fuisse præmissum non amissum, Seraphinum Cardinalem tanto sublimiorem gregariæ eorum, qui sibi aliquod nomen doctrina, & eruditione comparasse videntur, multitudini effectum, quanto differentius præ illis nomen erat sortitus. Præcipuè quòd secundum eius nomen laus ipsius fuerit in Ecclesiæ Hierarchia, celsioribus ingenijs infundere diuina, quibus exundabat, & exuperabat charismata, puras & defæcatas intelligentias. Laus, inquam, ipsius à propria promanans virtute, non verò ab externis fortunis deducta. Milesius ille, cui sapientis titulum concessit antiquitas, illum pronunciauit fœlicem, qui esset corpore sanus, fortuna diues, optima patria, animo non ignauus, ac imperitus: Verum cum valetudo, species, pulchritudo, venustas, opes, nihil aliud sint, quàm fucata & simulata ornamenta, quæ etsi quandoque hominem gratiorem faciunt, non proinde efficiunt beatiorem, ab eis stylum orationis abducens, ad virtutum narrationem perduco: ne Seraphino optimo Cardinali, qui etiam istis fortunæ donis satis superq; præditus fuit, à fluxis & caducis rebus, quas probis, & improbis indiscriminatim natura communicat, laudem comparare videar, insanientibus similis, qui lapillos, & quisquilias vano sudore ad maris arenosum litus legunt, spretis interea Hyacinthis, & adamantibus. In primis itaque omnium cum imperiosa planè res sit amor patriæ, quin & tyrannus, ipse etiam patiar me blando patriæ retineri amore, quæ profectò pars est quædam fœlicitatis, si optima fuerit, qualis fuit Cardinali Seraphino, nempe Gallia omnium terrarum, quæ cælo amiciuntur, ne suspectum Gallum de Gallia habeatis, Iosepho Hebraici sanguinis viro teste, florentissima, & amœnissima. Ciuitas verò, quæ hunc politioris litteraturæ nobis Phœnicem edidit Lugdunum dicta est antiqua Romanorum à Planco deducta Colonia; cui, contra Thaletem ipsum in Platone, plus decoris, & splendoris Cardinalis Seraphini omnigenæ eruditionis fulgidissimi syderis ortus infudit, quàm illa vrbs, cæteroqui famosa, ipsi, cui stirps Oliuaria nobilitatem attulit, quæ famosis imaginibus apud Aruernos spectabilis Franciæ Cancellarios etiam suppeditauit. Ipse posthumus in relictam parentem, dum etiam ferueret adolescentiæ effrenis ætas, tanta fuit pietate, tanta moderatione; vt meritò vbertatem ingenij, & dignitatum fastigia, quæ postea toto vitæ curriculo est assequutus, huic vni potissimum suæ in matrem pietati, quòd aliquando dulcibus ob ortis lachrymis amicis retulit, ex sententia diuinæ scripturæ attribueret, quæ astruit, eum, qui matrem honorat, thesauros congerenti parem existere: cuius sententiæ vim multum per totam vitam commendare solitus fuit. Grammaticam & Græcam linguam puerulus Turnoni didicit, dein pubes, impellente Iacobo Razzalio Bononiensi eius vitrico in Italiam se contulit: In qua liberales omnes artes ad eruditionem magis quàm ad ostentationem complexus est, tanta eminentia, & soliditate, vt in fœcunda studiorum Altrice Bononia exter & Inquilinus, ad Cathedram Iuris prudentiæ, ipsius vix fuscante lanugine malas, reiectis plurimis, qui id muneris ambiebant canis, & sanguine generosis ciuibus, grauissimi Felsinei Senatus approbatione atque auditorum applausu sit promotus. Functus biennium docendi publico munere incredibili fama, & nominis propagatione Seraphinus, Bononia, Romam, quæ fundit in omnes imperium, quæ gaudet variare cuncta, resq; transformare hominum, ac in qua natura ponit, quicquid vbique est, venit: vbi cum certior euasisset Areopagitarum Apostolicorum liliorum indigenæ concedi solitam sedem, vacuam esse, eam non munere, non pretio, non alieno elogio, sed eruditione, sed prudentia, sed virtute dispulsis fractisq; repugnantium, aut competitorum agminibus, ipse Iurisconsultissimus, & verè in liliorum lætis & pinguibus aruis satus & propagatus.

tus. Pij Quarti sapientissimi Pontificis delectu, & Caroli Noni Christianissimi Regis assensu consequutus est, quadraginta exinde ferè annos Auditorem Rotæ, quæ fulchrum est Pontificiæ æquitatis, & mens publica Curiæ, primum; ac postea Decanum industrium, fidum, vigilantem, & integrum, se per omnia præstans. Vos Vos honorificentissimè appello omnium Prouinciarum pignora, orbis flores, Sacræ Rotæ Auditores, qui Seraphini sententias graues, liberas, opportunas semper, ita suspicere consueueratis, vt illius vnius calculus aliorum doctissimorum & sapientissimorum ea tempestate eius sociorum calculos in vrnam demissus, pro iudicij ratione aut candidaret, aut denigraret. Sed à Seraphino encyclopędiam omnium disciplinarum obtinente dirigi quid dedecoris? Maximè cuius suauissimi atque humanissimi mores tantam omnium beneuolentiam sibi conciliarent, vt publicè vniuersi, demptis quibusdam, exiguo quidem numero, sed amplissima potentia ęmulis, quorũ perodiosam lippitudinem eius virtutum in cans splendor & nitidum doctrinæ iubar perstringebat, ei voce gestuq; purpuram cum latoclauo non tam augurarentur, quàm precarentur: Vniuersis inquam Seraphinus tam domi quàm publicè dulcis, carus, & affabilis extitit, vt verè seraphicus & quasi diuinus omnium obtutu se præberet. Pontificibus quoque Maximis adeo perspicuus se reddidit, vt cognita à Gregorio XIII. Optimo Pontifici eius admirabili eloquentia ac doctrina ad Henricum II. Poloniæ Regem electum congratulationis gratia de anno 1573. eundem transmiserit. A Sixto Quinto prudentissimo Præsule etiam optimum & vnicum mediatorem iudicatus, quòd solus turbatissimos Gallorum motus pro nouo Rege, post Henrici III. Regis mortem, diligendo, qui sedare posset, ni ipsius Summi Pontificis se intermisisset obitus Seraphino inuidus, ex quo summa eius honorificentia, & imminenti, vt certo credebatur purpura in tali munere authorizando, destinatus fuerat. A Clemente denique Octauo Sanctissimo & prudentissimo Patre olim in minoribus, suo in Sacræ Rotæ Auditorio, comilitone charissimo ad officium in Dataria, quod vocant, Concessum, quasi ad munus Datarij, à quo nescio quo duce, è faucibus olim arreptum, tunc quasi restitutum euectus, in omnibus ita sedulè prudenter ac vigilanter se gessit donec idem Clemens amicum si charissimum clementer oculatus, anno ætatis ipsius septuagesimo primo in Patriarchatus Alexandrini honorem, sine tamen Sacræ Rotæ consessus præiudicio, ingenti gloria, & laudum præconio euocauerit, ac tandem sequenti eiusdem ætatis anno septuagesimo secundo, gradibus propriæ virtutis, prima, secunda, & tertia innocentiæ assertione, contrarijs quibuscunque depulsis atque sublatis: Idem æterna recordatione dignus Pontifex in Consistorio coram omnibus Patribus ante omnia veteris amicitiæ moram purgans, Seraphinum perduxit, Perduxit, dicam, an extulit? Regiarum domorum, quas struxit Salomon, Libani saltus peculiari nomine vna dicebatur, quòd alto ac denso cedrinarum columnarum numero copiaq; fulciretur, vt similior amœnissimo luco, quàm domui iudicaretur. Sacro Cardinalium Illustrissimorum & Reuerendissimorum ordine fulta Ecclesia lucus est, qui non libano excisis, sed cælo electis columnis viuis, cæruleis, purpureis & incontaminato sanguine agni tinctis nititur: quæ inter alias dignitates tanto eminentius efferunt caput, quanto altius lenta solent inter viburna cupressi. Postquam verò trabeatus extitit, vt vitam instituerit Roma ac Europa cum ingenti admiratione & approbatione suspexere. Etenim in sacra purpura honestissima eius erat frugalitas, quæ nunquam flagitauit remotorum litorum piscem, peregrini aeris volucrem, alieni temporis florem, adeo vt videretur Seraphinum natura edidisse, vt ostenderet quid in summa eruditione, ingenti nomine, & amplissima dignitate bene composita mens posset. Viguit etiam tunc ipsi innata oris suauis maiestas, quæ intuentes non tam terreret, quàm lepore traheret; sermonis dulcedo, eloquentia, perspicacia, & memoria mirabilis, aptis rationibus, & postulata colligens, & petentibus respondens, & quod mirandum erat tanquam alter Salomon sententiosa prouerbia semper ac seriola commiscens, ita vt nunquam non sine admiratione quis eum videre potuerit, alloqui, vel consulere, nemo otiosum reperire. Eo Orpheo, qui arbores exilire faciebat; Amphione, qui saxa trahebat; Hercule Gallico, qui plebes indomitas lingua catenatas circunducebat, admirabilior; quò gentes cælo, solo, salo, veste, obsonio, moribus, institutis, placitis dispares, immo penè aduersarias facili negotio domi suæ coniungebat: eadem redha, spectante & mirante Roma, Gallicam hilaritatem, & Hispanicum cothurnum simul sæpissimè vehens, atque inaudita industria efficiens, vt omnium nationum cateruæ dulcia ipsius limina quotidie circumuolitarent, & ibi depositis veteribus & antiquis simultatibus amicè conuenirent. Quo præcipuè nomine & ætatis etiam prærogatiua, integrorum ac florentium populorum Proceres dignissimum illum censebant Pontificali munere, vt eo vltimis comitijs mirabilior, & diuinior fuerit PAULI V. florentib'annis ꝓsperè ac faustè sanctissime ma-

mudi b iusta-

iestatis insignia gestantis, electio; quod Seraphinus delitiæ generis humani, longæ senectæ extrema tempora dusens, præter alios multos egregiè dignos Patres, in Conclaui adesset. Cui si regnasset, minus fuisset, quàm quòd regnare merebatur, excedens factis grandia fata suis. Seraphinus, cuius omnis cura, omnis contentio ad tuendam Ecclesiæ dignitatem, & ad subleuandos iniquè oppressos, vergebat; cuius omnes cogitationes magnificæ quidem erant; at orbi salutares; cuius saluberrima consilia cunctos penè Italiæ Primates obstrinxerant, in tantum vt vix Princeps aliquis esset, Antistes, aut Respublica, q̃ Seraphino meritum,& debitum honorem inuideret. Qui exultabat summopere, cum ad dignitates viros sua contentione promotos videret doctos & probos, quos si ad hæc deprehenderet Christianæ & publicæ tranquillitatis cupidos, ac Ecclesię fidos, secretiori & sanctiori amoris nexu lateri adiungebat suo, non solum mensæ, quod est familiaritatis symbolum, sed etiam arcanis & interioribus suis consilijs eos adhibens. Non erat folium illud Græcorum, non bulla Latinorum, non cinis, non vmbra, non vapor, non inane: sed homo tanta organorum concinnitate temperatus, vt absolutissimum naturæ opus à cunctis reputaretur: sic re vera decuit eius placidissimam animam benigniori sidere ipsius corpori coniungi, vt cogitationes, motusq; animi illos perspicaces atque sagaces parturiret, qui Ecclesiam vniuersam, & ipsos etiam mundi sapientes, & politicos Principum consiliarios, quibus præter propriarum opinionum commenta vix aliquid arrider, in admirationem tam frequenter rapuere, Rapuere, quod Cardinalis Seraphinus subtilissimus alter Apelles præter illorum artem, lineam lineæ superducere sciret, Politiam Religioni, sine qua Politicam poplire succiso repere, potius quàm incedere arbitrabatur; memor antiqui illius eximij cuiusdam Ecclesiastici scriptoris Apophtegmatis, quo iam regnum in Ecclesia, non Ecclesiam in Regno esse edocemur. Leo vigore erat, agnus mansuetudine, qui nunquam irarum vngues exercuit, nisi cum pro Ecclesia, terrenis, aut pro patria, inuidis potestatibus, illi rerum vicissitudo repugnandi necessitatem attulit. Vir erat ille sine næuo, quem Stoici diu quæsitum nusquam inuentum doluerūt, quadratus Aristotelis homo, miraculum miraculorum Zoroastris, cuius sententiæ proprij consilij æqua lance pensitabantur: quamobrem nec fraude quis: etiam versutissimus, illum aliquando circumuenire potuit, ab illo ve, etiam simplicissimus circumueniri. Temperantia in eius anima sibi domicilium fixerat, probitas sedem, liberalitas thronum, acceptorum beneficiorum gratia solium, quod vel hodierna luce Razzaliorum, qui hic Romæ attracti adstant posteri testificantur, ob leuia, adolescenti adhuc Seraphino à Iacobo Razzalio eorum gentili impensa subsidia, Luculentam Cardinalis hæreditatem testamentaria adoptione adepti. Ita Seraphinus etiam moriens præcauit, ne ἀχαρισίας crimen apud posteritatis memoriam subiret. Qui lux erat liberaliter orbi, nullo elementis indicto tributo se impertiens, sol inferioribus, nullo peculiari commodo prælucens. Primi moris aulicorum surculus vtriusq; Philosophiæ vertex, Socrate moderatior, temperantior Curio, Metello religiosior, Epimenide solercior, Thalete sagacior, Biante securior, Periandro iustior, tanto amplius illis pluribus solus præfulgens, quanto magis eius virtutum radij, diuinæ gratiæ igne accendebantur: Atque vt Porticus templi Salomonis insignibus duabus columnis adornabatur, quarum vnam Iakim, alteram Boox vocabant, ita iustitia & pietate, clarissimis columnis, mens Seraphini Cardinalis comptissima fuit. Iustitia, vti face, inter opacas litium tenebras veritatem bene secernens, illaq; vti accenso rogo iurgiorum spinas absumens: Pietate verò; quam virtutum portam Hierocles dictitabat, per fidei nubem ad superni Numinis spem & amorem anhelans. Verum quomodo capitella, quæ erant super capita celebrium illarum Porticus Salomonis columnarum, quasi opere lilij fabricata erant; sic iustitia & pietas Cardinalis Seraphini liliorum amore fulgebant, quod vir lectione diuinorum librorum sapiens clarè nosset, dilectum æterni patris filium pasci inter lilia, donec affulgeat dies perennis, inclinenturq; vmbræ huius transeuntis vitæ, quo ænigmate, Christianissimam Ecclesiam Franciæ Regno nullo vnquam tempore carituram, Spiritus Sanctus forsitan expressit. Qua in re Seraphinus non tam se Gallum, quàm dignum Cardinalem præbuit, dum vnus ex angulis fuit, quibus mediantibus, lineæ rectæ Ecclesiæ, parallelas Franciæ lineas niuere, ex qua coniūctione prodijt illa pulcherrima tranquillissimi præsentis Franciæ Status, Auspice Henrico Potentissimo Rege, figura, cuius aspectus lætificat Ciuitatem Dei. Dies potius me deficeret, Amplissimi viri, quàm virtutum Seraphino Cardinali ampla seges, & densa materia gloriæ, deesse posset; At polliciti memor, dum vella humida lego flebilis nauita, Considerate perfectam virtutem Seraphini Cardinalis in ipsius vltima infirmitate, ingentem in eo animi magnitudinem prodidisse, eius in obitu pietatem, mirabilem fidem, ac Religionem explicuisse, vt si proinde meam orationem viri meritis adęquare conarer, erumperent è no-

strum

ſtrum omnium oculis fletuum torrentes, in quorum vorticibus, & mea vox, & veſter auditus haud dubiè præfocarentur. Quapropter oculos ab illo auertens ad vos conuerto, quibus hæc Seraphini Oliuarij Cardinalis funebris pompa, quam videtis, debet eſſe doloris anodynon, hic inconcinnus campanarum ſonus, quem auditis, mœroris lenimentum, tot cerei, tot lumina, quæ veſtræ conſolationi adhibentur, Seraphino Cardinali ſunt immortalitatis ſymbola, supernæ claritatis indicia. Vndę appoſitè Theodoſius religioſiſsimus Imperator cum mors inſtaret inſcribi ſepulchro ſuo hoc vnicum verbum iuſsit, ΥΓΕΙΑ ſanitas, quòd mors ſit medicina morborum, refugium malorum, & in mundi huius fluctibus portus, quem ſapiens nunquam fugiat, immo Deo vocante totis velis in eum feratur. Si itaque eius abſceſſus eſt fœlicitatis initium, eius exitus erit introitus, non ad perpetuò virentes Sibyllę hortos, non ad Heſperias, & fortunatas Poetarum inſulas, non ad amęnas oras Hyperboreas, non ad ſplendentes Chaldęorum campos, ſed ad auream, & lapidibus inſtratam pretioſis cæleſtem aulam. Migrauit, migrauit, ſed ad alia multo lucidiorem ſphęram noſtrò ſpreto hemiſphęrio ſol ille Seraphicus, quem ſplendore nobiliori fulgentem iam nunc conſpiciunt amici, quam dum terrena nube tectus reſplendere à cunctis exiſtimabatur, nihil aliud præclara vita, quàm clariſsimam mortem præſagiens, quæ non aliter quàm cunctorum amariſsimis eſt proſequenda lachrymis; eo quòd magnorum virorum perennis, & inexhauſta erga omnes beneficientia, omnium etiam ſuſpiria, dum finitur, depoſcit; At qualia ſuſpiria, ſuſpiria verè Chriſtiana. Vnde ſi Phocenſiũ Thracum & Locrenſium mores, qui ludicris charorum mortem potius rident, quàm deflẽt, nobis feri, & inhumani videntur, atque flere tanti viri exitum magis lubet, cedo: lugeamus, fleamus, ſuſpiremus, gemamus ſpectato Seraphini Oliuarij Cardinalis Galli funere, ſed ad Deum, ad ſacras aras, noſtroſq; planctus ſacris cantibus commutemus, ſpargentes ipſius Cenotaphion rore leui, & ramo fœlicis Oliuæ.




A D
CARDINALEM SERAPHINVM
OLIVARIVM RAZZALIVM.

Epigramma.

Tiberius Lunardus I. V. D.

*Ompilio Seraphin similis, maiorq; Catone*
Romano reparas iura sepulta foro.
Hinc te Roma suis ad Cœlum laudibus effert;
Hinc te purpureo iussit honore frui.
Sed tibi, vera loquar, parua est laus Vrbis et impar
Pro meritis fuerat purpura sacra tuis.
Ergo magis Seraphin Vitalis munere gaudet;
Vnde diu viuat clarus in Orbe magis.

Idem Ad Eundem.


*Æsareas Seraphine artes, arcanaq; legum*
Romulidum natis interiora paras.
Nec te materies torquet, nec decipit error
Lubricus, aut torto tramite fallit iter.
Pro fœlix, quisquis sequitur tua dogmata, nunquam
Fraude, dolo, ac nocua victus ab arte cadet.

Idem Ad Eundem.

*Mplius haud Seraphin timeas inuisa sororum*
Stamina, vel stygias ne verearis aquas.
Te Parcis adimit liber hic, vitamq; perennem
Selectum è vario dogmate dogma dabit.
Audio sed Seraphin, qui sic mihi fatur ad aures,
Hæc mihi Vitalis stamina longa dedit.

Idem Ad Eundem.

DISTICHON.

*Vspice Vitali remeas Seraphinus ad auras*
Vitales, tua sic vita perennis erit.

Idem Tiberius Lunardus I. V. D.


Vid legum Iuuenis tentas aperire latebras?
Quid rimari inhias abdita iura senex?
Vana moues, fateor, cæcis ambagibus errans,
Vera mouens cœptis ni Seraphinus adest.
Palladios potes hic labyrinthos tollere mille,
Hic iuris nexus soluere mille potest.
Ergo age; diuinum Seraphini amplectere lumen,
Quod tibi Vitalis dextra benigna parat.

IDEM AD ROMAM.

R*Oma audi, Seraphin tibi sacra volumina pandit;*
Hic certum è vario dogmate dogma leges.
Vt facilè ergo tuos audax tuearis egenos,
Vtq; feri extinguas iurgia cæca fori,
Hic tibi sit ductor, Seraphinus fila ministret,
Queis subito extinctus ciuicus ardor erit.
Vitalis, non ficta loquor, tua munera sunt hæc,
Ex te vita oritur, quam Seraphinus habet.

Idem Ad Laurentium Vitalem Nobilem Bononień. I. V. D.

V*Italem resonant hilares pleno ore Quirites,*
Curia seu reboat, seu feriata silet.
Esse quid hoc dicam? nisi quòd super æthera nomen
Deuehat è terris inclyta fama tuum.
Ergo tibi quid vis? faciet nam fama laboris
Perpetuò nomen viuere posse tuum.
En, duce te, extinctus rediijt Seraphinus ad Orbem
Quid mirum? vita nomen, & omen habes.

Idem Ad Eundem.

C*Vm tua peruoluo Seraphin celeberrima facta,*
Me quoque Vitalis cernere facta iuuat.
Hoc oculus discrimen habet, nam cernit in Vrbe
Viuere Vitalem, te periisse videt.
At quæ vis oculos hebetat? quæ somnia menti
Occurrunt? Seraphin vita perennis erit
Hæc tua, Vitalis, laus est, quem Parca necauit.
Hunc tu perpetuò viuere posse facis.

Idem Ad Eundem. Distichon.

A*Vspice te Lauro remeat Seraphinus ab vmbris,*
Non ergo hic metuat fulmina dira Iouis.

AD LECTOREM.



T quoniam sæpissimè occurrit, quòd in huiusmodi voluminibus allegentur Decisiones coram R. P. D. Decano, nec omnibus notum sit, quisnam fuerit tunc temporis Decanus, non ab re censui recentiores studiosos aduertere & edocere, quòd in tempore totius præsentis operis, quod incipit, vt apparet, à 15. die Februarij 1566. vsque ad 9. Iunij 1604. quatuor illuxerunt Decanatus, quos ideo hic adnotaui, ne in studiosos error aliquis subrepat, sed quoduis allucinationis & aberrationis periculum, hoc modo omnino tollatur.

R. P. D. IVLIVS ORADINVS Decanatum tenens in initio temporis istarum decisionum, vsque ad sui obitum Decanus permansit, qui fuit in Calendis Octobris 1573. quo tempore inttauit Decanus R. P. D. Rubeus.

R. P. D. IO. BAPTISTA RVBEVS Decanatum absoluit die septima Septembris 1590. qua die vitam cum morte commutauit, & remansit Decanus

R. P. D. SERAPHINVS OLIVARIVS RAZZALIVS, qui in Decanatu continuauit, vsque ad mensem Augusti Anni 1602. ex quo à fel. record. Clemente VIII. Pont. Max. Patriarchatus Alexandrini dignitate fuit insignitus, & sic cum retentione Rotæ Auditoratus, Locumtenens in Rota remansit vsquead 9. Iunij Anni 1604. &

R. P. D. HIERONYMVS PAMPHILIVS Rotæ Decanatum adeptus est, quem vsque ad finem præsentis operis tenuit, nam & ipse tanquam miles benemeritus, vnà cum amantissimo, strenuissimoq; comilitone & Collega suo Seraphino laborum lauream & præmium à prædicto Summo Pontifice eodem die, & Anno simul consequutus est, & Decanatus Sacræ Rotæ Romanæ pondus

R. P. D. FRANCISCO PENIAE nobili Aragonensi, & viro Doctissimo ac integerrimo reliquit.

Laurentius Vitalis.

T A B V L A

Seu Elenchus Decisionum , quæ in hoc opere continentur.

Iu-

Iurisdi-

de Cæsa-

FINIS.

INDEX MATERIARVM,

quæ in hoc opere continentur, ordine Alphabetico distributarum.



A.

B.



C.



D.



G.



H.



I.



L.

M.

N.

O



P.



Q.



R.



S.



T.



V.







Imprimatur. Si videbitur R.P.M. Sac. Pal. Apost. *Cesar Fidelis Vicesger.*

Imprimatur. Fr. Thomas Pallauicinus Bononień. Magister, & Reuerendiss. P.F. Ludouici Yitella Sac. Pal. Apostolici Magistri Socius Ord. Prædic.

DECISIONES R. P. D. SERAPHINI OLIVARII RAZZALII S. P. A. CAVSARVM AVDITORIS.



ROMANA MERCEDIS.

Die Veneris 15. Februarij 1566.

SVMMARIVM.

1 *Sententia ratione incertitudinis conformis dici non potest.*

2 *A censuris latis in curia regulariter non datur absolutio ad beneplacitum, nisi causa cognita.*

DECISIO I.



DOMINI dixerunt, sententias non esse conformes in summa 280. scutorum, cum in ultima sententia summa non adiudicetur D. Petro Cisneros ex eadem causa, nẽpe mercedis explicite, sed implicite confundendo causã mercedis cum causa expo-
1 sitorum, quare † ratione incertitudinis nõ potest dici conformis, nisi ex actis constet D. Odescalcum liquidasse exposita in septuaginta scutos, quod videbit ponens, an ita se habeat, & interim absoluat Don Didacum ad beneplacitum cum reincidentia,
2 nam † licet à censuris latis in curia non detur absolutio ad beneplacitum regulariter, tamen hoc non procedit causa cognita.

Ciuitatis Castelli Bonorum.

Die Lunæ 27. Maij 1566.

SVMMARIVM.

1 *Testes plures numero præferuntur paucioribus, & quando melius probant.*

2 *Possessio per locationes non probatur.*

DECISIO II.

1 DOmini fuerunt in voto † testes pro parte Domini Vincentij numero & probatione præualere, maxime propter tacitam confessionem Episcopi procedentis contra D. Vincentium, tanquam contra occupatorem bonorum ecclesiasticorum, & inhibentis, ne d. Vincentius de cætero sub excommunicationis pœna audeat ingredi, vel se immiscere in bonis, de quibus agitur. Non obstat possessio capta, de qua in in-
2 strumento, quæ videtur clandestina, † neq; per locationes possessio probatur.

Palentina Decimarum de Vsillos.

Die Mercurij 5. Iunij 1566.

SVMMARIVM.

1 *Sententia declaratur ex actis ad effectum, vt sustineatur.*

2 *Tacita recessio à protestatione colligitur ex citationibus, & alijs actibus post eã factis.*

DECISIO III.

DOmini dixerunt, quòd ex eo, quòd fuit protestatio facta, vt procederetur in spolio tantum, non posset Capitulum reuerti ad interdictum retinendæ, nisi refectis expensis, nam licet sententia nullam de spo-
1 lio faciat mentionem, † tamen est declaranda iuxta suspensionem, & protestationem, aliàs nulliter fuisset processum. An vero ta-
2 cita recessio à protestatione, † quæ colligitur ex citationibus, & alijs actibus, sit talis, quæ excusare possit à refectione expensarum. Domini volunt particulariter videre, vt tunc dixerunt, & denno ab ipsis in audientia Veneris 7. Iunij fuit mandatum ponenti.

Monasterien. Canonicatus, seu denegationis possessionis.

Die Lunæ 17. Iunij 1566.

SVMMARIVM.

1 *Forma statuti est omninò seruanda.*

DECISIO IIII.

DOmini habuerunt hanc materiam pro difficili, ex quo nonnullis placebat,

quod consuetudo tantum,non antem statutum confirmatũ esset,& placebat etiam nõnullis, quòd probationes legitimæ, & æquiualentes admittendæ essent,Alij contra vo-
1 lebant + statuti formam esse omnino seruandam,cum Rota succedat in locum Capituli quantum attinet ad probationes recipiendas,Ideo placuit Dominis propter difficultatem, & grauitatem materiæ,vt in primis videatur , quibus testibus,& probationibus d. Ioannes fundauerit intentionem suam .

Bononien. de Bologninis .
Die Lunæ 17. Iunij 1566.

SVMMARIVM.

1 *Facultas legitimandi concessa Campegijs de Bononia extenditur etiam ad laicos legitimantes , etiam in bonis emphyteuticis,ecclesiasticis,& num.4. cum sequentibus.*
2 *Declarantur verba priuilegij Leonis X.concessi Campegijs circa facultatem legitimandi .*
3 *Dictio,etiam,implicat maiora expresiis .*
4 *Clausula,vobisque,posita in concessione absque aliqua restrictione,ad omnes est referenda , quando venit amplificatiue post iam perfectam,& absolutam clausulam , nam dictio, vobis, omnes complectitur .*
5 *Vt euitetur superfluitas,& singula suos effectus producant,interpretatio fit aduersus ius commune in priuilegijs,licet regulariter stricte interpretentur .*
6 *Materia concessionis legitimandi est fauorabilis .*
7 *Facultas legitimandi concessa Campegijs laicis non extenditur ad legitimationem personarum ecclesiasticarum , licet extendatur ad bona ecclesiastica , sed in clericis legitimantibus extenditur etiam ad personas ecclesiasticas .*
8 *Maius est priuilegium, quod quis possit legitimare in Vrbe propter reuerentiam Principis, quam quod possit legitimare ad bona ecclesiastica extra Vrbem .*

DECISIO V.

IN causa Bononien. de Bologninis dubitabatur an Dominus Alexander legitimatus ab Illustr. Domino Antonio Maria Campegio posset succedere in bonis emphyteuticis,de quibus erat controuersia, & difficultas pendebat ab interpretatione priuilegij Leonis X, scilicet,an tribueret facultatem legitimandi ad bona ecclesiastica laicis familiæ de Campegio , & fuit hæc dubitatio per tres Rotas me proponente discussa, nempe die Lunæ 27. Maij, & die Veneris 14. Iunij,& Lunæ 17. eiusdem anni
1 1566. + & tandem resoluta in fauorem Domini Alexandri contra DD. Godoliniam & Franciscam , & quia difficultas erat circa interpretationem cuiusdam clausulæ satis perplexæ, Ideo operæpretium erit, eam prius resoluere in suas partes, deinde Rotæ interpretationem subnectere . Primo igitur
2 + inquit Papa , *Motuproprio , &c. Præmissa omnia tibi , ac Hieronymo Episcopo,& Thoma Electo,necnon fratribus,& filijs prædictis, vt præfertur concessa, statuta,decreta, & gesta .* Hic de nouo recurrendum est ad verbum positum in fine clausulæ . *Auctoritate Apostolica tenore præsentium , facimus, statuimus,decernimus, & elargimur ,* deinde redeundum ad clausulam in istius corpore inclusã, *Itaut tu,ac Hieronymus Episcopus,& Thomas Electus,ac alij prædicti tui fratres , necnon tui, & ipsorum fratrum filij masculi legitimi,& naturales, & descendentes in infinitum ,* hic recurrendum est quoq; ad verbum inferius positum , *vna cum re concessa,* nẽpe, *priuilegijs,indultis,auctoritatibus , facultatibus , immunitatibus , exemptionibus, honoribus , & gratijs , ac omnibus alijs quibuscunq; in dictis litteris tacite , vel expresse comprehensis,tam coniunctim, quam diuisim,vti, potiri,frui,& gaudere omnino licite possitis,& quilibet vestrum possit.* Verum quia Papa voluit quandam differentiã constituere inter personas ecclesiasticas istius familiæ, & laicos respectu loci, ideo restrinxit hanc clausulam,hoc pacto,scilicet, *Vt tu,* (loquens Cardinali) *& Hieronymus Episcopus,& Thomas Electus in curia , alij vero extra eam,* & hic nulla subest difficultas, sed tota cõsistit in sequenti restrictione , *& tam circumspectio tua,ac Hieronymus Episcopus, & Thomas Electus prædicti, tam in nostra Bononien . quam in quibuscunq; alijs Ciuitatibus,Terris,& locis Romana Ecclesia mediate,vel immediate subiectis,& alibi vbique locorum,etiam quo ad personas ecclesiasticas,& ecclesiastica bona,&c.* Ex quibus videtur Papa voluisse hanc facultatem legitimandi respectu personarum,& bonorum ecclesiasticorum solis Cardinali , Episcopo, & Electo concedere , & ideo informantes pro Domina Godolinia clausulam inferiorem , *Vobisque omnes personas, &c.* referebant ad Cardinalem,Episcopum,& Electum tantum, idque moti his argumentis . Primo,quia iam Papa limitate concesserat hanc facultatem
3 istis personis,& vsus fuerat dictione, + etiã, quæ implicat maiora expressis , Secundo per hanc interpretationem minus lædi ius commune dicebant, Tertio maiorem subesse rationem concedendi hanc facultatem legitimãdi etiam ad bona ecclesiastica personis ecclesiasticis,quam laicis , Quarto argumentabantur à minori ad maius, nam cum Papa constituerit differentiam inter personas ecclesiasticas,& laicos respectu loci,multo magis censendum voluisse constituere respectu bonorum, cum hic vertatur ma-

maius præiudicium. His tamen non obstantibus, post tres causæ positiones fuit per maiorem partem Dominorum resolutum, facultatem legitimandi etiam ad bona ecclesiastica etiam laicis competere, & hoc ex
4 pluribus. Primo, † quia clausula, *Vobisq, &c.* sine vlla restrictione ad omnes est referéda, cum veniat amplificatiue post iam perfectam, & absolutam clausulam, in qua verba vltima ad omnes referuntur, vt supra in resolutione huius clausulæ ostensum est, & ideo dictio, *Vobis*, omnes cóplectitur, quod etiã suadetur ex eo, quòd, cum Papa voluit aliquid particulariter Cardinali, Episcopo, & Electo tribuere, eos specialiter nominauit, cum vero voluit omnes comprehendere, vsus est eadem dictione, *Vobis*, vt in
5 discursu priuilegij videre est. † Secundo quia ratio vitandæ superfluitatis hanc interpretationem suadet, nam si referamus dictionem, *Vobis*, ad Cardinalem, Episcopum, & Electum tantum, frustra conceditur eis in hac clausula facultas legitimandi etiã ad bona ecclesiastica, quæ etiam eis in præcedenti tributa fuerat, & ideo dato etiam, quòd stricte hoc priuilegium esset intelligendum, tamen, vt vitetur superfluitas, & singula suos effectus producant, etiam aduersus ius commune debet fieri interpretatio,
6 *ad Ruin. cons.* 100. *num.* 6. *lib.* 1. † quod multo magis fieri debet in hac materia concessionis legitimãdi, quia est fauorabilis, *Ruin. cons.* 164. *n.* 7. *lib.* 1. *Couar. in epitom. in* 4. *decret. part.* 2. *cap.* 8. *num.* 6. *vers. octauo ex his constat.* Nec obst. quòd Papa videatur in superiori clausula sese restrinxisse, concedendo hanc facultatem Cardinali, Episcopo, & Electo tantum, quia dici potest hanc restrictionem esse respectu loci tantum, & fortasse hæc sententia vera est, sed concedendo etiam, quòd sese restrinxerit etiam ratione bonorum, illud est cum implicatione casus maioris, nempe, vt possint legitimare etiam personas ecclesiasticas, & etiam ad bona ec-
7 clesiastica, † quæ facultas non competet laicis respectu personarum ecclesiasticarũ, & ita nihil oberit hæc restrictio ita qualificata laicis, quibus simpliciter hæc facultas ad bona tribuitur. Non obstat secunda ratio, quia ex deductis in secundo fundamento Dominorum tollitur, Non obstat tertium, quia sumus in interpretatione priuilegij concessi, non autem in discussione concedendi, & hic sufficit Papam potuisse, & voluisse hanc facultatem tribuere. Non ob-
8 stat quartum, & vltimum, † quia ob reuerentiam Principis maius est priuilegium, quòd quis in Vrbe legitimare possit, quam quòd possit ad bona ecclesiastica extra Vrbem, cum etiam Ordinarij collatores extra continentem Vrbis excedant, quando aliquod beneficium ad eorum collationẽ pertinens cóferre volunt, & ideo præiudicium, quod ex aduerso consideratur respectu bonorum, respicit particulares, hoc vero tangit ipsum Principem. Fuit postea in hac causa producta supplicatio, quæ, quantum ad hoc caput, sustulit omnem difficultatem, magis enim distincte omnia specificat, itaut dubitationi locus non sit relictus.

Palentina Decimarum de Vsillos.
Die Mercurij 26. Iunij 1566.

SVMMARIVM.

1 *Mandans regulariter tenetur ad refectionem expensarum, potest tamen aliquo casu excusari, maxime, quando agitur de nullo, seu minimo præiudicio.*

DECISIO VI.

Domini dixerunt, quòd, ex quo recessum fuit à protestatione, & pro parte Abbatis tacite fuit approbata hæc recessio, vt apparet ex appellationibus interpositis à
1 mandato de manutenendo, † licet mandãs regulariter teneatur ad refectionem expensarum, tamen hoc casu excusatur, maxime, cum hic agatur de nullo, vel minimo præiudicio, nempe de expensis à die suspensionis, vsque ad diem mutationis & recessionis.

Calaguritana Decimarum.
Die Veneris 11. Octob. 1566.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum de manutenendo non datur contra eos, qui non sunt in causa.*

DECISIO VII.

1 Non potest dari mandatum de manutenendo contra illos, qui non sunt in causa, neque contra Rotundam, cum non cóstet de possessione Capituli generalis exclusiue ad Rotundam, & mandatum esset spoliatiuum, & præiudiciale causæ, quæ pendet super decimis.

Palentina Decimarum de Vsillos.
Die Lunæ 21. Octobris 1566.

SVMMARIVM.

1 *Pro obtinendo mandatum de manutenendo solent admitti leuiores probationes.*

DECISIO VIII.

Domini dixerunt pro maiori parte satis sufficientes esse probationes pro
1 mandato de manutenẽdo, † in quo solét admitti leuiores probationes, tamen reseruatum fuit à nonnullis, an obstaret Capitulo confessio spolij, Item, an suffragetur possessio sine titulo.

Romana Pecuniaria de Zambeccarijs.
Die Veneris 8. Nouembris 1566.

SVMMARIVM.

1 *Actus correspectiui coniungi possunt.*

DECISIO IX.

VIsum fuit nonnullis ex Dominis fidem subhastationis non inferuire confessioni D. Iacobi, sed solũ Dominæ Alphonsinæ, & non esse curandum de triplicatione, cum facta sit eodem fere instanti, tamen ex sententia plurium, ex quo nulla adest causa simulationis, & adsint isti actus correspecti-
1 ui, † qui coniungi possunt, conclusum fuit, hanc confessionem sustineri.

Bononien. de Bologninis.
Die Mercurij 18. Decembris 1566.

DECISIO X.

FVit resolutum, quòd sententia, de qua agitur, afficie Dominam Franciscam ad effectum, vt faciat numerum, cum ipsa appellauerit, maxime, si post litem motam adepta est possessionem, vt ex præsupposito innititur. Neque obstat, quòd interpellata appellauerit, quia tacere poterat, & ita sententia eam non affecisset.

Monasterien. Canonicatus, seu denegationis possessionis.
Die Veneris 20. Decembris 1566.

SVMMARIVM.

1 *Interpretatio non est facienda ad eius fauorem, qui potuit, & debuit, se explicare, & non fecit.*

2 *Habens in sua gratia derogationem statutorum, de nulla culpa redargui potest, si illorum formam non obseruauerit.*

DECISIO XI.

FVit resolutum, quòd Dominus Ioannes non obseruauerit formam statuti,* nam inspecto initio derogationis statutorum à D. Ioanne in gratia sua obtentæ ex actibus subsequentibus non apparet, quòd noluerit
1 vti derogationibus, † cum interpretatio non sit fienda in fauorem ipsius, qui cum potuerit, & debuerit sese explicare, id non fecit, tamen, cum effectus huius dispntationis sit, videre. An hodie coram Rota sit obseruanda forma statuti, a Domini nihil ex præsenti decisione intulerunt, ea ratione,
2 † quòd cum dictus Ioannes haberet derogationem statutorum, nulla in eo dari potest culpa, si illorum formam non obseruauit.

* iuxta resolutionem in Rota factam sub die Mercurij 4. præsentis mensis, vbi dictum fuit, statutũ inducere formam, quæ si probatio fieret corã cupitulo esset pcise obseruanda, neq; posset per numerũ suppleri, ob data qualitate requisita, An vero si corã Rota obseruandũ, dubitetur.

a quod resolutum fuit pro negatiua vt infra sub die Veneris vlt. Febr. anni sequentis.

Romana Pecuniaria de Zambeccarijs.
Die Veneris 10. Ianuarij 1567.

SVMMARIVM.

1 *Verisimilitudo excludit præsumptionem simulationis.*

2 *In subhastatione regulariter non solet interuenire vera numeratio.*

3 *Confessio debiti cum trina repetitione iuramenti habet vim donationis, & nulla indiget insinuatione.*

DECISIO XII.

DOmini inspecta origine debiti veri, propter quod deuentum fuit ad sub-
1 hastationem, tenuerunt, † nullam adesse simulationem in confessione, de qua agitur, propter verisimilitudinẽ, *Dec. cons. 202. n. 6.* Neque obstat, quòd Domina Alphõsina con fessa fuisset habuisse pretium Castri subhastati, quia hæc confessio potius censetur si-
2 mulata, attento communi vsu, † cum regulariter in subhastatione non soleat interue-
3 nire vera numeratio, † & etiam tollitur ex recognitione facta cum trina repetitione iuramẽti, quod facit, vt confessio habeat vim donationis, & nulla indigeat insinuatione, *August. l. 3. 690. n. 15. de iureiur. & 12. de donation.* & ideo nihil facit ad rem declaratio exaduerso producta, tum quòd inter alias personas, tum etiam quòd contraria veritati, cum etiam hodie Domini de Zam beccarijs possideat Castrum subhastatum.

Calaguritana Præeminentiarum.
Die Lunæ 13. Ianuarij 1567.

DECISIO XIII.

DOmini, qui votarunt, pro maiori parte tenuerunt, quod de iure omnes debeant insimul conuenire, & vnicam processionem facere, & allegabant *Abba. in c. nimis graue. de excess. prælat. & Boer. in tract. de auct. mag. cons. n. 27.* & licet propter distantiam dispẽsentur, vt ad Cathedralem non teneantur accedere, non tamen dispensantur, quòd in vnum conuenire non debeant, Alij vero dicebant, quòd vbi non datur superioritas, ibi de iure communi non datur conuentio in vnum, sed sufficit, quòd singuli in suas ecclesias conueniant, *c. & hoc. de consecrat. distin. 1.* Sed cum nonnulli ex Dominis causam non vidissent, non fuit capta resolutio.

Anconitana Terrarum.
Die Veneris 24. Ianuarij 1567.

SVMMARIVM.

1 *Constitutio Aegidiana non tollit effectum sen-*

sententia deuolutiuum, maxime, si adsit commissio.

2 *Rota de stylo semper vult cognoscere de iustitia, & validitate sententiarum extra eam latarũ, antequam illas exequutioni mandet.*

DECISIO XIV.

DOmini tenuerunt quod hæredes de Gozis sunt audiendi super sententijs latis in possessorio, ex eo quòd secundum
1 aliquos † Aegidiana non tollit effectũ deuolutiuum, maxime stante commissione,
2 de qua in sexto præsupposito, & † attento stylo Rotæ, quæ semper vult cognoscere de iustitia, & validitate sententiarum extra eã latarum, & in casu de quo agitur exequutio fuit iam facta.

Calaguritana Præeminentiarum.
Die Veneris vlt. Ianuarij 1567.

SVMMARIVM.

1 *In processionibus generalibus, omnes clerici debent ad Cathedralem conuenire, sed si ob locorum distantiam non possint, prout in oppidis, debent saltem in vnum conuenire, vt minus à dispositione iuris recedatur.*

2 *Rogationes dicuntur processiones generales.*

3 *Accedere ad aliquem locum per modum conueniendi est species subiectionis.*

4 *Conuentus in loco dari non potest, si non detur locus.*

DECISIO XV.

DIscussa fuit causa per duas Rotas plenissime, nihil fuit tamen resolutum. nonnulli enim ex Dominis erant in voto, quòd de iure communi, in processionibus generalibus, omnes debeant in vnum conuenire, quia in processionibus generalibus cautum est, vt omnes debeant conuenire
1 ad Cathedralem. *c. quoniam. 38 distin.* † Vnde succedit, quòd si ob locorum distantiam non possint conuenire ad Cathedralem, veluti in oppidis, debeant saltem in vnum conuenire, vt minus quam fieri possit, recedamus à dispositione iuris. Et quia in Rogationibus omnes debent in vnum conuenire in ecclesia Cathedrali, remoto loco ecclesiæ Cathedralis propter difficultatem, adhuc remanet, quòd in vnum conuenire debeant. veluti si quis promiserit soluere centũ Calendis Maij, remoto tempore adhuc super-
2 est quod soluantur. † Præterea, Rogationes dici processiones generales, ex eo quòd omnea in vnum conuenirent, ad quas etiam aliàs exempti tenebantur accedere. Quod quidem maxime rationi consentaneum eis videbatur nam publica omnium simul conuenientium pœnitentia, & oratione magis mouetur & placatur Deus. In contrarium alij dicebant, de iure casum decisum non esse, cum enim huiusmodi conuentus indici non possit nisi ab habente potestatem, & par in parem imperium non habeat, non videbatur posse dari modus conueniendi,
3 † cum accedere ad aliquem locum sit species subiectionis, neque in iure conuentus fieri præcipitur, nisi ad matricem, aut ad Cathedralẽ, aut Baptismalẽ, & ex eo quòd ius præcipit conuenire ad Cathedralem, vetare quoque videatur eodem tempore alibi cõuenire, propter impossibilitatem. Ad allegata in contrarium respondebant, per consuetudinem recessum fuisse commoditatis gratia à dispositione iuris respectu loci, ideo recessum quoque esse respectu conuentus, cum non data maioritate nõ possit dari locus. Neque ideo lædi ius cõmune, quod præcipit, vt omnes conueniant, satis enim esse videbatur, si conueniret vnusquisque in sua Baptismali, nã quòd omnes conueniant, intelligi potest distributiue. *c. & hoc. & ibi glo. de consecra. dist.* 1. Et consequentia illa, tenentur conuenire in Cathedrali, ergo debent conuenire, videbatur tolli ex eo, quòd si de iure communi non detur locus, neque
4 etiam dabitur conuentus, † cum conuentus nisi in loco fieri non possit. Neque ideo minus has processiones generales esse, dummodo omnes eodem tempore in suis ecclesijs conueniant, aliàs tota ecclesia vniuersalis deberet in vnum cum capite suo congregari, quod omnino est impossibile. His tamen non obstantibus, quinque ex Dominis priorem sententiam, posteriorem quatuor amplexi sunt. Et ideo cõmuni voto placuit, vt intermissa hac disputatione, videretur qualis esset concordia. In cuius discussione habebitur ratio eorum, quæ hinc inde adducta fuerunt.

Monasterien. Canonicatus, seu denegationis possessionis.
Die Veneris vlt. Februarij 1567.

SVMMARIVM.

1 *Clausula. Quorum tenores. & alia, restringuntur iuxta narrata.*

DECISIO XVI.

FVit per multas positiones resolutum à Dominis quòd D. Ioannes potest per legitimas probationes, & testes, etiam si non sint militares probare sibi incumbentia circa nobilitatẽ suam, & alia requisita, attenta derogatione amplissima statutorum & priuilegiorũ, & consuetudinum ecclesię Monasterien. in gratia Pauli IIII. cõtẽra. Nec obstare Motumpropriũ Pij IIII. per quẽ videntur tolli derogationes in gratia Pauli IIII.

contentæ. Nam cum D. Ioannes narrasset in gratia sua, se esse ex vtroque parente nobilem, & non expressisset qualitatem nobilitatis, & ideo Capitulum prętenderet gratiam illam esse obreptitiam, siue subreptitiam, Pius IIII. volens declarare mẽtẽ Pauli IIII. asseruit se habere compertum per testes fide dignos, intentionis Pauli non fuisse derogare statutis ecclesiæ Monasterien. nisi ex eo quòd Ioannes narrauerat se esse nobilem ex vtroque parente, & non habere Papam notitiã diuersitatis nobilitatis. Quare imponit necessitatem D. Ioanni probandi se nobilem militarem esse, committendo Domino Palæoto vt præfixo termino ad docendum de tali nobilitate, vel data remissoria, & nihil infra terminum docto, vel remissoria non petita, procedat in causa, ac si statutis, indultis, atque priuilegijs derogatum non fuisset. Ideo ex hac serie apparet, intentionem Pij fuisse tantum, vt Ioannes doceret se esse nobilem militarem, & circa hanc qualitatem tãtum voluisse ei derogationes suffragari, & quia circa hoc versabatur controuersia inter Ioannem, & Capitulum, de modo probandi nihil fuisse expressum, immo vero expresse recessum à statuto, cum Papa non remiserit Ioannem ad probãdum suam nobilitatem in partibus, sed voluerit quòd fieret in curia, vbi certum est, non posse obseruari multas ex solemnitatibus requisitis in statuto. Quod quidem cum sit odiosum, & appareat de eo cogitatum non fuisse, nõ censetur restitutus à Pio. *adnotata per Bald. in l. vlt C. senten. rescind. non poss.*
1 † Et clausulæ illæ, Quorũ tenores. & Volẽtes statuta inconcussa remanere, restringendæ sunt iuxta narrata, ex eo quòd ex narratis apparet, Pium nõ habuisse notitiam statuti continentis probationis formam, neq; etiam intentionis Capituli fuisse circa illud aliquid impetrare, quod ex serie motus proprij clare colligitur.

Romana Montis fidei.
Die Lunæ 10. Martij 1567.

SVMMARIVM.

1 *Identitas personæ probatur ex nomine proprio, cognomine, & alijs demonstrationibus, necnon per testes.*

DECISIO XVII.

1 Domini dixerunt † sufficienter constare de identitate Ioannis de Prata, & Ioannis de Marco ex tribus, ex quibus resultat vera demonstratio, *iuxta doctr. Bart. in l. demonstratio falsa, quæst. 7. de cond. & demon.* Prima expressio nominis proprij nempe Ioannis, secunda est cognominis nempe de Prata, tertia est de Marco, & instrumentum recognitionis vocat eum filium Marci, & omnis dubitatio tollitur per testes, qui clare de identitate deponunt. Neque obstat quòd in instrumento recognitionis videatur Ioannes de Prata diuersus à Ioanne de Marco, quia talis diuersitas oritur ex eo quod Ioannes de Prata enunciat seipsum non sub suo simplici nomine, sed sub eo in quod cantabat bancum, seu negociatio Romana.

Hispalen. Decimarum.
Die Veneris 11. Aprilis 1567.

SVMMARIVM.

1 *Possessio decimandi in vno territorio, comprehendit decimas noualium postea ruptorum, quod tamen non procedit data alterius possessione, vt num. 3.*
2 *Præscriptio sine possessione nõ datur, & maxime data possessione alterius non datur.*

DECISIO XVIII.

1 Fuit rentum per Dominos, quòd † possessio Capituli probata de decimis in toto territorio de Pegnaruuia, dum esset inculta, comprehendebat decimas noualium postea ruptorum. *per c. commissum. & c. contingat. de decim. Couar. pract. quæst. c. 37. n. 5.* Quod est verum nõ solùm ratione dominij, sed etiam possessionis, cum in istis præscri-
2 ptio detur, † quæ non procedit sine possessione. *Felin. in cap. audiuis. n. 19. vers. secunda declaratio. de præscript. Rebuf. qui multos*
3 *citat. in tract. de decim. quæst. 14. nu. 20* † Et hoc procedit non data alterius possessiõne. *Et ita fuit dictum alias in vna de Azofra * coram R. P. D. Decano, & in Caualicensi.*

* In Calaguritan. de Azofra coram Oradino.

Romana Canonicatus sancti Angeli.
Die Lunæ 31. Aprilis 1567.

SVMMARIVM.

1 *In gratiosis, error probabilis aliquando excusat ad pœnam euitandam.*
2 *Si quis in impetratione beneficij dicat se esse Romanum, & postea in resignatione dicat se esse forensem, resignatio dicitur surreptitia, quia facilius à Papa dicitur fuisse admissam resignationem, quam si expressisset se esse ciuem Romanum, ex quo necessaria sit derogatio.*
3 *Ignorantia statuti ex quo arguatur.*

DECISIO XIX.

1 Quamuis † in gratiosis etiã aliquando probabilis error excuset ad pœnam euitandam. *per Cassad. decis. 20. super regul.*
2 *nu. 4.* † tamen cum in casu, de quo agitur, Reuerendiss. Dominus Episcopus in reseruatione beneficiati sancti Petri, narrauerit se esse clericum Romanum, postmodum in resi-

resignatione canonicatus dixerit se forensem, & certum est, quod propter huiusmodi narratiuam Papa motus fuit ad facilius concedendum, quam si narrasset se ciuem Romanum, cum hoc casu opus esset derogatione, idcirco Domini tenuerunt pro surreptione. Nec obstat quod adesset aliud statutũ de domo & vinea, quod Dominus Episcopus ad sui excusationem allegabat. nam cum per eum non probetur scientia illius statuti de tempore reseruati regressus, tale
3 statutum ei non suffragatur. † Maxime, quòd militat contra ipsum præsumptio, quòd ignorauerit, ex eo quòd ciuilitatem prius impetrauerat ad effectum obtinendi beneficia in Vrbe. quòd si sciuisset hoc statutum de domo & vinea, vtique eadem ratione intellexisset, ciuilitatem sibi nullum ius tribuere.

Abulen. Iurisdictionis.
Die Veneris 2. Maij 1567.

SVMMARIVM.

1 *Natura ratihabitionis est trahi ad tempus actus gesti ratione ratificantis, etiam quo ad inducendam obligationem in forma Cameræ.*

2 *Actus perfectus intelligitur, qui reuocari non potest. vel per quem ius quæritur tertio.*

Declaratur Crescent. decis. 230. & 253.

3 *Ratificatio non potest actum iam perfectum & irreuocabilem reuocare, & ius extinctum suscitare.*

4 *Surreptio sine dolo esse non potest, nec dolus sine scientia.*

5 *Ratificatio non retrotrahitur in praeiudicium tertij, cui sit ius quaesitum.*

6 *Prælatus litigando, potest ecclesiæ praeiudicare, quia sicut potest ei prodesse, ita potest praeiudicare.*

7 *Ecclesia in gestis per eius Prælatum non potest tanquam tertia considerari, sed est eadem cum Prælato.*

DECISIO XX.

Domini tenuerunt, appositionem Vicarij data ratihabitione commissionis, quæ ratificari potuit, cum fuerit rotalis, *ut per Felin. in c. nonnulli. §. sunt & alij n. 49.*
1 *de rescript.* fuisse attentatam, cum † natura ratihabitionis sit, vt trahatur ad tempus actus gesti ratione ratificantis, *ut per Bart. in l. obseruare. num. 3. ff. de offic. proconsul. & lega.* etiam quo ad inducendã obligationẽ in forma Cameræ. *Mohedan. decis. 297. alids 288. Romana pecuniæ.* Et eo maxime, quoniam in isto casu appositio Vicarij erat talis actus, qui reuocari poterat per Episco-
2 pum, & ideo † de eo non est iudicandũ tanquam de actu perfecto. Nam actus perfectus intelligi debet, qui non potest reuocari, vel per quem ius quæritur tertio. Non obstat decisio Crescentij 253. quoniam in ea præsupponitur, cum cuius nomine impetrata fuerat commissio, fuisse annalem possessorẽ. Et licet confessio molestationum, & perturbationum in commissione facta, propter loci distantiam videretur percutere tempus, quo nondum facta esset annalis, tamen quia commissio fuerat impetrata per assertum procuratorem, & postea subsequuta fuerat ratificatio longe post, quo tempore dominus principalis potuerat de facili habere notitiam molestiarum illatarum, & sic videns procuratorem assertum euentualiter verum dixisse, ratificauerat. Dixerunt Domini, ex quo talis confessio necessario nõ concludebat ante datam gratiæ aduersarij, principalem ratificando fecisse sibi præiudicium, respectũ regulæ de annali. Nec obstat alia decisio Crescentij 230. quoniam habet particularem rationem, ex eo quod cum collatio beneficiorum non debeat stare in pendenti, & impetrans iam incidisset in regulam, & esset omni iure suo priuatus,
3 † ideo ratificatio non potuit actum illum iam perfectum, & irreuocabilem reuocare, & ius extinctum suscitare. Nec obstat cons. Imol. 132. quia cum ibi præsupponatur, secundam gratiam legitime impetratã fuisse, ratificatio prioris gratiæ non potuit indu-
4 cere surreptionem, † quæ sine dolo esse non potest, nec dolus sine scientia. Et eodem pacto respondetur *Mil. in verb. ratificatio. qui allegat c. gratiam. de rescript. in 6.* Nec obstat,
5 quod † ratificatio nõ retrotrahatur in præiudicium tertij. *iuxta Bart. in l. si indebitum. §. si procurator. ff. rat. haberi. Bald. in l. obseruare. §. post hæc. n. 6. ff. de offic. proconsul.* & ideo non possit hæc ratificatio præiudicare
6 ecclesiæ, cui est ius quæsitum, † quoniam Prælatus litigando potest præiudicare ecclesiæ, & cum nomine ecclesiæ egerit non potuit ei prodesse, quin potuerit etiam præiudicare, & enim actio semper censetur in-
7 stituta nomine ecclesiæ, *Aegid. 549.* † non potest ecclesia hic tanquam tertia considerari, quia eadem ecclesia Vicarium apposuisse, & causam commisisse censenda est.

Vicen. Capellaniæ.
Die Lunæ 19. Maij 1567.

SVMMARIVM.

1 *Electus à Papa potest ea, quæ sunt iurisdictionis, administrare.*

DECISIO XXI.

Domini ex capite collationis per electionem factam fuerunt pro titulo colorato. † cum electus a Papa, possit ea, quæ sunt iurisdictionis administrare, per iura in informationibus allegata. * ex capite vero nouæ prouisionis, quoniam in ea adesset

* Vt late post gloss. Innoc. Hostien. & Io. Andr. tenet Abb. in c. transmissā.

num. 3. de ele ctio. vbi di- cit hanc esse commun. & in c. nosti nu. 4. eod. tit. Fe lin. c. ca. nu. 3. vers. tertio extende. de rescript. Re- buff. tit. de si mon. in reti. n. 25. Sarnen. reg. de trien- nal. q. 35. in fin.

restrictiua respectu mensium Ordinarij, res habuit difficultatem, & potius inclinabant Domini, quòd non præberet titulum coloratum. Verum cum sufficeret primum caput, & opponeretur de extrauagan. iniunctæ. conclusum fuit, quòd si Antonius probaret concludenter de illo tempore non fuisse expeditas litteras, tolleretur color istius tituli propter dictam extrauagantem.

Calaguritana Præeminentiarum.
Die Lunæ 9. Iunij 1567.

SVMMARIVM.

1 *Collegiata est dignior parochiali.*
2 *Materia præeminentiarū est magni præiudicij, nec super ea potest fieri concordia sine superioris auctoritate.*

DECISIO XXII.

DOmini tenuerūt, quòd materia, de qua tractatur, nempe præeminentiarum,
1 non sit leuis præiudicij, quare † cum col-
legiata sit dignior parochiali, iuxta iuris
2 communis dispositionem, † & tractetur de
perpetuo præiudicio, nempe de subiectione quadam inducenda, dixerunt, necessariam esse superioris auctoritatem, ad huius concordiæ validitatem. Reseruarunt tamen videre, quis nam status harum processionum per testes probetur fuisse ante concordiam. Si enim probaretur, quòd etiam ante cócordiam, vicissim & per turnum parochiales ad collegiatam, & collegiata ad parochiales accederent, vtique nullum potest considerari præiudicium circa huiusmodi accessum per concordiam illatum fuisse, & ideo non esset opus superioris auctoritate *per textum in cap. fin. cum ibi notat. de pact. in 6.*

Abulen. Iurisdictionis.
Die Lunæ 23. Iunij 1567.

SVMMARIVM.

1 *Clausula. Et alijs &c. non implicat maiora expressis.*

DECISIO XXIII.

FVit decisum, actus gestos cum Archipresbytero de Areualo, non posse commode & sine violentia referri ad priorem commissionē Archipresbyteri Abulensis. & magis conuenire secundæ commissioni nomine Episcopi impetratæ cum vigore primæ nulla fuerit decreta citatio nomine Archipresbyteri de Areualo. Et verisimile est id, quod & ipse asserit in commissione attentatorum, scilicet quòd veniret ad causam citatus vigore commissionis Episcopi.
1 Maxime † cum sub illa clausula primæ com
missionis, & alijs, in articulis primo loco dandis, specificandis, non potuerit deducere maiora expressis. *c. sedes. de rescript. Paris. cons. 73. num. 71. lib. 1.* Et clarum est, causarum criminalium cognitionem grauiorem esse cæteris expressis in commissione.

Præterea magnum argumentum est, quòd sententia sit fundata super posteriore commissione, quòd in narratiua ipsius nulla narratur litis pendentia cum Archipresbytero Abulensi, sed tantum cū Aluaro Molendez, qui solus vigore illius commissionis ad causam venit. Et cum prior commissio generalis non fuerit deducta ad specialem contra Areualum, posterior autem fuerit deducta per exequutionem citationis, probabilius est omnia gesta fuisse vigore posterioris, concurrentibus etiam alijs, quæ latius pro parte Archipresbyteri in informationibus deducta fuerunt.

Placentina Pensionis.
Die Veneris 4. Iulij 1567.

SVMMARIVM.

1 *Pensionis reseruatio soluenda in festis sancti Ioannis, & Natiuitatis Domini Nostri, licet in litteris prius enuncietur terminus Natiuitatis, quam terminus sancti Ioannis, non ob id fit, quod solutio termini sancti Ioannis non sit prius soluenda quam terminus Natiuitatis, nisi de hoc specialiter actum sit; licet in festo Sancti Ioannis fructus nondum sint recollecti.*
2 *Argumentum ab ordine litteræ non procedit, ubi ordo litteræ non concurrit cum intentione.*

DECISIO XXIV.

VIsum fuit Dominis, dubium hoc habe-
1 re modicam difficultatem, † cum e-
nim pensiones sint annuæ, & plerumque termini solutionum constituantur in festo sancti Ioannis, & Natiuitatis Domini nostri, pensionesque singulis annis in duobus illis terminis integre persoluātur, nullam subesse causam, cur non idem obseruandum sit in casu de quo agitur, maxime cum absurdum videretur, solutionem pēsionis præsentis anni differri in sequentem, nisi hoc specialiter actum sit. Neque obstare, quod contrarium innuere videatur ordo litteræ, cum prius enuncietur terminus Natiuitatis Do
mini nostri, quam terminus sancti Ioannis,
2 † nam huiusmodi argumentum ab ordine
litteræ non procedit, vbi non concurrit cum intentione. *ad Bart. in l. cum pater. §. fides. de leg. 2.* Et verisimile est, Papā noluisse mutare stylū, & quòd ordo ille fuerit obseruatus habito respectu ad tempus constitutionis huius pensionis, quod fuit de mense Iulij, & sic post festum sancti Ioannis, non autem ad effectum, vt primus terminus in omnem euen

rum inciperet à Natiuitate Domini. Quod vero dicebatur, tunc temporis, nempe in festo S. Ioannis nondum collectos esse fructus, ex quibus pensio solui debet, & ideo terminum illum non deberi, non solum hanc pensionem impugnaret, sed omnes alias destrueret. Ideoque terminum S. Ioannis Illustr. Domino Iulio deberi conclusum fuit.

Romana Canonicatus.
Die Lunæ 17. Nouembris 1567.

SVMMARIVM.

1 *In resignatione conditionali, si resignatio non sit valida, ius à resignante non abdicatur, & resignans potest agere spolio, secus est, si resignans scienter resignat nulliter.*

DECISIO XXV.

1 DOmini firmarũt regulam, quòd in resignatione † conditionali, si nõ sit valida, ius non abdicatur à resignante, & potest agere spolio, firmarunt quoque decisiones allegatas, * quando resignans scienter nulliter resignat. An vero in Reuerendiss. Domino Episcopo fuerit talis sciẽtia nullitatis resignationis ob ciuilitatem ab eo obtentam, quæ ipsi præiudicet circa possessionem, ordinarunt, vt particulariter videatur.

* nempe decisio in causa Placentina portionis, 30. Apr. 1559. coram Chissanens. cum alijs decisionibus in ea allegatis, & in causa Giẽnen. canonicatus, 6. Iunij 1553. coram D. Farnesio.

Cæsaraugustana Iuris eligendi.
Die Veneris 28. Nouembris 1567.

SVMMARIVM.

1 *Inhibitio non est moderanda, vbi iam ceptum fuit cognosci in causa, super qua fuit inhibitum.*

DECISIO XXVI.

1 DOmini dixerunt, † non esse moderandam inhibitionem, attento quòd inceptum fuit cognosci de possessione Reuerendiss. domini Archiepiscopi, & conficiantur vtrinque cedulæ cessionis attentatorum, quæ postea ostendentur Dominis in Rota, vt deinde procedatur ad discussionem dubij per Rotam ordinati.

Salamantina del pedroso.
Die Veneris 5. Decembris 1567.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest ob non residentiam deuenire ad priuationem beneficij, seruato tamẽ iuris ordine, nempe per censuras prius ecclesiasticas procedendo, ac per sequestrationem, & subhastationem fructuum, aliaque iuris remedia, & vsque ad priuationem.*

2 *In casu priuationis beneficij ob non residentiam debet Episcopus procedere per tres citationes in ecclesia successiue factas, & vnica peremptoria non sufficit.*

DECISIO XXVII.

DOmini tenuerunt sententiam esse nullam ex duobus potissimum capitibus, Primo, quia constat de publicatione edicti in Abbatiali ecclesia, secundo, & in hoc factum fuit præcipuum fundamentum, quia Concilium Tridẽtinum permittit quidem,
1 vt † Episcopus ob non residentiam possit deuenire ad priuationem, sed tamen seruato iuris ordine, quod innuunt verba illa per censuras ecclesiasticas, ac sequestrationẽ, & subhastationem fructuum, aliaque iuris remedia, etiam vsque ad priuationem compellere. Vnde succedunt tradita *per Abbat.*
2 *cons. 67. vol.* 1. quòd, † in casu priuationis debet Episcopus procedere ad priuationẽ per tres citationes in ecclesia successiue factas, neque sufficit vnica perẽptoria, vt per eundem, *ad idem Felin. in c. consuluit. n. 13. de off. delega.* & hæc etiam erat forma ab ipso Episcopo in edicto data, nempe, vt per trium edictorum affixionem procederetur, quod obseruatum non fuit. Vnus etiam ex Dominis cõsiderabat nullitatem sententiæ ex defectu citationis, sed quia articulus erat dubius noluit super eo insistere.

Salamantina Canonicatus.
Die Veneris 5. Decembris 1567.

DECISIO XXVIII.

DOmini dixerunt constare per testes de violatione sequestri, & secundus bene percutit tempus, cum loquatur per dictionem, vsque. Reseruatum tamẽ fuit per duos ex Dominis. An hoc casu requiratur, vt præcedat acceptatio sequestri à sequestratoribus, quod videtur innuere *Crescent. decis.* 137. * Ideo bene erit, quòd partes informent per memorialia super isto requisito.

* alias 2. de sequ. poss. & fruct. in impress.

Vrbeuetana Castrorum.
Die Veneris 12. Decembris 1567.

SVMMARIVM.

1 *Qui habet titulum sine possessione, non est legitimus contradictor in iudicio possessorio.*

2 *Possessio vitiosa non suffragatur possidenti, ad effectum impediendi immissionem.*

3 *Habilitatus per citationem in iudicio possessorio, si opponat tantum ea, quæ tangũt petitorium, non est audiendus, secus est, si opponat exceptiones tangentes defectum iudicij possessorij ex parte agentis, veluti quòd testamentum sit cancellatum, vel*

quod

quod defunctus non possidebat.

4 *Clausula, arbitrio Rotæ, intelligi debet, prout de iure.*

DECISIO XXIX.

1 DOmini firmarunt duas conclusiones in iure, prima est, quòd, † qui habet titulum sine possessione, non est legitimus contradictor in isto iudicio, per doct. allegat. *in l. fi. C. de edict. diu. Adr. toll. maxime Dec. nu.*

2 48. Secunda est, quod, † si possessio est vitiosa, non suffragatur possidenti ad effectum impediendi, ne fiat immissio. Quantum ad

3 citationem dixerunt, quòd, † si quis per citationem est habilitatus, si tamen non opponat exceptiones tangentes defectum iudicij possessorij ex parte agentis, veluti testamentum esse cancellatum, vel quòd defunctus non possidebat, sed opponat es, quæ tangunt petitorium, non est audiendus *per doctr. Alex. in d. l. fin. n. 23. vers. & isto casu.*

4 Quantum ad commissionem, dixerunt † arbitrium Rotæ intelligi debere; prout de iure. Ideo volunt Domini, vt discutiatur possessio Ill. Domini Lucæ, qualis sit, an sit bona, & sine vitio, qua disputatione peracta, videndum erit, An stantibus clausulis testamenti, istæ Ill. filiæ Domini Paulipetri possint petere se immitti in possessionem istorum bonorum, de quibus agitur.

Ciuitatis Castelli Bonorum.
Die Veneris 12. Decembris 1567.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia dicitur res inanimata, quæ non potest animum suum declarare, nisi medio instrumento Rectoris.*

2 *Ecclesia non potest diu retinere ciuilem possessionem, si Prælatus habuerit se pro spoliato.*

DECISIO XXX.

DOmini tenuerunt Ecclesiam amisisse possessionem bonorum, de quibus agitur, itaut non intret possessio bonorum vacantium tantum. Nec obstat, quòd ciuilis videatur remansisse penes ecclesiam,

1 † cum enim ecclesia non sit res animata, & ideo non possit animum declarare, nisi medio instrumento pastoris, & Reuer. Do-

2 minus † Episcopus habuerit se pro spoliaco, ista possessio ciuilis euanuit. Reseruarunt tamen domini videre, si mandatum in personam D. Vincentij est sufficiens ad capiendam possessionem istorum bonorum.

Vicen. Capellaniæ quinque plagarum.
Die Lunæ 15. Decembris 1567.

SVMMARIVM.

1 *In spolio requiritur plena probatio primi extremi.*

2 *Ratificatio non retrotrahitur propter medium inhabile.*

DECISIO XXXI.

1 DOmini dixerunt non probari sufficienter primum extremum, † cuius in spolio plena requiritur probatio, offuscatur enim ex eo, quòd per vnum testem de vera scientia, & alios de auditu, probatur Ioannem Prat decessisse in possessione Capellaniæ, de qua agitur, & adiuuatur hæc probatio, tum ex eo, quòd deponunt Ioannem Borgogno non soluisse absentias, ex quo apparet Ioannem Prat reputatum fuisse possessorem, tum ex quietantiis d. Ioannis Prat, sed maxime ex quietantia facta per Ioannem Borgogno tanquam procuratorē Ioannis Prat Iunioris, ad quam Domini dixerunt non posse accommodari vllam probabilem responsionem. Vnus etiam ex Dominis considerabat, quòd eum possessio illa instrumentalis fuerit capta per eum, qui mandatum non habebat viuo adhuc Ioanne

2 Prat, & † deinde sequuta fuerit ratificatio tempore, quo obierat d. Ioannes Prat, quòd non potest retrotrahi hæc ratificatio ad illam possessionem propter regulam de publicandis.

Rauennaten. Bonorum.
Die Lunæ 15. Decembris 1567.

SVMMARIVM.

1 *Ius superueniens regulariter prodest cessionario.*

DECISIO XXXII.

1 DOmini firmarunt regulam, quòd † ius superueniens prodest regulariter cessionario, ideo videatur, an Domini de Ragazzolis sint in aliquo casu limitationum, quæ dantur huic regulæ. Reseruatum quoque fuit, vt videatur particulariter, an Domini Ragazzoli essent in possessione vigore prioris sententiæ, siue decreti, & an eam retinuerint per colonos post cessionem Ioannis Baptistæ.

Vrbeuetana Castrorum.
Die Lunæ 12. Ianuarij 1568.

SVMMARIVM.

1 *De paupertate alicuius satis constare dicitur, ex quo eius bona fuerint confiscata, & Ca-*

& Camera Apostolica applicata.

2 *Non docens de aliqua sua possessione non potest dici legitimus contradictor.*

DECISIO XXXIII.

1 NOnnulli ex Dominis tenebant † constare de paupertate Ill. Domini Lucæ sufficienter, ad effectum, de quo agitur, cum ex assertione Illustriss. Cardinalis Camerarij bona ipsius fuerint confiscata, & applicata Cameræ Apostolicæ, Alij verò dicebant non constare de huiusmodi incorporatione, & confiscationis execqutione, & etiam reuocabant in dubium, An talis paupertas, quæ ipsius culpa accidit, ipsi possit in casu, de quo agitur, suffragari; sed maiorem difficultatem habuit, An constet de aliquo bono iure ipsius domini Lucæ in hoc iudicio possessorio, cum instrumentum diuisionis non tangat possessorium, sed petito-
2 rium, & † ipse non docuit adhuc de aliqua sua possessione, per quam dici possit legitimus contradictor, Ideo placuit dominis, vt prius disputetur de bono iure ipsius per propositionem puncti in possessorio, quo facto dabitur resolutio in negocio alimentorum.

Bononien. Bonorum de Bologninis.
Die Lunæ 12. Ianuarii 1568.

SVMMARIVM.

1 *Legitimatus simpliciter non succedit in bonis feudalibus, & emphyteuticis, secus si sit legitimatus etiam quo ad bona feudalia, & emphyteutica ab eo, qui potestatem habeat.*

2 *Princeps non debet, nec potest derogare vltimis priuatorum voluntatibus.*

DECISIO XXXIV.

1 DOmini firmarunt has conclusiones in iure, † quòd legitimatus simpliciter non succedit in bonis feudalibus, & emphyteuticis. Item quòd hæc conclusio limitatur, vt non procedat, quando quis est legitimatus etiam quo ad bona feudalia, & emphyteutica ab eo, qui potestatem habet, *vt per Curt. Iun. cons. 157. Bero. in cap. in præsentia. num. 335. & alios in informationibus allegatos*, * sed dubitationem faciebat, quòd in casu isto videtur hæc legitimatio contra intentionē Ecclesiæ locantis, & Alexandri conducentis, propter verba inuestituræ, quæ vocat filios legitimos, & naturales, &c. & adducebantur in argumentum ea, quæ trad. *Couarru. var. resolut. lib. 3.*
2 *cap. 6. n. 7. 8. & 9.* quòd † princeps non debet, nec potest derogare vltimis priuatorū voluntatibus. Item dicebant fieri per hanc legitimationem præiudicium filiabus in inuestitura vocatis, & allegab. *cons. Ruin. 95. num. 5. & 6. lib. 3.* Et dubitabatur etiam, an in tali legitimatione esset necessarius consensus Ecclesiæ, quemadmodum de domino feudi tenet idem *Ruin. cons. 99. nu. 2. vol. 3.* Ideo fuit per Dominos mandatū, vt restringeretur dubium ad hoc, An stantibus verbis inuestituræ, ista legitimatio sit taliter contra intentionē ecclesiæ locantis, & Alexandri conducentis, vt non possit sustineri, maxime in præiudicium fœminarum in dicta inuestitura vocatarum.

* Adde Ruin. cons. 164. per totum vol. 1.

Valentina Monasterij
Die Veneris 16. Ianuarij 1568.

SVMMARIVM.

1 *Si Iudex pronunciet se competentem, & talis interlocutoria transeat in iudicatum ob non prosequutionē appellationis, si postea per eundem iudicem feratur sententia, valet.*

DECISIO XXXV.

DOmini tenuerunt sententiā latam per Gasparem Pelicier in fauorem Abbatis Vatisdigni non esse nullam, cum ex diuersitate petitionis dicti Abbatis corā ordinario, & rescripti per eundē impetrati, cōstet causas fuisse diuersas, sed dato etiam
1 quòd esset vna, & eadē causa, † ex quo iudex pronunciauit se competentem, & hæc interlocutoria transiuit in iudicatū ob non prosequutionē appellationis, sententia sustinetur, ad nota. *per Felin. in cap. cæterum. n. 22. de rescript. Rot. decis. 1. in nou. de appell. Alex. cons. 36. num. 3. lib. 4.*

Calaguritan. Præeminentiarum.
Die Veneris 30. Ianuarij 1568.

SVMMARIVM.

1 *Materia præeminentiarum regulariter est magni præiudicij, & propterea non licet de ea sine superioris auctoritate compromittere, secus est, si compromittatur super modo incedēdi, & cōueniēdi in processionibus, ex quo simus in licitis, & honestis.*

2 *De iure reuerentiali potest fieri compromissum pro bono pacis.*

DECISIO XXXVI.

1 FVit tandem post multas propositiones conclusum, quòd † licet regulariter materia præeminentiarum sit magni præiudicij, & ideo nō liceat de ea sine superioris auctoritate compromittere, vt alias fuit in hac causa decisum, * tamen in casu de quo agitur, nempe compromisso super modo incedendi, & conueniendi in processionibus, non fuisse necessariam superioris au-

* Die Lunæ 9. Iunij anni præteriti.

auctoritatem, Videtur enim hic habere locum dispositio *c. fin. de pact. in 6.* cum simus in licitis, & honestis, honestum enim est pacisci de modo incedendi, & accedendi in processionibus, vt diuini cultus ratio habeatur, & discordiæ tollantur, nec in hoc potest dici læsa collegiata, cum vicissim parochiales ad eam accedant, quas non cõstat de iure teneri ad eam accedere, & ideo in hoc videtur paritas quædam inter ipsas, *iuxta trad. per Mil. in verb. alternatim*, & ex hoc nulla inducitur considerabilis subiectio, sed est potius quædam ordinata administratio, *argum. l. de fideicommisso. C. de transactio.* maxime, cum in hoc nõ inueniatur ius expressum,
2 *c. fin. de transact.* & † de hoc iure reuerẽtiali poterat fieri compromissum pro bono pacis, *per Dec. cons. 474. Ang. in l. imperatores. de pact.* & per hoc cõpromissum non fuit collegiatæ demptũ aliquid de sua dignitate, ex quo possit dici quòd absolute desierit esse dignior, cum ei in incessu reseruentur multæ honoris prærogatiuæ, ex quibus apparet, quòd tractatur tanquam dignior.

Vrbeuetana Castrorum.
Die Mercurij 4. Februarij 1568.

S V M M A R I V M.

1 *Habens titulum potest sine vitio spolij ingredi possessionem vacantem.*
2 *Ad impediendam immissionem ex l. fin. C. de edict. diu. Adr. toll. non dicitur legitimus contradictor, qui non possidet.*

DECISIO XXXVII.

VIsa fuit materia satis difficilis in iure. An possessio illa Domini Lucę sit bona, nonnullis dicentibus non esse considerabilem, nisi eiectis colonis, alijs vero asserentibus sufficere recognitionem colonorum, dummodo alius mediante illorum persona
1 non sit in possessione, & † habentem titulũ posse possessionem vacantem * sine vitio ingredi, iuxta tradita *per Franc. Balb.* [a] *& Doctores per eum allegatos in l. fin. C. de edict. diu. Adrian.* sed maior difficultas fuit circa applicationem istarum conclusionum, quoniam ex his, quæ fuerunt præsupposita, non satis videtur clarum, quomodo factum se habeat, ideo visum fuit Dominis, faciliorem viam ingredi, & videre An Ill. D. Lucas amiserit possessionem ex eo, quòd D. Lucas Antonius post eum cepit possessionem bonorum, de quibus agitur, cum
2 ad † impediendam immissionem ex l. fin. C. de edict. diu. Adr. is non sit legitimus cõtradictor, qui non possidet, circumscriptis pro nunc omnibus alijs possessionibus tam Fisci, quam aliarum personarum. Nec visũ fuit Dominis posse aliquid statui circa alimenta petita, nisi prius hac dubitatione discussa.

* vid. infr. in Rom. de Sa lmonib. 14. Nouẽb. 1575. vbi n. 3. declaratur quomodo intelligatur ista conclusio.

a Fràc. Balb. in repet. leg. Celsus. n. 20. de vsucapio.

Romana Expensarum.
Die Lunæ 9. Februarij 1568.

S V M M A R I V M.

1 *Cõdemnatio expensarum omissa vel per errorem in sententia, vel quia nõ fuerit petita, non arguit, quòd iudex voluerit reũ absoluere, nisi ipse reus ostẽdat se habuisse iustam causam litigandi, per quam debeat à cõdẽnatione in expẽsis excusari.*
2 *Iudex, cui causa in secunda instantia fuit commissa, potest supplere defectum condẽnationis expensarum in priori sententia omissa.*
3 *Per litis contestationem quis constituitur in mala fide.*

DECISIO XXXVIII.

1 REsolutum fuit, † quòd si D. Tarquinius non ostendit se habuisse iustam causã litigandi, propter quam possit, & debeat excusari à cõdemnatione in expensis corã Domino Vicario, videri vel omissam condẽnationem per errorem, vel quia non fuit petita, non autem quòd voluerit D. Vicarius eum absoluere, & ideo taxandas expensas etiam primæ instantiæ, ex quo in sententia Domini Caballi non adest restrictiua corã nobis, nec est dubitandum de iurisdictione, quia Dominus Tarquinius commisit causam appellationis & nullitatis, & iniquitatis, cum clausula, quam & quas, &c. cum potestate aduersus quamcunque læsionem restituendi, prout iuris fuerit, & licet prædicta commissio fuerit reformata, tamen non restringit iurisdictionem iam datam, immo dicta commissio reformatoria dat facultatem cognoscendi de nullitate, & iniustitia sententiæ per termini præfixionem, & ideo, ex quo D. Augustinus passus fuit cognosci de iustitia sententiæ, & super ea
2 pronunciari, † non est dubium D. Caballũ potuisse hac in parte supplere prioris sentẽtiæ defectum condemnationis expensarum. Debet itaq; D. Tarquinius docere se debuisse absolui ab expensis in prima instantia, maxime, cum præsumptio sit contra ip-
3 sum, nam † per litis contestationem constitutus fuit in mala fide, & debuit liti cedere, aliàs non potest euitare condemnationem.

Compostellana Beneficij.
Die Veneris 13. Februarij 1568.

S V M M A R I V M.

1 *In probanda vacationes per obitum non statur narratiua Vicarij.*

2 *Obi-*

2 *Obitus probari debet de tempore ante prouisionem.*

DECISIO XXXIX.

Cum Franciscus probauerit necessaria ad gratię suæ canonizationem,& Ioãnes dec de anteriori prouisione per obitum eiusdem Gundisalui, ipse debet iustifi-
1 care gratiã suam, † nec ex narratiua Vicarij probarur vacatio illa per obitum d. Gũ-
2 disalui, cum ei non stetur, ideo † probandus obitus dicti Gundisalui de tempore ante suam prouisionem.

Romana Legati domus.
Die Veneris 13. Februarij 1568.

SVMMARIVM.

1 *Per emptionem nomine alicuius factam dominium emptoris probatur.*
2 *Per aditionem hereditatis, non confecto inuentario, actiones hereditaria confunditur, licet dicat se adire cum beneficio legis & inuentarij.*
3 *Aditio hereditatis non recipit conditionem.*

DECISIO XL.

1 Satis probatur dominium Lauræ, † ex quo solum fuit ipsius nomine emptum, *ad l. cum propria. & l. multum interest. C. si quis alte. vel sib.* Ideo cum maritus adiuerit hæreditatem non confecto inuentario, dato quòd probaretur, ipsius pecunijs emptum solum, & domum extructam,
2 quod tamen per restes non probatur, † tamen nihil petere potest, cum confusæ fuerint actiones per aditionem. Nec obstat quòd adierit hæreditatem cum beneficio
3 legis & inuentarij,& non aliter &c. † quia illud non potest importare conditionem, cum aditio hæreditatis non recipiat conditionem, & sibi imputet, si inuentarium facere neglexit.

Romana Dotis & Alimenrorum de Verospis.
Die Lunæ 16. Februarij 1568.

SVMMARIVM.

1 *Probata paupertate, alimenta per Rotam concedi solent, licet patris exercitium probetur.*
2 *In materia alimentorum Rota non multum rigorose, & per apices iuris procedit.*
3 *Auus maternus non tenetur alere, nec dotare neptem, fallit, vbi subest iusta causa, & iusta causa est paupertas.*
4 *Idem est in heredibus aui materni.*
5 *Item procedit, licet neptis sit ex filia illegitima.*
6 *Alimenta secundum naturam filijs etiam spurijs dari debent.*

DECISIO XLI.

Domini dixerunt, quòd per testes, qui dantur pro parte filiarum, & fratrum de Benetis, probatur sufficienter pauper-
1 tas ipsorum, & † ideo esse danda ipsis ali-
2 qua alimenta, cum † in hac materia alimentorum, Rora non ita rigorose, & per apices iuris procedat; tamen Domini non taxarunt quantitatem. Nec obstat, quòd probetur exercitium patris, cum nunc non agatur de præstandis ipsis alimentis, sed illi, qui exercitio caret. Nec obstat, quòd
3 auus † maternus non teneatur alere, nec dotare neptem, quia fallit, vbi adest iusta causa, *vt per Rip. in l. 1. num. 81. solut. matrim.* & satis iusta causa videtur pau-
4 pertas. Et † quod dicitur de auo, habet locum in hærede aui. Nec obstat, † quòd
5 istæ filiæ sint neptes ex filia illegitima, quia
6 etiam † secundum naturam danda sunt alimenta filijs spurijs, *vt per Didac. Couarr. lib. 4. decret. tit. sponsal. secunda part. cap. 8. §. 6.* Nihil tamen fuit decisum super onere dotãdi, quia Domini prius volunt bene discutere merita causæ principalis.

Rauennaten. Bonorum.
Die Lunæ 15. Martij 1568.

SVMMARIVM.

1 *Conditio non est respectu eorum, quæ respiciunt præteritum, nec eorum, quæ respiciunt futurum, quando apposita est per viam modi.*
2 *Cessio respiciens futurum, potest esse modalis & correspectiua, non autem conditionalis, vt puta, si per dationem fideiussorum alteri parti cautum fuerit.*

DECISIO XLII.

Domini sunt, quòd ista cessio non fit cõditionalis, non respectu eorum, quæ
1 respiciunt præteritum, quia † conditio est de futuro, & nulla adest conditio; neque etiam respectu eorum, quæ respiciunt futurum, quia non fuerunt apposita per modum
2 conditionis, sed † bene est modalis & correspectiua, cum alias Ragazzoli non fuerint renunciaturi cautioni suæ, quam habebant per possessionem terrarum & prædiorum, de quibus agitur, nisi ipsis per dationem fideiussorum fuisset cautum; & ideo non obstaret ipsis confessio facta in instrumẽto, si appareret de veritate in contrarium, quòd si de ea apparebit, videndum erit postea, An per talem cessionem factam ex causa erronea, fuerit amissa possessio.

Legionen. Canonicatus.
Dic Lunæ 15. Martij 1568.

SVMMARIVM.

1 *Stylus Rotæ in adhibendo fidem testibus examinatis cum interrogatorijs, quomodo procedat.*

DECISIO XLIII.

1 DOmini dixerunt, † quòd istud examen, de æquitate, & stylo Rotæ sustineri potest, cum fuerit factum cum interrogatorijs partis aduersæ, modo Didacus impetret commissionem, vt fides adhibeatur arbitrio ad sanandum defectum, & idem, antequam hoc examine vtatur, consentiat sequestrationi, & hoc temperamentum eo maxime adhibendum est, cum non constet, quòd in partibus fuerit presentatum sequestrum, adeo quòd præstatio consensus super sequestratione non poterat vllum sortiri effectum, si non aderat sequestri instrumentũ.

Romana Interessentiæ.
Die Veneris 19. Martij 1568.

SVMMARIVM.

1 *In dubio, legatum vel concessio, præsumitur facta in fauorem personarum potius quam loci, maximè si adsit expressa causa concessionis, licet mentio loci in concessione vel legato sit facta, cum dicatur facta demonstrationis causa.*

2 *Sententia lata in fauorem vnius, prodest alijs eandem causam habentibus: quod tamen procedit in his, quæ sunt iuris, secus in his, quæ sunt facti.*

3 *Possessio antequam acquiratur, est quid facti & non iuris.*

DECISIO XLIV.

FVit conclusum per Dominos, non fuisse tale ius quæsitum capellæ, per possessionem Federici, vt possit prodesse alijs capellanis spolio agentibus, qui neque ex eorum persona, neque ex persona suorum antecessorum fuerunt vnquam in possessione interessendi in choro, & percipiẽdi quotidianas distributiones, mouebantur hac potissimum ratione, quia hoc ius interessendi non fuit concessum capellæ, sed capellanis, intuitu seruitij chori, qui tunc patiebatur defectum, vt ex Bulla Gregorij colligitur. Vnde succedit opinio *glos. in c. requisisti. de test. communiter approbata per Doctor. vt testatur Socin. in l. ciuibus. nu.* 1 *12. de reb. dub.* quòd † in dubio legatum, vel concessio, præsumatur facta in fauorem personarum, & tanto magis procedit in casu nostro, vbi expressa est causa huius dispositionis Gregorij, ex qua apparet, ipsius intentionem fuisse prouidere seruitio chori, & ad hoc facit *idem Socin. loco præallegato sub eodem num. vers. secundus casus. Bart. in l. pater filium. §. Tusculanus. in fin. de legat. tertio.* Et etiam suadet, vt dicamus Gregorium non habuisse respectum ad capellam, sed ad seruitium capellanorum in choro, vt det ipsis, vt participent de distributionibus quotidianis, quæ sunt personales, & non deseruientibus non debentur. Nec obstat, quòd fuerit facta mentio denominationis capellæ, quia hoc fuit factum demonstrationis causa. Nec obstat,
2 quòd † in ijs, quæ sunt iuris, veluti in sententia lata in vnius fauorem, prosit alijs eandem causam habentibus, quia aliud est
3 in possessione, † quæ antequam acquiratur est quid facti.

Bononien. De Bologninis.
Die Lunæ 22. Martij 1568.

SVMMARIVM.

1 *Appellatione legitimorum & naturalium, continentur naturales legitimati etiam in bonis emphyteuticis, modo sint ad hoc in specie legitimati ab habente potestatem.*

2 *Ecclesia amatrix pudicitiæ repugnat successioni naturalium, secus tamen est, quando macula ab habẽte potestatem fuit deleta.*

3 *Eadem ratio militat in legitimatis ab Imperatore respectu bonorum temporalium & feudalium, quæ in legitimatis à Papa respectu ecclesiasticorum.*

4 *Papa in bonis ecclesiasticis, est dominus absolutus.*

DECISIO XLV.

1 FVit resolutum, quòd † appellatione legitimorum & naturalium, continentur naturales legitimati etiam in emphyteuticis, modo ad hoc sint in specie legitimati ab habente potestatem, *per allegata consil. Paris. Socin. Curtij, & aliorum.* * *& per tradita per Bero. in c. in præsentia. n. 335.* Nec obstat quod in contrarium allegatur ex Bald. *in cap. quæ in ecclesiarum. num. 44.*
2 *de constitut. cum alijs deduct.* nam † licet repugnet menti ecclesiæ, quæ est amatrix pudicitiæ, quòd naturales succedãt, tamen hoc cessat, vbi ab eo, qui habebat potestatem, fuit deleta hæc macula, *vt per Bero.*
3 *loco allegat. num. 337.* Ideo † militat eadem proportio inter legitimatos ab Imperatore respectu bonorum temporalium, & feudalium, & legitimatos à Papa respectu
4 etiam ecclesiasticorum, † in quibus est absolutus dominus. Reseruarunt tamen Domini, vt particulariter videatur, An hæc legitimatio teneat in præiudicium fœminarum

Præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 151. part. 1.

* Paris. cõs. 1. n. 15 cũ seqq. & cõs. 2. n. 6. & 7. lib 2. vbi testatur de cõmuni. Socin. cõs. 61. n. 19. cũ seqq. lib. 1. Curt. iun. cõs. 157. n. 16. par. 2. & Alex. cõs. 70. n. 4. lib. 6.

rum, successiue post masculos, vocatarum.

Romana Legati.
Die Veneris 2. Aprilis 1568.

SVMMARIVM.

1 *Donatio, siue legatum relictum concubinæ, valet, secus est in milite, & in clerico. Idem est in adultera: quod tamen procedit secundum Bald. Cuman. & alios, quando turpitudo non est ex parte recipientis, licet sit ex parte dantis. vt num. 2. & 3.*

4 *In adulterio dicitur turpitudo adesse ex vtraque parte.*

5 *In concubina turpitudo non dicitur adesse ex parte recipientis, cum concubinatus iure ciuili sit permissus.*

6 *De iure Canonico donationes, nec legata concubinæ, vel adulteræ facta valent, nisi probetur emẽdatio per plures annos, cum cessatione conuersationis.*

DECISIO XLVI.

FVit dubitatum, An legatum factum à quadam muliere, quæ virum habebat, cuidam clerico, cum quo adulterij consuetudinem habuerat, valeret. Et quidem iste articulus, de iure ciuili videbatur satis dubitabilis propter regul. affectionis. *ff. de donation. maxime quod Doctor. ibi, & in l. miles. §. mulier. de testam. milit.* constituit
1 regulam, quòd † donatio, siue legatum relictum concubinæ valet, fallit in milite, & clerico: quare cum ista mulier non sit de exceptuatis, videtur comprehendi sub
2 regula, & † hanc opinionem tenuit in terminis in adultera *Capell. Tolosan. decis. 141. facit consi. Bertrand. 206. nu. 11. cum seq. lib. 3.* In contrarium tamen etiam habito respectu ad ius ciuile tantum, videbantur facere multæ leges, quæ maxime detestantur adulteria, & inualidant huiusmodi largitiones, veluti *text. in l. 1. C. de natural. libe. l. si quis incesti. C. de incest. nupt. l. his verbis. §. interdum; de hered. instit. l. 1. C. de collus. deteg. l. 1. C. de mulier. quæ se propr. seru. ad. l. Claudius. de his quib. vt indig.* Sed poterant multæ ex his legibus euitari, respondendo, quòd relicta non valebant in speciebus harum legum, ex eo, quòd contractum fuerat matrimonium contra legum præscripta. *l. qui; contra legum. C. de incest. nupt.* Ideo magis videbatur vrgere doctrina *Bald. in l. tenu. 4. C. de condit. ob turp. caus.* quam Doctores sequuntur communiter *in l. fin. de action. & oblig.*
3 *& inter alios Cuman.* quòd † aut turpitudo est ex latere dantis tantum, & non recipientis, & valet donatio: aut est ex latere recipientis, vel vtraque parte, & tunc non valet *ad l. mercalem. C. de condit. ob turp. caus. Lupus in repet. rubr. de donation. inter vir.*
4 *& vxor. §. 33.* Et clarum est, † quòd in adulterio, turpitudo est ex vtraque parte, cum adulterium sit legibus prohibitum, Et ita tolluntur, quæ ex aduerso allegabantur de concubina, cum ibi non adsit turpitudo
5 ex parte recipientis: cum † iure ciuili concubinatus sit permissus. Quicquid tamen sit de iure ciuili, fuit per Dominos vnani-
6 miter conclusum, quòd † de iure canonico huiusmodi donationes, neque legata, valent: cum etiam inter personas minore odio dignas prohibeantur. *cap. donare. cum seq. 86. distinct. & in terminis videtur elegans consil. Bald. 447. lib. 5. quem sequitur, licet corrupte alleget eum. Aym. cons. 229. lib. 2.* Et hæc opinio est honestior, & iuris canonici grauitati, & seueritati conuenientior. Nec fuit habita ratio decision. Tolosan. cum nihil alleget, quod ad rem faciat. Tamen cum non constaret, An de tempore legati facti duraret huiusmodi cõsuetudo, quinimo prætẽderetur cessasse per plures annos ante legatum factum, reseruarunt Domini, vt videretur, An hoc casu valeret legatum propter doctr. *glos. in d. l. miles. §. mulier. de milit. testa. Capic. decis. 102. Gulielm. Benedict. in cap. Raynutius. in verb. & vxorem nomine Adelasiam. in decis. 5. num. 161. in noua impress.*

Vrbeuetana Castrorum.
Die Veneris 30. Aprilis 1568.

SVMMARIVM.

1 *Dictio, iamdiu, non potest adaptari ad duos dies præcedentes, sed includit longius temporis spatium.*

2 *Possessio capta adhuc viuente illo in cuius locum succedi prætenditur in fideicommisso, tanquam vitiosa non attenditur.*

3 *Possessio bonorum fideicommissariorum capta à filio, verisimilius est quòd nomine proprio potius fuerit capta, quam nomine patris, licet vtriusque nomine ab eo capi posset.*

DECISIO XLVII.

COnclusum fuit per Dominos, nemine discrepante, quòd quantum attinet ad Castrum Podij, non constat neque per instrumentum possessionis Ill. D. Lucæ, neque per testes, aut alia documenta, quòd d. D. Lucas cœperit illius possessionem. Quantum vero ad alia Castra, dixerũt pro resolutione primæ partis dubij, quòd d. D. Lucas nõ acquisiuerat talem possessionem, pro qua efficeretur legitimus contradictor in hoc iudicio, cum possessio illorum Castrorum non esset vacans, sed plena, cum iam esset capta sub die 9. Martij à procuratore Illust. Dominæ Corneliæ, nec apparet de aliqua possessione ipsius Domini Lucæ

ante diem vndecimam eiusdem mensis. Vn-
de sequitur, quòd est vitiosa, & nullius mo-
menti. *vt alias fuit dictum per tradita per*
Doctor. in l. fin. C. de edict. diu. Adr. Nec
obstat, quòd in instrumento possessionis di-
ctæ Corneliæ enuncietur præsentia d. Lucę,
quia nõ sequitur ex eo, quòd possideret di-
cta Castra. Nec articulus quintus, & te-
stium depositiones concludunt, quòd sta-
tim post obitum Domini Ioannis Pauli d.
Lucas cœperit possessionem: neque est pos-
sibile, quod cum d. Ioannes Paulus obierit
in Vrbe die 8. Martij paulo ante auroram,
curreri de nocte accesserint ad D. Lucam
vt dicunt testes, quod est intelligendum de
nocte sequenti, quæ præcedebat diem nonã,
qua die Domina Cornelia cœpit possessio-
nem. Nec obstat enunciatio facta in instru-
mento possessionis Domini Lucæ, quia,
vltra quòd aliunde non constat de possessio-
1 ne antea per eum capta, † dictio quoque,
Iamdiu, non videtur posse adaptari ad duos
dies præcedentes, sed includatur longius
2 temporis spatium; & ideo † innueret pos-
sessionem captam adhuc viuente Ioanne
Paulo, & per consequentiam tanquam vi-
tiosa non esset attendenda. Nec obstat,
quòd cũ Domina Cornelia cœpit possessio-
nem, Dominus Lucas protestatus fuerit se
id permittere sine præiudicio fideicommis-
si, quia hæc protestatio capit petitorium,
non autem possessorium. Atque stante hu-
iusmodi resolutione, visum fuit Dominis,
non esse necessariam discussionem secundæ
partis dubij. Tres tamen ex Dominis, qui
etiam super ista parte votum dederunt, erãt
in opinione, quòd etiam dato quòd D. Lu-
cas eam acquisiuisset, censeretur eam ami-
sisse, ex eo quòd etiam de ipsius consensu
Dominus Lucas Antonius eã nomine pro-
prio & Patris sui cœpit; Idcirco videri Do-
minum Lucam desijsse tum animo tum cor-
pore possidere. Neque multum moueban-
tur ex dictis testium, tanquam de directo
instrumento possessionis Domini Lucæ An-
tonij contrariorum; accedente verisimili-
tudine, quòd cum hanc possessionem cape-
ret D. Lucas Antonius, vt eam à Fisco defen
3 deret, † non erat verisimile, quòd cœpisset
nomine patris, contra quem inquirebatur,
sed nomine suo: quæ quidem verisimilitu-
do, etiam ex actis & protestationibus cum
Commissario factis corroboratur. Neque
obstat, quòd testes deponant, quòd D. Lu-
cas mãdauit Domino Lucę Antonio, vt pos
sessionem dictorum Castrorum caperet, ac
sibi conseruaret; quia hoc nihil refert, cum
appareat Dominum Lucam Antonium no-
mine proprio cepisse possessionem. *l. 1. §. per*
procuratorem. ff. de acquir. poss. Aegid. decis.
107.

Cæsaraugustana Iuris eligendi.
Die Mercurij 5. Maij 1568.

DECISIO XLVIII.

DVæ vltimæ electiones fuerunt factæ de consensu Archiepiscopi, vt clare cantant instrumenta. In electione vero de anno 1543. licet videatur per plures testes probari, quòd facta fuerit de consensu Archiepiscopi, tamen nihil super ea firmatum fuit propter instrumentum, quod cantat solum sub nomine Capituli, neque facit aliquam mentionem de Archiepiscopo. In alia de anno 1535. non probatur consensus Archiepiscopi; nisi per vnicum testem.

Monasterien. Canonicatus.
Die Mercurij 5. Maij 1568.

DECISIO XLIX.

SVfficit Dominum Ioannem probasse, se ex vtroque parente nobilem militarem esse, cum statuta sublata in gratia Pauli, non fuerint reualidata per Motumpropriũ Pij IIII. nisi in expressis per eum. Quæ vero sit horum verborum (ex vtroque parente) vis, & an ad istorum verborum verificationem necessaria sit probatio nobilitatis vtriusque parentis primi gradus tantum, an vero etiam vlterioris gradus, videbitur particulariter.

Toletana Portionis.
Die Veneris 7. Maij 1568.

DECISIO L.

FVit resolutum, Dominum Thomam non teneri probare non extare memoriam, quòd non descẽdat ex sanguine aliqua macula infecto, ex forma statuti, cum statutum nullum onus iniungat prouiso, sed velit tantummodo, vt per vnum Canonicum vel portionarium capiatur informatio expensis illius, qui petit admitti. Et quamuis post informationem captam, si aliqua macula infectus deprehendatur is, qui petit se admitti, incumbat ei onus probandi se esse purum ex antiquis Christianis, *vt fuit resolutum aliàs in illa Toletana Ioannis de Mora coram R. P. D. Gropperio,* * sufficit tamen, vt probatio sit talis, quæ excludat informationis probationem; qualem esse probationem d. Thomæ iam per Dominos fuit resolutum. Et ideo non obst. quòd fuerit decisum, statutum intelligi de antiquo Christiano in infinitum: quia hoc respicit qualitatem personæ admittendæ, sed non imponit ei onus probandi hanc immemorabilem; adeo quòd eius statuti effectus est, quòd si Capitulum doceret, aliquem in aliquo gradu ex remotioribus habere

* Sub die 5. Maij 1568.

ori-

originem suam infectam, tunc is non admitteretur, nisi ostēderet validioribus probationibus rem ita se non habere, Quod vero dicitur de vera & certa informatione, locum habet, si Capitulum vellet aliquem admissum expellere: nam tunc incumbit ei onus probandi ex certa & vera informatione, quòd sit de sanguine infecto; sed non grauat eũ, qui prouisus est, illo genere probationis immemorabilis: quare neque nos grauare debemus, tum propter difficultatem huiusmodi probationis, tum propter concurrentem iuris præsumptionem.

Romana Dotis & Alimentorũ de Verospis.
Die Veneris 7. Maij 1568.

SVMMARIVM.

1 *Paupertas per testes deponentes de communi reputatione probatur, præsertim si testes descendant ad aliqua particularia, quæ concludunt de vera scientia.*

2 *Quæ sunt ambigua & non clara, non possunt excludere probationem claram.*

DECISIO LI.

1 Domini resoluerunt † constare de paupertate Domini Cæsaris & Iuliæ per istos testes deponentes de communi reputatione, *prout aliàs fuit resolutum coram R. P. D. Capisucco in vna Portugallen. pecuniaria die 18. Martij* 1552. maxime cum isti testes descēdant ad multa particularia,
2 quæ concludunt de vera scientia. † Ea vero quæ ad excludendam paupertatem allegantur, non sunt clara, sed ambigua; & ideo non possunt excludere probationem claram: & maxime, quòd percutiunt tempus præsens. An vero ista paupertas sit sufficiens ad effectum, de quo agitur, nempe consequendi alimenta perpetua, & dotes pro suis filijs, Domini volunt particulariter videre.

Rauennaten. Bonorum.
Die Veneris 21. Maij 1568.

SVMMARIVM.

1 *Protestatio partis non probat ad fauorem protestantis, cum sit eius assertio.*

DECISIO LII.

Fvit resolutum per Dominos, quòd respectu inobseruantiæ, quæ prætenditur ex non datione fideiussorum, Domini de Cusanis & Taschis habent fundatam eorum intentionem in confessione D. Ioannis Baptistæ Ragazzoli, quæ habetur in cōcordia: ideoq; onus probandi hanc inobseruantiam spectare ad Ragazzolos. Quæ quidem per ea, quæ adducunt, non probatur concludē-
1 ter. Nam † protestationes dominorum de Ragazzolis non probant, cum sit assertio partis: immo potius probant contrarium, nempe fuisse datos aliquos fideiussores. Sētentia est generalis, neque constat, ex qua causa lata fuerit. Calculus est factus lite pendente, & fundatus super instrumentis productis. Nec obstat, quòd non fuerint datæ aliæ fideiussiones, aut alia ratione alijs creditoribus satisfactum. Tamen, ex quo non constat de ratificatione Francisci, ad quam se obligauerat Gaspar, Domini ordinarunt, vt super hoc particulariter videretur, stante quòd appareat de huiusmodi ratificatione: An possint Domini de Taschis & Cusanis iuuare se hoc instrumento, ad effectum, de quo agitur.

Ispalen. Attentatorum.
Die Lunæ 24. Maij 1568.

SVMMARIVM.

1 *Inhibitio, siue iusta siue iniusta, semper est timenda: quod tamen procedit, quādo nulla adest obligatio Cameralis; vel si adsit, non sit clarum, an liget iudicem, secus est, si obligatio Cameralis sit clara, cuius vigore intrent facultates Auditoris Cameræ.*

DECISIO LIII.

Fvit resolutum pro attentatis: consideraruntenim Domini tres casus. Primus est, quando præcedit obligatio in forma Cameræ clara: & tunc locum habent facultates Auditoris Cameræ. Secundus est, quando nulla præcedit obligatio: & tunc non intrant facultates. Tertius casus est, quando adest quidem obligatio, sed non est clarum & expeditum, an liget nec ne. & hoc casu procedunt allegata pro parte Melchioris: & attenditur illa regula, quòd
1 inhibitio † siue iusta siue iniusta, est timenda; & maxime, vbi facilis patet aditus ad Principem. Videbatur autem Dominis, Melchiorem, dato etiam quòd possideret canonicatum super quo imposita fuerat pensio, quamuis teneretur ad pensionem; non tamen potuisse conueniri vigore obligationis, quæ iam extincta videbatur. Tamen hoc non fuit firmatum: satis enim ad effectum, de quo agitur, visum fuit, quòd probabiliter controuertebatur hic, An Melchior esset obligatus nec ne, vigore obligationis illius Cameralis.

Romana Legati.
Die Veneris. 28. Maij 1568.

SVMMARIVM.

1 *Emendatio vitæ, & cessatio conuersationis*

cum concubina, seu adultera, non probatur per testes de auditu ab ipsa concubina, cui non est fides adhibenda.

2 *Ex continua conuersatione cum concubina, vel adultera, præsumitur continuatio cõcubinatus, vel adulterij.*

3 *Legatum ab adultera factum adultero, cuius conuersatio durabat, ex turpi causa adulterij factum præsumitur.*

4 *Emendatio ab adulterio per tres, aut quatuor annos præsumitur, nisi duret conuersatio.*

5 *Quando delictum est publicum, publica quoque debet esse emendatio.*

DECISIO LIIII.

Fvit resolutum, quòd ex quo constat de consuetudine cum Laura, nec probatur
1 emendatiõ, † cum testes deponant tantum de auditu ab ipsa Laura, cui non est hoc casu fides adhibenda, legatum non sustineri, nisi Marius melius probaret hanc emenda-
2 tionem. Maxime, † cum aduersus eam militet præsumptio ex conuersatione, de qua
3 per testes: & ideo † præsumitur legatum factum ex causa illa turpi, quæ adhuc du-
4 rabat; Et licet † per tres aut quatuor annos præsumatur emendatio, hoc procederet, vbi non duraret conuersatio, quæ hic
5 magnam facit suspicionem. Et † vbi delictum fuit publicum, debet etiam emendatio esse publica; aliàs non purgatur illa suspicio, quam ita habent in consideratione. *l. mihi. §. mulier. de milit. testa.*

Carpentoraten. Prætensæ pensionis.
Die Veneris 28. Maij 1568.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio fideiussorum, qui dati fuerunt pro assecuratione pensionis ad triennium, in exequutionem decreti in supplicatione contenti, vltra triennium non tenet, si accesserint simpliciter.*

DECISIO LV.

GErardus & Bachodius veniunt absoluendi à petitione Oldani; quia li-
1 cet † accesserint obligationi Petri simpliciter, tamen non sunt censendi dati à Petro, nisi in exequutionẽ decretorum in supplicatione contentorum, cuius vigore tenebatur dare fideiussores triennales: & ideo videntur dati ad illud triennium, & non simpliciter, cum ad hoc non teneretur; & per consequens eorum obligatio habet relationem ad illud tempus, nec vlterius durare censetur.

Romana Cambiorum.
Die Lunæ 14. Iunij 1568.

DECISIO LVI.

NIhil fuit resolutum, licet visi fuerint Domini inclinare, quòd ex testibus Dominorum de Foppis & Alenis, iunctis partitis mercatorum, & dictis proxenetarum, probetur Reditum post prætensam reuocationem gessisse multa negocia sub nomine D. Ruberti Vbaldini; sed quòd non constet, quòd illa negocia vere spectarent ad d. Robertum, stante dicto Guicciardini, constituto Reditti, & libris rationum, ac sententia contra dictum Redittum: Ideo placebat, vt materia ad aliquod caput releuans restringeretur: An constet de tali reuocatione Reditti, quæ mediantibus actibus, tam priuatis, putà deputationis Guicciardini, & descriptione librorũ banchi, quam publicis, veluti delationis listæ, & si quæ adsunt alia, potuerit innotescere mercatoribus; vel, An idem sit iudicandũ de capserijs, quod de institoribus, vt sit necessaria reuocationis intimatio; vel sumatur aliqua alia via, per quam facilius dirigi possit causa arbitrio ponentis.

Nucerina Affictus.
Die Lunæ 21. Iunij 1568.

SVMMARIVM.

1 *Vbi requiritur solutio, non sufficit cautio.*

DECISIO LVII.

DOmini sunt, quòd verbum, subsequenter, debet intelligi post triduum: nam in vltimo momento tridui potuisset fieri cessio; & intrat textus allegatus in *l. qui fundum. de contrahen. empt.* Nec obstat, quòd
1 potuerit dari cautio: quia † per eam non potest dici, quòd satisfieret in omnibus & per omnia, sed per realem solutionem tantum, quare considerata impossibilitate, debemus amplecti hunc sensum, ne elusoria reddatur obligatio.

Romana Dotis & alimentorum de Verospis.
Die Lunæ 21. Iunij 1568.

SVMMARIVM

1 *Paupertas per communem reputationem probatur.*

2 *Ad effectum consequendi alimenta & dotes ab auo materno, paupertas probata sufficit.*

3 *De æquitate canonica pater tenetur alere & dotare filiam illegitimam; maxime in terris Ecclesiæ.*

4 Auus

4 *Auus maternus regulariter non tenetur do-*
tare neptem ex filia, nisi subsit iusta cau-
sa: secus est in subsidium, vt num. 5.
Idem in haredibus aui materni, vt nu. 7.
6 *Alimenta & dotes à pari procedunt.*

DECISIO LVIII.

*sub die Veneris 7. Maij proxime praeteriti.

DOmini persistendo in resolutis, * dixe-
1 runt † probari paupertatem, tum per
communem reputationem, tum per parti-
culares quasdam rationes à testibus dedu-
ctas, quæ concludunt ad paupertatem: &
2 sufficere † hanc probationem ad effectum,
vt isti filij, & filiæ Cæsaris, possint consequi
3 alimenta, & dotes. Nam † de æquitate ca-
nonica, quæ est seruanda, maxime in terris
ecclesiæ, pater tenetur alere, & dotare fi-
liam illegitimam, *vt per Lupum in repet.*
c. per vestras. de donation. inter vir. & vxo.
§. 23. num. 22. fol. mihi 156. l. si instituta.
§. de inofficioso. ff. de inoff. testa. Et ideo suc-
4 cedit, quòd † licèt auus maternus regula-
riter non teneatur dotare filiam, *vt in l.*
neque mater. C. de iur. dot. tamen, hoc non
habet locum, si subsit iusta causa: Et ideo
5 Bald. ibi dicit, quòd iusta causa est, † si ma-
ter sit diues, filia vero pauper, & in subsi-
dium tenetur auus maternus sicut mater,
6 *Rip. l. 1. num. 81. solut. matrim.* Et † à pa-
ri procedunt alimenta & dotes. *Bald. loco*
7 *allegat. Rip. in d. l. 1. num. 79.* Et † idem
dicendum est de hærede aui, quod de ipso
auo. *Abb. cons. 115. lib. 2. in princip.* Ta-
men quia hæc est res grauis præiudicij, vo-
lunt Domini in taxatione alimentorum &
dotium, habere rationem omnium circun-
stantiarum, quæ in præsuppositis deductæ
fuerunt.

Vrbeuetana Castrorum.
Die Veneris 25. Iunij 1568.

SVMMARIVM.

1 *Duo insolidum eandem rem possidere non*
possunt.

DECISIO LIX.

CIrca primum caput adeptionis posses-
sionis nihil fuit resolutum, Circa se-
cundum amissionis, Domini sunt, quòd D.
Lucas amiserit possessionem, tam ex con-
sensu præstito, dum fuit capta nomine Do-
minæ Corneliæ, quam ex possessione per
D. Lucam Antonium capta. Nec obstat
protestatio; quia percutit petitorium: Nec
videtur posse adaptari ad possessionis con-
seruationem ob incompatibilitatem; cum
1 duo † insolidum eandem rem possidere non
possint. Placeret tamen Dominis, vt pro
parte Domini Lucæ informaretur.

Romana Interessentiæ.
Die Veneris 25. Iunij 1568.

SVMMARIVM.

1 *Possessio prædecessoris non suffragatur, quæ*
nunquam fuit apprehensa.
2 *Quicquid fit per beneficiatum, censetur fa-*
ctum nomine suæ Ecclesiæ, & ius illi ac-
quiritur.

DECISIO LX.

MAior pars Dominorum fuit in voto,
quòd D. Philippus non veniat resti-
1 tuendus; cum † possessio sui prædecessoris
ei non suffragetur, qui eam nunquam ap-
prehendit, non enim potest dici hoc ius
quæsitum fuisse ecclesiæ, ex rationibus in
alia resolutione * deductis; sed est ius me-
re personale, quod Papa voluit tribuere
istis capellanis; non quidem contemplatio-
ne capellæ, sed contemplatione chori, & ser-
uitij, & in hoc differt hoc beneficium ab
2 alijs; quia in alijs, † quicquid per benefi-
ciatum fit, censetur factum nomine suæ ec-
clesiæ, & ita ei ius acquiritur: sed in casu
nostro, cum cesset capellæ contemplatio ex
deductis, nihil ei acquisitum censeri debet.

*sub die Lunæ 19 Martij proxime præteriti.

Conchen. Regressus.
Die Lunæ 28. Iunij 1568.

SVMMARIVM.

1 *Coadiutoria, & noua prouisio, quando sunt*
limitata, non tribuunt titulum coloratū.

DECISIO LXI.

DEcretum appositum in regressu obstat
restitutioni, dūmodo iustificetur, cir-
cumscripto, An fuerit iustificatus regressus
ex confessione, aut ex eo quòd Constantinus
1 magnifecit dictum regressum. † Coadiuto-
ria vero, cum sit limitata; non tribuit titu-
lum coloratum, Noua prouisio tribuit, nisi
sit limitata ad vacationem per obitum in
curia, quod in sequenti videbitur.

Vrbeuetana Castrorum.
Die Lunæ 5. Iulij 1568.

SVMMARIVM.

1 *Pro actibus possessorijs re vacua existen-*
te, sufficit deambulatio, clauium recep-
tio, & custodia commissio.
2 *In materia renunciationis, interpretatio*
minus lasiua sumi debet.
3 *Quis non præsumitur voluisse amittere pos-*
sessionem, sed potius alium admittere pro
indiuiso, ratione iurium, quæ habet is,
qui admissus fuit, maxime si de continua-
tione possessionis post huiusmodi admis-
sionem constet.

DECISIO LXII.

Causa iterum, vtraque parte informante, proposita, tres ex Dominis erant in voto, circumscriptis exceptionibus testium, quòd probaretur per eosdem testes possessio Domini Lucæ anterior possessione
1 Dominæ Corneliæ; & quòd † pro actibus possessorijs, re vacua existente, sufficeret deambulatio, clauium receptio, & custodiæ commissio: & mandatum satis per eosdem testes probari respectu Castri Podij, Nec fuisse per ipsum D. Lucam amissam possessionem ob superuenientiam Dominæ Corneliæ, stante protestatione, quæ licèt videatur tantum præseruare ius in petitorio, tamen suppletur ex dictis testium, & cum simus in interpretatione mētis Domini Lu-
2 cæ, & † in materia renunciationis, debemus sumere interpretationem minus læsiuam,
3 nempe, † quòd noluerit amittere possessionem, sed voluerit admittere Dominā Corneliam ad possessionem pro indiuiso, ratione iurium, quæ ipsa prætendebat: Et hoc suaderi ex continuatione possessionis ipsius Domini Lucæ post præfatam possessionem Dominæ Corneliæ. Neque etiam fuisse amissam possessionem, ex eo quòd Dominus Lucas Antonius eam cœpit: quia per testes probatur fuisse ab eo captam animo conseruandi eam patri. Quatuor vero ex Dominis sentiebant contrarium respectu amissionis per rationes in alia causa positione allegatas.* Nec fidem adhibebant testibus, stantibus instrumentis: maximè, quòd multæ, ex eorum dictis oriebantur contra ipsas, exceptiones.

*sub die Veneris 5. Iunij proxime præterita.

Vrbeuetana Castrorum.
Die Veneris 9. Iulij 1568.

DECISIO LXIII.

Fvit vltima Rota memorialium, & in causa Vrbeuetana vnus ex Dominis dedit votum suum in fauorem Illust. Dominæ Iuliæ & consortium, contra Illust. Dominum Lucam; & actum fuit cum Dominis de expeditione causæ, qui inclinarunt pro expeditione, nisi superesset aliud dubium disputandum super verbis testamenti Pauli Petri de Ceruaria: ex quo videtur, quòd institutio sit limitata, & ideo limitata quoque esse debeat immissio ex l. fin. Ideo videndum, An hæc dubitatio ita sit releuans, vt sit differenda causa ad kalendas.

Romana Cambiorum.
Die Veneris 12. Nouembris 1568.

DECISIO LXIIII.

Fvit resolutum, nemine discrepante, Franciscum Redittum fuisse remotum ab administratione capsę de mense Decembris 1564. aut saltem ante tempus cambiorum, de quibus agitur, per multiplices probationes, Prima probatio sumitur ex testibus, nempe ex depositione Guicciardini de facto proprio deponentis: Accedunt testes examinati pro Foppis & Alenis, maxime quartus, septimus, & nonus: Adsunt & alij testes coadiuuantes, qui deponunt de auditu, tertius, sextus, & octauus, Secundo, hanc probationem corroborat partita capsæ, dum fuit tradita Guicciardino, & euidentia facti ex librorum inspectione, in quibus à die 17. Decembris citra, non reperitur aliqua partita scripta per Redittum, Tertio, constitutum Francisci facit saltem vrgentem præsumptionem, *ad notat. per Doctor. in l. 2. C. de edend.* Circumscribunt tamen Domini effectum, & volunt particulariter videre, An talis reuocatio sufficiat in casu, de quo agitur.

Romana Prætensæ mercedis.
Die Mercurij 17. Nouembris 1568.

SVMMARIVM.

1 *Salarium non conuentum, non debetur, secus est in Aduocato.*

2 *Salarium, etiam secundum stylum curiæ, non debetur ei, qui in curia retinetur in domo cum expensis: & maxime si apparere possit, quod talis sub spe potius alicuius remunerationis liberalis, quam alicuius salarij inseruierit.*

DECISIO LXV.

1 Domini dixerunt, quòd in casu isto, de iure communi non debetur † salariū non conuentum, cum non simus in Aduocato: & ideo standum in regula *l. qui mutuā. §. salarium. ff. mandat. l. salarium. C. eod. cum alys allegatis. Et fuit ita conclusum coram Domino Aldobrandino in illa Toletana, siue Romana mercedis, die Veneris 14. Maij*
2 1568. † Stylus autem curiæ non probatur in casu isto, quando quis in domo alicuius habet habitationem, & expensas: maxime attenta consuetudine Episcopi, qui solitus erat alios pro huiusmodi expensis in domo retinere, qui eius negocia gerebant. Et ex testibus met Domini Augustini apparet, cū potius inseruisse sub spe alicuius remunerationis liberalis, quam sub aliquo salario: quod in curia Romana est frequentissimum simul & fallacissimum. Tamen dixerunt, quod pro causis Domini Camilli, debetur eidē Domino Augustino salarium pro modo laborum: & ideo placeret Dominis, vt pro vtraque prætensione D. Camillus daret Domino Augustino ducenta scuta.

Pla-

Placentina Pensionis.
Die Veneris 19. Nouembris 1568.

SVMMARIVM.

1 *Pensio reseruata super beneficio cum clausula, habita vel non habita possessione, si prouisus nunquam potuerit adipisci possessionem beneficij, & pro ea habenda fecerit omnes diligentias, non debetur; sed à solutione pensionis datur absolutio, etiam quòd pro ea soluenda adsit obligatio cameralis.*

2 *Clausula, habita vel non habita possessione, in reseruatione pensionis, non extenditur vltra duos vel tres annos, vbi subest iusta causa.*

3 *Pensio debetur ex fructibus beneficij & non aliàs: & non adepta illius possessione, pensio super eo imposita non debetur.*

4 *Iuramentum regulatur secundum naturam principalis obligationis.*

DECISIO LXVI.

praesens decisio habetur 1 impress. diuers. nouiss. 331. part. 1.

1 Laurentius de Lerma, cui † fuerat reseruata pensio quadraginta ducatorum super quodam beneficio simplici in Ecclesia Placentina, agebat contra R. P. D. Ludouicum de Torres, cui fuerat resignatum hoc beneficium, & ipse accesserat obligationi in forma Cameræ per suum autorem factæ cum iuramento, in qua aderat clausula, habita vel non habita, & iam Laurentius exegerat per plures annos hanc pẽsionem. Reuerendiss. Dominus de Torres excipiebat, se nunquam potuisse adipisci possessionem dicti beneficij: & ideo dicebat se non teneri; & allegabat quasdam diligentias per se factas pro habẽda possessione; nempe litterarum expeditionem & earum præsentationem factam Capitulo, ad cuius instantiam fiscus regius eas cœperat, & transportari fecerat ad Consilium regiũ: & insuper, ad tollendam omnem suspitionẽ, retrocesserat in fauorem eiusdem Laurẽtij; qui nolebat hanc retrocessionem acceptare, & tantum instabat pro vlteriori terminorum solutione. Ideo dubitaui, an d. Reuer. Dominus de Torres esset absoluendus à solutione dictæ pensionis. Et fuit dictum, cum præsupposito quòd constaret de diligẽtijs, esse absoluendum, non obstante clausula, habita vel non habita, & obligatione camerali cum iuramento. Moti fuerunt Domini, quia sæpius Rota interpretata est

2 huiusmodi clausulam, † vt non extendatur vltra duos vel tres annos, vbi subest iusta causa, *Antonius Augustinus 705. lib. 3. & in vna Conuenarum de Curdellas coram Domino Oradino de mense Iunij 1565.* Ratio

3 huius temperamenti est, quia † pensio debetur ex fructibus beneficij: & ideo iniquissimum est, vt quis teneatur soluere perpetuo pensionem ex beneficio, quod adipisci non potuit. Et clausula ista fuit inuenta, solum vt obuiam iretur malitiæ eorum, qui differrent capere possessionem animo eludendi pensionarium, sed vbi cessat fraus, & constat, per titularem non stetisse, tunc illa clausula non debet operari contra mentem proferentis, & contra iuris dispositionem. Nec quicquam facit iuramentum,

4 quia † regulatur secundum naturam principalis obligationis. *l. fin. C. de non num. pecu. cap. quemadmodum. & cap. peruenit. de iure iur. Paris. cons. 92. num. 41. lib. 4. cum alijs infinitis.* An autem satis probarentur diligentiæ, Domini dixerunt probationem esse debilem, ideo coadiuuandã. Quare me iterum proponente, & deducente Domino Ludouico beneficium istud esse de iure patronatus canonicorum, Domini habuerunt diligentias pro probatis, sub die vltima Februarij 1569. Et ita tuli sententiam absolutoriam in fauorem dicti Reu. P. Domini Ludouici de Torres.

Bononien. De Bologninis.
Die Veneris 10. Decembris 1568.

SVMMARIVM.

1 *Legitimatio facta ab habente potestatem, in præiudicium fœminarum in inuestitura vocatarum, tenet; maxime si specialiter ad talem inuestituram vel emphyteusim sit facta.*

2 *Princeps potest præiudicare iuri quærẽdo, & iuri quæsito in spe incerta vel cõditionali.*

3 *Finita locatione ad tertiam generationem, ecclesia tenetur renouare inuestituram sub eadem forma.*

DECISIO LXVII.

Fvit per Dominos resolutum, strictè ad hoc, An legitimatio attento præiudicio fœminarum in inuestitura vocatarum teneat, omnibus alijs circunscriptis, quòd stantibus resolutionibus factis tam sub die Lunæ 17. Iunij 1566. quam sub die 22. Mar- praesens decisio habetur 1 impress. diuers. nouiss. 331. part. 1.

1 tij proxime præteriti, † hæc legitimatio in præiudicium fœminarum tenet: ex eo quòd cõmunis opinio Doctorum est, quòd Prin-

2 ceps possit præiudicare iuri quærendo, prout ex *Caman. Castren. Decio, alijsq. Doctor. allegatis* * *patet, quicquid dixerit Cephal. consil. 23. allegat.* * Vnus etiam ex Dominis dicebat, frustra hic disputari de iure quęsito & quęrendo, cum iam fuerit resolutum, [b] appellatione legi-

* qui sunt infrascripti. Cuman. cons. 168. & tota. Castr. 461. n. 4. vol. 2. Dec. 369. n. 8. & 390. n. 11. Brun. cons. 1. n. 57. Curt. iun. cons. 3. n. 24. & seqq. & 157. n. 88. In. Cãpeg. inter cõs. Brun. cõs. 2. n. 16. cũ seqq. hoc inter cõs. Brun. cõs. 10. n. 26. cũ seqq. Paris. cõs. 3. n. 192. in 2. Rol. cõs. 3. n. 148 cũ seqq. In 2. Natta cõs 96. n. 50. cũ seqq vol. 2. Aym cons. 193. n 3. ad fin Couar. var. resol. lib. 3. c. 6. n. 2. cũ seq. & est cõmunis cõclusio vbi doct. in l. gallus. §. & quid si tãt. de lib. & posth. Tiraq. l. si vnquã. verb. susceperit liberos. n. 78. de reuoc. donat.

* & alij contrarium tenentes vt Brun. cons. 35 num 19. Socin. iun. 95. num 5 in 2. Ruin. 94. in 3 & 99. in 2. Andr. de Isernia relat. per Afflic. & idem Afflic. c. 1. § naturales. in 2. notab. n. 15. si de feud. fuer. contr.

[b] sub dicta die 22. Martij proxime præteriti.

gitimorum & naturalium venire legitimatos specialiter ad emphyteusim ab habente potestatem: & ideo ex forma inuestiturae nullum ius competere foeminis, cum adhuc superstes sit masculus eas excludēs. Tamen in hanc sententiā itum est, quòd hic non adsit ius quaesitum in re, sed quaesita spes tantū, *iuxta tex. in §. ex conditionali. Instit. de verb. oblig.* Et haec spes non est certa, sed sub duabus conditionibus ideo satis debilis. Et allegata in contrarium *ex Fortun. & Ias. in l. Gallus. §. & quid si tantum. de lib. & postb.* procedūt in terminis, in quibus vel ius erat iam quaesitum, vt in haereditate delata; vel saltem spes erat certa debitum iri, non autem in spe omnino incerta & conditionali, prout est ista; in qua pater potuisset praeiudicare filiabus foeminis nihil eis relinquendo. Videbatur vni ex Dominis, hic differri tantum hoc ius, non autem poenitus tolli: Licet enim locatio sit facta ad tertiam generationem tantum, quam Alexan-
3 der claudit, tamen ✝ tenetur Abbatia renouare sub eadem forma, *vt est doctrina Bart. communiter approbata in l. 1. §. permittitur. ff. de aq. quotid. & aesti. Quam Rota approbauit in vna Lucana emphyteus. coram R. P. D. Decano* * *die Veneris 6. Iunij 1567.*

* Ordine

Nucerina Affictus.
Die Lunae 24. Ianuarij 1569.

SVMMARIVM.

1 *Mens contrahentium est attendenda, & non cauillanda.*
2 *Liquidatio contra fideiussorem iudicatum solui, fieri potest absque alio processu.*

DECISIO LXVIII.

QVantum ad primam partem dubij, Domini perstiterunt in decisis, ex rationibus aliàs deductis: & quia at-
1 tendenda ✝ est, & non cauillanda, mens cōtrahentium. Quod attinet ad secundam
2 partem dubij, Domini dixerunt, ✝ potuisse fieri liquidationem contra Reuer. D. Ioannem Andream, qui fideiusserat pro Antonio iudicatum solui sine vllo alio processu, *vt per doct. allegat. maxime per Alex. in l. cum filius. num. 9. de verb. oblig. Paul. de Castr. in l. 1. in fin. ff. iudic. sol. qui testatur de communi*: Neque necessarium fuisse in liquidatione distinguere tempora, iuxta formam sententiae bon. mem. Accorsmboni: quoniam illa sententia habet duas partes: In altera confirmatur simpliciter sententia Auditoris Camerae: In altera fit condemnatio in fructibus perceptis à die latae sententiae iuxta stylum Rotae. Adeo quòd totius temporis fructus, sine vlla distinctione, in sententia continentur.

Vrbeuetana Haereditatis.
Die Veneris 11. Februarij 1569.

SVMMARIVM.

1 *Ad hoc vt possessio continuetur in haeredes, requiritur recognitio coloni vel conductoris.*

DECISIO LXIX.

DOmini non multum laborarunt super fundamento, quod pro parte Illust. Dominae Iuliae & litis consortium fiebat: nempe quòd fideicommissarius teneatur de manu haeredis capere: neque super eo quòd Illust. Dominus Lucas esset bannitus, quoniam super his duobus, si opus erit, volunt quòd particulariter dubitetur. Super eo verò, quòd possessio esset plena ex persona Bini conductoris, fuit magna altercatio inter Dominos, adeo vt nulla sumi potuerit reso-
1 lutio: nonnullis asserentibus ✝ requiri recognitionem coloni vel conductoris, ad hoc vt possessio continuetur in haeredes defuncti. Alijs verò contrarium asserentibus; maxime stante instrumento locationis, & aditione haereditatis, & allegabatur decisio quaedam in vna Romana fideicommissi de Gracchis, quam ego non habeo. Fuit etiam controuersum, An doctrina *Baldi in l. fin. num. 42. C. de edict. diu. Adr.* procedat in curatore tantum, an vero etiam in alijs personis. Ideo visa difficultate materiae, Domini mandarunt dubium restringi ad aliquod caput, ex quo possit facilius tolli difficultas, & dixerunt fortasse bene esse videre, An ad effectum vt haeredes dicantur possidere, requiratur aliqua recognitio coloni, vel sufficiat sola reconti-nuatio locationis, ad effectum de quo agitur: & in facto prius firmandum esse, An in instrumento locationis Bini adsit explicite, aut saltem virtualiter stipulatio pro IoannePaulo & haeredibus.

Monasterien. Canonicatus.
Die Lunae 14. Februarij 1569.

SVMMARIVM.

1 *Nobilitas, & quòd quis sit nobilis ordinis militaris multis modis colligi potest.*

DECISIO LXX.

DOmini in praesenti positione noluerunt
1 quicquam in iure diffinire, sed ✝ has tantummodo conclusiones in facto ex iuribus praesuppositis in puncto collegerunt. Prima est, quòd in clausulis productis ex actis & processibus antiquis sub num. 22. vsque ad num. 40. iuxta ordinem summarij Domini Ioannis, Ioannes senior pater Hermanni vocatur validus vir & armiger, & ipse

& ipse Hermannus sub num. 40. & 41. vbi idem Hermannus vocatur etiam equestris ordinis, & iudex temporalis ciuitatis Monasteriensis. Secunda est, probari ex multis litteris, vocatos fuisse Ioannem seniorem,& Hermannum seniorem & iuniorem, ab Episcopis Monasteriensibus, vt cum alijs militaribus comparere velint aliquando simpliciter & militariter & equestri modo,vt in prima,secunda, & quarta;aliquando penes alios militares vassallos, vt in tertia; aliquãdo penes alios militaris ordinis, vt in octaua; & penes alios de militari genere,vt in nona & decima;aliquãdo penes alios hæreditarios,vt in sexta;aliquãdo inter alios nobiles Hermãnos & feudatarios, vt in quinta & septima; In qua etiam additur,quòd ex eo quòd nõ cõparet,alij de nobilitate similẽ inobedientiæ occasionẽ captant.Tertia est,quòd Hermãnus fuit monitus ad cõtributionẽ iuxta taxam, cum alijs militaris ordinis, vt in quinta, duodecima, & decimaquinta,quæ est conscripta à Commissarijs deputatis cõmunium statuũ Episcopatus, sub sigillis Capituli, Marescalchi, & ciuitatis Monasteriensis: & in ea narratur visum fuisse, quòd quilibet de militari ordine pro eius posse & conditione certã summam procurare deberet, prout etiam spirituales & Ciuitatenses voluntarie consenserãt & acceptauerant. Quarta, Decanum & Capitulum inuitasse Hermannum iuxta suum iuramentum, vt adesset cum equis & armis penes alios Episcopatus militares subditos. vt num. 4. Et hæc quantum ad paternum genus Domini Ioannis. Quantum vero ad maternum, Euerardo etiam Lamberto Buck fuisse indictam taxam cum alijs militaris ordinis, cum narratiua quòd visum fit, vt quilibet de militari ordine &c. de qua supra in litteris eorundem Commissariorũ ad Hermannum seniorem & iuniorem, vt sub num.19. 20. & 21. & eosdem inuitatos cum armis & equis penes alios militares, vt sub num. 16. 17. & 18. Fuit etiam animaduersum, quẽdam ex familia Buck, nomine Cratonem, vocari famulum in quadam littera antiqua sub num. 46. & quendam ex familia Vuick, nomine Conradum, vocari famulum & ciuem ciuitatis Monasteriensis in quadam alia antiqua littera sub num. 42. Quid autem ex his inferatur particulariter dato dubio erit videndum.

Vrbeuetana Castrorum de Ceruaria.
Die Veneris 18. Martij 1569.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio coloni nomine hæredis in possessione sufficit,ad effectũ quòd quis animo suo licet corpore alieno possidere dicatur.*

2 *In eo qui alieno nomine & alieno corpore possidet, per eius mortem non interrumpitur possessio, sed in hæredem sine facto aliquo transit.*

3. *In tutore infantis residet ciuilis possessio, quæ per mortem pupilli extinguitur, vt num. 5.*

4 *Sufficit quòd hæreditas non sit vacans, vt dicatur vitiose capta possessio,ad effectum l. fin. C. de edict. diu. Adr. toll.*

DECISIO LXXI.

DOmini firmarunt conclusiones in iure iuxta distinctionem traditam per Doctores,quæ habet tria membra. Primum est, quando quis corpore & animo suo possidet: & non pertinet ad casum nostrum. Secun-
1 dum est,† quando quis animo suo & corpore alieno possidet: & hoc casu sequendo opinionem Iacobi de Rauenna, quam secuti sunt *Ang. & Alex. in l. qui vniuersi. §. quod per colonum. de acquir. possess. Zuccard. Tiraquel. Grat. & alij per informantes allegati,* * dixerunt, sufficere continuationem coloni hæredis nomine. Ter-
2 tium est, quando † quis alieno nomine & corpore possidet, & tunc per eius mortem non interrumpitur, sed in hæredem sine aliquo facto transit, *vt per glos. in l. si is qui pro emptore. in verb. non habere. de vsucap. cum cæteris allegatis*. Sed difficultas fuit in applicatione harum conclusionum ad factum nostrum: & ideo, propter opinionum discrepantiam nihil fuit resolutum. Nam quod attinet ad secũdum membrum, videtur facere difficultatem, quòd non simus in casu, in quo quis animo suo possi-
3 det; cum simus † in infante, qui media persona tutoris possidet,& ciuilis in ipso tutore residet. *l. 1. §. adipiscimur. de acquir. poss.* Et dato etiam quòd applicari posset,tamen non constare de aliqua continuatione Bini nomine hæredum:cum nõ constet, quòd habuerit scientiam mortis Ioannis Pauli. In contrarium vero dicebatur, illam distinctionem requirere continuationem nomine hæredis, ad effectum vt dicatur hæredi acquisita, sed hic nõ agi ad hunc effectum, vt
4 dicatur hęredibus acquisita,sed † vt dicatur nõ esse vacãs:quod sufficit, vt dicatur vitiose capta ad effectũ *l. fin. C. de edict. diu. Adr.* Quantum ad tertium caput, quod aliquibus ex Dominis videbatur clarum, fuit facta dubitatio,an intret in casu nostro, ex eo quòd Doctores illud applicant ad materiam serui peculiaris,in qua videtur esse diuersa & particularis ratio. *l. qui à seruo. de action. & obligat. l. 1. §. item acquirimus. & l. quod seruus tuus. de acquir. possess.* Est enim radicata possessio cum dominio serui, & cum eo transit: & tam animi quam corporis possessio simul cohærent in eodem ser-
5 uo: sed † in casu isto, possessio ciuilis extinguitur morte pupilli; cum tutorum officium

* Zuccard. in l fin. n. 195 C. de edict. diu. adr. toll. Tiraquell de iure constit. poss. par. 2. ampl. 92. n. 5. Grat. cons. 10. n. 7. lib. 1. Natt. cõsil. 538 nn. 7. & 8. lib. 3. Rolan. cons 46. n. 12. lib. 2. Afflic. decis. 162 num. 6.

cium expiret, §. *finitur. Instit. quib. mod. tut. fin.* Ideo non forte posse adaptari tertium illud membrum isti casui. Quibus difficultatibus stantibus, non potuit capi in indiuiduo aliqua resolutio.

Vrbeuetana Castrorum de ceruaria.
Die Lunæ 2. Maij 1569.

SVMMARIVM.

1 *Incertitudo depositionis testis declaratur ex contentis in articulis.*

DECISIO LXXII.

Domini habuerunt pro satis probato, ætatem Ioannis Pauli tempore sui obitus fuisse minorem quinquennio, per testes, qui viderunt illum mortuum, & erant eius consanguinei; maxime accedentibus interrogatorijs datis pro parte Illust. Dominæ Corneliæ matris dicti Ioannis Pauli:
1 Et res redditur multum clara † ex eo, quòd fuit articulatũ in vndecimo articulo, Ioannem Paulum natum de anno 1563. & testes dicunt articulum verum; & eius obitus fuit de mense Martij 1567. prout ex instrumentis possessionis captæ tam per Illust. Dominum Lucam, quam per Fiscum constat. Et ideo, non obstare dictionem, circa, quia ex deductis tollitur ea incertitudo, quæ ex ea resultare posset.

Romana Beneficiatus Sancti Petri.
Die Lunæ 2. Maij 1569.

SVMMARIVM.

1 *Articuli respicientes non ius attentantis, non dicuntur releuantes; nec admittuntur, quando eorum probatio non induceret tale notorium non ius, quod per aliam probationem excludi non possit.*
2 *Notorium non ius probatur tãtum per sententiam, vel per confessionem.*
3 *Iudicium attentatorum est adeo priuilegiatum, vt non requirat possessionem coloratam, ad hoc vt quis restituatur.*

DECISIO LXXIII.

Domini dixerunt, quòd isti articuli
1 non sunt admittendi: quia † ad effectum attentatorum non sunt releuantes: nec eorum probatio induceret tale notorium non ius, quod per aliam probationem excludi non possit, *ad decis. Cassad. 3. de restit. spol. in fin. Rot. de restit. spoliat. 3. in nou. Put. 204. lib. 1. mihi est 195. probatio*
2 *non veri valoris, Aegid. 103.* † Notorius enim defectus probatur tantum vel per sententiam, vel per confessionem; maxime quòd nunc non sumus in probatione facta, sed quæ fieri debet: Nec obstare, quòd verificatio regressus faciat, vt decretum irritans operetur suum effectum, & impediat
3 ius agendi; quia † hoc non procedit respectu iudicij attentatorum, quod est adeo priuilegiatum, vt non requirat possessionẽ coloratam, vt quis restituatur. *Rot. decis. 11. de caus. poss. & propriet. in antiq.* Tamen, quia ad excludenda attentata deducitur, quòd Dominus Petrus habet subrogationem gratiosam, Ideo Domini reseruarunt hoc particulariter discutiendum.

Turritana Mercedis.
Die Veneris 20. Maij 1569.

SVMMARIVM.

1 *Salarium, etiam non conuentum, Vicario Episcopi debetur.*
Idem in Vicario à Capitulo constituto. n. 4.
Idem est in Assessore. vt num. 5.
2 *Salarium non conuentum non debetur famulis & alijs vilibus personis, quæ sæpenumero pro expensis inseruiunt, & sine salario; secus est, si concurrant duo illa requisita; nempe quòd Dominus solitus sit conducere, & famulus operas suas locare.*
3 *Salarium etiam non conuentum, Notarijs, Tabularijs, & Calculatoribus debetur, contra Bart. qui vitio exemplaris textus corrupti errauit.*
6 *Salarium non debetur Vicario à successore Episcopi, cum sit debitum voluntarium, ad quod successor non tenetur.*

DECISIO LXXIIII.

Fuit dubitatum, An salarium etiam non conuentum deberetur Vicario Episcopi; Et ratio dubitandi ex eo deducebatur; quòd ad effectum exigendi salarium non conuentum erant probanda duo extrema, nempe, & quòd Episcopus solitus esset conducere, & Vicarius locare operas suas, iuxta *consil. Alexand. 109. lib. 6. Dec. consf. 132. in fin. & alios, qui allegantur in decis. Putt. 6. de offic. Vicar. quæ est in extensis 47. die 5. Nouembris. lib. 2.* vbi videbatur ista quæstio decisa. Contrarium tamen per Dominos
1 fuit conclusum; nempe † deberi salarium. Illud enim, quod dicitur *per Alex. & Dec.*
2 *post Federic. consil. 118.* † procedit in famulis, & alijs vilibus personis, quæ sæpenumero inseruiunt pro expensis, & sine salario: Vnde illa requisita sunt probanda, ad effectum vt illis competat actio; Secus vero est in ijs personis, quæ vacant honestioribus muneribus, & disciplinis: nam ijs cõstituendum est salarium. *l. 1. de var. & ex-*
3 *traordin. cognit.* † Quod procedit etiam in Notarijs, Tabularijs, & Calculatoribus; licet Bart. contrarium senserit: sed vitio exemplaris corrupti errauit, vt ex lectura Flo-

Florentina apparet. Nec obstat quòd ibi non fit mentio Vicariorum; nam ex rationis identitate idem est de ijs indicandum; præsertim cum habeamus auctoritates Doctorum pro hac parte, *nempe glos. in cap. 1. in verb. quantitate. ne prælat. vic. suas. quã sequuntur Innoc. & Host. & Card. ibid. & idem Card. in clem. statutum. quæst. 7. versic. in contrarium. de electiõ. Anchar. ibid.*
4 *num. 3. Imol. num. 13.* ✝ Qui, licet loquantur in Vicario à Capitulo constituto, tamen idem esse in constituto ab Episcopo tenet *ibid. Imol. num. 27. Idem sentit Archidiac. in cap. charitatem. 12. quæst. 2. per illum text. Summ. Angel. in verb. Vicarius. nu. 9.* vbi tradit Episcopum teneri ad salarium
5 constituendum. Et ✝ idem seruatur in Assessore, ad notata *in cap. statutum. §. assessorem. de rescript. in sexto, vbi Anchãran. num. 3. & in cap. cum ab omni. & ibi Butr. num. 22. de vit. & honest. cleric.* Neque obstat decisio Putei supra allegata, ibi enim
6 non agebatur de hac quæstione, ✝ sed an posset Vicarius petere salarium non conuentum à successore Episcopi, cui inseruierat, quæ quæstio multum ab hac nostra differt. Nam cum constitutio Vicarij sit voluntaria, potest enim Episcopus carere opera Vicarij, dictum fuit, successorem non teneri ad debita voluntaria, sed ad necessaria tantum, *ad notat. per Abbat. in cap. 1. & 2. de solution.* Maximè si successor erat mediatus, non autem immediatus; sed illa decisio potius facit pro hac parte, cum præsumat deberi salarium Vicario, licet à successore exigi non possit, prout ibi concluditur. Et ita fuit conclusum, & in multis alijs causis postea perpetuo obseruatum,

Spoletana Beneficiorum.
Die Lunæ 23. Maij 1569.

1 *Probatio per testes de publica voce & fama in antiquis, sufficit, & concludit.*
2 *In probatione per testes facienda in antiquis, tempus sexaginta annorum dicitur tempus antiquum.*

DECISIO LXXV.

Fuit resolutum constare de primo extremo, circunscriptis exceptionibus testium, quia habemus vnum testem de visu, nempe secundum super secundo articulo, adsunt præterea testes de publica voce & fama, tertius super tertiodecimo, quartus qui bene deponit, quintus super quarto articulo primi examinis: ad quem se refert in secundo examine, sextus super secundo articulo, & super duodecimo, decimoquinto,
1 & decimooctauo. Præterea ✝ ibi testes non simpliciter deponunt de publica voce & fama, sed etiam deponunt de alijs actibus, ex quibus multum adiuuatur ista probatio, veluti de quodam Don Catharino, qui tenuerat ista beneficia in affictu à religione, & maxime cõcludere videtur in hoc casu hæc probatio, cum simus in antiquis, iuxta resolutionem Dominorum in vna Rauennatensi, * coram R. P. D. Grato, in qua * In Rauennaten. Vallis. 3. Nouembris 1562.
2 dictum fuit ✝ tempus sexaginta annorum, in testibus esse tempus antiquum.

Tudertina Bonorum.
Die Lunæ 23. Maij 1569.

SVMMARIVM.

1 *Commissio causæ, interrumpit præscriptionem, & eam præsumptionem, quæ oritur ex antiquitate temporis.*
2 *Quando ambigitur an testes vel instrumenta sint de antiquo, Rota solet detrahere tempus litis.*

DECISIO LXXVI.

Circumscripto, An causa fuerit per collusionem fraudulenter commissa ad impediendas exequutoriales, & circũscripto, An fuerit super eisdem bonis, Domini stant in resolutis * hic intrare doctri- * coram R.P.D. de Rubeis sub diebus 14. Ianuarij 1567. 6. Februarij & 14. Maij 1568.
1 nam Bart. ✝ * Nam quemadmodum commissio causæ interrũpit præscriptionem, ita interrumpit eam præsumptionem, quæ
2 oritur ex antiquitate temporis, & ✝ passim, tam in testibus quam in instrumentis, cum ambigitur an sint de antiquo, Rota solet detrahere tempus litis. * Bart. in §. C. de annal. except.

Vrbeuetana Castrorum.
Die Veneris 27. Maij 1569.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio coloni nomine hæredis in possessionem, facit quod possessio non dicatur vacans.*
2 *Quando hæres est minor infante, possessio residet penes tutorem, quam retinet etiam defuncto infante, cum sua interfsit, vt facilius bona restituere, & rationem administrationis reddere possit, sicut dicitur etiam in colono, vt num. 3.*

DECISIO LXXVII.

Fuit resolutum, possessionem bonorum de quibus agitur, eo tempore quo Ill. D. Lucas prætendit se eorum possessionem cœpisse, non fuisse vacantem: Multi ex Dominis moti fuerunt tam ex capite tutorum, quam ex capite coloni seu conductoris, ple-
1 risque tamen visum fuit ✝ caput coloni facilius, atque omni carere difficultate. Mouebantur *per doctr. Bald. in l. fin. num. 42. vers. 6. C. de edict. diu. Adr.* Et quando pupillus est minor infante, possessio residet

C penes

penes tutores *per doctr. allegat. in l. 1. §. adipiscimur. & ibi Ias. num. 12. de acquiren. possess.* Et hoc ratione custodiæ, quam ipsi habent. *Rip. num. 34. de caus. possess. & propriet. in rubr. Felin. in cap. cum Ioannes.*
2 *num. 31. de fide instrum.* Maxime † quòd defuncto pupillo eorum intersit eam retinere, vt facilius bona restituere, & eorum administrationem reddere possint, & transferre in quos oportet, *iuxta tex. in l. vnic. C. vt causa post pubert. adsit tutor.* Et ideo non potest dici cessare omnino in tutore causam detinendi, cum teneatur reddere
3 administrationem. Veluti † etiam in colono non cessat, cum duret locatio. Doctr. vero Bart. *in l. 1. in princ. num. 21. de acquir. possess.* ex aduerso allegata, est intelligenda iuxta terminos textus *in l. fistulas. §. 1. de contrahen. empt. quem allegat Salicet.* vt procedat in eo, qui est maior infante, & per se possidere potest. Eodem modo respondebatur ad consil. Gozzadin.

Messanen. Baroniarum.
Die Veneris 27. Maij 1569.

SVMMARIVM.

1 *Vnus testis, deponens de tempore determinato, supplet alium.*
2 *Non sufficit quòd stylus probetur in genere, sed oportet quòd probetur in specie.*
3 *Quando testes sunt examinati cum interrogatorys partis aduersæ, & signatura cõmittit eorum fidem arbitrio Rotæ, solent haberi pro bonis; quod tamen non procederet, vt num. 4.*

DECISIO LXXVIII.

FVit resolutum, testes probare absentiam Reuer. Archiepiscopi de mense Martij
1 1565. ab incarnatione, cum † vnus testis deponẽs de tempore determinato suppleat alium, & cum esset in visitatione, non erat verisimile, quòd illa omissa vellet acceptare onus remissoriæ exequendæ. Quan-
2 tum † ad stylum, licèt videatur in genere probari, tamen non probatur in specie in remissorijs; neque testes deponunt de tempore aliquo. Tamen, stante illo Iudicis decreto mandantis testes iuratos examinari, quod præstat adminiculũ; & stante quòd isti testes non fuerunt examinati super negocio principali huius causæ, sed super quodam incidenti; & quòd fuerunt examinati cum interrogatorijs partis aduersæ, ũ da-
3 retur † in actis commissio, vt fides præstaretur arbitrio, Domini haberent illos pro bonis, cum iste stylus non sit contrarius. *vt fuit alias resolutum in vna Portugallensi prædij, coram bon. mem. Fabio. 16. Iunij 1553.* Et hoc nisi in contrarium constaret in actis illud esse verum, quod exaduerso di-
4 citur † Assessorem & notarium fuisse aduocatum & procuratorem partis, redderetur enim suspectum examen, & videretur affectatus iudex, hoc ergo videndum erit, an in facto verificetur.

Rauennaten. Bonorum.
Die Veneris 3. Iunij 1569.

DECISIO LXXIX.

FVit resolutum, quòd ex confessione D. Ioannis Baptistæ, Domini de Taschis & Cusanis habent intentionem fundatam, maxime cum non sit verisimile, quòd fuerit erronea, cum fideiussores essent dandi infra duos menses à die concordiæ, & confessio emanauit post quatuor menses, adeo quòd poterat d. Ioannes Baptista habere scientiã, aut saltem debebat habere, an essent vel non essent præstitæ. Vnde cum in concordia adsint illa verba, ad beneplacitum & electionem creditorum, licèt videantur referenda ad proxime prçcedẽtia; tamen ex his quæ sequuta fuerunt, potest sumi interpretatio, quòd obligatio non fuerit præcisa super datione fideiussorum, sed potuerit etiam alia ratione satisfieri creditoribus volentibus, & non repugnantibus. Non obstat sententia, & protestationes, & calculus; quia hæc aliàs fuerunt reiecta. Neque diligentiæ factæ concludunt, præterquam in illis locis, non autem concludunt quòd creditores nõ acquieuerint, & contentati fuerint de illis, quæ fuerunt præstitę, vt probatur, ex eo quòd Ragazzoli ab illis desisterunt, vt præsupponitur. Quãtum ad ratificationem, non erat necessaria: quia isti fuerunt in pari mora; & habuit effectum concordia sine ratificatione, cum illius vigore fuerit facta exactio, & vtiliter agebatur negocium Francisci, cum debitum componeretur ad rationem 70. pro centenario. Et ex his conclusum fuit pro non sufficienti probatione inobseruantiæ.

Vrbeuetana Castrorum.
Die Veneris 10. Iunij 1569.

SVMMARIVM.

1 *Tutor non sibi sed pupillo possidet, sicut dicitur de procuratore.*

DECISIO LXXX.

FVit refricata in dubium resolutio capta in alia Rota circa caput tutorum, Allegabatur, differentiam, quæ constituitur inter minorem quinquennio, & maiorem, esse circa modum acquirendi tantum, sed circa effectum idem esse, & tutorem non
1 sibi, sed pupillo possidere & detinere. † ac idem esse, ac si quis per procuratorem possideret: nam eodem pacto fit vacua posses-
sio

sio per obitum mandantis, ac si ipsemet pos sedisset. Allegabatur *Alciat. & Aquen. in l. §. adipiscimur*. Sed quia res poterat habere probabilem dubitationem respectu custodiæ, *propter decis. 8. Bisignet. & text. in l. 2. §. 1. pro herede*. quia fortasse custodia non facit, vt possessio non sit vacans ad hûc effectum; ideo fuit ordinatum, vt ad hoc capue restringeretur. Et fuit à Dominis formatum dubium, An &c.

Calaguritana Præminentiarum.
Die Lunæ 13. Iunij 1569.

SVMMARIVM.

1 *Laudum, propter læsionem venit rescindendum.*

2 *Transactio super præminentijs, pro bono pacis fieri potest absque aliqua considerabili læsione.*

DECISIO LXXXI.

1 FVit resolutum, nullam adesse læsionem in capitibus † laudi deductis, per quam veniat rescindendum: Nam quantum ad Cantorem attinet, licèt fuerit in possessione incedendi in capite chori sinistri, & super hac re adsint sententiæ; tamen res visa fuit parum conueniens, quòd relictis suis transiret solus in alienum locum. Quantum ad delationem capparum; per laudum talem delationem non prohiberi sed moderari, ita vt plures de vna Ecclesia quam de alia eas non deferrent; ex qua re potius oriuntur condecentia quædam. Quantum ad vexillum, apparere rem fuisse controuersam, & vsque ad arma deuentum aliquoties

2 fuisse: Vnde † pro bono pacis potuisse hoc pacto transigi, neque vllam adesse considerabilem læsionem; maxime cum non potuerit fieri resolutio, quòd parochiales tenerētur ad collegiatam accedere, & tamen per hoc laudum multę tribu tur præeminētiæ ipsi collegiatæ, ex quibus eius dignitas supra parochiales dignoscitur. Quæ in cōtrarium adducuntur, per decisionem alias factam tolluntur.

Vrbeuetana Castrdrum.
Die Lunæ 20. Iunij 1569.

SVMMARIVM.

1 *Tutor post mortem pupilli habet bonorum custodiam, & interesse ratione administrationis, & tenetur facere inuentariū; nec sufficit, quòd dicat talia bona adesse in hæreditate, sed oportet, vt dicat se inuenisse in hæreditate.*

2 *Tutori habenti custodiam bonorum pupilli, quæ durat etiam post eius mortem, competit restitutio, si spolietur dicta custodia.*

3 *Tutor, seu quilibet alius, habens custodiam rei, non liberatur, nisi rem restituat.*

4 *Tutela non dicitur finita, licet mortuus sit pupillus; nec interesse tutoris cessat, nisi integre facta restitutione bonorum.*

5 *Possessio in tutore dicitur continuare, licèt mortuus sit pupillus, nec vacans seu vacua dici potest, etiam ad effectum l. fin C. de edict. diu. Adr. toll.*

6 *Diuersa est ratio inter custodiam in beneficialibus, & eius quam habet tutor: hæc enim habet coniunctum interesse custodis, non illa.*

7 *Custodia, quæ fit ex primo decreto, iuxta l. 2. ff. pro herede. non interrumpit vsucapionem, cum sit compatibilis cum alterius possessione: sicus est in custodia, quam habet tutor in bonis pupilli.*

DECISIO LXXXII.

1 FVit per Dominos conclusum nemine contradicente, tutorem † post pupilli obitum, habere custodiam, & interesse ratione administrationis. *per cons. Bart. 239. allegat. Bald. in l. omnis. §. item solent. in 1. lectur. num. 5. & in secunda num. 3. ff. de offic. præf. vrb.* & ideo tenetur conficere inuentarium; nec sufficit, quòd in eo dicat, talia bona adesse in hæreditate, sed etiam oportet, vt dicat se inuenisse, *l. si Barsatorem. C. de fideiussor.* De eius interesse apparet, quia finita tutela potest conueniri ad reddendam rationem administrationis. *l. tutor qui repertorium. & ibi Bart. num. 12. ff. de admin. tuto.* & habetur formula in pract. Papien. cum alijs per infor-

2 mantes allegatis: adeo quòd † ratione huiusmodi custodiæ, daretur ei restitutio, si spoliaretur, *vt per Paul. de Castr. in l. sancimus nemini. num. 3. C. de sacrosan. eccl.* Et hæc custodia durat etiam post obitum; quia tenetur reliqua restituere, *vt in l. 1. C. vt caus. post pubert. adf. tut. Socin. cons. 2.*

3 *num. 3. lib. 1.* † Et quilibet habens custodiam non liberatur, nisi restituat. *Paris.*

4 *cons. 74. num. 1. lib. 1.* Nec † dicitur finita tutela & interesse tutoris propter reliquias, *l. si tutor post pubertatem. in princ. ff. de tutel. & ration. distrab. l. tutor post pubertatem. C. arbitr. tut. cum alijs.* Et ex his

5 sequitur † possessionem non posse dici vacuam. *ad tex. in l. 2. §. vacuam. ff. de action. empt. & ibi glos. etiam ad effectum l. fin. de qua agitur, per doctrinam Bald. sæpius allegatam in hac causa in d. l. fin. num. 42.* Nulla enim, quantum ad effectum, differentia dari potest inter curatorem bonorū, inquilinum, & tutorem, dato interesse ipsius tutoris; neque enim curator filij possidet, neque inquilinus, & tamen, secundum Bal. ibi facinur, vt possessio non sit vacans. Neque obstat *decisio Bisigneti 8. de*

restit. spol. quia ibi custodia non erat specialis, sed generica, vt in beneficialibus fieri solet, ne quis se intrudat: & ideo custodis non intererat, quisnam possessionem nancisceretur, modo id fieret ab habente auctoritatem, quod in illa decisione prae-
6 supponitur: Et † diuersa est ratio custodiae in beneficialibus, & huius de qua agitur, cum haec habeat coniunctum interesse custodis. Non obstat text. in l. 2. ff. pro her-
7 red. quia text. ibi loquitur de ea † custodia, quae fit ex primo decreto, cuius effectus non est, vt rei possessio alijs acquiratur, aut tradatur, aut à possessore auocetur: Et ideo mirum non est, si non interrumpit vsucapionem, cum sit cum alterius possessione compatibilis; haec vero custodia, de qua agimus, non est cum alterius possessione compatibilis, cum tutor teneatur restituere, nec excusatur, nisi ratione vis maioris, vt praesupponit Bart. in allegat. cons. 239. Et ex his etiam tollitur decisio Achill. allegata, * & ita fuit firmatum.

* quae est decis. 1. de cons. poss. & prop.

Vrbeuetana Castrorum.
Die Veneris 1. Iulij 1569.

SVMMARIVM.

1 *Fideicommissarius praetendens immissionem in possessionem bonorum ex capite alterius testamenti, eam obtinere non potest, nisi vti fideicommissarius, pro quo nõ sufficit, quòd habeat titulum, sed requiritur etiam possessio sine vitio, secundum communem opin.*

2 *Clausula, in omnibus autem alijs bonis, &c. in institutione, non tollit vniuersalitatem institutionis.*

3 *Fideicommissarius non habet titulum parem cum haerede.*

4 *Docens de dominio incontinenti, impedit immissionem in possessionem vigore l. fin. C. de edict. diu. Adr. toll.*

DECISIO LXXXIII.

Fvit resolutum, quòd aut Illustr. Dominus Lucas vult impedire Illustr. filios Pauli Petri, ne immittantur in possessionem bonorum, de quibus agitur, ex capite te-
1 stamenti, aut ex capite conuentionis: † Ex capite testamenti non potest, quia ex eo venire non potest, nisi vti fideicommissarius, quo casu non sufficit, quòd habeat titulum, sed requiritur etiam possessio sine vitio, vti est communis doctorum sententia in l. fin. C. de edict. diu. Adr. & potius testator praesupponit fideicommissũ, quam disponat, relinquendo istis, quibus de iure debebantur bona praefata, quae verba etiam magis sonant in petitorio, quam in posses-
2 sorio. Nec obstat † clausula, In omnibus autem alijs bonis, &c. quia per hoc non tollitur vniuersalitas institutionis respectu huius relicti, quemadmodum nec respectu legatorum. ad cons. Paris. 54. num. 49. lib. 3. quod Dominis in hac materia placuit. Nec obstat dicere, quòd Dominus Lucas habeat ex hoc capite parem titulum; quia
3 † fideicommissarius non habet titulum parem cum haerede. Non obstat cons. Paris. 53. num. 110. & Gozzadin. 93. num. 1. & 3. quia procedere posset, vbi fideicommissario non posset aliquod vitium imputari, prout ibidem declarat Paris. & Gozzad. sub num. 16. vers. ad secundum. Ex capite quoque conuentionis dictũ fuit per Dominos, duobus tantum contradicentibus, Dominum Lucam non posse impedire immissionem, primo, quia falsum est, quòd iste titulus possit dici par titulus; Nam Bart. & Dec. allegati exemplificant in eo, qui est institutus in alio testamento, quo casu ex vtroque testamento potest peti immissio, ex l. fin. sed ex isto titulo Dominus Lucas non potest petere immissionem vigore dictae l. fin. Et licèt in Rota fuerit pluries obseruatum, quòd
4 † docens incontinenti de dominio impediat immissionem; tamen hoc casu non esse incontinenti doctum, quia neque in conuentione, neque in testamento Dominus Lucas nominatim est vocatus; & dato quòd constaret eum esse ex descendentibus, tamen non est clarum, quòd ex illa conuentione introductum fuerit fideicommissum reciprocum inter transuersales; & eget altiori indagine. Praeterea, etiam vnus ex Dominis dicebat, ex illa conuentione non transferri dominium, sed ius tantum succedendi tribui; & ideo hoc casu non posse applicari, id quod dicitur de dominio incontinenti probando. Vnus tamen ex Dominis dicebat, quòd si de dominio incontinenti constare posset, & bona essent difficilis recuperationis, quòd hoc casu fideicõmissariũ audiret, super quo desiderabat dari in vltima Rota memorialia.

Cameracen. Aestimationis floreni.
Die Lunae 14. Nouembris 1569.

SVMMARIVM.

1 *Pecunia, quae soluitur pro floreno, solui debet secundum aestimationem floreni, qui repetitur tempore solutionis.*

2 *Florenus, licèt non sit in vsu, cum pauci reperiantur, non est tamen pecunia reprobata.*

DECISIO LXXXIV.

1 Fvit conclusum per Dominos, † aestimationem debere fieri secundum valorem floreni, qui reperitur tempore solutionis,
2 † cum adhuc reperiantur floreni, licèt pauci, & non est pecunia reprobata, licèt non sit

sit in vsu. *Boer. decis. 327. num. 12. Socin. in l. eum quid. num. 40. cum seq. ff. si cert. petat.* Et hoc maxime, cum ex ordinatione Principis debeatur ista pecunia, *Geminia. cons. 137. facit clem. 2. de decim.*

Florentina Parochialis.
Die Lunæ 21. Nouembris 1569.

SVMMARIVM.

1 *Exequutor admittere debet exceptiones, quæ deducuntur ante collationem, ad eam impediendam.*

2 *Rota, quando succedit in locum iudicis exequutoris, non dat immissionem in possessionem beneficij, nisi iustificatis prius omnibus iustificandis.*

DECISIO LXXXV.

Fvit resolutum, gratiam non esse verificatam ad effectum de quo agitur, Cum enim narretur beneficiū vacare, ex eo quòd N. Corbinellus litteras infra tempus præfixum non expediuit, & illis non expeditis possessionem cœpit, hæc erant verificanda ad probandam vacationem, Item, etiam valor erat verificandus, nam quantum ad habilitates Domini fuerunt varij. Nec obstat quòd Dominus Fesulanus esset exequutor tantum, quia, cum ante collationem hæc
1 deducantur † ad eam impediendam, ad-
2 mitti debent exceptiones: † Et Rota successit in locum Iudicis exequutoris, quæ nō solet immittere nisi iustificatis omnibus iustificandis, Atqui hic sumus in petitorio, non in possessorio, cum petita fuerit coram Dominis Florentino, & Fesulano collatio, non autem in simplici possessorio, in quo tradita est distinctio *per Abbat. in c. cum olim. num. 15. de caus. poss. & propr.*

Legionen. Canonicatus, seu Confidentiæ.
Die Veneris 2. Decembris 1569.

SVMMARIVM.

1 *Confidentia optime probatur ex confessione resignantis, & facti circumstantijs.*

2 *Confidentia formalis arguitur ex eo, quòd quis faciat, vt vnus resignet in tertium, & postea tertius resignet in nepotē illius, qui instat pro resignatione, præsertim si talis instans, litis expensas sustineat.*

3 *Confessio confidentiæ facta in criminalibus à resignante, præiudicat resignatario, maxime si sit facta ante resignationē num. 4.*

DECISIO LXXXVI.

1 Fvit conclusum per Dominos, † constare sufficienter de confidentia, à iure reprobata, ex Montalui confessione, & facti circumstantijs, Confessio enim visa est clara, tum quòd euacuat simpliciter interrogatorium, tum quòd non potest intelligi de illa confidentia, quæ nullam habet præcedentem pactionem. Neque enim verum esset, quòd ipse respondit, se non habere nisi nomen, esset enim apud illum non solum nomen, sed & plenum Ius beneficij, Hocq.
2 confirmatur ex eo, quòd † Franciscus sustinuit expensas litis, & postmodum fecit, vt Zapata resignaret in Montaluum, qui demū resignauit in nepotem Domini Francisci, quæ omnia arguūt confidentiam formalem, & non eam de qua B. Antoninus in sua sum-
3 ma. Nec obstat quod dicitur, † confessionem illam Montalui factam in criminali, non præiudicare Martino, Quia responsum fuit, regulam esse in contrarium, *vt per Dec. in l. 2. num. 63. C. de edend. Crot. in tract. de testib. part. 7. num. 279.* Neque
4 obstare *decis. 6. Put. de confess.* † quia non loquitur in confessione facta ante resignationem, sed post resignationem, quo casu non obest resignatario.

Cortonen. Dignitatum.
Die Veneris 2. Decembris 1569.

SVMMARIVM.

1 *Canonici non possunt, per viam conuentionis, & transactionis, disponere de rebus Ecclesiæ, & de canonicatibus, vel dignitatibus in præiudicium successorum, absque confirmatione apostolica, licèt per viam statuti possint.*

DECISIO LXXXVII.

1 Domini dixerunt, hanc transactionem non tenere in præiudicium successorum, cum sit contra statuta à Papa confirmata, & ipsa careat confirmatione. *Doctor. in cap. cum omnes. de constitut.* Nec possunt canonici per viam conuentionis disponere de rebus ecclesiæ, licèt per viam statuti possint. Reseruarunt tamen, vt videatur si tales distributiones consequi poterant istæ dignitates vigore bullæ Leonis, tunc enim essent eis iam ex alio titulo debitæ, quod consistit in facto. Reseruatum quoque, an possit sustineri hæc transactio, tanquam tendens in augmentum cultus diuini, ex eo quòd videntur hoc pacto tolli de illa ecclesia istæ duæ dignitates, quòd erit videndum.

Romana Vsurarum.
Die Veneris 16. Decembris 1569.

SVMMARIVM.

1 *Interesse ratione vsurarum in pecunijs pupillaribus, ab Hebræo, ad rationem etiam solum septem cum dimidio, peti non potest,*

*nisi adsit iudicis auctoritas, secus est si in-
teresse huiusmodi petatur ratione lucri ces-
santis, aut damni emergentis, data ta-
men mora, cum sine mora secus sit, vt
num. 2.*

3 *In petendo interesse lucri cessantis, debent
concurrere, & probari prius requisita
per Paul. de Castr. in l. 3. §. de officio. de
eo quod certo loco.*

DECISIO LXXXVIII.

FVit per Dominos resolutum, quòd aut
petuntur ista septem cum dimidio ra-
tione vsurarum, aut ratione lucri cessantis;
1 aut ratione damni emergentis, † si ratione
vsurarum, omnes fuerunt in voto, quòd pe-
ti non possint, neque iuxta præcepta diui-
na, neque secundum auctoritates Rabino-
rum, qui volunt, quòd in pecunijs pupillari-
bus necessaria sit auctoritas iudicis. Si vero
ratione lucri cessantis, aut damni emergen-
tis, maior pars erat, quòd posset peti istud
interesse limitatum per sententiã ad septem
cum dimidio, Quod tamen vnus ex Domi-
2 nis intelligebat, † data mora, nam sine
mora secus, Et ideo videndum esse, an sen-
tentia comprehenderet omne tempus sine
distinctione, aut respectu alicuius moræ,
Mouebantur Domini ex eo; quòd si isti pu-
pilli habuissent istas pecunias, potuissent
ex eis lucrari parem, & etiam maiorem
summam, & licèt contractus principaliter
esset mutui, tamen habebat quandam mix-
tionem cum societate, propter locationem
Banchi, & facultatis fœnerandi, & consta-
bat, horum fuisse factum in genere, cum
Hebræi soleant mutuo dare sub pignore, &
ideo locum habuisse iudicis arbitrium, ma-
xime ita moderatum, & etiam de concor-
dia partium fuerat lata sententia, & de
ea pluries tractatum in Rota, proponente
R. P. D. meo Gropperio, & videbatur ini-
quum nunc ab ea recedere, Duo tamen ex
Dominis contrarium sentiebant, nam aliàs
fuerat coram bon. mem. Fantuccio decisũ,
3 contractum esse illicitum; † Et si pupilli ve
niũt ratione lucri cessantis, nõ esse probata
requisita *per Paul. de Castr. l. 3. §. de offic.
de eo quòd cert. loc. vt in terminis fuit aliàs
decisum in vna Romana vsuraria, coram
R. P. D. meo Caputaquen. 13. Aprilis 1557.
Afflict. decis. 20. Mohedan.* 208. An ve-
ro fideiussor teneatur pro isto interesse, non
fuit per Dominos discussum.

Romana Emphyteusis.
Die Veneris 13. Ianuarij 1570.

SVMMARIVM.

1 *In contractibus inter viuos, stipulatio sem-
per intelligitur facta pro se, & filijs, &
successoribus, ordine successiuo.*

2 *Quod etiam locum habet in filijs naturali-
bus.*

DECISIO LXXXIX.

FVit per Dominos conclusum, quòd ve-
ra & communis conclusio sit pro Do-
1 mina Liuia, quòd † in ista materia con-
tractuum inter viuos, stipulatio intelliga-
tur facta pro se, & filijs, & successoribus,
ordine successiuo, *vt per Doctor. in l. Gal-
lus. §. quidam recte. ff. de lib. & posth. Rub.
Alex. in d. §. num. 157. Cassan cons. 6. Corn.
47. lib. 4. Afflict. decis. 99. & alios allega-*
2 *tos*, Et † hoc etiam esse tenendum in filijs
naturalibus, per ea quæ allegantur, Quo
fundamento stante, quinque ex Dominis in-
terpretabantur contractum iuxta hanc cõ-
clusionem, quòd Domina Eluira esset voca-
ta ordine successiuo, Nec obstare quòd ip-
sa esset directe, & specifice nominata, quia
hoc erat necessarium, tum quia naturalis,
tum quia aliter Gondislaus non poterat ex-
plicare mentem suam, quæ erat, vt prius
præferretur linea Eluiræ, & postmodum,
ea deficiente, venirent alij sui filij natura-
les: Nec obstare, quòd sic possent conside-
rari duæ lineæ, vna ex Gondislao, altera
ex Eluira, quia Gondislaus non habuit ta-
lem intentionem, sed tantum voluit habere
rationẽ primo loco lineæ ex se media Elui-
ra prouenientis, deinde, hac deficiente, alio-
rum liberorum suorum. Nec obstare clau-
sulam illam donationis melioramentorum.
Quia si cantat, Gondislaus donat, res vi-
detur clara, si vero cantat, prout donat,
etiam videntur comprehensi omnes succes-
sores supra nominati, qui tamen per hoc
non vocãtur simul cum Gondislao, & prior
lectio magis videbatur conuenire, propter
absentiam Eluiræ. Vnus tamẽ ex istis quin-
que Dominis reseruabat videre, An Eluira
simul cum Gondislao petierit confirmatio-
nem, per doctrinam allegatam *Specul. tit. de
locat. §. emphyteusis. num.* 175. Sed in hoc
alij non dubitant, cum si à princ. nõn fuit
comprehensa Eluira simul cum Gondislao,
non potest huiusmodi petitio subsequẽs al-
terare formam contractus, Tres vero ex
Dominis reseruarunt videndum, An, ex quo
specialiter, & nominatim Gondislaus sti-
pulatus fuerat pro Eluira, locum haberet
conclusio præfata, accedentibus nonnullis
coniecturis, maxime illa, quòd Gondislaus
stipulatus fuerat ad vitam suam, & Eluiræ
ex quo videbatur stipulatus pro tota vita
Eluiræ, & quod pro ea de rato promisit, &
maxime propter *decis. allegat. Put. 4. de
locat.* Et hæc ita considerata fuerunt, cir-
cumscriptis ijs, quæ dicuntur de obseruan-
tia subsequuta, super quibus Domini arbi-
tri considerabunt quid agendum.

Exi-

Esina Bonorum.
Die Veneris 13. Iannarij 1570.

SVMMARIVM.

1 *Vbi concordatum fuit de aliquo loco pro exequutione litterarum compulsorialium, processus alibi factus non valet.*

2 *Vicarij Episcoporum, de stylo non possunt procedere per viam monitorij, sed est stylus Auditoris contradictarum, secus est contra certas personas detinentes scripturas, quæ debeant compulsari, quo casu permittitur Vicarijs Episcoporum procedere contra tales per viam monitorij.*

3 *Arma non sunt sumenda de domo rei.*

DECISIO XC.

FVit resolutum nemine discrepante, quòd monitorium per Vicarium Maceratensem decretum, erat nullum ex duobus præcipue capitibus, Primum est ex eo, ✝ quòd
1 fuerat concordatum de loco Tollentini pro exequutione litterarum compulsorialium, & ideo processus alibi factus non valuit, *ut per Franc. & Rot. allegatos in informationibus iuris* * *pro parte Reu. Domini Episcopi,*
2 Secundum, quia ✝ non est ex stylo Vicariorum procedere per viam monitorij in his casibus, nisi contra certas personas detinentes scripturas, quæ debeant compulsari, sed est stylus Auditoris contradictarum, à quo impetrantur monitoria huiusmodi, quæ à forma vocantur, Significauit, Fuerunt etiam considerata alia particulariter à nonnullis ex Dominis, veluti, quòd in forma compulsorialium non est facta mentio Episcoporum, qui sunt speciali nota digni,
4 ✝ & quòd non sunt sumenda arma ex domo rei, Super quibus tamen non fuit facta vis, sed tantum super duobus primis fundamentis.

* Franc. in c. statutum. §. 1 nullo. de rescrip. lib. 6. qui dicit tria requiri, & ibid. glos. Dominic. & alij. & Rot. decis. 30. de rescri. in nou. vbi additio. loquitur de compulsorialib. & etiā habetur in decis. 25. de offic. deleg. in nou.

Veglien. Pensionis.
Die Lunæ 16. Ianuarij 1570.

SVMMARIVM.

1 *Per consecrationem ad Episcopatum pensio prius obtenta expirat, non data retentione à Papa.*

DECISIO XCI.

FVit resolutum, stante consecratione Timothei Episcopi Arien. & Calamonen. ante translationem ad episcopatum
1 Chien. quòd ✝ pensio expirauerat, * nisi data fuisset retentio, de qua hactenus non constat, *& ita fuisse resolutum de anno præterito coram Reu. P. D. Robusterio in vna Mediolanensi pensionis, respectu clausula translationis. Item coram R. P. D.* Cotta de eodē anno 1. Iunij [a] in vna Lugdunen. pensionis, Abb. in cap. eum in cunctis §. cum vero. nu. 3. de electiõ. Staphil. de litt. grat. tit. de var. mod. vac. §. secũdus principalis modus. Cassad. decis. 2. de constit. Gig. de pensionib. quæst. 56. num. 4. [b] Allegata in contrarium procedunt in non consecrato, nam illud tempus trium mensium, datum est ad se consecrandum.

* pro vera resolutione huius quæst. vid. decis. factam in hac eadē causa sub die 29 Iun. 1570. vbi bona decisio.

a in informationibus habetur de mense Ianuar. & non Iunij, & sic habetur 1 vna Senen. pēsion 1 23. Ian. 1553. coram Ordino.

b & sequuntur cõmuniter Doctores in d. c. cū in cunctis. Anton. August. decis. 322. lib. 3. & in terminis Guidobo, decis. 105. & Mohedan. decis. 15.

Romana Cambiorum.
Die Veneris 27. Iannarij 1570.

SVMMARIVM.

1 *Ex præsentia, & taciturnitate quando inferatur necessario ad scientiam.*

DECISIO XCII.

DOmini, circumscriptis exceptionibus, fuerunt in voto, quòd probetur scientia, vel saltem supina, & crassa ignorantia Domini Ruberti, ex depositionibus
1 primi, tertij, & quinti testis: ✝ Nec obstare allegata per Dominos hæredes de Vbaldinis, quod ex præsentia, & taciturnitate nõ inferatur necessario ad scientiam, Quia illud procedere posset, vbi nulla alia adesset circumstātia, quæ inferret ad scientiam, sed hic concurrunt plura, nempe publica vox, & fama, quòd Redittus erat Capserius, & negociorum gestor Domini Ruberti, & quod ipse scribebat in libris banchi, & conficiebat listas, & quòd D. Rubertus habuit rata gesta per eum, & quòd ipse habitabat in domo D. Ruberti, & versabatur in bancho. Quæ omnia ex testibus præsuppositis probantur, Quibus omnibus consideratis, dixerunt, doctrinam allegatam Bartoli cum alijs, * non procedere in istis terminis.

* Bart. in l. 1. §. tutor. nu. 1. vers. secus esset. de admini. tut. Idem in tracta. de testib. num. 17. Alex. cons. 29. an. 90. vol. 7. & 180. num. 1. vol. 2. Croc. conf. 36. num. 24. Felin. cap. cum causa. num. 5. vers. ista tamen limitantur. de testib. late congerit Boss. tract. de testib. num. 46. fol. 781.

Camerinen. seu Fabrianen. fideicommissi.
Die Veneris 17. Februarij 1570.

SVMMARIVM.

1 *Neptis, licèt ab auo dotata, potest tamen ex persona patris legitimam detrahere.*

2 *Licèt testamentum per præteritionem filij non rumpatur, nec per querelam impugnari possit, filij tamen possunt legitimam portionem iure naturali debitam, petere.*

3 *Statutum, vel alia dispositio, nunquàm censetur legitimam tollere, nisi de ea specialis fiat mentio.*

4 *Legitima non potest fideicommisso reciproco grauari secundum communem opinionē.*

DECISIO XCIII.

FVit notata causa super capite legitimæ tantum, An Catherina ex persona patris possit eam retinere in bonis aui, Et quoniam fiebant pro parte filiorum multa fundamenta, quæ fuerunt per Dominos reiecta, fuit ad vnicum tantum fundamentum restricta difficultas, quod sumitur ex verbis secundi statuti, de quo in septimo præsupposito, & ordinatum, vt dubitetur, An stãte tali statuto, & verbis testamenti auiti, Catherina, hæres à patre instituta, sit prohibita retinere legitimam in bonis auitis ex persona patris sui. Fundamenta vero, quæ fuerunt reiecta, sunt ista, primo, prætendebatur pro parte filiorum, quòd vigore primi statuti, de quo in septimo præsupposito,
1 † poterat testator prohibere retentionem legitimæ, propter dictionem, liberam, ad *doctrinam Abbat. in c. quia nos. num.* 4. *de testam.* Sed non placuit, ex duobus, Primo, quia Doctores ibi, & signanter *Couar. in fin.*
2 *qui testatur de communi*, dicunt, quòd † licèt tale testamentum non rũpatur per præteritionem, neque impugnari possit per querelam, non tamen per hoc tollitur, quin filij possint petere legitimam portionem iu
3 re naturali debitam, Secundo, quia † statutum neque alia dispositio censetur tollere legitimam, nisi de ea fiat specialis mentio. *Bald. conf.* 391. *vol.* 4. *& conf.* 273. *lib.* 5. *Grammat. decis.* 101. *num.* 49. *per l. si quando. §. & generaliter C. de inoff. test.* Nec obst. decisio Crescentij, quia loquitur in Trebellianica. Secundum fundamentum
4 erat, quòd † auus poterat prohibere detractionem legitimæ, quia potest grauare in fideicommisso reciproco. *si pater puellæ. de inoff. testam.* Sed neque hoc placuit, quia communis est opinio, quòd d. l. si pater. sit correcta per l. quoniam in prioribus. C. eod. tit. & *de communi testatur Dec. conf.* 456. *Suarez. in repet. d. l. quoniam. ampliat.* 6. *num.* 4. Tertium fundamentum, in quo dicebatur, quòd quando filiæ filij sũt dotatæ ab auo, potest tunc eum grauare in legitima, non placuit, quia non applicatur ad factum, cum in hoc casu non reperiatur vllum grauamen in legitima impositum filio, Præterea *Grati conf. refert. Alex. conf.* 154. *vol.* 7. *in antiq. impress. in noua est cõs.* 116. *vol.* 6. qui refert, illam opinionem multos habere contradictores, & procedit cum multis distinctionibus, Et in omnem euentum, hic non adest expressum grauamen impositum super legitima, vt supra dictum fuit ad primum fundamentum, Et ideo fuit dubitatio restricta, vt iam retuli; Super qua particulariter erit informandum.

Elnen. Prioratus.
Die Lunæ 20. Februarij 1570.

SVMMARIVM.

1 *Compulsoriales extra locum expressum in citatione exequuta, male dicuntur exequutæ, nec aliqua suffragatur protestatio, maxime quæ nõ sit admissa per iudicẽ.*

2 *Si dies, qua citatio exequi debet sit feriata, prima die iuridica immediate sequens illius loco succedit.*

DECISIO XCIV.

1 DOmini dixerunt, ex hoc solo capite videri compulsoriales male fuisse exequutas, quia extra locum expressum in citatione, vt decisum fuit coram me, die Veneris præsentis anni in vna Exina Bonorum * Nec potest saluari ex protestatione, quia loca in citatione nominata, non fuerunt in protestatione recusata, Et dato etiam quòd per errorem fuerit recusata Abbatia villæ longæ, quasi esset Abbatia generalis Cistertij, tamen non fuerunt recusata alia loca, in quibus potuisset Abbas commorari, & de illis potuit intelligi protestatio, vt dictę compulsoriales non exequantur, nisi facta intimatione, vt possit mittere suos procuratores, vt inter sint extractioni, Maxime, quòd hæc protestatio non reperitur
2 admissa per iudicem. Quòd † vero dicebatur fuisse male exequutas ratione diei, quia decima dies erat feriata, Domini responderunt, potuisse procedi prima die iuridica, *Bald. in Margarit. in verb. citatio. num.* 28. Item, quòd opponebatur nullitas respectu horæ, fuit facta distinctio, aut ante horam, & procedunt allegata pro Benedicto, aut post horam, & potuit iudex tacite prorogare horam, licèt fortasse diem, nisi expresse, non potuisset, *vt per Abb. in c. consuluit. num.* 4. [illegible] *& Felin. ibid. num.* 4. *de offic. deleg.* [illegible] *Aym. conf.* 122. *num.* 13. *Nicol. lib. concordant.* 2. *concordant.* 81. Ideo dixerunt Domini, vt denuo Illustriss. Dominus Cardinalis compulliet ista iura.

*sub die 13. Ianuar. 1570

Anconitana Coriorum.
Die Veneris 3. Martij 1570.

SVMMARIVM.

1 *Ex contractu per alium facto super re aliena actio non quæritur domino rei, nisi contrahens sit procurator, & nomine ipsius domini contrahat.*

DECISIO XCV.

1 DOmini dixerunt, † regulam esse, quòd non quæratur actio domino ex contractu per alium facto, nisi sit procurator, & cõtrahat nomine ipsius Domini, non autem

tem nomine proprio. Esse igitur videndum, An Rouelascus contraxerit nomine proprio, an vero simpliciter non expresso eius nomine, Nam aliqui ex Dominis videbantur tenere decisionem Tholosan. 152. si Rouelascus nomine proprio vel simpliciter contraxit. Dabantur etiam per informantes aliquæ limitationes, quando sine cessione quæratur ius domino; qualis est illa, quam ponit *Paul. de Castr. in l. quod procurator. num. 2. de procurator.* scilicet quãdo procurator est absens, & etiam illa, quæ deducitur, ex eo quod decoxit, *vt per gloss. in l. Iulianus. §. si procurator. de action. empt.* quas opus esset particulariter videre: Tamen ante omnia videbatur Dominis necessarium videre, quam personam sustineret Rouelascus, an procuratoris vel institoris, vt inde etiam haberi possit, An ipse potuerit cedere, prout cessit.

Romana Viridarij.
Die Veneris 3. Martij 1570.

SVMMARIVM.

1 *Vltimum spolium prius est purgandum.*

DECISIO XCVI.

Fvit resolutum pro iustitia sententiæ, ad effectum de quo agitur: moti fuerunt Domini, ex eo quòd constat de vtroque extremo in fauorem Dominorum de Saluiatis. Neque releuat, quod obijcitur de mandato procuratoris, tum quia exceptis clausura, & alijs subsequutis videtur constare de ratificatione, tum quia non constat de aliqua naturali possessione Capituli; neque eius interest propter locationem in perpetuum factam, non data aliqua deuolutione: Et dato etiam, quòd possessio Dominorum
1 de Saluiatis, esset spoliatiua, † vltimum tamen spolium prius est purgandum.

Eugubina Terrarum.
Die Veneris 7. Aprilis 1570.

SVMMARIVM.

1 *Ius accrescendi inter primos acquirentes locum non habet.*

DECISIO XCVII.

Causa proposita, nihil circa meritum principale causæ fuit resolutum, sed factæ tantum nonnullæ conclusiones: Qua-
1 rum prima fuit, quòd † ius accrescendi, inter primos acquirentes non habet locum: Circa limitationes nihil fuit resolutum, sed animaduersum tantummodo, quòd materia ista iuris accrescendi, non potest habere locum in casu isto, cum fuerit à principio acceptata ista inuestitura ab omnibus istis fœminis, & sic frustra de iure accrescendi institutam fuisse disputationem. Quantum ad solutionem factam per Dominã Camillam, & ad interuallum temporis, quod tamen non videbatur concludenter probari, cum vnicus sit testis: excitabatur contra Illustr. Dominos de Mattelica difficultas, quod non constabat Dominam Camillam habuisse personæ legitimitatem. Neque Abbatis assertioni, lite pendente facte, standum esse, Quare dictum est, vt causa restringeretur ad aliquod caput, & ante omnia videri posse. An concessio ista intelligatur facta omnibus insolidum, An singulis pro parte: & An alijs inuestitis deficientibus, detur successio in persona Camillæ, aut deuolutio ad ecclesiam.

Cortonen. Dignitatum.
Die Lunæ 10. Aprilis 1570.

SVMMARIVM.

1 *De iure communi dignitates nõ sunt de Capitulo, nisi in ipsarum erectione exprimatur concessio stalli in choro, & vocis in Capitulo.*

2 *Quando dignitates sunt de Capitulo, si fructus mensæ capitularis augeantur, debent & ipsæ, tanquam capitulares, de augumento participare, quando diuinis intersunt, & ijs inseruiunt.*

DECISIO XCVIII.

Fvit resolutum contra Capitulum, quòd istæ duæ dignitates possint, attento iure communi, iunctâ bulla Leonis, de fructibus bonorum relictorum mensæ Capitulari
1 participare, † licèt enim de iure communi dignitates non sint de Capitulo; tamen considerata bulla erectionis, cum ipsis detur, vt habeant stallum in choro, & vocem
2 in Capitulo; † non potest negari, quin sint effectæ de Capitulo, adeo quòd cum diuinis intersint, & ijs inseruiant, si fructus mẽsæ capitularis augentur, debent & ipsæ, tanquam capitulares, de huiusmodi augumento participare, ad notat. in c. cum. M. Ferrariensis. de cõstitut. Nec obstat, quòd fuerit facta dotis assignatio istis dignitatibus; quia non per hoc excludi debent à futuris emolumentis; durum enim esset, quòd Papa voluisset eos participare ex nonnullis à Communitate præstitis, & excludere à futuris redditibus; & ideo taxatiua videtur apposita in statuto, ad exclusionem existentium fructuum tunc temporis, non autem futurorum: In quam sententiam vnus ex Dominis veniebat, præsupponẽdo, quòd statutum esset temporale, scilicet quandiu duraret reseruatio,

Imo-

Imolen. Castrorum.
Die Veneris 14. Aprilis 1570.

SVMMARIVM.

1 *Feudum concessum cum clausula, & quibus dederit, si alienetur, nouo Domini consensu non indiget: secus est si dicta clausula habeat adiectum verbum, in feudum, vel titulo feudi.*

DECISIO XCIX.

Domini firmarunt conclusionem, quòd
1 † quando datur feudum cum clausula, & quibus dederis, tunc non requiritur nouus consensus Domini in eius alienatione. Tamen quando præfata clausula habet, in feudum, vel titulo feudi, rem habere maiorem difficultatem, propter ea quæ habentur *in cap. 1. in fin. & ibi Afflict. & scribent. de feud. non haben. propr. nat. feud.* Et ideo hoc esse particulariter videndum, & dubitandum, præsupposito tenore concessionis factæ Comiti Federico, & instrumento venditionis factæ ab Illustr. Com. Annibale Illustriss. Cardinali ab Altaemps, An ex illis verbis, & quibus dederis titulo feudi, in huiusmodi alienatione facta Illustrissimo Cardinali requireretur ad eius validitatem nouus consensus Papæ, An vero talis consensus sit tantum pro quadam recognitione, minime necessaria ad dictę alienationis validitatem.

Romana Bonorum de Pietatis.
Die Lunæ 17. Aprilis 1570.

SVMMARIVM.

1 *Officia, siue eorum pretia, in legitimam imputantur.*

2 *Onus in legitima quando sustineatur.*

DECISIO C.

1 Fvit resolutum per Dominos † huiusmodi officia, siue eorum prætia, imputanda esse in legitima, per ea quæ traduntur *in l. omnimodo. §. imputari. & ibi Paul. & Ias. de inoff. testam. Rip. in l. in quartam. num. 163.* Neque obstare, quòd videatur, in casu de quo agitur, impositum onus legitimæ; primo, quia fuit in commodum
2 filiorũ †; secundo quia fuit onus super tota hæreditate; tertio quia non fuit simpliciter prohibita alienatio, sed tantum sine licentia, & voluntate matris dictorũ filiorũ.

Tudertina Bonorum.
Die Veneris 21. Aprilis 1570.

SVMMARIVM.

1 *Articuli, licèt sint reuocati, multum tamen faciunt ad veritatem eruendam.*

DECISIO CI.

Fvit tentum, quòd ex deductis pro parte Dominorum de Cibocchis, non poterat colligi talis probatio, quòd Vguccionus possideret nomine proprio non autem administratorio, vt ex hoc capite possit recedi à decisione vltimo loco coram me facta 1 * Nam siue consideremus effectum præsentis dubij tendere ad hoc, quòd commissio pro parte Violantæ præsentata, non fuit super bonis, de quibus agitur, siue tendere ad demonstrandum, quòd hæc commissio fuerit dolose, & calumniose impetrata ad impediendam exequutionem, neutrum satis concludēter ostēditur ex deductis: Multa enim, quæ præsupponũtur in facto per informantes, non verificantur, veluti, quòd Vguccionus & fratres prætenderent ius in istis bonis ex alio capite, quam ex capite Dionoræ, & quòd Dionora tempore trãsactionis esset vidua, & quòd transactio habuerit effectum, & quòd Violanta de anno 1508. non esset nata; quod tamen non est necessarium in isto casu: Nam viuente muliere, Vguccionus potuit possidere hæc bona tanquam maritus, & ea mortua tanquã pater Violantis, Nam, quòd commissio fuerit super bonis, de quibus agitur, hoc clare colligitur ex articulis Violantæ, iunctis cõmissionibus hinc inde præsentatis, & ex mandato ad causam, quam habebant eum Vguccione & Violanta de anno 1513. 28.
1 Nouembris, † & ex alijs articulis eiusdem partis, qui, licèt sint reuocati, tamen faciunt multum ad veritatem eruendam, & ex litis sustentatione. Præsumptio vero calumniæ ex eo tollitur, quòd apparet de iure communi Violantis prætet florem colloratam fuisse, neque tolli potest ex transactione, quam nescimus vtrum sortita fuerit effectum, necne; & forte etiã contra eã aliquid opponere poterat, aut volebat. & nõ est inuerisimile, istorum bonorum possessionem cõtinuatam fuisse à Iacobo in filias, deinde ipsis mortuis in matrem ipsarum Dionoram, & ex ea in Violantem. Testiũ vero dicta non prorsus cõcludunt, cum per alios testes, qui magis verisimiliter potuerunt rem melius scire, euetuentur, cum isti pro Dominis de Cibocchis fuerint examinati de anno 1553. alij vero de anno 1522. Et ad concordiam facile reducuntur, ex eo quòd Vguccionus erat maritus Dionoræ, & pater Violantis, & eius fratres cum eo habitabant in communione, Et in commissionibus, & articulis, declarauit Vguccionus quo animo, & cui possideret, adeo quòd, dato etiam spolio, potuit illud committi nomine Dionoræ & Violantis, quas apparet non fuisse sine titulo, licèt cõtrouer-

non præsens deci[sio] habetur [in] impress. diuers. nouis. 329. Parte 1.

* 23. Maij anni præcedentis.

trouerso: Et licèt postea fratres Violantis possederint, & demum bona confiscata fuerint, posse dici, Violantem potius spoliatam fuisse ab ipsis, quam ex hoc inferendum, quòd ipsa nunquam possederit. Et ita conclusum, non esse ex deductis à priori resolutione recedendum, cum nihil clarum, & certum in medium proponatur.

Ispalen. Beneficiorum.
Die Mercurij 10. Maij 1570.

SVMMARIVM.

1 *Ex arrēdamētis nō probatur valor beneficij.*
2 *Testis de auditu non probat, & num. 4.*
3 *Valor debet probari de tēpore impetrationis.*
5 *Testis qui non fuit in loco, vbi situm est beneficium, non probat illius valorem.*
6 *Item non probat valorem si super eo se referat ad scripturas vel protocolla, qua incertum est, an fidem faciant.*

DECISIO CII.

FVit resolutum, non verificari valorem beneficiorum, quę Dominus Alphonsus obtinebat, neque etiam impetratorū, nam quantum ad obtenta, primus testis deponit
1 de arrendamentis, † per quæ non probatur valor, *ad decis. Cassad.* 20. *allegatam.* & quod subdit de publica voce & fama, est respectu
2 arrendamentorum, † Secundus nihil probat; quia est de auditu, Testis vero vltimo examinatus, cuius dictum fuit in Rota lectum,
3 † deponit ipse quoque de arrendamentis respectu parochialis ecclesię de Calheri, & respectu publicę vocis, & famæ non probat, cum non percutiat tēpus impetrationis, sed deponat per verbum, est, & isti testes, respectu beneficij de Buendiæ, nihil deponunt,
4 Tertius vero, & Quintus nihil probāt, † cū sint de auditu ab eadem persona, nempe à Michaele Marini. Quantum ad valorem beneficiorum impetratorum, fuit dictum,
5 non probari † cum testes non fuerint in lo-
6 cis, in quibus sita sunt beneficia, † & sese referūt ad quædam protocolla, quæ in certum est, an fidem faciant, cum de ipsis non constet. Nec releuat quòd Petrus expresserit fructus ad 24. quia gratia ipsius longe pręcedit gratiam Alphonsi.

Romana Domus.
Die Mercurij 10. Maij 1570.

SVMMARIVM.

1 *Exceptio discussionis ante litem contestatam opponi debet.*
2 *Exceptio non releuans non admittitur.*
3 *Decretum iudicis in subhastatione de deliberando plus offerenti, & de consignando pretio, non praeiudicat reo non citato.*

DECISIO CIII.

FVit resolutum, quòd licèt regula sit pro Susanna, tamen contra eam pro Agnete intrāt duæ limitationes: Prima est, quòd
1 † hæc exceptio debet opponi ante litem contestatam, *Negusant. allegat.* 1. *membr.* 8. *part. num.* 34. Secunda est, quòd hæc exceptio non releuat, nam si actum fuisset cōtra fideiussores, ipsi poterant agere, vigore obligationis in forma Camerę, hypothecaria contra bona debitoris sibi pro releua-
2 tione obligati, & † exceptio non releuans non admittitur, *vt per Aret. allegat.* §. *item si quis in fraudem. col.* 4. *n.* 81. *vers. aduertas.*
3 *Insiit. de actionib.* † Nec obstat, quòd iudices mandauerint, domum de qua agitur, deliberari Honofrio plus offerenti, & pretium Antonio consignari, præstita per eum cautione de iuri stando, & indicatum soluendo Nicolao Bonello, quia huiusmodi decretum, non potuit præiudicare Agneti non citatæ.

Romana Vineæ.
Die Mercurij 17. Martij 1570.

SVMMARIVM.

1 *Citatio non requiritur, vbi citatus non potest se opponere actui.*

DECISIO CIV.

FVit resolutum, nullam releuantem nullitatem dari in huiusmodi subhastatione, & deliberatione; Primo, quia vtiliter fuit gestum negocium in gratiā d. Andreæ; Secundo quia sufficit ordinem seruatū fuisse cum Gaspare, qui postea immissus poterat D. Camillum immittere, & ita breui quadam manu, & cum commodo ipsius Andreæ, fuit facta immissio. Nec obstat, quod de citationis nullitate opponitur, tum quia
1 non requirebatur de necessitate: † tū quia citatus sese opponere actui non poterat, Et nō est violenta præsumptio Francisci, Verzelinū fuisse procuratorē d. Andreæ, prout etiam per vnum testem examinatum pro parte d. Andreæ probari videtur.

Burgen. Præeminentiarum.
Die Lunæ 22. Maij 1570.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia matricitatis signa qua sint.*

DECISIO CV.

FVit dictum, plura & potiora signa matricitatis concurrere pro Collegiata Nam administrat sine licentia, parochialis vero non associatur per eam in processioni-

fionibus, benedicit palmas, defert duas cruces, Abbasq. Collegiatæ confert beneficia, In Collegiata prius pulsantur campanæ, & in ea fiunt orationes, & publicatur Cruciata, ab ea defertur sanctissimum Sacramentum associante parochiali. In alijs, in quibus concurrit parochialis cum Collegiata, non fuit facta vis, nec etiam super aliquibus decimis aut primitijs, quia cum ista non concludant de necessitate ad matricitatẽ, non possunt considerari, nisi tanquam signa: Et in concursu, vt dictum fuit, plura sunt signa, & potiora pro Collegiata.

Spoletana Beneficiorum.
Die Veneris 2. Iunij 1570.

SVMMARIVM.

1 *In concursu testium, plus tribuitur testibus vicinis deponentibus, quam alijs.*
2 *Testis nimis audacter de negatiua deponens, non caret suspitione.*
3 *Fides non facit fidem, licèt sit fides Communitatis, maximè si appareat erronea.*

DECISIO CVI.

FVit per Dominos conclusum, ex deductis pro parte D. Cosmi, non esse recedendum à resolutione, aliàs coram me facta, * Primo, quia in eo, quòd testes conantur deponere de negatiua, ipsi nihil concludunt; cum simul stare possit, quòd ipsi nõ viderint, & tamẽ alij viderint, Et licèt dicát esse non posse, quo minus sciuissent, ipsos conuinci, cum beneficium Sancti Leonardi fuerit possessum ab alijs multis, quos ipsi
1 ignorant: † Et in concursu plus esse tribuẽdum testibus Montis Leonis ob viciniam, quam alijs, Immo quod plus est, ipsi testes corroborant potius intentionem D. equitis, cum omnes deponant de possessione dicti Catherini, quem testes D. equitis dicunt possedisse nomine equitum, & religionis, In qua re probant magis concludenter, quam testes D. Cosmi; cum vnus tantũ, nempe sextus dicat, se vidisse quasdam quietantias per Catherinum, & Iannetinum, tanquam rectores, factas, de quibus non
2 constat. † Nec caret suspitione, cum tam
3 audacter de negatiua deponat. † Fides quoque Communitatis non facit; tum quia fides non facit fidem; tum quia apparet esse erroneam. Nec obstat possessio Palmetij, quia anterior, & nihil obstat, quin stare possit cum possessione equitum. Respectu vero armorum, ob varietatem, nihil certi statui posse; propterea reliqui vna cum ceteris petitorium percutientibus, cum illud fuerit suspensum.

* 23. Maij anni præteriti.

Cametinen. seu Fabrianen. Comptomissi.
Die Lunæ 12. Iunij 1570.

SVMMARIVM.

1 *Neptis licèt ab auo dotata, potest ex persona patris, legitimam detrahere, quando nec per testamentum nec per statutum reperitur prohibita.*

DECISIO CVII.

1 FVit resolutum, † Catherinam ex persona patris posse detrahere legitimã, cum ipsi patri neque per testamentum, neque per statutũ huiusmodi portionis detractio fuerit prohibita, Neque obstare, quòd in l. *scimus. C. de inoff. testam.* portio dicatur legitima; quia non simpliciter dicitur portio, sed portio debita: Neque placet quòd dicitur de approbatione testamenti per aditionẽ, nam si Constantio nõ est prohibita detractio, hæc approbatio nihil operatur, dato etiam quòd opinio Cumani esset vera, Reseruarunt tamen Domini illud, de dote, & alias limitationes particulariter videndas; An locum habeant in isto casu; & An dos aut mille floreni sint in legitimam imputandi, quia hoc est extra dubium.

Cortonen. Dignitatum.
Die Veneris 16. Iunij 1570.

SVMMARIVM.

1 *Cessante dispositione statuti, intrat iuris communis dispositio.*
2 *Dignitates erectæ, vt sint de Capitulo, de fructibus, & præbendis mensæ capitulari vnitis participare debent.*

DECISIO CVIII.

NIhil fuit resolutum propter diuersitatem opinionum: Aliquibus enim ex Dominis placebat, quòd statutum esset tẽ
1 porale, & ideo cessante reseruatione, † cessaret quoque eiusdem statuti dispositio, & intraret dispositio iuris cõmunis, quæ sua
2 debat † istas dignitates debere participare de præbendis vnitis mensæ capitulari, cum præfatæ dignitates fuerint ita erectæ, vt sint de Capitulo, prout in alia positione fuit dictum: * Alijs vero videbatur, intentionem Iulij fuisse eo tãtum casu grauare canonicos, si emolumentum ex redditibus Abbatiæ de Farneta ad eos peruenisset; & ideo cum euicta fuerit, cessare dispositionem statuti, ex verisimili mente statuentis, Quæ aliunde etiam colligitur, quòd noluit quẽquam ex canonicis participare, nisi facta præbendarum suarum collatione: Ideo pro resolutione causæ erit præsupponendum, quòd istæ dignitates sint de Capitulo. Præ-

* sub die Lunæ 10. Aprilis proxime præteriti.

suppo-

supponendum quoque erit tempus obitus Iulij, & erectionis Abbatiæ de Farneta, vt sciri possit, an reseruatio cessauerit aliquando, ita vt dispositio Iulij ante erectionem locum habuerit, & his præsuppositis dubitandum, An stantibus statutis, & erectione, istæ dignitates possint de fructibus istarum præbendarum participare.

Imolen. Castrorum.
Die Veneris 16. Iunij 1570.

DECISIO CIX.

Propter difficultatem materiæ nihil fuit resolutum; Ideo dilata causa ad Kal. Ordinatum tamen fuit ponenti, vt tractaret cum partibus super aliquo modo deueniẽdi ad negocium principale, omisso articulo isto inuestituræ, quod fieri posset, si vel Illustr. Domina Hersilia contentaretur, quòd detur inuestitura Illustriss. Cardinali sine præiudicio suorum iurium; vel Illustr. Cardinalis, cum sit in possessione, contentaretur disputare, quænam venditionum sit præferenda.

Veglien. Pensionis.
Die Lunæ 19. Iunij 1570.

SVMMARIVM.

1 *De iure communi ad inducẽdam vacationẽ beneficiorum vel pensionum electi ad episcopatum, duo requiruntur, nempe adeptio possessionis episcopatus, & consecratio electi: In translato vero de vno episcopatu ad alium, cum iam sit consecratus, loco consecrationis lapsus trimestris dati ad consecrandum.*

2 *De stylo curiæ per consecrationem electi, vel translationem ad alium episcopatum, omnia beneficia per eum obtenta vacant, non expectata possessionis episcopatus apprehensione; quod declaratur procedere, quando in promotione, vel translatione, Papa decernit beneficia vacare, & sic quando adest expressum vacationis decretum, aliàs secus.*

DECISIO CX.

In duabus præcedentibus positionibus istius causæ, Domini tenuerant, pensionẽ per translationem ad episcopatũ Chiensem extinctam fuisse, ex eo quòd præsupponebatur, Timotheum consecratum fuisse; & ideo statim non expectata possessionis apprehensione, omnia beneficia per eum obtenta vacasse de stylo curiæ, de quo complures doctor. testantur. *Io. Andr. in clem. 1. & ibi Imol. & Card. in verb. collato, vt lit. penden. Abb. cap. cum in cunctis. §. cum vero. de elect. Staphil. de litt. grat. tit. de var. mod. vac. §. sectidus principalis modus, Gig. de pension. q. 56. n. 4. Rom. cons. 335. Felin. in tracta. quand. litt. apost. col. antepen. Et hoc fuisse tentum dicebatur in vna Mediolanen. Pensionis coram R. P. D. Robusterio, & in vna Lugdunen. Pensionis coram R. P. D. Cotta; ᵃ Allegabatur etiã quadam decisio facta in vna Aretin. ᵃ & Senen. coram Fabio notata per Reuer. D. Caputaquen.* Sed quia vnus ex Dominis, multis rationibus, & auctoritatibus contrarium defendebat, ᵇ nempe quòd de iure communi requireretur, ad inducendam vacationem, vtrunq;, nempe quòd fuisset adepta possessio & facta consecratio, vel lapsum esset tẽpus ad consecrandum datum: Proposui tertio causam, & in hac propositione omnes Domini, vno tantum excepto recesserunt à prioribus decisionibus, ᶜ & in primis dixe-
1 runt, † quòd de iure communi, ad inducẽdam vacationem requirebantur duo, nẽpe adeptio possessionis, & consecratio, seu huius loco lapsus trimestris dati ad consecrãdum, ita *post Innocent. in d. c. cum in cunctis. num. 4. Abb. num. 6. Io. Andr. Bellamer. & alij, qui reprobant opinionem Hostiensis*, volentis vltra consecrationem, & possessionem, quòd etiam laberetur tempus trium mensium; Idem tenet *Ant. de Butr. in glos. 3. vers. noto primo, & ibi Imol. n. 4. Oldr. cons. 14. num. 4. & seq. Achill. decis. 271.*
2 *aliàs 1. de promoto.* † Nõ obstat stylus ex aduerso allegatus, de quo tot Doctor. testantur, quia intellexerunt Domini tunc procedere, quando in promotione, vel translatione, Papa decernit beneficia vacare, & hoc colligi videbatur ex decis. *Cassad. 2. de Constitut.* & ideo, vbi non adest expressum decretum vacationis, standum esse dispositioni iuris. Non obstãt aliæ decisiones allegatæ in Mediolanen. & Lugdunen. quia Domini reuidẽdo illas, nõ inuenerũt, quòd huiusmodi articulus fuerit vnquam discussus, licèt fortasse tacite in illis fuerit præsupposita vacatio per translationem. Non obstat decisio in Aretin. & Senen. quia ego ostendi Dominis decisionem originalẽ Domini Fabij, qui erat iudex illius causæ, quã habueram à Domino Vincentio Baldinatio, in qua non aderat vlla mentio illius additionis per Reuer. Caputaquen. in sua decisione adnotata; In qua dixit, Dominos tenuisse, quòd vt beneficia promoti vacent, sufficeret alterũ, vel quòd consecratus fuisset, vel quòd adeptus fuisset possessionem; & ideo Domini maluerunt stare decisioni Domini Fabij causæ ponentis, maxime, quia in ea dubitatione, non dubitabatur de illo articulo. Et ita per Dominos conclusum fuit vtrumque, nempe consecrationem, & adeptionem possessionis, ad inducendam vacationem de iure requiri.

ᵃ sub die 1. Iunij 1569.
ᵃ sub die 23. Ianuar. 1553.

ᵇ Et id iuxta opin. Innoc. 1 alleg. c. cum in cunctis. §. cum vero, nisi stetur per eũ, sed nihilominus dictũ fuit stare per ipsũ quãdo est trãslatus, nisi ostenderit impedimenta.

ᶜ præsertim die Lunæ 16. Ianuarij proxime præteriti.

Bergomen. Hæreditatis.
Die Lunæ 3. Iulij 1570.

SVMMARIVM.

1 *Quando testis deponens se refert ad instrumentum, nō dicitur depositio simplex, sed relatiua, & statur instrumento.*

2 *Testes non dicuntur contrarij, ex quo vnus deponat de 65. & alius de 60. cum sint contestes saltem in 60.*

DECISIO CXI.

FVit resolutum, contrarietates quæ pro parte hęredum in medium proponebātur, non esse tales, quæ excluderent probationem istorum testium; nam quantum ad primam super dicto Nicolai, qui deponit de eleemosynis de anno 1559. & Guglielmus deponit de anno 1560. concordatur ex eo, quòd Nicolaus se refert ad instrumentū, &.
1 † ideo non est simplex depositio, sed relatiua, & standum instrumento. *Bald. cons. 270.*
2 *ad euidentiam. prope fin. lib. 1.* † Secunda contrarietas de solutione 65. scutorum, cū alius dicat 60. & ita cantet cedula, tollitur ex eo, quòd sunt contestes saltem in 60. *per Decis. Aff. 240.* Tertia obiectio de expensis factis pro fabrica, tollitur distinguendo expensam ab excomputatione, quæ nihil inuicem commune habent.

Romana Diuisionis bonorum de Piatetis.
Die Lunæ 23. Octobris 1570.

SVMMARIVM.

1 *Statutum loquens de fœminis dotatis, non considerat, quòd sint actu dotatæ, sed satis est quod virtualiter, quo tempore nubant, sit statuto satisfactum.*

DECISIO CXII.

DOmini non habuerunt in consideratione id, quod pro parte sororum dicitur, quòd nondum erat constituta dos de tempore, quo ipsis est delata successio; quia
1 † statutum non considerat, quòd fœminæ sint actu dotatæ, cum subdat illa verba, vel frater sit paratus dotare, & satis est quòd virtualiter, quo tempore nubunt, sit statuto satisfactum: Ideo ordinarunt, quòd dubiū restringatur ad doctr. allegatam *Bart. in l. quòd autem. de iure dotium*, præsupponendo tum ætatem, in qua constituti erāt fratres, de quorum successione agitur, tum verba testamenti in illa clausula, quæ loquitur de filiabus volentibus moniales fieri, tum etiā cuius ætatis essent istæ sorores tempore conditi testamenti paterni.

Narnien. Legati.
Die Lunæ 30. Octobris 1570.

SVMMARIVM.

1 *Donatio facta non seruata forma statutorum vrbis, non subsistit.*

2 *Donatio facta tempore magnæ pestis, sustinetur etiam non seruata forma statutorū circa testes adhibendos, quando verisimiliter inueniri non possunt; si vero inueniri possint, requiritur eorum subscriptio, vel per se, vel per alium.*

3 *Statutum de iure præsumitur vsu receptū, maxime si statutorum cōfirmatio habeat decretum irritans.*

4 *Ad hoc vt probetur per instrumentū statutum non esse vsu receptum, duo copulatiue requiruntur, & quòd illa instrumenta habuerint effectum, & quòd talis obseruantia deuenerit ad notitiam maioris partis populi.*

DECISIO CXIII.

1 FVit per Dominos resolutum, † donationem non subsistere, cum non fuerit seruata forma statutorum Vrbis 1. Neque obstare ea, quæ pro parte contraria deducun-
2 tur: Et primo, † quòd fuerit facta tempore pestis *iuxta notata per Doctor. in l. fin. C. de testam. Rip. in suo tracta. loco allegato*, & alios, quia per eosdem Doctor. hoc intelligitur tempore magnæ pestis, quando verisimiliter non possunt inueniri testes, sed secundū Dominos seniores magna pestis pręcesserat de Anno 21. tamen non institerunt multum super hac responsione, sed vlterius procedendo dictum fuit, quòd eadem ratione, qua fuerunt adhibiti in ista donatione quinque testes, poterant etiam iidem subscribere donationem vel per se vel per aliū; cum etiam statutum admittat subscriptionem per alium, & ita etiam euitare contagionem. Secundo non obstare quod adducitur, statutum non fuisse tunc vsu recep-
3 tum; † quia contrarium de iure præsumitur, & adest decretum irritans in cōfirmationibus statutorum, quod est quid separatū ab ipsis statutis: Neq; valet consequētia, quòd fuit diuersimode obseruatū, & plures etiā reperiuntur contractus sine huiusmodi solemnitate, ergo constat de contrario vsu:
4 Nam † ad hoc vt per instrumēta probetur non fuisse vsu receptum, duo requirūtur copulatiue, scilicet, quòd ea habuerint effectū, & quòd talis obseruantia deuenerit ad notitiam maioris partis populi. *Bella. cons. 10. col. 10. in fin. Aym. cons. 134. num. 18 Socin. cons. 61. num. 3. lib. 3.* Præterea, statutum procedit annullando, & quòd nulla competat actio; ideo necessarium esset docere ; ro contrario vsu, quòd fuisset data actio pro ista-

istarum donationum implemento: Et hæc etiam magis procederent sine difficultate, si teneremus hæc statuta esse Papalia, vt videtur innuere prohemium, & ei creditur, *vt per Felin. & alios in cap. pastoralis. num. 5. de off. delegat.*

Ispalen. Pensionis.
Die Lunæ 30. Octobris 1570.

SVMMARIVM.

1 *Clausula, non aliàs nec alio modo, in reseruatione pẽsionis cum regressu facit totam gratiam corruere, si regressus non teneat.*

DECISIO CXIV.

FVit resolutum pro validitate pensionis cum duobus præsuppositis, vnũ est, quòd illa verba, iuxta tenorem facultatum, fuerint addita per signaturã siue Datarium, & quòd consensus per ipsum met Didacum, & nõ per procuratorẽ fuerit præstitus post signatã cõmissionem;
1 †nam licèt clausula, nõ aliàs, nec alio modo, faciat totam gratiam corruere, si regressus non teneat, *vt per decis. Put. 6. de pen. Ant. August. in repertor. de priuat. ob non solut. num. 11. Fab. 10. de renunciat.* Tamen hoc casu non fuit simpliciter reseruatus accessus ob non solutionem, sed limitate, & relatiue ad priuilegia, & cum hæc fuerit voluntas Papæ per Didacum acceptata, non potest dari de errore; cum ipse potuerit videndo additionem signaturæ in supplicatione de hac re deliberare, antequam consensum præstaret, & ideo potius dicendum, eum voluisse acceptare sub illa conditione, quatenus esset in facultatibus militum piorum, quam quòd errore ductus consenserit.

Salamantina de Arapiles.
Die Mercurij 8. Nouembris 1570.

SVMMARIVM.

1 *Vbi consensus est de forma, debet esse expressus, & non tacitus ex actibus resultans. Idem est in beneficialibus propter eorum particularem naturam & stylum curiæ.*

DECISIO CXV.

FVit resolutum fuisse locum pœnitentiæ non obstante prætensa obseruantia per
1 decis. allegatas,* & ex eo † quòd cõsensus, qui requiritur, est pro forma; Ideo debet esse expressus, & non tacitus ex actibus resultans. Allegata in contrarium procedunt, vbi consensus non requiritur pro forma; & in materiis profanis; hic vero sumus in materia beneficiali, quæ habet suam particularem naturam, & stylum in curia inueteratum, ad quod bene facit *Put. 2. de transact.*

* Paleot. decis. 105. Cõpostellana, Cassad. 1. de renũciat. Fab. Acerambon. 9. in fi. cu infinitis alijs, quę allegari possent, et in spe cie bis fuit resolutũ in hac causa coram R. P. D. Grop perio de anno 1566. et 1568.

Romana Pischeriæ.
Die Veneris 10. Nouembris 1570.

DECISIO CXVI.

NIhil fuit resolutum, ideo placeret Dominis pro faciliori causę disensione scire in facto, an sit vna vel plures pischerię separatæ, & quis status esset respectu possessionis istarum pischeriarum de tempore, quo confectum fuit instrumẽtum inter Dominos de Celsis & Moniales, posset etiam fortasse tolli difficultas ex testibus examinatis vigore gratię, si in euidentẽ, nam si deponunt de tota pischeria, siue de vtraque; videretur tota, siue vtraque concessa, faciet quoque ad rem videre: An Nardolinus recognoscat Moniales, & à quanto tempore citra. His firmatis proponetur causa denuo super eisdem.

Bononien. Molendinorum.
Die Veneris 17. Nouembris 1570.

SVMMARIVM.

1 *Ex denegatione restitutionis possessionis iuxta terminos l. si quis conductionis. C. de locat. resultat spolium.*

DECISIO CXVII.

DOmini resoluerunt ex pluribus simul concurrentibus, sed potissimum ex quo sumus in iudicio spolij, & suspensum est petitorium, non esse dandam remissoriam; cum in hoc iudicio non sit releuans probatio articulorum, & vltimus status est pro DD. Capitibus fundatus in instrumentis, ex quibus resultat tacita confessio pos-
1 sessionis ipsorũ, †ex qua resultat spolium ex denegatione restitutionis possessionis *iuxta terminos l. si quis conductionis. C. de locat.* hoc tamen erit videndum particulariter, an constet plene de spolio.

Tullen. Abbatiæ.
Die Lunæ 20. Nouembris 1570.

SVMMARIVM.

1 *Qualitas parochialitatis est qualitas iuris, & per testes non probatur.*

DECISIO CXVIII.

1 FVit per Dominos conclusum, † per testes de quibus in puncto, non probari qualitatem parochialitatis, cum hæc sit qualitas iuris: Nec obstare, quod testes sint inducti pro parte R. Domini Desiderij, quia eatenus contra ipsum probarent, quatenus eorum dicta concluderent, quæ in casu de quo agitur, nõ concludunt. Quantum ad derogationem; An esset necessaria, res

Tirasonen. Pensionis.
Die Lunæ 11. Decembris 1570.

SVMMARIVM.

1 *Per ingressum in religionem militarem, non extinguitur pensio prius obtenta, licèt nõ sit seruata forma tradita à Concilio Trident. in c. 15. sess. 25. de regular.*

2 *Ingrediens religionem militarem non tenetur post susceptum habitum stare in probatione per annum, ad professionem emittendam, iuxta decret. d. c. 15. sess. 25. cum non conueniat istis militijs.*

3 *Professus proprie non dicitur, qui proprijs non caret, & in domo cum vxore viuit.*

4 *Hierosolymitani licèt non possint contrahere matrimonium, & promittant obedientiam, largo tamen modo dicũtur religiosi.*

5 *Rectores hospitalium etiam deferentes certũ habitum, qui possunt vti matrimonio, non dicuntur religiosi, nec largo nec stricto modo.*

6 *Viuentes sub aliqua regula, veluti tertij ordinis Sancti Francisci non dicuntur proprie religiosi, & qui vtuntur matrimonio non sunt religiosi, nec largo nec stricto modo.*

7 *Ad religionis perfectionẽ secũdũ Diuũ Thomã, requiritur votũ perpetuæ continẽtiæ.*

8 *Verbum, professio, intelligitur de tribus votis, quæ à religiosis emittuntur.*

9 *Militia Sancti Stephani non comprehenditur in decreto sacr. Concilij Tridentini d. cap. 15. sess. 25. de regularib.*

10 *Quando vnum præsupponitur, & super eo disponitur, dispositio locum non habet, nisi adsit præsuppositum.*

11 *Verba secundum subiectam materiam, & rationem finalem restringi debent.*

DECISIO CXXI.

præsens decisio habetur 1 impress. diuers. nouiss. 591. part. 1.

DOminus Ioannes de Luna obtinens decanatum ecclesiæ Collegiatæ oppidi de Tudella, resignauit eũ in manibus Papę in fauorem Domini Petri Ximenes, reseruata sibi pẽsione mille ducatorum auri largorum, cum decreto quòd si prædicto Domino Ioanni contingeret ingredi aliquam religionem militarem, ac iuxta ipsius religionis priuilegia vxorem ducere, pensionẽ nihilominus ipsam exigere, & percipere posset, & valeret, vt in supplicatione iuxta cuius formam sese obligauerũt in forma Cameræ dictus Dominus Petrus, & R.P.D. Ludouicus Torres, Interim publicatum fuit sacrum Concilium Trident. post cuius publicationem d. Dominus Ioannes de Luna habitum militiæ Sancti Stephani suscepit, & incontinenti professionem emisit, & demum vxorem duxit. Hinc orta fuit cõtrouersia inter præfatas partes super præ-
1 dicta pensione, † prætendente Domino Petro pensionem extinctam esse, ex eo quòd in emittenda professione non fuisset à Domino Ioanne seruata forma tradita in decreto Concilij Tridentini de regular. sess. 25. cap. 15. In quo cauetur, ne quis in quacunque religione, tam virorum, quam mulierum, qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit ad professionem admittatur; & ideo dubitatum fuit die lunæ 11. Decembris 1570. An dictus Ioannes de Luna miles Sãcti Stephani, quo ad annuam probationem sub huiusmodi decreto comprehenderetur,
2 & ex multis † fuit resolutũ non cõprehẽdi. Primo quia intentio finalis huius decreti fuit occurrere apostasiæ, in quam facile dilabũtur ij qui minus consulto, ac de se nullo facto experimento religionem profitentur, *c. ad apostolicam. de regular. e. non solum. eod. tit. in 6.* quod quidem non potest conuenire istis militijs, in quibus institutum non est admodum durum, & multis abundant priuilegijs à sancta Sede Apostolica concessis. Secundo quia Concilium videtur de ijs religiosis loqui, qui pro basi, ac fundamento, & perfectione suæ religionis, tria vota profitentur, Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, vt videntur innuere ea quæ in cap. 1. huius decreti cõtinẽtur; quæ quidem non emittuntur à militibus Sancti Stephani. Nec obst. quòd postea subdat, & si quæ alia sunt alicuius regulæ, & ordinis peculiaria vota, & præcepta; quia procedit augumentatiue, vltra alia tria vota præstari solita à regularibus; nam etiam in istis votis datur excessus, veluti paupertatis, *vt per Diuum Thomam 2. secunda q. 188. artic. 7.* Tertio ad hoc facere visum est quod tradit *Specul. tit. de stat. monach. q.*
3 *36.* vbi inquit † eos, qui proprijs non carẽt, & in domibus cum vxoribus proprijs viuũt, non esse proprie professos; & ait ita per Clementem iudicatum fuisse, quod etiam tradit *Abb. in rubr. de regular. num. 4.* vbi
4 vult, † quòd Hierosolymitani largo modo sint religiosi, cum non possint contrahere matrimonium, & promittant obedientiam.
5 † Rectores vero Hospitalium, qui vtuntur matrimonio, deferentes certum habitum non esse religiosos, nec largo modo, nec stricto, allegat *Ioan. de Lignano, & Laurent.*
6 *in clement. 2. de præbend.* vbi ait, quòd † tales viuentes sub aliqua regula, veluti tertij ordinis Beati Francisci non esse proprie religiosos: Illos autem, qui vtuntur matrimonio, nec stricto nec largo modo esse religiosos. His addi potest *auctoritas Diui Thomæ 2. 2. quæst. 86. artic. 4. in fi. dicentis,* quòd illi modi viuendi, secundum quos homines matrimonio vtuntur, non sunt simpliciter, & absolute loquendo, religiones, sed secũdum quid, in quantum scilicet, quòd in ali-

quo participant de his, quæ ad statum re-
7 ligionis pertinent, & ideo concludit ✝ vo-
tum perpetuæ continentiæ requiri ad reli-
gionis perfectionem. Accedat etiam, quòd
8 ✝iste terminus professio intelligitur de tri-
bus votis, *c. cum ad monasterium. vbi Butr.
num. 9. de stat. monach. Videatur Abb. in
rubr. de regular. & in c. quamuis. num. 3.
de decim. & in c. 2. num. 11. de for. compe-
ten.* Quarto fuit consideratum, quòd Con-
cilium, vbi voluit comprehendere milites,
eos nominauit, *vt eadem sess. 25. cap. 22. &
sess. 23. cap.* 18. Quinto fuit consideratum
9 ✝in hoc decreto de regular. multa præcipi,
quæ non possunt applicari huic militiæ Sã-
cti Stephani; & ideo nõ vidẽtur comprehen-
sa, quale id quod habetur *c. 2.* vt nihil pro-
prium possideant, *& c. 4.* ne liceat conuẽ-
tibus sine licentia recedere, & ad vniuersi-
tatem missi in suis conuentibus habitent,
nec cap. 6. de electionibus loquens potest istis
applicari, *nec cap. vlt.* vbi sancta Synodus
hortatur reges, & principes, vt velint præ-
fatis Episcopis, Abbatibus & Generali-
bus, ac cæteris præfectis in exequutionem
eorum, quæ in dicta reformatione conti-
nentur auxilium suum, & auctoritatem in-
terponere, quoties fuerint requisiti, si enim
sancta Synodus intellexisset de militijs hor-
tandi erant ipsimet reges, & principes, qui
sunt magni magistri ordinum ad contenta
in reformatione obseruanda, nec expectan-
dum, quòd ab aliquo essent requisiti. Sex-
to fuit consideratum, quòd in militia San-
cti Stephani, vno & eodem tempore datur
habitus, & emittitur professio, vt in statu-
to dictæ militiæ *tit. 2. cap. 1.* quod etiam
vsu obseruari compertum est. Septimo fuit
habitum pro solido argumento, quòd in
cap. vlt. præsentis decreti cauetur, vt om-
nia obseruentur in omnibus cœnobijs, mo-
nasterijs, collegijs, & domibus quorum-
cunque monachorum, & regularium, nec-
non quarumcũque sanctimonialium, etiam
si illæ sub gubernio militiarũ, &c. nam si ip-
sæ militiæ continerentur sub illis decretis,
frustra fuisset facta extensio ad domos mu-
lierum, quæ sub militijs viuunt, expressio
igitur istarum arguit ipsas militias de mẽ-
te sanctæ Synodis non fuisse comprehen-
sas in decreto, & ex dictione, etiam, argui-
tur Synodum in pertinentibus ad militias
10 plus dubitasse. Octauo ✝quando vnum
præsupponitur, & super eo disponitur, di-
spositio locum non habet, nisi adsit præsup-
positum. *l. mancipia. C. de seru. fugit. &
ibi glos. & Doctor. in verb. auocandum.
tex. in l. Lucius Titius. de fidei. libert,* & in
hoc capite, de quo nunc particulariter a-
gitur, præsupponitur annus probationis;
ergo vbi non adest iste annus, veluti in ca-
su de quo agitur, non habebit locum dispo-
sitio de professione post annum probationis
11 emittenda. Non obstat ✝qualitas verbo-
rum, quia secundum subiectam materiam, &
rationem finalem restringi debet, *glos. in
l. omnes. C. de muner. & honor. l. cum pater.
§. dulcissimis. de legat. 2.* Nec obst. quòd
materia videatur fauorabilis, & ideo ex-
tendenda ad eos, qui largo modo sunt reli-
giosi, quia cum cesset ratio finalis, nullus
ex hoc decreto fauor elici potest, immo po-
tius esset onus inutile, & odiosum illis, qui
statim his militijs adscribi vellent ad par-
ticipandum, & gaudendum priuilegijs eis
concessis. Alia, quæ in contrarium facere
videntur, ex deductis facile tolli possunt.

Imolen. Castrorum.
Die Veneris 15. Decembris 1570.

DECISIO CXXII.

Domini distinxerunt materiam in tres difficultates: prima est, quoniam potissimum fundamentum Illustr. Dominæ Hersiliæ fit super sua inuestitura, videre, an ipsa fuerit inuestita: secunda est an Illustriss. & Reuerẽdiss. Cardinalis ab Altaemps possit dici inuestitus ab eisdem litteris Pij IIII. itaut nunc non agatur de eo inuestiẽdo, sed tantum de inuestituræ confirmatione: tertio erit videndum: An stante, quòd idem Illustriss. D. Cardinalis petit inuestituram cum clausula, sine præiudicio, adeo vt per eã præseruetur omne ius Illustrissimæ Dominæ Hersiliæ, tam in possessorio, quã in petitorio, & ipsa sit legitima cõtradictrix, quia multum contra eam videtur vrgere, ea quæ deducuntur *per Natt. cons. 509. allegato.*

Eugubina Terrarum,
Die Lunæ 18. Decembris 1570.

SVMMARIVM.

1 *Bona illa dicuntur comprehensa in venditione, quæ comprehensa reperiuntur intra confinia in venditione descripta.*
2 *In venditione bonorum interpretatio debet in dubio fieri contra venditorem, maxime si concurrat proprietas verborum, nisi pactum sit ab emptore appositum.*
3 *In legatis, & alienationibus, quæ fiunt titulo lucratiuo, quis censetur concedere ius, quod habet in re. secus in ys, quæ trãsferuntur ex causa onerosa.*
4 *Aliud est vendere rem, aliud ius, quod quis habet in re.*
5 *Verba, spectans, & pertinens, in venditione posita stant potius demonstratiue, & assertiue, quàm restrictiue.*

DECISIO CXXIII.

Domini circumscripto effectu, & scientia D. Vincentij, de qua ex deductis

non

1 non constat, dixerunt † totum Montem Castri veteris, quod possidebatur in communi ab Illustr. Dominis venditoribus, & Brancaleone de Gabrielibus cõprehendi in venditione, cum illud tenimentum sit confinatum inter bona Castri sigilli, & bona Brancaleonis, *l. sed si fines. C. de euiction. cum alijs* * nec illud confine esse intelligendum de bonis communibus, cum sit terminus includens sed non inclusus, *Alciat. in l. pupillus. §. fin. de verb. sign. Roman. cons. 5. ante fin. Dec. cons.* 146. *n.* 14. & hoc casu vltra quod concurrit proprietas verborũ, *vt in d.*

* & l. forma. ff. de censib. Dec. cõs. 146. n. 14. & Roman. cons. 5.

2 *l. pupillus §. fin.* † interpretatio debet fieri contra venditorem *per tex. in l. cum in lege. ff. de contrah. empt. & l. Labeo scribit. & l. ea quæ. §. fin. eod. tit. & Roman. d. cons. 5. & l. veteribus de pact. vbi glos.* vult quod in dubio fiat interpretatio contra venditorem, nisi esset pactum appositum ab emptore; & in fortioribus terminis *est tex. mirabilis in l. quæro. de act. emp. & ibi Paul. de Castr.* Nec

3 obstat, quòd † in legatis, & alienationibus, quæ fiunt titulo lucratiuo, quis censeatur concedere ius, quod habet in re, *l. si domus. §. fin. de legat. 1. cum alijs allegat.* [a] quia hoc procedit in ijs, quæ titulo lucratiuo transferuntur, secus in ijs, quæ transferuntur ex causa onerosa, *Bald. in l. 1. C. qui testam. fac. poss. Ang. Paul. de Castr. & Ias. ibidem*, nisi probaretur scientia emptoris rem esse

[a] & ibi Alex. n. 4. Cyn. in l. fin. in 3. q. & ibi Salicet. n. 8. C. de iur. emphyt.

4 communem ; † & aliud est vendere rem, aliud ius, quod quis habet in re; *Natt. cons.*

5 38. *num.* 1. Non obstant † illa verba spectans, & pertinens, quia stant demonstratiue & assertiue, non autem restrictiue. His accedit, quòd exequutio partium demonstrat eorum intentionem, cum fuerit Domino Vincentio assignatus huiusmodi Mõs Castri veteris, & nunc illum in communi possideat cum Brancaleone. Quantum ad effectum Domini volunt, vt particulariter videatur.

Bononien. de Bologninis.
Die Veneris 12. Ianuarij 1571.

SVMMARIVM.

1 *Bona emphyteutica non hæreditaria non comprehenduntur sub generali dispositione bonorum.*

2 *Clerici possũt de fructibus beneficiorum disponere, & veniũt in generali dispositione.*

DECISIO CXXIV.

1 DOmini cum præsupposito, † quòd hęc emphyteusis non sit hæreditaria tenuerunt, quòd in dispositione generali bonorum facta per Leonardum, non comprehendantur bona emphyteutica, de quibus agitur *per doctr. Bart. in l. vt iusiurandũ. §. si liberi num. 6. de oper. libert.* cuius dictum licèt à nõnullis reprobatum videatur, tamen eius ratio communiter est recepta, *& fuit allegata decisio quædam aliàs facta coram Domino Guidobono in vna Pampilonen. fructuum, in qua præsupponebatur quædam consuetudo diœcesis Pampilonen.* quòd

præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 154. part. 1.

2 † Clerici possunt de fructibus beneficiorum disponere, & fuit resolutum, quòd veniebant in generali testamentaria dispositione, per ea quæ tradit *Ias. cons. 75. in fin. lib. 3. Aym. cons.* 144. *num. 6. & 7.* Præterea cum nõ simpliciter fuerit concessa facultas alienandi, sed cum pacto, vt fieret denunciatio intra mẽsem, succedunt ea, quæ tradit *Dec. cons.* 171. *num. 3. vers. 4. & vlt.* Et ita etiam hæres scriptus interpretatus est intentionem testatoris, vt in informatione facti pro Domino Alexandro deducitur.

Romana turris buballariæ.
Die Lunæ 15. Ianuarij 1571.

SVMMARIVM.

1 *Pactum legis commissoriæ, quando contractum resoluere dicatur.*

2 *Indiuiduum quatuor modis dici potest.*

3 *Contractus census, & contractus venditionis nihil commune inter se habent, sed differunt.*

DECISIO CXXV.

DOmini habuerunt hãc materiam pro difficili, quia continet plures conclusiones, quæ indigẽt particulari discussione, & in primis distinguẽdo materiam placuit,

præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 143. part. 1.

1 vt præsupposito, quòd † simus in pacto legis commissoriæ, quod erit particulariter vidẽdum, si pars dominorum de Vellis hoc neget, statuatur in facto: An pro iusto pretio Casale huiusmodi fuerit venditum, itaut hoc casu locum habeat limitatio Doctorum, quam refert *Tiraquel. de retract. conuent. ad fin. tituli. num.* 118. *&* 136. Quòd si ex iustitia pretij tollatur hoc motiuum; tunc erit videndum, an simus in materia

2 diuidua, vel indiuidua: † Indiuiduum enim dicitur quatuor modis, *vt per Bart. in l. grege. §. illud commune. num. 4. de fideiussor.* & dubium facit, quia ratione voluntatis, & ratione dependentiæ videntur isti contractus inseparabiles, & indiuidui, & vt loquuntur decisiones nostræ correspectiui. In contrarium, quòd simus in materia diuidua, facit dubitationem, quia isti contractus habent formam omnino diuersam, &

3 † nihil commune habet contractus census, cũ contractu vẽditionis, ideo videntur ęque principales; quo casu succedunt ea, quæ habetur *in l. sicut. §. interdum, & quod notat ibi Paul. de Castr. locat. cum multis alijs pro hac parte, super quibus distinctè erit procedendũ.*

Romana dotis, & bonorum de Zambeccarijs.
Die Veneris 19. Ianuarij 1571.

SVMMARIVM.

1 *Dos non dicitur soluta, quando pro dote non fuerunt data pecuniæ, sed pignora.*
2 *Solutũ pro Acconcio non venit restituẽdũ.*

DECISIO CXXVI.

1 DOmini resoluerunt ✝ non constare de solutione dotis, ad effectũ de quo agitur, cum testes deponentes de fama côincantur, ex eo quòd ex instrumentis constat non fuisse datas pecunias pro dote, sed pignora, nempe Castrum Caramuelli, & duodecim rubra terræ, & non apparet alibi, quòd illa Illustr. Domina Agnesina soluerit, & si volumus intelligere, quòd 300. fuerũt soluta pro hac causa, iam dos erit ex alia parte diminuta, sed summa non conuenit, nec hoc cãtat cedula, & verisimile est priorem summam 450. fuisse pro Acconcio pro-
2 misso, ✝ quod non venit restituendum, sed multum vrgere videtur, contra Dominos de Zambeccarijs, quòd fuerit postea dotata in secundis nuptijs eadem Domina Alphõsina ab Illustr. Domina Agnesina in eadem summa super alijs bonis, & ideo non possunt duas dotes prætendere, & in omnẽ euentum id totum, quod possunt prætendere, ascendit ad summam tantum 275. ducatorum de carlenis; & ita nemine discrepante firmatum fuit.

Imolen. Castrorum.
Die Mercurij 24. Ianuarij 1571.

SVMMARIVM.

1 *Consensus Papæ super vno capite Motusproprij non extenditur ad alia capita, quando Motusproprius ad vnam tantũ causam est limitatus, prout est ad tollendum vitium litigiosi.*

DECISIO CXXVII.

FVit resolutum per Dominos, Illust. Dominam Hersiliam fuisse inuestitam inuestitura verbali, *per Afflict. in c.* 1. *quid sit inuestit.* Circumscripserunt tamen tria.
1 Primum est ✝ au Motus proprius fel. recor. Iulij III. sit limitatus ad vnam causam tãtum, nempe ad tollendum vitium litigiosi; tunc enim consensus Papæ super vno capite non extenderetur ad alia. Secundo fuit dubitatum, an dictus Motusproprius posset suffragari dictæ Illust. Dominæ, itaut dicatur inuestita, cum in eo non sit specialiter, & nominatim descripta, quod erit videndum. Tertio loco reseruarunt Domini, vt videatur de effectu huius verbalis inuestituræ ratione præsentis controuersiæ, an scilicet sufficiat, ad hoc vt præfata Illustr. Domina possit dici legitima contradictrix.

Camerinen. seu Fabrianen. fideicommissi.
Die Mercurij 7. Februarij 1571.

SVMMARIVM.

1 *Neptis ex persona patris non potest aliquã legitimam seu Trebellianicam petere in bonis aui, quando constat de enixa mente testatoris, ex geminatione verborum, tantum, & residuum, cum quibus concurrant etiam coniectura.*

DECISIO CXXVIII.

1 DOmini dixerũt ✝ Catherinã nihil posse petere vltra mille florenos, cum constet de enixa mente ipsius testatoris ex geminatione verborum, tantum, & residuũ, cum quibus concurrunt coniecturæ, de quibus per informantes. Reseruarunt tamen videndum; An mater ipsius Catherinæ cohæres à Constantio relicta possit ipsa petere hanc quartam Trebellianicam, noluerũt enim Domini in præsenti dubio definire: An per verba de quibus in testamento, censeretur prohibita detractio Trebellianicæ Constantio, quamuis aliqui ex dominis tenerent indistincte prohibitam censeri.

Palentina decimarum de Vsillos.
Die Lunæ 12. Februarij 1571.

SVMMARIVM.

1 *Reseruatio fructuum beneficij cõcernit collationem, non autem illorum perceptionẽ; nam facta prouisione cessat reseruatio.*
2 *Consuetudo percipiendi fructus beneficij nõ afficit perpetuo fructus illius beneficij, sed ad tempus donec facta sit prouisio.*
3 *Principales dignitates in Collegiata sunt Papæ reseruatæ.*

DECISIO CXXIX.

FVit resolutum Abbatem modernum teneri ad obediendũ mandato de manutenendo, cum in genere, & in specie cõstet de cõsuetudine percipiẽdi istos fructus. Nec obstat, quòd simus in casu reseruatio-
1 nis, cum ✝ reseruatio concernat collationem non autem perceptionem fructuum, & reseruatio facta prouisione cessat: nec huiusmodi cõsuetudo afficit perpetuo fructus beneficiorum, sed ad tempus; bene faciunt deducta *per Calder. cons.* 2. *de consuetud.*
2 ✝ præterea fuit probata in specie cõsuetudo
3 in ista Abbatia, ✝ quæ tamen ex alio est reseruata, cum sit principalis dignitas in Collegiata, *& faciunt deducta in Burgen. fructuum, die Lunæ 19. Iunij 1570. coram R.P. D. Binarino ...*

Caua-

Caualicen. bonorum.
Die Veneris 9. Martij 1571.

SVMMARIVM.

1 *Bona in communi possideri possunt, & iure familiaritatis.*

2 *Bona non præsumuntur possessa iure familiaritatis, quando adest titulus, sed iure proprio.*

3 *Quis potius præsumitur possidere iure proprio ex titulo etiam inualido, & putatiuo, quam iure familiaritatis.*

4 *In bonis acquisitis per vnum ex fratribus, non præsumitur cũ alijs fratribus contracta societas, nisi de ea doceatur.*

DECISIO CXXX.

Domini distinxerunt bona, de quibus agitur in tria genera, nempe in bona propria Melchioris, bona donata primoge-
1 nito, & bona acquisita per Iersanũ.† Quãtum ad bona propria Melchioris, dixerunt posse intrare allegata pro parte Ludouici, nempe quòd fuerint possessa in communi,&
2 respectiue iure familiaritatis.† Quantum ad bona donata, cum præcedat titulus, non videri possessa iure familiaritatis sed iure
3 proprio, cum † etiam ex titulo inualido,& putatiuo, quis potius præsumatur possidere quam iure familiaritatis, iuxta allegata, * maxime stante partis confessione super
4 illis ad articulum 12.† Quantum ad bona acquisita, Domini nullam habuerũt difficultatem, ea pertinuisse ad solum Iersanum, nec vllam præsumi contractam societatem, nisi ex aduerso hoc aliunde doceretur. Quãtũ ad id, quod pro parte Ludouici deducebatur donationem nõ esse in forma probanti, non fuit facta vis, quia extra dubium, & quia etiam ea enunciatur in instrumento transactionis. Quantum vero ad scientiam donationis fuit circumscripta, & dictum, vt videretur in facto de veritate, licèt fuerit etiam animaduersum, quòd super donatione lis pendebat, & ad instantiam hæredum Melchioris, nempe Iersani, & Ludouici fuerat petitum,& extractum instrumẽtum, in quo dicta donatio cõtinetur de anno 1545. Iersanus vero obijt de anno 1555.

* Iuxta notat. per Castr. Aretin. et alios in l. qui iure familiaritatis. de acquir. poss. et idem Castr. cõs. 189. lib. 2.

Brixien. Compromissi de Girardis.
Die Veneris 16. Martij 1571.

SVMMARIVM.

1 *Qualitas primogenituræ requiritur etiã in agnato, qui in secunda gradu substitutionis vocatur per illa verba, primogenitum masculum.*

2 *In successionibus, vbi adest vinculum consanguinitatis, nulla habetur ratio vinculi affinitatis; nisi tamen tale vinculum inseruiat pro coniectura, quòd possit videri prædilectus, vel quòd filius fuerit institutus hæres.*

DECISIO CXXXI.

1 Fvit resolutum, quòd qualitas primogenituræ requiratur in agnato, qui vocatur in secundo gradu substitutionis propter illa verba, primogenitum masculum, & de legitimo matrimonio, quæ clausula censetur repetere conditionem primogenituræ. Ideo cum tam Gerardus, quàm Franciscus sint in eodem gradu,& vterque respectu patris sui primogenitus, & tamen de testatoris voluntate debeat ad vnum tantum deuenire hæreditas indiuisa, videndum est de coniecturis, quę militãt hinc inde pro vtraque parte, quęnam præponderent: Et in hoc concordes fuerunt Domini, quòd respectu Francisci non posset dici duplex vinculum,
2 †cum nõ sit consanguinitatis vinculum sed affinitatis, cuius nulla habetur in successionibus ratio, tamen potest hoc vinculum inseruire pro vna ex coniecturis, quòd videatur prædilectus, maxime concurrente alia coniectura, quòd filius eius fuit institutus hæres, ex qua institutione erat commodum consequuturus Franciscus ratione vsusfructus, Pro Gerardo verò, vrgent aliæ coniecturæ, nẽpe quòd maior natu, & quòd in testamento fuit deputatus exequutor ab Alberto testatore, & quòd descẽdit ex primogenito Bartholomęi, cum Frãciscus descendat ex secundo genito; Ideo fuit ordinatum, vt cùm ijsdem informationibus videatur, quæ coniecturæ præualeant.

Romana dotis, & bonorum de Zambeccarijs.
Die Lunæ 26. Martij 1571.

SVMMARIVM.

1 *Acconcium, seu pecunia data pro Acconcio venit restituenda, quando non fuit separatim à dote datum, sed itaut constituat partẽ dotis; quo casu sortitur naturã dotis: quando autem sit separatum, vid. n. 2.*

DECISIO CXXXII.

Licèt forte materia non careat difficultate, an hoc casu æstimatio faciat, vel non faciat emptionem, tamen Domini inspecto tenore instrumenti dotalis eius ver-
1 bis attentis resoluerunt,† Acconcium esse restituendum, quia non fuit separatim à dote datum, sed itaut constituat partem
2 dotis, † cum dos constituta fuerit trium millium ducatorum, in qua summa continebantur quingenta pro Acconcio; ideo sortitur naturam dotis. *Paris. qui allegat Socin. cons. 95. nu. 15. lib. 2.* & magis hæc qualitas, quòd quingenta sint pro Acconcio

3 *Verba aulica, & officiosa in litteris non sunt obligatoria.*
4 *In obligatorijs stricte est procedendum.*
5 *Ex subscriptione constat de enixa mente subscribentis.*
6 *Locatio facta circumscriptis alijs locationibus praecedentibus, de quibus nulla datur scientia, non arguit scientiam qualitatum aliarum locationum.*

DECISIO CXXXVI.

1 FVit resolutum ✝ non probari in casu de quo agitur, sufficientem scientiam Domini Episcopi moderni ad effectum inducendae ratificationis,* nam etsi negari non possit eum habuisse scientiam in genere, tamen non probatur, quòd habuerit notitiã qualitatũ, maximè illius quòd fieret anti- 2 cipata solutio, ✝ ex quo poterat gigni praeiudicium successorum, & sic regula, quòd requiratur exacta notitia, facit pro Domino Episcopo, limitatio vero, quae ex auctoritate *Paul. de Castr. in cons. 216. lib. 1. & Butr. in c. humilis. num. 24. de maior. & obed.* adducitur, non applicatur, non enim ea verbis epistolae constat de enixa volun- 3 tate d. Domini Episcopi. Primo quia ✝ verba potius videntur aulica, & officiosa, quã obligatoria, ponderãdo ea ibi, (non voglio, ne posso volere) cum posset nolle, si veritatem attendimus, *Paris. & Natt. allegat.* a Secundo quia ista epistola non fuit scripta praecedente aliqua requisitione Episcopi senioris; vt ea eius tenore apparet; quo casu forte obligaret, sed sponte, & incidenter, quia d. Dominus Episcopus modernus non erat contentus tali locatione, licèt nollet cõtradicere auunculo suo. Ter- 4 tio quia ✝ in obligatorijs strictè est procedẽ- 5 dum, & in casu de quo *per Butr. et Paul.* ✝ ex subscriptione constabat de enixa mente 6 subscribentis: ✝ Circumscriptae fuerunt locationes praecedentes, quae tamen non data earum scientia nihil facerent: & insuper non videtur, quòd res iudicata ea nouiter deductis sit retractanda.

* Idẽ dictum fuit in resolutione nõ extẽsa, quae facta fuit sub die Lunae 15. Ian. proximè praeteriti per haec verba formalia: Nõ cõstare de sufficiẽti scientia Reuerẽdiss. Dñi Episc. moderni contentorũ in locatione, tam respectu tẽporis, quam solutionis, ita ut potuerit esse informatus de praeiudicio, quod sibi fieri poterat; et idem nõ videri ratificasse locationẽ, neque iure suo renunciasse.

a Paris. cons. 49. n. 44. et cõsil. 67. nu. 68. vol. 3. Natta consil. 197. n. 5. vol. 10. et cõs. 636. n. 193. volum. 3. iuxta l. qui iure. ff. de mil. testa. et ibi notat Bald. in vers. ex quo ex certa scientia, et Ang. in princ. vers. si hoc agitur.

Anconitana Terrarum.
Die Veneris 25. Maij 1571.

SVMMARIVM

1 *De effectuatione contractus ex quibus constare dicatur.*
2 *Quis nõ praesumitur admissus ad locationẽ, administrationẽ, vel in socium sine titulo.*
3 *Ius socij per alios socios exigentes praeseruatur.*

DECISIO CXXXVII.

1 FVit resolutum ✝ constare de effectuatione contractus respectu Iacobi Mõtarelli, attẽta serie negocij, nempe locationis factae per bon. mem. Episcopum Balduinettũ Dominico, & Lucae Antonio de Scarinis praesentibus pro se, & Iacobo Montarello absente, pro quo de rato promiserunt, & eiusdem Iacobi ratificatione, & Episcopi acceptatione, nec non petitione confirmationis, instantibus dictis Dominico, & Luca Antonio pro se, & pro Iacobo Montarello, quae omnia successiuè fuerunt facta de anno 1530. vsque ad annum 1532. necnon ex tot litteris, in quibus redditur ratio administrationis, dantur cõputa, & alia fiunt, quae sine acceptatione Iacobi in socium huiusmodi contractum fieri commode non poterant, necnon constare ex iisdẽ, Dominicũ, & Lucam Antoniũ habuisse notitiam ratificationis Iacobi, & approbatio- 2 nis Episcopi, eum ✝ non sit praesumendum, quòd voluerint Iacobum admittere sine titulo, maximè cum instrumentum huiusmodi ratificationis fuerit exemplatũ ad instantiam Dominici Scarini in libro reperto penes Antonium Scarinum agentem, seu institorem dictorum Dominici, & Lucae Antonij. Nec obstare, quòd non constet de exactione fructuum, quia hoc non est necessarium, ad effectum de quo agitur, nempe de- 3 uolutionis, maximè quia ✝ ius socij per alios socios exigentes fuit praeseruatum. Neque etiam obstare sententiam Auditoris Camerae, cũ sit res inter alios acta, & maximè si fuit lata per audientiã cõtradictarum; & id quod deducitur, quòd Iacobus noluerit concurrere pro sua parte in expensis nõ facit ad rem, eum hodie nõ agatur inter socios, sed inter Reu. D. Episcopum praetendẽtem deuolutionẽ ex capite finitae generationis, & filios Montarelli, qui praetendunt adhuc in eorum persona locationẽ durare.

Tudertina Bonorum.
Die Lunae 18. Iunij 1571.

SVMMARIVM.

1 *Initium possessionis indicat, ad quem bona spectare dicantur.*
2 *Ad euitandam praesumptionem delicti, quis praesumitur potius possidere iure familiaritatis, quam iure proprio.*
3 *Testes examinati tempore proximo actui facto sunt potius attendendi, quam qui postea fuerunt examinati. & num. 5.*
4 *Possessio inter fratres iure familiaritatis probatur ex communione.*
6 *Exequutoriales valde antiquae non mittuntur exequutioni, maximè si sint obtentae per audientiam contradictarum.*

DECISIO CXXXVIII.

FVit resolutum, quòd attento initio, & serie facti, & ad effectum de quo agitur, potius constat Vguccionem, & fratres pos-

praesens decis. habetur 1. tom. praes. diuers. nouiss. 130. part. 1.

possedisse bona de quibus agitur, iure fami-
1 liaritatis, quam iure proprio,† Initiũ enim indicat bona saltem iure communi spectare ad Dionoram per obitũ Franciscæ,& Ephigeniæ filiarum suarum hæredum Iacobi; ex quo verisimiliter deducitur, cum ista bona fuerint possessa per Iacobum, quòd consequenter fuerint possessa per filias, & per ipsam Dionoram, & cum ipsa nupserit Vguccioni circa tempora ipsius transactionis,
2 † potius est præsumendum, quòd Vguccionus iure familiaritatis possederit, quam iure proprio ad euitandam præsumptionem delicti. Secundo consideratum fuit hoc cõfirmari ex commissione nomine Violantæ impetrata, & ex mandato Vguccioni, in quibus instituit procuratores, tam proprio quam nomine Violantis. Tertio confirmatur ex eo, quòd ipsamet pars aduersa constituit procuratores in hac causa contra Vguccionum, & Violantem, & non contra solum Vguccionum, & longam litem contra eam sustinuit. Quarto facit declaratio facta per Vguccionum in articulis, & indicio. Quinto faciunt partitæ nuper productæ, & quæ præsupponuntur recognitæ, in quibus adsunt partitæ anni 1506. vsque ad
3 annum 1525. Sexto † multum faciunt testes examinati de anno 1522. qui cum sint proximi illis temporibus, sunt potius attẽdendi, quam alij examinati de anno 1553. Nec obstant in contrarium ponderata, & primo instrumentum transactionis, quia non apparet de effectuatione, immo potius de contrario constat ex instrumento possessionis. Nec obstat mandatum datum per Vguccionum nomine proprio ad causam, quia cum ipse litem non instituerit, sed ab alijs prouocatus in iudicium venerit, nihil mirũ si nomine proprio sese defenderit; nec enim tenebatur docere suos aduersarios, quisnam esset verus possessor istorum bonorum, & illis indicare aduersus quem instituere deberent actionem. Non obst. compromissum factũ nomine Vguccioni, & fratrum contra Bernardinum, & Baptistam, quia magis videtur percutere ius successionis quam articulum possessionis, prætendebat enim Vguccionus adesse quoddã fideicommissum super Arcæ Carnani, sed nullum verbum adest in compromisso, nec in exceptionibus, quod tangat possessionem.
4 Nec obstat, quòd † ius familiaritatis non possit considerari in fratribus Vguccioni, quia contrarium est verius; stante communione. Vltimo non obstant testes, quia
5 † per antiquiores testes eliditur eorũ probatio, & reduci possunt quodammodo ad concordiam. Et hæc dixerunt Domini maxime procedere in casu de quo agitur,† cũ exequutoriales, quæ petuntur mitti vlteriori exequutioni sint valde antiquę, & fuerunt obtentæ per audientiã contradictarũ.

Romana diuisionis bonorum de Piatetis.
Die Veneris 22. Iunij 1571.

DECISIO CXXXIX.

Videatur in facto, an in iudicio agitato corã Vicario, & Gubernatore fuerit pro parte mulierũ petita dos, vel agitatum tantum super diuisione bonorum, quia primo casu essemus in claris, quòd frater non erat paratus sorores dotare, & ita non posset se iuuare secunda parte statuti: quod si non fuit facta mentio in illo iudicio, dotis, esset videndum, an ipse frater tempore delationis hæreditatis teneatur offerre se esse paratum. Quantum ad primam partem statuti, ea non habet locum stante decisione facta 11. Decembris 1570. sed erit videndum, an statutum habeat locum, quando filia reperitur æqualiter instituta vna cum fratribus, prout in isto casu, itaut dici possit ex verisimili mente statuentium, quòd excludatur filia instituta, quia habet vnde possit se dotare, vel potius sit casus omissus relinquendus dispositioni iuris communis. Erit quoque dignum animaduersione, quòd istæ filiæ non solum succedunt fratribus ex dispositione iuris communis, sed etiam iudicio testatoris, qui filios inuicẽ substituit.

Toletana Matrimonij.
Die Mercurij 4. Iulij 1571.

SVMMARIVM.

1 *Verbum Hispanicum, desponsado, accipitur pro ipso contractu matrimonij, & non pro sponsalibus.*

DECISIO CXL.

Fvit resolutum ex confessionibus deductis, ita adminiculatos esse testes Ioannæ, vt non obstet exceptio consanguinitatis; Ideo si Antonius habet alias exceptiones, eas pro vltima Rota deducat. In vltima Rota fuerunt deductæ nonnullæ aliæ exceptiones contra testes Ioannæ, quat Domini non habuerunt pro releuantibus, cum hoc præsupposito, quòd eius confessio concluderet ad contractum matrimonij, & nõ ad sponsalia, quod pendebat ex interpreta-
1 tione † dictionis, desponsado, & ideo fuit mihi iniunctum, vt caperem informationem ab aliquibus nationis Hispanię super significatione illius vocabuli. In congregatione, quæ fuit facta post vltimam Rotam retuli Dominis, me cœpisse informationem super significatione vocabuli, desponsado, & comperisse, quòd accipitur pro ipso contractu matrimonij, & non pro sponsalibus. & ita fuit ordinata causæ expeditio non obstãtibus nõnullis exceptionibus, quæ in memorialibus deducebãtur pro parte Antonij.

Hor-

Hortana Truncorum.
Die Veneris 12. Octobris 1571.

DECISIO CXLI.

DOmini omissis altercationibus, quæ deducuntur in facto, resoluerunt attenta sola rei natura constare de interesse Cõmunitatis, tum respectu pullulatus, qui propter secundam incisionem tardius excrescit in syluam, tum maximè respectu fructuum, nempe glandium, quibus Communitas caruit. Nec obstat, quòd potuisset incidi sylua in vltimo, aut penultimo anno, quia dato, quòd fieri potuisset, licèt videatur ferè impossibile: tamen interim ex arboribus non cęsis, Communitas fructus glãdium percepisset. Nec obstat, quòd huiusmodi præiudicium videatur oriri ex natura intrinseca contractus, in quo dabatur licẽtia incidendi vsque ad radices, quia debemus interpretari contractum ex alio capite, dummodo non inciderentur nisi semel, ex hoc enim declarauit Communitas voluntatem suam, & demonstrauit se habuisse rationem pullulatuum, vt minori tempore sylua restitueretur, & reficeretur, & hac ratione adiecit illud capitulũ, ex quo debemus aliud, quòd est obscurum, interpretari.

Leodien. Hæreditatis, & bonorum.
Die Lunæ 15. Octobris 1571.

SVMMARIVM.

1 *Cardinali asserenti de facultatibus sibi concessis regulariter creditur: limit. tamen non procedere in ijs, quæ neque de iure communi, neque ex generali officio legationis competunt; prout est facultas creãdi Comites, & legitimandi.*

2 *Potestas creandi Comites, & legitimandi est de reseruatis Principi.*

3 *Doctrina Baldi in l. exemplo. C. de probationib. quomodo, & quando procedat.*

DECISIO CXLII.

præsens decisio habetur in impres. diuers. nouiss. 233. part. 4. & 133. part. 1.

CVm duplici via informantes pro filijs defendant legitimationem esse validam, quarũ prior est ratione præsumptæ facultatis, posterior ratione communis erroris, & reputationis, Domini quantum ad priorem illam defensionem resoluerunt ex ea sustineri non posse huiusmodi dispen-
1 sationem, nam licèt ✝ Cardinali asserenti de facultatibus regulariter credatur, *vt est doctrina Ioan. Andr. in c. constitutus. de appellat.* Tamen placuit limitatio, quòd non procedat in ijs, quæ neque de iure cõmuni, neque ex generali officio legationis competunt, *vt per Dec. cons. 228. num. 9. qui plures allegat, Roman. cons. 387. num. 3. Paris. cons. 12. num. 133. & 134. vol. 2.*
2 *cum alijs allegat.* * ✝ Potestas autem creãdi Comites, & legitimandi est de reseruatis, *e. per Venerabilem. qui fil. sint legit. idem*
3 *Paris. eod. cons. 12. num. 130.* ✝ Non obstat doctr. Bald. in l. exemplo. C. de probation. quia requirit pluralitatem actuum, & quòd publicè gesti fuerint, & concludit quòd ratione præsumptæ veritatis gesta valeant; & ideo licèt sine veri præiudicio præsupponamus, quòd hic adsint actus sufficiẽtes ad inducendam huiusmodi præsumptionem: tamen tollitur hæc præsumptio ex eo, quòd de veritate constat ex facultatum publicatarum, & registratarum inspectione, estque validior hæc præsumptio, iuxta decis. *Put. 298. in causa Toletana. lib. 3.* Quantum ad aliam defensionem ratione communis erroris, Domini ordinarunt, vt super hoc particulariter dubitetur, scilicet, An sint tales actus, & ita vniformes, vt ex istis possit deduci communis error sufficiens in casu, de quo agitur. Illud verò, quod allegabatur pro filijs de confirmatione Clementis, fuit per Dominos in hac decisione circumscriptum.

* adde Corn. cons. 155. in fin. sub num. 5. Dec. cons. 289. n. 8. vers. postremo, iũcto num. 9. Bero. consil. 65. num. 145. vol. 1.

Anconitana Terrarum.
Die Veneris 19. Octobris 1571.

DECISIO CXLIII.

DOmini resoluerunt confirmationem locationis suffragari Iacobo Montarello, & filijs: Et primo quatenus verum esset in facto, quòd Iudices Commissarij habuissent notitiam noui instrumenti Episcopi cum Iacobo, vel quòd cõfirmatio haberet clausulam, cum inde sequutis, res omni prorsus careret difficultate: tamẽ etiam quòd res in facto non sic se habeat, fuerunt eiusdem sententiæ, ex eo quòd posterius illud instrumentum non fuit factum exclusiue ad primum sed cumulatiue, quod patet ex clausula illa, & quòd præfatus Reuerendiss. iterum ad cautelam locare debeat, & petita fuit confirmatio per procuratorem Reuerendissimi Episcopi, & per Lucam Antonium Scarinum nomine suo, & vice Dominici, Nicolai, & Iacobi, ita quòd intellexerunt confirmantes in huiusmodi cõfirmatione comprehendi etiam Iacobum: Huc accedit, quòd etiam videtur adfuisse tacita quædam ratificatio Iacobi ante lapsum sex mensium, vt constat ex litteris Dominici, quæ fuerũt scriptæ de anno 1530. ante lapsum sex mensium, vt animaduersum fuit per vnum ex Dominis.

Imolen. Castrorum.
Die Lunæ 5. Nouembris 1571.

SVMMARIVM.

1 *Ille non dicitur legitimus contradictor, qui in causa non habet aliquod considerabile interesse.*

2 *Alienatio facta cum clausula, saluo beneplacito, & cum clausula, nec aliter, nec alio modo, si non teneat, possessio non dicitur vacans, sed redit ad ipsum alienantem cum omni iure.*

3 *Inuestitura verbalis per realem inuestituram subsequentem expirat.*

4 *Materia inuestitura habet magnam conformitatem cum immissione, qua fit ex l. fin. C. de edict. diu. Adr. toll. & argumentum valet de vna ad aliam.*

5 *Per citationem quis non efficitur legitimus contradictor, qui non habet interesse in causa; & hoc in citatione voluntaria, secus in necessaria.*

6 *Per clausulam, sine praiudicio &c. praeseruatur ius, & interesse.*

DECISIO CXLIV.

1 FVit resolutum in casu de quo agitur. Il-
lustriss. Dominam Hersiliam non esse
legitimam cõtradictricem, ex quo nõ adest
aliquod ipsius considerabile interesse, quo
cessante, quis non dicitur legitimus contra-
dictor, *Aym. cons. 184. num. 8.* Et primo
non potest dari interesse aliquod respectu
possessionis, quia ea nõ est vacans; Ideo suc-
cedit *doctr. Bart. in l. à Diuo Pio. §. si su-
per rebus. num. 3. ff. de re iudic. quam se-
quuntur Doctor. relati per Couar. in pract.
quaest. c. 16. n. 3. versic. secundus casus Me-
noch. de adipisc. poss. remed. 4. num. 573.*
Nec obstat, quòd praetendebatur possessio-
nem Illustriss. Cardinalis esse vitiosam, quia
cum feudum non sit vacans nec apertum
domino directo, quia Illustr. D. Comes
2 Hannibal alienauit in Cardinalem, † cum
clausula, saluo beneplacito, & cum clausu-
la, nec aliter, nec alio modo, si alienatio non
tenet, possessio non erit vacans, sed redibit
ad ipsum alienantem cum omni iure. *Bald.
in cap. fin. §. fin. num. 5. qua fuit prim. caus.
benef. amitt. Clar. in §. feudum. q. 31. vers.
bene verum est, testatur de communi.* Secun-
do non potest considerari interesse ratione
verbalis inuestiturae praefatae Illust. Dominę
Hersiliae, cum post eius inuestituram ver-
balem fuerint factae tres reales inuestiturae
diuersis temporibus tribus diuersis perso-
nis, nempe bon. mem. Com. Federico, Il-
lustriss. Cardinali Borromeo, & Illustrissimo
3 Comiti Hannibali: † ex quo videtur illa
verbalis expirasse, *Ias. in l. fin. num. 30. C.
de edict. diu. Adr. toll. Iul. Clar. testatur de
communi in verb. feudum. q. 26. vers. quae-
4 ro nunc.* Praeterea † ista materia magnam
conformitatem habet cum immissione, quae
fit ex *l. fin. C. de edict. diu. Adr. toll.* & de
vna licet ad aliam arguere, *vt per Roland.
cons. 1. num. 51, & 71. vol. 1.* Vnde cum
Illustr. Domina Hersilia non possideat, non
5 est legitima cõtradictrix, † nec per citatio-
nem potest dici, quòd effecta fuerit legi-
tima contradictrix, *vt per Bald. in. dicta l.
fin. num. 42. & alios allegatos*, * quia pro-
cedit in citatione voluntaria, non autem
necessaria, qualis est ista, *Bart. in l. 2. num.
7. & ibi Salicet. C. de his, quae vi metusve
caus. fi.* a sed dato etiam, quòd aliquod cõ-
6 siderabile adesset interesse, † illud praeserua-
tur per clausulam, sine praeiudicio, *Oldrad.
cons. 237. & Natt. latè cons. 529. num. 3.*
Qua clausula stante cessant multa pro parte
Illustr. dominae Hersiliae adducta, quibus
satis videtur responsum per informantes; &
licèt nunc agatur de inuestitura, & non de
possessione: tamen solet dari etiam pro con-
firmanda possessione, *Dec. in d. l. fin. num.
44. C. de edict. diu. Adr. toll.*

* Ias. in d. l. fi. n. 34. Bart. l. cũ mulier. n. 5. vers. praeterea. ff. sol. matr. Idẽ Bald. in l. 9. circa fin. C. de pact. Feli. & Imol. in c. cũ inter. n. 11. de exception.

a addo text. in l. rẽ legatã ff. de adim. legat. sicut similis, contra solutio non constituit in quasi possessione, vt per Achill. de pension. decision. 10.

Brixien. Compromissi.
Die Lunae 26. Nouembris 1571.

SVMMARIVM.

1 *In fideicommissis conditionalibus attẽdi debet tempus euenientis conditionis; secus tamẽ est, quando testator vocando proximiorẽ procedit vlterius substituendo eius primogenitũ. Item secus est, vt n. 7. & 8.*

2 *Qualitas proximitatis non potest verificari tempore euenientis conditionis in primogenito, si extet alius, qui tempore cõditi testamenti sit in pari gradu cum testatore; nisi testator tempore testamenti sit proximior.*

3 *Vulgaris substitutio expirat per aditionem haereditatis; quia locum tantum habet respectu primi gradus institutorũ, & substitutorum, non autem respectu graduũ sequentium, vbi intrant tot vulgares substitutiones in compendiosa, quot sunt gradus, & vna quaque expirat per aditionẽ illius, qui in illo gradu est prius vocatus, non autẽ per aditionẽ primi haeredis.*

4 *In singulis gradibus substitutionum potest adesse vulgaris, quae habito respectu ad primum gradum institutionis potest dici obliqua, cum etiam in legatis fieri possit, vt num. seq.*

6 *Testator vocãs agnatos in defectum suorum descendentiũ censetur illos vocare ordine successiuo, qui ordo intelligitur per vulgarem non per fideicommissariam, & est commun. opin.*

7 *In fideicommissis conditionalibus non attẽtenditur tempus euenientis conditionis, quando ratio subiectae materiae hoc suadet; vt in materia primogeniturae, in qua trãsmittitur ius proximitatis, & primogeniturae etiam, quòd quis obierit ante euentum conditionis.*

8 *Item nõ attenditur tempus euenientis conditionis, quando qualitas requisita non potest verificari, nisi tempore vitae testatoris*

ris, cum tunc non expectetur euentus conditionis.

3 *Proximitas agnati non potest dari respectu testatoris, nisi ipso viuente.*

DECISIO CXLV.

CAusa bis proposita, fuit resolutum in casu de quo agitur, esse spectandum tempus testamenti conditi, non autem eueniencis conditionis, nam licèt sit valde controuersa materia, & possit statui regula,
1 quòd † in fideicommissis conditionalibus attendi debeat tempus conditionis euenientis, *l. interuentum. de legat. præstan. Alex. cons. 26. in fin. vol. 3. Dec. cons. 299. num. 8. post Castren. cons. 164. num. 5. lib. 2. cum alijs infinitis, quæ allegari possent;* tamen huic regulæ plures possent dari limitationes, quæ applicantur ad casum nostrum: prima est, quando testator vocando proximiorem processit vlterius substituendo eius
2 primogenitum, † nam ista qualitas, quòd sit proximior, non potest verificari tempore euenientis conditionis in primogenito, si extat alius, qui tempore conditi testamenti esset in pari gradu cum patre huius primogeniti, vt in casu de quo agitur; Ideo sufficit, quòd pater primogeniti esset proximior tempore testamenti, vt intret substitutio primogeniti ex eo nati, adest enim hoc casu substitutio compēdiosa, quæ continet vulgarem, itaut patre non existente succedat in eius locum primogenitus per vulgarem, *Guid. Pap. decis. 550. post Castren. cons. 164. lib. 2. Socin. l. si cognatis. col. 2. de rebus dub. Bero. cons. 71. num. 57. vol. 1. cum alijs late congestis per informantes,** Nec obst. quòd in contrarium deducebatur, quòd hic non posset dari aliqua sub-
3 stitutio vulgaris, † quia ea expirat per hæreditatis aditionem, *l. post aditam. C. de impub. & al. subst.* quia hoc procedit respectu primi gradus institutorum, & substitutorum, sed non respectu graduum sequentium, nam quot sunt gradus, tot sunt in compēdiosa substitutiones vulgares, quarum vnaquæque expirat per aditionem illius, qui in illo gradu est primo vocatus, nō
4 autem per aditionem primi hæredis: † Nec est absurdū, quòd in singulis gradibus substitutionum adsit quædā vulgaris, quæ quodam modo habito respectu ad primum institutionis gradum potest dici obliqua, cum
5 etiam in legatis possit fieri talis substitutio, *l. vt hæredibus. de legat. 2.* & hoc clare colligitur ex ijs, quæ tradunt *Doctor. in l. Gallus. §. quidam recte. de lib. & posth.* vbi vo-
6 lunt, † quòd si testator vocet agnatos in defectum suorum descendentium, censeatur illos vocasse ordine successiuo, & iste ordo intelligitur per vulgarem nō per fideicommissariam, *vt est ibi cōm. opin. & hanc limitationem omnes Domini amplexi sunt sine vlla difficultate, ad quod vid. addit. ad*
7 *cons. Alex. 95. num. 7. in littera A.* † Secunda limitatio potest applicari ratione subiectæ materiæ, cum simus in materia primogenituræ, in qua transmittitur ius illud proximitatis, & primogenituræ, etiam quòd quis obierit ante euentum conditionis; *vt late Tiraq. de iure primogen. q. 40. num. 28. Couar. pract. quæst. cap. 38. num. 5.*
8 Tertia limitatio est, † nisi qualitas requisita non possit verificari nisi tempore vitæ testatoris, tunc enim non expectatur euentus conditionis. *Bald. cons. 488. 3. part. Alex. in addit. ad Bart. in d. l. si cognatis. de reb. dub.* At in casu de quo agitur testator non vocauit simpliciter proximiorem, sed per hæc verba, Agnatum meū proximiorē
9 &c. † quo casu proximitas non potest dari respectu ipsius, nisi ipso viuente, *l. 1. §. si quis proximior. C. vnd. cognat.* ex quo sequitur, spectandum tempus conditi testamenti non autem euenientis conditionis.

*Alex. cōs. 4. col. fin. vers. nec etiā obstacli. 4. Abb. cons. 85. n. 1. cū seq. i pri. par. Soc. cōs. 252. n. 5. & 16. vol. 2. Cels. Vgo 49. n. 72. Alciat. cōs. 8 nu. 46. vol. 9. Paris. cōs. 42 n. 22. cūseqq. vol. 3. & fuit de mente Io. And. i addit. ad Spec. de feud. ecc. co. 5. vers. item casus non expressus, quem refert. & sequitur Afflic. c. 1. n. 88. de succ. feud. & tradit. Præp. in c. 1. n. 10. in 18. arg. pro nepote de feud. Marchiæ cum infinitis alijs qui cumulari possent.

Astoricen. Archidiaconatus.
Die Lunæ 3. Decembris 1571.

SVMMARIVM.

1 *Acceptatio alternatiuæ probatur ex protestatione facta, Item per testes deponentes Episcopum contulisse in mense alternato, Item per prouisionem factam vigore eiusdem alternatiuæ.*

2 *Dictum vnius testis suppletur ex depositione alterius.*

3 *Alternatiua semel ab Episcopo recusata amplius non reuiuiscit, sed dicitur cōsumpta.*

DECISIO CXLVI.

1 FVit resolutum ex deductis † constare de acceptatione alternatiuę, & primo colligitur ex protestatione facta sub die 9. mēsis Aprilis 1556. quæ non potest commode alium sensum recipere, alids erat superfluum dicere, pro quanto non erat certificatus, quòd alternatiua fuisset reuocata. Secundo fuerunt ponderati testes, quorum primus deponit Episcopum contulisse parochialem Sancti Bartholomæi de mense alternato ante vacationem Archidiaconatus, de quo agitur, cum quo concordat secundus testis, qui deponit de eadem parochiali, & licèt non deponat de tempore: tamen ex quo refert se ad prouisionem, & loquitur de eadem parochiali, de qua alius
2 testis specifice deponit. † suppletur eius dictum ex depositione alterius testis, *ad decis. Crescent. 33.* Tertio fuit consideratum, quòd ipse Episcopus contulit Francisco Fries secretario suo parochialem Sancti Laurentij vigore alternatiuæ, & licèt hæc prouisio sit post prouisionem factam de Archidia-

eonatu,& fic nnn percutiat tempus, tamen non videtur, quòd poſſit ſtare, & ſe eompati cum ſecunda proteſtatione facta die 11.
3 Aprilis, ┼ ſi enim ſemel Epiſeopus gratiam alternatiuæ reeuſauerat, iam illa erar conſumpta, nec poterat reuiuiſeere, *Caſſad.* 2. *de reſlit. ſpol. num.* 4. *Aebill.* 1. *de priuileg.* Coadiuuantur hæe omnia ex eoniecturiſs, cũ ſimus in materia fauorabili, & vtili Epiſcopis, *Aym. de antiq. part.* 4. *num.* 232. & Alphõſus Pereira auctor Petri litigãdo fundauit ſe per aliquod tempus ſuper alternatiua. Nee obſtat proteſtatio adducta pro parte Petri, quia omnia ſupra deducta conrra eam militant, & videtur eſſe locus doctrinæ *Bald. Salicet. & Corn. in l. inſtrumenta. C. de probatio.* Tameu ſi ſuper iſta proteſtatioue Petrus velit partieulariter audiri, placet Dominis quòd audiatur.

Leodien. Hæreditatis.
Die Lunæ 3. Decembris 1571.

SVMMARIVM.

1 *Communis error probãdus eſt, & quòd proeedat ab habente auctoritatem, vide tamen num.* 3.

2 *Cõmunis error licèt probatus, nihil operatur, vbi adeſt defectus in forma vèl ſubſtãtia.*

DECISIO CXLVII.

QVia materia huius dubij viſa fuit difficilis Dominis, nulla potuit capi reſolutio, aliqui enim tenebant; quòd
1 ┼ in primis erat neeeſſarium, quòd iſtæ cõmunis error probetur, *ad conſ. Socin.* 60. *n.* 10. *lib.* 2. & dato quòd eſſet probatus, quòd neeeſſe erat, vt procederet à perſona habente auctoritatem, per ea quæ allegat *Couar. pract. quaſt. c.* 19. *num.* 5. *cum alijs allegatis per informantes*, * Item quod daretur actuum in ſpeeie vniformitas, *vt per Alex. conſ.* 8. *nu.* 3. *lib.* 2. Neque bene inferri de vno ad alium, cum dentur gradus differentes in reſeruaris, *ad Iaſ. in l. Imperium.*
2 *num.* 22. *de Iuriſd. omn. iud.* ┼ Item videri adeſſe defectum in forma; ideo communem errorem nihil operari, vt per ea quæ allegat *Ant. Gabr. de probat. concl.* 8. *num.* 41. Alij vero teuebant, quòd datis terminis habilibus, nempe communi errore, & reputatione, quòd hie non aderar defectus in forma, ſed inſubſtantia, ſtante reualidatione Leonis, quia eſt deſectus ſurreptionis ob non factam mentionem reuocatoriç, nec requiri iſto caſu actuum vniformitatem, cum error non fuerit iuductus, ex eo quòd Cardinalis ſe ſimpliciter geſſerit pro legato, quo caſu proeederet *conſ. Alex.* 80. ſed
3 ortus ſir ex publicatione facu ltatum. ┼ Ad id quod dicebatur eſſe neeeſſe, vt error procederet ab habente auctoritatem, videbatur poſſe in contrarium replicari de illo ſimili allegato *ex decif. Chiſanen. de diſpenſat. num.* 40. & ideo fuit ordinatum, quòd materia reſtringatur ad aliquod ex ſequentibus eapitibus, nempe an ſtante, quòd Cardinalis erat perſona grauis, & magnæ auctoritatis, qui aſſeruit ſe habere illas facultates ignorantia regularum reuoeatóriarũ ſit excuſabilis; Vel videatur; Au error ſit eirea formam, vel circa ſubſtanriam; Vel an iu caſu iſto requiratur actuum vniformitas, & interim curent iſti filii, qui volunt venire ex teſtamento, vt reualidatio facultatum exhibeatur in forma probanti, & probetur communis error ſeu reputatio, vt tollantur ex facto difficultates, quæ tolli poſſunt.

*Adde Francisc. Marza. decis. 186. n. 4. communẽ dicit Ruin. cõs. 48. nu. 4. li. 4. & magis cõmunem & veram dicit Bertrãd. cõs. 33. n. 4. lib. 1. qui plures alios allegat.

Romana Compromiſſi bonorum emphyteuticorum.
Die Mercurij 12. Deeembris 1571.

SVMMARIVM.

1 *Recompenſa non datur in eo, qui non habet rem titulo lucratiuo, ſed titulo oneroſo emptionis.*

DECISIO CXLVIII.

1 FVit reſolutum ┼ recompeuſam non dari in iſto caſu, cum Domina Liuia non habeat bona donata Eluiræ titulo lucratiuo, ſed titulo oneroſo emptiouis, *ad notat. per Bart. in l. vt iuſiurandi. §. ſi liberi. de oper. libert. late Ant. Gabr. de iur. emphyt. concl.* 3. *num.* 52. Quantum ad ſecundam partem dubij fuit dictum, vt Domini iudices arbitri his diebus vaeationum videanr ea, quæ deducũtur pro parte Dominç Sulpitiæ, quæ ſi poſſunr vnieo dubio rerminari, bene erit, vt termineutur; ſi vero altiorẽ requirunt indaginem, itaut eauſa in longum ſir protrahenda, poterunt pro iuſtitia cauſam emphyteuſis expedite.

Bononien. Vigintimillium.
Die Mereurij 12. Deeembris 1571.

SVMMARIVM.

1 *Tempus non currit niſi à die adimplementi, in his quæ habent annexum onus adimplendi, niſi impedimentũ præſtitum fuerit adimplemento.*

DECISIO CXLIX.

FVit reſolutum ſtãte facto eo modo, quo narratur pro parte Dominæ Fauſtinæ, prout re vera ſtat, nempe quòd ipſa reportauerit ſententiam in ſui fauorem ſuper non idoneitate fideiuſſorum à Prætore Bononien. & quòd dicta ſententia nou fuit reuocata per Vicarium Ferrarien. ſed tantummodo pronunciatum ſententiam latam per

Frau-

Franciscum Belloneinum esse exequendam iuxta petita per Com. Hippolitum non obstantibus allegatis per D. Faustinam, nulla facta mentione sententię Prætoris Bononien. quòd Domina Faustina minime erat obligata ad restitutionem fructuum duorũ annorum, quibus controuersia super idoneitate durauit, non enim satisfactum erat ei de eo, quod ratione pretij præstandum
2 erat, † nec currebat ei tempus nisi à die implementi Com. Hippolyti, *Put. 6. de transactio.* nec dici potest, quòd ipsa præstiterit impedimentum, cum sententiam pro se reportauerit à Prętore Bononien. Fuit tamen facta difficultas per vnum ex Dominis super renouatione obligationis fideinssorũ, dicebat enim nullam videri factam renouationem, quam tamen putabat hoc casu esse necessariam; Item super eorum ignorantia, quæ tamen potuerunt pro parte Comitum de Benilaquis deduci super dubio, quod est disputandum, An pœnæ de quibus agitur exigi possint.

Romana Grani.
Die Veneris 14. Decembris 1571.

SVMMARIVM.

1 *Consignatio rei, & receptio probatur sufficienter ex litteris, & libris recipientis, recognitis per testes deponentes se habere notam manum scribentis.*

2 *Stylus quem Rota seruat in recognoscendis litteris scriptis sine controuersia obseruatur etiam in libris.*

DECISIO CL.

1 FVit resolutum † constare sufficienter de consignatione grani, nam quicquid sit de iure communi, Rota admittit recognitionem testium dicentium se habere notam manum scribentis etiam in libris, *Achill. decis. 2. de fid. instr.* sed & melius tollitur difficultas *per statuta Vrbis li. 1. c. 76. & in nou. cap. 29.* Coadiuuatur ista probatio per litteras Iuliani recognitas iuxta stylum Rotę,
2 qui stylus sine controuersia obseruatur in litteris, *iuxta cons. Ruin. 70. num. 4. lib. 4. Gramat. decis. 34. num. 15. & coram me fuit tentum in vna Anconitana terrarum die 27. Nouembris 1570.* Accedit eiusdem apocha, per quã coadiuuatur receptio, & his simul iunctis, res visa fuit carere difficultate respectu grani consignati in tempore scilicet à die contractus, vsque ad totum mensem Martij eiusdẽ anni. Nec obstat, quòd enũcietur in aliquibus bolettinis granum Dominorum hæredum, quia illa consignatio censetur facta vigore præambuli contractus, in qua Illustriss. Domina Felix promiserat consignare granum quodcunque habere posset, & ita non intellexit de suo tantum; & est notorium, quòd ipsa erat legitima tutrix Dominorum hæredum: & status, in quo erat illud granum, erat prædictorum Dominorum.

Placentina Cathedræ.
Die Lunæ 14. Ianuarij 1572.

SVMMARIVM.

1 *In facultatiuis consuetudo nõ probatur, non probata contradictione.*
Idem in præscriptione negatiua.

2 *Electio facta per Capitulũ præsumitur facta cumulatiue nõ priuatiue ad Episcopum.*

DECISIO CLI.

FVit resolutum præsupposito, quòd Episcopus possit mandare vices suas Vicario de iure communi, prout nonnulli ex Dominis videbantur sentire, ex his quæ tradit *Felin. in c. ex parte. num. 6. de constitut.* quòd ista cõsuetudo non sit sufficienter pro-
1 bata, † tum quòd sumus in facultatiuis, & non probatur contradictio, quæ requiritur, *vt per Doctores in c. cum Ecclesia Sutrina de caus. poss. & propr. late Gabr. de præscript. concl. 10.* tum quòd in præscriptione negatiua: Nec constat quòd Capitulum elegerit sine prouisore animo priuandi Episcopum sua facultate, vt distinguit *Calderin. cons.*
2 *2. de præscript. Abb. cons. 54. lib. 2.* † & præsumitur electio facta cumulatiue non priuatiue, *vt per Federic. cons. 147. num. 3. Ruin. cons. 50. num. 10. lib. 5.* Ideo ordinatum, vt dubitetur, An Episcopus de iure communi possit in huiusmodi electione mãdare vices suas Vicario.

Posnanien. Parochialis.
Die Lunæ 14. Ianuarij 1572.

SVMMARIVM.

1 *Possessio capta lite pendente, vel post interpositam appellationem tanquam vitiosa, & attentata venit sequestranda.*

2 *Post institutionem in beneficio Ordinarius potest tradere possessionem illius etiam appellatione pendente, quando Ordinarius hoc fecit extraiudicialiter, secus si processum fuit iudicialiter.*

3 *In institutione in beneficio locum habet gratificatio, data tamen paritate concurrentium, & vbi non adest lis, aliàs secus.*

DECISIO CLII.

1 FVit resolutum † possessionem esse sequestrandam, quia fuit vitiosa, & attentata lite pendente, & post interpositam appellationem, *Rota 11. vt lit. pend. in nou.*
2 *Aegid. 156.* † Neque obstat, quòd post institutionem licèt pendẽte appellatione or-

 dina-

dinarius possit tradere possessionem, hoc
enim procedit, quando ordinarius hoc facit
extraiudicialiter, secus vero si processum
fuit iudicialiter; *c. constitutus de appellat.*
Lambertin. de iurepatr. fol. 30. num. 6.
* Ideo merito appellatum, c. vlt. de iure-
3 patr. † Nec obstat gratificatio, quia pro-
cedit data paritate, & vbi non est lis, ex cu-
ius euentu pendet, quis sit præferendus, ma-
xime vbi etiam est lis inter patronos, prout
in casu isto, *Abb. c. cum autem. num. 3. de*
iurepatr. cum alijs allegatis in informationi
bus. a

*adde Matthesil. sing. 184. nu. 2. in addit.

a & per Specul. tit. de iurepatr. vers. si autem est quæstio. num. 7.

Narnien. Legati.

Die Mercurij 16. Ianuarij 1572.

SVMMARIVM.

1 *Statuta de mandato Papæ reformata dicuntur papalia.*

2 *Statuta, & constitutiones præsumuntur vsu receptæ, & contrarium allegánti incumbit onus probandi præcise cõtrariũ vsum.*

3 *Per instrumenta, An, & quando probetur contrarius vsus.*

DECISIO CLIII.

QVantum ad primam partem dubij, fuit
1 resolutum, † statuta esse papalia, cum
de mandato Papę fuerint reforma-
ta, vt patet *ex bulla Alexandri VI. lib. 4.*
& ita fuit aliàs decisum coram R. P. D. Ro-
busterio in vna Romana decemmillium, &
in vna Portuen. plani Vlmi. Quantum ad
2 secundam partem, fuit dictum, quòd † cum
statuta, & constitutiones præsumantur vsu
receptæ, *Dec. cons. 534. num. 9. Crescent. de-*
cis. 79. allegánti contrarium onus proban-
di incumbit, & isto casu videtur necessa-
rium esse, vt probetur contrarius vsus, *vt*
per Put. lib. 1. decis. 1. & debet probatio
percutere formam, & speciem, *vt per Dec.*
loco allegato: Ideo esset diligenter vidẽdum;
An omnia instrumenta pro parte Cesij pro-
ducta sint talia, quæ requirant solemnita-
tes, aliàs non faciunt ad casum propositum:
Præterea si reformatio Leonis cap. 18. lib. 5.
esset correctoria prioris statuti, *vt fuit du-*
bitatum in Romana de Matthæis coram
R. P. D. Decano, instrumenta, quæ sunt
confecta post illam reformationem, non
facerent ad rem; sed quia huiusmodi diffi-
cultas remanet adhuc indecisa, his postpo-
sitis præsupponẽdũ, quòd dicta instrumẽ-
ta faciãt ad propositam dubitationem, fuit
dictum in ista materia esse distinguendum;
3 quòd † vbi est certa forma data à lege, vel
statuto, itaut de eius interpretatione non
agatur, nec de consuetudine præter ius, sed
de obseruantia iuri contraria; Aut instru-
menta, ex quorum exhibitione quis inten-
dit probare contrarium vsum, comprehen-
dunt maiorem partem populi, itaut indu-
cant consuetudinem notoriam, & tunc pro-
cedit dictum *Bald. in l. 1. in fin. C. ad Vel-*
leian. (*Decius enim cons. 11. loquitur in*
consuetudine interpretatiua, vt patet sub nu.
12. vers. & ideo) nam ex eorum exhibi-
tione consuetudo notoria probatur: Aut
non comprehendunt maiorem partem po-
puli, & tunc necesse est, quòd probetur,
quòd talia instrumẽta habuerint effectum,
& obtinuerint in iudicio contradictorio; &
in his terminis bene loquitur *Bellam. con-*
sil. 10. Aym. cons. 134. num. 12. Socin. con-
sil. 61. num. 3. lib. 3. Abb. consil. 33. lib. 2.
Natt. cons. 575. num. 10. lib. 3. quibus non
bene fuit responsum per informantes: In
casu autem de quo agimus, non videntur
tot instrumenta, quæ comprehendant ma-
iorem partem populi, nec de eorum effe-
ctuatione constat, nec quòd in iudicio ob-
tinuerint; & in contrarium adsunt alia in-
strumenta, licèt minori numero, quæ sal-
tem turbant istum contrarium vsum.

Anconitana Terrarum.

Die Mercurij 23. Ianuarij 1572.

SVMMARIVM.

1 *In contractibus non habet locum ius accrescendi, nisi verba contractus contrarium suadeant.*

2 *Mens contrahentium dat legem contractui.*

DECISIO CLIV.

1 LIcèt sit regulare, quòd † in contracti-
bus non habet locum ius accrescendi,
tamen in casu, de quo agitur, attentis ver-
bis contractus, Domini tenuerũt, quòd ha-
beat locum, & partes sociorum accrescant
Iacobo, *per doctr. Specul. in tit. de emphyteu.*
§. nunc aliqua. num. 59. Bald. consil. 251.
num. 2. lib. 2. Ponta. cons. 19. & ibi nõ ade-
rat dictio, omnes, & concordant multi al-
legati in additione, nempe *Alex. consil. 17.*
num. 9. lib. 5. Ias. in l. 2. num. 201. C. de
iur. emphyt. Ruin. cons. 43. num. 11. lib. 1.
Curt. Sen. consil. 49. num. 72. Affl. cap. 1.
§. & quia. num. 18. qui feud. dar. poss. Nec
obst. *Alexan. cons. 204. lib. 2.* quia est sibi
contrarius, & colligitur etiam hæc mens
2 contrahentium, † quæ dat legem contra-
ctui, ex eo quòd à principio voluerunt con-
trahentes, quòd Iacobo non ratificante, to-
tum alijs acquireretur. Coadiuuantur præ-
dicta ex pretio locationis, & conuentionis
melioramẽtorum notabilium, & obligatio-
ne cuiuslibet insolidum, adeo quòd materia
visa est hoc casu carere difficultate, maxi-
me stante effectuatione, cũ Episcopus præ-
decessor mortuo vno ex conductoribus re-
ceperit ab alijs canonem, vt ex quietantijs
productis colligitur.

Romana Cambiorum.
Die Lunæ 28. Ianuarij 1572.

SVMMARIVM.

1 *Institor & Capserius deputatus ad banchum idem est, & idem iudicatur de vno quod de alio.*

DECISIO CLV.

PRopter multiplicitatem probationum, & scripturarum Domini distinxerunt hanc materiam, & considerarunt primo loco probationes Dominorum de Vbaldinis, circumscripto in primis; An Redittus esset
1 + institor vel Capserius, & an dato quòd esset Capserius tantum, idem sit de eo iudicandum, quod de institore, & ex dictis probationibus maxime Guicciardini, Trôcij, & constituto Reditti super primo, secûdo, & septimo præsupposito; Item constituto Thomæ de Gratijs in illa parte, in qua dicit fratrem suum cum admonuisse nonnullas partitas esse ponendas ad computum Reditti, & non Vbaldinorû, iunctis coniecturis sumptis tam ex libris banchi ob diuersa negotia gesta per Guicciardinum cû pluribus personis, & in specie cum Dominis Alenis & Foppis; quòdq. in eisdem libris à die reuocationis solus Guicciardinus scripsit, & alij post eum deputati; quòdq. cambia, de quibus agitur, erant damnosa, & præter cursum illius temporis. Dixerunt probari sufficientem notitiam reuocationis ad effectum, de quo agitur; Circumscripserunt tamen omnes probationes pro parte Dominorum de Alenis & Foppis, quas particulariter cum eisdem informationibus examinare volunt; An ex eis elidatur probatio Vbaldinorum, vel constituatur D. Rubertus in tam crassa & supina ignorantia, vt teneatur ad solutionem cambiorum, de quibus agitur.

Veneta Illegitimitatis.
Die Veneris 1. Februarij 1572.

SVMMARIVM.

1 *Vbi non agitur principaliter de matrimonio validando, vel inualidando, sed incidenter: prout quando agitur de legitimitate filiorum, non requiruntur tam exactæ probationes.*

2 *Confessio mariti, quòd talis sit eius vxor, emanata de tempore non suspecto, probat matrimonium, maxime si alijs adminiculis sit suffulta.*

DECISIO CLVI.

FVit resolutum saluis exceptionibus côstare de matrimonio inter Leonardum & Marietam; cû præsupposito tamen, quòd Leonardus sit ille idem, qui vocatur à testibus, Il forestiero, & primo hic adest Lucas testis de visu; Concurrit tractatus, denominatio, reputatio, & publica vox & fama diuersis in locis, & + hic non agitur 1
principaliter de matrimonio validando, sed incidenter, præcipue enim agitur de legitimitate Hieronymi Gasparis, & ideo non requiruntur probationes adeo exactæ, *per consilium à Rota sæpius approbatum Gemi-*
2 *niani* 27. & + multum facit confessio Leonardi, quòd Marieta esset eius vxor, cum emanauerit de tempore non suspecto, & sic tot suffulta adminiculis, *ad nota. per Couar. super 4. decr. part.* 1. *cap.* 4. §. 1. *num.* 4. Nec obstat *Paris. consil.* 15. *num.* 53. *lib.* 2. quia loquitur in simplici denominatione, & ibi principaliter agebatur super matrimonio.

Romana Viridarij.
Die Veneris 1. Februarij 1572.

SVMMARIVM.

1 *Instrumenta reduci debent ad concordiam, quo commodius fieri potest, ne contineant repugnantiam.*

2 *Detentio expirat per mortem detinentis remanente penes alium tam naturali quâ ciuili possessione.*

DECISIO CLVII.

1 FVit resolutum, quòd + cum ista instrumenta videantur continere repugnantiam, quòd fuit eo modo, quo commodius fieri potest, reducenda ad concordiâ; & ideo interpretantur Domini illud possessorium reseruatum à Cardinali pro nuda detentatione, quam voluit sibi vna cum administratione reseruare Cardinalis, possessionem vero naturalem & ciuilem voluit in Emanuelem transferre per constitutum, quod non censetur post mortem collatum, nisi hoc nominatim & expresse dictum fuerit, *Tiraq. de constit.* 3. *part. limit.* 2. *num.* 11.
2 *cum seqq. maxime num.* 14. & + hæc detentatio per mortem Cardinalis expirauit, remanente penes Emanuelem tam naturali, quam ciuili possessione.

Calaguritana Quartæ partis Decimarum.
Die Veneris 29. Februarij 1572.

DECISIO CLVIII.

FVit resolutum, Decimas de quibus agitur, fuisse concessas Vniuersitati, siue Capitulo, præsupponendo quòd idem sint, non autem singulis Ecclesijs ex rationibus infrascriptis; Et primo, quia stipulatio fuit facta nomine vniuersitatis, *l.* 2. *quod cuiusq. vniuers. nom.* Secundo, quia vniuersitas obligauit omnia sua bona, ibi, & specialiter

omnes redditus, & bona, quæ habet, & posset habere vniuersitas clericorum; Tertio, quia in stipulatione conuenit, vt œconomi vniuersitatis faciant homagium, & non singulæ Ecclesiæ; Quarto, quia concessio fuit facta sub his verbis, Vobis & vestris successoribus, qui erunt in vniuersitate, & vt semper istæ decimæ remaneant in vniuersitate; Quinto, quia in instrumento appositum fuit sigillum Vniuersitatis; Sexto, quia alter ex duobus instrumentis remansit penes vniuersitatem; Septimo, quia verisimilius est, quòd decimæ fuerint concessæ intuitu Capituli, quam singularum Ecclesiarum ratione dignitatis Capituli, & facilioris exactionis census Monachis concedentibus reseruati; Et principalis intentio in istis est attendenda, quam ex deductis apparet directã fuisse vniuersitatem, *Ruin. in cons. 129. lib. 4. num. 11.* Nec obstat, quòd fuerint nominati singuli clerici, quia fuerũt nominati, prout repræsentantes Vniuersitatem, quod erat necessariũ In re magnî præiudicij; Neque habet locum decisio *Aegid. 108.* quia sumus in claris, non autem in dubio, concurrentibus tot signis. Neque obstat, quòd essent plures Ecclesiæ quam sunt hodie, quia ex quo concessio fuit facta Capitulo, siue Vniuersitati, ius illius remansit in Ecclesijs, quæ supersunt in dicta vniuersitate.

Romana Casalis.
Die Lunæ 10. Martij 1572.

SVMMARIVM.

1 *Spolium potest esse, quòd in quibusdam adsit, & in quibusdam non, quando cadit in administratione, quæ habet plura capita, & ob id spoliatus in vno non potest dici omnimode spoliatus in omnibus.*

DECISIO CLIX.

FVit resolutum constare D. Horatium nõ seminasse de annis 1560. & 61. nam articuli, super quibus fundat suam intentionem, non concludunt; Et primo articuli priores coram Auditore Cameræ sub die 21. Augusti de anno 1560. loquuntur de turbatione, potius quam de effectuali spoliatione; secundi vero sub die 26. eiusdem mensis loquuntur de expulsione quorundam officialium, & nouorum appositione, sed nõ de totali spolio administrationis respectu
1 Bartholomæi; & † cum administratio haberet plura capita, vt patet ex capitulis, nõ est inconueniens, quòd in quibusdam fuerit spoliatus, & in quibusdam non fuerit; Articuli coram R. P. D. Binarino 18. Maij de anno 1563. vbi dicitur Bartholomæum habuisse solum gubernium, & administrationẽ per annum & vltra, non concludunt, quòd post annum fuerit omnimode spoliatus omnibus, quia fuerũt diuersa spolia, & diuersis tẽporibus, vt sæpius in Rota fuit consideratum, & vltimum spolium fuit de anno 1562. post sementem, dum fuerunt ei ablati boues, & alia instrumenta artis campi, ex quo vltimo spolio apparet, quòd antea non fuerat Bonsius omni administratione spoliatus, & cum haberet boues & instrumenta, est verisimile sementem fuisse per ipsum factam; quod comprobatur ex litteris missiuis, siue bolettinis, tum etiã ex testibus, qui licèt omnes non deponant de annis 1560. & 61. tamen vltimus nempe Hieronymus Galeanus super secundo articulo clarè deponit, quòd granum sementis remanebat in casali in cameris cauis, & hoc ad effugiẽdum expensas vecturarum; Ex quibus omnibus fuit conclusum pro Bonsijs contra Dominum Horatium.

Astoricen. Archidiaconatus.
Die Veneris 14. Martij 1572.

SVMMARIVM.

1 *Indultum à Papa concessum Episcopo sine aliqua restrictione ad certos menses, non impedit, quin Episcopus possit acceptare alternatiuam, & etiam vigore indulti, omnium mensium in ipso indulto contentorum priuilegio gaudere.*

DECISIO CLX.

1 FVit resolutum, quòd † Episcopus potuerit acceptare alternatiuam, non obstante indulto, cum sit concessum sine aliqua restrictione ad certos menses; ideo capit omnes menses apostolicos, quotquot sint; siue octo, siue sex, & à principio hoc indultum capiebat hanc interpretationem, itaut nullum fiat ei præiudicium per acceptationem, quemadmodum neque per indultum, nullum factum censetur præiudicium ordinario in mensibus sibi competentibus; siue sint quatuor per regulam octo mensium; sine sex per alternatiuam; siue duodecim, veluti Sede Apostolica vacante: sed quia fuit facta difficultas super reuocatione eiusdem indulti, siue eius suspẽsione: erit particulariter videndum; An per regulam reuocatoriam & reseruatoriã Pauli Quarti sit reuocatum indultum, aut saltem per alternatiuam suspensum.

Anconitana Terrarum.
Die Veneris 14. Martij 1572.

SVMMARIVM.

1 *Ius accrescẽdi in contractu emphyteusis locum habet, quando adest clausula, quibus decedentibus.*
2 *Contractus emphyteusis ex legum dispositione amat indiuiduitatem.*

3 Ra-

5 *Ratio differentiæ, cur in contractibus non habeat locum ius accrescendi, & in vltimis vollutatibus locum habeat, remissiue.*

DECISIO CLXI.

*fub die mercurij 23. Ian. proxime præteriti.

1 DOmini stant in decisis,* quia † quicquid sit in vltimis voluntatibus & in alijs contractibus, tamen in emphyteuticis, vbi adest huiusmodi clausula, quibus decedentibus, interpretatio fieri debet de
2 omnibus; quia † iste contractus ex legum dispositione amat indiuiduitatem, & super ista clausula est magis recepta opinio Speculatoris,ᵃ nec enim reprehendit Bart. cum non loquatur de clausula, decedentibus, & pro hac parte fuit etiam allegatus *Alciat. in l. si mihi & Titio. num. 25. de verb. ob-*
3 *lig.* † & de ratione differentiæ inter contractus & vltimas voluntates, *vid. Ruin. cons. 43. aliàs allegat. lib.* 1. Nec obstat, quod dicitur, filios Iacobi non esse vocatos, quia ex multis locis instrumenti contrarium apparet, & etiam ex ratificatione, in qua Iacobus ratificat, pro se, filijs suis, & nepotibus, & hanc ratificationem Episcopus acceptauit, & ratificauit. Nec etiam obstat illud, quòd Iacobus nunquam soluerit, quia non facit ad propositum; & satis est, quòd de effectuatione contractus constet, *vt fuit aliàs resolutum.*ᵇ

ᵃ in tit. de emphyt. §. nunc aliqua. n. 59. & aliorum, qui sub d. die 23. Ian. fuerunt allegati.

ᵇ sub die Veneris 23. Maij anni 1571.

Monasterien. canonicatus.
Die Lunæ 24. Martij 1572.

SVMMARIVM.

1 *Ad tollendam surreptionem in ijs, quæ non præsumuntur de iure, regulariter requiritur plena probatio; secus est in ijs, quæ sunt modici præiudicij.*

2 *In habilitatibus probandis sufficit semiplena probatio; & multo magis in præparatorijs. & num. 4.*

3 *Quando agitur de admissione in aliquod Collegium, dicitur agi de re modici præiudicij.*

5 *In probatione clericatus sufficit semiplena probatio.*

6 *Vbi agitur de qualitate aliqua à statuto requisita, per quod data sit certa forma aliquid probandi, tunc requiritur plena probatio, nec sufficit semiplena.*

7 *Habens præsumptiones contra se, licèt in re modici præiudicij, duriori probatione venit grauandus, si tamen præsumptiones habitæ fuerint à iudice pro releuantibus; aliàs secus.*

8 *Clericus de iure non præsumitur ignobilis, & ad hoc probandum sufficit semiplena probatio.*

9 *Derogationes statutorum, quæ de stylo passim solent apponi in prouisionibus dignitatum, non faciunt, quod ob tales derogationes, quis necessario contra formam statutorum dicatur prouisus.*

DECISIO CLXII.

FVit resolutum, in casu de quo agitur, nô requiri plenam & exactam probationê,
1 sed sufficere semiplenam; nam † licèt regulariter ad tollendam surreptionem in ijs, quæ non præsumuntur de iure, requiratur plena probatio, *vt est decis. Mohed. 148. circa fin.* tamen hæc regula recipit limitationê, vt non procedat in ijs, quæ sunt modici præiudicij: nam in ijs etiam si de iure non præsumantur, sufficit semiplena probatio, & statur attestationi Episcopi,
2 vt per *Crescent.* 178. & † in habilitatibus probandis passim tenet Rota, *Guidobon.* 11.
3 *Ias. cons. 77. lib.* 3. & † cum agitur de admissione in aliquo Collegio, agitur de re modici præiudicij, *vt per Alciat. tom. 1. lib. 2. cons. 42. & fuit originalis doctrina Baldi in l. eam quam. num. 8. C. de fidei-*
4 *com.* † quæ opinio magis procedit in præparatorijs, qualis videtur esse hæc qualitas, siue respiciamus dispositionem statuti Monasterien. siue Motumproprium fel. recor. Pij Quarti, vt ex eodem Baldo colligitur. Nec obstat, quòd hic videatur agi de præiudicio Ecclesiæ, quia idem præiudicium, immo etiam maius considerari posset in pro-
5 batione clericatus, † & tamen semiplena
6 sufficit. Nec obstat † quòd requiratur talis qualitas à statuto, & quòd in eo detur certa forma probandi nobilitatem, quia hæc qualitas non est per d. Ioannem probanda vigore statuti, sed vigore Motusproprij, *vt fuit resolutum sub die vltima Februarij 1567.* Et sic non obstant *Tiraquell. & Dec. exaduerso allegati.** Nec obstat,
7 quòd † habens præsumptiones contra se, sit grauandus duriori probatione, quia præsumptiones non fuerunt habitæ pro releua-
8 tibus; nam prima, † quòd quis præsumatur ignobilis tollitur per instantiam clericatus, cum hæc qualitas non præsumatur à iure; & tamen, vt dictum est, ad eam probandam sufficit semiplena probatio. Secunda, quòd D. Ioannes produxerit testes Gabinantes, non concludit, cum non sit clarum & resolutum, quòd ipsi non sint nobiles militares; propterea nunc non vtitur illorum depositionibus. Tertia quòd impetrauerit derogationem statutorum, tol-
9 litur ex eo, quòd de stylo passim solent similes derogationes apponi; Quarta quòd admissus fuerit ad canonicatum in Ecclesia Augustana, tanquam doctor, non facit, cum ipsi expediret vti talis admitti, præcedente cótrouersia super sua militari nobilitate, & ei vtilius erat ex capite non cótrouerso admitti; Et hæc facilius admittebant Domini in casu, de quo agitur, in quo fuit di-
ctum

*Tiraq. de retra. §. 1. gloss. 7. n. 1. & seq. & Dec. cons. 616. num. 4. & 665. num. 4.

ctum, D. Ioannem plusquam semiplenè probasse nobilitatem suam militarem, seclusis etiā depositionibus testium pro eius parte examinatorum.

Narnien. Legati.
Die Veneris 18. Aprilis 1572.

SVMMARIVM.

1 *Statutum per contrarium vsum non tollitur, nisi docto de effectu dicti cōtrarij vsus.*

2 *Ad vsum inducendum contra statutum ex tacito consensu populi, requiruntur actus valde clari.*

3 *In donatione facta tempore magna pestis, difficile seruari possunt solemnitates statuti.*

DECISIO CLXIII.

QVantum ad primam partē dubij fuit resolutum, quòd hic non potest tractari, An statutum fuerit vsu receptum; cū habeamus multas donationes factas iuxta formam statuti; & ideo agi potius de contrario vsu, per quem sit sublatum statutum,
1 † quo casu necesse est docere de effectu, quòd enim effectum non fuerit sortitum, nō potest tollere statutum; & in omnem euentum in tam numerosa ciuitate, & in qua adest populus magnus conflatus ex diuersis nationibus, non fuit visum sufficere donationes pro Cæsio deductas, maximè, quia pleræque factæ à forensibus, & instrumenta facta à notarijs, qui non erant Romani; quo casu magis attendendus est stylus notario-
2 rum Capitolij; Et Doctores † ad vsum inducendum ex tacito consensu populi, requirunt actus valde claros, vt colligitur *ex Alber. in l. de quibus. num. 20. de legib. & ibi Caccialup. & inter repetentes, in repetitione incerti authoris. num. 59.* Quantum ad secundam partem fuit per Dominos dictum,
3 quòd materia est difficilis, † si probata fuit magna pestis, ex ijs quæ trad. *Ant. Gabr. de testam. concl. 8. num. 2. qui allegat consil. Ioan. Ant. Alexan. 72.* Et ideo placuisset Dominis, vt causa concordaretur.

Romana Prætensi Affictus.
Die Veneris 18. Aprilis 1572.

SVMMARIVM.

1 *Monitorium reintegratum habet vim sententia.*

2 *Actio diuersa, & cumulatio plurium controuersiarum inducunt causa diuersitatem, tam respectu rerum quam personarū.*

3 *Allegans compromissum debet de illius effectuatione docere.*

4 *Debitor, qui per litis contestationem constitutus fuit in mala fide, si alteri soluit, male soluit, & non excusatur.*

DECISIO CLXIV.

FVit resolutum Dominum Stephanum teneri ad solutionem affictus Domino Ioanni Petro; non quidem ex capite sublocationis, sed propter monitorium reinte-
1 gratum, † quod habet vim sententiæ, & hoc *per text. in l. qui restituere, de rei vind.* Nec potest iuuare se ex compromissis, quia
2 fuerunt facta cum Dominico, † cōtra quem competebat diuersa actio, & cumulatæ etiā fuerunt plures controuersiæ, quæ inducunt causæ diuersitatem, tam respectu rerum
3 quam personarum; † neque de dictorum compromissorum effectuatione constat; quę omnia requiruntur ad hoc, vt intrent allegata *per Felin. in c. inter monasterium. num. 31. de re iudic.* Neque solutio potest
4 ipsum excusare, quia † cū per litis contestationem esset constitutus in mala fide, non debuit soluere Dominico, & si soluit, incautè egit, nec potuit D. Ioannipetro præiudicare, cui ius per sententiam quæsitum fuerat.

Cæsaraugustana Capellaniæ.
Die Veneris 30. Maij 1572.

SVMMARIVM.

1 *Præsentatio facta ab vno ex patronis, si duo tantum patroni reperiantur, alio non reclamante, nec intra quadrimestre præstante, tenet.*

2 *Lis & contradictio patroni post quadrimestre non releuat contra præsentationem intra quadrimestre ab alys patronis factam.*

3 *Præsentationes, & collationes, quoad fieri potest, sunt sustinenda, ne beneficia diutius vacent,*

4 *Patronus non comparens ad præsentandū in termino edicti sibi praiudicat,*

DECISIO CLXV.

FVit resolutum sententiam R. P. D. Sarmientis esse exequendam, cum de eius
1 iustitia constet, nam † vno ex patronis; si sint duo tantum, in quibus non potest dari nec maior nec minor pars; præsentante, tenet eius præsentatio, alio non reclaman-
2 te, nec intra quadrimestre præsentante, † nā lis & contradictiones fuerunt post quadrimestre, & sic non releuant; nec potest dici hic adesse omnino contemptum, cum ex testibus constet Paschasium fuisse requisitū, & consensisse à principio, licèt eum postea
3 pœnituerit, † & quoad fieri potest, sustinendæ sunt præsentationes, & collationes, ne beneficia diutius vacent, cum hoc sit contra publicam vtilitatem. Illud præterea est considerandum, † Paschasium non comparuisse in termino edicti; ideo sibi

præ-

præiudicasse, Felin. in cap. cum Bertoldus. num. 12. de re iudic.

Romana Prioritatis, & Potioritatis.
Die Lunæ 2. Iunij 1572.

SVMMARIVM.

1 *Sententia non dicitur notorie iniusta, quãdo adsunt Doctores hinc inde attestantes de communi; fallit tamen, quando altera ex opinionibus est per curiam recepta.*

DECISIO CLXVI.

OPinio *Stracha de mercatur. tit. de decoct. num. 27.* non est in curia recepta, sed recepta est opinio Angeli, Negusantij, Afflicti, Couaruuiæ, & sequacium, *ut*
1 *per Paleot. decis. 195.* & ideo † licèt sententia non videatur notorie iniusta, quando adsunt doctores hinc inde attestantes de communi; tamen fallit, quando altera ex opinionibus est per curiam recepta, *ut declarat Sylu. nuptial. citata à Paleot. & alij allegati per informantes*,* & hoc de plano procedit, si non constat de aliqua diligẽtia, in specie Domini Pauli; Ideo videndum in facto, quomodo fuerit commissa causa discussionis, & an D. Paulus venerit ad causam, & aliquam diligentiam fecerit, quæ præualeat diligentijs Domini Aegydij, quæ fulcitæ sunt auctoritate iudicis respectu reuocationis sequestri.

*Ang. in l. tutores. ff. de cōdic. indeb. Negus. de pign. secũdo meb. secũd. par. pri cip. n. 22. & 13 Paris. cōs. 69. col. 2. lib. 4. Grãmat. q. 1. post suas dec. Couar. pract. quæst. c. 29. n. 2. Mat. Brun. 8 cess. bon. q. 24. Præsertim inter mercatores, ne litibus implicentur, Sald. in l. vbi adhuc. num. 18. C. de iur. dot. Afflict. decis. 190. in fin.

Esina Bonorum.
Die Veneris 6. Iunij 1572.

SVMMARIVM.

1 *Dictio, versus, respectu loci non includit locum.*

2 *Non est inconueniens, quòd vnum instrumentum declaretur per aliud magis specificum.*

DECISIO CLXVII.

Ab hac resolutione recessum fuit sub die 12. Decembris 1580.

FVit per Dominos inclinatũ, quòd verba illa, hinc inde fossatum Manciani, sint intelligẽda vltra & citra fossatum; tum inspecta proprietate verborum, & communi significatione; tum quòd si aliàs intelligerentur, prout intelliguntur pro parte RR. Canonicorum, essent superflua, designarunt enim limites clarius specificatos, dum dicunt pro confinibus, flumen, & collinæ; Nec potest verificari illa demonstratio versus mare, si omnes terræ sumantur ab vno tantum latere fossati, nam interpretatio illa, de fossati versus mare declinatione, non placebat; tum ob exilitatem rei; tum quòd plenius & apertius poterat dici versus flumen, quod erat illi declinationi proximum, quàm versus mare valde remotum: Accedit, quòd vt æqualis sit de-
1 terminatio, sicut † dictio, versus, respectu maris non includit mare, ita respectu Antignani, debet ita accipi, vt Antignanum non comprehendat. Nec obstat vetus inuesti-
2 tura, ad quam relatio habetur, † quia non est inconueniens, vt instrumentum illud declaretur per aliud magis specificum, & hæc sine difficultate procederent, si est verum, quòd per testes Canonicorum probetur lõgissima possessio Episcopi istorum bonorũ in Antignano sitorum, quod in facto ponens causæ animaduertet.

Imolen. Castrorum.
Die Lunæ 9. Iunij 1572.

SVMMARIVM.

2 *Actio personalis non datur contra tertium possessorem, nec agi potest hypothecaria non facta prius discussione contra principalem; neque rei vindicatione, si possidens prior possessionem habuerit iuxta dispositionem l. quoties C. de rei vindic. nisi intret aliqua ex limitationibus ad illam legem datis.*

DECISIO CLXVIII.

FVit dictum regulam esse contra Illustr.
1 Dominam Hersiliam, † cum ei contra Illustriss. & Reuerendiss. D. Cardinalem non possit competere neque personalis, quę non datur contra tertium possessorem, neque hypothecaria non facta prius discussione, neque rei vindicatio propter dispositionem leg. quoties. C. de rei vindic. nisi hoc casu intrent aliquæ ex limitationibus, quæ dantur ad hanc legem: quare fuit ordinatum, vt Domini scribentes pro Domina Hersilia eligant vnam vel duas ex limitationibus, quæ magis releuare videantur, & super eis detur dubium.

Bononien. Vigintimillium.
Die Lunæ 9. Iunij 1572.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio per sententiam extincta non potest reuiuiscere.*

2 *Ab impugnatione potest quis desistere, nisi impugnatio sit sortita effectum.*

3 *Non refert, an sententia statuerit aliquid sub modo, vel sub conditione, quoad eius effectum.*

DECISIO CLXIX.

1 FVit dictum, † si à sententia siue decreto Prætoris Bononien. non fuit appellatum,

tum, vel legitime reclamatum, obligationem fuisse extinctã, itaut non potuerit re-
2 uiuiscere; nam quæ adducuntur, † posse quem ab impugnatione desistere, non procedunt, vbi impugnatio est sortita suum finem, prout hic per sententiam, maxime cum approbatio fideiussorum penderet à declaratione Prætoris iuxta formam senten-
3 tiæ consilij Ferrarien. † nec interest, an dicta sententia hoc statuisset sub modo vel sub conditione, cum idem sit effectus, *vt per Cassad. 10. de rescript. num. 7.* adeo quòd per declarationem Prætoris actus fuit resolutus: Videndum ergo erit in facto, an fuerit ab hac sententia Prætoris appellatum, vel reclamatum, iunctis circumstantijs facti, nam reperitur etiam effectuata respectu dimissionis possessionis bonorum, quæ omnia sunt expendenda.

Romana Domus de Rosis.
Die Veneris 13. Iunij 1572.

SVMMARIVM.

1 *In interdicto quorum bonorum non veniunt fructus nisi à die mota litis.*

DECISIO CLXX.

FVit resolutum deberi fructus à die motæ litis tantum, regula enim est, quòd
1 † in interdicto quorum bonorum, non veniunt fructus nisi à die motæ litis, nec limitatio, quæ datur de mala fide, habet locum; siue factum inspiciamus, quia multa concurrunt pro bona fide, vt in facto deducitur; siue ius, quia in hoc remedio non fit ista distinctio, *vt post Speculat. tradit Alex. cons. 184. num. 9. lib. 5.*

Salamantina Capellaniarum.
Die Veneris 20. Iunij 1572.

SVMMARIVM.

1 *Testes examinati inter alios, quando probēt.*

DECISIO CLXXI.

1 DOmini dixerunt, † testes istos facere fidem, cum præsuppositis sequentibus, nempe si concludenter probent in dicto suo, & in actis constat, eos esse mortuos, itaut repeti non potuerint, & in actis adsunt acta concernentia validitatem examinis, veluti citatio, iuramentum, & reliqua, maximè vero si ille, qui est repetitus in remissoria, probet concludenter in dicto suo, nam faceret semiplenam, & ex alijs testibus licèt inter alios examinatis resultaret saltem alia semiplena, cum simus in probatione rei antiquæ, *ad Mohedan 178.* Illud vero quod dicebatur, esse examinatos in causa status, nõ placebat Dominis, quia de furore non agebatur principaliter sed incidenter, neque etiam quòd fuissent examinati cum capellanis, nisi enim de eorum institutione constaret, non facerent præiudicium successoribus: Videndum itaque in facto, An requisita verificentur.

Romana Prælationis.
Die Lunæ 6. Octobris 1572.

SVMMARIVM.

1 *Iura etiam vendi possunt.*
2 *Cessio iurium facta mediãte pretio, nil aliud est, quam venditio.*
3 *Mentio pretij facit, vt in dubio contractus dicatur emptionis & venditionis.*

DECISIO CLXXII.

FVit resolutum hic non adesse aliquam mixturam contractuum venditionis & sublocationis, sed esse simplicem venditionem plurium rerum, & insuper iuris conductionis, prout ex narratiua & dispositiua
1 colligitur: † Clarum est enim, etiam iura vendi posse, *l. fin. & tot. tit. C. de hared. & actio. vendi. Odofred. in l. nemo. C. locati,*
2 & † cessio iurium facta mediante pretio nihil aliud est quam venditio, *l. cum his. de*
3 *fideiussor.* & † in dubio mentio pretij facit, vt contractus dicatur emptionis, *vt per Alex. in l. si quis antea. de acquir. poss. num. 9. per tex. in l. fin. C. de præst. curi. lib. 10.* sed hic tollit omnem difficultatem clausula, ponens, & clausula, nullo iure, & susceptio omnium onerum facta pro parte Antonij; Ideo videndum est, an adsit talis rerum venditarum mixtura, vt doctrina *Bart. in l. 1. C. de metallar* locum non habeat in casu proposito; * hic enim maior videtur subesse difficultas. *pro quo vide infra sub die Vener. 17 Octobris sequent. decis. 174. & sub die Mercurij 29. eiusdem, decis. 177.

Legionen. Congruarum.
Die veneris 10. Octobris 1572.

SVMMARIVM.

1 *In materia congruarum plurimum defertur iudicio Ordinariorum, quorum conscientia onerantur.*
2 *In congruis præsumitur pro sententia Ordinarij, nisi appareat de euidenti iniquitate sententiæ.*
3 *A sentẽtia lata super congrua datur appellatio, sed non ob id sententiæ exequutio suspenditur.*
4 *Congrua percepta pendente appellatione, si propria auctoritate fuerint percepta, induunt attentata; secus est si iudicis auctoritate.*
5 *Congrua debetur de iure, siue sit debita Rectori, siue Vicario perpetuo.*

6 Con-

6 *Congrua Rectoris per bullam Pij V. est vsque ad centum, Congrua verò Vicarij vsque ad quinquaginta.*

7 *Paupertas clerici probata dicitur, ex eo quòd redditus, quos habet non excedunt 25. scuta.*

8 *Pro consequendis expensis litis sufficit iuris præsumptio.*

DECISIO CLXXIII.

1 DOmini in ista materia † multum tribuunt iudicio Ordinariorum, cum eisdem iura maximè deferant, eorumque conscientias onerare soleant, *clem. prima. de* 2 *iurepatro.* Idcirco † præsumendum esse dixerunt pro sententia regulariter, nisi appareat de euidenti iniquitate. Et quantum ad primum obiectum pro parte Comestabilis de attentatis, dixerunt aduerten-3 dum esse, quòd † licèt à sententia lata super congrua possit appellari, *vt per Rebuf. de congr. num. 79.* Tamen hæc appellatio non suspendit, quo minus iudex possit sententiam suam exequi, *vt per glos. in verb. oneramus, & ibi Doctor. in d. clem. prima* 4 *de iurepatr.* Ideo † si auctoritate iudicis isti Rectores perceperunt congruas, cessare attentata, secus si propria auctoritate. Quantum ad iustitiam sententiæ ea in parte, in qua assignat Rectoribus congruas, 5 eam esse iustam, cum † de iure eis debeatur; siue sint Rectores, siue sint Vicarij perpetui, licèt in quantitate differant propter 6 bullam fel. rec. Pij. V. † in qua assignatur vsque ad centum Rectoribus, & Vicarijs vsque ad quinquaginta. Quantum ad beneficiatos, si ipsi sunt necessarij, ne ecclesiæ patiatur defectum seruitij, itaut Rectores eorum operâ carere non possint, ipsis debetur congrua, vt per informantes bene deducitur; tamen in constituenda congrua Rectoribus, eorum est habenda ratio; vt factum est in alijs causis, veluti *in vna Calaguritana** coram R. P. D. Decano 21. *Maij* 7 1571. Quantum ad expensas litis, † satis visa est Dominis probata paupertas, si redditus, quos habent isti Rectores, non 8 excedunt vigintiquinque scuta, † & pro eis consequendis, satis est, quòd præsumptio iuris eis assistat, *vt aliàs tenuit Rota referente Peregrino decis.* 1. Ideo placeret Dominis, vt darentur eis sex scuta menstrua pro istis expensis lite durante; Et videndum erit, vsque ad quam summam ascendat valor congruæ per Ordinarium istis assignatæ.

*In Calaguritana cōgruarū portionū quæ est in im pross. diuers. nouiss. par. 1. decis. 16.

Romana Prælationis.

Die Veneris 17. Octobris 1572.

SVMMARIVM.

1 *An possit quis partem vel retrahere, vel sit cogendus ad retrahendum totum.*

2 *Ius sublocationis potest cedi, vendi, donari, & quouis modo alienari.*

3 *Doctr. Bart. in l. prima C. de metallar. lib. 11. declaratur loqui tantum de fructibus.*

4 *Terra culta & sata non possunt verè dici fructus ad effectum doctr. Bart. in d. l. 1. C. de metal. lib. 11.*

DECISIO CLXXIV.

IN hac positione nihil fuit resolutum, sed dilata resolutio in aliam causæ propositionem* propter materiæ difficultatem; Nam aliqui ex Dominis præsupponebãt sine veri præiudicio, quòd in isto contractu venditionis adesset aliqua res, quæ posset cadere sub doctr. *Bart. in. l. 1. C. de metallar.* & tunc quòd intrent doctrinæ allegatæ *Bald. in suo tract. de iure prothomis. prope fin. num. 20. vers. sed pone, Afflict. eod. tract. §. 6. notab. 4. Tiraq. de retract. lign.* 1 *§. 23. glos. 2. num. 8.* † itaut liceret Domino Hieronymo retrahere illam rem, in qua ei competebat retractus, quòd si partes allegarent indiuiduitatem contractus, & quòd nec emptor aliàs particulariter empturus, nec venditor venditurus fuisset, *iuxta tradita per Tiraquell. d. §. 23. glos. 1. num. 20. & per tot.* quamuis inter prædictos doctores controuertatur, an posset cogi retrahens totum retrahere, vel totum omittere; tamen ex facto cessare difficultatem, cum ipse offerret se omnia retractūrum; & pro ista parte, *vltra Bald. Afflict. & Tiraq. allegatos, fuerunt allegati Alciat. cons. 739. Glos. in consuetud. Neapol. tit. de iur. con. num. 18. Nouell. de iur. congr. §. 2. num. 116. quamuis videatur cōtrarium voluisse Boer. in consuetud. Aruer. de iur. congr. §. fin. Ant. Gomes. tom. 2. c. 10. de indiuid. num. 3. cart. 267.* sed nonnullis faciebat difficultatem, quòd dato, quòd doctrina Bart. & sequacium esset vera, tamen iuxta eorum decision. non poterit Dominus N. Picus retrahere nisi fructus illius anni, non autem sequentium annorum, neque instrumenta, neque boues; cū 2 enim ius sublocationis, † quod poterat cedi, vendi, donari, & quauis ratione alienari, *l. arboribus. §. vsufructuarius. ff. de vsufr. Balduin. Fabr. Port. §. si eui. Inst. de vsufr. Odofr. & Bald. in l. nemo. C. locati,* non caderet sub retractu ratione huius iuris, potuerunt emptores sequentibus annis ista casalia colere, serere, & id omne, quod conductori licebat, facere; neque in his videbatur aliquid D. Hieronymum prætendere posse, cum non cadant 3 sub doctrina Bart. † quæ tantum de fructibus loquitur. Nonnulli verò ex Dominis non admittebant præsuppositum illud, quòd

* resolutio huius propositionis habetur infr. sub die Mercurij 29. præsentis mensis.

in hac mixtura rerum adesset aliqua res quæ cadere posset sub doctr. Bart. eo quòd videretur hæc esse talis mixtura, quæ constitueret speciem separatam, nempe Artem Campi, & sic istas res tanquam singulas non haberi in consideratione. Neque obstare, quòd pretium bouum esset particulariter constitutum, hoc enim videri factum ratione solutionis gabellæ; & ideo hanc vnius rei tantum venditionem reputari debere, *iuxta cons. Dec. 421. col. 1. & Tiraq. d. §. 2. glos. prima num. 20.* Considerabant etiam, terras illas cultas & satas non posse verè dici fructus ad effectum doctrinę Bart. exorbitātis à dispositione iuris communis, sed esse quandam mixturam naturalem ordinatā ad generationem grani: Stantibus igitur istis difficultatibus; Domini ordinarunt, vt partes de illis admonerentur, & deducerent, si quid haberent pro alia positione super eisdem, & tunc dabitur, Deo dante, resolutio.

Astoricen. Archidiaconatus.
Die Veneris 24. Octobris 1572.

SVMMARIVM.

1 *Si præsentatus non expediuerit litteras, sed cesserit iuri sui beneficij ad fauorem alterius, subrogatus tenetur litteras expedire, & ea facere, ad quæ tenebatur cedens.*

DECISIO CLXXV.

Resolutio in sequenti dabitur, & informantes dent Dominis distinctè tempora omnium prouisionum tam Petri, & suorum authorum, quam Pizzari & suorum authorum, cum enim præsentatus à Marchione non impetrauerit nouam prouisionem, nec litteras expediuerit, & cesserit
1 iuri suo in fauorē Alphonsi, † ipse Alphonsus tenebatur expedire litteras, & ea facere, ad quæ tenebatur Ferdinandus, per doctr. *Bald. in l. fi. C. si mancip. ita fuer. alien. quem refert Ias. in l. 1. §. item acquirimus. ff. de acquir. poss. facit decis. Aegid. 112.* & solum posset heri difficultas in eo, an detur subrogato nouus terminus iuxta tradita *per Dec. in c. ex ratione. num. 14. de probation.* Ideo volunt Domini scire tempora prouisionum, vt sciant, an ex facto possit tolli difficultas.

Monasterien. Denegationis possessionis Canonicatus.
Die Lunæ 27. Octobris 1572.

SVMMARIVM.

1 *Testis, qui fuit notarius in particulari negotio causæ, non tamen concernente negotium principale, non omnino repellitur.*

2 *Idem est in procuratore constituto in vno articulo tātum; maximè si nō sit salariatus, remanet tamen parum vulneratus.*

3 *Testis, qui habet interesse & affectionem in causa, repellitur.*

4 *Exceptiones quædam singulares, licèt non repellant testem tanquam non idoneum, tamen si simul iungantur, repellunt.*

5 *Sicut plures probationes imperfectæ faciunt simul iuncta probationem perfectam, ita multæ exceptiones coniunctæ repellunt testem.*

6 *Testis habens aliquam communicationem cum parte aduersa, est valde suspectus.*

7 *Testis ratione immoderatæ amicitiæ cum parte aduersa repellitur.*

DECISIO CLXXVI.

1 Primus testis, † qui est notarius, & quædam negocia huius causæ, non tamen concernentia negocium principale tracta-
2 uit, non est omnino repellendus, † æquiparatur enim procuratori constituto in vno articulo tantum, qui non repellitur, *Bald. in l. omnibus. num. 3. de testib.* maximè quia non est salariatus, *iuxta auctores cumulatos per Ant. Gabr. de testib. conclus. 12. num. 4. quam opinionem Rota sequutur*, sed remanet parum vulneratus, quia cum constet ipsum solicitasse in hac causa, non constat, quod articulus, in quo solicitauit, tangeret negocium principale, nisi ex ipsius assertione, cui omnino non creditur, iuxta doctr. *Bart. in l. decem. num. 6. ff. de verb. oblig.* Secundus testis, qui est tertius remissorialis, etiam non repellitur, licèt non habeatur pro omni exceptione maiore, sed parum ei de fide detrahitur, per congesta *per Gabr. de testib. concl. 10. num. 57. vsque ad 62.* Tertius testis, qui est decimusoctauus remissorialis nobilis militaris, respectu istius qualitatis reijcitur, circa ea quæ concernunt probationem tangentem statum Erbmanorum, & sic de omnibus militaribus pronunciarunt Domini in ijs, quæ concernunt Erbmanos, an sint vel non
3 sint nobiles militares, eos † non esse idoneos testes propter interesse, quod habent, & affectionem in causa, & litteras, quas scripserunt: Præterea concurrunt in illo teste qualitates, quæ faciunt, vt in totum reijciatur, quia est canonicus Osnaburgensis, & Capitulum Osnaburgense scripsit diuersas litteras in fauorem Capituli Monasteriensis, & litigauit cum Domino Ioanne, & ei non bene vult, & habet consangui-
4 neos capitulares, † licèt enim quædam exceptiones singulares non repellant testē: tamen si simul iungantur, repellunt; nam
5 quemadmodum plures probationes imperfectæ iunctę faciunt perfectam ad probandum, ita multæ exceptiones coniunctæ repel-

pellunt, *Grammat. cons. crimin. 45. nu. 23. Cephal. qui alios citat, cons. 65. num. 27.* Quartus, qui est decimusnonus, repellitur, tum propter suspicionem sectæ improbatæ, ex quo non euacuauit clare interrogatorium de Cõmunione, tũ quòd Secretarius
6 Episcopi Monasteriensis, nam † qui habent aliquam communicationem cum Capitulo & Episcopo, sunt valde suspecti; cum Capitulum nullum non mouerit lapidem, suscitando Capitula, & ordines, & magnates pro istius causæ defensione. Quintus, qui est vigesimustertius, reijcitur, quia militaris, & quia habet consanguineos & affines capitulares, & interfuit repulsioni factæ Erbmanis, ne interessent in consilio. Sextus, qui est vigesimusquartus, repellitur, quia militaris, & instigauit canonicos ad se defendẽdum. Septimus, qui est vigesimus septimus, capellanus scholastici Monasteriẽ-
7 sis, † in totum repellitur ratione immoderatæ amicitiæ iuribus allegat. * Octauus, qui est trigesimusquintus, repellitur ex causis, quibus quartus. Nonus, qui est trigesimus sextus, repellitur ex causis, quibus quintus & sextus. Decimus, qui est trigesimusseptimus, repellitur, quia militaris, & supplicauit cum alijs, & interfuit expulsioni Erbmanorum. Vndecimus, qui est trigesimusoctauus, idem cum præcedenti. Duodecimus, qui est quadragesimus, idem. Vnus tamen ex Dominis reijciebat quintũ, sextum, nonũ, decimũ, vndecimum, & duodecimum, cum distinctione posita in tertio; nempe respectu eorum, quæ concernebant statum Erbmanorum propter interesse, quod ex ea re prætendebant, respectu verò particularis probationis contra personam Domini Ioannis aliunde sumptæ, quam ratione ordinis, eos absolutè non reijciebat.

* l. idonei. ff. de testib. Abb. in c. accedẽs. il 2. nu. 8. vt lit. nõ cõtest. Specul. de testib. §. 1. n. 1. Fel. in c. quoties. §. notab. de testib. & ibid. Imol. Alex. in apostil. ad Bar. in l. 3 in verb. cõsiderare, vbi dicit esse cõmunẽ opin. ff. de testi. Gab. de testi. cõcl. 10. nu. 53.

Romana Prælationis.
Die Mercurij 29. Octobris 1572.

SVMMARIVM.

1 *Fructus pendentes & immaturi non comprehenduntur sub doctr. Bart. in l. 1. C. de metall. lib. 11.*

2 *Fructus etiam pendentes vocantur fructus, & veniunt propriè appellatione fructuũ; quod potest procedere respectu vnius materiæ; respectu verò alterius impropriè.*

3 *In materia prælationis fructus pendentes non possunt propriè dici fructus, ubi ratio.*

4 *Vbi concurrunt duæ regulæ, quarum altera est affirmatiua, altera negatiua; standum est ei, quæ minus deflectit à iure communi.*

5 *Fructus, qui sunt immaturi, propriè non possunt dici fructus.*

DECISIO CLXXVII.

1 Fvit resolutum in hac venditione nihil cadere, quod comprehendi possit sub doctr. Bart. * nã fructus isti pendentes & immaturi, nõ visi sũt Dominis tales, vt possint sub illa doctr. comprehendi, *argum. tex. in l. fin. §. fructus. de rei vindic.* vbi fundus & fructus pro vna & eadem re censentur, facit *l. fructus pendentes. de rei vindic. & l. cum qui. de vsucap.* maximè cum hæc herba neque in fructu sit, neque in vsu regulariter, inspecta rei natura, vt *per Bald. & Ang. in l. si absente. §. fin. de vsufr.* et cum non sit separata venditio iurium conductionis à venditione fructuum, in ea non potest cadere ius retrahendi, *vt per Tiraq. de retract. lig. §. 1. glos. 7. num. 37. 40. & 53.* Nec
2 obst. quòd † etiam fructus pendentes passim à iureconsultis vocentur fructus, & quòd propriè appellatione fructuum veniant; quia non est inconueniens, quòd respectu vnius materiæ sint propriè fructus, respectu verò alterius sint impropriè, *argumento cap. cum dilectus. de consuetud. bene facit pro hac distinctione doctr. Bald. in l. non solum. de in integr. restit. quam refert Ias. in l. 1. C. de iur. emphyt. num. 148.*
3 † ratio autem cur in materia prælationis iuxta Bart. doctrinam non possint dici propriè fructus, est, quia ea non habet locum in venditione iurium conductionis, in qua veniunt isti fructus accessoriè & inseparabi-
4 liter, † & vbi concurrunt duæ regulæ, quarum altera est affirmatiua, altera negatiua, standum est ei, quæ minus deflectit à iure communi, *Dec. cons. 3. num. 5.* Ius autem commune assistit validitati alienationis, *l. dudum. C. de contrab. empt.* Accedat, quòd
5 † propriè non possunt dici fructus, ij qui sunt immaturi, itaut tunc temporis eos tolli non expediat, cum in fructu esse non possint, *l. pen. de vsufr. legat.* Nec obstat, quòd maior videatur ratio in pendentibus quam in collectis, quia non procedit hoc argumentum in hac materia, alioqui daretur etiam prælatio in sublocatione, cum maior videatur ratio, vt fiat domino, quam extraneo, & tamen nihil tale reperitur in iure cautum.

* in l. 1. C. de metall. li. 11.

Ciuitatis Castelli Bonorum.
Die Veneris 21. Nouembris 1572.

SVMMARIVM.

1 *Quando contractus habitus fuit à contrahentibus pro perfecto, An liceat à persona recedere iuxta terminos l. si quis arbitratu. de verb. oblig.*

2 *Tempus aliquando adijcitur gratia differendæ, aliquando gratia limitandæ obligationis.*

DECISIO CLXXVIII.

Præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. decis. 135. par. 1.

Fuit per Dominos conclusum in casu istius contractus licere recedere à per-
1 sona, quia † principalis concordia, quæ sonat in diuisioné, habita fuit à contrahentibus pro perfecta, *iuxta communem doctrinã, quam refert Alciat. in l. si quis arbitratu, num. 27. de verb. oblig.* Neque hic habet locum *l. fin. C. de contrab. empt.* & eandem opinionem tenent *Alex. & Ambros. Opiz. in d. l. si quis arbitratu*, sed difficultatem faciebat Dominis tẽpus adiectum, eo quòd aut est adiectum causa differendæ obliga-
2 tionis, aut causa limitandæ, † sed hic non videtur adiectum causa differendæ, ergo causa limitandæ, fuit allegatus *Ruin. cons. 82. num. 3. lib. 1. & Ias. in l. eum qui. §. qui ita. colum. 5. in 2. lectur. de verb. obligat.* & hoc maximè videbatur dicendum ratione subiectæ materiæ, cum valor bonorum stabilium sit auctus, licèt nonnulli ex Dominis contrarium sentirent, dummodo fieret æstimatio ad rationem illius temporis; Ideo super hac parte nihil fuit resolutum: sed ordinatum, vt denuo causa proponatur cum eisdem informationibus, & partes in memorialibus restringant se ad hoc vltimũ caput.

Cæsaraugustana Alimentorum.
Die Veneris 12. Decembris 1572.

SVMMARIVM.

1 *Omnis dispositio intelligi debet rebus sic stantibus; secus tamen est in ijs, quæ se possunt habere ad augmentum & diminutionem, vt num. 3.*

2 *Pecunia subrogata loco rei sortitur eius naturam.*

DECISIO CLXXIX.

Fuit inclinatum pro canonicis, cum præsupposito quòd dominium bonorum Ecclesiæ non transiuerit in dignitates, sed sola administratio, quod videbatur probari ex scriptura anni 1276. & licèt in scriptura anni 1290. dicantur annexa, tamen hoc intelligebant Domini respectu administrationis, quod etiam suadetur, ex eo quòd toties repetitur, vt debeant benè administrare, & pro hoc fideiubent, aliàs fuisset ingens alienatio, & quæ vix sustineri posset. Nec obst. quòd in scriptura anni 1290. videantur se obligare ad casus fortuitos, quia ibi nõ tam videtur disponi gratia obligandi quàm gratia obuiandi talibus casibus, qui plerunque per incuriam administratorum euenire solent; Quo fundamento ita cõstituto, dicebant plures ex Dominis, canonicos posse petere quantitatem carnis à principio eis assignatam, vel sufficientem
1 pecuniam ad illam emendum, quia † omnis dispositio debet intelligi rebus sic stantibus, *Riminald. cons. 102. num. 60. lib. 1. Rip. cap. cum M. Ferrariensis. num. 37. de*
2 *constit.* & † cum pecunia subrogetur loco carnium, ideo sortitur naturam speciei in cuius locum subrogatur, *Ant. Gabr. de reg. iur. concl. 2. num. 12.* Nec obstare, quòd etiam consideratio illa, quòd dispositio intelligatur rebus sic stantibus, possit inseruire pro Capitulo, ex quo pretium carniũ auctum fuit, & ideo non teneantur ad eandem quantitatem, quia præsupponebant Domini, arguendo à communiter accidentibus, quòd bona quoque eorumque valor proportionabiliter creuissent, *cap. quanto. de censib.* Neque hic procedi per viam læsionis ad impugnandam concordiam, sed per viam supplementi, *ad nota. per Roman. cons. 417. Dec. l. cum quid. num. 57. si cert. petat. & glos. in d. cap. quanto.* Nec Rebuffi allegata faciunt pro hac parte, cum glossa loquatur, quando à principio statuitur limitata portio, sed hic prima obligatio non est in pecunia, sed est in quantitate carnium, & *Rebuff. num. 100.* facit contra dignitates. Vnus tamen ex Dominis contrarium tenebat, ex eo quòd carnes reci-
3 piunt augumentum & diminutionem, † & clausula illa, rebus sic stantibus, non procedit in his, quæ se possunt habere ad augumentum & diminutionem, *vt in decis. Pedemont. 91. num. 17.* Item ex eo quòd plura alia dabantur, quæ excedebant modum necessarium, veluti vinum, granum, & reliqua; Ideo non fuit capta resolutio nisi per modum inclinationis, & iterum vel proponetur, vel restringetur.

Calaguritana de Villoria.
Die Veneris 12. Decembris 1572.

SVMMARIVM.

1 *Diuisio facta inter aliquos debet tribui causæ immediatæ.*

2 *Procurator non appellando à sententia, præiudicat principali.*

3 *Scientia patris arguit notitiam etiam in filio.*

4 *Sententiæ acceptatio in parte & partibus, si capitula sententiæ sint connexa, & non recipiant diuisionem non valet, secus si non sint connexa, & recipiant diuisionẽ.*

5 *Acceptatio sententiæ iniustæ non præsumitur, nisi adsint vrgentes præsumptiones.*

DECISIO CLXXX.

Si sententia Metropolitani non est iniusta, & non adest interesse considerabile Petri, nisi ratione prælationis, in qua potuit sibi præiudicare, Domini erant in voto, quòd Petrus non sit audiendus, quia multa

multa concurrunt, quæ reddunt rem multum verisimile, quòd ipse ratificaverit sententiam Metropolitani; nam si non cõstat, quòd ante dictam sententiam ipse habuerit possessionem istius quarti, cuius fructus percipit, præsumendum videtur, quòd habuerit possessionem vigore dictæ sententiæ;
1 nam ✝ diuisio facta inter combeneficiatos debet tribui causæ immediatę, nempe sententiæ; & hoc maximè procedit, ex quo Petrus erat in Ciuitate Cæsaraugustana tempore sententiæ; nec constat de recessu, & præsumitur procuratorem suum eum certiorasse: Præterea ✝ procurator non appel-
2 lauit à dicta sententia, quo casu omittendo præiudicare potest, & cum pater post habitam notitiam sententiæ habuerit fru-
3 ctus, ✝ ex notitia ipsius arguitur ad notitiam filij; *prout aliàs fuit consideratum in Florentina matrimonij coram bo. me. Grato.* Accedit ratificatio in mandato generali ad negotia, & in iudicio & extra iudicium; & licèt ratione beneficij sibi non posset Petrus præiudicare, ratione tamen personæ potuit, si nihil aliud controuertitur quàm prælatio, & valebit sententia in vim pacti.
4 ✝ Nec obstat quòd sentẽtia fuerit acceptata in parte & partibus, quia capitula sunt ita connexa, vt non recipiant diuisionem, *ad cap. venerabilis. de except.* Nec obstat, quòd quartum non fuerit litigiosum, quia immo tota diuisio fuit deducta in cõtrouersiam, & sic omnes partes effectæ litigiosæ.
5 ✝ Si tamen sententia esset iniusta, nõ præsumeretur acceptata sententia, nisi adessent vrgẽtiores præsumptiones per ea, quæ tradit *Bertrand. cons. 4. num. 35. in 1. part. 3. lib.* Ideo videatur de iustitia sententiæ.

Romana Compromissi.
Die Veneris 19. Decembris 1572.

SVMMARIVM.

1 *Donatio à patre facta filio regulariter requirit insinuationem, licèt in terminis statuti Vrbis Rota videatur cõtrarium sensisse.*
2 *Contractus, qui principaliter cõtinet dationem in solutum, & accessoriè donationem, non est propriè donatio; secus est in separabilibus, cum tunc contineat vtrunque, nempe & dationem in solutum vsque ad summam debitam, & donationem in eo, quod excedit debitum.*
3 *Clausula donationis apposita in contractu emptionis & venditionis operatur, quòd non possit dari de læsione vltra dimidiam iusti pretij.*
4 *Donatio, quoties ex mera liberalitate procedit, licèt fiat in alio contractu quàm donationis, indiget insinuatione; secus quando fit ex causa, vt puta ratione augmenti dotis vel meritorum. vt num. seq.*
6 *Dos datur marito & non vxori, Donatio verò propter nuptias fit vxori.*
7 *Dictio, seu, stat expositiuè.*
8 *Donans si dicat se donare ob benemerita, & postea dicat se liberè, purè, & simpliciter donare, censetur simplex donatio, & non ob causam, aut ob remuneratione.*
9 *In donatione facta ex causa meritorum, regulariter merita probari debent, nec statur simplici enunciationi donantis.*
10 *Donatio facta ex causa dotis non indiget insinuatione.*
11 *Multiplicatio titulorum dari potest.*

DECISIO CLXXXI.

QVantum ad primam partem dubij, an donatio facta de anno 1536. sit valida; Domini mouerunt aliquas difficultates, super quibus erit particula-
1 riter videndum: Dicebant enim ✝ donationem filio factam à patre requirere regulariter insinuationem, *per l. dos data. de donat. ante nupt. Aret. cons. 2.* licèt in terminis statuti Romani, Rota videatur contrarium sensisse, *Ant. August. in repert. de*
2 *donat. num. 4.* ✝ & licèt iste contractus videatur principaliter continere dationem in solutum, & accessoriè donationem, quo casu *Calder. de empt. num. 2.* renuit, quòd non sit propriè donatio; Tamen quia sumus in separabilibus, contineri vtrunque, nempe & dationem in solutum vsque ad summam 400. & donationem in eo quod excedit, *iuxta doctr. Roman. in l. 2. num. 55. in verb. oblig. Alciat. num. 16. ibid.* Ideo
3 ✝ solet in contractu emptionis, ne detur de læsione vltra dimidiam iusti pretij, apponi clausula donationis, *vt per Couar. variar. lib. 2. cap. 4. num. 6.* & hoc procedit, etiam vbi donatio fit in alio contractu:
4 ✝ nam quoties ex mera liberalitate procedit, requirit insinuationem, *vt per Pute. decis. mihi 223. Item in prædicta transactio-*
5 *ne. lib. 1.* ✝ Ideo videndum, an possit sustineri ex causis in ea expressis, nempe ratione augmenti dotis vel meritorum. Et quantum ad augmentum dotis, oriebatur difficultas, quòd potius ista causa esset color quæsitus, quàm quòd verè subsisteret ex
6 pluribus; & primo ✝ quia dos datur marito nõ vxori, quemadmodum donatio propter nuptias fit vxori, & ita argumẽtatur *Aym. cons. 85. num. 4.* Secundo, quia donans non figit pedes in augmento dotis, sed transit
7 ad alias causas, & vtitur ✝ dictione, seu,

quæ stat expositiuè, *Gemin.cons.* 115. *n.*7. & videtur hic posse applicari id, quod tradit *Tiraq. in l.si vnquam.verb. donatione largitus . num.* 92. *de reuoc. donat. ex sententia*
8 *Oldrad. cons.* 5. † si donans ob benemerita postea dicat se liberè, purè, & simpliciter donare, censeri donationem esse simplicem, & non ob causam, aut ob remunerationem. Tertio in secunda donatione Gundisaluus asserit se donasse, non autem dicit se dedisse
9 in solutum: † si verò ex causa meritorum velimus sustinere donationem, regulare est, vt ea probentur, nec stetur simplici enunciationi, *Bald. in l. illud. num.* 7. *C. de sacrosan. Eccl. Soc. Iun. cons.*8. *nu.* 27. *lib.* 4. Erit ergo videndum, An donatio possit su-
10 stineri ex aliqua ex istis causis; † nam si causa dotis stare potest, tunc succedunt doctrinæ allegatæ pro Domina Eluira, quòd non indigeat insinuatione, & vltra allegata facit *Rebuff. in tractat. de priuileg. scholar. priuileg.* 64. *num.*4. *Bald. Nouell. de dote part.* 5. *num.* 5. *Baptista de sancto Blasio in tract. de priuileg. dot. centur.* 1. *num.* 50. Quantum ad secundam partem, Domini dixerunt, quòd si præsupponimus donationem priorem validam, Domina Eluira acceptando secundam, sibi non præiudicauit,
11 tum quia est facta ad cautellam, † tum quia datur titulorum multiplicatio, *Aym. cons.* 16. *num.* 6. *Aretin. cons.* 2. *in fin. Franc. Marc. decis.* 330. *lib.* 1.

Algaren. Iurisdictionis.
Die Veneris 9. Ianuarij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Iudex ex officio debet repellere à iudicio excommunicatum, si habeat notitiam censurarum, & tenetur seruare formam cap. pia. de except. in 6.*

DECISIO CLXXXII.

Domini reiectis alijs nullitatibus, super duabus tantum visi sunt insistere, quarum prima est respectu mandati, quod est limitatum coram certis personis, & dum in eo fit mentio ministrorum sancti Spiritus, refertur ad locum prius expressum, nempè Romæ coram sua Sanctitate, & suis ministris: secunda est respectu excommu-
1 nicationis, † si modo fuit seruata in excipiendo forma *c. pia. de except. in 6.* quę forma etiam est necessaria, vbi iudex habet notitiam talium censurarum, tunc enim ex officio tenetur repellere, *vt habetur in d. c. pia.* & hic iudex habebat notitiam dictarum censurarum per eorumdemmet Canonicorum confessionem, vt in supplicatione Canonicorum, fol. 96. & quòd talis confessio sit vera, patet ex dictis censuris pro parte Episcopi allegatis, & nuper productis. Quantum ad Commissarium, & ad condemnationem Canonici, videntur hæc facta ex causa necessaria, si fuerunt facta post censuras latas contra Canonicos. Quantum ad conuocationem ad Synodum, hoc potuit facere Episcopus tam de iure communi, quàm ex dispositione sacri Concilij Tridentini.

Ceruien. Bonorum.
Die Lunæ 12. Ianuarij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Remedium adipiscendæ non datur contra titulo possidentem.*
2 *Memoriale non facit fidem.*
3 *Possidere in dubio quis præsumitur vigore tituli pinguioris, & sibi magis vtilis.*
4 *Hæres patris non potest contra factum defuncti venire.*
5 *Inuestituræ antiquæ recipiunt interpretationem à posterioribus.*
6 *Res non dicitur requirere altiorem indaginem, quando disputatio non est in facto, sed in iure.*

DECISIO CLXXXIII.

Causa visa est Dominis multas habere difficultates, quamuis enim Domina Lucretia habeat de iure communi fundatã intentionem, *vt ex allegatis per Menoch. remed.* 4. *adipisc. num.*385. Tamen respondetur pro parte Reuerendiss. Episcopi &
1 Comitis Pandulphi, † hoc remedium non dari contra titulo possidentem, & licèt replicetur *de doctrina Bart. in l. cogi. C. de petit. hæred. quem sequuntur Castren. in l. vlt. C. de edict. Diu. Adr. toll. Ang. & Imol. in l. si is qui bonis. ff. de acquir. hæred. Ias. in l.* 1. *C. de inoff. testam. num.* 10. *Socin. cons.* 89. *num.* 2. *lib.* 1. tamen respondetur, hoc quoque controuersum esse, an procedat simpliciter, an verò tunc quando alienatio est facta lite pendente. *vt per Couar. pract. quæst. c.* 13. *num.* 5. Ideo hæc res indigeret particulari discussione. Secundo pro parte Episcopi allegatur cõstare de nõ iure D. Lucretię per inuestituras productas: Circa quam obiectionem est aduertendũ, quòd respectu duarum inuestiturarum factarum Aloysio de anno 1519. & de anno 1549. Domini non mouerentur, nisi prior esset in for-
2 ma probanti, quod non videtur, † cum sit memoriale quoddam, quod non facit fidem *Bald. in rubr. C. de fid. instr.* & nisi posterior probaretur facta per personam, de cuius mandato, aut saltem de ratificatione Aloy-

sij constaret, nam licèt testes circa hoc vi-
deantur aliquid deponere, non tamen depo
3 nunt concludenter, stante † quòd Aloysius
poterat ex diuersis titulis possidere, & in
dubio præsumendum est, quòd possederit
vigore tituli pinguioris, & sibi magis vti-
lis; sed dato quòd istæ inuestituræ fidem
facerent, tunc esset videndum, an in prio-
ribus inuestituris comprehensa esset Do-
mina Lucretia, quod requirit particularē
discussionem, vt mox dicam; & dato quòd
esset cōprehensa, An istæ sequentes inuesti-
turæ præiudicauerint ipsi, & circa hunc ar-
ticulum possunt videri *Dec. cons.* 468. *num.*
25. & 498. *Paris. cons.* 17. *num.* 6. *& cons.*
106. *lib.* 1. *Gozzad. cons.* 53. *num.* 18. *Bald.*
cons. 215. *num.* 4. *lib.* 2. In contrarium
multos allegat *decis. Pedemont.* 23. *num.* 27.
& hoc esset particulariter videndum: Sed
4 & pro parte Episcopi allegatur, quòd † cū
Domina Lucretia sit hæres patris simplici-
ter, eam non posse contra factum patris ve-
nire, sed hoc non procedit, nisi illæ duæ in-
uestituræ Aloysij verificentur, sed si dentur
pro bonis, tunc intrat dubitatio, cui non
videtur bene satisfactum per informantes;
& circa hunc articulum videatur *Dec. cons.*
468. *num.* 29. *Iul. Clar. in* §. *feudum. q.*
43. *vers. successiuè*, *Roland. cons.* 97. *num.*
48. *lib.* 1. & esset hoc etiam particulaliter
videndum. Quantum verò ad inuestituras
antiquas, eæ non modicam habent difficul-
5 tatem; † nam si dicamus illas non esse cla-
ras, recipient interpretationem à posterio-
ribus, *vt per Dec. cons.* 193. *in fin.* An ve-
rò comprehendant fœminas, res est non
modicæ difficultatis; & super prima de an-
no 1477. esset particulariter dubitandum,
propter ea quæ allegantur *per Tiraq. de re-
tract. lignar.* §. 1. *glos.* 9. *n.* 181. sed maio-
rem dubitationem facit mentio de linea, &
de generatione bene completa; sed in facto
aduertendum est, An hæc inuestitura ob non
solutionem canonis expirauerit, & etiam,
an constet Dominam Lucretiam esse ex de-
scendentibus nominatorum in dicta inue-
stitura Anni 1496. Inuestitura multum vi-
detur facere contra dictam Dominam Lu-
cretiam, neque vocat simpliciter filias, sed
dat facultatem eas substituendi, Nec con-
suetudo, de qua per testes, facit ad rem,
quia non percutiunt illud tempus, & super
hac inuestitura esset etiam particulariter
6 dubitandum: † Nec prodest Dominæ Lu-
cretiæ allegare, quòd ista requirunt altiorē
indaginem, non enim vera est hæc senten-
tia, quando partes sunt concordes in facto,
& solum superest iuris disputatio, *Franc.*
c. ad decimas. de restit. spol. Posset etiam du-
bitari, An isto casu habeat locum doctrina
Bart. in l. 1. §. *permittitur. de aqu. quoti.*
& aesti. quam refert Rip. in 181. *remed. con-
tra pestem*, *& quam aliàs Rota sequuta est*
in vna Lucana emphyteusis de Arnolphinis
coram Domino Decano: * Et sic istis stanti-
bus ordinatū fuit, vt dubium restringatur.

* Et idem prius fuerat resolutum in vna Fanen. contra fratres Sancti Dominici coram eodē Oradino Decano, & coram Pabio in vna Portugalen. prędij de anno 1553.

Imolen. Castrorum.
Die Veneris 16. Ianuarij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Quando causa commissa fuit ad referendū, relatio, quæ venit facienda, fit de ne-cessitate delegationis.*
2 *In causa commissa ad referendum, Prin-ceps ipse est iudex causæ, sicut iudex sub-delegans in reseruato remanet iudex.*
3 *Pendente causa in Principis consistorio nō dicitur currere tempus, siue causa sit ab-solutè introducta, siue commissa ad refe-rendum, cum par sit ratio.*
4 *Qui vult causæ expeditionem debet eam procurare.*

DECISIO CLXXXIV.

FVit resolutum, sententiam, de qua agi-
tur, respectu Cameræ Apostolicæ non
1 transisse in rem iudicatam, † cum enim
commissa causa fuerit ad referendum, &
hæc relatio sit illa, quæ fit ex necessitate
delegationis, *vt per Bald. in rubr. C. de re-
lation. & ibi Paul. de Castr. Abb. in c. in-
timasti. num.* 2. *de appellat. & ibi Franc.*
2 † Princeps ipse est iudex causæ, quemad-
modum Iudex subdelegans in reseruato re-
manet iudex, *c. iudex. & ibi glos. de off. de-
legat. in* 6. *c. super quaestionum. num.* 3. *de
off. delegat.* & ideo dicitur causa pendens
in Principis consistorio: Ideo succedit di-
spositio *Auth. sed & lis. C. de temp. appell.*
*sumpta ex Auth. de appellat. & intr. qua
temp. & canonizata in c. anteriorum.* 2. *q.*
3 6. *& c. ex insinuatione. de appellat.* † Nec in-
terest, An causa in Consistorio Principis
absolutè sit introducta, vel commissa ad re-
ferendum, quia par ratio in vtroque casu
militat, quæ ratio exprimitur *in* §. *ad hæc.*
*d. Auth. de appellat. & Doctores vbiq. indi-
stinctè loquuntur*, *Gemin. in cap. cupientes.*
§. *hac generali. num.* 6. *de electio. in* 6. *Fe-
lin. in c. venerabilis. in fin. de iudi. Dec. in*
c. ex ratione. num. 6. *de appellat. Francis.*
Marc. decis. 420. *lib.* 1. Nec refert, quòd
mortuus sit Papa, & mortui fuerint iudices,
per quos fieri debebat relatio, per ea quæ
tradunt *Bald. & Salicet. in l. fin. C. de rela-
tion. & Abb. consil.* 3. *col.* 12. *q.* 14. *lib.* 2.
Nec etiam refert, quòd per plures annos
nihil actum fuerit in causa, quia *Ang. in d.*
*Auth. sed & lis, & Doctores loquentes in
hac materia post glos. ibi* dum volunt; quòd
appellans teneatur adire Principem, loquū-
tur in appellatione introducenda, non au-
4 tem in introducta, Et † qui vult causæ ex-
peditionem, debet eam procurare, cum

nihil possit imputari appellanti, qui causam habet pendentem coram Principe, & scit ius suum sibi saluum esse, quid enim imputari potest ei? si Principes propter occupationes expeditioni non incubuerit, *vt inquit tex. in d. Auth. de appellation.*

Romana Praelationis.
Die Veneris 16. Ianuarij 1573.

DECISIO CLXXXV.

Domini dixerunt, non constare de consortio seu communione, nisi respectu herbarum, quae fuerunt per Dominum Hieronymum, & Persium tutorem venditae, quam quidem venditionem non potuit vllo pacto D. Hieronymus facere, vti Dominus casalis, cum illud locasset, & licèt in instrumento enuncietur talis: tamen stat potius demonstratiuè, quam causatiuè, respectu verò totius attis campi non potest dici contractum consortium, cum nullus adsit praeambulus titulus, non quidem respectu cessionis Fabij, cum illae capitulationes per Guglielmum Scolam initę cum Petro Fabij, & Clemente Sarraceno continerent tantum pactum de sublocando, & vendendo, non autem venditionem & sublocationem, & id sub certis conditionibus, & electione peritorum, quas impletas fuisse non constat, *Paris. cons. 132. num. 4. lib. 4.* Immo potius constat de contrario per instrumentum cessionis factae a b ipso Petro, Domino Hieronymo; neque etiam respectu cõuentionis inter D. Hieronymum & Persium initae, cum de ea non constet, nisi ex ipsius in libello, & protestatione, asserrione; Nam confessio, de qua in articulis Domini Antonij, non est clara, & est reuocata. Remanet ergo iste actus vẽditionis sine titulo, itaut non possit trahi possessio ad totam artem campi, *ad nota. per Alex. in l. 3. num. 21. & 22. de acquir. poss. Imol. in c. auditis. num. 3. de praescript.* sed ad solam venditionem herbarum, *Bart. in l. si patruus. num. 10. C. com. vtr. iud.* Quisnam verò sequatur effectus, erit particulariter videndum.

Romana Vsurarum.
Die Lunae 19. Ianuarij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Vt quis possit petere interesse lucri cessantis, qua requirantur.*

2 *Desinens habere animum negociandi non potest dici solitus negociari.*

3 *Non dicitur esse in mora soluendi, qui iustam habet exceptionem nolendi soluere.*

4 *Lucrum non dicitur esse in potentia propinqua, quando non adest paratus, qui pecunias accipere velit.*

5 *In lucro cessante non fit coaceruatio; nec potest excedere duplum.*

6 *An lucrum possit dici esse in potentia propinqua, quando sumus in ciuitatibus insignibus, veluti Romae, Venetijs, &c. absque alia probatione.*

DECISIO CLXXXVI.

1 Fvit resolutum, † tria à Doctoribus requiri, ad hoc vt quis possit petere interesse lucri cessantis, nempe quòd is, qui petit, solitus sit negociari, & quòd debitor sit in mora, & quòd lucrum sit in potentia propinqua, quorum nihil in isto casu videtur probatum; nam quantum ad primum, oportet articulari, & probare, quòd is erat, & est solitus negociari, *vt post Alex. cons. 141. lib. 5. & Dec. cons. 39. tradit Cagnol. in l. vnic. C. de senten. quae pro eo quod inter. num. 40.* & hoc non solum non probatur, sed etiam videtur contrarium persuaderi, ex eo quòd fuit per tutorem locata domus, & Banchum cum licentia foene-

2 randi, † ex quo apparet istos locatores non habuisse amplius animum fęnerandi, & sic non constat, quòd ita soliti essent lucrari, quia attenditur non quidem solitum commune, sed solitum illius, qui petit interesse, *vt per Salic. in l. 3. §. si ff. de eo quod cert. loc. Bertrand. cons. 123. num. 7. lib. 8.* Quan-

3 tum ad secundũ, † mora non probatur, quia iusta videbatur exceptio nolentis soluere.

4 Quantum ad tertium, † lucrum non erat in potentia propinqua, non dato quòd isti haberent paratum, qui vellet pecunias foeneraticias accipere, *vt per Franc. Marc. in decis. parlam. delphin. decis. 169. lib. 2.* & haec sententia est ferè ab omnibus curijs recepta, Neq; hoc lucrum potest dici intrinsecum, per ea quae tradit *Alciat. in d. leg.*

5 *vnic. num. 71.* Praeterea † in lucro cessante non fit coaceruatio, *vt per Curt. iun. in d. l. vnic. num. 55. Butrigarium. 309.* nec potest excedere duplum, *l. vnic. C. quand. non pet. part.* sed quia super solito, & mora non fuit principaliter per scribentes pro haeredibus informatum, Rota noluit ca-

6 pere resolutionem. † Quantum ad caput vltimum de lucro in potentia propinqua, fuit dubitatum, quando sumus in locis insignioribus, veluti Romae, Venetijs, &c. *& aliàs fuit resolutum non requiri in vna Anconitana coram bon. mem. Grato 18. Martij, & 3. Iunij 1569.*

Romana Pecuniaria.
Die Lunae 19. Ianuarij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Prior in tempore potior in iure.*

2 *In debito conditionali non fit retretractio.*

DE-

DECISIO CLXXXVII.

FVit resolutum, Paulum habere regu-
1 lam pro se, ✝ vt sit anterior & potior, *per l.potior.§. 1.qui pot. in pign. hab. Neguſ. in primo membr. 5. part. 15. ampliat.* Nec obſtant in contrarium deducta *ex Dyn.conſ. 42.num. 11. Socin.iun. conſ. 41. col. 1. lib. 4. Rip. in l. priuilegia. num. 42. de priuil.*
2 *cred.* ✝ quia loquūtur in debito conditionali, in quo bene est verum non fieri retractionem, ſed in caſu, de quo agitur, debitum non eſt conditionale quantum ad ſubſtantiam obligationis, *Alex. conſ. 32. col. 2. lib. 4.* & id quod deducitur de debitis annuis, eſſe multum diuerſum à caſu iſto; Ideo non procedere argumentum.

Albanen. Vineæ.
Die Veneris 23. Ianuarij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Data conſuetudine pro probata & bona, alleganti contrarium incumbit onus probandi non vſum, vel vſum contrarium.*
2 *Licentia alienandi conceſſa non poteſt reuocari, niſi à Principe non recognoſcente ſuperiorē, & quando poteſt reuocari, procedit re integra, non autem poſt quæſitum ius per aditionem.*
3 *In inueſtitura conceſſa cum clauſula, pro ſe & ſuis hæredibus, & ſucceſſoribus, veniunt etiam hæredes extranei, etiam in feudalibus & emphyteuticis.*
4 *Verba illa, ac alijs ſibi venditis, in alienatione ſtant potius augmentatiuè quam diminutiuè.*
5 *Recognitio debita reſeruata in alienatione differt à iure ſuccedendi.*
6 *Clauſula in inſtrumentis alienationum poſita ita interpretari debent, vt non inducant contrarietatem.*
7 *Vbi habemus inſtrumentum clarum, non eſt locus coniecturis.*

DECISIO CLXXXVIII.

DOmini dixerūt, regulam eſſe pro Domina Marieta, quòd ſit immittenda in poſſeſſionem, & licèt opponatur de dominio incontinenti probato; tamen non
1 viſa eſt hęc exceptio releuare, ✝ data etiam conſuetudine pro probata, & pro bona, non quidem ratione licentiæ, niſi probaretur ſcientia, *vt per Iaſ. in l. beneficium. num. 4. de conſtit. princ. & ibidem Seiſel. num. 97.* ſed ſi probaretur ſcientia, bene obſtaret Illuſtr. Domino Chriſtophoro, & ipſi incumberet onus probandi non vſum, vel vſum contrarium, *Creſcent. 79.* & teſtes non obſtant, quia licentia loquitur de diſpoſitione in teſtamento & inter viuos, & teſtes
2 poſſunt intelligi ab inteſtato. ✝ Nec obſtare, quòd potuerit reuocari, quia fortè hoc non procederet, niſi in Principibus non recognoſcentibus ſuperiorem, *Paris de Put. de re milit. lib. 7. tit. An Princeps ſubdit. poſſ. prouoc. ad duell. Affl. de feud. tit. quis dicatur Dux. num. 9. Corn. conſil. 200. col. 3. lib. 1.* & dato quòd poſſet reuocari, intelligeretur re integra, non autem poſt quæſitū ius Dominæ Marietæ per aditionem: Sed ex alio capite res viſa eſt faci-
3 lior, nempe ex capite inſtrumenti, ✝ propter clauſulam, pro ſe & ſuis hæredibus, & ſucceſſoribus, cum ſequentibus, nam per huiuſmodi clauſulam etiam in feudalibus, & emphyteuticis veniunt hæredes etiam extranei, *Iul. Clar. §. emphyteuſis. q. 9. & 28. Curt. iun. conſ. 4. per tot. Grat. conſ. 60. num. 13. lib. 1. & conſ. 29. num. 2. lib. 2.*
4 Nec obſtāt ✝ illa verba, ac alijs ſibi venditis, &c. nam potius ſtant augumentatiuè quam diminutiuè, *l. ea tamen adiectio. de legat. 3.* Nec obſtat clauſula, ſalua recognitionis de-
5 bitæ &c. quia ✝ recognitio differt à iure ſuccedendi, & exceptio firmat regulā in nō ex-
6 ceptis. Præterea ✝ ita interpretari debemus, ne inducatur cōtrarietas, aliàs omnes clauſulæ ſupra deductæ eſſent ſublatæ, & cum reſeruatio fiat in fauorem Domini venditoris, contra ipſum debet fieri interpreta-
7 tio, *l. veteribus. de pactis:* ✝ Nec eſt locus coniecturis, cum inſtrumentum clare cantet, & contractus eſt factus cum perſona non ſubdita, & Romæ. Ex quibus omnibus fuit concluſum pro immiſſione.

Calaguritana Matrimonij.
Die Lunæ 26. Ianuarij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Denunciatio facta, ne fiat matrimonium, illud non diſſoluit, ſi ſit factum.*
2 *Decretum ſacri Concilij Tridentini non annullat matrimonium, in quo interuenerunt presbyter, teſtes, & licentia.*
3 *Concilium Trident. in tempore, quo nondū erat in aliqua parochia publicatum, non afficiebat illos de illa parochia.*

DECISIO CLXXXIX.

FVit reſolutum, quòd circūſcripto priori matrimonio ſatis conſtat de matrimonio inter Mariam de Mecado, & Petrū, per teſtes, quintum, ſeptimum, & nonum, qui de eo deponunt, contracto per verba *præſens decis. habetur in impreſſ. diuerſ. nouiſſ. 429. part. 2.*
1 de præſenti: Nec obſtat, quòd fuerit denunciatum, ne fieret, quia per hoc non diſſoluitur, *c. ex litteris. de matr. contrac. contr. interd. Franc. Marc. deciſ. 710. 712. &*
2 *713. lib. 2.* ✝ Nec obſtat Concilij decretum, cum interuenerit presbyter, teſtes, & licentia; Præterea illud decretum non annul-
lat

lat matrimonium, *vt fuit decisum coram R. P. D. Gropperio in vna Sauonen. matri-*
3 *monij 21. Aprilis 1570.* Præterea, † cum non fuerit publicatum Cõcilium de illo tẽpore in illa parochia, non afficit propter decretum publicationis in eodem appositũ, quod per generale decretum Bullæ non est sublatum, *Gozzad. conf. 72. num. 10. Bart. in extrauag. Ad reprimendum. §. non obstãtibus. num. 9. & 10.* & conuenir obseruantia pœnitentiariæ, *de dispensat. in 3. & 4.* de ignoranter contracto in locis, in quibus nõ est publicatum Concilium; Ideo videndum erit, An prius matrimonium probetur.

Caietana Iurisdictionis.
Die Lunæ 26. Ianuarij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Abbas quando teneatur accedere ad Synodum, & quando non.*

DECISIO CXC.

1 Fvit resolutum, † si de exemptione Reuer. Domini Abbatis non constat, ipsũ teneri accedere ad Synodum, & rem prorsus hoc casu carere difficultate; si verò constat ipsum esse exemptum, tunc si habet curam animarum, quam per Vicarium perpetuum exercet, non teneri per se accedere, sed sufficere, quòd Vicarius perpetuus accedat, penes quem actu residet cura, *Abb. antiq. in c. quod super. de maior. & obed.* secus verò si per se, vel per capellanos ad nutum amouibiles curam exerceat, cum hoc casu cura resideat penes ipsum Abbatem, cuius ratione tenetur, *vt tradit Abb. in d. c. quod super his. circa medium, Innoc. in c. venient. num. 8. de verb. sign. Petr. de Vbald. de can. Episc. c. 2. q. 10. num. 2. prima part.*

Romana Prælationis.
Die Lunæ 9. Februarij 1573.

DECISIO CXCI.

Qvantum ad primam partẽ dubij Domini distinxerunt, aut non constat, quòd Petrus Fabij post cõuentionem factam de vẽdendo fuerit adeptus aliquam possessionem artis campi, & iste est casus clarus, quòd nullum ius transtulit in Dominum Hieronymum, per quod impediretur Persius re integra recedere ab huiusmodi pactione, maximè stante eiusdem Petri declaratione, *iuxta notat. per Tiraquel. de retract. conuention. ad fin. tit. num. 44.* & eo magis quia non fuit deuentum ad æstimationem, *l. fin. C. de contrah. empt.* Aut Petro fuit tradita possessio, & iste casus erit particulariter videndus, tam in facto quam in iure, si enim hæc possessio fecerit, vt pactum de vendendo transiret in venditionem*, aliqui ex Dominis interpretabantur verba Petri enunciata in cessione, quòd per se nollet adimplere contenta in capitulis, nõ autem absolutè, & hoc ad euitandam contrarietatem, *Dec. cons. 602.* Quantum ad secundam partem dubij, cum præsupposito, quòd Dominus Hieronymus habeat ius aliquod ex cessione Petri, Domini dixerunt, cum non cecidisse à iure suo, cum nullum adsit pactum resolutiuum contractus, nec per petitionem reductionis rescindatur venditio, *ad notat. per Bart. in l. si quis arbitratu. in princip. ff. de verb. oblig.*

* In hoc pũcto quòd pactum de vendendo non transierit in venditionem resolutũ fuit in hac causa sub die Veneris 15. Ianuarij 1574. per hæc verba formalia. Domini non habẽt istas probationes pro concludentibus, ad effectum de quo agitur, cum nõ probetur clara & indubitata possessio, sed potius præcaria, & controuersa, ex qua non potest elici, quòd pactum de vendendo trãsierit in vẽditionem.

Salamantina Pensionis.
Die Veneris 13. Februarij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Sententia nulla, parte opponente confirmari non potest.*

DECISIO CXCII.

Fvit resolutum quãtum ad primam partem dubij, censuras non esse iustificatas, & ex nouiter deductis non posse iustificari: Quantum ad secundam partem, eas ex nouiter deductis non videri sufficienter iustificatas ex confessione allegata, cum sit negatiuè concepta, nisi adminiculetur ex duplici solutione, nempe annatæ & cõpositionis, vel aliàs, quod erit videndum; sed si hæc probatio esset sufficiens, posset procedi contra Alphõsum ad declaratoriã pro terminis post priores cẽsuras decursis, non pro illis, pro quibus censuræ fuerunt
1 nulliter latæ, † quia parte opponente non potest sententia nulla confirmari, vt per allegata, *& fuit resolutum in vna Roman. de Spanochys coram R.P. D. Robustierio de anno 1563.*

Prænestina Administrationis, seu Compromissi.
Die Veneris 13. Februarij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Remissio gratuita in transactione non annullat transactionem, si solemnia requisita fuerint obseruata.*
2 *Decretum super contractu eadẽ die interpositũ valet, si ita de consuetudine seruetur.*
3 *Quod summariè fit, non attenditur in iudicio plenario, nisi iustificetur.*

DECISIO CXCIII.

1 Fvit resolutum, † regulam esse pro validitate transactionis, cum fuerint obseruata solemnia requisita, nec eam posse impugnari ex eo capite, quòd fuerit remissio gratuita in capite redditionis administra-

Præsens decisio habetur in impres. diuers. nouiss. 135. part. 1.

ſtrationis, tum quòd non eſt clarum, quòd Illuſtr. Domina Helena non eſſet creditrix, potius quam debitrix, prout Illuſtr. Domina Marchioniſſa confeſſa fuit, tum propter correſpectiuitatem, cum datio duodecim millium videatur correſpectiua ad totam tranſactionem, prout colligitur ex verſic. *has autem ceſſiones*, & ibi, *cum pactis & conditionibus infraſcriptis*, & clarius ibi, *quibus quidem duodecim millibus voluit eſſe contentam, &c.* itaut nihil petere poſſit ab Illuſtriſſimis Domino Iulio Ceſare, Mario, & Helena, &c. *Et ad conſ. Ruin.* 135. *allegatum* reſpondebatur per aliud eiuſdem
2 *conſ. 90. lib. 5. per totum.* Nec releuat, † quòd decretum fuerit eadem die interpoſitum, propter conſuetudinem, de qua teſtatur *Achill. 2. de decret.* Tamen quia fuit allegatum *conſ. Caſtren.* 337. *aliàs* 338. *incip. primo quaeritur. num. 5. lib. 1. & Felin. in c. cum venerabilis. col. fin. de exception.* ex
3 quibus videtur inferri, quòd † id, quod ſumariè fit, non attenditur in iudicio plenario, niſi iuſtificetur; fuit ordinatum, vt reſtringerem dubium hoc modo, An confeſſio Illuſtriſſimæ Dominę Marchioniſſæ pręiudicet Illuſtriſſimis filiabus, vel ſit in hoc iudicio iuſtificanda.

Gerunden. Adminiſtrationis anniuerſariorũ. Die Lunæ 16. Februarij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum perpetuum ab Vniuerſitate factum valet, maximè ſi ſit factum cum clauſula, citra &c.*

2 *Notario aſſerenti de licentia Epiſcopi creditur, cum ſit res modici praeiudicij.*

DECISIO CXCIV.

FVit reſolutum pro validitate, & ſufficientia mandatorum, cum fuerint facta
1 ab Vniuerſitate beneficiatorum, † quo caſu potuerunt fieri perpetua, *l. proponebatur. de iudic.* & clauſula, citra, facit vt valeant, *Felin. c. imputari. de fid. inſtr. Boer. deciſ.*
2 311. *num.* 2. † Nec obſtat, quòd non conſtet de licentia Epiſcopi niſi per notarij aſſertionem, quia ipſi creditur in re modici præiudicij, *Paul. de Caſtr. conſ. 13. lib. 2.* Nec facultas ſubſtituendi eſt extincta, cum illi, qui vna vice ſubrogarunt, alia vice non ſubrogarunt, ſed alij.

Armena Bonorum.
Die Veneris 20. Februarij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Procurator effectus Dominus litis non poteſt reuocari, niſi ipſo, & aduerſario conſentiente.*

2 *Conſenſus procuratoris effecti Domini litis in reuocatione illius non eſt neceſſarius, niſi pro conſeruatione ſuae famae, vt cognoſcatur, an ſit iuſtè reuocatus.*

3 *Subſtitutio procuratoris effecti Domini litis per reuocationem mandati expirat re integra; ſi verò ſimpliciter fuit ſubſtitutus, vel vigore mandati habentis clauſulam ſubſtituendi; tunc ſi ſubſtitutio ſuſtinetur ex perſona procuratoris principalis, morte ſubſtituẽtis mãdatũ nõ expirat.*

DECISIO CXCV.

QVantum ad Paulum, Domini dixerũt, præſens deciſio habetur in impreſ. diuerſ. nouiſſ. 145. part. 1.
1 quòd licèt regula ſit, quòd † procurator Dominus litis effectus non poteſt reuocari, *c. 2. de procurator. in 6.* limitatur tamen, niſi ipſe procurator, & aduerſarii conſenſerint, *Paul. de Caſtr. in l. quae omnia. num. 2. in fin. de procurator. Sarnen. deciſ. 28. relatus per Aſt. de reuoc. procur.* & de conſenſu procuratoris non mul-
2 tum curatur, quia † eius contradictio non impedit effectum reuocationis in præiudicium reuocantis; ſed id facit tantum, vt pro conſeruatione ſuæ famæ cognoſcatur, an ſit iuſtè reuocatus, aliàs ſi ſe ingereret, eſſet ſuſpectus, *l. qua viam. de procurator. Caſſador. 2. de appellat. num. 4. & 5. Abb. in c. mandato, in 1. notab. de procur. Put. deciſ. 302. lib. 2. procurator poſt litem conteſtatam, & ita fuit tentum in vna Neapolitana Vndecim millium coram Domino Sarmiento 18. Maij 1565.* Quantum ad Fortunatum, & Dominum Fabium Ferrati-
3 num Domini diſtinxerunt, quòd † aut fuerunt ſubſtituti à Bartholomæo tanquã Domino litis effecto, & re integra expirauit ſubſtitutio, & iſte eſt caſus clarus; aut fuerunt ſimpliciter ſubſtituti, vel vigore mandati habentis clauſulam ſubſtituendi, & tũc cum ſuſtineatur ſubſtitutio ex perſona principalium, morte ſubſtituentis non expirat mandatum, *Biſignet. deciſ. 9. de procurator. Aegid. 4. Fel. in c. relatum. de offic. delegat. Gabr. de procurator. cumulat multa concl. 2. num. 9.* Reſeruatum fuit videre, cui incumbat onus probãdi vitam vel mortem principalium.

Cæſarauguſtana Alimentorum.
Die Veneris 20. Februarij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Adminiſtratio, annexio, vel incorporatio, licèt videantur importare dominium, recipiunt tamen interpretationem ſecundum ſubiectam materiam; cum regulariter habens adminiſtrationem tãtum, non dicatur habere dominium.*

2 *Traditio rei, licèt ſit apta transferre dominium, intelligitur tamen dummodo praecedat contractus habilis.*

3 *An alienari propriè dicatur, quòd in dominio retinetur.*

DE-

DECISIO CXCVI.

præſens deciſio habetur in impreſ. diuerſ. nouiſſi. 494. par. 1.

FVit reſolutum dominium Eccleſiæ non fuiſſe translatum in dignitates, conſiderata ſerie totius negocij, & conſideratis verbis, quæ pluries repetuntur, & ſonant in adminiſtrationem, & ſubſtituuntur dignitates in locum Præpoſiti, qui nudam habet adminiſtrationem, & dantur fideiuſſores de bene adminiſtrando, & aliis, quæ per informantes deducuntur, quæ præponde-
1 rant in contrarium ponderatis. † Annexio, incorporatio, & ſimilia, licèt videantur importare dominium, *c. cum omnes. de constitut. vbi Bald. Tiraq. in l. ſi vnquam. in verb. donatione largitus. num. 190. C. de reuoc. donatio.* tamen recipiunt interpretationem
2 ſecundum ſubiectam materiam, vt † de traditione dicitur, quæ licèt ſit apta transferre dominium, intelligitur, dummodo præcedat contractus habilis, *Bart. in l. 1. num. 4. ff. pro dot. & l. 3. de iur. dot.* Et hæc eſt adminiſtratio qualificata cũ qualitatibus, quas Capitulum appoſuit, & tanto magis hæc procedunt, ex quo aliàs iſta alienatio non tenuiſſet, ad tradita *per Oldrad. conſ. 261. & per Rebuff. de alienat. rer. Eccleſ. n.*
3 *9.* & licèt *gloſ. in Clement. fin. §. fin. de reb. eccl. non alien. in verb. eccleſiam. poſt Hoſtien.* dicat, non eſſe alienare propriè, quod in dominio eccleſiæ retinetur: tamen contrarium ibi tenuerunt *Zenzel. & Imol. num. 17. & Bonifac. num. 16.*

Nucerina Fructuum.
Die Lunæ 23. Februarij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Prælegata non veniunt ſub generali fideicommiſſo.*
2 *Confeſſio diuidi non poteſt.*

DECISIO CXCVII.

NIhil fuit reſolutum, quia nonnulli ex Dominis amplectebatur vnam viam,
1 nempe quòd † prælegata non veniunt ſub generali fideicommiſſo, *l. in fideicom. §. fin. ad Trebell.* Alij nitebantur ex confeſſionibus, de quibus in inuentario, ex quibus credebant tertiam tãtum partem Vineæ & Hoſpitij cadere ſub fideicommiſſo. Alij verò contradicebant, niſi aliunde quam ex inuentario appareret de poſſeſſione Domini
2 Ioan. Andreæ, ex quo putabant † confeſſionem diuidi non poſſe, *ad notat. per Abb. in c. bonæ. il ſecondo. de off. prælat. Caſtren. conſ. 296. viſis actis. lib. 1. Boer. deciſ. 243.* ideo iterum proponetur, & partes poterũt ſtrictè ſuper hoc informare, An confeſſio, de qua in inuentario, diuidi poſſit.

Gerunden. Prætenſæ penſionis.
Die Veneris 27. Februarij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Clauſula, conſtito de litteris, intelligi debet ſecundum interpretationem ſignaturæ, de litteris legitimam exceptionem non patientibus.*

DECISIO CXCVIII.

1 QVoniam materia interpretationis illius clauſulæ, conſtito de litteris, viſa eſt Dominis ſatis difficilis, maximè cum aliàs de hac eadem re fuerit dubitatum, & Rota interpretata fuit tunc, de litteris legitimam exceptionem non patiẽtibus, *in vna Mediolanen. coram R. P. D. Robuſterio*: Domini ordinarunt, vt videatur de quaſi poſſeſſione, quia forte ex hoc capite facilior erit expeditio; Ideo dentur per informantes omnia ea, ex quibus prætendunt cõſtare de quaſi poſſeſſione, & iterum cauſa proponetur ſuper hoc capite; nam quòd Iuriſdictio mea ſit limitata per commiſſionem præſentatam Auditori Cameræ, in qua adeſt clauſula ſine retardatione, Domini dixerunt carere omni difficultate.

Leodien. Hæreditatis.
Die Veneris 6. Martij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Suſceptio liberorum, reputatio, tractatus decentior, cura rei familiaris, differentia facta inter illam & alias ancillas, ſũt coniectura, quòd potius ſit concubina quam ancilla.*

DECISIO CXCIX.

DOmini dixerunt probari, quòd Auguſtinus retinebat Mariam potius pro concubina de facto quam pro ancilla; nam
1 ea quæ per teſtes probantur, nempe † ſuſceptio liberorum, reputatio, tractatus decentior, cura rei familiaris, differentia inter eam & alias ancillas, magis conueniunt concubinæ quam ſimplici ancillæ. Non obſtãt aliqua miniſteria per eam præſtita, ſicuti lauandi pannos, &c. quia etiam hæc plerumque ab vxoribus præſtari ſolent. Non obſtat confeſſio eiuſdem, quia non eſt clara, nec etiam nominatio, de qua in teſtamento, quia fuit pudoris potius cauſa, quam quòd ita res ſeſe haberet. Reſeruatur tamen; an iſti ſuſcepti ex tali cõitu à ſacris canonibus damnati teneantur docere ſe natos non fuiſſe ex ſtupro, vel aliàs propter publicitatem concubinatus ſint inſucceſſibiles, ex ijs quæ tradit *Diaz. in practica crimin. cap. fornicarij. 72. & Rebuff. de concubin. publ. item Dec. in c. Eccleſia ſancta Maria. de conſtitut. col. 3.*

Mo-

Monasterien. Bonorum, siue pecuniaria.
Die Lunæ 9. Martij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Pignore etiam resoluto est locus restitutioni.*

DECISIO CC.

LIcèt per huiusmodi pignus translata fit possessio, tamen quia post tempus octo annorum fuit resolutum, Domini di-
1 xerunt † esse locum restitutioni, *per ea quæ latè per Dominos fuerit deducta in vna Asculana prædij, die 23. Iunij 1570. & 10. Nouembris eodem anno coram R. P. D. Robusterio, item in vna Aretina bonorum 15. Decembris. 1572. coram eodem.*

Romana Compromissi.
Die Veneris 17. Aprilis 1573.

SVMMARIVM.

1 *Donatio, quæ vigore statuti venit insinuãda à principio, non est nulla, sed valet, licèt ex post facto propter non insinuationem nullitas superueniat, contrarium num. 23.*

2 *Donatio in dubio præsumitur simplex & nõ ob causam, quando donans non se firmat super certa & indubitata causa, sed plures causas allegat, gratia colorandæ donationis.*

3 *Augmentum dotis non verum sed simulatum, & fictum, non gaudet priuilegio veri augmenti dotis.*

4 *Assertioni donantis non statur super causa donationis, vtpotè, quòd donatio fit ex augumento dotis, vel propter benemerita.*

5 *Maritus non potest bona donata ex causa augumenti dotis vindicare.*

6 *Vxor non potest consẽtire reuocationi donationis factæ ex causa dotis, secus si ex alia causa.*

7 *Augmentum dotis est illud, quod fit marito.*

8 *Valet argumentum à solitis.*

9 *Plures causæ à donante expressa in donatione, in quarum nulla se firmat donans, denotant, quòd donans erat omnino donaturus etiam extra illas causas, & tales causæ expressæ dicuntur potius causæ impulsiuæ, quàm quòd inducant ad disponendum.*

10 *Interpretatio fieri debet, vt actus potius valeat, quam pereat; secus est in materia probatoria, vt num. 29.*

11 *Donatio ex causa expressa augumenti dotis, etiam non insinuata valet, quando constat de enixa mente donantis, qui vult donationem omnino validam & firmam facere.*

12 *Donatio facta ex causa augumenti dotis cũ expressione aliarum causarum pro maiori robore donationis, valet ex principali causa augumenti dotis.*

13 *Causa apposita in donatione ad abundantiorem cautelam validitatis actus non debent contrarium operari.*

14 *Interpretatio fieri debet, quæ conueniat menti, & intentioni donantis, præsertim si verbis etiam conueniat, & naturæ, ac validitati actus.*

15 *Quis non censetur elegisse viam in actu disponendi, per quam iudicium sui impugnetur.*

16 *Actus contra voluntatem agentis interpretari non debet.*

17 *Actus, qui ex capite valido & inualido geri potest, ex valido gestum esse intelligi debet.*

18 *Omnis dispositio ita est intelligenda, vt absurditas excludatur.*

19 *Absurdum illud dici potest, quod est contra intentionem agentis.*

20 *Præsumptio potius adaptari debet ad actum confirmandum, quàm impugnandum, & ob id non fit repetitio conditionis actũ perimentis.*

21 *In materia donationis hoc est perpetuum, vt ea sumatur interpretatio, per quã sustineatur donatio, & valeat eo modo, quo valere potest.*

22 *Clausula, omni meliori modo, & iuramẽtum in donatione operãtur, vt melior via censeatur electa pro illius validitate.*

23 *Donatio excedens legitimam summam non insinuata, à principio est nulla.*

24 *Virtus iuramenti non trahitur ad nullitatem superuenientem.*

25 *Interpretatio magis tolerari debet, per quã actus ab initio inualidus non reddatur inualidus, quàm per quam à principio nullus validetur.*

26 *Donatio continens causas inter se repugnãtes non valet.*

27 *Donatarius post sex menses non potest amplius eligere, in quam causam velit donationem acceptare, nec potest reuocationi consentire.*

28 *Leges indistinctè dicuntur dotare tam virum, quàm mulierem, cum dominium naturale dotis sit penes mulierem, ciuile verò penes maritum.*

30 *Iuramentum habet eandem vim, quam habet clausula, omni meliori modo.*

DECISIO CCI.

TRes ex Dominis defendebant donationem, de qua agitur, non posse sustineri ex causa augmenti dotis, moti diuersis argumentis, & primo præsupponẽbant statutum Romæ de insinuand. donat. (præsens decisio habetur in impres. diuersor. nouis. 325. part. 1.)
1 quo stante dicebant, † donationem, de qua agitur, non fuisse nullam à principio, *per cons. Federic. de Sen. 281. quem refert & sequitur Socin. cons. 77. num. 19. lib. 3. Curt. 141. num. 22. Iul. Clar. de donatio. q.*
2 *18. in fin.* & ideo inferebant, † cũ donatio

iſta non fuerit nulla à principio, non eſt ne-
ceſſe altum actum reſtringere ad cauſam
augumenti dotis pro actus validitate, cum
actus ſimpliciter à principio valeret, &
nullitas ex poſt facto ob non inſinuatam do
nationem ſuperueniſſet. Secundo dicebatur
pro iſta parte non conſtare Gundiſaluum
verè voluiſſe donare pro augumento dotis,
cum non fixerit pedes, ſed vlterius progre-
diendo dixerit, ſeu pro bonis paraphernal-
libus, & ob amorem filialem, & pro alimē-
tis, & ſeruitijs, ac beneficijs, &c. & quia
ſic ſibi benefacere placuit de re ſua &c. ex
quibus verbis conſtabat Gundiſaluum non
pro augumento dotis donaſſe, ſed eius in-
tentionis fuiſſe abſolutè donare, ſed has
cauſas fuiſſe colorandæ donationis cauſa
appoſitas, *vt per Oldrad. conſil. 5. quem*
refert & ſequitur Tiraq. in l. ſi vnquam. in
verb. donatione largitus. n. 29. C. de reuoc.
donat. Tertio ex ſupradicto fundamento in-
3 ferebant, † augumentum iſtud tāquam non
verum, ſed ſimulatum & coloratū, non de-
bere gaudere priuilegio veri augumenti do
tis, *ad tex. in l. fin. C. de ſent. quæ ſin. cert.*
4 *quantit.* & † non eſſe ſtandum aſſertioni do
nantis, vt in ſimili de benemeritis tradit
Bar. in l. per diuerſas. C. mand. in 2. priuil.
& conſ. 135. *n.* 6. Quarto deducebatur ap-
parere huiuſmodi augumentū non eſſe verū
augumentum, ex eo quòd Eluira, ſi dona-
tio fuiſſet inſinuata, potuiſſet eam accep-
tare ex ea cauſa, quam maluiſſet etiam
5 inuito marito, † nec maritus ex cauſa au-
gumenti dotis potuiſſet bona donata ven-
6 dicare. Præterea † potuiſſet Eluira ante
lapſum ſex menſium conſentire reuocationi
huius donationis, quod facere non potuiſ-
ſet, ſi verè fuiſſet donatio ex cauſa dotis,
cum tunc maritus dicatur habere titulo
oneroſo, *Bertrand. in* 1. *parte* 2. *volum.*
conſ. 278. *num.* 1. 2. *&* 3. Quinto dedu-
7 cebatur † non eſſe verum augumētum do-
tis, cum non fuerit factum marito, prout
8 ſolitum eſt fieri, † argumento ſumpto à ſo-
litis, *l. vel diuerſorum. de pign. act.* Et quia
informantes pro Domina Liuia deduxerāt,
hanc videri cauſam finalem, ex quo ad actus
validitatem erat neceſſaria, *l. Titio. de do-*
nat. inter vir. & vx. Tiraq. ceſſante cauſa.
limit. 1. *n.* 38. *ad fin.* reſpondebant, hanc nō
eſſe cauſam finalem, ſed potius fuiſſe tot
caſus enumeratas, vt exprimeret donans,
in quem vſum eſſent huiuſmodi bona con-
uertenda, non autem ad imponendum ne-
ceſſitatem, *Io. Monach. c. fin. num. 4. de*
9 *haret. lib.* 6. † Quod demonſtratur ex eo,
quòd ipſe erat omnino donaturus etiam
extra cauſam dotis, quo caſu dicitur cau-
ſa impulſiua, *Io. Monach. in c. cupientes. nu.*
4. *de reſcript. lib.* 6. ſecus verò, quando in-
ducit ad diſponendum, *Socin. conſ.* 159. *n.*
23. *lib.* 2. *Aym. conſ.* 192. *nu.* 21. Ad id ve-
10 rò, quod dicebatur, † interpretationem
fieri debere, ita vt actus valeret, *l. quoties.*
de reb. dub. cum ſimil. reſpondebatur dupli-
citer, primo actū à principio valuiſſe, prout
dictum fuit in dicto fundamento; ſecūdo di-
cebatur regul. *d. l. quoties.* non procedere in
materia probatoria, *Alex. l. reſcriptum. n.*
3. *de pact. Dec. in c. cum omnes. in 2. lectur.*
in princ. de conſt. Rip. in c. cum M. n. 11. *de*
conſtit. Ad ponderationem clauſulæ, omni
mel. modo, dicebant eam non eſſe appoſi-
tam donationi, ſed liberationi. His tamen
non obſtantibus, ſex ex Dominis contrariū
11 tenuerunt; nempe † donationem huiuſmo-
di non inſinuatam ſuſtineri ex cauſa augu-
menti dotis in ea expreſſa, his potiſſimum
fundamentis; Primo quia conſtat de enixa
mēte Gundiſalui donantis, qui volebat om-
nino donationem validam & firmam face-
re, quod non ſolum colligitur ex cauſis tā
diligenter per ipſum conquiſitis, & expreſ-
ſis in iſtius donationis inſtrumento, ſed etiā
ex tenore inſtrumenti ſecundæ donationis,
in quo præfatam donationem priorem
pro maiori firmitate & robore ratificauit,
& confirmauit, & quatenus opus ſit, etiam
de nouo fecit, & donauit ad cautelam;
12 † Vnde ſequitur cauſas in dicta donatione
expreſſas pro maiori robore ipſius dona-
tionis appoſitas fuiſſe; ſed ſi vnicam cauſam
augumenti dotis expreſſiſſet, iam res omni
prorſus difficultate careret, ex ea donatio-
13 nem ſuſtineri; † Quæ ergo fuerunt ad abū-
dātiorem cautelam appoſitæ ad actus vali-
ditatem, non debent contrarium operari,
vt in ſimili argumentatur *Bald. conſ.* 108.
num. 3. *lib.* 3. maximè quòd donans, ſi in-
terrogatus fuiſſet, an vellet dictam dona-
tionem valere ex cauſa dotis, in euentum
quòd ex alijs valere non poſſet, vtique re-
14 ſpondiſſet, velle. † Hæc itaq; interpretatio
conuenit menti donantis; conuenit etiam
verbis, poſtquam disertè cauſam dotis ex-
preſſit; conuenit naturæ & validitati actus
habentis clauſulam, omni meliori modo,
cuius maxima eſt vis; conuenit etiam iura-
mento, quod eandem vim obtinet, *l. cum*
pater. §. filius matrem. de legat. 2. & eſt ami-
ca intentioni donantis, non autem eius
deſtructioni; pro qua faciunt multæ regulæ,
nempe *regula l. quoties. ſupra allegat. regula*
15 *l.* 3. *de mil. teſta.* † non cenſeri quē elegiſſe
viam, per quam iudicium ſuum impugne-
tur, *regula l. ſi idem ſeruus. de lega.* 2. *& l.*
ſi cui purè. in fin. princ. ad Trebell. quæ ha-
16 bet, † actum contra voluntatem agentis
non eſſe interpretandum; item *regula in*
c. niſi. de preben. quam colligit Roman. ſin-
17 *gular.* 15. quòd † actus, qui ex capite va-
lido & inualido geri potuit, ex valido pro-
ceſſiſſe eſt intelligendus, & *regula l. de pu-*
pillo. §. ſi quis forte. de non. op. nunc. quòd
18 † omnis diſpoſitio ita eſt intelligenda, vt
abſur-

19 absurditas excludatur; † Absurdum verò id dici potest, quod est contra agentis intentionem; Item regula, quam ponit *Bald.*
20 *in l. si quis à filio. de lega.* 1. quòd † præsumptio potius adaptari debet ad actum confirmandum, quam impugnandum; & ideo ibi non fit repetitio conditionis actum perimentis, *l. cum vulgari. vbi glos. & Bart. de dot. præleg.* possent & alia innumera ad
21 hoc cumulari. Secundo fuit deductum † in materia donationis hoc esse perpetuum, vt ea sumatur interpretatio, per quam sustineatur, itaut si possit intelligi ex causa mortis & inter viuos, & altero modo non valeat, intelligatur eo modo, quo valet, *Bal. cõs.* 108. *3. part. Castr. cons.* 75. *lib.* 2. *Socin. cons.* 130. *num.* 6. *&* 137. *num.* 1. *lib.* 1. *Afflic. decis.* 338. *num.* 6. *Rip. de priuileg. cõtra caus. pest. nu.* 179. *Aym. cons.* 52. *num.* 4. *Corn. cõs.* 259. *num.* 9. *vol.* 4. *Socin. iun.*
22 *cons.* 21. *num.* 16. *lib.* 2. *cum alijs*. † Tertio fuit considerata clausula, omni meliori modo, nec non iuramentum, quæ operantur vt melior via cẽseatur electa, *Riminald. cons.* 26. *num.* 18. *&* 21. *lib.* 1. *Grat. cons.* 23. *num.* 21. *&* 34. *num.* 6. *lib.* 1. *Alex. cõs.* 8. *num.* 7. *lib.* 5. Non obstant deducta in contrarium, & primo quòd deducitur istã donationem à principio valuisse, hoc negabatur, quia si inspicimus ius commune re-
23 moto iuramento, † donatio à principio excedens legitimam summam est nulla, *vt tradit Socin. allegat. in d. cons.* 77. *num.* 19. *vers. immo est vlterius*; nec propter iuramẽtum potest dici valuisse, propter statutum Vrbis, quod tollit vim iuramenti. Nec obstant *cons. Feder. Soc. & Curtij allegata*, quia non dicunt, quòd vbi extat statutũ præfigẽs certum terminum ad insinuandum, donatio sit à principio inualida, sed præsupponunt, quòd vbi à principio propter iuramentũ est valida, si tale extet statutum, & infra tẽpus præfixum non insinuetur tunc annullari cẽ-
24 setur, quia † virtus iuramenti non trahitur ad nullitatem superuenientem; sed hoc nihil habet cõmune cum casu nostro, in quo propter statutum iuramentum non tollit defectum insinuationis, *& ita fuit responsum, per informantes in causa Romana quinquaginta milliũ corã R. P. D. meo Oradino Decano* 23. *Feb. præteriti.* Secũdo respõdetur, dato etiã, quòd talis nullitas non adesset, nõ ideo minus locum sibi vendicare regulam l. quoties. quæ est generalis, & non solum procedit ad validãdum actum à principio, sed etiam ad sustinendum quocumque tempore, nam
25 † multo magis debet tolerari interpretatio, per quam actus ab initio inualidus non reddatur inualidus, quam per quam à principio nullus validetur, cum iura proniora sint ad conseruandum, quam ad perdendum actum, iuxta illud multa facta tenent; &c. Et iura & Doctores vtũtur verbis nõ minus importantibus conseruationẽ quã conualidationẽ, & huius rei argumentũ sumi potest *ex l.* 1. *ff. de eo quod cert. loco.* vbi licèt nõ videretur, quòd quis cogẽdus esset dare rẽ alio in loco, quã vbi conuenisset; tamen quia promissio poterat facilè inutilis reddi, quia in arbitrio promissoris erat nũquam ad eum locum accedere, placuit, vt etiam alijs in locis daretur stipulatori vtilis actio, & hoc ne inutilis stipulatio reddatur, vt ibi inquit *Ias. in* 3. *notab.* & tamen stipulatio non erat à principio inutilis, sed euentualiter tantum, si improbè debitor se gessisset. Nõ obstat, si fortè allegaretur *Paul. de Cast. cons.* 75. *num.* 3. *in fin. lib.* 2. *qui fuit allegatus in illa quinquagintamillium*, quia non probat id, ad quod allegabatur, scilicet, quòd *regula l. quoties.* procedat tantum, vbi actus à principio est nullus. Non obstat secundum argumentum, quia satis tollitur per primum fundamentum ex aduerso de-
26 ductum, † & consilium Oldradi loquitur in casu continente repugnantiam verborum. Præterea ex eius interpretatione actus non corruebat, *ita Socin. respondet in cons.* 295. *num.* 9. *lib.* 2. *Alex. cons.* 40. *lib.* 4. *vt plenè per informantes deducitur*. Tertium quoque tolli potest ex supra deductis, si enim ex alia causa donatio sustineri non potest, ceteræ causæ pro non appositis censeri debent, & sola hæc superstes, vera, & non quæsita coloris gratia: Nec est inconueniens, vt tanto tempore ex futuro euentu stet in suspenso, donec probetur, an sit vera nec ne, prout aduersa exempla ad rem facientia cumulantur per informantes. Quartum quo-
27 que eodem modo tollitur, † nam post lapsum sex mensium non poterat amplius Eluira eligere, in quam causam mallet, neque poterat consentire reuocationi; ideo tunc verum erat dotis augumentum: posset etiam dici, quòd propter reciprocam quietationem mariti, ius ei esset tale quæsitum, vt nec etiam ante sex menses potuisset Eluira consentire reuocationi. Quintũ quo-
28 que non obstat, quia † indistinctè leges non minus dãt dotem mulieribus, quàm viris, *l. non tantum. ff. de tutor. & cur.* nec mirum, cum dominium naturale bonorum dotalium sit penes mulierem, ciuile verò penes maritum, *l. in rebus. C. de iur. dot.* sed etiam dici potest transire per eam ad maritum occultando vnum actum, *Bald. in l.* 2. *num.* 5. *C. de inoff. donat.* Quantum ad ea quæ contra allegationes Dominę Liuiæ deducebantur de causa impulsiua, & non finali, ea procedere possunt, vbi aliàs actus sustineri posset, sed vbi corruit, multa singularia in contrarium pro actus validitate concurrunt, & causa aliàs impulsiua fit fi-
29 nalis per allegata. Quod dicebatur † *regulam l. quoties.* non procedere in materia probatoria, id quidem verum est, sed nos

sumus in materia interpretationis non autem probationis, quod clarè apparet ex deductis, aliàs frustra Doctores supra allegati vterentur ista regula in interpretatione, an quis inter viuos vel causa mortis donare voluerit. Clausula, omni meliori modo non videtur restricta ad liberationem, eum adsit copula, ac aliàs, *Achill. decis.* 1. *de* 30 *clausul.* Tamen in omnem euentum + adest iuramentum, quod obtinet eandem vim & potestatem.

Monasterien. Denegationis possessionis Canonicatus.
Die Veneris 17. Aprilis 1573.

SVMMARIVM.

1 *Conuocatio fieri non potest vnica epistola vel edicto in ijs, qui sparsim diuersisq. locis habitant; secus in ijs, qui in eadem ciuitate degunt.*

DECISIO CCII.

FVit resolutum ex vigintiquinque praesuppositis summarij nihil inferri, quominus stet probatio Domini Ioannis, eamque ex deductis minimè reddi aequiuocam, immo potius coadiuuari; In primis enim non percutiunt tria illa signa, quae praecipuè per Dominos considerata fuerunt pro Domino Ioanne; Praeterea vnumquodque praesuppositum habet suam particularem solutionem: Primum enim de distinctione ordinum Episcopatus Monasterien. nō denegatur, sed nihil concludit. Secundum de familijs iunctis quarto, quinto, sexto, septimo, & octauo nihil cōcludūt, etiā dato, quòd in eis contenta plenè probarentur, cum iam fuerit resolutum non esse incompatibilia, quòd quis sit Erbmanus, & nobilis militaris; Eodem pacto etiam tolluntur nonum & decimum. Ex vndecimo nihil infertur; Duodecimum, & decimumtertium faciunt pro Domino Ioanne; Decimumquartum, decimumquintum, decimumsextum, & decimumseptimū, quae sunt super conuocatione ad comitia non obstant, eum huiusmodi conuocatio diuersimode fiat ratione
1 commoditatis & loci, + neque enim vnica epistola vel edicto commodè vocari possunt ij, qui sparsim diuersisq. locis habitant, secus verò degentes in ciuitate, quod clarius demonstratur, eum etiam Erbmani absentes per litteras sint conuocati, vt in praesuppositis decimooctauo, & decimonono, & rationem huius differentis conuocationis cōtinet vigesimū praesuppositū. Vigesimūsecūdū de exclusione à comitijs nō obstat, tum quia lite pendente videtur facta, vt in vigesimotertio praesupposito. Nec obstāt testes, quia primus est valde suspectus, cum multa dicat, quae alij non audent affirmare, & fuit resolutū eum esse diminutū de fide, Secūdus iuxta interrogata se expedire nō potuit; & ideo intelligendus post litem motam. Vigesimus secundus est singularis. Vltimus nihil probat, & in vniuersum non probant non Senatores electos fuisse. Vigesimumquartum de sigillis non obstat, quia non probatur, nec quòd omnes militares sigillauerint, neque quòd Erbmani volentes sigillare, non fuerint admissi, & sufficit, quòd corpus Ciuitatis pro Erbmanis sigillet; & ideo conueniunt responsiones datae ad decimumquartū. Vigesimusquintus nihil facit, nam aut probat pro Domino Ioanne attento titulo libri; aut certè nihil omnino concludit.

In eadem Monasterien. Denegationis possessionis Canonicatus.
Die Lunae 27. Aprilis 1573.

SVMMARIVM.

1 *Qui ciues non sunt, nec in ciuitate degunt, non tenentur subire onera municipalia.*

DECISIO CCIII.

QVantum ad vigesimumsextum praesuppositum, & vigesimumseptimum super eo, quòd Erbmani subeunt onera municipalia, fuit dictum ex hoc nihil inferri, quod nobilitatem militarem excludat eum ratio huius rei sit illa, quam octauus testis & trigesimus, de quibus in vigesimoseptimo
1 articulo; reddunt, + qui enim ciues non sunt, & in ciuitate non degunt, non tenentur subire talia munera, etiam si sint Erbmani, & è contra si in ciuitatibus degant etiam nobiles militares, munera ciuilia aliquando subire solent, prout habetur in vigesimonono praesupposito. Et ideo vigesimus testis in eodē praesupposito interrogatus; An vanum & fictum sit, vt ciuis & nobilis militaris sint incompatibilia, respondit quòd sic, Quantum ad trigesimum praesuppositū, in quo habetur ciues & Erbmanos Ciuitatis Monasterien. non solere contrahere cum exteris nobilibus, hoc habet suam particularem rationem, nempe commoditatis; solet enim vnusquisque facilius cum sua ciue, quàm cum peregrina contrahere, sed & hoc praesuppositum, quod per testes de credulitate deponētes probatur; elidítur per trigesimūprimū, trigesimūsecūdum, trigesimumtertium, & trigesimūquartū praesuppositum. Quātum ad trigesimūquintū non probatur, cū non deponant de communi reputatione, & testes partim de fide diminuti, partim de credulitate deponentes, partim de auditu à canonicis non concludunt. Trigesimumseptimum praesuppositum non facit ad rem, trigesimumoctauum nō probatur, nec etiam relenaret, nisi probaretur Dominum Ioannem ab illis personis descendere: Reliqua praesupposita à qua-

à quadragesimo vsque ad septuagesimum quartum faciūt pro Domino Ioāne, & maximè fuit facta vis in eo, quòd cum Capitulum intendat excludere ciues Monasterien. à nobilitate militari, tamen circa primum interrogatorium decem, & septem ex testibus Capituli super hoc interrogati deponunt se nescire, & super eo se expedire nō posse, prout in septuagesimoquarto præsupposito, & in specie interrogatus de Hermano Schenkhing in septuagesimo sexto præsupposito, viginti & amplius testes deponunt eum fuisse Senatorem, sed super nobilitate militari sese expedire non possunt. Quantum ad septuagesimum septimum, in quo continetur Hermannum Schenkhing. nō fuisse nobilem militarem, nec pro tali reputatum, hoc non probatur; nam primus testis est vulneratus, & fide diminutus: Tertius quoque est fide diminutus, *prout in resolutione aliàs facta 27. Octobris 1572.* præterea sibi contrarius, vt in quadragesimoquinto præsupposito: Quartus deponit de auditu ab aduersarijs Domini Ioannis. Quantum ad septuagesimumoctauum nihil inde inferri potest, cum testes, de quibus in eo, ignorent cōsuetudinem Monasterien.

Nucerina Affictus.
Die Veneris 15. Maij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Vbi adest vehemens iuris præsumptio in cōtrarium, confessio diuidi potest.*
2 *Præsumptio est contra fideicommissum.*
3 *Assertio falsa in inuētario præsumitur facta in præiudicium creditorum, cū quibus erat lis tempore inuentarij.*
4 *Solutio facta posterioribus creditoribus non impedit solutionem faciendam anterioribus, cū quibus erat lis prius introducta.*

DECISIO CCIV.

Domini dixerunt assertionem fideicōmissi respectu quarti Andreæ reijci posse, ex ijsdem rationibus, quæ fuerūt adductæ in alia resolutione * super Vinea, & Hospitio; nam † vbi adest vehemens iuris præsumptio in contrarium, confessio diuidi potest, *Bart. in l. Aurelius. §. idem quæsit de liber. leg. Alex. conf. 39. vol. 7. Grat. 127. lib. 2. Menoch. de arbitr. centur. 1. cas. 93.* † Hoc autem casu non solum adest præsumptio in genere contra fideicommissum, *Dec. cons. 465. num. 14.* sed in specie ex lectura testamenti apparet non posse adesse fideicommissum, nisi pro ea parte, quę spectabat ad Prosperum, *Castr. cons. 296. lib. 1. Abb. cap. bona. il 2. num. 29. de postul. Prælat. Lanfranc. c. quoniam contra. in verb. confessionis. nu. 20. de probation. cum alijs allegatis.* † Præterea cum appareat assertionē respectu Vineæ, & Hospitij fuisse falsam, vt fuit resolutum, * & tempore confectionis inuentarij penderēt lites contra Ioannem Andream, præsumitur hanc assertionem fuisse factam in præiudicium creditorum, *l. si à te. C. de pactis. Rip. in c. tū. M. Ferrarensis. num. 192. de constitut.* Quantum ad secundam partem, Domini dixerunt mandatum relaxandum esse, non obstantibus solutionibus per eos factis, excepta solutione facta Antonio Marino, 4 † cuius causa videtur antiquior, cum reliquæ habeant causam posteriorem, ita vt factæ sint lite iam per multos annos introducta, *Abb. cons. 73. col. fin. lib. 2.*

* Sub die Lunæ 23. Februarij proxime præterita.

* Sub die Lunę 2. Martij proxime prętериti, quę decisio non fuit extensa, sed tantummodo ita dictū fuit, Cōfessio diuidi potest in ea parte, in qua contrarium ex lectura testamenti apparet, quod fuit productū per eosdem Caffarellos: Constat autem ea eodē testamēto nō posse cadere sub fideicommisso, nisi tertiam partem Vineę & Hospitij.

Palentina Iurisdictionis.
Die Lunæ 18. Maij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Statutum comprehendens omnem correctionem comprehendit etiam illam, quæ fit in visitatione.*
2 *Verbū, omnis, est signū vniuersale, quod prædicatur de pluribus differētibus numero.*
3 *Episcopus potest corrigere tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, cum ex eo quòd est Episcopus, sit ei concessa iurisdictio delegata.*

DECISIO CCV.

1 Fvit resolutum, † statutum in sui generalitate comprehēdere omnem correctionem, etiam eam, quæ fit in visitatione, 2 † cum vtatur signo vniuersali, omnis, quod prędicatur de pluribus differentibus numero, *Bald. in c. quamuis. in 1. col. de iudic. Ias. in l. imperium. col. 5. ff. de iurisdict. omn. iud. Felin. in c. quod sedes. col. 2. de off. ordin. quos refert Cotta in memorab. in verb. Iurisdict.* Ideo iuramentum per Reu. Dominum Episcopum præstitum capit vtrunque casum, tam visitationis, quàm extra visitationem; ex quo præsupponendo statutum huiusmodi fuisse per decreta Concilij, nempe *in c. 4. de reform. sess. 6. & cap. 6. sess. 25.* sublatum, aliàs non adesset aliqua ratio dubitandi. Domini dixerunt prædictum Reu. D. Episcopum teneri ad obseruationem præfati iuramenti, cum expresse Concilium velit, iuramenta suos obligare authores; cum præsupposito tamen, quòd simus in præiudicio separabili, prout nos esse Domini inclinabant, per ea quæ tradit *Aret. cons. 114. num. 2. & late fuerunt deducta in vna Leodien. surreptionis coram bon. mem. Grato sub die 16. Maij 1569.* Tamen si pars super hoc velit audiri, audietur. Quo fundamento stante, non obstare contraria de alienatione, & pręiudicio ecclesię. 3 Nec obstare, quòd † possit corrigere tanquam delegatus, cum ex eo quòd est Episcopus, sit ei concessa iurisdictio delegata.

Anconitana Coriorum.

Die Mercurij 27. Maij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Testi, qui se refert ad libros decocti, non creditur; prout nec etiam ipsis libris.*
2 *Proxeneta non probat.*
3 *Stylus non probatur non concurrente spatio temporis sufficiente.*
4 *Fides non datur partitis mercatorum ad eorum fauorem.*
5 *Stylus probandus per testes, conceptus per verba, multi, & multoties, nō concludit.*
6 *Partita non adnotata in libris solitis adnotari, præsumitur non esse vera, sed fraudulenta, & suspecta, stante decoctione.*

DECISIO CCVI.

præsens decisio habetur in impres. diuers. nouiss. 164. part. 1.

FVit tentum pro Riberijs, non obstan-
tibus resolutionibus seu inclinationi-
bus in contrarium habitis, *sub die 28. No-*
uembris, & 19. Decembris 1572. nempe nō
probari concludenter, quòd Vltraferri fue-
rint à Barberinis consignati Rouelasco,
quatuor enim genera probationis afferun-
tur: primum est ex instrumento cessionis,
quod non probat, stante decoctione Roue-
laschi; cum hic militet ratio *l. per diuersas,*
C. mandat. & ibi Bald. num. 2. Rot. decis.
1. de alien. iud. mut. caus. in nou. Socin. cons.
66. num. 14. lib. 1. Secundum est ex testi-
bus, quos Domini dixerunt nihil conclu-
denter probare, nam primus non vidit con-
1 signare, & † refert se ad libros Rouelaschi,
quibus non creditur; ideo neque etiam ip-
si, *Aym. cons. 122. num. 8.* Secundus testis
2 † nihil probat, quia affert rationem mer-
cedis, quæ non concludit, & est proxene-
ta, *Alexand. consil. 117. lib. 7.* alij testes
3 nihil probant, † neque etiam stylum, non
concurrente spatio temporis sufficiente.
Tertium est ex partitis, quod neque etiam
4 probat, † nō enim datur fides mercatoribus
ad eorum fauorem, *l. exemplo. C. de probat.*
Ias. in repet. l. admonendi. num. 111. & ibi
Rip. num. 121. de iureiur. cum alijs, neque
etiam tertio contra tertium, *Ias. ibid. num.*
133. & seq. Aym. de antiq. temp. part. 1. n.
5 *29.* Quartum est ex stylo, † qui visus est non
concludere, quia conceptus est per verba,
multi, & multoties, quæ non concludunt,
l. 1. §. hoc rescriptum, vbi glos. & Bart. ad
Syllan. Corn. cons. 301. num. 7. lib. 3. Cas-
sad. decis. 34. num. 20. Et ista omnia con-
siderarunt Domini facile tolli ex eo, quòd
6 † militat maxima præsumptio in contra-
rium, quæ oritur ex eo, quòd in libris Ber-
gagrini non reperitur adnotata ista partita,
Bart. in l. Titiæ textores. in 2. notab. de le-
gat. 1. Dec. cons. 218. num. 6. & cons. 496.
num. 8. & maximè stante stylo mercatorum
describendi omnia negocia, quæ per ipsos
geruntur, & negocium erat magnæ quan-
titatis. Accedit quòd partitæ Roueloschi,
& Barberini non concordant; ideo facile
fraus præsumitur, stante tali diuersitate, &
decoctione, *Ias. in §. Item si quis in fraudem.*
num. 46. instit. de action. & ita tolluntur om-
nia ex aduerso considerata, quia sunt vel
imperfecta vel suspecta, & Barberini ex ijs
non concludenter probant exceptionem
cessionis, prout tenentur, cum Riberij fun-
dauerint actionē probato dominio coriorū.

Monasterien. Denegationis possessionis Canonicatus.

Die Lunæ 1. Iunij 1573.

SVMMARIVM.

1 *Nobilitas politica non inest à natura; ideo venit probanda.*
2 *Appellatione probationis intelligitur de plena, secundum tamen subiectam materiam.*
3 *Nobilitas probari debet, secundum quòd probari potest.*
4 *Modus probandi nobilitatem qualis sit, & qualiter probetur, & per totam.*
5 *Ars an sit nobilis, ex eo dignoscitur, an nobiles secundum consuetudinem, illam exerceant.*
6 *Probatio nobilitatis reducitur ad communem reputationem.*
7 *Nobilitas tribuitur à vulgi opinione, cum reputatione & gestione, iuncta antiquitate familiæ.*
8 *In dubio nemo præsumitur nobilis; & lex non præsumit quem nobilem; non tamen inhabilitat ad nobilitatem, vt num. seq.*
9 *Illegitimus est incapax clericatus absque dispensatione.*
10 *Ex inhabitatione in ciuitate non amittitur nobilitas, sed nobilitati accumulatur ciuilitas.*
11 *Ex eo, quòd quis sederit inter ciues, & inter eos fuerit Senator, nō amittitur nobilitas, militaris, si secundum loci cōsuetudinem hoc se compatiatur cum nobilitate.*
12 *Ad præscriptionem nobilitatis requiritur tempus immemorabile.*
13 *Ad hoc vt quis dicatur nobilis, sufficit tractatus & reputatio, & illius quasi possessio, donec fuerit contrarium probatum.*

DECISIO CCVII.

præsens decisio facta fuit in Rota corā R. P. D. Seraph. & extensa à R. P. D. Aldobrādino, qui fuit Clemēs viij. eo quia R. P. D. Seraphinus profectus fuit in Gallias ad Henricum Electū Poloniæ Regem pro sāctissimo Do-

DOmini quoad primam partem dubij
dixerunt Ioannem debere probare
suam nobilitatem militarem plenè, quia
1 † cum nobilitas politica nō insit à natura,
probanda est, *Couarru. var. resol. lib. 1. cap.*
16. num. 10. prope fin. Bonacurs. de nobili-
2 *tat. in 6. part.* † & in dubio appellatione
probationis intelligitur de plena, *ad Felin.*
in rubr. de probatio. col. 1. Hanc tamen
plenam Domini intellexerunt secundum su-
3 biectam materiam nobilitatis, † & sic secū-

dum,

mino nostro Gregorio de consensu congratulationis gratia.

dum, quòd nobilitas probari potest, *Felin. in ead. rubr. in 2. conclus.* Quo stante quo ad secundam dubij partem dixerunt, Ioannem sufficienter probasse suam militarem nobilitatem, quia ex litteris Episcopi, & Capituli, per quas vocantur maiores sui ad comitia, & militiam, vti nobiles militares, & per quas litteras distribuuntur ipsis impositiones, quæ solis nobilibus militaribus tunc imponebantur, probatur tractatus istorum vti nobilium militarium; itẽ probatur cõfessio ipsiusmet Capituli, quòd sint nobiles militares, vt ex eisdem etiam
4 litteris, & testibus constat, + quòd habebant feuda ministerialia, quæ sunt propria nobilium militarium, secundum consuetudinem ciuitatis Monasterien. & de iure etiã iste est modus probandi nobilitatem, *Cassan. consid. 64. num.* 14. quòd deferunt supra eorum insignia galeam apertam, quòd fuerunt passim vocati omnibus epithetis, quibus in illis partibus vocantur nobiles militares, ex quibus omnibus simul iunctis, cum vt dictum est, resultet plenus & realis tractatus vti nobilium militarium, & communis quædam reputatio in illa regione, quòd sint tales, huiusmodi probatio sufficit de iure communi ad probandum nobilitatem, quæ vix aliter probari potest, cũ mos & consuetudo locorum quo ad illam attendatur, *Paul. de Castr. cons.* 125. *In quarto dubio. lib. 2. Cassan. super consuetud. rubr. 4. §. 19. in verb. entre gens noblet. nu.* 12. *Bonacur. in d. tractat. de nobilit. in 6. part.*
5 quod etiam + ad dignoscendum, An ars sit nobilis vel ne, obseruari videmus, *Alciat. qui alios refert de præsumpt. reg. 1. præsumpt.* 48. Et licet fortasse in hac materia hæc omnia, vel semiplenam tantum, vel paulo plus quam semiplenam, in hac tamen plenam efficiunt probationem, in qua Doctores
6 docentes articulariter omnia, + eandem reducunt ad communem reputationem, *Bonacurs. in d. tractat. in ead 6. part.* & quanti momenti sit hæc reputatio in hac materia, apparet ex deductis post alios ab eo relatos, *à Cassan. d. consid. 64. num.* 10. *cumseq.* Et quamuis etiam hæc omnia ad acquisitionem nobilitatis fortasse non sufficiant, satis tamen est, quòd ille, in quo ea concurrunt, reputatur, & habetur pro nobili, donec contrarium probatum fuerit, *Luc. de Pen. in l. mulieres. col. 2. vers. Nono ex communi opin. C. de dignit. lib.* 12. *Cassan.*
7 *vbi supr.* Immo + ipsa vulgi opinio cum reputatione & gestione, iuncta antiquitate familiæ, de qua plenissimè testes deponunt, ipsam tribuunt nobilitatem, *vt per Bonacurs. in d. tract. d. 6. part. num.* 9. quæ in casu isto pro nobilitate Ioannis bene con-
8 currunt. Neque obstat, quòd + in dubio nemo præsumatur nobilis, quia Ioannes militar probatione, & non præsumptione, Neque simile de illegitimo quadrat huic ca-
9 sui, + cum illegitimus sit incapax clericatus; & ideo necessariam habeat dispẽsationem: sed quamuis lex non præsumat quem nobilem, non tamen inhabilitat ad nobilitatem. Quòd autem maiores Ioannis obierint munera municipalia, ei non obstat, cũ ex facto appareat, hoc non repugnare secundum morem illarum partium nobilitati militari, quando prædicti nobiles milita-
10 res ciuitatem inhabitant, + ex qua inhabitatione non perditur nobilitas, sed nobilitati accumulatur ciuilitas, *Bald. in l. per adoptionem. ff. de adoptio. Alex. cons. 31. n. 6.*
11 *lib. 5.* Et ex eadem ratione + non obstat, quòd pater eiusdem federit inter ciues, & quòd eius antiqui fuerint nominati Burger, cum id prouenerit, ex eo quòd ciuitatem incolebant maiores, & pater in eadem erat Senator, quæ secundum cõsuetudinem illius regionis se compatiuntur cum prædicta nobilitate militari, vt ex testibus Capituli constat, & Domini iam resoluerunt. Descriptio autem familiæ Ioannis in libro Episcopi, aut non est habenda in consideratione, tanquam descriptio incuriose facta, aut de directo facit contra Capitulum; ex quo liber inscribitur militarium. Quòd vero Ioãnes in Ecclesia Augustana fuerit admissus vti doctor, similiter non obstat, cum factum fuerit, ne duobus in locis eodẽ tempore eadem de causa vexaretur. Neque etiam aliquid facit in contrarium *Respon. Rip. 26. lib. 2.* quia probatum fuerat in eo casu, quòd ille, de quo agebat Ripa, erat filius barbitonsoris, quod omnibus notum est non bene conuenire cum nobilitate. Si-
12 cuti + non obstat, quòd ad præscriptionẽ nobilitatis requiritur tempus immemorabile, *Tiraq. de nobilitat. c. 14. Couar. var. resoluti lib. 1. d. c. 16. num.* 10. quia non agitur in hoc casu de præscriptione, sed de
13 probatione; & + propterea sufficit Domino Ioãni hic tractatus, & hæc reputatio, & ista quasi possessio nobilitatis militaris, donec fuerit contrarium probatum; tùc enim agendum fuisset de præscriptione, vel priuilegio, quando probatum fuisset, quòd aliquo tempore ij fuissent non nobiles militares, quia tunc esset quodam modò inhabilitas probata, sed hoc non probato, sufficit ei, vt dictum est, probare ea, de quibus supra. Non etiam obstat forma statuti, quia circa modum probandi nobilitatem militarem non tenetur D. Ioannes seruare formam statuti, vt iam per Dominos resolutũ fuit*, & tanto magis hæc probatio est habenda in consideratione, quanto quòd pro maiori parte deducitur ex testibus ipsius met Capituli.

* Sub die vlt. Februarij 1567. & 14. Martij, 1572.

Romana Prælationis.
Die Veneris 27. Nouembris 1573.

SVMMARIVM.

1 *Statutum, quod non tollit speciem probationis, sed coarctat ad certum numerum testium, non dicitur decisorium, sed ordinatorium.*

2 *Ordinatoria vnius tribunalis in alio de iure cōmuni nō sunt de necessitate seruāda.*

DECISIO CCVIII.

1 DOmini dixerunt, † prius statutum esse ordinatorium non autem decisorium, cum non tollat aliquā speciem probationis, sed coarctet tantum ad certum numerum. Allegata verò in contrarium procedunt, vbi aliqua species probationis in totum tollitur, pertinet enim tale statutum ad decisoria. Vltimum verò statutum licèt possit dici decisoriū, in eo quòd tollit fidem testibus inductis: tamen non facit ad casum nostrū, cum loquatur de ijs testibus, qui non sunt admittendi, sed isti, de quibus agitur in Rota, erant admittendi,
2 † cum de iure communi ordinatoria vnius tribunalis in alio nō sint de necessitate seruanda. Fuit tamen excitata difficultas, an ex eo quòd in confirmatione statutorum Vrbis, Papa mandat vbique seruari omnia etiam ordinatoria, sint in Rota obseruanda, aut potius talis cōfirmatio in hac parte recipiat interpretationē passiuam à iure cōmuni: quod erit particulariter discutiendū.

Romana Duorum millium, seu Societatis.
Die Veneris 18. Decembris. 1573.

SVMMARIVM.

1 *Pactum resolutiuum contractus statim operatur creditore volente, & num. 3.*

2 *Disdicta, quæ fit vigore pacti resolutiui, nō pendet à voluntate creditoris, sed à negligentia debitoris, negligentis perficere id, ad quod tenetur.*

4 *Quis non debet commodum consequi ex eo contractu, quem non impleuit.*

DECISIO CCIX.

præsens decisio habetur in impres. diuers nouiss. 354. part. 1.

FVit resolutum, non esse locum lucro pecuniarum, de quibus agitur, sed esse restituendas, ex eo quòd in contractu fuit
1 appositum pactum resolutiuum, † quod statim operatur stāte declaratione per Theophilum facta, *Alex. in l. insulam. 16. fallent. de verb. oblig. Put. vlt. de transactio.* Neque in hoc censeri debet repetita dilatio quindecim dierum apposita disdictæ, quę expressè fieri debebat, cum sit diuersa ratio; illa enim disdicta est merè voluntaria ex parte creditoris; ideo consentaneum est, vt detur aliqua honesta dilatio debitori ad pecunias
2 parandas; sed † disdicta hæc, quæ fit vigore pacti resolutiui, non pendet à volūtate creditoris, sed à negligentia debitoris negligentis id, ad quod tenetur, perficere. Quare
3 † statim resoluitur contractus creditore volente, prout in isto casu voluisse apparet: nec expectandi sunt alij quindecim dies, nō vigore conuentionis, cum hoc actum non fuerit; nec ex natura contractus, cum pactū
4 resolutiuum statim operetur. † Neque est ferendum, vt quis ex eo contractu, quem nō impleuit, commodum consequatur, *l. Iulianus. §. offerri. de act. empt. Gozzad. cons. 1. num. 1. & cons. 31. num. 4.* Nec obstat *Put. decisio. 68. lib. 3.* quia rationes illius decisionis sunt omnino diuersæ, & cessant in illo casu, in quo aderat clausula, pręcedente disdicta, hic vero adest pactum expressum, quòd eo ipso intelligatur societas disdicta; & potest adduci simile de emphyteuta, vt *per Clar. in §. emphyteusis. quæst. 9.*

Romana Compromissi.
Die Sabbati 23. Ianuarij 1574.

SVMMARIVM.

1 *De iure communi donatio non insinuata est quidem inualida & inefficax, non autem potest dici nulla, itaut nullum penitus effectum parere possit, cum subsequuta insinuatione confirmetur, & nu. 2.*

3 *Actus pendere potest à futuro euentu.*

4 *Iuramentum simplex de obseruando cōtractu, & renunciatio dispositionis statuti cum iuramento differunt.*

DECISIO CCX.

1 IN ista dubitatione præmitto, quòd † de iure communi donatio nō insinuata est nulla, *l. sancimus. C. de donat.* intelligo nullam idest inualidam, *l. 1. §. fin. quod cuiusque vniuersitat. l. quoties. qui satisd. cog. c. inter corporalia §. sed neque. de translat. Episc. & §. pen. Instit. quib. mod. testam. infir.* nō autem nullam, itaut nullum pęnitus effectū parere possit, cum subsequuta insinuatione confirmetur, vt optime declarat *Ang. cons. 36. num. 2. Felin. in c. cum dilecta. de rescript. col. 6. num. 6. vers. quartum signum.* aliàs si nulla esset ipso iure, non posset ex post facto conualidari, *glos. & Ias. in l. vniuersa. num. 6. C. de precib. Imper. offer.* nam ex ea transfertur dominium, licèt reuocabiliter, vt declarat *Cyn. in l. contractus. n. 8. C. de fid. instr. & Bart. ibidem. in. 2. lectur. num. 7.* Dico ergo in casu proposito, donationem à principio fuisse eodem modo inualidam, & nullum effectum potuisse parere, stantibus statutis; nam fingamus donationem incepisse à promissione, certè nō subsequuta insinuatione nulla poterat ante sex menses, stantibus dispositionibus statutarijs, exerceri actio, & nullus prorsus erat effectus huius donationis: quare vellem, vt

qui

qui defendunt fuisse validam ab initio, signũ aliquod huius validitatis afferrent, quod nõ potuit cõuenire donationi, inspecto tantum iure communi. Erat ergo donatio nulla ob
2 non insinuationẽ; † nec causam validabat iuramentum, cum statutum eius vires tollat, & perinde sit, ac si non interuenisset. Nec obstat dicere, quòd statutum in nou. cap. 18. dicat, aliàs sit nulla, & ideo faciat conditionem, scilicet, vt sit nulla post sex menses, & non ante, quia si ista subtilitas esset vera, sequeretur, quòd nullitas illa resultans post sex menses non retrotraheretur ad principium, ergo etiam sequeretur, quòd dominium interim per traditionem acquisitum donatario esset irreuocabile, & non reuocabile, vt volunt glos. & Doctor. supra allegati, sed consequens est falsum, ergo &c. sed si retrotrahitur nullitas ad principium actus, procedit optime opinio Doctor. & lapsus temporis nõ inducit nullitatem, sed eam, quæ inerat, & sanabilis erat, detegit & insanabilem reddit, & nisi ita dicamus, retrotractio fieri nõ poterit propter medij in-
3 habilitatem: Nec est nouum, † quòd actus pendeat à futuro euentu. *§. ab hostibus. Instit. quib. mod. ius patr. potest. sol. l. quadã sunt. de reb. dub. Bart. l. planè. §. si cõiunctim. de legat. 1. num. 2.* Confirmatur ex verbis statuti in fin. vbi dicit, ad validitatem donationis insinuatæ, quasi innuat non fuisse validam ante insinuationem. Ratio quæ secundo loco deducitur, quòd quando solemnitas potest interuenire post actũ, non facit interim actum nullum, cõcludit contra id, quod à principio deducebant, fatendo de iure communi donationem esse nullam; secus stante statuto; sed pro conciliatione necesse est capere nullitatem pro inefficacia,
4 vt dixi. † Tertium, quod deducitur, ex authoritate *Federic. de Sen.* non facit ad propositum, vt aliàs latè fuit deductum, *nam illo casu, non aderat statutum tollens vim iuramẽti; & ideo dicit *Federic. ibi & Ruin. cons. 51. num. 19. lib. 1.* quòd illud procedit, vbi iuramentum est simplex de obseruando contractu, non autem vbi per iuramentũ esset renunciatũ dispositioni statuti.

*In hac causa sub die 17. Aprilis anni præteriti sub num. 14.

Cæsaraugustana Alimentorum.
Die Sabbati 23. Ianuarij 1574.

SVMMARIVM.

1 *Alimenta debita in vna specie, si illa de facili non reperiatur, possunt præstari in quantitate pecuniæ, resoluendo speciem in ipsam pecuniæ quantitatem.*

2 *Resolutio speciei in quãtitatem pecuniæ intelligi debet, rebus sic stantibus, & procedit etiam in contractibus habentibus tractum successiuum. vt num. seq.*

4 *Idemetiam procedit in materia, quæ se habet ad augumentum & diminutionem, quando casus superueniens non potuit facilè præcogitari, quia tunc intelligitur rebus sic stantibus.*

5 *Obligatus præstare alimenta in redditibus bonorum; si dicat, quòd redditus non sufficiunt, debet hoc ipse probare, tanquam suæ exceptionis fundamentum.*

6 *Interpretatio contra alimenta fieri non debet, cum de sui natura sint fauorabilia.*

7 *Interpretatio sumi debet, quæ excludat nouationem, & quæ minus præiudicet alimentis.*

DECISIO CCXI.

1 Fvit resolutum † Dominos Canonicos posse petere quantitatẽ carnis à principio eis assignatam, vel sufficientem pecuniam ad illam emendam: Et moti fuerunt Domini ex eo, quòd à principio concessa fuerũt bona Capituli in administrationem dignitatibus ad hunc effectum, vt ex eorum redditibus darentur Canonicis necessaria ad victum; & inter cætera conuentum, vt binis Canonicis daretur quarta pars arietis; sed cũ de Anno 1447. inter dignitates & Canonicos orta esset quæstio super carne, Dalmatius Episcopus vna cũ Capitulo resoluit eam in pecunijs, videlicet quòd septem mensibus pro carne quotidie darentur quindecim denarij Canonico, & Portionario octo, reliquis verò mensibus Canonico quatuordecim, & Portionario septem,
2 prout in quinto præsupposito habetur, † quæ quidem ordinatio & resolutio debet intelligi, rebus sic stantibus, *l. quod Seruius. & ibi Ias. de condit. caus. dat. Dec. 335 Riminald.*
3 *102. num. 6.* † quæ regula procedit etiam in contractibus habẽtibus tractum successiuum, *Tiraq. in præfat. l. si vnquam. num. 167. C. de reuocand. donat. Natt. cons. 525. num. 16. lib. 3. quicquid dixerit Alciat. relatus à Pedemont. decis. 91. num. 14. qui tamen non figunt pedes in ea responsione, quæ est contra tex. apertos, nempe contra legem quod seruius. ff. de cond. caus. dat. l. quaro. §. inter. locat. l. tale pactum. §. fin. de pact. l. qui seruum. ff. de verb. oblig. cum alijs alleg.* maximè verò cum ista resolutio carnium in pecunias fuerit facta fauore Canonicorum.
4 Nec obstat, † quòd simus in materia, quæ se habet ad augumẽtum & diminutionẽ, quia nihilominus procedit regula, vbi casus superueniens non potuit facilè præcogitari, vt in hac specie, quod colligitur *ex eodem Alciat. cons. 35. num. 3. tom. 3. lib. 5. & Natt. loco allegat. num 18.* Nec obstat, quòd consideratũ fuit hanc regulam debere operari etiam fauore dignitatum, vt intelligantur obligati ad præstãda alimenta, rebus sic stantibus, quia pro responsione fuit consideratum, quòd à principio obligatio non fuit concepta in pecunia pro emendis tot libris carniũ, sed in quarta parte arietis pro

præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 127. part. 1.

5 pro binis Canonicis, adeo quòd † cum habuerint administrationem cum hoc onere, si volũt se ab eo eximere eo prætextu, quòd redditus non sufficiant, debent hoc ipsi tũquam suæ exceptionis fundamentum pro-
6 bare, aliàs † non debet fieri interpretatio contra alimenta, quæ de sui natura sunt fauorabilia, *toto tit. de aliment. & cib. leg.* Vnde ex hoc capite omissa supradicta clausula, rebus sic stantibus, potest causa decidi; nam ordinatio Episcopi, quæ habet, vt dentur tot pecuniæ pro carne, debet intelligi, idest pro emenda eadem carnis quantitate, non autem pro carne, idest loco carnis; tum ex eo quòd negotij natura hæc erat, vt omnino Canonici vellent carnes, hoc exigente victus necessitate; tũ
7 etiam quia † interpretatio sumi debet, quę excludat nouationem, & quæ sit minus pręiudicialis alimentis, *prout resolutum fuit in vna Roman. alimentorum 21. Aprilis 1572. coram R. P. D. Lancellotto per text. in l. alimenta. & in l. Cato Seio. §. Imperator. & l. à filio. §. Titia. de alim. & cib. lega. & l. 1. C. de legib.* quod est etiam maximè proportionabile materiæ subiectæ, in qua posset agi ad congruam, si per temporis lapsum congrua effecta esset insufficiens, *c. extirpandæ. de præbend. & resolutum fuit in vna Toletan. congruarum coram bon. mem. Oradino 23. Ianuarij 1572.* Quod de præscriptione deducitur * pro dignitatibus, nõ fuit habitum in consideratione; tum respectu subiectæ materiæ; tum ratione temporis, quod non videtur intercessisse.

*De præscriptione resolutum fuit sub die 14. Iunij præsentis anni, quæ resolutio fuit exarata in hæc verba forma lia, Nullam adesse præscriptionem.

Gerunden. Anniuersariorum.
Die Mercurij 27. Ianuarij 1574.

SVMMARIVM.

1 *Restitutio fit ad statum.*
2 *Multiplicatio excludit præsumptionem facultatis.*
3 *Facultas præscribi potest.*
4 *Facultas nominandi acquiri potest, non solum vigore statuti, sed etiam consuetudinis antiquæ.*

DECISIO CCXII.

Præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 146. part. 1.

FVit resolutum constare de possessione quadragenaria beneficiatorum nominandi protectores ad effectum, de quo agitur, iuxta formam commissionis, cum probetur huiusmodi nominatio ab Anno 1509. vsque ad annum 1569. vt constat in præsuppositis pro parte beneficiatorum à n. 13. vsque ad num. 72. & sic per sexaginta annos, sed etiam ante dictum annum 1509. vt in dicto Summario à num. 1. vsque ad num. 13.
1 & † iste status est restituibilis. *Put. 30. de restit. spol. Abb. in c. querelam. num. 12. de electio.* Nec est dubitandum de iurisdictione, cum rescriptum velit, vt constito de possessione, omnia reducantur in pristinum statum, quæ possessio intelligitur qualificata suis omnibus qualitatibus, scilicet nominationis beneficiatorum, & deputationis per Capitulum. Confirmatur ex confessione Capituli, quæ habetur num. 10. in summario beneficiatorũ, fatentur enim Canonici beneficiatos habere potestatem nominandi, non autem electionem; Idem probatur per actum positiuum ipsius Capituli sub num. 44. in summario Capituli; vbi priuat nonnullos administratores ob delicta ab ipsis perpetrata; & requirit beneficiatos, vt intra certum tempus alios nominent. Non obstat, quod deducitur ex aduerso hanc facultatem prouenire à Capitulo iuxta enũciationes factas in diuersis instrumentis, quòd ad ipsum spectat totale regimen, gubernatio, & administratio dictorum Anniuersariorũ, & stante statuto, quia ista enunciatio debet intelligi salua nominatione, aliàs esset cõtraria facto per tot actus mul-
2 tiplicato, † per quam multiplicationem excluditur præsũptio facultatis, *vt per Rip. in c. cum ecclesia Sutrina. num. 55. de caus.*
3 *poss. & propr.* & † eidem facultati præscribi potuit, *Socin. iun. 145. num. 40. lib. 1.*
4 † Neque videntur simpliciter factæ nominationes vigore statuti, sed etiam vigore consuetudinis antiquæ, quæ in dicto statuto enunciatur. Nec obstant deputationes aliorum Protectorum, quia videntur factæ ex necessitate ad exigendum, non autẽ ad administrandum. Cętera, quæ deducuntur, magis sapiunt petitorium; & ideo examinanda in petitorio, purgato ante omnia spolio.

Legionen. Congruarum.
Die Veneris 29. Ianuarij 1574.

SVMMARIVM.

1 *Percipiens decimas alienæ parochiæ tenetur pro congrua contribuere.*
2 *Onus congruæ spectat ad patronum, qui decimas ecclesiæ percipit.*
3 *Possessio percipiendi decimas in laicis dicitur contra ius, cum de iure sint illarum incapaces.*
4 *Possessio percipiendi decimas in laicis non suffragatur, maximè in concursu cum titulo oneroso.*

DECISIO CCXIII.

QVamuis regula sit contra capellanos Capellæ Purificationis B. Mariæ,
1 scilicet quòd omnes, † qui percipiunt decimas alienæ parochię, teneantur contribuere pro congrua, *vt per Rebuff. de congrua. num. 50. & 51.* Tamen fuit conclusum, in casu de quo agitur, D. Comestabilem solum teneri, non etiam capellanos: Primo, quia capellani habent titulum onerosum ob seruitium; Comestabilis verò lucra-

lucratiuum, cum sit laicus, *c. prohibemus. de decim.* Secundo, quia huiusmodi decimæ cẽsentur dos propria præstimonij dictæ Ca-
2 pellæ vniti. Tertio, quia † D. Comestabilis est patronus; & ideo ad eum pertinet hoc onus, *c. de monachis. de præbend. & ibi Abb. num. 3.* Quarto fauore cultus diuini, qui nõ debet diminui. Nec obst. *Clem. 1. de iurepatr. & Rebuff. de congru. num.* 47. quòd percipientes decimas teneantur, quia procedit, vbi vel sunt patroni, vel non adest patronus. Nec etiam obstat, quòd stante possessione immemorabili Domini Comestabilis, possit allegare titulum, quem velit, etiam ex causa onerosa, quoniam talis titulus est præsumptus, vt bene deducitur per
3 informantes, † & hæc possessio contra ius,
4 cum de iure laici sint incapaces, † ideo non suffragatur; maximè in concursu cum titulo verè oneroso. *Bald. de præscript. 2. part. tertia part. principal. q. 6. num. 23.* Accedit, quòd Dominus Comestabilis est patronus tam parochialium de Cuenca, quàm Capellæ Purificationis; Ideo videtur absurdum, quòd agat contra capellanos, vt contribuant, qui tenetur eis præstare, id quod à suis prædecessoribus pro dote Capellæ fuit assignatum.

Nucerina Affictus.
Die Lunæ 1. Februarij 1574.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium l. fin. §. & si præfatam. C. de iur. deliber. super confectione inuentarij non habet locũ, nisi concurrẽte bona fide.*
2 *Exceptio turbida requirens altiorem indaginem in exequutione non admittitur.*

DECISIO CCXIV.

1 FVit resolutum † beneficium l. fin. §. & si præfatam. C. de iur. delib. non competere in casu isto Dominis de Caffarellis, cum non habeat locum, nisi concurrente bona fide, *vt per Bart. ibi in 3. oppos. & ibi addit.* hic verò respectu solutionum post litẽ factarum non adest bona fides, *Abb. cons. 73. num. 12. lib. 2.* Præterea aliquæ partitæ nõ sunt etiam ex alijs causis admittendæ, velut illa, de qua in 22. cum proculdubio illa apoca non faciat fidem; stante statuto de præscript. Neque est attendenda transactio super tenuta Ardeæ in præiudicium Reu. Domini Episcopi, essent enim iura huiusmodi
2 discutienda, † quod cum requirat altiorem indaginem, non debet admitti hæc exceptio turbida in exequutione, *Paris. cons. 12. num. 26. lib. 2.* Ideo conclusum pro vlteriori exequutione.

Imolen. Castrorum.
Die Lunæ 1. Februarij 1574.

DECISIO CCXV.

FVit resolutum nõ dari talem mutationem iudicij, nec modi agendi, vt sint reficiendæ expensæ, vel sit opus nouo processu, nam cum commissio sit generalis cõprehendens omne ius Illustrissimæ Dominæ Hersiliæ, neque in ea sese restrinxerit contra Illustrissimum & Reu. Cardinalem, tanquã contra cessionarium Ramazzotorum, vtiq; potest ex quocunque capite ius suum prosequi, maximè cum confirmatio huius sententiæ petatur ex necessitate causata facto ipsius Cardinalis, qui cum nolit vti iure Ramazzotorũ, sed inniti tantum iuribus Cameræ, tacitè videtur concedere prælationem ex eo capite Dominæ Hersiliæ, & iudicium hoc est quodammodo præparatoriũ ad actionẽ suam, cum necesse habeat docere de iure sui authoris: Nec dato quòd se expressè restrinxisset in prosequutione, obesset ei per ea, quæ aliàs decisa fuerunt *in vna Vrbeuetana Castri Castilionis coram Domino Grato de Anno 1563.*

Romana Montium.
Die Lunæ 8. Februarij 1574.

SVMMARIVM.

1 *Donatio, quæ de iure ob non insinuationem non subsistit, potest per priuilegium rei donatæ sustineri, vt in casu donationis locorum montis fidei, ob priuilegia in erectione dicti montis concessa.*

DECISIO CCXVI.

1 LIcèt ista donatio de iure non subsistat ob defectum insinuationis, † tamen iure singulari ob priuilegia concessa in erectione montis fidei, Domini censuerunt eã sustineri, maximè ponderando clausulam, vẽditione, donatione &c. per propriam cedulam manu propria scriptam, quæ quidem clausula non solum tollit defectum personæ, sed etiam solemnitatum scripturæ. Derogationes autem statutorum in fine positæ sunt amplissimæ, neque vt ex aduerso prætenditur restrictæ; sed capiũt omnia statuta, quæ obstant tam respectu personarum, quàm solemnitatum in corpore bullæ, vt supra dixi, remissarum, Et quod ait *Bald. in l. si quando. C. de inoff. testam.* non potest applicari ad hunc casum, in quo præter habilitationem personarum fuit vlterius processum ad remissionem solemnitatis.

Prænestina Administrationis bonorum.
Die Lunæ 8. Februarij 1574.

SVMMARIVM.

1 *Præsumptio est pro decreto valido; tamen ad-*

admittit probationem in contrarium.
2 *Confessio in iudicio summario non præiudicat in plenario absolutè; secus est præsumptiuè.*

DECISIO CCXVII.

præsens deci sio habetur in impres. di uers. nouiss. 136. part. 1.

FVit per Dominos resolutum firmandũ esse in iure, An decretum fuerit interpositum per iudices competentes necne, propter allegatam *doctr. Bart. & aliorum in l. cum hi. de transactio.* aliàs præsupponendo fine veri præiudicio, quòd decretum à Iudicibus competentibus emanarit, dicebant † confessionem Illustrissimæ Dominæ
1 Marchionissæ præiudicare filiabus ratione præsumptionis, quæ ex decreto valido oritur, *ad decis. Put. 205. lib. 3.* licèt talis præsumptio admittat probationẽ in contrarium: ex quo etiam fuit dictum *consilium Paul. de Castr. 337. lib. 1. num. 5.* aliàs allegatũ esse ita intelligendum, vt † confessio in iudi-
2 cio summario non præiudicet in plenario scilicet absolutè, sed præsumptiuè secus. Itẽ *decis. 7. Put. lib. 3.* esse intelligendam ob nõ seruatam formam statuti de donation. non valituris: tamen non esse præcludendam viam contrariæ probationi; & ideo aliqui ex Dominis dicebant esse edẽdos libros, per ea quæ deducuntur pro parte Illustr. Filiarũ. Addebant *Plot. in l. si quando. num. 706. C. unde vi.* Quare fuit ordinatum, vt præsuppositis circumstantijs facti, quæ habẽtur in dubio; dubitarem, An Illustr. Domina Helena teneatur edere libros rationum, & electio erit Dominarum a tricum, à quonam dubio incipere velint disputationem.

Palentina Decimarum de Vsillos.
Die Veneris 12. Februarij 1574.

SVMMARIVM.

1 *Cõsuetudo, per quam Capitulum exigit decimas ex causa iusta, non est contra ius.*

DECISIO CCXVIII.

CVm præsupposito quòd istæ decimæ exigantur à Capitulo ex causa iusta,
1 † quo casu cõsuetudo ista nõ est contra ius, *c. si propter. de rescript. in 6. Abb. c. maioribus. num. 3. de præbend. & ibi Dec. num. 9.* tenuerunt Domini, omnibus simul iunctis, & coniungendis, testes, prout prætenditur per informantes pro Capitulo, probare sufficienter consuetudinem, siue præscriptionem exigendi istas decimas. Quantum ad bullam fel. rec. Pij Quinti particulariter erit de ea discutiendum.

Salamantina Iurisdictionis.
Die Veneris 12. Februarij. 1574.

SVMMARIVM.

1 *Attentata, quæ habent causam cum negotio principali coniunctã separari non possunt.*

DECISIO CCXIX.

1 FVit resolutũ, informantes pro Domino Abbate frustra inculcare reuocationẽ attentatorum, cum ea habeant causam ita cum negocio principali coniunctam, vt separari non possint: Negocium autem principale habere duas inspectiones; Alteram respectu bullæ erectionis, an scilicet sit verificata, alteram respectu decretorum Concilij, an comprehendant Abbatiam, & casũ de quo agitur, quæ de re duplicem quoque effectum probationis considerandum; nam licèt testes præsuppositi, vno excepto, qui est 13. non probent immemorabilem, tamẽ cum multi ex istis pereutiãt tempus viginti vel vigintiduo annorum ante gratiam, forte sufficeret hæc probatio adminiculata ex probatione famæ & auditu à maioribus, & scripturis licèt informibus, quæ faciunt aliquod adminiculum, ad effectum verificationis gratiæ, quòd tamen non fuit firmatum; sed fortè secus esset ad effectum Concilij, quod tollit omnes consuetudines; ideo fuit ordinatũ, vt præsupposito fine veri præiudicio, quòd gratia erectionis sit iustificata, & quòd non sit probata immemorabilis, nisi per vnum testem, dubitetur, An dispositio §. ad hæc, * habeat locum in casu, de quo agitur.

* in cap. 11. sess. 24. Concilij Tridẽt. de reform.

Astoricen. Archidiaconatus.
Die Lunæ 15. Februarij 1574.

SVMMARIVM.

1 *Nemo inuitus agere cogitur.*
2 *Ex sola negligentia nemo perdit ius suum; nisi expressè cautum reperiatur; vel nisi præfixus fuerit terminus.*
3 *Tempus sex mensium, quod datur ad litteras expediendas, intelligi debet, possessione vacua existente, & non data intrusio.*
4 *Impedito de iure non currit tempus;*
5 *Collusio in beneficio excluditur, ex eo quòd quis habeat probabilem causam tuendi suam possessionem.*

DECISIO CCXX.

FVit resolutum Ferdinandum non fuisse obligatum ad aliquas diligentias, stante intrusione Alphonsi, ad effectum de quo agitur, nempe vt dicatur amisisse ius, quod habebat, cum habeamus claram iuris regu-
1 lam, quòd † nemo inuitus agere cogitur,
2 *toto tit. C. vt nem. inuit.* & † ex sola negligentia nemo perdit ius suum, nisi hoc expressè cautum reperiatur, *Bart. l. solent. §. fin. num. 7. de offic. procons.* nisi præfixus fuerit terminus, *vt per Innoc. & Abb. in c. extirpandæ. §. quia verò. de præben. Mobedan. 349.* Nec obstat, † quòd videatur
3 præfixus terminus in indulto sex mensium à die

præsens decisio habetur in impres. diuers. nouiss. 348. part. 2.

à die prouisionis, quia decretum illud recipit hanc interpretationem, vt intelligatur possessione vacua existente, & non dato intruso, *vt fuit 9. Decembris proximè præteri-*
4 *ti resolutum,* * cum † impedito de iure non
currat tẽpus, *l. si in diem, & ibi Socin. num. 4. de cond. & demon.* maximè cum non doceat de aliqua collusione inter Ferdinandũ
5 & Alphõsum, † quæ excluditur, ex eo quòd
Alphonsus prouisus ab Ordinario habebat aliquam probabilem causam tuendi suam possessionem, *ad decis. Aegid. 598.* & ad hunc effectum satisfaciunt ea, qualiacunque sint, quæ per Ferdinandum facta fuerunt, nempe mandatum datum ad resignandum, etiam quòd non essent per se magni põderis. Et ita conclusum pro Petro.

*que resolutio non fuit extensa, nisi per hæc verba formalia, Dñi fuerũt intenti, quòd latrinio extenderet ad hoc, vt Ferdinandus nõ teneretur expedire noua pat-tione, & in a Camera perfouiere, sed An requiratur, vt ipse faceret aliquas diligẽtias pro habẽda possessione, & datu quòd sic, An satis de ijs constet, particulariter videatur.

Romana Casalis, seu prælationis.
Die Lunæ 1. Martij 1574.

S V M M A R I V M.

1 *Ad hoc, vt venditio sortiatur effectum, requiritur traditio possessionis.*
2 *Actus venditionis per se consideratus non est translatiuus possessionis.*
3 *Non est verisimile, quòd quis voluerit implere pro parte sua, ante implementum alterius partis, iuxta pacta & capitulationes initas.*
4 *Protestatio facta ab eo, qui nullum ius impediendi habet, nihil operatur; sed tantum est iuris præseruatiua.*

DECISIO CCXXI.

FVit dictum, non colligi ex gestis inter Guglielmum ex vna, & Petrum & Clementem ex alia, & successiue ex gestis inter D. Hieronymum & Persium, talem effectũ, qui potuerit impedire venditionem factam Domino Antonio; nam quãtum attinet ad gesta per Guglielmum cũ Petro & Clemente, ab illis ex partium voluntate fuit recessum, & nihil considerabile subsequutũ fuit, quod fecerit transire tractatum de vendendo in venditionem, *vt fuit 25. Ianuarij resolutum,* * nõ fuisse autem puram venditionem, sed tractatum tantum, patet tam ex conditionibus appositis, quàm ex declaratione Petri, & effectu subsequuto, *ad cons. 28. Aret. & Gozzad. 14. num. 5.* Quantũ ad gesta per Dominum Hieronymum cum Persio, non posse in ijs vim fieri; ex multis. Primo enim non constat de cõuentione aliqua cum Persio, nisi per assertionem eiusdẽ Domini Hieronymi in suo libello. Secundo actus venditionis herbarum non fuit visus proportionabilis ad venditionem Casalis siue artis campi, non autem in communi vendendi aliquid ad illud spectãs: ista enim communio declarat animum Persij, nõ fuis-
1 se tradere possessionem, † vt venditio sortiretur effectum; quod tamen requiritur, *Bart. l. 3. num. 5. de acquir. poss. Alex. ibid.*
2 *num. 22. & Ias. num.* 38. maximè † cum
actus venditionis per se consideratus non sit possessionis translatiuus; quod confirma-
3 tur ex verisimili, † non enim verisimile est,
quòd Persius voluerit implere pro parte sua ante implementum Hieronymi, iuxta capitulationes factas cum Petro, Nec pretij exactio quicquam facit, cum fuerit post vẽditionem Domino Antonio factam. Tertio in hac materia Domini vellẽt actus claros, & expeditos non autem controuersos, tam in facto quàm in iure; & ideo nullã quoque habuerunt rationem ad hunc effectum cessionis Petri, maximè stante difficultate, vt dixi, respectu dictæ venditionis herbarũ; & cessante hoc fundamento corruit secundum fundamentum; quod pro parte Domi-
4 ni Hieronymi fit super protestatione: † si
enim nullum ius impediendi habebat, protestatio nihil operatur, cum sit tantum iuris præseruatiua, maximè verò quòd debebat intimare instrumẽtum venditionis, *iuxta ea, quæ tradunt Purpurat. & Rip. in l. quod te. si cert. pet.* Et hæc dicta fuerunt, circumscripta etiam prætẽsa Domini Hieronymi renunciatione, de qua non fuit in præsentia aliqua ratio habita, cum non videatur necessarium.

* Qua die 25. Ianuarij proximè præteriti per huiusmodi verba ita dictũ fuit Domini non habent istas probationes pro concludentibus, ad effectum, de quo agitur, cum nõ probetur clara & indubitata possessio, sed potius precaria, & controuersa; ex qua nõ potest elici, quòd pactum de vendẽdo trãsierit in vẽditionem.

Romana, seu Tiburtina Vsusfructus.
Die Mercurij 10. Martij 1574.

S V M M A R I V M.

1 *Natura vsusfructus cõstituti in rebus, quæ vsu consumuntur, est, quòd vsufructuarius non possit vigore vsusfructus sibi relicti ipsos fructus suos facere, nisi præstita prius cautione de restituendo vsufructu finito.*
2 *Cuiuslibet rei vsusfructus constitui potest etiam iuris, quod quis habet in re.*
3 *Vsufructuarius iuris conductionis ex lucro proueniente ex laudemijs fructus consequitur; Item ex protbocollis; Item ex iure condemnandi, vel confiscandi; Item ex iure beneficia conferendi, & similibus iuribus, in quibus vsusfructus constitui potest.*
4 *Vsusfructus in rebus emphyteuticis datur. Idem est in locatione ad longum tempus.*

DECISIO CCXXII.

DVæ fuerunt opiniones; Prima quòd in
1 casu, de quo agitur, † D. Faustina
non potuerit vigore vsusfructus sibi relicti facere fructus Casalis suos; nisi præstita cautione de restituendo eos finito vsufructu, cum hæc sit natura eius vsusfructus, qui cõstituitur in rebus, quæ vsu consumuntur, *l. 1. de vsufr. earum rerum, quæ vsu consum.* & hæc fuit opinio Baldi, loquentis in terminis eius, qui conduxerat Gabellas, *in*

l. 1. C. de vsufr. quem sequitur Castr. & Guglielm. Benedict. & Raynutius. in verb. certa bona. n. 31. & allegat Bertach. in tract. gabell. licèt contrarium tenuerit *Paul. de Montepic. l. Titia. §. Titia. n. 114. de legat. 2.* & hanc sententiã videntur admittere *Alex. & Ias. in l. diuortio. §. si vir. sol. matr. Corn. cons. 187. num. 4. lib. 2.* Alia fuit opinio Dominam Faustinam debere habere omnes fructus conductionis, neque teneri ad corũ
2 restitutionem; † cum enim omnium rerum constitui possit vsusfructus, *l. vsufructu bonorum. ad leg. Falcid.* potest etiam constitui iuris, quod quis habet, veluti iuris conductionis; & ideo vsufructuarius consequitur lucrum prouenies ex laudemijs, *Oldrad. cons. 24.* Item ex protocollo, *Alex. post Io. Andr. in l. diuortio. §. si vir. solut. matr.* Item condemnationes & confiscationes, *Doctor. ibidem*, Item collationem beneficiorum, *Ias. ibidem*, sed hæc opinio potissimum in casu, de quo agitur, placebat Dominis eam defendentibus ex duabus rationibus;
3 prima est, quia negari non potest, † dari vsumfructum in re emphyteutica, *Ruin. cons. 210. lib. 1.* & in locatione ad longum tempus trãsfertur vtile dominium, itaut in hoc iure cõsistere possit vsusfructus separatus ab ipsis rebus: altera ratio fuit, quia sumus in fructibus renascentibus, in quibus propriè & non abusiuè cadit vsusfructus. Ideo non fuit capta resolutio, * sed causa iterum proponetur.

* resolutio habetur infra sub die 22. Octob. eiusdem Anni.

Cæsaraugustana Campanarum.
Die Lunæ 15. Martij 1574.

S V M M A R I V M.

1 *Campanæ, licèt sint benedictæ, non prohibetur retineri, & vti pro seruitijs etiã prophanis, dummodo non impediatur cultus diuinus; nec ob id potest dici abusus.*

DECISIO CCXXIII.

Domini dixerunt satis constare de notoria iniustitia sententiarum in partibus latarum, stantibus depositionibus pro
1 parte incolarum; nam † & si Campanæ sint benedictæ, tamen ex tam longo vsu, videntibus & patientibus Episcopis, præsumitur ab initio concessa hęc facultas ipsis incolis, qui eas fabricarunt, maximè cum iste fit vsus non autem abusus, vt colligitur, ex his quæ tradunt *Io. Andr. Butr. & Anchar. in c. 1. de off. Cust. cum alijs allegatis*, * & probatur etiam talis cõsuetudo in Oppidis vicinis. Nec facit ad rem, quòd de scandalo deducitur. Cum hæc Domini intelligant procedere, itaut non turbetur seruitium diuinum, nam hoc secluso, qui scandalizãtur, & impia verba proferunt, essent castigandi. Nec facit ad rem, quòd connocentur pecudes, quia hæc non pecudum, sed hominum causa fiũt; & videmus quotidie vsum Campanarum etiam benedictarum communicari etiam negocijs sæcularibus, *vt per Doctor. allegatos*. Nec quòd laici sint huius rei incapaces, alicubi in iure probatur; quo casu procederent in contrarium allegata.

* & ibidem Hostiẽ. & Abb. Bald. in rubr. C. de dedit. libert. toll.

Romana Legati.
Die Veneris 19. Martij 1574.

S V M M A R I V M.

1 *Ex coniecturis voluntas legantis explorari debet.*
2 *Dictio, residuum, præsupponit partem summæ omnino solui debere, aliàs non esset residuum.*
3 *Dictio, sponte, in venditione apponitur ad excludendam vim, & metum.*
4 *Census rebus immobilibus comparatur.*

DECISIO CCXXIV.

Fuit resolutum, legatum non fuisse reuocatum; nam in hac materia debe-
1 mus † ex coniecturis explorare, quænam fuerit volũtas legantis, *l. fideicommissa. §. si rem. de legat. 3.* Coniecturæ autem per Dominos cõsideratæ sunt istæ: Prima est, quòd alienatio non visa fuit volũtaria, sed necessaria, tam ratione naturæ contractus censualis, quàm ratione pacti. Secũda est, quòd testator legauit summam pecuniarum primo loco, & licèt pro dicta summa legauerit etiam censum, hoc videtur appositum magis in fauorem legatarij, vt designaret, vnde ista summa deberet sumi, non autem taxationis gratia, *l. quidam testamento. de legat. 1.* Tertio fuit ponderata illa clausula, si tantum non extarent, quòd posset integrè satisfieri, ex qua apparet mẽtem ipsius fuisse, vt totum integrum legatum præsta-
2 retur. Quarto fuit ponderata † dictio, residuum, quæ præsupponit hanc partem summæ omnino solui debere, aliàs non esset residuum. Quinto & vltimo fuit consideratũ legatarium fuisse postea in eadem summa hæredem particularem institutum. Non obstat, quòd in venditione census dicatur,
3 † sponte, quia hæc dictio apponitur ad excludendum vim & metum, & quòd non sit spõtanea alienatio, facit optimè in simili *Roman. cons. 194. num. 3.* Nec obstat, quòd non prouiderit in casu alienationis census, quemadmodum in casu alienationis mercium & crediti, quia cum ista parata essent ad effectum distrahendi, facilius potuit prędere casum alienationis mercium, quàm census, quem non intendebat alienari. Vltimo non obstat, quod dicitur de nomine debitoris, quia non sumus in nomine debi-
4 toris propriè, sed in censu, † qui rebus immobilibus comparatur.

Ro-

Romana D uorum millium.
Die Veneris 19. Martij 1574.

S V M M A R I V M.

1 *Quis non debet lucrum consequi ex contractu, in quo vigore pacti resolutiui promissa non adimpleuit, non obstante excusatione, & num. 4. & 6.*

2 *Vt quis consequatur actionem vel exceptionem ex contractu, debet ante omnia docere pro parte sua de adimplemento; maximè si aliter quis non erat contracturus.*

3 *Mora alia regularis, alia irregularis.*

5 *Ad incurrendam pœnam ob non adimplementum promissorum in contractu requiritur mora; secus est, quando agitur de lucro captando.*

DECISIO CCXXV.

FVit per Dominos resolutum nemine cō-
1 tradicente, † non esse locum lucro pe-
cuniarum; cum per Reu. Dominum Episco-
pum non fuerint adimpleta promissa, *ad l.*
2 *Iulianus. §. offerri. de act. empt.* nam † ad
effectum, vt quis consequatur actionem vel
exceptionem ex contractu, debet ante om-
nia docere pro parte sua de implemento,
Aym. cons. 151. num. 10. & 192. num. 15. &
20. nam aliàs Dominus Theophilus nō erat
contracturus, *l. in conuentionalibus. de verb.*
oblig. & ideo non intrant allegata, quòd sit
probandum Dominum Episcopum fuisse in
mora dandi fideiussores, *vt per Bart. in l.*
si duo. §. hac verba. de constit. pecun. cum al-
legat. * quia non sumus in casu, in quo re-
3 quiratur † mora nec regularis, nec irregu-
4 laris; cum † non possit quis lucri facere ex
eo contractu, quem non impleuit, non ob-
stante aliqua excusatione, *vt per Dec. in l.*
cum proponas. C. de pact. num. 4. Allegata
5 verò in contrarium procedunt, † vbi agere-
tur de incurrenda pœna, non de lucro cap-
tando; tunc enim necessaria esset mora, vt
per informantes deducitur. Nec quod dici-
tur de absentia Fatæ debet intelligi de ab-
sentia ab Vrbe, sed à loco contractus, vt fie-
ri solet; & ideo non potest dici fuisse habitā
notitiā de absentia ab Vrbe. Et ex his etiā
tollitur, id quod ex stylo deducitur, nam
quomodocūque interpretemur pactum re-
6 solutiuum, satis est, quòd † ad effectum lu-
cri, ille qui non impleuit pro parte sua, non
potest commodum consequi ex contractu;
& ideo causam esse expediendam.

* & p Ruin. cons. 12. nu. 4. vol. 5.

Romana Separationis thori.
Die Lunæ 22. Martij 1574.

S V M M A R I V M.

1 *Materia separationis thori est arbitraria, tam ratione subiectæ materiæ separationis, quàm ratione iusti metus.*

2 *Adulterium viri est iusta causa separationis thori.*

3 *Seuitia viri iuncta cum furore, cum sit valde periculosa, dicitur iusta causa separationis thori, cum etiam per cautionem ei minimè prouideri possit.*

4 *Lenocinium mariti præbet iustam causam petendi separationem thori.*

DECISIO CCXXVI.

FVit per Dominos vnanimiter resolutū,
esse locum separationi thori ex omni-
bus & singulis pro parte Dominæ Prudētiæ
1 deductis; nam † cum tota ista materia sit
arbitraria, tam ratione subiectæ materiæ
separationis, *vt per Abb. c. litteras. num. 7.*
de rest. spol. quàm ratione iusti metus. *l. me-*
tus causa. ff. ex quib. caus. maior. glos. in l.
interpositas. in verb. cruciatum. C. de tran-
sact. cum innumeris allegatis per Menoch.
de arbitrar. lib. 2. centur. 2. casu 135. Ar-
bitrati sunt Domini iustas esse causas sepa-
2 rationis. Primo, quia † Adulterium ex cir-
cunstantijs satis probatur, *c. 1. & c. signifi-*
casti. de adulter. Paris. cons. 54. num. 61.
lib. 4. Socin. iun. cons. 32. num. 11. lib. 2.
quæ circunstātiæ sunt per informantes be-
3 ne deductæ. Secundo, quia satis † constat
de seuitia, quæ iuncta furori est valde peri-
culosa, cui neq; etiam per cautionem pro-
uideri possit, vt per Couarru. * & alios al-
legatos per informātes. Nec subsistit, quod
dicitur mulierem dedisse occasionem seuiē-
di viro, leuior enim visa est occasio, quæ
præbere debuerit occasionem tantopere se-
4 uiendi; His addatur † lenocinium tentatū
ab eo in carceribus existente, de quo depo-
nunt testes, quod solum præberet iustā cau-
sam separationis, *vt per Ang. in summ. tit.*
matrimonium quomodo separetur, Syluester
in verb. diuortium. num. 2. Ex quibus om-
nibus simul consideratis censuerunt Domi-
ni satis superq. adesse iustam separationis
causam.

*Couar. epito. part. 3. c. 7. §. 5. Hypol. Riminal. in tercōl. matr. cons. 81 n. 31 cu pluribus seqq. Bald. cons. 240. lib. 3. Paris. 54. n. 36 volum. 4. Aym. cōs. 31. n. 5. Abb. in c. litteras. n. 7. in fin. de restit. spol.

Romana Domus.
Die Lunæ 29. Martij 1574.

S V M M A R I V M.

1 *Exceptio discussionis est dilatoria, & opponi debet ante litem contestatam.*

2 *Exceptio discussionis an veniat sub generali oppositione generalia contra.*

3 *Sub oppositione generalia contra censentur opposita omnes oppositiones competentes.*

4 *Iudex procedens ad vlteriora, censetur tacitè reieciſse exceptionē discussionis, si pars nihil replicauerit.*

5 *Iudex non obstante exceptione discussionis, etiam in tēpore opposita potest iustè procedere ad vlteriora, si principalis debitor sit decoctus, & non sit soluendo, vel sit admissus ad cap. Odoardus.*

DECISIO CCXXVII.

Causa fuit ter proposita, nępe 10. Maij
1570. & 27. Iunij 1572. & nuper 29.
Martij 1574. & semper Domini resoluerunt
pro Agnete, sed quia in duabus prioribus
propositionibus factũ inter partes contro-
uertebatur, volui tertio proponere data
particulari facti serie ex actis fideliter col-
lecta, qua stante, Domini eandem, quam
prius amplexi sunt sententiam, quòd sentẽ-
ria lata pro Agnete sustineatur, * non ob-
stante, quod non fuerit facta discussio prin-
cipalis debitoris ex pluribus: Et primo, quia
1 †exceptio discussionis est dilatoria, & ideo
debet opponi ante litem cõtestatam, *ut per
Aretin. in §. * in fraudem. col. 4. vers. aduer-
te, Instit. de action. Negusant. de pignor. 2.
membr. 8. part. num. 34. Alex. cons. 32. &
34. volum. 4. latè Gabriel. omnes congerit tit.
de fideiussor. concl. 1. num. 12. vbi testatur
de communi.* Apparet autem ex serie facti
talem exceptionem fuisse oppositam post
seruatos & reiteratos terminos substantia-
les, & sic post litem contestatam, sed quia
hæc ratio poterat pati aliquas difficulta-
2 tes, †ex eo quòd fuerant pro parte Susan-
næ opposita generalia contra commissionẽ,
3 †sub qua oppositione censentur opposita
omnes exceptiones competentes, licèt ali-
qui ex Dominis responderent, quòd excep-
tio discussionis debet specialiter opponi, *ut
per Negusan. loco allegat. num. 35. Alex.
cons. 29. lib. 7.* Ideo non fuit mutatum super
hac prima ratione. Secundo fuit considera-
tum, quòd dato, quòd clarè & specificè, &
ante litem contestatam fuisset opposita ex-
4 ceptio discussionis, tamen † ex quo Iudex
processit ad vlteriora, tacitè censetur hãc
exceptionem reiecisse, cum post huiusmodi
oppositionem fuerit pro parte Agnetis re-
plicatum, & obtenta reiteratoria termino-
rum substantialium, *Castr. in l. fin. col. 2. si
cert. pet. Corn. cons. 85. col. pen. lib. 4. Gabr.
d. tit. de fideiuss. concl. 1. num. 57.* Tertio
fuit cõsideratum ab omnibus Dominis pro
5 optimo fundamento, quòd † principalis de-
bitor decoxerat, nec erat soluendo, & ad-
missus fuerat ad beneficium cap. Odoardus.
quæ omnia deducta fuerant per Agnetem,
antequam in specie opponeretur exceptio
discussionis; & ideo Iudex iustè potuit non
obstante tali exceptione procedere ad vlte-
riora, *Bart. Paul. & aly post glos. in l. de-
cem. de verb. oblig. cum innumeris allegatis
per Gabriel. loco citato. num. 50.* Nec ob-
stat, quòd non fuerint excussi fideiussores;
quia hæc exceptio nunquã fuit opposita re-
spectu fideiussorum, sed respectu principa-
lis tantum; & deliberatio domus respectu
Agnetis non citatæ fuit nullius momenti.
Non obstat lista allegata in alijs positioni-
bus, tum quia non fuit producta ante sentẽ-
tiam, tum quia non concludit principalem
fuisse soluendo, etsi sententia transiuit in
iudicatum, quod erit videndum, non potest
ex ea de nullitate redargui.

* De hoc pũcto, quòd sententia sustineatur, quando Iudex nõ obstante exceptione processit ad vlteriora, habetur in resolutione nõ extensa, quæ in hac causa fuit facta sub die Lunæ 14. Maij 1571. quę sic se habet. Ex quo pars non appellauit, cum Iudex nõ obstante exceptione processit ad vlteriora, fuit resolutum, quod sententia possit sustineri, Felin. in c. inter monasteria. de re iud. Aretin. in l. naturaliter. § nihil commune de acquir. poss. Gabriel. de oblig. camer. pag. 85.

* §. itẽ si quis in mandemo. num. 81 vers. aduertas.

Salamantina Iurisdictionis.
Die Mercurij 5. Maij 1574.

DECISIO CCXXVIII.

Duo fundamenta, quæ fiebant pro par-
te Reu. Domini Abbatis fuerunt per
Dominos reiecta. Primum est, quòd disposi-
tio §. *ad hæc.* * *sess.* 24. loquatur tantum de
Dignitatibus in Cathedrali, nam cum Con
cilium generaliter disponat, & addat, etiã
visitãdo; apparet, quòd voluerit omnes di-
gnitates Episcopo inferiores, quibus ius vi-
sitandi aliqua ratione competat, complecti;
quæ qualitas etiam nonnullis extra Cathe-
dralem competere potest. Posterius funda-
mentum reiectum fuit, scilicet illud, quod
fiebat super erectione, quasi hæc iurisdictio
fuerit in erectione pro dote assignata, *iuxta
Achill. decis. vnic. de reuoc. vnion. num.* 1.
quia nõ sumus in simplici dotatione, sed in
confirmatione consuetudinis, *Paris. cons.* 19.
*num. 44. & 45. lib. 1. Achill. d. decis. vnic.
de reuoc. vni.* sed quia materia est exempla-
ris Domini ordinarunt, vt dubitarem, An
dispositio §. *ad hæc.* sit fauorabilis vel odiosa.

Præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 141. part. 1.

* §. ad hæc. c. 2. sess. 24. de refor.

Calaguritana Beneficij del Burgo.
Die Veneris 7. Maij 1574.

SVMMARIVM.

1 *Præsentatio ad beneficium facta etiam per legitimum procuratorem post sententiam Metropolitani est nulla & attẽtata, etiã quòd postea lis esset deserta, & paritum fuisset sententia.*

Idem est, etiam si præsentatio fuerit facta infra decem dies datos ad appellandum, vt num. 4.

2 *Actus ipso iure nullus cõualescere nõ potest.*

3 *Attentata lite deserta non reuocantur per viam attentatorii, sed per viã nullitatis.*

5 *Defectus mandati semper opponi potest, siue ante sententiam, siue post.*

DECISIO CCXXIX.

1 Domini distinxerunt, quòd † aut post
sententiam Metropolitani, ille qui
appellauit, erat legitimus procurator, &
hoc casu præsentatio est nulla & attentata,
non obstante quòd postea lis esset deserta
2 & paritum fuisset sententiæ, quia † actus
ipse est ipso iure nullus, attẽta dispositione
Clem. 2. vt lit. pend. ideo non potest conua-
3 lescere. Id autem, quod dicitur, † non reuo-
cari attẽtata lite deserta, est verum per viã
attentatorum, secus per viam nullitatis:
4 † Idem esset dicendum, si præsentatio facta
esset infra decem dies datos ad appellandũ,
quam-

Præsẽs decis. habetur in impress. diuers. nouiss. 406. parte 1.

quamuis appellatum non fuisset; sed hoc nō applicatur ad casum nostrum, cum præsentatio fuerit per 23. dies post sententiam. Aut non constat, quòd ille, qui appellauit
5 esset procurator, & tunc secus, cum † defectus mandati semper possit opponi, *Franc. in c. non solum. de appellat. in 6. Aym. cons.* 308. Quantum ad processum factum cum Ioanne Gonzales, dictum fuit de iure Didacum non teneri, nisi fuerit coram alijs iudicibus in hac causa productus; ita ut sit pars processus istius causæ.

Prænestina Cōpromissi, seu Administrationis.
Die Lunæ 10. Maij 1574.

SVMMARIVM.

1 *Ratio administrationis semel reddita, non potest denuo peti, vt reddatur; nisi doceatur de errore vel dolo, vt num.* 3.
2 *Exceptio transactionis est exceptio litis finitæ.*
4 *Error vel dolus in ratione administrationis allegatus claris & perspicuis probationibus est probandus.*
5 *Editio de æquitate canonica fieri debet etiā ad fundandam intentionem actoris, licèt sequuta sit transactio.*

DECISIO CCXXX.

Præsēs decis. habetur in præl. diuers. nouiss. 157. part. 2.

1 DOmini constituebant regulam, quòd † stante transactione non possit quis petere, vt denuo reddatur ratio administra-
2 tionis semel reddita, cum † exceptio transactionis sit exceptio litis finitæ; limitabāt
3 etiam, quòd † secus esset, si doceretur de
4 errore vel dolo, † de quo tamen docere oportet ex claris & perspicuis probationibus, *Dec. cons.* 94. *num.* 4. *cum adductis per Menoch. de arbitr. lib.* 2. *centur.* 3. *cas.* 209. *in fin.* sed quia aliqui ex Dominis dicebant posse doceri de dolo per exhibitionē libro-
5 rū, † qui de æquitate canonica sunt edendi, etiam ad fundandam intentionem actoris, non obstante transactione; fuit ordinatum, vt informātes se restringāt ad hoc, vt reassumatur copia transactionis aliàs Dominis data, vt possint videre, an ex eius tenore colligatur iste dolus, iuxta ea quę pro parte Ill. Dominarū actricū ex facto deducūtur.

Palentina Decimarum de Vsillos.
Die Veneris 14. Maij 1574.

SVMMARIVM.

1 *Enunciatio benemeritorum in donatione specificè fieri debet.*
2 *Remedium c. si propter tua debita. de rescr. in 6. est subsidiarium.*

DECISIO CCXXXI.

AD effectum præscriptionis quadragenariæ requiri titulum, quem, si Capitulum non habet confirmationem constitutionū, opus est desumere ex iustitia causæ huiusmodi exactionis, quam tamen Domini dixerunt ex deductis pro Capitulo nō probari, nā licèt enuncietur in genere, expensas esse necessarias: tamen hæc generica expressio nihil concludit; quemadmodū
1 † enūciatio benemeritorum in donatione, nisi specificetur: Neque sufficit expēsas fieri ex causa necessaria, nisi etiam probetur, Capitulum non posse aliunde consequi, vn-
2 de has expensas faciat; † nam quod deducitur *ex c. si propter tua debita. de rescrip. in 6.* est remediū subsidiariū, quod nō competit, nisi vbi Ecclesia Cathedralis non habet vnde soluat; Ideo Capitulum melius deducat & probet concludentius intētionem suam.

Romana Compromissi.
Die Veneris 14. Maij 1574.

SVMMARIVM.

1 *Donatio ex defectu insinuationis est nulla, & num.* 3.
2 *Exceptio insinuationis non factæ nō est exceptio intentionis & nullitatis, sed facti.*
4 *Actus donationis interpretari debet, vt valeat saltem in vim donationis causa mortis; maximè quando sumus in dubio, quā donationem voluerit donans facere; secus quando constat, quòd voluerit ex omni causa donationem valere, vt num.* 5.
6 *In causa fauorabili, id quod vtilius est, accipitur.*

DECISIO CCXXXII.

REtinendo id, quod decisum fuit in præ-
1 cedenti positione, dicitur, quòd † donatio sit nulla ad effectum, de quo agitur, primo *per tex. in l. sancimus. ibi, sed hoc pro non scripto vel intellecto esse credatur. C. de donation. hoc tenet Aret. cons.* 123. *num.* 1. *circa fin.* & in tantum est vera ista opinio, quòd *Bald. in d. l. sancimus.* dicit, quòd
2 exceptio insinuatiōnis non factę non est exceptio intentionis & nullitatis, sed facti; quia repellit id, quod actor vult, non autem actionem, quæ est ipso iure nulla, & citat Bart. qui hoc dicit, non tamen citat locum, locus est *in l. vt mihi donares. de donation.* vbi dicit talem exceptionem esse magis facti quàm intentionis, ex quo apparet donationem talem haberi pro nulla. Secundo
3 † hoc idem præsupponitur pro constanti ab innumeris Doctoribus tractantibus, an postquam dictum fuit donationem esse nullam ex defectu insinuationis, possit postea insinuari, *Ang. cons.* 179. *circa fin. Alex. in addit. ad Bart. in l. Modestinus. in princ. ff. de donat. & in cons.* 237. *in fin. lib.* 6. *Aretin. d. cons.* 123. *col.* 2. *Marsil. sing.* 489. *quos refert Tiraq. de retract. lign. §.* 8. *glos.* 7. *num.* 26. Idem, quòd donatio sit nulla, tenet *Rebuff.*

buff. de insinuand. donat. glos. 7. Nec repugnat *Ang. cons.* 36. quia dicit esse infirmam, & non sortiri effectum, & viribus vacuari non sequuta insinuatione; & licèt à principio teneat; tamen an irreuocabiliter, hoc pendere à futuro euentu, ergo si futurus euentus declarat non esse insinuatam, dicendum est etiam ex ipsius sententia nullã fuisse à principio. Sed ne inutiliter tempus cõteramus circa verborum subtilitates ad effectum, de quo agitur, res caret difficultate; nam habemus plures Doctores exempli-
4 ficantes regulam, quòd † actus debet interpretari, vt valeat, si non in proprijs terminis nostris donationis non insinuatæ, valeat tamen in vim donationis causa mortis, *Ang. cons.* 253. *Gugliel. Bened. in c. Raynutius. verb. testamentũ. il 4. num. 29. Ruin. cons.* 51. *n.* 15. *lib.* 1. *latè Crot. in Rubr. de leg. num.* 23. *Aym. ibidem sequitur Crottum. num.* 156. Non obstat, quod dicitur
5 † hæc procedere, vbi sumus in dubio, quam donationem quis facere voluerit; secus verò in casu isto, in quo donans voluit non ex vna, sed ex omnibus causis donare, quia assumptum est falsum, quòd donans voluerit donare, aliàs quàm ex omnibus causis, immo contrarium apparet ex clausula, & quia sic sibi facere placuit; ex qua apparet omnino donare voluisse, & ex omni causa, & ridiculũ est dicere, quòd elegerit viam, per quã actus impugnetur, & quod apposuit ad validitatem, retorqueatur ad inualiditatem. Secundo non obstat, quòd istæ causæ non sint finales, sed potius denotent, in quos vsus voluerit bona donata erogari, quia hoc esse falsum conuincitur, ex eo quòd donat pro benemeritis, quæ causa nunquam applicabitur ad vsum rei donatæ; sed quòd hæ causæ debeant haberi pro finalibus, vt actus ex ijs sustineatur, *tradit Tiraq. in tract. cessãt. caus. limitat.* 1. *num.* 56. quia † in fauorabili causa id, quod est vtilius, accipitur, *Bart. in l. si ita quis. la seconda, in fin. de aur. & arg. legat.* Velle dicere, quòd hic sit color quæsitus, est velle interpretari actum, non omni meliori, sed omni peiori modo, cum enim posset donans insinuare, & voluerit sine insinuatione valere ex causa augmenti, non video, cui fiat fraus, itaut dici debeat color quæsitus.

Prænestina Educationis.
Die Lunæ 24. Maii 1574.

S V M M A R I V M.

1 *Educatio non debet assignari ei, cum quo lis vertitur, etiam si sit mater pupilli.*

2 *Materia educationis pupilli hæredis est arbitraria iudici ex circumstantijs.*

3 *Mulier inuita cogi non potest, vt fiat monialis.*

D E C I S I O CCXXXIII.

NOn placet Dominis, quòd Illust. Domina Catharina educetur penes Illust. Dominam auiam, neque penes Illust.
1 D. patruum † propter litem, neque etiam placet, quòd saltem per aliquot mẽses educetur penes Illust. eius matrem, etiam si id
2 enixè contendat, quia † in hac materia arbitraria ex circumstantijs, non multum cõfidunt Domini de ipsius Dominæ Catharinæ iudicio, tum propter eius variationes, tum quòd non timenda timẽt, veluti ingres-
3 sum monasterij, † cum ipsa inuita cogi non possit, vt fiat monialis; ideo dixerunt se arbitrari, vt in aliquo sacro monasterio in præsentia educetur.

Prænestina Cõpromissi, seu Administrationis.
Die Veneris 28. Maij 1574.

S V M M A R I V M.

1 *Editio librorum administrationis fieri non debet ad probandum errorem vel dolum sequuta transactione; cum obstet exceptio litis finita; nisi aliunde probetur error vel dolus.*

D E C I S I O CCXXXIV.

FVit per maiorem partem Dominorum tentum, quòd ex instrumento transactionis non constat de errore siue de dolo, maximè cum nõ fundetur concordia super diuisione tãtum, sed etiam super alijs, vt in
1 informationibus; & ideo † stãte transactione super administratione, non esse edendos libros, quia obstat exceptio litis finitæ, *ad Ruin. cons. 71. lib. 4. & Plot.* * *allegatum*, nisi aliunde probetur error vel dolus.

Præsens decisio habetur in impres. diuers. nouiss. 138. part. 1.

* Plot. in l. si quãdo. n. 146. & 706. C. vnde vi. Idem de in lit. iur. §. 5. num. 16. cum seq. Calcan. cons. 94. viso puncto. Socin. 190. col. 2. in 2. & 93. in 4. per l. cum seruum. vbi Barr. de cond. & demonst. Bald. in l. 2. num. 2. C. si aduer. sol. Marsil. singul. 646. in fin. Anchar. consil. 331. Ang. 276. Rolan. 49. in primo. Modern. omnino videndus de tit. & carat. num. 203. qui loquuntur in proprijs terminis.

Marturana Affictus.
Die Lunæ 14. Iunij 1574.

S V M M A R I V M.

1 *Prorogatio locationis obtenta licèt sub alijs conditionibus intelligitur obtenta sub repetitione omnium clausularum in primo instrumento contentarum ad effectũ inducendæ caducitatis, præter illas, de quibus fuerit specialiter prouisum.*

2 *Caducitas prætendi potest, vel ratione iuramenti, vel ratione pacti resolutiui in locatione appositi, vel ratione obligationis solutionis, vel ratione conditionis expressè appositæ.*

3 *Error excusat à mora.*

DECISIO CCXXXV.

INitium totius negocij sumitur à locatione Abbatis facta de anno 1567. de mense Martij pro pensione 830. scutorum, à qua prætenditur pro parte Domini Episcopi D. Bernardinum cecidisse, & in effectu processit contra eum coram Auditore Cameræ per contradictas, & obtinuit mandatum de associando. De iustitia vel iniustitia huius mandati nunc non agitur, quia etiam D. Bernardinus requieuit, & interposita opera Illustrissimi Tridentini
1 † obtinuit nouam locationem siue prorogationem locationis sub alijs tamen conditionibus; prout in eiusdem Episcopi littera ad Illustrissimum Tridentinum continetur. Hic potest cadere prima difficultas; An omnes clausulæ contentæ in primo instrumento censeantur repetitæ in hac prorogatione ad effectum inducendæ caducitatis: breuiter credo esse repetitas, præter eas,
2 quibus fuit specialiter prouisum. † Caducitas autem, vel ratione iuramenti prætēditur, & non est repetitum, & sic non intrat materia. *l. si quis maior. C. de transact.* nam contractus ille primus fuit resolutus: Vel prætenditur ratione pacti resolutiui in locatione adiecti, sed illud fuit adiectum dationi fideiussorum non autē solutioni; ideoque cum fuerit per nouam concessionem specialiter prouisum circa fideiussores, illud non censetur repetitum, sed & quatenus fuisset repetitum, ab ea obligatione fuit recessum per depositum fructuum: Vel prætenditur ratione obligationis Tilesij, & ipse in omnibus suis litteris obtulit se soluturum de mense Octobris, quamuis fuerit falsificata vna ex ipsius litteris: Vel prætenditur ratione conditionis expresse appositæ per Dominum Episcopum in littera scripta ad Illustriss. Cardinalem Tridentinum; & non potest hoc dici, cum dicta littera non peruenerit ad notitiam Tilesij, nisi post lapsum tempus: Et iustam causam erroris præbuerunt ei litteræ procuratorū Episcopi, quæ cantant de mense Octobris; & ideo talis error excusat à mora. *Doctor. in l. quod te. ff. cert. pet. & ibi Parpal. n. 4.*

Giennen. Beneficij.
Die Lunæ 28. Iunij 1574.

SVMMARIVM.

1 *Per resignationem omne ius abdicatur à resignante, & resignatario quæritur.*
2 *Clausula in impetratione, & quòd littera in forma gratiosa subrogationis expediri possint, litteris non expeditis nihil tribuit.*

DECISIO CCXXXVI.

FVit resolutum, non fuisse satisfactum regulæ de annali, nec regulæ de publicandis; nam quantum ad regulam de Annali, dictum fuit Ioannem fuisse annalem pacificum, possessorem, cum Petrus resignauerit in Andream de mense Decemb. 1561. & idem Andreas litteris non confectis de anno 1562. 12. Aprilis resignauerit in fauorem Ioannis Godoy, & sic tempore monitorij obtenti contra Petrum, & ei inti-
1 mati de mense Maij 1562. † iam per resignationē fuerat omne ius abdicatum à Petro, & quæsitum Ioanni Godoy, qui non fuit vocatus, nec citatus; & ideo vigore sui tituli potuit apprehendere possessionem, prout fecit de mense Nouembris eiusdem anni 1562. & per consequens quantum ad eum nulla fuit lis. Franciscus autem non venit ad litem vigore suæ prouisionis, nisi de anno 1572. & licèt Ioannes Puerto Carrero intimasset Breue Ioanni Godoy 12. Iulij 1566. hoc fuit per quatuor ferè annos post apprehensam possessionem per ipsum de Godoy. Nec obstat, quòd in litteris Francisci adsit clausula gratiosæ subrogationis etiam quo ad possessionem; tum quia Ioannes Puerto Carrero nullam nactus fuerat possessionem, nec etiam respectu Ioannis Godoy aliqua aderat lis super possessione per ipsum capta vsque ad
2 annum 1566. tum etiam quia † talis clausula non suffragatur, cum sit concepta hoc modo; Et quòd litteræ in forma gratiosæ subrogationis expediri possint, quæ litteris non expeditis nihil tribuit. Quantum verò ad regulā de publicand. ex duobus videbatur satisfactum non fuisse, primo per *Decis. Crescent. 69. quam refert Ant. Aug. in repertor. tit. de dol. & contum. num. 13.* Secundo ex eo, quòd prorogatio obtenta fuit subreptitia, non enim fuit narratum Ioannem Puerto Carrero non continuasse in eadem voluntate, nam ipse resignauit in fauorem Francisci de anno 1564. deinde nomine proprio prosequutus est litē, & de anno 1566. curauit intimari Breue Ioanni Godoy, & sustinuit litem vsque ad annum 1572. quæ si fuissent narrata, vtique reddidissent difficiliorem Papam ad concedendam resignationis publicationem.

Calaguritana, & Burgen. Integræ portionis.
Die Mercurij 6. Octobris 1574.

SVMMARIVM.

1 *Simonia probatur ex tractatibus in quarum exequutionem facti sint plures actus inculcati, etiam quòd beneplacitum Papæ reseruatum fuerit, & num. 3.*
2 *Ex actuum inculcatione, & correspectiuitate resultat præsumptio simoniæ.*
4 *Prætextus boni pacis non intrat, quando agitur de iure acquirendo, & non de iure tuendo.*

5 *Ad præsumendam simoniam sufficiunt vrgentes suspiciones.*

DECISIO CCXXXVII.

DOmini circumscriptis exceptionibus
testium, de quibus erit particulari-
1 ter videndum, tenuerunt † probari simoniã:
nam primo probatur per dictos testes tra-
ctatus, in cuius exequutionem facti fue-
runt tot actus inculcati, sub die 8. Aprilis,
2 † ex quorum inculcatione & correspectiui-
tate resultat maxima præsumptio, & ex his
detegitur litem fuisse collusiuam; & cum
3 † non obstante reseruatione beneplaciti
fuerit deuentum ad exequutionem, effici-
tur simonia pura; nec potest sese excusa-
re Ioan. quòd nõ interfuerit tractatui, quia
interuenit in laudo: Nec etiam potuit trã-
4 sigi † prætextu boni pacis, cum ageretur
de iure acquirendo, non autem de acquisi-
to tuendo. Nec tolluntur istæ probationes
ex lapsu temporis, & tollerantia Ordinarij,
quia factum hoc erat occultum. Nec etiã
censentur hæc facta vigore constitutionis
Synodalis, cum de contrario appareat, per
5 vrgentes suspiciones, † quæ in hac mate-
ria sufficiunt.

Romana Societatis.
Die Veneris 15. Octobris 1574.

SVMMARIVM.

1 *Per procuratorem etiam generalem cum libera potest fieri renunciatio societatis.*
2 *Procurator generalis non potest declarare mentem sui principalis, nec eius factum rescindere sine speciali mandato; secus est, si mandatum sit cum libera.*
3 *Procurator habens mandatum cum libera potest ea omnia, quæ potest dominus.*
4 *Clausula, rati, importat liberam facultatẽ.*
5 *In mandato procuratoris cum libera, tantum importat libera, quantum generalis quo ad omnia.*
6 *Procurator ex causa potest mentẽ sui principalis declarare.*
7 *Procurator constitutus ad confitendum potest ex causa negare.*

DECISIO CCXXVIII.

1 REgula est, quòd † per procuratorem
etiam generalem cum libera potest fie
ri renunciatio societatis, *l. actione. §. renunciare. ff. pro socio.* Nec obstant allega-
ta in contrarium *ex Bald.* * *& Alex.* scili-
2 cet quòd † non possit procurator declarare
mentem Domini, nec eius factum rescin-
dere sine speciali mandato; quia non pro-
3 cedunt, vbi mandatum est cum libera, † po-
test enim ea omnia, quæ potest Dominus,
l. procurator cum libera. & ibi Bart. de procurat. Quod verò opponitur, istum pro-
curatorem non fuisse cum libera, quia fa-
cultas est restricta ad præmissa, & sic non
est generalis: Ista oppositio non placet,
quia negare non possumus, quòd in illo
negocio exigendi omnes pecunias debitas
4 & debendas † fuit data libera facultas pro-
pter illam clausulam, *rati, ad notat. per Bart. in d. l. procurator. num. 3.* Ideo suc-
cedit *doctr. eiusdem num. 1. & in l. qui Romæ. §. Calimacus. num. 1. de verb. oblig.*
5 quòd † tantum importat libera, quoad il-
lud negocium, quantum generalis quo ad
6 omnia. Accedit, quòd † procurator ex
causa potest mentem Domini declarare,
vt per text. in l. si hominem. mandat. quem pluribus in locis commendat Bald. & maximè in cap. 1. vt lit. non contest. num. 19.
7 vbi † procurator ad confitendum ex causa
poterit negare, *facit Bald. & Iaf. allegat. per Put. decis. 2. de confess.*

* Bal. cõs. 97. lib. 2. & 118. n. 5. lib. 3. Alex. cons. 78. n. 2. lib. 5.

Romana Vineæ.
Die Mercurij 20. Octobris 1574.

SVMMARIVM.

1 *Clausula, omni meliori modo, posita in secundo testamento non sufficit, ad effectum vt per secundum reuocetur primũ.*

DECISIO CCXXXIX.

DOmini circumscriptis dictis testium
super reconciliatione Clandiæ cum
Ioanne, necnon super confectione secundi
testamenti per suggestionem & metum, de
quibus erit particulariter videndum, sunt
pro sufficienti reuocatione primi testamen-
ti ex circunstantijs facti, nempe verberibus
illatis Claudiæ, carceratione Ioannis, do-
natione postea facta de vinea, benemeritis
Garziæ, & alijs de quibus per informantes;
1 reiecta tamen opinione, quòd † sola clau-
sula, omni meliori modo, sufficiat, ad effe-
ctum vt secundum testamentum reuoca-
ret primum.

Romana, seu Tiburtina Vsusfructus.
Die Veneris 22. Octobris 1574.

SVMMARIVM.

1 *In legatis lata sit interpretatio, maximè si legatum sit factum vxori.*
2 *Reseruatio facta à testatore interpretari debet in dubio, vt sit conueniens testatori.*

DECISIO CCXL.

FVit tentum in legato facto Faustinæ v-
susfructus omnium bonorum, contine-
ri vsumfructum Casalis, de quo agitur;
1 tum quòd † in legatis sit lata interpreta-
tio; tum quòd factum est vxori, *Tiraq. in præfat. l. si vnquam. num. 12. C. de reuoc. donat.* Nec obstare illa verba excepto Ca-
sali, quod reseruauit sibi & suis hæredibus
libe-

Præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 218. part. 1.

liberum, &c. tum quòd videntur esse enunciatiua conditionum societatis, non autem dispositiua; tum quòd sine dubio illud verbum, liberum, debet referri ad societatem, nempe quòd sit liberum à societate, nam huiusmodi reseruatio respectu vsusfructus non conuenit sibi testatori, cum testamen-
2 tum morte confirmetur; & ideo † talem reseruationem ei non conuenire; quare licèt possit conuenire hæredibus: tamen sumi debet illa interpretatio, quæ magis cõuenit, & quæ ratione contextualitatis videtur solum respicere ipsam societatem.

Romana Prælationis.
Die Lunæ 25. Octobris 1574.

SVMMARIVM.

1 *A contractu societatis re integra volentibus socijs discedi potest.*
2 *Exceptiones contra testes opposita non releuant, quando fides suppletur ex eorum numero.*
3 *Dicta testium sunt potius coadiuuanda, quàm cauillanda.*
4 *Nominans testes dicitur eos approbare.*

DECISIO CCXLI.

FVit per Dominos vnanimiter conclusum, ex testibus deductis pro parte D. Antonij Porcellæ probari resolutionem eorum, quæ circa venditionem artis campi gesta fuerunt inter D. Hieronymum Pieum
1 & Persium tutorem, † eum per eos probetur voluntas discedêdi re integra à contractu, *l. 1. C. quand. lic. ab empt. disced. cum alijs*;* Et primo, ponderabant adesse duos testes contestes de rei veritate, nempe Guglielmum & Persium; Item duos deponentes de confessione, nempe Siluestrum de Pichis, & Franciscum Lenum. Præterea concurrere adminicula ex testibus licèt singularibus, nempe Melchiore ad 16. Item Prospero Franciono de auditu à Siluestro, quæ omnia visa fuerunt multum verisimilia attenta serie facti, reclamatione Domini Hieronymi de excessiuitate æstimationis, & recessu Persij ab isto contractu, qui suis pupillis vtilior erat, quàm contractus initus cum D. Antonio, vt patet ex copia æstimationis.
2 † Neque visæ fuerunt Dominis releuantes exceptiones adductæ contra testes attento numero eorum, ex quibus suppletur fides, *vt aliàs fuit resolutum in vna Sauonen. matrimonij. coram R. P. D. Gropperio, & in vna Valentina professionis. coram R. P. D. Blanchetto*,* maximè concurrentibus duobus testibus omni exceptione maioribus, nempe Melchiore & Francisco de Lenis; nã exceptiones, quæ contra dicta opponuntur,
3 Dominis visæ sunt leues, † cum dicta testium sint potius coadiuuanda quàm cauil-
4 landa. Fuit etiam ponderatum, quòd † Dominus Hieronymus nominauit in testes Guglielmum & Persium, ex quo resultat eorum approbatio, *vt per Aym. de antiq. temp. parte 1. §. sequitur. num. 15.*

*facit l. ab èptione. ff. de pact. & l. nihil tam naturale. ff. de regul. iur.

* 1. Martij 1574. num. 1. quæ habetur in impress. diuers. nouiss. decis. 289. part. 1.

Romana Palatij de Ioachinis.
Die Lunæ 25. Octob. 1574.

SVMMARIVM.

1 *Coniectura actoris non probant intentionẽ, quando coniectura rei sunt plures & fortiores.*
2 *De iure potius præsumitur res data & acceptata in solutum, quàm in pignus, maximè si creditum sit proportionatum rei data & acceptata.*
3 *Solutio particularis multa incommoda secum affert.*
4 *Subhastatio & deliberatio ad actus perfectionem interueniße præsumitur, stantibus sententijs præcedentibus, & processibus vsque ad relaxationem mandati exequutiui, & concurrente longißimo tempore.*
5 *Census impositus præsumitur super re propria & non aliena ad excludendum delictum, maximè in homine perito.*
6 *Melioramenta in re aliena scienter facta non præsumitur ab homine iuris perito.*
7 *Confeßio facta in venditione nocet confitẽti.*

DECISIO CCXLII.

FVit resolutum, Dominos de Capisucchis non teneri ad relaxationem palatij, de quo agitur, cum enim Domini de Ioachinis sint actores; & ideo debeant suã
1 intentionem plenè probare, † eam non probant ex coniecturis per eos adductis, cum coniecturæ ex aduerso deductæ, & plu-
2 res & fortiores sint visæ: Et primo, quia † de iure potius præsumitur res in solutum data & acceptata, quàm in pignus, *Bart. in l. gerit. num. 21. de acquir. hæred. Alexand. in l. 1. §. per seruum. il secondo. num. 7. de acquir. poßeß. Ang. in l. cum notißimi. in princ. C. de præscript. trigint. ann.* creditũ enim videbatur satis proportionatum ad valorem dicti palatij de eo tempore. Secundo, quia magis expediebat Paulo & fratribus, habere domum insolutum quàm in
3 pignus; † cum particularis solutio habeat multa incommoda, *Alex. consil. 185. n. 2. lib. 6. Natt. 140. num. 4. lib. 1.* Tertio, quia cum præcesserint sententię & processus exequutiui, vsque ad relaxationem brachij sæcularis, concurrente lapsu longissimi tẽ-
4 poris, † præsumendum est, cætera, quæ ad perfectionem exequutionis desiderãtur, interueniße, nempè subhastationem & deliberationem, *Anchar. cons. 40. num. 2. Dec. 375. num. 3. Afflict. 27. num. 6. Achill. 13.*
5 *de attentat.* Quarto, considerata fuit † qualitas & peritia Pauli; tum quòd ipse imposuit

præsens decisio habetur in impres. diuersor. nouiss. 168. part. 1.

fuit censum super ista domo; ideo ad exclu-
dendum delictum, praesumendum quòd
super re propria, *Alex. d. conf. 185. num. 2.*
6 *lib. 6.* tum quòd fecit melioramenta, † quae
non est praesumendum, quòd iuris peritus
fecisset in alieno scienter. *§. ex diuerso. In-
stit. de rer. diuis. l. cum de indebito. de solu-
tion.* Quinto, fuit habita in consideratio-
7 ne † confessio Calisti in venditione casale-
ni, *Alexan. conf. 112. col. 1. lib. 6.* Sexto,
depositiones eiusdem Calisti & Fidelis, quae
licèt inter alios factae: tamen praebent ali-
quod adminiculum. Vltimo, quia non con-
stat, quòd Paulus vnquam petierit satisfie-
ri de suo credito, quod non est verisimile
non facturum fuisse, si domus tantum pro
pignore consignata fuisset. Nec obstat bra-
chium saeculare, quia per eum possessio non
adiudicatur ipsis Dominis de Capisucchis,
sed exequutoribus.

Romana Vineae.
Die Veneris 29. Octobris 1574.

DECISIO CCXLIII.

DOmini fuerunt concordes, quòd ex testibus non possit colligi metus concludens ad inualiditatem secundi testamenti: Quo verò ad reconciliationem, plures ex Dominis tenebant non probari concludenter de tempore ante testamentum secundum, ponderando singularitatem testis, & contrarietatem Felicis, vnà cum exceptionibus contra dictos testes, & adminiculis sumptis ex alijs testibus ex aduerso inductis. Aliqui tamen putabant circunscriptis exceptionibus, quòd testes probarent Claudiam in ipso actu testandi non sponte secundum testamentum condidisse, & ex actis singularibus posse colligi voluntatem, per allegata pro Ioanne; Ideo consideratis omnibus, Dominis placeret, vt concordaretur, quod si fieri non potest, audiatur Ioannes super hoc vltimo fundamento, vel strictè super exceptionibus.

Calaguritana Integrae portionis.
Die Lunae 8. Nouembris 1574.

SVMMARIVM

1 *Propter crimen simonia incurritur excommunicatio.*
2 *Excõmunicatus probibetur recipi in test.*
3 *Testis de auditu ab his, qui non faciunt fidem, non probat.*

DECISIO CCXLIV.

FVit dictum exceptiones consideratas
per informantes contra testes Petri re-
spectu inimicitiarum, & contrarietatum
esse leues, & non considerabiles, vna sola
1 excepta; † nempe excommunicationis
propter crimen simoniae, *per Extrauagan.*
2 *cum detestabile. de simon.* † & excommuni-
cati prohibentur recipi in testes, *c. decerni-
mus. de senten. excom. in 6. Abb. in cap.
per tuas. num. 3. de simon. cum alijs allega-
tis.* * Nec suffragari absolutionem Ferdinã-
do concessam, cum non sit à quibuscunque cen-
suris, sed restricta ad quasdam censuras la-
tas ad instantiam Capituli Calaguritani:
Ideo sublatis istis testibus de tractatu de-
ponentibus, sublatam quoque videri pro-
3 bationem simoniae; maximè, cum † testes
de auditu, sint de auditu ab istis, qui non
faciunt fidem.

* & est tex. in c. licet Heli. de simon. & tex expressus in c. 1. de testib. lib. 6. Hostien. in sum. de simon. §. quando accusatio. nu. 20. Doctor. cõmuniter in c. venicns. il primo. de testib. Rodoan. de simon. part. 4. cap. 6. n. 17.

Auximana Dotis.
Die Veneris 19. Nouembris 1574.

SVMMARIVM

1 *Sententia ex capite iniustitiae impugnari potest non obstante lapsu fatalium, quãdo causa iniustitiae fuit aequè principaliter commissa.*
2 *Iniustitia est iusta causa agendi ex capite restitutionis in integrum.*

DECISIO CCXLV.

1 FVit dictum † sententiam posse impu-
gnari ex capite iniustitiae, quatenus
adsit, non obstante lapsu fatalium; quia
causa iniustitiae aequè principaliter com-
missa est, *Franc. cap. dilecto. quaest. 58. de
appellat. Rum. conf. 114. lib. 4.* & hoc ma-
ximè procedit, vbi iam de nullitate vel
iniustitia constare dicitur, vt posse ex eis-
dem actis, *Achill. de commiss. 14.* sed etiam
ex capite restitutionis in integrum posset
2 agi, cum † iniustitia sit iusta causa restituẽ-
di: Ideo ordinatum fuit, vt informaretur
super negocio principali, vt factum fuit pro
parte Blasini.

Pampilonen. Parochialis de il Carbe.
Die Mercurij 15. Decembris 1574.

SVMMARIVM

1 *Patroni non babent facultatem admittendi dimissionem beneficij; & ex dimissione huiusmodi non resultat vacatio.*
2 *Dimissio beneficij facta in manibus patronorum potest per Episcopum, habita de ea notitia, acceptari.*

DECISIO CCXLVI.

CIrcumscripta correspectiuitate, super
qua erit particulariter dubitandum,
fuit dictum, praesentationem Ioannis fuisse
validam; tum quòd dispositio *cap. fin. de
concess. praeben.* non videtur habere locum
in hoc casu, attenta perseuerantia volunta-
tis patronorum, & consensu illius, de cuius
beneficio agebatur; tum etiam quòd Vica-
1 rius in edicto testatur de vacatione, † quae
licèt non resultet ex dimissione beneficij in

ma-

manibus patronorum, qui non habent fa-
2 cultatem eam admittendi: † tamen potuit per Episcopum, habita de ea notitia, acceptari, *ut per Abbat. in cap. admonet. in 2. lectur. de renunc.* & ita daretur vacatio ante vltimam patronorum præsentationē.

Lucana Pensionis.
Die Veneris 17. Decembris 1574.

SVMMARIVM.

1 *Stante clausula, sine praeiudicio legitimæ exequutionis, non est translata exequutio ad iudicem, ad quem, sed remanet penes iudicem à quo.*

DECISIO CCXLVII.

Domini dixerunt, quòd si Petrus agit de nullitate pensionis, procedendum est cum clausula, sine retardatione, si verò Episcopus velit agere in Rota ad exactionem pensionis, debet agere iudicio ordinario; quia stantibus sententijs & appellationibus, iudicium fuit effectum ordinarium; si verò velit agere coram Auditore
1 Cameræ ad præfatam exactionem, † cum stante clausula, sine præiudicio legitimæ exequutionis, nō sit translata exequutio ad Rotam, sed remanserit penes ipsum Auditorem Cameræ, ipse poterit, prout iuris fuerit, procedere.

Auximana Dotis.
Die Lunæ 10. Ianuarij 1575.

SVMMARIVM.

1 *Statutum loquens de dote data non habet locum in dote promissa; quoties statutum est aperte restrictum ad dotem datam; secus est, vbi loquitur per verba generalia.*

2 *Verbum, remaneat, in casu statuti loquentis de dote, potest recipere interpretationē respectu iuris incorporalis.*

3 *Statutum debet sumere interpretationem à ratione in statuto expressa.*

4 *Quotiescunque pro dote adest hypotheca super bonis, potest dos videri aliquo pacto soluta.*

5 *Consuetudo interpretatiua declarat statutum.*

6 *Consuetudo interpretatiua nō indiget quadragenaria præscriptione, cum interpretatio sit secundum, & non contra regulas iuris de interpretatione loquentes.*

DECISIO CCXLVIII.

Fuit resolutum, Blasinum vigore statuti, de quo agitur, lucratum fuisse medietatem dotis; nam quicquid sit de illa ardua quæstione; An statutum loquens de dote data, locum habeat in dote promissa; in qua magnus est conflictus Doctorum,
1 † Tamen amplectendo opinionē negatiuā, Domini dixerunt id procedere, quoties statutum aperte est restrictum ad dotem datam; secus verò vbi statutū loquitur per verba generalia, veluti in casu isto, in quo loquitur de dote contenta in instrumento dotali, & disponit derogando quibuscunque pactis in contrarium factis, & in ipso instrumento dotali contentis, quæ videtur generalissima derogatio apta comprehendere pactum dilationis solutionis: Ex quibus apparet statuentes loquutos fuisse per verba apta comprehendere dotem promissam. Nec obstat, quòd adsint aliqua verba magis conuenientia doti datæ, quale est illud, remaneat apud virum; item illud, siue ipsa dotem dederit; quia ad primum fuit responsum, quòd attenta generalitate statuti in illis verbis dotis cōtentę in instru-
2 mento, † verbum, remaneat, potest recipere interpretationem respectu iuris incorporalis. Ad Secundum fuit dictum, verba illa non fuisse apposita ad statuendū differentiam inter dotem datam & promissam, sed ad determinandū casum, si ab alio quàm ab vxore data dos fuerit. Præterea illud, dotem dederit, potest suppleri scilicet in instrumento, iuxta terminos statu-
3 ti. Hæc autem † interpretatio placuit, ex eo quòd ratio fuit in statuto expressa, iuxta quam statutum interpretationem sumere debet, *iuxta cons. Ruin. 225. num. 3. vers. non obstat. lib. 1. & 133. num. 4. lib. 4. Tiraquel. cessant. caus. in 1. part. num. 153.* Certum est autem rationem onerum conuenire vtrique casui, *vt per Doctores*
4 *allegatos.* Accedit, quòd † hic adest hypotheca super possessionibus, quæ facit, vt videatur aliquo pacto dos soluta, *vt per Aehill. de dot. decis. 2. cum ibi congest.*
5 † Concurrit præterea consuetudo interpretatiua per testes probata, qui deponūt in genere de dote promissa, & satis dicun-
6 tur probare. † Nec opus est quadragenaria præscriptione, cum ista interpretatio sit secundum, & non contra regulas iuris de interpretatione loquentes, vt pluries fuit in Rota resolutum: Tamen quia effectus dubij est. An sententia extra Rotam lata, sit notoriè iniusta, Domini circumscripserunt hunc articulum, & ordinarunt particulariter dubitari præsupposita illa decisione, An sententia possit dici notoriè iniusta.

Romana Rescissionis contractus, seu vsurarū.
Diē Mercurij 19. Ianuarij 1575.

SVMMARIVM.

1 *Dies adiecta solutioni in contractu interpellat pro homine, & constituit in mora, maximè si adsit iuramentum.*

2 *Iuramenti vis est astringere debitorem, vt soluat*

soluat, deinde si prætendit indebitum, repetat.

3 *Doctrina Bart. in l. qui solidum. de legat. 2. in Rota reijcitur.*

DECISIO CCXLIX.

præsens decisio habetur in impressione nouiss. 413. part. 1.

1 FVit resolutum constare sufficienter de mora; † cum enim in contractu esset apposita dies solutioni, vtique ea interpellat pro homine, *l. magnam. C. de contrab. & committ. stipul. Gabr. de solut. concl. 9. Idem de expen. concl. 2. num. 9.* maximè

2 stante iuramento, † cuius vis est, vt debitor teneatur soluere, deinde si prætendit indebitum, repetere, *c. debitores. de iure iurand. Putc. decis. 63. dubitani. lib. 1.*

3 † Nec obstare doctrinam *Bart. in l. qui solidum. de legat. 2.* nam vltra responsiones per informantes datas; Domini dixerunt Rotam amplecti contrariam sententiam, quam *idem Bart. tenet in l. 1. §. si stipulanti. de verb. oblig. vt fuit resolutum in vna Bononien. locationis. 26. Octobris 1551. coram Ant. Aug. & in vna Romana pecuniaria. 21. Nouembris. 1554. coram bon. me. Fantuccio.*

Auximana Dotis.
Die Lunæ 7. Februarij 1575.

SVMMARIVM.

1 *In statutis potest fieri extensio de casu ad casum, etiam contra ius commune ex ratione in statuto expressa.*

2 *Statutum de lucro dotis dicitur fauorabile, & habet semper eam rationem vltra alias, vt viri inuitentur ad matrimonium contrahendum.*

3 *Verbum remaneat, in casu statuti loquentis de dote potest habere significationem directam & obliquam; directam, vt si possidet, remaneat; obliquam, vt si non possidet, petat sibi restitui.*

DECISIO CCL.

DOmini perseuerarunt in decisis, moti potissimum ea ratione expressa in

1 statuto, quæ facit, † vt posset fieri extensio de casu ad casum, etiam contra ius commune, *Aym. cons. 227. num. 7. & de antiq. temp. part. 4. §. transeo. num. 86.* licèt in casu isto potius simus in comprehensione quàm extensione, propter verba, & clausulas, aliàs per Dominos in vltima resolutione * consideratas, & hoc maximè attento,

* sub die 10. Ian. proximè præterita.

2 quòd statutum videtur fauorabile, nec vnam tantum habet rationem, quia vltra expressam, militat alia; vt viri inuitentur

3 ad matrimonia contrahenda: Nec † verbum, remaneat, multum mouebat Dominos, cum possit habere significationem directam, & obliquam; directam, vt si possidet remaneat; obliquam, vt si non possidet, petat sibi restitui, *ita l. tart. in l. Prætor. in fin. princ. de bon. eo...* quem passim sequuntur Doctores in *l. Centurio*, [a] *& in l. precibus*; [b] tractantes de verbis communibus & directis. Cetera tuerunt in alia decisione sublata; [c] & hæc circumscripta notoria iniustitia, super qua dubitabitur.

a ff. de vulg. & pupill. b C. de impub. & al. subst. c sub d. die 10 Feb. præterito.

In eadem Auximana Dotis.
Die Lunæ 14. Martij 1575.

SVMMARIVM.

1 *Sententia quando dicatur continere expressum errorem, itaut veniat reuocanda, saltem ex capite restitutionis in integrū.*

2 *Iniustitia licèt non notoria est sufficiens causa restitutionis in integrum.*

3 *Suprema tribunalia semper solent sententias reuocare; vbi ex actis de iniustitia constat.*

DECISIO CCLI.

1 FVit dictum per nonnullos ex Dominis † sententiam videri ex capite notoriæ iniustitiæ reuocari posse; nam controuersia, quæ est inter Doctores circa statuta loquentia de dote data, An habeant locum in dote promissa, non videbatur applicari in isto casu, itaut excusandus veniat iudex, cum statutum loquatur per verba, quæ legitima interpretatione comprehendebant dotem promissam, vt fuit resolutum, & sententiam continere errorem expressum, cum facta sit in ea mentio statuti, & sufficit, quòd ex actis possit de isto errore constare, *Rota 16. ad fin. de re iudic.* Tamen in hoc conuenerunt omnes, hanc sententiam re-

2 uocari debere ex capite restitutionis, † cū iniustitia licèt non notoria sit sufficiens causa restitutionis, Nec obstare, quòd sententia contra ius litigatoris valeat, quia nihilominus competit denunciatio euangelica grauato, *vt per Abb. in cap. nouit. n.*

3 *20. de re iudic.* † & suprema tribunalia semper solent sententias reuocare, vbi ex actis de iniustitia constat, *vt per Gard. pap. decis. 215. num. 7. & decis. 368. vide Put. 396. in primo. in causa Toletan. Matrimonij.*

Romana Bonorum de Columna.
Die Veneris 18. Martij 1575.

SVMMARIVM.

1 *Gratia intelligi debet sine præiudicio tertij; declara tamen, vt hic, & num. 2.*

2 *Renunciatio iuris sui debet claris probationibus constare.*

DECISIO CCLII.

1 CAusa fuit discussa, sed nihil resolutum; quamuis enim regula sit, quòd † gratia debeat intelligi sine præiudicio tertij per allegata; * tamen nonnulli ex Dominis cen-

* Bald. in l. 1. col. 1. de cōst. princip. &

Iaf. in l. fin. n. 20. eodē tit. Barnen. in regula de non toll. iur. quęsit. q. 2 n. 2 cū seqq. vbi pluribus modis ampliat huiusmodi regulā, Paris. cōs. 3. n. 26. vol. 2.

censebant hoc non posse applicari ad casum nostrum, in quo agitur de præiudicio Illustr. Domini Iulij Cæsaris, qui non est tertius; tum etiam, quia in gratia Principatus disponitur in specie de ciuitate Præ-
2 nestina, & alijs bonis pacto subiectis, † quæ dispositio non se potest compati cum clausula, sine præiudicio, maximè respectu secūdo genitorum, quibus datur tantum certa portio fructuum, in reliquis eos excludendo, quæ res facit, vt potius sit iudicanda huiusmodi gratia surreptitia & nulla, quàm quòd censeatur præseruatum præiudicium, tertij in expressè & specialiter dispositis: Alij verò volebāt ex tali clausula totā gratiam esse limitatam, & proinde acceptationem esse limitatam, nec respectu sui Illustr. D. Iulium Cæsarem sibi præiudicasse, cum hoc non possit dici, nisi inducendo renūtia-
3 tionem iuris sui, † quæ non debet admitti, nisi ex claris probationibus, non autem ex præsumptionibus. Quare cum visa fuerit Dominis materia satis difficilis, dixerunt ex alio capite causam decidendam esse; aliquibus censentibus expedire, vt videatur, an pactum sit regulandum vt cōtractus, vel vt vltima voluntas: sed plures existimarūt, faciliorem viam esse, videre, an capita concessionis Principatus sint ità separabilia, vt ex vnius acceptatione & vsu non inducatur acceptatio in cæteris capitibus ad effectum, de quo agitur.

Bononien. Bonorum de Budriolis.
Die Veneris 15. Aprilis 1575.

SVMMARIVM.

1 *In concursu titulorum parium debet ordinariè procedi.*

DECISIO CCLIII.

EX duplici capite fuit inclinatū pro spolio & attentatis; Primo inspectō processu Reuerendiss. Gubernatoris Bononiæ, cum enim coram eo Budrioli edidissent testamētum Alamani Luchini de anno 1553. quòd carebat omni visibili vitio, non poterat dictus Reu. Gubernator procedere exequtiuè ad immissionem Bartholomeæ vigore testamenti eiusdem Alamani, conditi de
1 anno 1550. † In concursu enim titulorum parium procedendum erat ordinariè, *vt notāt Doctor. in l. fin. C. de edict. diu. Adr.* Accedit quòd hoc possessoriū habebat causam complicatam cum veritate vel falsitate secundi testamenti; ideo ratione cōplicationis & mixturæ dabatur appellatio, *ad text. Bald. 141. n. 7. lib. 2.* Secundo, inspecta sententia Reuer. D. Gubernatoris Vrbis visum fuit exequutionem per eum factam eodem vitio laborare; nam habebat mixturam nullitatis auocationis possessionis Gubernatoris Bononiæ: Quare videbatur non esse locum exequutioni per supra deducta. Quòd verò deducebatur, commissionem esse restrictam ad spolium commissum pendente causa in Rota, non admodum placebat; tum quia eadem ratio subest, siue prius siue post fuerit commissum spolium; tum etiam quia prior commissio petitorij continet virtualiter etiam possessorium, nisi in commissione dictum fuisset taxatiuè, petitorium tantum; Ideo super his poterit particularius dubitari.

Imolen. Castrorum.
Die Veneris 22. Aprilis 1575.

SVMMARIVM.

1 *In beneficialibus Papa habet potestatem absolutam, & priuatio per eum facta etiam sine causa tenet; & in priuatione huiusmodi, fides enunciationi ab eo emanata adhibetur; secus est in priuatione in prophanis, quia tunc narratiua Papæ venit verificanda, & num. 2. & 3.*
4 *Ad exequutionem sententiæ priuationis bonorum factæ in contumaciam, nisi post annum deueniri non potest.*
5 *Bona priuati in contumaciam, nisi post annum non possunt dici ad Cameram deuoluta.*
6 *Decretum factum in priuando sine citatione est nullum.*
7 *Assertioni procuratoris fisci, cum sit pars, non creditur.*
8 *Pro decretis Cameralib. præsumi nō debet.*
9 *Pro sententia lata contra absentem non præsumitur, nisi quatenus cōstet ex actis.*
10 *De iure communi non potest quis ob contumaciam bonis suis priuari, & si de stylo vel consuetudine, vel vigore statutorum contrarium seruetur, talis probatio ex contumacia resultans dicitur priuilegiata, & sententia eius vigore lata, nunquam transit in iudicatum.*
11 *Taciturnitas non nocet ei, qui scit ius suum saluum esse.*
12 *Concessio feudi non deuoluti est nulla.*

DECISIO CCLIV.

1 LIcèt in beneficialibus, † in quibus Papa habet potestatem absolutā, tencat priuatio per cum facta etiam sine causa, vt — præsens decisio habetur in impres. diuers. nouiss. 136. part. 2.
2 *per Mohed. 86.* & ideo † tali casu adhibeatur fides enunciationi ab eo emanatæ, ta-
3 men in prophanis secus est; ideo † verificanda est narratiua Clementis in ea parte in qua asserit Castra Tussignani, & Fontanæ per priuationem Ricciardi de Alidosijs ad Cameram Apostolicam fuisse legitimè deuoluta, sed ex ijs, quæ deducuntur, non fuisse verificatam tenuerunt Domini; nam decreta Cameralia ostendunt priuationem
4 fuisse factam in contumaciam, † quo casu non poterat deueniri ad exequutionem

I nisi

nisi post annum, *l. fin. de requir. reis, & latè aliàs fuit discussum in vna Romana Canonicatus in foro piscium de anno 1567. coram R. P. D. Cotta.* Alienatio verò per Clementem facta fuit intra hoc tempus, ex quo apparet perperam factam fuisse, † & de tempore, quo nondum fuerunt Castra ad
6 Cameram deuoluta. † Accedit decretorum nullitas, de qua ex inspectione consta-
7 re videtur, cum sint sine citatione; † Assertioni enim procuratoris fisci, cum sit pars, non est credendum, *l. nullus. de te-*
8 *stibus.* † neque pro decretis Cameralibus
9 est præsumendum, cum † pro sententia lata contra absentem nihil præsumatur, nisi quatenus constet ex actis, *Butr. consil. 24. Curt. cons. 310. num. 5. lib. 3.* maximè quia
10 † de iure communi, non potest quis ob contumaciam priuari bonis suis, *vt per Doctor. in l. 1. §. fin. si quis iusdic. non obtemp.* Ideo si vel de stylo, vel de consuetudine, aut vigore statutorum contrarium seruetur, talis probatio ex contumacia resultans dicitur priuilegiata, & sententia eius vigore lata nunquam trāsit in rem iudicatam, *vt ex sententia Innoc. Abb. Ang. Roman. Alexand. & aliorum tradit idem Curt. cons. allegat. num. 37.* nec potest dici Ricciardum acquieuisse, cum postea reclamauerit; sed & si non reclamasset data in-
11 iustitia sententiæ † nihil ei obesset taciturnitas, cum sciuerit ius suum sibi saluum esse. Nec obstat sententia vltimo contra Communitatem Imolæ & Alidosium lata, quia nunc de eius iustitia vel iniustitia non quæritur, etsi est iniusta, vt ex deductis
12 constare videtur, cum † concessio de feudo non deuoluto sit nulla, *c. 1. si quis fecerit inuestit.* vtique neque transiuit in iudicatum, neque confirmari, vel exequi potest, *cap. inter cæteras. & ibi per Doctor. de re iudic.*

Fauentina Bonorum.
Die Mercurij 26. Aprilis 1575.

SVMMARIVM.

1 *Interpretatio fieri debet, vt instrumentum non contineat repugnantiam.*
2 *Quod minus fuit in vna scriptura dictum, potest per aliam suppleri.*

DECISIO CCLV.

FVit resolutum, locum, qui vocatur la Pomposa, siue Podere Pomposiæ non esse distinctum & separatum à fundo, qui dicitur Fossula, sed partim in eo situm esse, partim verò in loco, qui dicitur Prata Fantina, & hoc ex pluribus satis manifestè colligi: Et primo ex clausula libelli, de quo in summario, num. 1. in qua habetur possessiones infrascriptas esse in loco, qui dicitur Prata Fantina & Fossula, & vulgariter nominatur, la Pomposa; & inferius ennmerando possessiones collocantur ab vndecima vsque ad decimamoctauam in Fossula. Cum ergo dicatur ibi, quòd Podere, quod vocatur Pomposa est 1361. tornaturarum, & est distinctum in decem & octo petijs excepta Monacharia, idest præter Monachariam; sequitur, quòd pars dictæ Pomposiæ, est in Fossula. Secundo, idē probatur ex verbis transactionis, de qua in summario num. 2. ibi in loco, qui dicitur Prata Fantina & Fossula, & vulgariter vocatur, la Pomposa. Tertio idem probatur ex clausulis mandati procuratoris D. Francisci Manfredij, & ex clausulis relationis Nuncij, de quibus in memoriali Communitatis. Quarto probatur ex inuestituris sancti Vitalis, de quibus in summario num. 6. per quæ apparet iura Pomposiæ esse vltra Canale, quod datur pro cōfine Pratæ in duodecimo præsupposito. Nec releuat dicere, quòd aliud sit Pomposia, aliud iura Pomposiæ, cum hic concurrant duæ demonstrationes, quæ arguunt hæc esse vnum & idem; altera est nominis Pomposiæ, altera est Francisci de Manfredis de iure Pomposiæ, vt in dicto num. 6. sub littera F. Cum ergo reperiantur petiæ Pōposiæ datæ Manfredis, prout in narratiua libelli, & istæ sint petiæ pertinentes ad Pōposiam, possessæ ab codē Francisco de Manfredis, colligitur esse easdem, de quibus in libello, & per consequentiam esse extra Pratam, stante duodecimo præsupposito; ergo in Fossula, cum tota Pomposia sit in Prata & Fossula. Nec obstat, quòd in libello enumerando petias, dicatur primam esse in loco, qui dicitur Pomposa, & sic deinceps vsque ad vndecimā, in qua dicitur po-
1 sitam esse in fundo Fossulæ, quia † interpretari debemus, ita vt instrumentū non contineat repugnantiam; & ideo cum Pomposia tota sit partim in Prata Fantina, partim in Fossula, appareatq. nomen vniuersale prædij esse Pomposiam; Pratā verò & Fossulam esse nomina particularia fūdi seu territorij; Illud quod dicitur de vndecima petia, esse sitā in Fossula, nō venit ad exclusionem Pōposiæ, sed ad exclusionē Pratæ, & sic omnia & singula benè conueniunt inuicem. Neque etiā obstat, quòd in summario num. 2. & 3. aliquando dicatur possessiones sitas in Prata Fantina in loco, qui dicitur la Pomposa, quia non est absurdum, quòd non fuerit semper facta descriptio exacta situationis istarum petiarum; cum satis esset nominare Pomposiam, quæ omnes continue-
2 bat; ideo † quod minus fuit in istis iuribus dictum, potest ex alijs magis specificè loquentibus suppleri. Nec obstat, quòd duæ primæ petiæ, quæ situantur iuxta flumen, non possint esse illæ, quas prætendit Communitas, quæ sunt in schola sezzatæ, & tamen deberent esse in schola Pratæ Fantinæ;

nam

nam in præsentia non disputatur, vbi sint
situandæ dictæ petiæ terræ, & hæc res in-
digebit alia discussione, & nunc sufficit vi-
dere in genere, An Pomposia sit distincta à
Fossula, quod ex supradictis remanet abso
lutum.

Cerulen. Bonorum.
Die Mercurij 4. Maij 1575.

SVMMARIVM.

1 *Ad excludendam petitionem hereditatis,*
seu interdictum, quorum bonorum re-
quiritur titulus validus, nec sufficit in-
ualidus seu putatiuus, de communi.
2 *Contractus licèt nullus ex defectu solemnita-*
tis, modo sit vtilis Ecclesia, ab ea ap-
probari & ratificari potest, nec ab eo re-
ceditur, nisi Ecclesia volente.
3 *Nullitas contractus etiam per tertium al-*
legari potest, si sit nullitas, qua per par-
tis consensum sanari non possit.
4 *Item per tertium allegari potest in casibus,*
in quibus saltem ille, qui habet princi-
pale interesse non contradicit; secus est,
si à principali contractus sit approbatus.

DECISIO CCLVI.

1 LIcèt † ad excludendam petitionem hæ-
reditatis, seu interdictum quorũ bo-
norum requiratur titulus validus, nec suf-
ficiat titulus inualidus seu putatiuus, *l. nec*
vllam. §. 1. ff. de petit. hared. etiam si esset
cum bona fide, *vt latè per Doctor. in l. fin.*
C. de edict. diu. Adr. toll. quæ sententia est
communiter recepta, quicquid exaduerso
senserit, *Couar. pract. quæst. 12. num. 4.* ta-
men applicando hanc limitationem ad ca-
sum, de quo agitur, res visa est Dominis
non carere difficultate contra Dominam
Lucretiam; nam nullitates, quæ allegan-
tur, non videbantur satis claræ; Et primo
nullitas, quæ deducitur ex eo, quòd alie-
natio bonorum, de quibus agitur, sit fa-
cta sine solemnitatibus, non placebat; non
quidem ex eo, quòd res non sit solita loca-
ri: nam hoc esset in facto statuendum; sed
2 ex eo, quòd † vbi contractus est nullus ex
defectu solẽnitatis, modo aliàs sit Ecclesiæ
vtilis, potest Ecclesia illũ approbare, & rati-
ficare, nec receditur ab eo, nisi volẽte Eccle
sia, *Abb. in c. causam quæ. il secondo. col. fin.*
de iudic. cum alijs; * & ideo quod deducitur,
3 † posse etiam per tertiũ allegari nullitates,
vt per Ruin. consil. 160. n. 5. in fin. vol. 5.
& Corn. 65. num. 11. lib. 1. debet intelligi
de illis nullitatibus, quæ sanari non pos-
4 sunt per partis consensum, † & in casibus
in quibus saltem ille, qui habet principa-
le interesse, non contradicit; sed in casu
isto Episcopusmet assistit Com. Pandul-
pho, & contractum approbat; Ideo non
potest hæc nullitas deduci. Secundo, nul-
litas, quæ deducitur ex dispositione Con-

* Ias. in l. nõ eo minus. n. 3 C. de procur. Fulgos. & Ias. in l. cũ hi. §. eam transactione. n. 3. de trãsact. Aretin. cons. 77. n. 6 Put. dec. 3 & 4. de except.

cilij *in sess. 25. cap. 11.* non satisfaciebat;
tum quia loquitur in locationibus, sed in
hac emphyteusi, id quod est solutum, vi-
detur ratione laudemij, tum quòd Conci-
lium irritat eas in fauorem successorum;
ideo cum hic adsit successor, non videtur
posse allegari talis nullitas. Tamen si super
hoc pars velit, particulariter poterit au-
diri. Fuit ergo restricta difficultas ad ter-
tium caput, quod deducitur *ex doctr. Bart.*
in l. 1. §. permittitur. ff. de aq. quotid. &
& est. & ideo erit videndum, An renoua-
tio debuisset fieri Dominæ Lucretiæ; & si
sic, An ex hoc reddatur titulus Comitis in-
ualidus, vt non obstet agenti interdicto
quorum bonorum; stante quòd Domina
Lucretia causam cõmisit tam contra Epi-
scopum, quàm contra Comitẽ Pandulphũ.

Prænestina Transactionis.
Die Lunæ 16. Maij 1575.

SVMMARIVM.

1 *Factum ex pacto, & illius continentia col-*
ligitur.
2 *Dictio, tantum, est dictio taxatiua.*
3 *Clausula, & aliàs prout in instrumento,*
est intelligenda vltra specificata.

DECISIO CCLVII.

CIrca primam partem dubij Domini
pro maiori parte dixerunt, quòd in
clausula primo loco præsupposita, fuit post
prætensiones in ea contentas assertiuè di-
ctum, fœminas excludi à bonis in præten-
sionibus expressis, & masculos tantum in-
cludi vigore pacti initi inter quondam Ste-
phanum & Alexandrum de Columna; nam
licèt in ea multa per viam prætensionis de-
ducantur, quæ iuris sunt: tamen redden-
do prætensionum rationem, deuentum fuit
1 ad assertionem facti; † quod ex pacto & cõ-
tinentia eiusdem colligitur, ponderando
clausulam, attenta dispositione, *Barb. cõs.*
90. num. 7. Item clausulam, in quibus in-
2 ter cætera continetur: Item † dictionem
taxatiuam, tantum, *vt in simili dictum*
fuit in causa Viterbien. * *coram R. P. D. de*
3 *Grassis.* Neque obstat † clausula, & aliàs
prout in instrumento, &c. quia illa clausu-
la est intelligenda vltra specificata, *Alex.*
cons. 36. num. 6. in 2. Natt. 403. n. 6. Put.
decis. 36. lib. 3. & 325. lib. 2. Peregr. 28.
optime Dec. 63. num. 6. Quantum ad secũ-
dam partem Domini fuerunt concordes,
quòd in clausulis, de quibus in 2. & 3. præ-
supposito, Illustr. Domina Marchionissa
narrando se esse certioratam de valore bo-
norum à peritis pro vtraque parte electis,
& de continentia pacti, quod sibi legi, &
exponi fecit ab Aduocato suarum filiarum,
præsupposuerit, solos masculos exclusis fœ-
minis vigore pacti vocari ad successionem

Præsẽs decis. habetur i im press. diuers. nouiss. 156. par. 1.

* In Viterbien. transactionis de anno 1574 corã R. P. D. Cas. de Gras.

bonorum, de quibus agitur, ponderabant verba illa, ex superius pro parte dictorum &c. deductis, nouit quòd filiæ suæ &c. Item clausulam, certiorata de quãtitate, importantia, & valore omnium supradictorum bonorum, & illam, super modo succedendi in dictis bonis in fauorẽ masculorum, quæ visa sunt satis clarè & apertè ipsius intentionẽ declarauisse. Et hæc ita firmata fuerunt, circumscripto effectu, de quo suo loco tractabitur.

Romana, seu Portuensis Bonorum.
Die Veneris 20. Maij 1575.

SVMMARIVM.

1 *Clausula, ad has laudabiles & honestas cõuentiones deuenerunt, facit, quòd pactũ dicatur cõtractus, & nõ vltima volũtas.*
2 *Idem est in donatione, quæ iudicatur inter viuos & non vltima voluntas.*
3 *Iuramentum & stipulatio vltimis voluntatibus non apponitur, sed contractibus.*
4 *Actus à partium denominatione recipit declarationem.*
5 *Dispositio, quæ habet formam in contractibus seruari solitam, dicitur contractus & non vltima voluntas.*
6 *Dispositio, quam partes voluerunt reuocari non posse, vltimæ voluntati conuenire non potest.*
7 *Ius succedendi potest etiam in contractum deduci.*
8 *Substitutiones possunt etiam in contractibus fieri.*
9 *Vltima voluntas militis quocunque modo declarata testamenti vim habet; & licèt per viam contractus declarata sit, potest per eum ad libitum reuocari, prout solẽt testamenta, fauore militiæ.*
10 *Verba apposita in cõtractu, seu pacto, quòd habeat vim donationis irreuocabilis, denotant, quòd non sit donatio, sed quòd partes voluerint contractum ita formatum donationi æquiparare; & tamen non sit contractus.*
11 *Contractus potest esse donatio inter viuos, licèt exequutio differatur in tẽpus mortis.*
12 *Interpretatio illa est sequenda, per quam actus sustinetur, si aliter interpretando propter defectum aliquem destrueretur.*

DECISIO CCLVIII.

Circa quæstionem, An pactum, de quo agitur, sit contractus vel vltima voluntas, fuit per Dominos resolutum esse contractum, ponderando plures clausulas,
1 nempe † illam, ad has laudabiles, & honestas conuentiones deuenerunt, *Oldrad. consil. 139.* † Item, quam quidem concordiam
2 & pactum voluerunt vim perpetuæ & inuiolabilis donationis inter viuos obtinere;
3 Item, reseruata facultate testandi; † Item, propter iuramentum & stipulationem, quæ contractibus non vltimis voluntatibus apponi solent; Item ex clausula, omni meliori modo; Ideo † cum habeamus deno-
4 minationem partium, *ad congesta per Tiraquel. de retract. §. 3. glos. 2. num. 7.* † &
5 formam in contractibus seruari solitam, dicendum est hunc esse contractum non vltimam voluntatem, *Aym. cons. 20. num. 6.*
6 maximè † cum voluerint reuocari non posse, quod vltimis voluntatibus repugnat, *l. 4. in fin. de adim. legat. l. si quis. in princip. de legat. 2. l. vbi ita donatur. de donat. caus. mort. Ias. in l. non omnis. num. 2. si cert. pet. cum alijs per informantes allegatis.* * Non obstat, quòd agatur de successione, & sic de re proportionata ad vltimas voluntates;
7 quia † etiam ius succedendi potest in contractum deduci, *vt per Oldrad. d. cons. 139. & Tiraquel. in l. si vnquam. in verb. donatione largitus. num. 127. C. de reuoc. donat.*
8 † & in contractibus possunt fieri substitutiones. *l. quoties. C. de donat. quæ sub mod. Bald. cons. 249. col. 2. lib. 2. Aym. cons. 19. num. 8.* Neque obstat doctrina *Bald. in l. licèt. num. 5. de pact.* quia procedit in terminis illius legis, quæ loquitur in milite, vt colligitur *ex eodem Bald. num. 2. & apertius ex dictis Alciat. ibid. num. 19. & 22.* quia ratio, cur valeat tale pactum in milite, est
9 fauor militis, scilicet, vt † quoquo modo voluntas militis declarata, testamenti vim habeat, & possit reuocari ad libitum, prout solent testamenta, quæ qualitas pacto, de quo agitur, conuenire non potest, cum dictum fuerit, vt habeat vim donationis irre-
10 uocabilis, & † quamuis verba illa, vim donationis, videantur denotare, quòd non sit donatio: tamen negari non potest, quin hunc contractum ita formatum partes voluerint donationi æquiparare, & sit contractus; & verba illa, vim donationis, de necessitate non importãt improprietatem, vt in simili de clausula, habeas rem tanquã propriam, *Dec. cons. 468. num. 13.* Neque obstat reseruatio, quòd monasterium non habeatur loco filij, quia potuit hoc ad abũdantem cautelam specificari. Neque obstat, quòd pactum sit super bonis restantibus, & ideo non fuerit interdicta interim alienatio; quia dato, quòd hoc sit verum, non tamen repugnat, quin sit contractus super bonis restantibus, cum contractus à conuentione partium legem accipiant, &
11 apparet in simili, non eo minus † esse donationem inter viuos, licèt exequutio differatur in tempus mortis, *l. 2. C. de donat. quæ sub cert. mod. Ruin. cons. 182. num. 3. lib. 1.*
12 & † hæc interpretatio, in casu de quo agitur, est sequenda, ex quo per eam actus sustinetur, cum ex contraria interpretatione destruatur propter defectum solemnitatum, quæ in vltimis voluntatibus requi-

* & facit quod traditum est per Couar. in rub. de testam. in 2. par. n. 13 Kolaz. cons. 8 n. 14 iunctis his, quæ dicit n. 20. & 17. volum. 1. & cons. 41. n. 24. iuncto n. 41. & 50 volum. 2. Clar. § donatio q. 4. circa fin.

quiruntur, cum non simus in dispositione inter liberos, sed inter fratres. Quantum ad secundam partem Domini fuerunt concordes, non esse pactum de omnibus bonis inspecto eius tenore; An verò re ipsa non adessent alia bona, esse quæstionem facti, quæ vnà cum suo effectu reseruatur discutienda suo loco.

Pisana Canonicatus.
Die Veneris 27. Maij 1575.

SVMMARIVM.

1 *Narratiua regressus iustificatur per productionem sumpti, cum sufficiat de facto iustificari.*

DECISIO CCLIX.

FVit resolutum collationem Reuer. Vicarij Pisani subsistere, & canonizari posse, non obstante, quòd coram eo non fuerint iustificata ea, quæ in dicta gratia continentur, dummodo coram me iustificentur *l. per hanc. C. de temp. appellat. Achill. 7. de senten. & fuit alias resolutum in vna Barchinonen. coram Reuer. Palæotto.*

1 † Et quantum attinet ad regressum, satis esse iustificatum per productionem sumpti regressus Alexandri Sancassiani, nec vlteriorem requiri dicti regressus iustificationem, cum sufficiat de facto iustificari D. Alexandrum habuisse regressum; nam cum in gratia adsit clausula, siue præmisso, siue alio quouis modo, aut ex alterius cuiuscúque persona, sufficit, quòd Canonicatus præfatus vacet vel ex persona Alexandri, si regressus est validus, vel ex persona Francisci, si regressus est nullus: vtraque enim vacatio est apud Sedem, & verificatur clausula, dummodo dispositio ad nos hac vice pertineat, siue ex persona Alexandri, siue Francisci vacet, *Cassador. 5. de praebend.* Quantum ad verificationem reliquorum concernentium habilitates Vincentij & valorem Canonicatus, remiserunt se Domini ad ea, quæ deponunt testes, quorum summarium datum non fuit; Ideo ponens videbit, An probent requisita. Reseruatum fuit videre particulariter id, quod obijcitur de regula de Annali; si tamen de ea fuerit in actis oppositum; Item reseruatum id, quod deducitur de retentione Reuer. D. Episcopi, quæ suo loco examinabuntur.

Cæsaraugustana Decimarum.
Die Veneris 27. Maij 1575.

SVMMARIVM.

1 *Vicarius etiam perpetuus non potest percipere decimas, quando adest Rector, ad quem spectant, vel alius prout Capitulum, quod succedit loco Rectoris.*

DECISIO CCLX.

FVit resolutum satis ex sententijs antiquis emologatis, & ex dictis testium probari Archidiaconum de Darocca fuisse Rectorem loci de Calatoran, per ea, quæ tradit *Bart. in l. societatem. §. arbitrorum. num. 8. ff. pro soc. Anchar. cons. 123. num. 6. Socin. 66. num. 4. lib. 4. cum alys per informantes adductis;* a & 1 † ideo Capitulum Metropolitanæ, quod succedit loco Archidiaconi, habere intentionem fundatam de iure communi, non obstante, quòd adsit Vicarius perpetuus, *Mohedan. decis. 220.* Nec hodie tractari iudicium possessorium, sed petitorium, nempè cui debeantur decimæ, de quibus agitur; Quòd verò ex testibus pro parte Canonicorum del Pilar deducitur super meritis causæ, est extra dubium, & eget particulari discussione, postquam erit firmatum, cui incumbat onus probandi Mauros non soluisse decimas, licèt allegetur fuisse aliàs coram bon. mem. Fantuccio resolutum. a

> præsēs decis. habetur 1 im press. diuers. nouiss. 130. part. 1.
>
> a Alios cōgerit Rolan. cōsil. 79. n. 59. lib. 3.
>
> a Ita resolutū fuit in eadē causa sub die 15. Feb. 1555. corā Fātucc.

Marsicana Monasteriorum.
Die Veneris 17. Iunij 1575.

SVMMARIVM.

1 *In materia iustificationis valoris sufficit semiplena probatio; sed debet esse clara & expedita.*

2 *Testis, qui detexit suum examen parti, repeti non debet, præsertim si sit familiaris.*

DECISIO CCLXI.

EX quatuor testibus datis in summario, duo nihil omnino faciunt, quia deponunt de ascensu, non autem de non excessu, duo verò, qui dicunt de non excessu, non videntur Dominis concludenter probare; 1 quia † cum in hac materia iustificationis sufficiat semiplena probatio; tamen volunt eam claram & expeditam; sed alter ex testibus videtur implicare se iuxta decimumquintum interrogatorium, in quo dicit, se nescire præcisè valorem, & deponit de fama; itaut incertum sit, an perueniat tempus ante litem motam. 2 † Alter verò in priori examine non probat, & an potuerit repeti, non caret difficultate, per allegata per informantes, b sed quod magis vrget, videtur detexisse suum examen parti, prout iuxta septimum interrogatorium, cui videtur maximè familiaris, prout iuxta quartum, & ideo placeret Dominis, vt hæc probatio coadiuuaretur.

> b Ex quo repetitio fuit tātum facta ad dictum testis declarādū & sic per modū declarationis primi dicti, iuxta Alex. qui alios allegat in cōs. 94. n. 3. lib. 6.

Nucerina Affictus.
Die Veneris prima Iulij 1575.

SVMMARIVM.

1 *Effectus & obseruantia Coadiutoriæ per multos*

multos annos supplent probationem ad iustificandum ipsam Coadiutoriam.

2 *Defectus ætatis in Coadiutore non obstat, quando non agitur de Canonizanda Coadiutoria, cum tunc leuiores sufficiant probationes.*

DECISIO CCLXII.

FVit resolutum ad effectum, de quo agitur, satis esse iustificatam Coadiutoriam Reuerendiss. D. Episcopi; nam licèt fortè testes non videantur côcludenter probare ætatem Reuerendiss. D. Coadiutoris:
1 † tamen cum adsit effectus & obseruantia dictæ Coadiutoriæ per tot annos, suppletur hæc probatio, *ad cons. Aym.* 101. *n.* 3. Nec testes ex aduerso quicquam concludêter probant, nec circa ætatem, nec circa
2 valetudinem; † & sic non agitur de canonizanda Coadiutoria, sed ad effectum tantum, vt de ea fieri deberet mentio, quo casu leuiores probationes sufficiunt.

Anconitana Spolij.
Die Veneris prima Iulij 1575.

SVMMARIVM.

1 *Concessa restitutione aduersus lapsum fatalium, non est opus alia restitutione aduersus rem iudicatam.*

DECISIO CCLXIII.

FVit resolutum adesse rem iudicatam; cum in commissione petatur primo loco restitutio in integrum ad prosequutionê causæ appellationis aduersus lapsum fatalium & quadriennij, quæ restitutio reponit causam appellationis in eo statu, in quo erat ante lapsum fatalium; & ideo necesse fuit prorogare fatalia. Neque obstat, quòd restitutio etiam petatur simpliciter aduersus rem iudicatam; quia adest clausula, qua-
1 tenus opus sit, adeo quòd † concessa restitutione aduersus lapsum fatalium & quadriennij, non erat opus alia restitutione aduersus rem iudicatam, quæ nulla aderat, stante priori restitutione. Nec obstat clausula, prout de iure, quia est restricta ad caput sequens, in quo petitur procedi prout iuris, reseruatis expensis in fine litis.

Romana Palatij de Ioachinis.
Die Veneris 1. Iulij 1575.

SVMMARIVM.

1 *Actio spolij non competit ei, qui facto suo cecidit à possessione.*

2 *Venditio facta iuxta æstimationem faciendam est conditionalis; quod verum est, vbi adest totalis incertitudo, tam ratione quota quàm ratione loci. vt num. 3.*
Item quando æstimatio respicit venditionem seu dationem in solutum; secus si refusionê pecuniarum, si res pluris valeat. vt num. 4. & 7.
Item quando datio in solutum non incipit à nomine designante certam speciem, & corpus determinatum. vt num. 5.
Item quando non est sequuta traditio vera vel ficta. vt num. 8.

6 *Venditio non dicitur facta ad mensuram, quando incipit à certo & determinato corpore.*

9 *Traditio possessionis duplex, vera & ficta; vera per apprehêsionê, ficta per côstitutû.*

10 *Alleganti non fuisse impletam conditionem incumbit onus probandi; quando est trâslata possessio, quia ea transfertur etiam ex contractu conditionali.*

11 *Ex contractu conditionali transfertur possessio, quæ sub conditione tradi potest.*

12 *Ex cursu têporis & patientia conditio præsumitur impleta, quæ & ante, et post adeptam possessionem impleri potest.*

13 *Facilius præsumitur qualitas quàm substantia.*

14 *Relatio habita ad statuta in actu facto intelligitur de statutis, quæ actus non repugnant.*

15 *Contrahentes censentur sese conformare cû statutis loci, in quo contrahitur.*

DECISIO CCLXIV.

1 FVit resolutum, † in casu de quo agitur, non esse locum actioni spolij, cum Bonifacius ceciderit facto suo, vt apparet ex instrumento dationis insolutum, *Paris. côs.* 1. *num.* 164. *in* 1. *vol. Socin. in l. rem qua nobis. num.* 8. *de acquir. poss. Rip. c. sæpe. nu.* 17. *de restit. spol. Grat. cons.* 50. *num.* 13. *lib.* 1. *cum infinitis alijs, qui adduci possent.* *Non praeter decis. habetur Iam impress. Dioec. nouiss. 242. part. 2.
2 obstat, quòd † datio ista insolutu videatur conditionalis propter illa verba, iuxta æstimationem fiendam &c. *l. fin. C. de contrah. empt. faciunt tradita per Alex. cons.* 33. *lib.* 6. *Curt. iun. cons.* 244. *lib.* 3. *Neuiz.* 38. *num.*
3 25. *Couar. pract. c.* 3. *num.* 6. Primo † quia id procedit, vbi adest totalis incertitudo, tam ratione quotæ, quàm ratione loci, vt satis declarant *Dec. consil.* 179. *num.* 3. & *Paris. cons.* 59. *num.* 15. *lib.* 1. tunc enim dici non potest aliquid venditum: In casu autem isto adest certitudo rei, quę datur insolutum circumscribendo eam suis finibus: Adest etiâ certitudo pretij, nêpe pro quâ-
4 titate debita: † Æstimatio verò respicit nô dationê insolutû, sed vel refusionem pecuniarû, si pluris; vel supplemêtum in Vinea, si minoris æstimetur; & hoc idem sensisse videtur *Neuizan. d. cons.* 38. *num.* 26. Se-
5 cundo † respondetur, quòd ista datio insolutum est pura, cum incipiat à nomine designâte certam speciem & corpus determinatum; ideo quod sequitur de æstimatione, non facit contractum conditionalem; vt in
6 simili, † quòd non dicatur venditio facta

*Ad hoc vid. Curt. iun. in allegat. cons. 244. qui f ter minis videtur hunc casum decidere.

ad

ad mensuram, quando incipit à certo & determinato corpore, tradit *Alex. cōs. 120. n. 9. lib. 2. & cons. 8. lib. 4. vbi sub num. 8.* dicit mentem contrahentium esse inspiciendam: si ergo inspiciamus mētem Bonifacij, ea fuit omnino domū pro concurrenti quātitate insolutum dare; siue plus, siue minus
7 valeret sūma debita; ergo † æstimatio, quæ non ad effectum dationis insolutum, sed ad effectum refusionis fieri debebat, non fecit contractum conditionalem, hoc enim esset contra mentem contrahentium. Tertio
8 † allegata in contrarium procedunt, vbi nō
9 est sequuta traditio; sed hic adest † duplex traditio, nempe ficta per cōstitutum, & vera per apprehensionē procuratoris ad hoc cōstituti; & hoc sine difficultate procedit, *iuxta doctr. Ang. & Castr. in l. 2. C. de peric. & commod. rei vend. quos sequitur Corn. cons. 50. num. 11. lib. 1. Dec. d. cons. 179. num. 3. Paris. 59. num. 20. lib. 1. Couar. d. c. 3. pract. num. 6. qui in specie sequitur Ang. & Castr. aduersus Curtium*, licèt limitet id non procedere in ficta traditione. Quarto, dato etiā quòd contractus iste esset conditionalis: ta-
10 men † alleganti non fuisse impletam conditionem incumbit onus probandi; cum
11 † etiam ex contractu cōditionali transferratur possessio, quæ sub conditione tradi potest, *vt latè per Tiraquel. de constit. part. 2. limitat.* 17. Conditio itaque non facit, vt non fuerit translata possessio in Capizucchum. Ideo si Ioachini prætendunt spoliū, debent ipsi allegare, & probare non implementum conditionis. Quinto, in omnem
12 euentum † ex cursu tanti tēporis & patiētia Dominorum de Ioachinis præsumitur impleta conditio, quæ nedum ante adeptā possessionem, sed etiam postea impleri potuit, & pro hac præsumptione faciunt ea, quæ sub die 25. Octobris 1574. fuerunt per Dominos considerata pro præsumptione dationis insolutum, & subhastationis, quæ
13 multo magis procedunt in casu isto, † cum non agatur de præsumenda substātia dationis insolutum, sed de qualitate in huiusmodi contractu apposita. Nec obstat alia conditio ratificationis; quoniam ea est se-
14 quuta, † & licèt habeat relationem ad statuta: tamen pro validitate actus intelligēdum est de statutis, quæ actui non repugnabant, *l. quoties. de reb. dub.* sed & dici potest dationem insolutum non exclusisse statutū
15 illud de tertio pluris, † cum contrahentes censeantur sese conformare cū statutis loci, in quo contrahitur, *Bald. l. si duo. de acquir. hared. cum simílib.* Et ex his conclusū non cōpetere D. Ioachinis actionē spolij.

Romana Prælationis.
Die Veneris 7. Octobris 1575.

SVMMARIVM.

1 *Inductio testis non operatur approbationem personæ respectu examinis præcedentis.*
Item non operatur approbationem personæ, quando testis est pars, & habet interesse in causa. vt num. 3.
Idem est etiam si interesse superueniat post approbationem. vt num. 5.
2 *Approbatio testis trahitur ad futurum tantum examen non ad præteritum.*
4 *Quis non debet esse testis & pars in causa.*

DECISIO CCLXV.

Domini non fuerunt concordes; nam aliqui reijciebant limitationem, quæ
1 dabatur pro D. Hieronymo, quòd † inductio * non operetur approbationem personarū respectu examinis præcedentis, ponderando, quòd si ratio esset vera, vt inspici debeat tempus examinis, cōcluderet, contra *tex in*
2 *l. si quis testibus.* [a] qui vult, † vt approbatio trahatur ad futurum examen, sed cum nulla adsit differētia rationis, volebant approbationē trahi ad vtrunque tempus stātibus etiam auctoritatibus allegatis *Neuizani; Petri de Barb. & Duena.* [b] Aliqui verò hac limitatione omissa ponderabant aliam,
3 quæ datur, † vt approbatio non censeatur facta, ex eo quòd illi sunt partes, & habent
4 interesse in causa: † repugnat autem, quòd quis sit pars & testis, & ad hoc inducebant *Innocent.* [c] *& Alberic. allegatos*; quibus tamen aliqui respondebāt casum Innocentij
5 & Alberici esse diuersum, ibi † namq. superueniebat illa exceptio post approbationē, qui casus est exceptus *in d. l. si quis testib.* sed rursus vrgebatur exaduerso ex simili, arbitri, sumpto ex allegata *decis. Crescentij* 1. Ideo fuit ordinatum, vt omissis cęteris limitationibus, restringerem dubium ad hoc; An ista nominatio facta per D. Hieronymū operetur talem approbationem, vt testes, qui in causa propria deposuerunt, approbati censeantur.

*Inductio testis in dubio operatur approbationem personę illius c. præsentiā, vbi glos. & Doctor. de testibus. Bald. cōs. 150. lib. 3.

a l. si quis testib. C. de testibus.

b Duenas 2. par. reg. n. 66. Petr. de Barb. inter cōs. matrim. cons. 14. n. 20. Neuiz. cons. 47. n. 3.

c Innoc. in c. 1. de test. & Alberic. in trac. de testibus. c. 4. n. 56.

Pacen. Capellaniæ.
Die Lunæ 10. Octobris 1575.

SVMMARIVM.

1 *Substitutio facta duobus coniunctim non habet locum, nisi sequuta morte vtriusque; nisi militet validior præsumptio in contrarium. vt num. 6.*
2 *Dictio pluralis, eorum, non potest verificari in vno tantum, sed in omnibus expressis verificari debet.*
3 *Filius, seu persona in medio posita, quæ ab ab intestato succedit, excludit substitutū.*
4 *Quando sub vna & eadem oratione substitutio facta est pluribus, pluralitas non resoluitur in singularitatem.*
5 *Ecclesia interest pauciores habere patronos; & ideo interpretatio in eius fauorem est facienda.*

7 *Extēſio ſit ex coniecturata mēte; quando caſus omiſſus eſt omnino ſimilis expreſſo.*

DECISIO CCLXVI.

praeſ. decis. habetur 1 im preſſ. diuerſ. nouiſſ. 348. part. 6.

CAuſa fuit diligenter diſcuſſa, & circa
primam difficultatē, an ſit locus ſub-
ſtitutioni filiorum & deſcendentium Dida-
ci per obitum Petri ſine filijs, nō expectata
morte Ariæ, ſtantibus verbis teſtatoris, quæ
ita ſe habēt, quòd ſi Petrus & Arias filij ſui,
patroni relicti Capellaniæ, de qua agitur, nō
habuerint filios, eorum loco ſuccedant filij,
& deſcendentes nepotis ſui Didaci de Aze-
uedo, Domini inclinabant contra informā-
tem ex pluribus. Primo *ex doctr. Bart. in l.
quidam teſtamento. num. 4. & 5. de vulg. &*
1 *pup.* vbi vult quòd † quādo quis ſubſtituitur
duobus, expectanda eſt mors vtriuſque; ma-
ximè ſi cōcurrat coniectura coniunctionis,
vtpotè, quia eſſent inſtituti filij, hæc enim
facit, vt coniunctus excludat ſubſtitutum; &
iſte eſt caſus noſter, cum Petrus & Arias in-
ſtituti, eſſent filij teſtatoris; quæ viſa eſt vr-
gens coniectura cōtra ſubſtitutos: maximè
propter clauſulam, eorum loco ſuccedant,
quæ eſt concepta per dictionem pluralem,
2 eorum, † quæ non poteſt verificari vno tā-
tum decedente. Secundo deducebatur *do-
ctrin. quam communiter tenent Doctores in
l. heredes mei. §. cum ita. ad Trebell. & refert*
3 *Gozzad. conſ. 64. num. 5.* quòd † cum hic
adſit perſona, quæ ab inteſtato excluderet
filios Didaci; nempe Petrus, Ariæ filij teſta-
toris filius; is ex præſumpta mēte defuncti
excludit ſubſtitutū, facit *tex. in l. Publius.
§. Titia. de cond. & demon. Aym. conſ.* 161.
num. 5. & hanc coniecturam adiuuat, quòd
non ſolū filij fuerunt primo vocati, ſed etiā
eorum deſcendentes, & ita Petrus expreſsè
eſt vocatus. Quod etiā corroboratur ex eo,
quòd in alijs gradibus ſubſtitutionum voca-
uit proximiores. Tertio *ex eodem §. cum
ita.* Doctores aliam eliciunt concluſionē,
quæ facit ad præſentem inſpectionem, quæ
4 eſt, quòd † quando ſub vna & eadem ora-
tione facta eſt ſubſtitutio pluribus, plurali-
tas nō reſoluitur in ſingularitatem, *Zaneb.
ibidem num.* 893. Et hanc ſententiam quar-
to confirmabant *ex doctr. Io. And. in c. no-
bis. in verb. conſtruxerit. de iurepatr. quam
refert Lambertin. de iurepatr. lib. 1. artic.* 12.
5 1. *quaſt. princ. fol. mihi* 9. nempe † quòd ſit
facienda interpretatio in fauorem Eccleſiæ,
cuius intereſt habere pauciores patronos,
Dec. conſ. 149. *num.* 4. Ex his tolli videban-
tur ea, quæ doctè & ſubtiliter conſiderauit
Dominus Ceraſius, cum allegata per eum
6 videantur locum habere, † vbi in contra-
riū non militet validior præſumptio; prout
ea eſt, quæ oritur ex cōiunctione per ſupra
deducta; nam illud, quòd teſtator voluerit
adeſſe ſemper tres patronos, non videbatur
ita explicitè dictum à teſtatore; vt non po-
tius videatur ita euentualiter diſpoſuiſſe,
quàm talem formam præcisè præſcripſiſſe.
Quantum verò ad perſonam D. Io. de Leg-
uizano, an ſit compatronus, Domini habe-
bāt eum pro indubitato patrono, & ex hoc
capite erant pro informante, concurrente
approbatione Ordinarij, nam licèt huic ca-
ſui non fuerit expreſsè per teſtatorem pro-
uiſum, cum Alphōſus Perez tertius patro-
7 nus non nominauerit: Tamen † vbi caſus
omiſſus eſt omnino ſimilis expreſſo, ex con-
iecturata mēte fit extenſio, *Dec. l. ſi mater.
num. 2. C. de inſtitut. & ſubſtit. Tiraq. de re-
tract. lign. §. 2. gloſ. 1. num. 19. & §. 20. gloſ.
unic. num.* 11. *Dec. conſ.* 227. *in fin. Aym. cōſ.*
326. *num.* 8. Ideo ex hoc capite putabant
cauſā poſſe decidi: Sed ego adhuc amplius
deliberandum cenſeo; ſi enim ex priori ca-
pite Michael præſentatus à Ioanne obtine-
re non poteſt, ex eo quòd iuspatronatus nō
ſpectabat ad filium Didaci de Azeuedo; vi-
detur ſequi, quòd iure accreſcēdi Petrus fi-
lius Ariæ habuit duas voces; & per conſe-
quens præſentatus ab eo eſſet præferendus.
Sed etiam circa primam partem mihi vide-
tur maximè veriſimile, quòd teſtator volue-
rit ſemper adeſſe tres patronos, quæ conie-
ctura, ſi in facto ſubſiſteret, fortaſſe contraria
opinio, quam defendit Dominus Ceraſius
eſſet verior; Ideo ſuper omnibus cauſam
iterum proponam.

Nullius, ſeu Bellicaſtren. Aſſertæ penſionis.
Die Lunæ 24. Octobris 1575.

SVMMARIVM.

1 *Facultas ordinaria Auditoris Cameræ non intrat, vbi non ſunt præſentatæ litteræ penſionis in agendo pro ea conſequenda; ſed tali caſu neceſſaria eſt commiſſio.*

2 *Litteræ retentionis non ſuffragantur agenti ad penſionem, ſi non conſtet de litteris pēſionis, quia alia eſt penſio, alia retentio.*

3 *Diuerſa ſumma facit, vt penſiones omnino ſint diuerſæ.*

4 *In maiori ſumma minor ineſt; fallit tamē quando ſummæ diuerſitas conſtituit ſpecierum diuerſitatem.*

DECISIO CCLXVII.

PRo nullitate redintegrationis monito-
rij, ex pluribus: Primo, quia cum Au-
ditor Cameræ ſit iudex exequutor littera-
1 rum Apoſtolicarum, † & nō fuerint præſen-
tatæ litteræ expeditæ penſionis, de quà agi-
tur, ſed ſola ſupplicatio; vtique non potuit
neq; vigore litterarū procedere, neq; vigo-
re obligationis, cum Bernardinus ſit ſucceſ-
ſor; ideo opus erat commiſſione; cum non
intret facultas ordinaria. Secundo, quia
non fuit iuratum de calumnia parte inſtā-
te, *Put.* 397. *lib.* 2. *incip. in vna Paduana.*
Tertio, quia non fuerunt repetiti termini
ſub-

substantiales *Cassad.8. de rescript.* Nō obstat. quòd † fuerint productæ litteræ retentionis, quia nihil operantur, nisi constet de litteris pensionis, *ad cons. 33. Aym. n. 20.* præterea alia est pensio, alia verò retentio; cum facultas retinendi canret de pensione 45. ducatorum, pensio verò sit ducatorum 25. & licèt nō fuerit per Dominos firmatū, quòd hæc retentio non suffragetur: tamen fuit in hac partem vehementer inclinatum per Dominos *per cap.eni de non sacerdotali. de prabend. in 6. iunctis his, qua tradunt Doctor. & maximè Alciat.in l.1. §. si stipu-*

3 *lanti. de verb.oblig.* † diuersa enim summa facit, vt pensiones omnino sint diuersæ. Ne-

4 que hic locum habet regula, quòd † in maiori minor inest, quando summæ diuersitas constituit specierum diuersitatem: Et hæc maximè procederent, si monitorium contineabat terminos decursos tempore antecessoris: nam etiam præter nullitatem contineret notoriam iniustitiam.

Portuensis Bonorum.
Die Veneris 4. Nouembris 1575.

SVMMARIVM.

1 *Gratia Principis semper intelligitur concessa sine præiudicio tertij.*

2 *Primogenitura ratione publica vtilitatis, dicitur introducta; & habet multa specialia; & circa eam laxior est Principis potestas.*

3 *Princeps ignorans præiudicium, quod in concessione primogenitura potest alijs fieri, intelligitur ex sola tātum iuris communis dispositione gratiā facere; aliàs secus, etiam quòd alijs vicibus super eadē primogenitura cum clausula ex certa scientia rescripsisset.*

4 *Princeps propter multiplicitatem negociorum præsumitur obliuisci id, de quo alijs vicibus rescriptum fecit.*

5 *Clausula, ex certa scientia & similes, operantur tantum circa ea, qua sunt iuris, non autem qua sunt facti.*

6 *Filij, qui non sunt primogeniti, acceptando primogenituram, & ea vtēdo sibi præiudicant non tam ex Principis dispositione, quàm ex ipsorum consensu.*

7 *Gratia etiā in præiudicium tertij tenet, ipso tertio volente; etiam si voluntas superueniat post gratiam.*

8 *Gratia in præiudicium tertij tenet, quando est indiuidua; secus est, si sit diuidua, & contineat diuersa capitula.*

9 *Acceptatio ex vsu colligitur.*

10 *Acceptatio gratiæ præiudicialis acceptanti non extenditur, si sit diuidua, ad ea capita, ad qua vsus & exequutio non se extendunt.*

11 *Interpretatio fieri debet, itaut excludatur renunciatio.*

12 *Gratia obtenta super pacto inter partes super primogenitura inito, acceptata ex vsu sequuto, nō potest postea impugnari respectu rescripti etiam obreptitij; & nullitas dicitur contrauenire, & committitur pœna in pacto apposita.*

DECISIO CCLXVIII.

Causa fuit diligenter per Dominos discussa, quamuis propter varias difficultates nō potuerit haberi resolutio; Nam aliqui ex Dominis constituebant regulam,

1 quòd † gratia Principis censeatur concessa sine præiudicio tertij, *l. nec auus. C. de mācip. lib. cum cæteris, qua pro hac parte per informantes allegantur;* Aliqui verò quamuis regulam concederent; Tamen dubitabant, an procedat indistinctè etiam in materia

2 primogenituræ, † quæ cū videatur ratione publicæ vtilitatis constituta, habet multa specialia, & circa eam videtur laxior potestas Principis, vt colligi potest *ex cons. Castren. 179. num. 3. lib. 1. Ias. 236. lib. 2. & 107. lib. 4. N ett. 475. & 511. Roland. qui alios refert cons. 16. num. 1. lib. 3.* Quibus in locis non videntur Doctores multum ponderare, An Princeps intellexerit, vel non, præiudicium, quod ex primogenituræ concessione alijs fieret: Ijdem quoque Domini, qui firmabant dictam regulam, dice-

3 bant, † eam intelligendam, non de præiudicio, quod fieret attenta sola iuris communis dispositione, hoc enim respectu dicebant gratiam non esse limitatam, cum Princeps habeat iura in scrinio pectoris, sed intelligendam respectu pacti à Principe verisimiliter ignorati; etiam quòd alijs vici-

4 bus super eo rescripsisset, cum † propter multiplicitatem negociorum præsumatur obliuio, *vt pluries fuit in Rota decisum, vt luti in vna Taruisina Pensionis, coram bon. mem. Oradino, & in illa Roman. Officij Camerariatus, coram R. P. D. Cotta.* * Neque volebant huiusmodi scientiam suppleri posse ex clausula, ex certa scientia, cum * sub die 15. Iunij 1569.

5 Rota indistinctè teneat † hanc clausulam cum alijs similibus operari tantum circa ea, quæ sunt iuris, non autem circa ea, quæ sunt facti, *Curt. sen. cons. 49. num. 34. Socin. iun. cons. 77. num. 105. lib. 1. Roland. qui alios refert. cons. 7. num. 105. lib. 3.* Sed difficultas oriebatur, An respectu Illustrissimi Domini Iulij Cæsaris posset dici, limitatam esse gratiam; Aliqui enim censebant etiam suo respectu esse limitatam, & proinde acceptationē quoque, quæ ex vsu tātum coq. limitato, nempe tituli Principatus colligitur, *Aym. 135. num. 15. cum alijs per informantes allegatis.* a Alij verò existimabant Illust. D. Iulium Cæsarem non posse a Socin.cons. 159. n.5.vol.2. & Ruin.cons. 41.n. 1. l. 5. Cu.... 13. 2. ... queu

6 considerari vti tertium, † & cum gratiam ipse acceptauerit, ea vtendo, ipsum sibi præiudicasse, quod quidem præiudicium, non

tam

tam ex Principis dispositione quàm ex ip-
sius consensu oriri videtur, & ad hoc cita-
bant, *Paris. cons. 76. num. 14. cum seq. in 4. & Socin. 115. lib. 3.* quod maximè quibus-
dam placuit ex alia ratione; nam videntur
7 Doctores in hoc consentire, quòd † gratia
etiam in præiudicium tertij teneat tertio
volente, etiam si superueniat voluntas post
gratiam, *Dec. allegat. in cap. super eo. num. 16. de off. delegat. & ibi Ant. de Butr. num. 15. Abb. ibid. num. 5. Imol. num. 10. Barbat. num. 27. cum seq.* Tenentes tamen
istam opinionem, eam intelligebant cum
8 præsupposito, quòd † gratia ista, de qua
agitur, esset indiuidua, super quo volebāt,
vt particulariter dubitaretur, Domini ve-
rò, qui contrarium sentiebant, votabant cū
præsupposito, quòd gratia esset diuidua, &
contineret diuersa capitula; & ideo dice-
9 bant, quòd vbi † acceptatio ex vsu colligi-
10 tur, vt in casu isto, † non debemus extende-
re acceptationem ad ea capita, ad quæ v-
sus & exequutio non se extendit, *Aym. 197. num. 12. Cremen. singul. 115. cum alijs per informantes allegatis.* [b] *Ad cons. Paris. & Socin.* respondebant gratiam ex illo thema-
te non fuisse limitatam, prout præsuppone-
batur esse in casu nostro; Præterea dicebant
11 † interpretationem fieri debere, itant ex-
cludatur renunciatio; sed hæc ratio quibus-
dam non placebat, cum hic non tractetur
12 de renunciatione, † sed an fuerit contrauen-
tum pacto, quo vult se iuuare Illustrissimus
D. Iulius Cæsar, quo casu etiam si rescrip-
tum sit obreptitium & nullum, nihilominus
impetrans dicitur contrauenire, & cōmit-
titur pœna, fuerunt allegati *Cyn. in l. fin. num. 4. vers. vlterius. C. si contr. ius vel vtil. publ. Alber. in l. quoties. de precib. Imper. offer. & in l. si quis maior. num. 2. C. de transact.* & ideo non esse hic multum curā-
dum, An concessio teneat, vel non teneat in
præiudicium tertij, sed An eam acceptan-
do sit contrauentum, quod ex eo pendet, An
gratia sit diuidua vel indiuidua; Ideo Do-
mini ordinarunt, vt cæteris omissis restrin-
gam dubium ad hanc difficultatem.

b Adde Dec. in cap. sollicitudine. de appellat.

Romana Turris bubalariæ.
Die Lunæ 7. Nouembris 1575.

SVMMARIVM.

1 *Pactum appositum contra substantialia census vitiat contractum, cum deficiat consensus.*

2 Remota *substantia actus remouetur ipse actus.*

3 *Pactum, quòd non est contra substantialia contractus, sed circa accidentalia, quamuis sit illicitum, vitiatur, sed non vitiat contractum.*

4 *Textus in l. cum precario. de precar. quomodo procedat.*

DECISIO CCLXIX.

1 FVit conclusum, † pactum, de quo agi-
tur, vitiare contractum census, *per regul. cap. fin. de cond. appos. cum ibi notat. l. per seruum. §. fin. de vs. & habit. Bald. in l. si pater. de adopt. Bart. l. 2. num. 7. C. de iur. emphyt. Doctor. in Auth. ingressi. C. de sacrosan. Eccl.* & huius conclusionis inter
cæteras potissima ratio est illa, quam tra-
dit *Bald. in c. 1. §. fin. num. 7. per quos fiat. inuestit.* quia pactum hoc in ipso contractu
census appositum tendit ad perimendum
2 ipsum actum, † cum sit contra ipsius actus
substantiam; qua remota remouetur ipse
actus, *Abb. in d. cap. fin. num. 4.* Deficit
enim consensus, qui requiritur pro substā-
tia ipsius actus; adeo quòd videtur, vel
quòd partes voluerint facere actum eluso-
rium, *l. an inutilis in princ. de acceptilation.* vel quòd voluerint in aliam speciem
contractus consentire, vt in casu proposito;
in quo potius videtur, quòd voluerint con-
tractum pignoris, quàm fœneratitiū à iure
reprobatum constituere, *vt per laurent. de Rodulph. tract. de vsur. part. 2. q. 61. Guid. pap. singul. 477.* [*] *cum alijs per informant. allegatis,* † vbi verò pacta nō sunt cōtra sub-
3 stantiam, sed circa accidentalia, tunc quā-
uis sint illicita, vitiantur & non vitiant;
consensus enim circa substantiam contra-
ctus non deficit. Non obstat tex. *in l. cum*
4 *precario. de precar.* tum quia † pactum il-
lud est potius contra naturalia contractus,
quàm contra substantiam, vt multi ex Do-
minis tenuerunt; tum etiam quia non
procedit, vbi pactum facit, vt contractus
in aliam speciem transeat, qui est casus no
ster, ita *post Bart. in l. vbi ita donatur. de donat. caus. mort. tradunt scribentes in Authen. ingressi. C. de Sacrosanct. Eccles. Dec. cons. 293. in fin. Cagnol. in l. contractus. n. 10. de regul. iur.* An verò venditio & reli-
qua in instrumento, de quo agitur, conten-
ta, corruant, erit particulariter dubitan-
dum. a [a] qui pendens sub die Lunæ 6. Februarij 1576. resolutus fuit in hæc verba. Stantibus præsuppositis, de quibus in pendo, Domini tenuerunt, contractū venditionis non teneret.

præsens decis. habetur i im press. diuers. nouiss. 144. & 300. part. 2.

*Adde Bald. cons. 487. in princ.

Calaguritana Matrimonij.
Die Lunæ 14. Nouembris 1575.

SVMMARIVM.

1 *Verba illa, promitto me non accipere aliam uxorem &c. iuncta responsione mulieris consentientis, important matrimonium de præsenti, vt est communis opinio, maximè si concurrat tractatus, vt num. 2.*

3 *Testes concordantes in substantia probant, licèt de formalibus verbis non conueniant, maximè si se non restringant ad illa verba dicendo, quòd sint formalia & expressa verba, & hoc multo magis*

proce-

procedit in causa matrimoniali.

4 *In causa matrimonij attenditur consensus, non autem verborum formalitas.*

5 *Testis se referens ad id, quod in priori examine dixit, probat.*

DECISIO CCLXX.

presēs decis. habetur I in press. diuers. nouiss. 410. part. 1.

Fvit resolutum sufficienter probari matrimonium, de quo agitur, ex dicto duorum testium, nempe Martini Abbad & Sā-
1 ctij Petri, † eum ex communi sententia Doctorum, verba illa, promitto me non accipere aliam vxorem &c. iuncta responsione mulieris consentientis, importent matrimonium de præsenti, *Io. Andr. Card. Abb. & Prapos. in cap. ex parte. de sponsal. Ias. in l. actione. num. 4. de transaction. & ibidem Dec. de communi, Prapos. ibid. Alex. de Neuo. cons. 8. num. 4. Io. Baptista Ferret. cons. 79. num. 8. Couar. in Epitom. par. 2. cap. 4. §. 1. num. 6.* quam opinionem tenuit Rota, *vt per Caputaq. decis. 63. lib. 1.* & licèt multi per eundem Couarr. allegati, & ipsemet teneant contrarium; tamen noluerunt Domini recedere à communi sententia, maximè in hoc casu, in quo plura concurrunt, prout per informantes; & præ-
2 sertim † tractatus per eosdem testes probatus, *Natt. qui alios cumulat cons. 150. num. 3. cum alys.* * Difficultas, quæ ex ad-
3 uerso fit in eo, quòd † interrogati de verbis formalibus non conueniunt, visa fuit leuis ex rationibus aliàs consideratis per Dominos *in causa Rothomagen. coram Domino Sarmiento. 15. Martij 1563.* cum isti testes concordent in substantia, *iuxta cons. Grammat. 50. num. 42. & 44. inter consil. ciuilia*; nam illa verba, promitto vobis, sunt etiam apta comprehendere ipsam Mariam; & ita discordia est modica, & testes vnò se expresè restrinxerunt ad verba, dicendo illa fuisse expressa & formalia verba, *Corn. cons. 172. num. 17. lib. 2.* maximè eum fi-
4 mus in causa matrimoniali, † in qua consensus non autem verborum formalitas attenditur. Nec placuit obiectio, quæ exad-
5 uerso fit contra hoc examen, † ex quo se retulerit ad prius examen, quia sæpius Rota contrarium firmauit, approbando *doctrinam Bart. in l. eos. num. 6. ad leg. Corn. de fals. & Alexād. & aliorum, in l. legata inutiliter. de legat. primo. & in specie fuit firmatum coram me in vna Toletana portionis 17. Nouembris 1567.* a

* Archidiac. in c. si quis diuinis. 30. q. 5. & ibi Turrecrem. Dec. in l. actione. n. 7 C. de trāsact. Special. de spōsal. in princ. n. 3. Io. Brun. tract. de spōsal. & matr. concl. 13. n. 5. Natt. in allegat. cons. 150 n. 3. lib. 2. & de communi Io. Bapt. Ferret. in cons. 383. n. 23. lib. 2.

a * Vbi ita resolutum fuit per hæc verba precisa. Testes satis sufficienter conueniunt interrogatorio, dummodo vbi se referunt ad aliud examen saltem implicitè possit colligi ex eo responsio ad interrogatorium.

Romana de Salamonibus.
Die Lunæ 14. Nouembris 1575.

SVMMARIVM.

1 *Qui non est legitimus contradictor, non potest impedire immissionem in possessionē.*

2 *Possessio fideicommissarij non capta de manu hæredis dicitur vitiosa.*

3 *Possessio fideicommissarij capta vacante hæreditate dicitur vitiosa secundum communem opinionem; nisi habeat à testatore licentiam, illam propria auctoritate capiendi. & num. 4.*

5 *Immissio impediri non potest hæredi, quādo venit aliquid detrahendum de iure; etiam si fideicommissarius esset possessor sine vitio.*

6 *Legitima de iure cōmuni reijcit omne onus.*

7 *Statutum excludens fœminas dotatas dicitur excludere fauore masculorum tantū.*

8 *Dubium iuris intricati, & controuersi æquiparatur dubio facti.*

DECISIO CCLXXI.

presēs decis. habetur I in press. diuers. nouiss. 505. part. 1.

1 Fvit resolutum † Illust. Dominam Victoriam non esse legitimam contradictricem ad impediendum, quominus Illust. Domina Virginia immittatur in possessionem tertiæ partis bonorum, de quibus agi-
2 tur. Primo, quia † eius possessio est vitiosa, cum non sit capta de manu hæredis, prout oportuit, *Dec. l. fin. C. de edict. diu. Adr. toll. num. 48. & ibi Zuccard. num. 379. add Dec. cons. 84. col. 2. vers. similiter. & consil. 424. num. 14. in fin. Roland. qui alios cumulat consil. 78. num. 14. lib. 3. & hanc opinionem tenuit Rota, vt per Put. decis. 3. de testam.* * Nec obstat, quod dicitur exaduer-
3 so, † possessionem captam vacante hæreditate non esse vitiosam, *per cons. Alciat. 27. tom. 3. lib. 9. aliàs 350.* quia hæc sententia est non solùm contra communem opinionem, sed etiam contra auctores per ipsum allegatos, nam *Paul. de Castr. quem ipse allegat in l. non dubium. C. de legib.* contrarium expressè probat. Nec etiam obstat *decisio coram me in Vrbeuetan. Castrorum. sub die 4. Februarij 1568.* quia tunc fuit illud obiter dictum, & allegatus *Franc. Balb. in repet. l. Celsus. num. 22. de vsucapion. qui allegat Bald. & Alexand. in l. fin. C. de edict. diu. Adr. toll.* qui expressè vo-
4 lunt, quòd, † vt possessio non sit vitiosa, fideicommissarius habeat à testatore licentiam capiendi possessionem propria auctoritate; sed quia allegabatur in illa causa, Dominum Lucam non esse in possessione; Ideo maluerunt Domini amplecti viam facti quàm viam iuris. † Secundo Domina
5 Victoria non potest impedire immissionem, quia aliquid venit de iure detrahendum, ita *post Bald. Castr. & Alex. tradit Zuccard. d. l. fin. n. 426. cum seq. Boer. q. 156. num. 2. & 3.* qui tradit hoc procedere, etiam si fideicommissarius esset possessor sine vitio, *Idem Roland. d. cons. 78. num. 21.* Nec obstat, quod exaduerso dicitur, nihil venire detrahendum, quia hoc patitur multas difficultates; nam cum sit suspensum

* In nouiter impress. est de cis. 129. lib. 2.

peti-

petitorium, licèt aliquid ſit probatum pro
parte Dominæ Victoriæ: tamen cum probatio
probationē non excludat, poſſet Domina
Virginia, vel contrarium probare, vel quippiam aliud releuans; & non eſt dubium
legitimam deberi, & licèt prætendatur dotem ſuccedere loco legitimæ, hoc nō
facit, quin ea ſit detrahenda, quamuis veniat in ea computanda dos. Nec obſtat,
quòd teſtator voluerit Cleliam & ſororem
6 eſſe contentas dote, quia † de iure communi legitima reijcit omne onus, *l. quoniā
in prioribus. C. de inoff. teſtam.* & ſtatutum videtur fauore maſculorum tantum excludere
ſorores & nepotes. Præterea venit etiam detrahēda legitima alterius ſororis,
& ex his offuſcatur id, quod ex aduerſo prætenditur, doctum fuiſſe de iure fideicommiſſarij,
& de non iure hæredis; nam etiam reſpectu fideicommiſſi, res habet magnam in
iure difficultatem; Ideo ſuccedit, quod dicitur, dubium iuris intricati, & controuerſi
æquiparari dubio facti, *Capic. decis. 10. num. 19.* hic verò tam in facto, quàm in
iure plures ſunt difficultates, & conſequenter non poteſt applicari huic caſui cōſilium
Corn. 232. circa fin. lib. 4. quia dato, quòd vera ſit eius opinio, hic præter aliàs incertitudines
adeſt etiam illa, quòd hæreditas non in pecunia numerata, ſed in corporibus
hæreditarijs conſiſtit; & ideo certitudo, quam ipſe conſiderat, haberi non poteſt.
Cætera, quæ in contrarium allegantur, facilè ex deductis confutari poſſunt.

Romana Caſalium de Maximis.
Die Mercurij 16. Nouembris 1575.

SVMMARIVM.

1 *Contractus talis dici debet, qualem partes denominarunt.*

2 *Ex quantitate ſolutionis arguitur, an ſimus in contractu locationis vel emphyteuſis, quia ſi eſt proportionata ad fructus eſt locatio; ſi verò ſit quid modicum, eſt emphyteuſis, vt num. 3. Et hæc eſt fortior coniectura cæteris coniecturis, vt num. 4.*

5 *Contractus emphyteuticus potius eſt gratuitus quàm oneroſus.*

6 *Pactum, quòd propter bellum, vel quid aliud poſſit res reſtitui, repugnat emphyteuſi, & conuenit locationi.*

7 *Penſio, quæ pro contractu ſoluitur, etiam conſtituta in ſpecie, vt puta in grano & feno, non facit, quin contractus ſit locationis, quando certa eſt quantitas, quæ ſoluitur, & quæ non conſiſtat in aliqua quota fructuum.*

8 *In locatione ad longum tempus transfertur vtile dominium; ſecus eſt in locatione ad breue tempus.*

DECISIO CCLXXII.

Præſens decis. habetur 1 in perss. diuers. nouiſſ. 364. par. 1.

DOmini non dubitarunt, hunc contractum, de quo agitur, eſſe contractum
locationis ad longum tempus, & non emphyteuſis, ex pluribus: Et primo † ex denominatione
1 partium, quæ tam in contractu, quàm in confirmatione obtenta ſemper
nominarunt hunc contractum locationis, *Bart. in l. cotem. §. qui maximos. ff. de publ.
& vectigal. Oldrad. conſ. 159. Aretin. conſ. 55. in princ. Dec. 305. in princ. Aym.
conſ. 2. Natt. 49. num. 13. Clar. §. emphy-*
2 *teuſis. quæſt. 1. num. 3.* Secundo † attenta origine, & penſionis quantitate; quia
cum prius eadem caſalia eſſent locata ad nouem annos pro ducatis annuis 260. inſuper
rubijs quindecim grani, decem hordei, quæ quidem erat vera locatio, poſtea fuit
deuentum per partes ad hanc locationem ad tertiam generationem cum augmento
penſionis; nempè pro ducatis annuis 290. Rubijs quindecim grani, decem hordei, &
centum decem ſalmis feni, & inſuper fuerunt mutuo dati trecentum ducati excomputandi
in pēſionibus decurrendis; ita quòd
3 apparet, † penſionem conuentam eſſe proportionatam ad fructus caſalium, & ita nō
eſſe emphyteuſim, cum pro canone emphyteutico ſoluatur quid modicum, *vt per Doctores
in l. 2. C. de reſcind. vend. Io. Andr. in addit. ad Specul. de empt. & vend. §. nunc
dicendum. & de locat. §. 6. verſ. quarto.* Et iſtum eſſe verum modum cognoſcendi locationem
ab emphyteuſi, tradit *Bart. in l. 1. num. 4. & ibi Iaſ. num. 35. C. de iur. emphyt.
Doctores communiter in cap. potuit. de*
4 *locat.* † *Et Aretin. conſ. 55. num. 4.* dicit hanc eſſe fortiorem coniecturam cęteris
cōiecturis, *Bellon. conſ. 21. num. 18. Natta. qui de communi teſtatur conſ. 49. poſt n. 7.
Cagnol. in l. 2. n. 202. C. de reſcind. vend. Iul. Clar. d. §. emphyteuſis. quæſt. 1. propè*
5 *fin.* † eſt enim contractus emphyteuticus potius gratuitus quàm oneroſus, *Corn. 285.
num. 9. lib. 3. cum alijs allegatis.* Tertio
6 † quia adeſt pactum, quòd propter bellum vel abſentiam Pontificis poſſint Domini de
Maximis reſtituere Caſalia, quod repugnat emphyteuſi, & conuenit locationi, *Ruin.
conſ. 161. n. 22. lib. 1. Bero. 130. lib. 1. Rub. Alexād. l. Gallus. §. quidā rectè. n. 205. de lib. & po-*
7 *ſthum. Bellon. d. cōſ. 21. n. 8.* Nō obſtat, † quòd pro pēſione ſoluatur etiā granū & fenū, quia
nihilominus eſt locatio, vbi certa eſt quātitas, nō autē aliqua quota fructuū, *l. ſi olei. &
ibi Salic. C. locat. et in l. 1. n. 3. C. de iur. emphy.* Præterea attēditur id, quod præualet; & hic
cū penſio, quæ ſoluitur in pecunia numerata, longè excedat id, quod ſoluitur in grano
& feno, meritò denominatio ab eo eſt ſumē-
8 da, *Bart. in l. 1. §. 1. locati.* Nec obſtat † quòd in locatione nō transferatur dominiū, quia
pro-

procedit in locatione ad breue tempus, sed si sit ad longum tempus transfertur dominium vtile, *vt communiter tradunt Doctores in d. l. 1. C. de iur. emphyt.* Ideo cum hoc præsupposito, quòd iste sit contractus locationis ad longum tempus, erit videndum, An Dominus Horatius per alienationes pedicarum ab eo factas inciderit in cōmissum, itaut locus factus sit deuolutioni.

Romana Domus.
Die Mercurij 16. Nouembris 1575.

SVMMARIVM.

1 *Propter omissionem terminorum substantialium sententia redditur nulla.*

2 *Commissio signata cum clausula, prout de iure, non concedit facultatem summariè procedendi.*

3 *Stante nullitate sententiæ ante omnia expensa veniunt reficienda.*

DECISIO CCLXXIII.

1 FVit resolutum † sententiam esse nullam ex omissione terminorum substantia-
2 lium, † cum per signaturam, prout de iure, non fuerit concessus processus summarius, *ad cons. Dec. 483. col. 1. cum alijs allegatis.* * Alia nullitas respectu discussionis principalis non placuit Dominis, & eius respectu
3 steterunt in aliàs resolutis. * † An verò stante tali nullitate sint ante omnia reficiendæ expensæ; regula fuit cōstituta, quòd sic, contra Agnetem, *per decis. Put. 72. in causa Messanen. lib. 3.* Sed cum hic pro parte Agnetis non petatur confirmatio illius sententiæ, sed intentetur remedium Saluiani Interdicti; suspenso petitorio, quod in tali remedio suspendi potest, *ad cons. Gozzad. 10. num. 41.* erit videndum, an sit iudicanda ista tanquam diuersa causa, ita vt non impediatur Agnes, quin possit in ea procedere *iuxta decis. Chissanen. 103.* quod ex eo pendet, An ista iudicia cumulari possint, super quo cum Susanna non informauerit erit denuo disputandum.

*Felin. c. canonū statuta. n. 5. vers. at si dicatur. de rescrip. Rot. diuers. 263. & in nou. 28. de rescrip. & in antiq. 10. eodem tit. Bellā. 276 Crescent. 47. li. 1. secus est, si Signatura Cardinal. simpliciter diceret, Placet, quia tūc licèt Regēs omiserit de processu summario in extēsione, Signatura Cardinalis nō potest generali præiudicare, & extēsio potest quomodocūq; corrigi, vt per Cassad. decis. 7. de rescrip.

* sub die Lunæ 29. Martij 1574.

Romana Pensionis,
Die Mercurij 16. Nouembris 1575.

SVMMARIVM.

1 *L. si de certa. C. de transaction. quomodo procedat.*

2 *Quis non potest se iuuare concordia, cui contrauenit.*

DECISIO CCLXXIV.

FVit resolutum Lelium posse totam integram pensionem exigere, non obstāte concordia propter illam clausulam, seu illi modo aliquo contrauenirent, non enim potest impugnari pensio, quin impugnetur etiam concordia, quæ annullata pensione,
1 corruit. † Neque hic locū habet, *l. si de certa. C. de transactionib.* nam ea procedit, vbi quis opponit de transactione, & replicatur, super eo non fuisse transactum, & sic applicaretur, si Ioanne Laurentio pensionem impugnante Lelius exciperet de transactione; sed hic contra conuentionem in concordia appositam impugnat pensionem, & in consequentiam ipsam concordiam, & ita militat dispositio *l. cum proponas. & quod ibi notat Dec. in 3. notab. C. de pact.* scilicet,
2 † quòd Laurentius non possit iuuare se concordia, cui ipse contrauenit.

Prænestina Transactionis bonorum.
Die Lunæ 21. Nouembris 1575.

SVMMARIVM.

1 *Error regulariter annullat transactionem; secus est, quando error non est circa causam finalem transactionis.*
Item secus est, quando error non est euidens & clarus, vt num. 3.

2 *Dictio, quia, denotat causam finalem.*

4 *Error expressus ille dicitur, qui videri & legi potest.*

5 *Error in transactione ex pactis in ea appositis detegitur.*

6 *Assertio illa in transactione, quæ venit cōsequutiuè & illatiuè ad illa, quæ fuerunt narrata, si sit erronea, consequenter calculus super eadem assertione factus redditur erroneus.*

7 *Alienatio bonorum fideicommisso suppositorū facta sine iuris solemnitatibus suadet, errorem in transactione inesse.*

8 *Assertio illa in transactione, quæ est causa consequutiua imponens quasi necessitatem ita transigendi, dicitur causa finalis, & num. 9.*

10 *Causa erronea, quæ etiam in parte tantum sit falsa, & quæ in ea parte sit talis, quæ verisimiliter, si transigens sciuisset eam esse falsam, non ita transegisset, annullat transactionem.*

11 *Idem operatur error in parte, quod in toto, quo ad exclusionem consensus.*

12 *Vbi error est expressus, semper in eo, in quo erratum est, rescinditur transactio.*

13 *Sententia habens expressum errorem vitiatur.*

14 *Fatuus est iudex, qui in sua sententia exprimit causam, cur ita iudicauerit.*

15 *Illud dicitur expressum & certum, quod à iure certam habet interpretationem.*

DECISIO CCLXXV.

CAusa fuit proposita, & votata super vna tantum limitatione deducta pro parte Illustr. Domini Iulij Cæsaris ad regulam
1 aliàs per Rotam firmatam, * quòd † regulariter error annullat transactionem, scilicet vt non procedat, vbicunque error non est

præsēs decis. habetur i imp. diuers. nouiss. 160. part. 1.

* sub die 13. Iun. proxime præteriti.

est circa causam finalem transactionis ex notat, *in l. damus. ff. de condit. indeb. & per Bart. in l. demonstratio. §. quod autem. n. 6. de condit. & demonst. cum alys per informãtes allegatis*, [a] Causam autem finalem esse volebant illam, quia calculatis calculandis, & detractis detrahendis, Illustriss. filiæ non poterant ex bonis patris plusquam duodecim millia consequi, quæ cum influat in quemlibet effectum, dicitur finalis, *ad not. per Bald. in l. 1. col. fin. solut. matr. Aym. cõs.*
2 *192.* quod etiam † ostenditur ex dictione, quia, *vt per Bald. in l. 1. post glos. num. 2. ff. de fer. cum alys*, [b] maximè cum respiciat vtilitatem transigentium, *vt per Imol. in l. 2. §. fin. num. 9. de donat.* Et ideo inferebant transactionem non esse nullam ex capite erroris; nisi constet non esse verum id, quod enunciatur Illustrissimas filias nõ potuisse plus consequi, quàm duodecim millia scuta ex præfatis bonis. Insuper addebatur ab vno ex Dominis ad consideratio-
3 nes Dominorum Aduocatorum, tum † demum errorem vitiare, quando est euidens, ad notat. *per Alex. in l. qui Romæ. §. duo fratres. num. 54. de verb. oblig.* sed non videbatur euidens error in pacti interpretatione, cum secundum eum terrarum appellatione veniant etiam tenutæ, *& Doctor. in l. 1. C. de error. calcul.* requirunt errorem clarum, *vt per Iacobin. ibid. num. 13. & 17.*
4 & † ille dicitur error expressus, qui videri, & legi potest, *Butr. in cap. excommunicato. de rescrip. Alex. l. cum prolatis. num. 15. de re iud.* Insuper videbatur posse dici non fuisse erratum in causa; cum clausula illa, quòd dictæ filiæ suæ non poterant obtinere ea, quæ pro parte ipsarum prætensa & petita fuerant, verificetur respectu ciuitatis Prænestinæ. Quibus tamen non obstantibus, fuit per Dominos conclusum non esse recedendum à regula iam firmata ex pluri-
5 bus. Et primo, quia † error secundum ipsos est in ipso pacto; nam pactum est fundatum super assertione Illustriss. Domini Iulij Cæsaris, vt patet ex illis verbis, Illust. Domina Marchionissa huiusmodi cessiones fecit, quia ex narratis pro parte Illustrissimi Domini Iulij Cæsaris, &c. nouit, &c. Et ita cum huiusmodi opinio fundata super narratis per Illustrissimum D. Iulium Cæsarem dederit causam cessioni, influit in ipsam cessionem; ita ut dicatur erronea, *vt per Dec. cons. 63. num. 6. circa medium.*
6 Secundo, quia † assertio illa, deductis deducendis, & calculatis calculandis, non est separatim posita, sed venit consequutiuè, & illatiuè ad illa, quæ fuerunt narrata pro parte Illustriss. Domini Iulij Cæsaris: Ita quòd si erronea est illa assertio, ita (prout nunc præsupponitur,) consequens est, vt erroneus sit etiam calculus super ea factus, nam in deductione debuit haberi ratio fideicommissi. Nec potest hæc enunciatio diuidi, quia tota regitur à verbo, nouit, quod qualificatur à præcedente clausula illa, ex superius narratis, &c. Tertio, quia si Illustrissima Domina Marchionissa intellexisset bona omnia, de quibus agitur, non esse supposita fideicommisso, vtique vel non fecisset hanc transactionem, vel eam hoc pacto non fecisset; nam potuisset loco pecuniarum petere partem bonorum ad filias spectantium, quod maximè suadetur,
7 quia in † huiusmodi alienatione bonorum stabilium requirebantur iuris solemnitates, quæ adhibitæ non fuerunt; & ideo succedit dictum *glos. in d. l. damus. in verb. pecuniæ. per l. tale. §. falsum. de condit. & demonst. facit Dec. cons. 403. num. 19. latè Aym. cons. 142. num. 9.* Neque deducta in contrarium obstare videntur, quia ex aduerso non negatur errorem in causa finali vitiare transactionem, sed dicitur illam assertionem non esse causam finalem; cuius contrarium verius videtur, ponderando illa verba, & hanc cessionem fecit, *Socin. cõ-*
8 *sil. 159. num. 20. & 21. lib. 2.* maximè † cũ talis assertio in consequentiam imponeret quasi necessitatem ita transigendi, & hæc est notabilis declaratio *Fulgos. in l. si cum*
9 *te. num. 4. de pact.* vbi ait † causam finalem esse, quando causa, in qua erratum fuit, si fuisset vera, erat talis, quæ imponebat necessitatem illius dispositionis impendendæ, *Castr. quoque ibid. num. 3.* vocat illam, causam obligatoriam, & quæ arctat ad illum actum; Ideo *Socin. d. cons. 159. num. 21.* vocat illam, causam finalem & cohærentem, ex eo quòd erat obligatoria, si vera fuisset, quod dictum sumptum est *ex doctrina Bart. in d. l. si cum te. num. 3.* quod benè applicatur ad casum istum, in quo stante fideicommisso conuentionali cõprehendente omnia bona; prout fuit assertum, non poterant Illustriss. filiæ consequi ea, quæ in specie fuerunt petita pro illarum parte. Nec refert, quòd in totum non sit
10 falsa ista enunciatio, quia † sufficit, quòd sit falsa in parte tali, quæ verisimiliter si eã falsam esse sciuisset Illustriss. Domina Marchionissa, ita non transegisset, talis autem erat illa propter notabilem valorem aliorum bonorum pacto, vt præsupponitur, nõ
11 comprehensorum; & ita † idem operatur error in parte, quod in toto, nempe exclusionem consensus, *ad notat. per Doctor. in l. si per errorem. de iurisd. omn. iud. & in l. 1. C. de error. calcul.* Præterea licèt inter Doctores controuertatur, ex quo errore vitietur transactio; tamen communiter con-
12 cludunt *in d. l. 1.* quòd, † vbi error est expressus, semper in eo, in quo est erratum, transactio rescinditur, *Castr. ibid. in fin.*
13 facit † simile de sententia, de quo ibi per Doctores, quæ vitiatur, si habeat errorem ex-

[a] Dec. cõs. 63. in fin cũ alijs vt per Tiraq. in tract. cessant. caus. limit. 1.

[b] Idẽ Bald. in l. 3. n. 17. C. de fals. caus. adiect. Card. in c. quia propter. in 1. not. de elect.

14 expressum; & ideo † fatuus est index, qui in sententia exprimit causam, cur ita iudicarit. Et ita respondebatur ad illud argumentum, quòd hic error non esset euidens, quia immo pro nunc præsupponitur error
15 expressus, † cum id dicatur expressum & certum, quod à iure certam habet interpretationem, & ita iste error est talis, vt ex sola lectura pacti & trāsactionis colligi possit, faciunt considerata *per Roland. cons. 13. num. 29. lib. 1.* Et ex his circunscriptis alijs limitationibus, si quæ sunt, fuit per Dominos conclusum, non esse recedendum à regula firmata *in dicta resolutione facta sub die 13. Iunij præsentis anni.* c

c quæ resolutio licet non fuerit extensa, hæc tamen fuit verba illius formalia Constituta fuit regula pro filiabus, cōstare de errore, ex quo regulariter annullatur transactio; An verò ex limitationibus deductis pro Illustrissimo Domino Iulio sit a regula prædicta recedendum, particulariter videatur.

Astoricen. Archidiaconatus.
Die Lunæ 5. Decembris 1575.

SVMMARIVM.

1 *Obijciens, ne quis de altero beneficio in vim c. is cui. de præben. in 6. prouideri, vel ad aliud validè præsentari debeat, probare debet, quòd prius beneficium sit sufficiens ad cum alendum.*

DECISIO CCLXXVI.

Qvantum ad primam partem dubij fuit resolutum non probari Ferdinandum de tempore præsentationis obtinuisse beneficiū in Ecclesia Astoricen. tum ex eo, quòd testes sunt nulliter examinati; tum etiam quia dato, quòd examen esset validum, non percutiunt tempus di-
1 ctæ præsentationis; † nec etiam probant beneficiū illud fuisse sufficiens ad alendum dictum Ferdinandum, quod omnino requiritur ad effectum *cap. is cui. de præben. in 6.* In quo hæc qualitas apponitur dispositioni; ideo incumbit onus Domino Pizzaro hoc probandi; maximè cum veniat per viam obiectus. Quantum ad secundam partem, præsupposito, quòd hæc omnia essent probata, fuit declaratum, quòd dispositio *dicti c. is cui.* obstet, quo minus potuerit validè præsentari Ferdinandus, non obstantibus limitationibus ex aduerso adductis.

Lucana Pensionis.
Die Lunæ 5. Decembris 1575.

SVMMARIVM.

1 *In iuribus incorporalibus datur vtrunque remedium tam retinendæ, quàm redintegrandæ.*
2 *Remedium retinendæ datur, etiam quòd quis adiuerit iudicem, & in iudicio facta sit contradictio; dummodo agens non habuerit se pro spoliato.*

DECISIO CCLXXVII.

1 Fvit resolutum, quòd † in iuribus incorporalibus datur vtrunq. remedium tā
2 retinendæ, quàm redintegrandæ, † & respectu remedij retinendæ hoc procedit, etiam quòd quis adierit iudicem, & in iudicio fuerit facta contradictio secundum maiorē partem Dominorum; & hoc dummodo agens non habuerit se pro spoliato. Fuit reseruatum videndum in facto, An ex processu iudiciali colligi possit, quòd Reuerendiss. Dominus Episcopus habuerit se pro spoliato.

Ceruien. Bonorum.
Die Veneris 16. Decembris 1575.

SVMMARIVM.

1 *Tertius regulariter non potest dare de nullitate contractus de rebus Ecclesiæ sine solemnitatibus.*

DECISIO CCLXXVIII.

Dŏmini firmarunt aliquas conclusiones: prima est, quòd † contractus sine solemnitatibus est nullus ipso iure: secūda est, quòd regulariter tertius non potest dare de tali nullitate; sed fuit reseruatum, vt videatur, An hoc procedat, vbi contractus est in damnum Ecclesiæ, quod prius est statuendum in facto, & pendet ex eo, An fimus in solitis alienari; Ideo super hoc dubitetur.

Bononien. de Budriolis.
Die Veneris 12. Ianuarij 1576.

SVMMARIVM

1 *Vbi in actis sunt duo testamenta, iudicium est ordinarium non autem exequutiuū.*
2 *Non probata falsitate vltimi testamēti pro eo est pronunciandum.*
3 *Exceptio transactionis habentis clausulas prægnātes est exceptio releuans in terminis l. fin. C. de edict. diu. Adr. toll.*
4 *Ignorantia testamenti allegari non potest stante correspectiuitate eiusdem, quæ ex identitate loci, temporis, testium, & notarij colligatur.*
5 *Vbi agitur ad effectum exequutionis tantū, ratio habenda est eorum solum, quæ reperiuntur in actis tempore sententiæ.*

DECISIO CCLXXIX.

Fvit resolutum, circunscriptis omnibus hinc inde allegatis, & adhuc in actis non productis, quòd ex deductis coram Gubernatore Bononiæ non est iustificata ip-
1 sius sententia: primo, quia † cum adessent in actis duo testamenta, iudicium erat ordinarium non autem exequutiuum, per *doctrin. Bart. & alios allegat. in l. fin. C.*
2 *de edict. diu. Adr. toll.* Secundo, † non fuit

præsēs decis. habetur i im press. diuers. nouiss. 186. part. 1.

probata in illo iudicio falsitas vltimi testamenti; & ideo pro eo erat pronunciandum. Tertio † exceptio transactionis
3 habentis clausulas ita prægnantes erat in illo
4 iudicio releuans. † Nec poterat allegari ignorantia testamenti stante correspectiuitate eiusdem, quæ ex identitate loci, temporis, testium, & notarij colligitur. Quarto, statutum Bononiæ, quod tollit hoc remedium, visum fuit posse hic locum habere, data scientia testamenti, vt supra consideratum fuit, & animaduersum; distinguen-
5 dos esse effectus huius disputationis; † nam si ad effectum exequutionis tantum agitur, ratio est habenda eorum solum, quæ reperiuntur in actis tempore sententiæ, vt per *Corn. conf.* 10. *num.* 2. *vol.* 4. Quando verò agetur super petitorio, tunc habebitur ratio eorum omnium, quæ etiam post dictam sententiam fuerunt deducta; adeo quòd in hoc iudicio eorum non est habenda aliqua ratio; maximè si est suspensum petitoriũ.

Mediolanen. Bonorum de Miramundo.
Die Lunæ 16. Ianuarij 1576.

SVMMARIVM.

1 *Motusproprius non tollit defensiones & exceptiones competentes de iure.*

2 *Oris aperitio non est necessaria, quoties aliqua defensio competit ex capite bonæ fidei, siue causata ex errore facti, siue ex errore iuris admixto cum errore facti: quando verò non competit defensio ex capite bonæ fidei, nec ex alia iuridica exceptione; sed solum quia sententia sit iniusta, tunc necessaria est oris aperitio.*

DECISIO CCLXXX.

1 DOmini dixerunt carere omni difficultate, quòd † motus proprius fel. rec. Pij Quinti non tollit defensiones & exceptiones competentes de iure Dominis hæredibus in articulo fructuum; nisi illas, quas sententia fel. rec. Pij Quarti tollit; & ideo aut considerãdo istam materiam in abstracto, quæritur, an de iure possit competere dictis dominis hæredibus aliqua defensio, &
2 fuit dictum, quòd † potest ex capite bonæ fidei, siue sit causata ex errore facti, siue ex errore iuris admixto cum errore facti, *ad notat. per Couarr. in regul. possessor. part.* 2. *§.* 7. *num.* 10. & ex his sequitur, quòd respectu istius defensionis non est necessaria oris aperitio: si verò in concreto consideremus hanc controuersiam, & dicti Domini hæredes non possunt sese defendere ex illo capite bonæ fidei, quia in facto non subsistit, nec ex alia iuridica exceptione; sed hæc sola defensio eis competit, quòd sentẽtia sit iniusta, vtique indigent oris aperitione, quæ res cum sit gratiosa, tota ex voluntate Papæ dependet.

Prænestina Transactionis, seu bonorum.
Die Lunæ 23. Ianuarij 1576.

SVMMARIVM.

1 *In transactione sub nomine Castrorum, Oppidorum, & Ciuitatum, veniunt non solum ipsa Castra, Oppida, & Ciuitates; sed etiam omne territorium illis adiacens: & ea, quæ pertinent ad concedentem, tanquam dominum Castri; concurrente verisimili mente transigentium: Et coniectura colligitur ex ratione finali, quia pactum fuit pro conseruatione familiæ. vt num.* 2.

Item quia fuit impositum onus masculis dotandi & alimentandi filias. vt num. 3.

Item ratione inæqualitatis euitandæ. vt num. 4.

Item quia fuerunt exclusæ fœminæ paciscentium à dictis bonis, Castris, Oppidis, & Ciuitatibus per verba prægnantia exclusiua. vt num. 7.

5 *Appellatione Castri non venit propriè Castrum dirutum; nisi adsit aliqua dictio vniuersalis omnia comprehendens, quæ verisimiliter etiam dirutum venire faciat.*

6 *Dictio, terras, potest etiam territorijs & tenutis conuenire.*

8 *Appellatione Castrorum, Oppidorum, Ciuitatum, Terrarum, Fortalitiorum &c. non veniunt ea bona, quæ non sunt iurisdictionalia, nec iurisdictionalibus cohærent, & quæ non possidentur ratione dominij Castrorum, Oppidorum, & Ciuitatum.*

DECISIO CCLXXXI.

LIcèt inspectis tantum illis verbis pacti, omnia eorum Castra, Oppida, Ciuitates, Terras & Fortalitia &c. præsens dubitatio, An veniant tenutæ Algidi, Corcolli, & bona non iurisdictionalia, non careat difficultate contra Illustrissimum D. Iulium Cæsarem, per ea quæ notant *Doctor. in l.* 3. *in princip. de acquir. poss. Domin. in cap. si Ciuitas. num.* 4. *de senten. excomm. in* 6. *Aym. conf.* 54. *n.* 19. *cum alijs* pro parte Illustrissimarum filiarum deductis: * Tamen considerata verisimili mente contrahentiũ, quæ à Doctoribus semper excipi solet, vt per *Abbat. Felin. & alios allegat. in cap. Rodulphus. de rescript. & Imol. in d. l.* 3. *num.* 5. *& Alciat. in l.* 2. *de verb. sign.* Domini
1 dixerunt, † in huiusmodi pacto venire non solum ipsa Castra, Oppida, & Ciuitates, sed etiam omne territorium adiacẽs dictis Castris, Oppidis, & Ciuitatibus, & ea quæ ad paciscentes tanquam Castri Dominos pertinent. Verisimilem mentem contrahentium ex his potissimum deducebant: primo ex ratione finali, quæ ex prohemio colligitur,

præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 161. part. 4.

* Archid. in c. in qualibet. 23. q. 8. Alex. post Imol. in l. possideri. n. 23. cũ seq. ff. de acquir. poss. Iaf. post alios in l. fin. n. 7. ff. de constit. princ. Socin. iun. conf. 160. n. 31. i ß. vol. 2. post Ol drad. Alexã. Bal. Soc. sen. & alios, quos ipse refert.

gitur, † cum fiat hoc pactum pro conseruatione familiæ, quæ tanto facilius conseruatur, quanto maiores sunt facultates, *Tiraquell. de Nobilitat. cap. 25. num. 3. cum seq.* & pactũ hoc secundum aliquos ex Dominis videbatur fauorabile, cum fiat fauore masculorum, & conseruandæ familiæ; Ideo non debent ita strictè accipi verba ipsius. Secundo, in eodem prohemio habita fuit ratio bonorum simpliciter in illis verbis, ex præseruatione & augmento facultatum ac bonorum; & paulo infra, propter decrementum & diminutionem ipsarum facultatum; & infra etiã in alijs locis. Ter-
3 tio, quia † fuit impositum onus masculis dotandi & alimentandi filias, & hæc coniectura visa est valde potens; nam cum contrahentes voluerint pro manutentione familiæ hanc inire conuentionem: vtique si intellexissent, quòd Castra, Oppida, & Ciuitates tantum venirent sine suis territorijs, verisimiliter non onerassent masculos in istis bonis succedentes tali onere, cum supereßent alia bona sufficientia pro dotãdis & alendis fœminis. Quarto, consideratũ
4 fuit, quòd † attenta diuisione, nisi sumamus istam interpretationem, magna erit inęqualitas causata ex hoc pacto inter fratres, cũ ferè omnia bona Alexandri cõsistant in Castris, & Oppidis, ita quòd si non habeamus Castra diruta cum eorũ territorijs pro Castris, maius erit onus in portione Alexãdri
5 quã in portione Stephani. Non obstat, quòd † appellatione Castri non veniat Castrũ dirutum; quia propter dictionem vniuersalem, omnia, inducta verisimili mente potest
6 venire; maximè † cum dictio, terras, possit etiam conuenire territorijs, & tenutis, *l. quicunque. C. de omn. agr. desert. lib. 11. & notat Guid. pap. singul. 526.* Quinto,
7 fuit consideratum, quòd in † exclusione fœminarum paciscentes loquuti sunt per verba prægnantia excludendo eas à dictis bonis, locis, Ciuitatibus, Castris, & Oppidis; & has coniecturas videtur adiuuare iuris dispositio, *vt per Aretin. cons. 15. colum. 1. vers. secundo pramitto. & Couarr. pract. quæst. cap. 1. num. 10.* tamen si super istis coniecturis velint Illustrissimæ filiæ particulariter audiri, fuit ordinatum, vt audiantur. Fuit etiam inclinatum per
8 Dominos, quòd † ea bona, quæ non sunt iurisdictionalia, nec iurisdictionalibus coherent, itant non possideantur ratione dominij Castrorum, Oppidorum, & Ciuitatum, non comprehendantur sub isto pacto, quod etiam ex reseruatione facultatis testandi suadetur; super quo tamen si Illustrissimus Dominus Iulius Cæsar velit audiri, audiatur. Quare erit in facto statuẽdum, quænam sint ista bona, & An tenuta Corcolli, sub isto secundo membro, vel potius sub priori sit collocanda, attenta diuisione facta inter prædictos Illustrissimos Dominos Alexandrum & Stephanum.

Lucana Pensionis.
Die Veneris 27. Ianuarij 1576.

SVMMARIVM.

1 *Qui non habuit se pro spoliato, remedio retinenda agere potest.*

DECISIO CCLXXXII.

1 Reuerendiss. Dominum † Episcopum posse agere remedio retinendæ, non obstantibus noniter in contrarium deductis; quia ex actis apparet, quòd nunquam se habuit pro spoliato: & quæ deducuntur in contrarium, habent locum in rebus incorporalibus, non autem in iuribus incorporalibus. Reseruatur videndum, si ex quo iudicium hoc est effectum ordinarium, vt fuit resolutum, * Dominus Episcopus teneatur ad pleniorem probationem, & An interim possit manuteneri.

præsēs decis. reuocatur infra sub die 24. Maij proxima in fin.

*sub die Veneris 17. Decemb. 1574.

Nucerina Affictus.
Die Veneris 27. Ianuarij 1576.

SVMMARIVM.

1 *Testis dicens quòd publicè dicebatur, probat famam.*
2 *Probatio famæ diuersa est à probatione ex aspectu.*
3 *Infirmitas ex senectute arguitur.*

DECISIO CCLXXXIII.

Tria sunt, quæ veniunt verificanda: Primo ætas Episcopi Colotij septuaginta trium annorum: Secundo infirmitas, per quam non poterat inseruire: Tertio, quòd Dominus Coadiutor erat ætatis 26. annorum vel circa. Hæc omnia dixerunt Domini fuisse verificata: Et primo, quantũ ad ætatem Episcopi Colotij, ea benè probatur per quintum testem ad decimumsextũ, & decimumnonum, & sextum ad decimũsextum, etiã iuxta terminos doctrinæ *Bart.*
1 *in l. de ætate. de minor.* † Coadiuuatur hæc probatio ex fama; nam secundus ad vigesimum dicit, quòd publicè dicebatur illum esse septuagenarium, & tertius super tertio articulo dicit communiter tentum fuisse
2 octuaginta annorum de anno 1549. † quæ probatio famæ alia est à probatione ex aspe
3 ctu. Quantum ad infirmitatem, † quæ etiã ex senectute arguitur, ea probatur per tertium iuxta decimumsextum, quintum super primo articulo additionali, & sextum ad secundum interrogatorium additionale. Quantum ad ætatem Domini Coadiutoris, ea quoque probatur per primum, & secundum, & sextum super sexto; maximè attenta dictione, circa, & hæc probatio etiam corroboratur ex effectuatione

Coadiutoriæ, non obstante, quòd lis fuerit eodem ferè tempore introducta, quia super Coadiutoria nunquam fuit litigatum.

Romana Pecuniaria.
Die Mercurij prima Februarij 1576.

DECISIO CCLXXXIV.

FVit tentum, quòd ex nota instrumenti, de quo agitur, non poterat extrahi instrumentum authenticum, cum ea laboret multis suspicionibus: Primo, quia in libro adsunt alia instrumenta non authentica, & ideo intrant decisiones factæ *in causis Albanen. fideicommissi, & Senen. pontis Arighi, & Roman. de Mattheis*; Secundo, quia in eodem libro notarius scripsit, quòd vbi adest clausula, Actum, vel sunt appositi testes, perpetuo instrumentū valeat; & hic non adest clausula, Actū, & testes sunt deleti, licèt fuerit superinductus vnus testis, sed manus non est recognita. Tertio, quia adest in margine apostilla illa, licèt deleta, Non stipulatum, & alia apostilla similiter lineata, & illa, quæ habet, valet, apparet diuersa manu scripta, ex quibus oritur maxima suspicio, quòd contractus non fuerit perfectus: Tamen quia pro parte Domini Ioannis Cibo allegatur istius instrumenti obseruantia, Domini reseruarunt, vt videatur particulariter, An talis obseruantia probetur, quæ sufficiat ad tollendas prædictas suspiciones.

Astoricen. Archidiaconatus.
Die Veneris 10. Februarij 1576.

SVMMARIVM.

1 *Expressio mēsis vacationis beneficij in præsentatione & institutione non est necessaria de iure communi.*
2 *Regula non extenditur ad casus, in quibus non loquitur, & in quibus cessat ratio regulæ.*
3 *Cui non conueniunt verba legis, minus conuenit dispositio.*
4 *Ratio quare expressio mensis vacationis beneficij requiratur est, vt sciat Papa, An præiudicetur Ordinarijs.*
5 *Institutio est iustitiæ & non gratiæ.*
6 *Regula de Annali in præsentatione & institutione non habet locum.*
7 *Delegatus debet seruare eandem formam, quam seruat delegans, vbi est par ratio; aliàs secus.*
8 *In impetratione à Nuntio Apostolico debet fieri mentio de mense, quia Nuntij signāt gratias eo modo, quo facit Papa.*
9 *Regula de Annali habet locum in prouisionibus Legatorum, sicut in prouisionibus Papæ à paritate rationis.*
10 *Reuocatio & suspensio inter se differunt.*

DECISIO CCLXXXV.

QVantum ad primā partem dubij, Do-
1 mini fuerunt cōcordes, quòd † in præ-
sentatione & institutione Ferdinandi nō fue-
rit necessaria mentio mensis; quia cum talis
expressio de iure communi non requiratur;
2 † regula non est extendenda ad casus, in
quibus non loquitur. Clarum autem est,
regulam loqui in gratijs Apostolicis; ergo
3 † cui non conueniunt verba, non conuenit
dispositio, *l. 4. §. toties. de damn. infect. Mar-*
4 *sil. singul.* 339. maximè quia cessat † ratio
dispositionis regulæ, quæ requirit talem
expressionem, vt sciat Papa, an præiudice-
tur Ordinarijs, *Put. 55. lib. 2. fuit dubita-
tam in vna Corduben.* ex alio quoque non
5 conueniunt verba, † quia institutio est iusti-
tiæ & non gratiæ, *Abb. in cap. auctoritate,
& cap. ex frequentibus. de instit. Dec. cons.*
6 224. *n. 3. Aegid. decis. 93.* & † idem obseruatur respectu regulæ de Annali, *Io. Paul. de-
cis. 40. Mohedan.* 267. Ad rationem ex ad-
7 uerso allegatam, quòd † delegatus debeat
seruare eandem formam, quam seruat de-
legans, respondebatur non procedere, vbi
non est par ratio; Ideo nihil mirum, si ali-
8 quando fuit resolutum, quòd † in impetra-
tione à Nuntio Apostolico deberet fieri
mentio de mense, cum Nuntij signent gra-
tias eo modo, quo facit Papa, *Sarnen. in
9 compend. Signatur. num. 20.* † & à paritate
rationis fuit dictum regulam de Annali ha-
bere locum in prouisionibus Legatorum in
*vna Colonien. coram R. P. D. Aldobrandi-
no.** Quantum ad secundam partem du-
bij Domini fuerunt varij; nam aliqui inhæ-
rebant decisionibus aliàs factis, quòd re-
gula reuocatoria fel. rec. Pauli non reuo-
cet huiusmodi indultum, *Put. decis. 226. li-
br. 1. mihi 316. lib. 1. incip. fel. record. Cle-
mens &c. & 311. mihi 309. lib. 3. Mohed.*
352. *Sarnen. in addit. decis. 35.* Alij verò
10 † constituebant differentiam inter reuoca-
tionem & suspensionem, *ad tex. cum glos.
in cap. si propter tua debita. de rescript. in
6. Felin. cap. nonnulli. de rescript. num. 10.
Gomes de non tollen. iur. quæsit. quæst. 5.*
Considerabant etiam indultum recipere vi-
res à reseruatione; ideo reseruationem de-
bere sumi cum suis qualitatibus, & esse cla-
rum, quòd regula comprehendebat etiam
beneficia iurispatronatus, ibi, prouisionē,
præsentationem, &c. nec clausulas illas præ-
gnantes Indulti operati, nisi aduersus peri-
mentia gratiarum, non autem aduersus di-
latoria, *vt per Sarnen. in proœm. regul.
quæst. 6. versic. & ideo, vt veritas.* Quare
cum super isto capite non potuerit capi re-
solutio; fuit ordinatum, vt iterum causa
proponatur, & omnes Domini eam videāt.

* Colonien. Canonicatus 8. Iunij 1574. n. 6. l. impres. diuers. nouis. aed. par. 2.

Romana Casalium de Maximis.
Die Lunæ 20. Februarij 1576.

SVMMARIVM.

1 *Pœna l. fin. C. de iur. emphyt. habet locum in locatione ad longum tempus secũdum opin. Doctorum, quæ videtur receptior: contrariam tamen opin. veriorem iudicauit Rota, vt num. 5.*

2 *Inter contractum emphyteusis, & locationis ad longum tempus nulla est, nisi verbalis differentia: huiusmodi tamen assũptum tanquam falsum reijcitur: contrarium verò num. 8. & 20.*

3 *In locatione ad longum tempus transfertur vtile dominium, sicut in emphyteusi; sed nõ ob id sequitur æquiparatio, & nu. 21.*

4 *Superficiarius & emphyteuta æquiparãtur.*

6 *Pœna priuationis nunquam habet locum, nisi expresse caueatur in iure.*

7 *Pœna priuationis, de qua in l. fin. C. de iur. emphyt. fuit iure singulari introducta in contractu emphyteusis, cui fuit data propria & distincta forma a contractibus emptionis & locationis.*

9 *Emphyteusis & locatio differunt respectu pensionis, cũ in locatione sit proportionabilis fructibus; secus in emphyteusi secundum com. opin.*

10 *Contractus locationis est onerosus, emphyteusis verò gratuitus, & num. 18.*

11 *In locatione datur restitutio ex capite læsionis; secus in emphyteusi.*

12 *In locatione longi temporis fit remissio ob sterilitatem; secus in emphyteusi.*

13 *In locatione conductor meiloramenta retinet; secus in emphyteusi.*

14 *In pœnalibus non fit extensio de vno cõtractu ad aliũ: aliquando tamen ex identitate rationis permittitur, quando in omnibus per omnia par est ratio.*

15 *Extensio pœnæ non habet locum in l. fin. C. de iur. emphyt. quo ad locationem ad longum tempus.*

16 *Leges loquentes in contractu emphyteusis non debent trahi ad contractum locationis perpetuæ; vbi est rationis disparitas.*

17 *Emphyteuta non potest sublocare irrequisito Domino propter pœnam priuationis; secus est in conductore.*

18 *Maior est contemptus emphyteutæ alienãtis irrequisito Domino, quàm conductoris, & ob id maior pœna ei venit irrogãda, nempe priuationis.*

19 *Satis est Ecclesiæ consultum, quòd annulletur contractus alienationis per conductorem facta, absque eo quòd priuationem incurrat.*

22 *Pœna priuationis & nullitas alienationis sunt omnino diuersa.*

23 *Doctrina Bart. in l. 1. de superficieb. reprobatur.*

24 *Pœna priuationis seu caducitatis in cõtractu liuelli locum habet, sicut in emphyteusi, contra Fulgos. opinionem cons. 7. n. 2.*

DECISIO CCLXXXVI.

QVia ex duobus præcipuè capitibus Re-
uerẽdi fratres sancti Clementis, &
Pancratij prætendunt Dominum
Horatium incidisse in pœnam priuationis
ob concessiones ab eo factas diuersis perso-
nis quarundam pedicarum terræ pertinen-
tium ad directum dominium Ecclesiæ san-
cti Clementis, à qua quondam Dominus
Antonius eius pater Casalia, quæ com-
prehendebant istas pedicas ad tertiam
generationem conduxerat, prout in in-
strumento in actis producto: quorum al-
terum innititur ratione dispositionis *l. fin.*
C. de iur. emphyt. Alterum verò prætendi-
tur ratione interuersionis directi dominij,
quæ ex dictis cõcessionibus resultare vide-
tur, attento quòd in eis partim nulla fuit
facta mentio dominij directi Ecclesiæ, par-
tim Dominus Horatius reseruauit sibi dire-
ctum dominium; Ideo pro veritate haben-
da Domini discusserunt istas duas difficul-
tates. Et in primis voluerunt videre, si de
iure est verum, quòd pœna *d. l. fin.* quæ lo-
quitur de emphyteuta, locum sibi vendicet
etiam in conductore ad longum tempus: Et
quia hæc quæstio habet hinc inde suos au-
1 thores, † & fortè communior sententia est
pro parte affirmatiua: tamen placuit in
tanta controuersia rationes vtriusq. partis
expendere. Igitur quæ pro parte affirma-
2 tiua deducuntur sunt hæc. Primo, quòd † in-
ter istos contractus locationis ad longum
tempus, & emphyteusis, nulla sit, nisi ver-
balis differentia, *Faber. §. item finitur. In-
stit. de vsufr. & §. adeo. locat. Imol. cap. ad
audientiã. de reb. Eccl. non alien. Ias. in l.
naturaliter. num. 3. de acquir. poss. Ruin.
cons. 156. num. 6. lib. 1. Crot. cons. 22. nu.
6. cum alijs cumulatis. per Tiraq. de retract.
lign. §. 1. glos. 14. num. 84.* Secundo, quia,
vt ijdem Doctores referunt, & communi-
ter tradunt omnes *in l. codicillis. §. institu-
3 to. de legat. 2.* † In tali locatione ad longum
tempus transfertur vtile dominium, quem-
admodum in emphyteusi. Tertio hæc fuit
sententia *Bart. in l. 1. §. quod autem. il 2.
4 de superficieb.* vbi † comparat superficiariũ
emphyteutæ, quem sequuti sunt multi Do-
ctores *Imol. c. potuit. num. 8. locat. Socin.
cons. 287. num. 2. lib. 2. Aretin. cons. 55.
col. 2. Dec. cons. 164. col. 1. cum alijs, qui cu-
mulari possunt.* * Quarto & vltimo in ter-
minis hæc quæstio fuit *per Fulgos. decisa in
cons. 240. quẽ multi sequuti sunt, Alex. cõs.
117. num. 11. lib. 4. Ias. in l. 1. num. 35.
C. de iur. emphyt. Ruin. cons. 161. num. 30.
lib. 1. Nat. 114. num. 3. Tiraquel. vbi supra.*
His tamen non obstãtibus maior pars Do-
minorum contrariam sententiam veriorem

Præsis decis. habetur in imp. decis. diuers. nouiss. 335. part. 1.

* Nota quòd innumeri sũt Doctores qui Bart. sententiã sequũtur, ita ut eius opinionẽ communẽ reddant, sed oes sine ratione, & sine lege loquuntur, vt habe-

dic inf. n. 15. & oẽs enumerãtur in alia decis. sequẽti in hac causa facta sub die Mercurij 14. Martij proximi, sub n. 10. & sequẽtib.

5 esse existimauit, scilicet quòd † pœna *d. l. fin.* non debeat extendi ad conductorem ad longum tempus. Et Primo, quia nullibi in iure reperitur cautum, quòd talis pœna
6 locum habeat in conductore, † quæ cum sit pœna priuationis, nunquam habet locum, nisi expresso iure caueatur, *glos. in §. cum igitur. in Auth. de non elig. secund. nub. glos. in c. fin. de iurepatr. l. at si quis. §. Diuus. de relig. & sũpt. fun. Dec. 466. num. 8. Aym. 205. num. 31. cum similibus.* Secundo, quia
7 † priuationis pœna, de qua *in d. l. fin.* fuit iure singulari introducta in contractu emphyteutico, cui fuit data propria & distincta forma à contractibus emptionis & locationis, ex constitutionibus Zenonis & Iustiniani, *d. §. adeo. Instit. locat. & toto tit. C. de*
8 *iur. emphyt.* adeo quòd † non solum nomine, sed etiam re ipsa isti cõtractus in multis
9 differunt; nam † respectu pensionis differũt, cum in locatione sit proportionabilis fructibus, secus in emphyteusi, & hæc est communis Doctorum sententia, *vt per Bart. d. l. 1. num. 4. & ibi Ias. num. 35. Aret. cons. 55. num. 4. Bellon. cõs. 21. num. 18. Natt. qui de communi cons. 49. num. 7. Cagnol. l. 2.*
10 *num. 202. C. de rescind. vend.* † contractus enim locationis est onerosus, emphyteusis vero gratuitus, *Corn. cons. 285. num. 9. lib. 3. Clar. §. emphyteusis. q. 8. vers. sed*
11 *pone.* Præterea † in locatione datur restitutio ex capite læsionis, *Bart. l. si quis conduxerit. locat. glos. l. si vno. eod. tit. Bald. rub. C. de iur. emphyt. Corn. d. cons. 285. num. 9.*
12 Item † in locatione longi temporis fit remissio ob sterilitatem, secus in emphyteusi, *Cyn. & Bald. d. rubr. C. de iur. emphyt. Anchar. & Imol. d. c. potuit Aret. d. cons. 55.*
13 *Ias. d. l. 1. num. 21.* Item † conductor melioramenta retinet, secus in emphyteuta, *Ias. ibidem. num. 37. & in l. 2. num. 38.* Alias differẽtias tradit *Specul. de emphyteus. & ibi Io. Andr. q. 4. Aretin. cons. 111. nu. 6. Boer. decis. 234.* & colligitur differentia ex lectura *Auth. de alienat. & emphyteus. per totam.* Tertio ex præfatis infertur, quòd
14 † in pœnalibus non debet fieri extensio de vno ad alium, *l. factum. §. in pœnalibus. de reg. iur. Bald. l. cum proponas. in fin. C. de hæred. instit. §. item mixta. & ibi glos. Inst. de action.* & licèt ex idẽtitate rationis hoc aliquando fiat: tamen hoc procedit, vbi per omnia par est ratio, *c. 1. §. porrò. vbi Bald. col. 3. quæ fuit prim. caus. amitt. benef. idem Bald. l. si quis id. & ibi Alex. de iurisd. omn. iud. Dec. cons. 555. num. 8. cum*
15 *alijs.* Quarto, quòd † respectu pœnæ non debeat fieri ista extensio in terminis *d. l. fin.* tenet *Alber. in l. 2. paulo ante num. 3. & in l. fin. circa medium, vers. sed nunquid hac lex. C. de iur. emphyt. Socin. eum refert, & sequitur cons. 167. nu. 6. lib. 2. Io. Andr. in addit. ad Specul. quæst. 4. Ias. dict. l. 2. n.* *42. & 164. Riminald. cons. 212. num. 31. & 39. Add. ad Decium Auth. qui rem. C. de sacrosan. Eccl.* & in hanc partem inclinat *Couar. var. lib. 2. cap. 16. num. 2.* Idem videtur sentire in effectu *Tiraq. loco allegat. num. 84. circa fin.* vbi addit, quòd ne decipiaris, vide *Alberic. & Aretin.* Et alios recentiores tenentes hanc opinionem allegant Domini informantes, quos non repe-
16 to. Quinto, leges loquentes in contractu emphyteusis non debent trahi ad contractum locationis perpetuæ, vbi est rationis disparitas, Ita *Io. Andr. loco supr. allegat. Aretin. d. cons. 55. num. 4. & 111. num. 6. & Riminald. d. cons. 212. num. 31. & 39.* Quòd autem respectu priuationis sit ratio-
17 nis disparitas, probatur, quia † emphyteuta nõ potest sublocare irrequisito Domino, *d. l. fin.* conductor secus *l. nemo. C. locat.* facit optime text. *in l. prædia. & ibi glos. in verb. retrahendum, & Bart. C. de locat. præd. lib. 11.* iunctis his, quæ de perpetuarijs tra-
18 dit *Tiraq. loco allegat.* Itẽ † contractus emphyteuticus est gratuitus, vt supradictũ fuit; ergo maior est contemptus emphyteutæ alienantis, quàm conductoris, vt dicit *Clar. d. quæst. 8. vers. sed pone.* ergo maior pœna irroganda. Postremo magis interest Ecclesiæ deuolui prædium emphyteuticum,
19 quàm locatum; † satis ergo est, vt ei consulatur per annullationem contractus alienationis per conductorem factæ. His ita constitutis: Non obstant ex aduerso considerata; Et primo in genere Doctoribus tenentibus nullam esse inter istos contractus, nisi
20 verbalem differentiam, respondetur; † Assumptum eorum esse falsum, & contra communẽ Doctorum sententiam, vt supra deduxi in secundo fundamento, & si bene aduertatur ad dicta Doctorum contrariam sentẽtiam amplectentium, omnes ferè moti fuerunt hac vnica ratione, quam esse falsam ex supra deductis apparet. Secundo non obstat, quòd in dicta locatione transeat dominium vtile; quia non ideo sequitur, quòd
21 † in omnibus & per omnia isti contractus sint æquiparati; Ideo cum priuatio proueniat ex propria natura emphyteusis, nõ bene arguitur de vno ad alium, vt dictum est supra in quinto fundamento. Tertio nõ obstat *doctr. Bart. in d. l. 1. de superficieb. cum alijs,* quia dictum ipsius lege non probatur; nam *l. 2. C. ne rei domin. vel templ.* non agit
22 † de pœna priuationis, sed de nullitate alienationis, quæ sunt omnino diuersæ; Ideo
23 † eius opinio meritò à multis improbatur, & in specie *à Fulgosio* respectu contractus liuellarij *cons. 7. num. 2.* qui nulla alia ratione vtitur, quàm quòd nullibi cautum reperitur, licèt fortè talis opinio non sit tuta, *vt per Dec. cons. 164. num. 3.* sed mirum est, quòd cum sit maior differentia inter locationem & emphyteusim, quã inter emphyteusim,

14 teusim & liuellum, † idē Fulgosius tenue-
rit, quòd pœna in conductione locum ha-
beat, in liuello verò minimè. Quarto non
obstat *cons. Fulgos. cum alys*, quia vt supra
dictum est, fundant se in totali æquipara-
tione istorum contractuum, quæ de iure nō
subsistit. Et ex his visa est hæc sententia ve-
rior maiori parti Dominorū: & cęteris quo-
que, qui dubitabant, placebat, vt saltem hęc
Doctorum controuersia prodesse possit Do
mino Horatio ad excusandū eum à prædi-
cta pœna, nisi ex circunstantijs facti, & for-
ma alienationū siue concessionum aliud sit
dicendum; quod erit particulariter viden-
dum, dato dubio, cum omnibus facti cir-
cumstantijs.

Sanctæ Agathæ Parochialis Sancti Angeli.
Die Lunæ 20. Februarij 1576.

S V M M A R I V M.

1 *Manutentio non datur non existenti in possessione tempore mota litis; nec quando possessio est attentata.*

2 *Non habens se pro spoliato retinet possessionem, & manuteneri debet, & n. seq.*

4 *Beneficium regulare per secularem obtineri non potest, sed titulus, & possessio dicitur infecta.*

5 *Obtinens sequestrum cum protestatione non amittit possessionem; maximè si sequestrum sit fructuum tantum non autem possessionis.*

DECISIO CCLXXVII.

1 FVit resolutum Reuer. fratrem † Leo-
nardum non esse manutenendum, cum
tempore litis contestatæ non esset in pos-
sessione; prout ex eius confessione liquet,
cum egerit spolio contra D. Scipionem; &
possessio, quam hodie prætendit, est atten-
tata, neque considerabilis; maximè cum
2 d. D. † Scipio non habuerit se pro spoliato,
*prout fuit resolutum coram me in vna Lu-
cana pensionis die 27. Ianuarij præteriti.*
Quantum verò ad prædictum D. Scipionē
3 † dictum fuit ipsum esse manutenendum:
Neque ei obstare, quòd prætenditur ex ad-
4 uerso, † titulum eius & possessionem esse
infectam, ex eo quòd beneficium est regu-
lare, quod non potest per secularem obti-
neri, quia cum super hac re lis pendeat, non
est interim priuandus sua possessione; &
istud negocium est discutiendum in petito-
5 rio. Nec obstat, quòd † ipse petierit, &
obtinuerit sequestrari fructus; quia stante
sua protestatione ipse non amisit suam pos-
sessionem, *l. interesse. & ibi glos. de acquir.
possess.* maximè cum sequestrum sit fructuum
tantum, non autem possessionis.

Romana Casalium de Maximis.
Die Mercurij 14. Martij 1576.

S V M M A R I V M.

1 *Pœna l. fin. C. de iur. emphyt. non habet locum in locatione ad longum tempus.*

2 *Contractus emphyteusis & locationis ad longum tempus in multis habent easdem regulas, quæ conueniunt, sed non in omnibus, & per omnia sunt similes, & æquiparati, licèt sub ijsdem titulis tractetur materia vtriusque contractus.*

3 *Solemnitates, quæ requiruntur in locatione ad longum tempus requiruntur etiam in emphiteusi: hoc tamen non est ex natura contractus, sed ex subiecta materia.*

4 *Concessio agri vectigalis est longè diuersa à contractu locationis.*

5 *Argumentum ab æquiparatis, ad hoc vt procedat, requirit omnimodam æquiparationem, & per viam regulæ.*

6 *Extensio fit in lege pœnali ad casum, in quo viget ratio in ea expressa.*

7 *Quando agitur de consolidatione vtilis dominy cum directo, extensio de casu ad casum fieri debet ex identitate rationis.*

8 *Bart. in l. 1. §. quod autem. il secondo. de superficieb. non est intelligendus respectu pœnæ, & num. 14. vbi declaratur, quomodo sit intelligendus.*

9 *Possunt simul stare, quòd quis sit prohibitus alienare; & tamen quòd alienando non cadat à iure suo.*

10 *Nullitas contractus est pœna diuersa à iuris sui priuatione.*

11 *Eadem pœna incurritur in locatione ad lōgum tempus ob non solutionem canonis, quæ in emphyteusi.*

12 *Prohibita alienatione censetur prohibita locatio ad longum tempus.*

13 *Contractus liuellarius non differt ab emphyteusi.*

DECISIO CCLXXXVIII.

QVia causa est grauis, & articulus val-
de cōtrouersus, & pars institit de no- prœsēs decis. habetur 1 in
uo audiri super difficultate proposi- press. diuers. nouiss. 174.
ta sub die 20. Februarij, iterū eam proposui part. 1.
& pro parte Reuerend. fratrum sancti Cle-
mentis fuerunt nonnulla deducta plenius &
diffusius, quàm in præcedenti propositione.
Quibus nō obstantibus Domini perseuera-
1 runt in resolutione iam facta, quod † pœna
l. fin. C. de iur. emphyt. non habet locum in
conductore ad longum tempus, quæ opinio,
cum satis fuerit aliàs fundata, superest tā-
tum respondere argumentis & auctoritati-
bus in contrarium adductis. Et Primo, quòd
deducitur ad probādam magnam affinita-
tem, quæ est inter istos contractus *ex l. 1. §.
si. & ex l. fin. si ag. vectig. vel emphyt. Item
ex Auth. qui rem. C. de sacrosan. eccles. tunc.
§. si verò. in Auth. de alienat. & emphyt.*

cum

cum alijs, & ex c. potuit. de locat. & c. nulli.
2 *de reb. eccl. non alien.* & ex eo, quòd † sub
ijsdem titulis tractetur materia vtriusque
contractus, cum alijs, in quibus conueniūt;
vnica responsione tolluntur. Non enim ne-
gatur in multis easdem regulas vtrique cō-
tractui conuenire; sed non ideo infertur es-
se in omnibus & per omnia similes & æqui-
paratos, quod clarè conuincitur ex multis
differentijs, quæ in resolutione facta sub die
20. Februarij in secundo fundamento pro
parte Domini Horatij deductæ fuerunt;
quod etiam conuincitur *ex §. adeo. sæpius
allegat. Instit. de locat.* Nec facit ad rem,
3 quòd † eædem solemnitates requirantur in
locatione rei Ecclesiæ ad longum tempus,
quæ in emphyteusi; hoc enim non prouenit
ex natura contractus, sed ex subiecta ma-
teria: nam res Ecclesiæ sine solemnitatibus
alienari non possunt; & ideo in emphyteusi
rei non Ecclesiasticæ, & eiusdem locatio-
ne apertè dignoscitur differentia inter istos
contractus; Nec procedit argumentum,
quòd sub ijsdem titulis de vtroque agatur,
4 † cum clarū sit, concessionem agri vectiga-
lis longè esse diuersam à contractu locatio-
nis, *Alciat. lib. 3. dispun. cap. 10. Rum. cōs.*
5 *161. num. 22. lib. 1.* & † argumentum ab æ-
quiparatis requirit æquiparationem omni-
modam, & per viam regulæ, *Paris. cons. 49.
num. 83. lib. 3. cum alys.* Secundo deduci-
tur fuisse inductam pœnam *l. fin.* ob reco-
gnitionem & prælationē, hasq. rationes es-
6 se expressas; † ideo extendendas ad condu-
ctorem, in quo pariter militant, *Curt. sen.
cons. 9. num. 5. Alex. l. cum mulier. num.
3. solut. matr.* sed respondetur negando ali-
quam fuisse rationem circa priuationē ex-
pressam, & cùm aliàs fuerit demonstratum
adesse magnam differentiam inter vtrūque
contractum ratione deuolutionis, vt in præ-
dicta decisione in quinto fundamento hu-
ius opinionis fuit deductum; Ideo cessat
7 hoc argumentum. Tertio deducitur, † quā-
do agitur de consolidatione dominij vtilis
cum directo fieri extensionem ex rationis
identitate, *vt per Alex. d. l. cum mulier.
num. 3.* sed eodem pacto respondetur ra-
tionem esse diuersam inter istos contractus.
Quartum, quod deducitur de fauore piæ
causæ, eodem pacto confutatur; procedit
enim data identitate rationis. Nunc su-
perest videre, An adsint tot Doctores con-
trariam opinionem tenentes, vt hæc sit vna
ex illis communibus opinionibus, à quibus
recedere in iudicando nefas sit: & Primo
*Bart. in l. 1. §. quod autem. il secondo, de
superficieb.* vltra quòd loquitur per ver-
bum, puto, est animaduertendum, quòd
non loquitur explicitè de pœna; nam quæ-
stio per ipsum proposita est, an superficia-
rius possit alienare irrequisito domino, &
distinguit, quòd aut superficies est empta,
& procedat textus suus, qui vult posse lega-
ri, & donari, Aut est conducta, & tunc pu-
tat idem dicendum, quòd in emphyteuta,
& sic inquit, ista lex determinatur *per l. fin.
C. de iur. emphyt.* sed dicta lex non vult alie-
nationem fieri, nisi prius requisito domino;
8 † ergo respectu huius determinationis pu-
to sensisse Bart. non autem respectu pœnæ;
nam neque hoc expressit; neque ipse age-
bat de pœna, sed de potestate tantum alie-
9 nandi, † & possunt simul stare, & quòd quis
sit prohibitus alienare, & tamen, quòd alie-
nando non cadat à iure suo, *l. cum pater.*
10 *§. libertis. de legat. 2.* † diuersæ enim
sunt pœnæ nullitas contractus, & iuris sui
priuatio. Angel. *in Auth. de non alien. §. fi-
ne. num. 25.* ingenuè fatetur, se de hoc,
idest quòd eadem pœna irrogetur condu-
ctori, non habere legem, & ita titubat.
Bald. in cap. quarelam. non descendit par-
ticulariter ad istam quæstionem. *Butrius
allegatus in cap. potuit.* nihil tale dicit, *im-
mo. num. 13. & 21.* tradit differentias, quæ
sunt inter vtrunque contractum. *Abbas al-
legatus in cap. propter sterilitatem. vltimo
notab.* nihil facit, nec loquitur de pœna
priuationis ob alienationem; & in contra-
rium facit *Imol. ibid. in addit. ad Abba-
tem. Aretinus cons. 55. num. 5.* probat to-
tum contrarium, & residet in vltima opi-
nione. *Alexander cons. 117. num. 11. lib. 4.*
11 loquitur † in pœna incursa ob non solutio-
nem canonis, in qua expressè isti contra-
ctus sunt æquiparati *per Auth. qui rem. C.
de Sacrosan. Eccles. Bertrandus cons. 311.
lib. 1.* parum facit, non enim loquitur de
hac pœna. *Boerius decis. 234.* loquitur, an
debeatur laudemium, & tandem concludit
quòd non, & ita facit in contrarium, *Cro-
tus cons. 22.* licèt æquiparet hos contractus:
tamen non ad hunc effectum; nec loquitur
in terminis quæstionis nostræ, & non nega-
tur, quòd in multis procedit æquiparatio.
Iason in l. 2. non fixit pedes, videatur *sub
num. 42. & 164. Riminaldus Iunior* * æ- *In cons. 219 n. 35. & 39.
12 quiparat hos contractus in eo, quòd † pro-
hibita alienatione censeatur prohibita lo-
catio ad longum tempus, & sic non facit
ad rem. *Socinus cons. 167. num. 7.* loqui-
13 tur † de contractu liuellario, & tenet in
effectu, quòd non differat ab emphyteusi, ex
quo etiam apparet, quanta sit fides adhibē-
da *Fulgosio, qui cons. 240.* voluit, quòd pœ-
na *l. fin.* extendatur ad conductorem ad
longum tempus; & tamen in contractu li-
uellario contrarium tenuit *cons. 7. num. 2.
Tiraquellus de retract. §. 1. glos. 14. num.
84. circa fin.* contrariam sententiam am-
plectitur ibi, sed ne decipiaris, vide Al-
bericum, &c. Soli ergo remanent, qui cla-
rè opinionem hanc teneant Angelus, Ful-
gosius, Decius, Ruinus, Natta, & Franci-
14 scus Becius allegati. † Illi enim, qui sim-
pli-

pliciter sequuntur doctrinam *Bart. in l. 1. ae superficieb.* non videntur connumerandi, cum non loquantur respectu pœnæ, vt supra fuit dictum. Nec illi, qui tradunt nullam esse differentiam inter istos contractus, sunt audiendi, cum loquantur contra communes sententias; & in terminis, quòd leges pœnales contractus emphyteusis non sint ad alios similes extendendæ, addi possunt alijs in priori decisione allegatis *Gemin. in cap. ad Apostolica. §. sed licèt. in fin. de senten. & re iudic. in 6. & Alex. cons. 9. num. 4. lib. 3.* Et ex his patet sententiã Fulgosij non solum iuribus non probari, sed neque etiam auctoritatibus ita fulcitam esse, vt pro communi haberi possit, itaut ab ea non sit recedendum.

Romana Prælationis.
Die Mercurij 14. Martij 1576.

S V M M A R I V M.

1 *Persona testis censetur approbata per illius productionem; etiam si sit interessatus, & pars formalis, & procedit etiam in diuersis causis, vt num. 4.*

2 *Interessatus, & qui est pars formalis, & etiam inimicus à parte potest approbari in testem.*

3 *Per pactum potest fieri, quòd stetur depositioni partis aduersæ.*

5 *Per scientiam specificam qualitatis excluditur error.*

6 *Iuramentum excludit errorem.*

DECISIO CCLXXXIX.

prædicta decis. habetur i[n] ... press. diuers. nouiss. 140. part. 2.

FVit resolutum regulam *l. si quis testibus. C. de testib.* esse contra D. Hieronymũ,
1 nempè, quòd † per productionẽ testis persona censeatur approbata, quæ cum generaliter loquatur, est intelligenda respectu
etiam exceptionis propositæ, nempè quòd
2 Guglielmus † sit interessatus, & pars formalis; cum etiam inimicus possit approba-
3 ri, & † per pactum possit fieri, vt stetur depositioni partis aduersæ, prout bene deducitur per Dominum Cerasium. Neque obstat, quòd causa, in qua fuit examinatus, sit diuersa ab illa, in qua fuit nominatus; quia
4 dicta † regula procedit etiam in diuersis causis; sed quod plus est; in causa illa non habebat interesse, & in ista, in qua fuit nominatus, habebat interesse, sed & omnes causæ fuerunt mihi commissæ; & ipse fuit nominatus, vt deponeret super articulis, & tota causa. Non obstat prætensus error,
5 quia † per scientiam specificam qualitatis excludentis eum à testimonio, quam habuisse Hieronymus apparet ex prohemio articulorum, iste error excluditur; maximè cum omnes ferè testes per eum nominati exceptiones ex eodem fonte prouenien-
6 tes paterentur. Præterea † iuramentũ excludit errorem, vt per informantes. Aliæ quoque exceptiones bene fuerunt euacuatæ per eundem Dominum Cerasium; Ideo conclusum Guglielmum non esse reijciendum, sed relinquendum arbitrio, in discussione testium, per quos Antonius prætenderet se probare renunciationem Hieronymi. Fuit tamen reseruatum, vt viderem, si fuit aliàs in hac causa resolutum, quòd talis approbatio retrotrahatur ad examen præteritum, & si non, fuit resolutum, vt audiã super hac reseruatione D. Hieronymũ, quod ego faciam, quia inueni hoc quidem fuisse tactum 7. Octobris præteriti, sed non resolutum.

Imolen. Castrorum.
Die Veneris 16. Martij 1576.

S V M M A R I V M.

1 *Bona ad Cameram non dicuntur legitimè deuoluta, nisi legitimè priuatio fuerit iustificata.*

2 *Dictio, legitimè, importat iuris ordinem & dispositionem.*

3 *Decretum nullum, nullum præstat iuris fomentum nec adminiculum.*

4 *Ad priuationem regulariter requiritur trina citatio.*

5 *Vbi non constat de relatione Cursoris, quis non præsumitur citatus vel personaliter citatus.*

6 *Testibus suspectissimis & instigatoribus non est credendum, etiam in criminibus simoniæ vel læsæ maiestatis.*

7 *Ille non est amplius citandus, qui citatus dicit se nolle comparere; & in hoc non statur testibus de tali re deponentibus, sed debet iudici constare per relationem Nuntij seu Cursoris; ad hoc vt possit quis dici verus contumax.*

8 *Ille dicitur verus contumax, qui non comparuit, nec docuit de aliquo legitimo impedimento, præcedentibus tamen necessarijs citationibus, vel monitorio, in quo comminatio fuisset apposita; alias secus.*

9 *Per priuationem factam in contumaciam contra eum, qui non fuit verus contumax, Feudum non potest dici perpetuo iure ad Cameram spectare, cum infra annum Vassallus non priuetur proprietate feudi, licèt possessione priuari possit; quod procedit, etiam si præcessisset trina citatio.*

10 *Priuatio feudi facta in contumaciam non est perpetua sed temporalis.*

11 *Stylus non sanat nullitatem decreti; nisi ad id sit conceptus.*

12 *Stylus non sanat defectum citationum, quæ ad priuationem feudi requiruntur.*

13 *Ex temporis antiquitate præsumuntur interuenisse citationes necessariæ in actu solemni*

eus

eus in tempore breui quinque vel sex annorum.

14 *In causa priuationis, in qua nimis præcipitanter fuit processum, non præsumuntur citationes necessariæ interuenisse.*

15 *Sententia lata sine processu, regulariter si nõ est lata contra præsentem, & non appellantem, præsumitur nulla; secus est, si sit ita lata contra absentem verum cõtumacem. Idem est contra fictum contumacem, qui intra decendium à die notitia non appellauit. vt num. 22.*

16 *Super validitate actus pro maioribus iudicibus præsumitur, & multo magis pro Collegio.*

17 *Clerici Cameræ dicuntur habere à Papa mandatum generale cum libera, & habent facultatem in procedendo, quam habet Gubernator Vrbis.*

18 *Gubernator Vrbis potest nullis seruatis terminis substantialibus procedere in causis.*

19 *Testes licèt patientes exceptiones possunt suppleri ex decretis in ijs, in quibus cõcordãt.*

20 *Alleganti nullitatem actus, seu processus, vel sententiæ, incumbit onus probandi omnia acta, vt possit argui contra sententiam.*

21 *Vbi agitur de sustinenda sententia, Rota non ita strictè procedit, sicut quando agitur de exequutione, quo casu maturius procedere solet.*

22 *Contradictio sententiæ sine appellatione nihil operatur.*

23 *Dans de iure tertij, debet dare de iure claro.*

24 *Verus contumax habetur pro conuicto & confesso per statuta per totam Italiam notissima.*

DECISIO CCLXXXX.

DOmini præsuppositis decisionibus coram me factis * super decretorũ nullitate fuerunt concordes, narratiuã fel. rec. Clementis non esse sufficiẽter adminiculatam, tria enim videntur præcipuè ex dicta narratiua colligi: Primum est, quòd Alidosius fuerit priuatus, & quidem tacitè innuitur, licèt hoc expressè non dicatur, quòd fuerit ob delicta per eum perpetrata, cum vocetur iniquitatis filius: Secundum, quòd dicta priuatio fuerit legitimè facta; aliàs Castra non essent legitimè deuoluta: Tertium, quòd dicta priuatio fuerit perpetua, & non temporalis, ex eo quòd dicitur dicta Castra spectare perpetuo iure ad Cameram Apostolicam: & licèt primum ex decretis & facti notorietate verificetur, nempe quòd Ricciardus fuerit priuatus: secundũ tamen

1 † quòd fuerit legitimè priuatus, nullo modo videtur iustificatum;

2 † Dictio enim, legitimè, importat iuris ordinem & dispositionem, *Innocent. in c. fin. de libel. oblat. Card. cap. ad audientiam. de reb. Eccl. non alien.* cum enim fuerit aliàs dictum, Decreta ex

* Et præsertim sub die Ven 28. Iunij 1574. & 23. Aprilis 1575. quæ habetur sup. sed prima nõ habetur extẽ sa, nisi in hęc verba formalia, Regula est pro Illustriss. Cardinali, quod nõ statur assertioni Papæ, i casu, de quo agitur, per decisiones allegatas. Neque ex decretis Cameræ põt sumi adminiculũ, cũ labo rẽt multis defectib. maximè citationis, de q̃ n nõ constat, & q̃ fuerit facta ẽ cõtumaciam. Tũ Dñi volũt videre, an ea testib. ita concordantur, vt sic et stãdũ. Decisiones ve rò alleg. sũt Moh. d. 393. & 395. Put. 310. lib. 1. Crescent. 49.

3 eorum inspectione esse nulla; ideò † nullã præstant, iuris fomentum, nec adminiculum, *l. nulla. de auth. tut. Cassad. decis. 6. n.*

4 *1. de prabend.* Insuper regulare est, vt † ad priuationem requiratur trina citatio, *cap. 1. de milit. vassal. qui contum. &c.* de qua in casu proposito non constat. Nec obstat, quòd id intelligatur de ficto contumace, ex sententia *Andr. ibid.* quia neque etiam pro-

5 batur, † quòd Alidosius fuerit personaliter citatus; nam neque de relatione Cursoris

6 constat, † neque est credendum testibus suspectissimis, vt potè instigatoribus, quibus neque etiam in criminibus simoniæ, & læsæ maiestatis creditur, *c. per tuas. de simon. c. 1. de testib. in 6.* Nõ obstant alij testes Ricciardi, quia vnus tantum deponit de auditu & rumore publico, nec deponit in specie de personali apprehensione, & ita tollitur

7 etiam id, quod dicitur, † eum, qui citatus dicit se nolle comparere; non esse amplius citandum, quia de hoc non constat, nisi per eosdem testes, sed dato quòd eis fides esset adhibenda, necesse esset, vt de hoc constaret iudici per relationem Nuncij; sed neque habemus relationem Cursoris, neque dicunt testes hoc fuisse responsum Cursori, sed post eius recessum à Ricciardo dictum, ita quòd non potuit iudex de hac re notitiam habuisse; & ita locum habet *doctr. Bart. in l. multum interest. num. 4. de eod. & demon.* Neque obstat, quòd immo appa-

8 ruit, † eum fuisse verum contumacem, ex quo nõ cõparuit, nec docuit de aliquo legitimo impedimento, quia ad hoc erat necessaria alia citatio, nisi fuisset comminatio apposita in monitorio, vt *per Alex. cons. 212. num. 11. & ibi Add. lib. 6. Marant. in sua praxi in 6. examinanda. num. 34. & 35. Idem in l. de vnoquoque. nu. 191. de re*

9 *iudic.* Igitur cum ex his † non constet Alidosium fuisse verum contumacem, & priuatio fuerit facta in contumaciam, vt testatur Puccius Clericus Cameræ, resultat, quòd per talem priuationem, non poterant dici Castra perpetuo iure ad Cameram spectare; cum intra annum non priuetur Vassallus proprietate feudi, sed possessione tantum, etiam si præcessisset trina citatio, *vt per Andr. de Isern. in d. cap. 1. num. 2. Aluarot. num. 7. & 15. & Afflict. num. 9.*

10 † & talis priuatio non est perpetua, sed temporalis, *Natt. cons. 444. num. 4. Felin. cap. ex litteris. num. 16. de rescript.*

11 Nec † ad sanandam nullitatem decretorum quicquam facit stylus, tum quia non est ita conceptus, vt percutiat illud tem-

12 pus priuationis; neque sanat defectum trinæ citationis, quinimmo facit in contrarium, cum dicatur in eo, quòd citatio, de qua in decreto fit mentio, non describitur in libro decretorum, sed traditur Notario, & tamen de tali citatione non constat. Neque

13 que placet, quòd † ex antiqnitate præsu-
matur, cum inter priuationem & commis-
sionem causæ super spolio intercesserint
tantum quinque vel sex anni; maximè in ca-
14 su isto; † in quo nimis præcipitanter fuit
processum, cum in termino primæ citatio-
nis accusetur contumacia, & priuetur, *vt*
per Aym. de autiquit. temp. par. 2. num. 53.
& ita omnia adminicula sumpta ex decre-
tis, testibus, & stylo corruere: Fuerunt ta-
men aliqui ex Dominis, qui dixerunt, quòd
quatenùs dubitaretur de resolutionibus fa-
ctis super nullitate decretorum, & huiusmo-
di nullitas non haberetur pro resoluta, du-
bium propositum non carere difficultate.
15 Primo, quia licèt † regulariter sententia
sine processu, si non est lata contra præsen-
tem, & non appellantem, præsumatur nul-
la; *glos. & Doctor. in cap. per venerabilem.*
qui fil. sint legit. Aegid. decis. 89. Cassad.
de præsumpt. decis. 1. Sarneu. de triennal.
quæst. 33. tamen hoc non procedit, si sen-
tentia lata est contra absentem verum con-
tumacem, *Rota 9. de probat. in nou. Butr.*
cap. quoniam contra. de probat. col. 15. Card.
col. fin. Imol. col. 6. & in cap. cum in iure
peritus. num. 6. de offic. delegat. Alexand.
cons. 22. in 2. Gabr. de senten. conel. 4. n. 20.
Idem etiam est contra fictum contumacem,
si non appellauit intra decendium à die no-
titiæ *Doctor. supracitati in d. cap. quoniam*
contra. Gabr. ibid. num. 22. Et hæc limita-
tio videtur bene applicari ad casum istum;
16 maximè † cum pro maioribus iudicibus
præsumatur, *l. 1. de offic. Præfec. Prætor. Aym.*
de antiq. temp. part. 2. num. 21. & multo
magis pro Collegio, *Abb. cap. prudentiam.*
17 *in 3. notab. de offic. delegat.* & † Clerici Ca-
meræ dicuntur habere à Papa mandatum
generale cum libera, *Dec. cons. 404. in*
princ. & verisimiliter habent facultatem,
18 quam habet Gubernator Vrbis, † qui po-
test nullis seruatis terminis substantialibus
procedere, *Paris. cons. 126. lib. 4.* & de cō-
tumacia vera Alidosij, cum fuerit citatus
personaliter, constat ex testibus, præsertim
ex tertio, qui fuit Clericus Cameræ, licèt
19 † alij patiantur exceptiones, nam supplen-
tur ex decretis in ijs, in quibus concordant,
Aym. cons. 6. num. 66. & 198. num. 5. &
in istis decretis enunciantur substantialia,
nempe decretum monitorij, citatio perso-
nalis, & contemptus Alidosij, *Aym. consil.*
108. num. 2. Ex quibus sequitur, quòd alle-
20 ganti † nullitatem incumbit onus proban-
di omnia acta, vt possit argui contra sen-
tentiam, *Corn. cons. 348. num. 31. cum seq.*
in 1. Abb. cons. 41. in 1. Dec. cons. 341. num.
12. Alex. 218. col. 1. in 2. Aym. de antiq.
temp. part. 2. num. 30. Et sic non obstat,
quòd non constet de trina citatione, & alijs
necessarijs ad validitatem, quia hæc omnia
ex supra deductis prælnmerentur; maximè
cum in decretis appareat Alidosiū bis mo-
nitum, quod ex testibus deponentibus de
21 duobus diuersis Nuncijs cōfirmatur: † Nec
hic agitur de exequutione sententiæ, quo
casu solet Rota maturius procedere, cum
exequutio sit facta, sed de ea sustinenda.
Nec quicquam videretur facere contradi-
ctio Alidosij de anno 1536. in iudicio ciui-
22 li, quia † esset necessaria appellatio, vt su-
pra dictum est. Nec præsumptiones istæ
fundantur in tempore, sed in decretis, te-
stibus, & alijs. Et ex his videri relultare
saltem adminiculum sufficiens narratiuæ
Clementis Septimi, cum hæc sint vrgentio-
ra ijs, quæ pro adminiculis fuerunt consi-
23 derata à Rota *in decis. 89. Crescent.* † & dās
de iure tertij debet dare de iure claro. Præ-
terea Castra huiusmodi propter priuatio-
nem spectant proprio iure ad Cameram, ex
24 quo † per totam Italiam sunt statuta notis-
sima, quòd contumax habeatur pro conui-
cto & confesso, *Boss. tit. quomod. proced. per*
præcept. num. 4. & 13. & de requirend. reis.
num. 2. & 3. & Bannit. quomod. admitt.
num. 19. & 20. Ideo cogitandum.

Astoricen. Archidiaconatus.
Die Lunæ 19. Martij 1576.

SVMMARIVM.

1 *Clausula, quòd iuspatronatus habeatur, ac si ex vera dotatione, & fundatione competeret, facit quòd regulari debeat, prout regulatur illud, quod ex dotatione & fundatione competit; nisi de contraria mente Papa appareat.*

2 *Clausula, quòd non possit derogari, nisi de toto tenore, & de data, plena specifica, indiuidua, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio fiat &c. importat, quòd non possit tolli per aliam clausulam hoc modo conceptam, etiam si expressa de clausulis derogatorijs mētio facīda esset.*

3 *Clausula, & tunc ad id expressus accedat consensus, est maxima efficacia, cum in dubio Papa nūquam censeatur defectum consensus supplere velle.*

4 *Clausula, non autem per clausulas generales idem importantes, videtur formam inducere, quæ non possit per æquipollens impleri, licèt in voluntarijs regula sit in contrarium.*

5 *Clausula derogatoria cōtinent protestationē defectus voluntatis in dispositione sequētē.*

6 *Reuocatio facta per viam legis cum clausula derogatoria non tollit præcedentes dispositiones clausulam derogatoriā ad sequētia habentes; quod verū est, si cum dicta clausula derogatoria cōcurrat alia clausula, etiam si de illis esset facienda expressa mētio, vel clausula, quorū tenores, & num. 7.*

8 *Princeps est lex animata, & potest fingere*

expressum, quod expressum non est.

9 *Clausula, quorum tenores, in derogationibus facit, quòd infinita derogationes de stylo Rotæ remaneant inefficaces, quæ aliàs essent efficaces.*

10 *Ad reuocationem prioris testamenti facti cũ clausula derogatoria sufficit, quòd cum posteriore concurrant aliquæ coniecturæ mutatæ voluntatis.*

11 *Suspensio quinquennalis æquiparatur derogationi.*

12 *Papa non dicitur imponere legem successori, quãdo nõ imponit potestati sed voluntati.*

DECISIO CCXCI.

prãtẽs decis. habetur ĩ impress. diuers. nouiss. 137. par. 1.

FVit resolutum indultũ Marchionia suffragari aduersus regulam reseruatoriã fel. rec. Pauli IIII. propter clausulas in eo contẽtas prægnantiores, & potẽtiores clausulis regulæ: Et Primo fuit considerata
1 † clausula, quòd iuspatronatus huiusmodi
habeatur, ac si ex vera dotatione & fundatione competeret, quæ facit, vt licèt hæc qualitas insit ex priuilegio; debeat tamen regulari, prout regulantur ea, quæ ex dotatione & fundatione competunt, nisi de mẽte cõtraria appareat, aliàs nihil operaretur illa æquiparatio; ideo non censetur in dubio derogatum, *Gemin. in c. cũ in illis. §. illis verò. num. 9. de præbend. in 6.* Secundo
2 † fuit ponderata clausula, quòd non potest
derogari, nisi de toto tenore, & de data plena, specifica, indiuidua, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio fiat, quæ clausula verbis adeo præcisis concepta importat, vt non possit tolli per aliam clausulam, quæ ita concipitur, etiam si expressa de clausulis derogatorijs mẽtio facienda esset, *vt per Feder. de Sen. cons. 233. Card. cons. 52. Paris. 42. num. 15. vol. 4. Gozzad. cons. 9. num. 26. Sylua de benef. part. 3. quæst. 14. cũ*
3 *alijs.* * Tertio † fuit ponderata clausula, &
tuus ad id expressus accedat consensus, quæ est maximæ efficaciæ, cum in dubio nunquã censeatur Papa defectum consensus supple-
4 re velle. Quarto † fuit ponderata illa clau-
sula, non autem per clausulas generales idẽ importantes, quæ videntur talem formam inducere, quæ non possit per æquipollens adimpleri, licèt in voluntarijs regula sit in contrarium, *vt per Ias. in l. 1. de lib. & posth.* & maximè quia clausulæ generales regulæ non possunt dici idem importare, vt infra dicetur. Quinto fuit consideratum, quòd
5 † istæ clausulæ derogatoriæ continent pro-
testationem defectus voluntatis in dispositione sequenti, *vt per Bart. & alios in l. si quis. in princ. de legat. 3.* Ideo ab huiusmodi protestatione non est recedẽdum, nisi constet de contraria voluntate, de qua non docetur ex aduerso, vt infra dicetur. Non ob-

* Dec. cons. 341. n. 8. Sarnen. in prohem. regul q. 5 col. 3 vers. quæ ratio, Io. Cãpeg. inter cons. vlt. volunt. cõs. 186. sub n. 30 Frã cisc. Marz. decis. 17. n. 5. & seq.

stant in cõtrarium adducta; Et primo, quod
6 dicitur, † reuocationem factam per viã le-
gis, cum clausula derogatoria tollere omnes præcedentes dispositiones, etiam clausulam derogatoriam ad sequẽtia habentes, *ad Bart. in Extrauagant. Ad reprimen. in verb. non obstante, Calder. cõs. 21. de priuil. cum alijs*, a quicquid sit de ista quæstione valde inter Doctores controuersa, videtur, quòd receptior opinio sit, quòd hoc sit verũ
7 † quando cum clausula derogatoria posita
in lege vel constitutione concurrit clausula, etiam si de illis esset facienda expressa mentio, vel clausula, quorum tenores, & in istis terminis loquitur *Rip. qui cæteros cumulat in c. 1. num. 55. de rescript. Tiraq. de leg. cõnub. glos. 7. num. 204.* vbi allegat rationem
8 quia † Princeps, qui est lex animata, potest
fingere expressum, quod expressum non est, & in istis terminis procedit stylus curiæ, de quo facit mentionem *Rip. loco allegato, & Cassador. 10. super regul. quem refert, & sequitur Gabr. de clausul. concl. 5. n. 12. 13.*
9 *& 14.* † & ideo inualuit stylus apponẽdi di-
ctam clausulam, quorum tenores, sine qua de stylo Rotæ infinitæ derogationes remanent inefficaces, quæ aliàs essent efficaces *Gozzadin. consil. 9. num. 27. cum*
10 *alijs.* Secundo non obstat, quòd † in
materia testamentaria Doctores contentãtur ad reuocationem prioris testamenti facti cum clausula derogatoria, quòd cum posteriore concurrant aliquæ coniecturæ mutatæ voluntatis, vt *per Socin. in l. si mihi & tibi. §. in legatis. de legat. 1. Couar. Rubr. de testam. part. 2. num. 19. cum alijs latissimè deductis in vna Foroliuien.* a *corã R. P. D. de Grassis*, quia re vera tota ista materia pendet à voluntate; & ideo nil mirum, si quando ex coniecturis constat de voluntate reuocandi testamentum, censetur reuocatum: sed in casu, de quo agitur, tãta est prægnantia clausularum indulti, vt superent lõgẽ efficaciam aliarum in regula contentarum; & ideo de ista contraria voluntate non constat, immo potius constat noluisse derogare, ex quo clausulæ istæ vltimæ sunt debiliores, & istam prægnantiam, & geminationem considerauit *Paris. cons. 42. col. fin. in 4.* licèt in casu suo adesset clausula, pro expressis &c. Ideo *Federic. d. cons. 233.* voluit, quòd sine dubio constaret de mente Principis derogare volẽtis *sub num. 7. vers. præterea.* Tertio nõ obstat, quòd regula suspendat, non autem reuocet indulta; quia
11 † cum suspensio sit ad quinquẽnium æqui-
paratur derogationi, *Sarnen. in regul. de nõ toll. iur. quæsit. quæst. 10. num. 6. Put. decis. 289. lib. 3.* Quarto non obst. † quòd Papa
12 non possit imponere legem successori, quia
non imponit legem potestati, sed voluntati. *Sylua de benefic. par. 3. num. 14.* Ad alia sufficiens potest colligi responsio ex supradictis;

a Sarnen. in prohem. regul d. q. 5. n. 3. Rip. in c. 1. de rescrip. n. 8. circa med. vers. in pen sedanda contrarietate.

a corã R. P. D. Cal. de Gras. i Foroliuien. hæreditatis, & bonorum 18. Decebris 1571. quæ in impress. habetur decis. 9. de testam.

dictis; Ideo Domini amplexi sunt istã partem, quæ magis videtur congruere stylo, & quæ concordat cum antiquis decisionibus in hac causa factis, & aliâs allegatis.

Regien. Prætensæ Pensionis.
Die Mercurij 28. Martij 1576.

SVMMARIVM.

1 *Confessio de recepto non probat primum extremum possessionis exigendi pensionem, nisi probetur vera numeratio; secus est, vbi adsint adminicula vnà cum confessione, vt num. 3.*

2 *Confessio Prælati, vel alterius administratoris in præiudicium Ecclesiæ, & successorum non tenet.*

DECISIO CCXCII.

FVit resolutum regulam esse cõtra Com.
1 Carolum, quòd † ad probationem primi extremi confessio de recepto nõ probat, nisi probetur vera numeratio; hęc enim probatio non habetur in hac materia pro concludenti: & primum extremum debet concludenter probari, *& ita dictum fuit Rotã tenuisse in illa causa Reu. Veralli Caputa-*
2 *quen. pẽsionis.* nã etiã † cõfessiones Prælati vel alterius administratoris in prçiudiciũ Ecclesiæ & successorũ non tenẽt, *vt per Butr. Imol. & alios in c. fin. de præscrip. Ang. cõs. 245. n. 7. & 8. Barb. cõs. 17. n. 3. lib. 4.* Nec obstat, quòd adsit pręcedẽs titulus, quia de eo principaliter controuertitur, cum Præpositus alleget
3 nullitatẽ pensionis; † hæc tamen regula fallit, vbi adsunt adminicula vnã cũ confessione; & ideo erit videndum, an adsint adminicula sufficientia oĩbus simul cõsideratis.

Reatina Beneficij.
Die Veneris 6. Aprilis 1576.

SVMMARIVM.

1 *Effectuatio prouisionis Capituli satis dicitur constare ex resignatione in manibus ipsiusmet Capituli liberè facta, & quod Capitulum cõtulerit, & sic per actus possessionis in illius consequentiam veniẽtes.*

2 *Vnicus testis de auditu in antiquis facit adminiculum.*

3 *Vbi non agitur inter collatores super iure conferendi, sed solum inter prouisos, sufficit quasi possessio conferendi.*

4 *Ex lapsu temporis præsumitur scientia Episcopi super iurisconferendi possessione à Capitulo quæsita.*

DECISIO CCXCIII.

pręstas decisio habetur in impres. diuers. nouiss. 147. part. 6.

FVit resolutum sufficienter constare de prouisione Capituli facta Bẽtio ex protocollo Francisci de Prato notarij publici, & præcipuè cessare hãc difficultatẽ ex productionẽ instrumẽti publici pro parte Domini Alexandri vltimo exhibiti, & hoc ca-
1 ret difficultate. † Quantum verò ad effectuationẽ, pariter fuit per Dominos cõclusum de ea constare, ex quo Bentius postea de anno 1523. resignauit liberè in manibus Capituli, & Capitulum contulit Mecutio, cuius collarionis vigore idem Mecutius cœpit possessionem, vt clarè legitur in instrumento suæ possessionis, & cum continuauerit per longissimum tempus, ex qua quidem effectuatione satis constat, prouisionem Bentij sortitam fuisse effectum, vt in simili *per Bald. in l. 2. num. 1. de commun. rerum alien. Ruin. cons. 31. num. 18. lib. 5. Bellon. cons. 51. num. 4. bene facit Oldrad.*
2 *cons. 229. num. 2.* † concurrit quoque vnus testis de auditu, qui in antiquis facit adminiculum. Ea verò, quæ ex aduerso allegãtur *ex cons. Calder. 13. de iure patr. Dec. cons. 134. & alijs* * procedunt respectu inducendæ præscriptionis, qua non indiget
3 Alexander; † nõ enim hic agitur inter Episcopum Reatin. & Capitulum super iure conferendi, sed inter prouisos, quibus sufficit quasi possessio conferendi, c. consultationibus. de iurepatr. Neque etiam deficit titulus, cum Capitulum habeat titulum ex Bulla Bonifacij in actis producta. Neque obstat, quòd non probetur scientia & patiẽtia Episcopi, quia nunc non agitur, an fuerit quæsita sufficiens possessio conferendi Capitulo; sed hoc erit postea videndum; licèt etiam hoc visum fuerit habere modicam difficultatem, cum in pluribus causis in
4 Rota fuerit resolutum, † ex temporis lapsu præsumi scientiam Episcopi.

*Doctor. I c. cũ Ecclesia Sutrin. de caus. poss. & propr. & præsertim Rip. num. 95. vers. 5.

Portuen. de Columna,
Die Lunæ 9. Aprilis 1576.

SVMMARIVM.

1 *In materia possessoria non solet dari remissoria, nisi sine retardatione; etiam quòd tractetur de legitimatione personæ, & adsit fumus, vt num. 7. & 8.*

2 *In remedijs possessorijs non solẽt admitti exceptiones altiorẽ indaginẽ requirẽtes, nec illæ quæ nõ possint incontinenti probari.*

3 *In propbanis remissoria passim datur sine fumo, & cum retardatione; quod tamen procedit in iudicijs ordinarijs.*

4 *In possessorio recuperandæ, & in alijs exequutiuis aliquãdo datur remissoria; quod tamen procedit, vbi exceptio probanda respicit possessorium, non autẽ petitorium.*

5 *Exceptio percutiens petitorium, & quæ venit probanda in longinquis partibus non admittitur.*

6 *In Saluiano non datur mixtura petitorij.*

DECISIO CCXCIV.

DOmini pro maiori parte tenuerunt remissoriam dari posse, sed sine retarda-

tione,

1 tione, † cum in materia ista possessoria non
soleat dari cum retardatione, ex eo quòd
2 † in huiusmodi remedijs possessorijs non so-
lent admitti exceptiones altiorem indaginē
requirentes, nec illæ, quæ incontinenti non
possunt probari; per ea quæ deducuntur à
Dominis aduocatis Illustriss. Domini Iulij.
3 Nec obstat, quòd † regula sit, quòd in propha
nis passim datur remissoria, sine fumo, & cū
retardatione, quia procedit in iudicijs or-
4 dinarijs; † & licèt aliquādo detur in posses-
sorio recuperandæ, & alijs exequutiuis; ta-
men procedit, vbi exceptio probanda respi-
cit possessorium ipsum non autem petito-
rium: sed in casu isto exceptio proposita
contraueutionis non detrahit possessorio,
nisi per viam petitorij, quod est suspensum;
5 Ideo † non debet admitti exceptio percu-
tiens petitorium, & quæ venit probanda
6 in longinquis partibus; cum † in Saluiano
non detur mixtura petitorij: & ita proce-
dunt in contrarium allegata; aliàs semper
in omnibus possessorijs daretur remissoria
super articulis concernentibus petitorium,
quod semper absorbet possessorium. Neque
obstat, quòd ista exceptio sit peremptoria;
quia perimit per viam petitorij non autem
7 possessorij. Neque obstat, quòd tractetur de
legitimatione personæ, secus enim visum est
Dominis hanc partem tenentibus, cum iam
fuerit in actis legitimata persona Illustrissi-
mi Domini Iulij Cæsaris tanquā descendē-
tis ab illis, qui pactum inierunt, & conse-
quenter videtur ista materia concernere
exceptionem Illust. filiarum, non autem re-
plicationem ipsius, quæ exceptio, vt di-
ctum est, percutit petitorium. Non obstat
8 † fumus, quia non percutit contrauentio-
nem, cum verba possint intelligi de tempo-
re, quo fuerunt prolata: quo casu nondum
factus erat locus pacto; Ideo non est talis
vt ex eo debeamus recedere à regulis iudi-
ciorum possessoriorum.

Romana Prælationis.
Die Veneris 4. Maij 1576.

SVMMARIVM.

1 *Testis productus & approbatus, censetur approbatus ne dum respectu futuri examinis, sed etiam præteriti; itaut non possint contra eum dari personales exceptiones; licèt contra dicta opponi possit.*
2 *Præterita sunt notiora futuris, quæ sunt prorsus incerta.*
3 *Iuri de futuro difficilius renunciatur, quàm iuri de præterito.*
4 *Fides testis est indiuidua, & num. 8.*
5 *Persona testis semel approbata amplius reprobari non potest, nisi ex causa vel superueniente, vel de nouo detecta.*
6 *Testis inductus ab vtraque parte à neutra potest improbari.*
7 *In iudicialibus productio approbationem importat; vt in scripturis, instrumentis, & actis alterius iudicij productis.*
9 *L. si quis testibus. C. de testib. ex rationis identitate locum habet, tam in examine futuro, quàm præterito.*
10 *Testis habilitas vel inhabilitas de tempore examinis est respicienda; non procedit tamen, vbi agitur de approbatione partis.*
11 *Exceptio competens contra testem potest per partem quandocunque remitti.*
12 *Ab exceptione contra personam testis producti opposita dicitur recessum per nominationem postea factam de eodem teste.*
13 *In vno quoque actu repeti debent protestationes, ad hoc ne dicatur ab exceptione recessum.*
14 *Productio testis habet vim expressæ approbationis.*
15 *Approbatio testis alia tacita alia expressa; tacita resultat ob non oppositionē, expressa verò ex productione.*
16 *Dispositio l. si quis testibus. C. de testib. non procedit respectu examinis facti in alia causa; maximè quando exceptio est introducta fauore tacentis.*
17 *Non est verisimile, quòd quis post didicita testificata velit fidem testis, qui contra se deposuit, approbare; non procedit tamen in iudicialibus, vbi non attenditur verisimilitudo.*
18 *Per taciturnitatem quis non censetur recedere, à prioribus protestationibus.*
19 *Data scientia, facilius lex præsumit approbationem in tacente.*
20 *Quis censetur potius approbare personam, quàm dictum, quia dicere potest personam notam habeo, non autem dictum.*
21 *Statutum recipit interpretationem passiuā à iure communi.*
22 *Lex annullans factum in fauorem alicuius intelligi debet, si ille velit.*

DECISIO CCXCV.

CAusa fuit ter proposita: & tandem fuit
resolutū dispositionem *l. si quis testi-*
1 *bus. C. de testib.* procedere, † vt censeatur
approbata persona testis inducti, ne dum
respectu futuri examinis, sed etiam præte-
riti, itaut contra eum non possint dari
obiectiones personales, licèt contra dicta
opponi possit: Et moti fuerunt principali-
ter Domini ex identitate rationis, nulla
enim probabilis ratio differentiæ dari po-
test inter casum dictæ legis respectu futuri
examinis, & casum propositum, quando
præcessit examen; immo si aliqua adesset
differentia, videtur facere, vt potius sit cē-
sendus approbatus testis de præterito, quā
respectu futuri temporis; tum ex eo quòd
2 † præterita sunt notiora, futura verò pror-
3 sus incerta; tū quòd notissimi iuris est, † iu-
ri de futuro difficilius renunciari, quàm iu-
ris

ris de præterito facilè inducatur renunciatio, & fundamentalis ratio *dicta l. si quis te-*
4 *stibus.* videtur esse ex eo, quòd † fides testis est indiuidua, ex quo sequitur, quòd
5 † vbi semel persona est approbata, amplius reprobari non potest, nisi ex causa vel superuenienti, vel de nouo detecta, vt ex textu dictæ legis, & dictis Doctorum colligitur. Huic rationi accedunt auctoritates Doctorum *in dicta l. si quis testibus.* allegantiũ in casibus, in quibus præcesserat examen, *Alex. cons. 191. lib. 7. Neuizan. cons. 47. num. 3. Paris. cons. 88. num. 11. in fin. lib. 3. Petr. de Barbob. inter cons. matrimonial. cons. 24. num. 20. Duen. 2. part. regularũ. regul. 216. num. 66. & Nenixanũ allegat, & sequitur Menoch. cons. 60. num. 17.* & pro hac parte bene facit regula generaliter & indistinctè à Doctoribus tradita, quòd
6 † testis inductus ab vtraque parte à neutra potest improbari, *Bald. cons. 292. factum sic proponitur. n. 10. in 3. Ias. l. admonendi. num. 200. de iureiuran. Dec. cons. 536. n. 11. Capic. decis. 62. num. 6. Grammatic. decis. 34. num. 11. cum alijs per Informantes allegatis.* * Facit etiam pro hac eadem par-
7 te, quòd † in iudicialibus productio approbationem absolutè importat, veluti in productione scripturarum, & instrumentorum, & actorum alterius iudicij, *Grat. cons. 50. num. 45. lib. 1.* Vltimo facit, quòd Dominus Hyeronymus reproduxit depositionẽ
8 Guglielmi; ideo † respectu personæ, cuius fides est indiuidua, censetur eum approbasse, *vt per Bald. l. cum precum. num. 4. C. de liber. caus. Aym. de antiq. temp. part. 1. §. quæritur. num. 14. Paris. cons. 50. num. 60. vol. 1. Socin. iun. cons. 69. n. 11. lib. 1. cum alijs allegatis.* a Non obstant in con-
9 trarium allegata; & Primo, quòd † text. *in d. l. si quis testibus.* loquitur in examine futuro, prout ita illum interpretantur Doctores ex aduerso allegati, quia ex supra deductis apparet, tam ex rationis identitate, quàm Doctorum auctoritate illius dispositionem ad casum nostrum esse porri-
10 gendam. Secundo non obstat, quòd † testis habilitas vel inhabilitas inspiciẽda est de tempore examinis; quia hæc regula nõ procedit, vbi agitur de approbatione par-
11 tis, † quæ potest exceptionem sibi competentem remittere quandocunque, vt tradũt omnes *in d. l. si quis. testibus.* aliàs destrueretur dictæ legis dispositio respectu futuri examinis: pari namque ratione approbatio præcedens nihil operari deberet; & ideo non procedit argumentum, quòd quemadmodum superueniens inhabilitas non destruit prius examen, ita etiam superueniẽs habilitas illud non validat, quia diuersa est ratio, propter factum partis, quæ potest fauori suo renunciare, *Salicet. ibid. num. 9.*
12 Tertio † non obstat, quòd Dominus Hieronymus opposuerit contra personam Guglielmi, quando fuit per Dominum Antonium productus, quia huiusmodi exceptione fuit per nominationem ab eo factam recessum, *Bald. in c. præsentium. num. 5. de testib. & ibi Abb. num. 12.* ideo datur cau-
13 tela, vt † in vno quoque actu repetantur protestationes, *Ias. l. non solum. §. morte. num 13. de oper. nou. nunc. Felin. in c. cũ M. Ferrariensis. num. 68. & ibi Rip. num. 101. de constitut. Mobedan. decis. 44. Put. 42. de re iudic.* & confirmatur ex eo, quòd
14 † productio habet vim expressæ approbationis, vt colligitur ex quæstione, quam tractant Doctores *in d. l. si quis testibus.* vbi constituunt differentiam inter tacitam
15 approbationem, † quæ resultat ex nõ oppositione; & expressam, quæ resultat ex
16 productione, † vt priori casu non procedat dispositio dictæ legis respectu examinis facti in alia causa, *vt per Salicet. in d. l. num. 9. vers. quæro nunc sexto.* quamuis procedat respectu eiusdem causæ, *vt per eundem post Bald. ibid. num. 7.* maximè quando exceptio est introducta fauore tacentis, qui videtur esse casus, de quo agitur. Quarto non obstat ratio inuerisimilitudinis; nem-
17 pe quòd † satis sit inuerisimile, quòd Dominus Hieronymus voluerit post dictam dicta testium approbare fidem huius testis, qui contra se deposuit: quia respondetur, quòd in iudicialibus non attenditur hæc inuerisimilitudo, aliàs frustra per productionem censeretur remissa exceptio inimicitiæ, & aliæ, *vt fuit resolutum 14. Mar-*
18 *tij præteriti:* † neque etiam per taciturnitatem cẽseretur recessum à prioribus protestationibus, immo in contrarium vrget,
19 quòd † data scientia facilius lex præsumit approbationem, vt probatur ex quæstione, quam possit *Cyn. in ead. l. quæst. 9. num.*
20 *12.* vbi quærit, † cur quis potius censeatur approbare personã quàm dictum, quia inquit personam notam habeo, non autem dictum, ex quo resultat alia potentior inuerisimilitudo, quòd cum Dominus Hieronymus habuerit notitiam depositionis, vtique si testis falsum deposuisset, non est verisimile, quòd ipse postea pro se inducere mendacem & periurum voluisset. Vltimo nõ obstat † statutum, quia recipit interpretationem passiuam à iure communi, & de iure est, vt lex annullans factum in fauorem alicuius, intelligatur, si ille velit, *Cassad. 2. & 3. locat. & fuit decisum. coram me in vna Cerueten. Bonorũ. 16. Decembris 1575.* & non dubitatur exceptiones per Dominũ Hieronymum propositas respiecere solum ipsius fauorem, *Felin. c. si diligenti. num. 32. vers. octano fallit. de for. competen.* Ad reliqua ex deductis patet responsio.

* Felin. in c. cautam quæ. n. 1. de re iudic. Boer. cõsil. 40, n. 108. Menoch. cõs. 23. num. 3.

a Aym. cons. 201. n. 7. Cephal. cõ. 142 n. 56. vol. 2.

Astoricen. Archidiaconatus.
Die Veneris 4. Maij 1576.

SVMMARIVM.

1 *In dubio potius pronunciandum est pro non reuocatione priuilegij.*
2 *Papa nunquam solet iuripatronatus in totum derogare, sed solum pro medietate.*
3 *Materia testamentaria dicitur fauorabilis, materia verò iurispatronatus odiosa.*
4 *Vltima voluntas ex sui natura est ambulatoria vsque ad vltimum vitæ exitum.*
5 *Maior requiritur expressio in derogando priuilegio, quod est de sui natura irreuocabile, quàm testamēto, quòd est ambulatorium vsque ad vltimum vitæ spiritum.*
6 *In priuilegio, quod habet duplicem clausulam derogatoriam, maior requiritur derogatio.*
7 *Clausula, quorum tenores, in priuilegijs de stylo apponi solet.*
8 *Clausula, latissimè extendenda, æquipollet clausulæ, quorum tenores.*
9 *Derogatio licèt sit amplissima, non tamen excedit terminos derogationis specificæ.*

DECISIO CCXCVI.

præsēs decis. habetur i im pres. diuers. nouiss. 468. part. 1.

DOmini confirmarunt resolutionem factam sub die 19. Martij proximè præteriti, quòd per regulam reuocatoriam non sit sublatum indultum, ex rationibus tunc
1 deductis, & maximè quia † in dubio potius est pronunciandum pro non reuocatione priuilegij, *iuxta doctrinam glos. 25. quæst. 2. in summ. propè fin.* quā allegat & sequitur *Roman. cōs. 327. in princ.* & vltra tunc deducta fuit dictū, quòd hoc indultū ex dispositione Clementis sortitum fuit naturā veræ dotationis, vt apparet ex verbis illis, ac si ex vera dotatione & fundatione cōpeteret, & ex eo, quòd voluit non posse derogari sine ipsius Marchionis consensu ad instar iu-
2 rispatronatus laicorum, † cui nunquā solet Papa derogare in totū, sed pro medietate, quare regulandum est secundum naturam veri iurispatronatus ex dotatione & fundatione competentis. Neque doctrinæ in contrarium allegatæ in materia testamentaria multum mouebant Dominos, cum
3 † materia illa sit fauorabilis, hæc verò odiosa, *Io. Sylua de benefic. q. 14. n. 3. part. 3.* nam testamenta à sola pendent testantis voluntate, nec præiudicium fit cuiquam, cum ius aliquòd non sit ante obitum testātis cuiquam quæsitum: quòd confirmatur.
4 ex eo, quòd † ex sui natura vltima voluntas est ambulatoria vsq; ad vltimū vitæ exitū, beneficia autem Principum decet esse per-
5 manentia: Quare nil mirum, † si maior requiritur expressio in derogando priuilegio, quòd est de sui natura irreuocabile, quàm in testamento, quod est ambulatorium; &
6 maximè quòd si in eo † adsit duplex clausula derogatoria, requiritur maior derogatio, iuxta ea quæ tradit *Couar. in 2. part. Rubr. de testam. n. 19. vers. Quarto cōstat. bene facit Curt. iun. cōs. 110. in fin.* Nō obstat *decis. 68. Putei de præbend.* quia ibi in priori concessione non aderat forma data futuræ derogationi, prout in casu, de quo agitur, & ibi constabat de enixa mente Papæ ex multis argumentis. Nec obstat *decisio 38. Cassad. super regul.* quia ibi aderat clausula, quorum tenores, & si bene tota consideretur, potius facit in contrarium; maxi-
7 mè vbi attestatur † de stylo apponēdi clausulam, quorum tenores: Similiter *decisiones Achill.* non faciunt, quia ibi specialis facta fuerat mentio Cardinalium cum clausula
8 latissimè extendenda, † quæ æquipollet clausulæ quorum tenores. Vltimo non ob-
9 stat † dictio illa, insolitis, quia hæc derogatio, dato quòd sit amplissima; tamen non excedit terminos derogationis specificæ, non autem habet vim indiuiduæ, ac si de verbo ad verbū totus tenor insertus foret, prout in indulto requiritur, cum non adsit cōcomitantia clausulæ, quorum tenores; & ideo clausulæ indulti sunt fortiores, cum Papa nolit per clausulas generales idem importantes censeri derogatum. Et ita perstiterunt Domini in resolutis cum antiquis decisionibus in hac causa factis. *

* & præsertim sub die 16. Maij 1550 in hac eadē causa coram Put. quæ est 311. lib. 3.

Prænestina Transactionis.
Die Lunæ 7. Maij 1576.

DECISIO CCXCVII.

præsēs decis. habetur i im pres. diuers. nouiss. 16. part. 1.

EX partis libri editi pro parte Illustriss. Domini Iulij Cæsaris satis cōstare dicitur adesse alium librum Castrucij; ideo per eundem Dominum esse edendum, & istos libros poterit ponens causæ ponere in actis. Quantum ad calculatores vnus tātum eligatur pro qualibet parte. Quantū ad estimatores valoris grani & aliorum eligantur per partes, & demum ipsis discordibus Rota eligat tertium. Quantum ad folium productum & saldum, tunc super eis fiat calculus, quando fieri sit recognitum, ideo recognoscantur. Quantum ad molendinorum controuersiam vtrum debeāt applicari Ciuitati Prænestinę, vel Corcollo, non videri hac inspectionem spectare ad peritos, sed esse quæstionem iuris in Rota terminandam, cum factum de loco, in quo sita sunt, & quibus mensibus ad ea accedant molere volentes, sit certum.

Portuensis Bonorum de Columna.
Die Veneris 11. Maij 1576.

SVMMARIVM.

1 *Stylus Rotæ suadere solet, vt etiam in iudicijs possessorijs detur remissoria cum retardatione.*

2 *Su-*

2 *Suspensio est calumniosa, quando est facta tantum ad impediendum remissoriam.*

3 *In iudicijs possessorijs non admittuntur exceptiones altiorem indaginẽ requirentes; vel quæ incontinenti probari nõ possunt, nisi ratione fumi vrgentis pro parte excipientis dati aliud statuendum esset.*

DECISIO CCXCVIII.

MVlta fuerunt per Dominos discussa, sed nihil firmatum; Aliqui enim di-
1 cebant, exempla † & stylum Rotæ suadere, vt detur remissoria etiam in iudicijs possessorijs cum retardatione *per decis. vlt. de restit. spol. in nou. Put. 211. incipit, die 12. Decembr. lib. 1. & fuit aliàs dictum coram Palæotto in vna Caputaquen. pensionis,* * *& Put. 415. lib. 2. incipit in vna Lu-*
2 *cen. cum alijs allegatis*, maximè quia † suspensio videri potest calumniosa, cum fuerit facta ad effectum tantum impediendi remissoriam, *Mohedan. decis.* 198. & hoc etiã dicebant præcipuè in huiusmodi exceptione obseruandum esse, quæ proponitur cõtra personam Illustrissimi Domini actoris ratione contrauentionis ipsius; quæ exceptio venit plenè examinanda; *ad Bart. in l. si quæramus, num. 2. de testam. Bald. in l. 3. §. in hac. ad exhibend. ad idem facit decisio Ant. August. 213. Fabius in Ispalen. lib. 3. Socin. cons. 59. n. 6. lib. 3.* Alij verò erant in
3 contraria sententia ex eo † quòd in huiusmodi possessorijs non admittuntur exceptiones altiorem indaginem requirentes, vel quæ incontinenti non possint probari, & ad hoc facere multas ex decisionibus allegatis *Rota 11. de restit. spol. in antiq. Put. 197. lib. 3.* & hãc distinctionẽ esse vbique adhibẽdã, vbi admittuntur exceptiones in huiusmodi possessorijs; nisi ratione fumi vrgentis pro parte excipientis dati aliud statuẽdum esset, quo casu procedunt multæ ex decisionibus allegatis; & in specie fuit data propter hoc remissoria *in illa Lunen. Sarzanen. corã R. P. D. Lancellotto* 18. *Decembris* 1574. Videri etiam pro hac parte multum facere decisionem quandam aliàs factã in causa Carboniani & Cauiliani coram bon. mem. Oradino, * quam operepretium erit videre; An ad casum nostrum applicetur; Ideo in hac controuersia, causa denuo erit proponenda, & poterunt Domini informantes particulariter scribere super propositis difficultatibus.

[*al. Ian. 1560 & 16. Decẽb. 1561. quæ in impres. diuersor. nouiss. habentur vna 423. & altera 468. vol. 3. & coram D. Io. Paul. 19. Martij 1546. li. 2.]

[* Sub die 11. Decẽb. 1566. & prius in eadem causa Carboniani sub die 9. Maij & 1. Iunij 1558.]

Lucana Pensionis.
Die Lunæ 14. Maij 1576.

SVMMARIVM.

1 *Remedium possessorium summarijssimum intentari potest etiam pendente iudicio ordinario possessorio, non obstante quòd simus in causa appellationis, & num. 10.*

2 *Remedium possessorium summarijssimum introductum fuit, ne quis in sua possessione turbetur.*

3 *Remedium restitutorium datur in secunda instãtia suspenso petitorio; licèt lata fuerit sententia in negocio principali contra spoliatum.*

4 *Facilius datur retentio quàm restitutio,*

5 *In beneficialibus datur manutentio etiam sine titulo colorato; secus est in restitutione.*

6 *Remedium possessorium summarijssimum durat, vsque quo in ipso possessorio ordinario lata sit sententia, quæ per rem iudicatam negocio finem imponat.*

7 *In iudicijs possessorijs de iure ciuili appellatio operatur effectum tãtum deuolutiuũ non autem suspensiuum; secus est de iure Canonico, cum vtrunque effectum operetur.*

8 *Remedium possessorium summarijssimum non datur pro ciuili possessione in casibus, in quibus vnus possidet naturaliter, & alius ciuiliter.*

9 *Manutentio etiam pro iuribus incorporalibus datur.*

11 *Remedium ordinarium non facit cessare extraordinarium, quando illud pinguius prouidet.*

12 *Mandatum de manutenendo datur in Rota constito de possessione etiam sine turbationibus, & sine timore scandali.*

13 *Cessans à solutione pensionis dicitur quasi possessionem exigendi turbare.*

DECISIO CCXCIX.

FVit conclusum Reuerendiss. Dominum
1 † Episcopum posse intentare remediũ possessorium summarijssimum in casu, de quo agitur, pendẽte iudicio ordinario possessorio, non obstante quòd simus in causa appellationis, quia hoc remedium currit cum ordinario, *vt per Capic. decis. 96. num.*
2 *10. & 209. num. 1.* † fuit enim introductũ, ne quis in sua possessione turbetur, *Castr. cons. 3. n. 2. in 2. Couar. pract. quæst. cap. 17.* & militat eadem ratio, siue simus in prima instantia, siue in calculo appellationis, *c. cum teneamur. de appellation. latè Bero. consil. 45. num. 2. in 3.* prout in simili vide-
3 mus, † remedium restitutorium dari in secunda instantia suspenso petitorio, licèt lata fuerit sententia in negocio principali
4 contra spoliatum, & facilius datur retentio, quàm restitutio, *Dec. l. diem functo. num. 15. de off. Assessor. cum allegatis per D. Horatium*, * quod ex eo confirmatur, quòd in beneficialibus datur manutentio etiam sine titulo colorato; restitutio verò nequaquam, & nulla ratione fieri potest, vt in secunda instantia spoliatus sit restituẽdus;

[*Dec. in l. diuus. n. 3. de regul. iur. Ruin. cõs. 88. n. 17. vol. 1.]

turbatus verò non sit manutenendus, alioquin resultaret spolium, quod in ea venit purgandum, & ita implicaretur quodammodo contradictio. Non obstant in contrarium deducta: Et primo, quod dicitur,
6 † hoc remedium durare vsque quo sit lata sententia in possessorio ordinario: verum quidem est, sed est intelligendum de sententia, quæ finem negocio imponat per rem
7 iudicatã, †prout est in possessorijs iudicijs de iure ciuili, in quibus appellatio operatur tantũ effectũ deuolutiuũ non autem suspẽsiuũ;sed cum de iure Canonico operetur vtrunque effectum, vtique per appellationem ita suspenditur eius effectus, vt omnia remedia, quæ in prima instantia competebant, competant etiam in secunda; & ita intellexerit *Menoch. ex aduerso allegatus remed. vlt. retinend. in fin.* & Doctores, qui de sentẽtia lata in possessorio ordinario loquuntur, sunt intelligendi vel iuxta terminos iuris ciuilis, vel de tali sentẽtia, quę habeat paratam exequutionem; & ideo post rem iudicatam in remedio possessorio ordinario, contra eum, cui data fuit manutentio, statim cessat hæc interloquutio. Secundo non obstat, quòd † huiusmodi re-
8 medium non detur pro ciuili possessione, quia Doctores allegati loquũtur in casibus, in quibus vnus possidet naturaliter alter ciuiliter tantum, sed hic nullus possidet naturaliter, cum pensio sit quædam seruitus, & res sua nemini seruit, *l. in re communi. de seruit. vrban. prædior.* Tertio non obstat, quòd limus in iure incorporali, quia
9 † etiam pro his iuribus datur manutentio, *Put. 436. in vna Paduanã. lib. 2. cum alijs per informantes deductis*, [a] Quarto non obstat, quòd fuerit actum ordinariè, quia hoc summarijssimum possessorium competit iu-
10 dicis officio, † & ita se ista iudicia inuicem compatiuntur, quod etiam ex aduerso non
11 negatur in prima instantia; & † remediũ ordinarium non facit cessare extraordinarium, quando illud pinguius prouidet, *Bart. in l. in Prouinciali. §. 1. col. vlt. de nou. oper. nunc. et allegatis per Capic. decis. 96. n. 15.* Quinto non obstat, quòd hic non adsit noua causa turbationis, quia vltra quòd
12 † Rota dat mandatum de manutenendo cõstito de possessione, etiam sine turbationibus, & sine timore scandali, *vt resolutum fuit in vna Bononien. Iurisdictionis* [b] *coram bo. me. Oradino*, huiusmodi ratio non benè applicatur ad casum istum, quia cum cesset à solutione pensionis, quotidie & singulis terminis, quibus solui deberet, apparet quoque de continuata turbatione istius quasi possessionis exigendi. Vltimò nõ obstat decisio aliàs coram me facta, * quia tũc materia perfunctoriè, non autem ex professo, fuit tractata, & melius considerando

a & per Menoch de retin. poss. remed. vlt. n. 25 Bald cõs. 314 Neutzan. cõsil. 81. nu. 34. ad fin Aff. c. decis. 393. n. 7

b In informationibus verò allegatur dicta Bononien iurisdictionis corã bo. me. Card. Lancellotto de anno 1574

* sub die Veneris 17 Ian. proximé præteriti.

Dominis contraria sententia verior est visa, & ita conclusum.

Salamantiua Iurisdictionis.
Die Lunæ 14. Maij 1576.

SVMMARIVM.

1 *Dispositio, qua nos reducit ad ius commune, dicitur fauorabilis.*
2 *Constitutio tollẽs ius quæsitum dicitur odiosa; secus si ius non sit quæsitum neque ex consuetudine, neque ex priuilegio.*

DECISIO CCC.

Domini in dubio proposito nihil firmarunt, nonnulli enim volebant, quòd
1 † dispositio Concilij, cum reducat nos ad ius commune, sit fauorabilis, *vt per Roman. cons. 318. Aym. 135. num. 38.* Alij in contrarium nitebantur auctoritate *Oldrad. cõs. 266. num. 14. lib. 4.* sed fortè hoc idem esset etiam respectu Archidiaconorum, quos tamen decreto Concilij contineri non ambigitur. Tertia fuit opinio distinguentium; An in casu, de quo agitur, dici possit ius quæsitum Abbati Medinæ ex consuetudine legitimè præscripta, vel ex priuilegio; tunc
2 enim † constitutio hæc ius tollens diceretur odiosa, *ad cons. Dec. 168. col. fin.* si verò non fuisset ius, neque ex consuetudine, neque ex priuilegio quæsitum, secus; Ideo facilior via decidendi causam erit videre ante omnia, An probetur immemorabilis præscriptio, seu consuetudo, quod aliàs fuit tactum, sed non firmatum.

Sanctæ Agathæ Gothorum Parochialis Sancti Angeli.
Die Veneris 18. Maij 1576.

SVMMARIVM.

1 *Possessio instrumẽtalis est restituibilis, quãdo capta fuit alio in possessione non existente, prout in dubio præsumitur.*
2 *In beneficialibus non datur restitutio, nisi habenti titulum coloratum.*
3 *Titulus coloratus non tribuitur ab eo, de cuius facultate conferendi non constat, & quando obstat reseruatio.*

DECISIO CCCI.

1 Fuit resolutum, † possessionem instrumentalem esse restituibilem, si capta est alio in possessione non existente, prout in dubio præsumitur, & aliàs Rota resoluit *in vna Gerunden. coram bon. mem. Grato.* sed quia ex aduerso pro parte D. Scipionis allegatur possessionem tunc fuisse penes Mutium Saxium; ideo hoc esset particulariter videndum, si opus esset: Sed ex alio ca-
2 pite difficultas tollitur; † cum enim non detur restitutio in beneficialibus, nisi habenti

benti titulum coloratum, hic non adest ti-
3 tulus coloratus; tum † etiam quòd non cō-
stat de facultate eius, qui contulit; tum
quia obstat reseruatio, ad decisiones Cre-
scentij allegatas per informantes 102. & 103.

Region. Pensionis.
Die Veneris 18. Maij 1576.

S V M M A R I V M.

1 *Ad constituendum in quasi possessione iuris exigendi ad effectum primi extremi Rota requirit plenas & indubitatas probationes.*

2 *Confessio de recepto facta mediante excomputatione, & quietatione in solutione alterius debiti non facit constare de vera & reali solutione debiti, de quo quæritur.*

3 *Excomputatio & quietantia æquiparantur veræ solutioni respectu tantum liberationis, non autem ad effectum, vt quis dicatur constitutus in quasi possessione exigendi.*

4 *Idem est in cōpensatione, quæ fit inter duos, quorum vterque diuerso respectu sit creditor & debitor, & multo magis si compensatio fit tertio.*

5 *In compensatione, quæ fit tertio, ad constituendum in possessione iuris exigendi, necesse est, quòd constet de vera numeratione tertij.*

6 *Constitutum contra tertium non probat possessionem eius, cuius gratia fit, nisi probetur possessio constituentis.*

7 *Compensatio non potest operari quasi possessionem exigendi pensionem, nisi constet fuisse realiter solutam in præiudicium tertij.*

8 *Possessio exigendi non quæritur ex exactione confessata; sed requiritur vera exactio.*

DECISIO CCCII.

FVit resolutum confessiones de recepto
non esse sufficiēter adminiculatas, quia
1 in huiusmodi materia † ad constituendum
quem in quasi possessione ad effectum primi
extremi Rota requirit plenas & indubita-
tas probationes, *iuxta consil. Alex.* 139.
num. 14. *lib.* 6. *Ant. Aug. in Repertor. de*
2 *primo extremo. num.* 1. nàm † quod addu-
citur de excomputatione & quietatione fa-
cta à Præposito Domino Bernardino in solu
tione liuellorum non adminiculatur taliter
istas confessiones, vt per eas constet de ve-
ra & reali solutione, *l. si constat. C. de cō-
pensat. Tyndar. de compensat. artic.* 7.* *cum*
3 *alijs per informantes allegatis.* nam † quòd
æquiparetur veræ solutioni procedit tan-
tum respectu liberationis, non autē vt quis
possit dici constitutus in quasi possessione
4 exigendi, quod cum procedat, † etiam si
compensatio fiat inter duos, quorum vter-
que diuerso respectu est creditor & debitor,
vt patet ex dictis *Bart. Castren. & aliorum
in l. Iulianus. la* 1. *de condit. & demonstrat.
& eiusdem Bart. in l. si ex cautione. in* 2. *le-
ctur. C. de non numer. pecun.* multo magis
debet procedere, quando compensatio fit
5 tertio, vt hic, nam † isto casu oportet, quòd
constet de vera numeratione tertij ad istum
effectum; Nos verò nihil de ista habemus
præter solas confessiones, & cum solutio
ista sit per modum fictum, sequitur, quòd
6 quemadmodum † constitutum contra ter-
tium non probat possessionem eius, cuius
gratia fit, nisi probetur possessio constituē-
7 tis, ita & hoc casu † compensatio ista non
possit operari quasi possessionem in fauorē
Comitis, nisi constet ei fuisse realiter solutā
pensionem in præiudicium tertij. Nec quic-
quam facit adminiculum sumptum ex teste,
quia examen non fuit legitimum. Neque
obstat, quòd simus in incorporalibus; quia
8 licèt ius hoc sit incorporale; † tamen pos-
sessio sola exactione vera quæritur, nec suffi-
cit confessata.

præsēs decis. habetur l. in press. diuers. decis. 189. part. 1.

* Qui ad hoc multos text. ponderat, facit Marsil. sing. 208. incip cōpensatio, vbi dicit cōmunem, & propterea, qui promisit soluere cū iuramēto, si cōpēset nō euitat periuriū, Alex. obs. 91. visis xctis. ver. secundo moueor. li. 2. vbi n. 8 dicit cōmunē. Itē in oī dispositione vel statuto requirēte verā solutionē; prout ī quasi possessione exigēdi nō sufficit cōpensatio, Bal. in l. i ea quæ. C. de cōpens. in fin. Alex. in addit. ad Bart. in l. auferetur. §. cōpēsatione. in verb. soluere. ff. de iure Fisci.

Palentina Decimarum de Visllos.
Die Lunæ 21. Maij 1576.

S V M M A R I V M.

1 *Testis, qui non deponit de fama, non probat immemorabilem.*

2 *In materia excedente spatium centum annorum resultat præsumptio possessionis.*

3 *Partita antiqua probant cum adminiculis, & quando sunt iuxta terminos consil. Alex. 187. lib. 7.*

4 *Immemorabilis præscriptio habet vim cuiuscunque tituli, & iustæ causæ.*

DECISIO CCCIII.

FVit resolutum satisfactum esse sufficien-
ter decisioni in hac causa factæ 21. Iunij
1574. nempe ex istis probationibus resulta-
re sufficientem iustitiam causæ, & titulum
exigendi decimas, & alias præstationes, de
quibus agitur: nam primo adest vnus testis,
nēpe decimusquartus, qui bene probat im-
memorabilem: adest secundo decimusquin-
1. tus testis, † qui licèt non plenè probet im-
memorabilem, ex quo non deponit de fa-
ma; tamen in cęteris optimè probat, & quod
ei deest, suppleri potest ex partitis antiquis,
quæ probant arrendamenta, & ex quibus,
2 † cum simus in materia excedente spatium
centum annorum resultat præsumptio pos-
sessionis, *Guid. pap. decis.* 408. *Dec. consil.*
502. *num.* 9. Nec obstat, quod dicitur, eas
3 † non facere fidem, quia sunt adminicula-
tæ ex depositionibus eorundem testium, qui
deponunt de effectuatione arrendamentorū
de visu, *Aym. de antiq. tēp.* 1. *par.* §. *quarto.
num.* 16. præterea sunt tales, vt eis fides sit
adhibenda, iuxta terminos *Alex. cons.* 187.
num. 2.

num. 2. vsque ad fin. lib. 7. Tertio concurrit Constitutio Synodalis, quæ præstat maximum adminiculum, cum talis enunciatio fiat in ea, in qua conuocantur omnes Rectores & beneficiati totius diocesis, de quorum præiudicio agitur. Adsunt etiam sententiæ in causa de Matapozuclos, quæ faciunt aliquod adminiculum; ita quòd his omnibus iunctis bene probatur immemora-
4 bilis præscriptio, † quæ habet vim cuiuscunque tituli, & iustæ causæ. Et ita conclusum nemine reclamante.

Nucerina Affictus.
Die Lunæ 28. Maij 1576.

SVMMARIVM.

1 *Fideiussio facta de stando iuri & iudicatum soluendo pro aliquo & litis consortibus, si nulli adsint litis consortes, tota promissio pro illo nominato facta censetur, & in eius persona residet, & contra eum potest fieri liquidatio absque alio processu: quod procedit, etiam si fideiussor efficiatur postea ipse litis consors, vt num. seq.*

3 *Collusio ex assertione aduersarij principalis non probatur, cum ei non credatur.*

DECISIO CCCIV.

FVit post trinas propositiones resolutum liquidationem & processum contra Io. Andream factum tenere: moti fuere Domi-
1 ni hac ratione; quia † licet causa fuerit agitata nomine Antonij, & litis consortium; tamen nulli fuerant litis consortes vsque ad diem tertiam Decembris 1550. qua die Io. Andreas venit ad causam pro suo interesse; & ideo quando ipse fideiussit sub die 26. Septembris 1549. pro Antonio & litis consortibus, quòd stabunt iuri & iudicatum soluent, cum nulli adessent litis consortes; tota ista promissio censetur facta pro Antonio, & in eius persona residet. Quare cum aduersus Antonium potuerit validè & iustò ferri sententia, stante eius confessione; vtique subintrat obligatio Ioannis Andreæ de iudicatum soluendo, & contra eum tanquam fideiussorem potuit ex hoc capite fieri liquidatio; non ex eo quòd confessiones Antonij ei noceant; sed ex eo, quòd cum fuerit contra Antonium pronunciatum, ipse tenetur ex sua obligatione, non tanquam consors, sed tanquam fideiussor. Neque ob-
2 stat, quòd † postea ipse fuerit factus cōsors litis; quia hoc non facit, vt obligatio præcedens possit eum capere, qui de eo tempore non erat in lite, *Aym. cōs. 153. n. 14.* & ita distinguendo materiam, cessant ea, quæ ex aduerso pro parte Dominorum de Casfarellis fuerunt considerata; cum aduersus ipsum vti merum fideiussorem, non autem vti socium & litis consortem procedi vigo-
3 re suæ obligationis potuerit; † Prætensa verò collusio non probatur, cum Antonio credendum non sit tanquā ex aduerso principali; Litteræ verò Cardinalis Gadij, sunt obscuræ, neque probetur ad manus Episcopi peruenisse. Neque oritur suspicio ex eo, quòd Episcopus purgauit spolium restituendo fructus & pecunias Antonio, quē prius in suis litteris pro decocto habuerat; nam hoc tunc temporis non suo, sed fideiussoris idonei periculo fecit, prout & euentus docuit.

Sanctæ Agathæ Gothorum Parochialis Sancti Angeli.
Die Veneris 15. Iunij 1576.

SVMMARIVM.

1 *Reseruatio operatur tam respectu regularium, quàm secularium beneficiorum.*

2 *Reseruatio illa dicitur fortior, quæ resultat ex appositione manus Papæ super certo corpore beneficij, quàm illa, quæ fit in genere etiam cum decreto irritanti.*

3 *In reseruatione, quæ resultat ex appositione manus Papæ super beneficio, nullus inferior collator se intromittere potest, secus est in reseruatione in genere, in qua potest aliquando dubitari, An beneficium sub illa veniat.*

DECISIO CCCV.

DEducta pro parte Leonardi non sunt
1 releuantia; cum † reseruatio operetur, tam respectu regularium, quàm secu-
2 larium beneficiorum; & † fortior est illa, quæ resultat ex appositione manus Papæ super certo corpore beneficij, quàm illa, quæ fit in genere etiam cum decreto irritanti;
3 nam † primo casu indubitatum est nemine inferiorem sese intromittere posse: Secundo verò potest aliquando dubitari, an beneficium, de quo agitur, veniat sub ista reseruatione; ideo ista prior est certior. Quare ordinatum fuit, vt causa expediatur.

Reatina Beneficij sancti Angeli.
Die Mercurij 20. Iunij 1576.

SVMMARIVM.

1 *Capitulum potest acquirere quasi possessionē iuris conferendi beneficia ex scientia & patientia Episcopi.*

2 *Quisque præsumitur scire id, ad quod tenetur.*

3 *Episcopus tenetur quolibet anno per se vel per alium diocesim suam visitare.*

4 *Episcopus non potest allegare ignorantiam vacationis beneficij suæ diocesis.*

5 *Scientia ex lapsu longi temporis probatur.*

6 *Episcopus præsumitur scire omnia, quæ ab eius Vicario etiam foraneo fiunt.*

7 *Scientia ex actuum multiplicitate probatur.*

8 Col-

8 *Collatio dicitur fructus, quem possessor bonae fidei suum facit.*
9 *Collatio Capituli existentis in possessione iuris conferendi collationi Episcopi praeferri debet.*

DECISIO CCCVI.

praefs decif. habetur in impref. diuer. nouiss. 266. part. 1.

1 FVit resolutum † satis constare de scientia & patientia Episcopi, ad hoc vt Capitulum potuerit acquirere quasi possessionem conferendi beneficium, de quo agitur. Et primo ex eo, quòd talis scientia probatur ex praesumptione iuris, quae est, quòd
2 † quis praesumitur scire id, ad quod tenetur *glos. in reg. praesumitur. de reg. iur. in 6. Card. Clem. 1. quaest. 7. & ibi Imol. & Bonifac. de consang. & affin. Roman. cons. 481. Dec. cons. 160. n. 5. vers. sed tamen eum simi-*
3 *lib.* † Episcopus autem tenetur quolibet anno per se vel per alium diocesim suam visi-
4 tare; † & ideo si alleget ignorantiā vacationis, non auditur, *Rot. 6. de iurepatr. in nou.*
5 Secundo † ex lapsu temporis satis lōgi, *Innoc. c. bona. de postul. Praelat. Abb. c. cum Ecclesia. nu. 25. de caus. possess. & propr. Put. decis. 209. incip. Idem & secundo. lib. 1.* Tertio probatur ex eo, quòd Hieronymus fuit immissus in possessionem vigore collationis Capituli à Vicario foraneo Episcopi Reatini, vt habetur in tertio praesupposito;
6 † Ideo succedit doctrina *Bart. in l. si publicanus. §. in omnibus. de public. cum alijs, de quibus per Couar. in reg. possessor. num. 8. vers. tertio. de reg. iur. lib. 6.* Quarto probatur ex collatione facta per Card. Columnā, tanquam de beneficio vacante per resignationem Bernardi, vt in quarto praesupposito, quae quidem videtur vera scientia, ne-
7 dum praesumpta. Quinto & vlt. † probatur scientia ex actuum multiplicitate, cum tribus vicibus Capitulum contulerit, *vt per allegat. decis. Put. 209.* Quae in contrarium ex facto deducūtur, sapiunt turbationē, potius quàm possessionē; & ideo sequitur, quòd
8 † cum collatio sit fructus, & possessor bonae
9 fidei fructus suos faciat, † collationem Capituli, quod est in possessione conferendi, esse praeferendam collationi Episcopi, *Aym. cōs. 32. cū alijs*, nunc enim ad hunc effectū agitur, vt patet ex puncto, non autem ad effectum praescriptionis, quo casu possēt procedere nonnulla, quae in contrarium per Excellent. Dominū Aduocatū deducta fuere.

Pampilonen. Iurispatronatus de Subiza.
Die Lunae 8. Octobris 1576.

SVMMARIVM.

1 *Sententia est valida, quae lata est contra eū, qui tempore sententiae cesserat beneficium ad fauorem alterius, si cessio non fuit tēpore sententiae parte citata producta, nec registrata, & sic si sit extra acta.*
2 *Sententia, quae dicit, quem fore instituendum & immittendum in possessionem, non instituit, & debet intelligi seruatis seruandis.*

DECISIO CCCVII.

QVantum ad primam partem dubij; fuit resolutum sententiam Rotalem esse confirmandam respectu Vice-Comitis, cum de suo praetenso iurepatronatus non constet. Quantum ad secundam,
1 fuit dictum † sententiam esse validam, non obstante, quòd dicatur lata contra Leonem Ardanaz, qui tunc temporis cesserat in fauorem Lancellotti; quia huiusmodi cessio non fuerat tempore sententiae parte citata producta, nec etiam registrata, & ita extra acta; & interim procurator Leonis semper comparuit causam sustinendo. Neque etiā obstat, quòd Ioannes de Subiza nō esset iux-
2 ta formam Concilij examinatus, quia † sētentia non dat institutionem, sed dicit eum fore instituendum, & immittendum in possessionem, quod intelligitur seruatis seruandis; adeo quòd adhuc potest se subijcere examini. Fuit tamē reseruatum, ex eo quòd Lancellottus habet nouam prouisionem, vt dubitetur, an sufficienter constet de iurepatronatus incolarum, & eorum quasi possessione praesentandi; itaut eorum praesentatio, non obstante decreto Concilij, sortiri debeat effectum.

Caesaraugustana Decimarum.
Die Lunae 15. Octobris 1576.

SVMMARIVM.

1 *Protestatio defectus iurisdictionis non releuat, si non fuit repetita; maximè quando post eam fuerunt facti actus positiui.*
2 *Examen testium factum cum interrogatorijs partis aduersae sustinetur, etiam quòd opponatur de defectu mandati.*

DECISIO CCCVIII.

DOmini persistunt in resolutis coram bon. mem. Fantuccio sub die 7. & 25.
1 Maij 1554. & placuit, † stante mandato cū libera, & quòd non solum non fuerunt repetitae protestationes defectus iurisdictionis, sed etiam facti actus positiui, prout in processu originali fuerunt adnotati, quòd examen, de quo agitur, sustineatur; maximè
2 † cum testes fuerint examinati cū interrogatorijs partis aduersae, & vltra allegata, fuit citatus *Corn. cons. 207. num. 2. lib. 1. & Afflict. decis. 305. num. 5.*

Ciuitatis Castelli Castri Montoni.
Die Lunae 22. Nouembris 1576.

SVMMARIVM.

1 *Per aequipollens forma adimpleri potest, quae*

qua est ad effectum.

2 *In materia legitimationis, tacitus consensus Papa sufficit, quòd in gratia legitimationis colligatur, immo etiam generalis sufficit.*

3 *Præsenti cōfusum, trahitur etiam ad futura.*

DECISIO CCCIX.

FVit resolutum satis superq. per motum proprium fel. rec. Pij Quinti, & per legitimationē Illustr. Domini Ioannis Vincentij obtentam à Sanctissimo D. N. Gregorio XIII. fuisse satisfactum pacto, de quo in instrumēto, de quo agitur; cōsensus enim S. D. N. pro tempore existentis cum opportuna habilitatione personæ dicti D. Ioannis Vincentij non requiritur nisi ad effectum, scilicet vt ipse efficiatur habilis ad succedendum in dicto feudo, ne fortè ob incapacitatem deuolueatur ad Cameram Apostolicam; Ideo si talis consensus adest, per quē persona Illustr. Domini Io. Vincētij sit habilitata, vtique satisfactum est pacto, cum eius intentioni habito eodem effectu fuerit

1 satisfactum, † quod etiam per æquipollens fieri potest, etiam in formalibus, quādo forma est ad effectum, vt latè deducunt informantes. Quòd autem talis consensus adsit, fuit deductum primo ex motu proprio fel. rec. Pij V. consentientis alienationi siue cessioni Castri in Illustr. Dominos Paulū & Chiappinum, nec non Dominum Io. Vincentium nominatim & eius filios, qui quidē consensus sufficere poterat per se, nisi fuisset restrictus à clausula illa, dummodo, non excedat personas in inuestitura Leonis comprehensas, propter quam d. Illust. Dominus Io. Vincentius indigebat legitimatione, & hinc est, quòd præter consensum Pij V. fuit actum, vt obtineretur alius consensus cū opportuna habilitatione, qui quidem obtentus fuit à S. D. N. qui cum amplissimis clausulis Dominum Io. Vincentiū legitimauit, & habilitauit ad quæcunque feuda, & ex quocunque titulo, prout in ea, per quam legitimationem effectus fuit de comprehensis in inuestitura Leonis, vt in primo præsupposito, & per consequens purificata fuit clausula restrictiua posita in assensu Pij V. adeo quòd nullo alio consensu opus est, cum satisfactum sit abundè intentioni contrahentium, etiam inspecto solo tenore dictæ legitimationis: Et ex his colligitur, ne dum consensum tacitum hic adesse,

2 † qui secūdum communem sententiam sufficit in hac materia, *vt per Clar. in verb. feudum. quæst.* 31. *circa fin. cum alijs allegatis*, sed etiam generalem, nempe in legitimatione, qui sufficit, *vt per Ruin. qui cæteros allegat cons.* 7. *num.* 14. *lib.* 2. Immo verò etiam expressum & indiuiduum, scilicet in motu proprio Pij V. interposito super alienatione Castri, de quo agitur, facta in fauorem nominatim Domini Ioannis Vincentij. Neque obstat, quòd tunc temporis ipse non esset de comprehensis in inuestitura Leonis, cum nondum esset legitimatus;

3 quia † est præsens confusum, vt vocant, & trahitur etiam ad futura, aliàs neque etiam venirent filij & descendētes à nominatis in inuestitura, & in cessione prædicta tanquā non comprehensi, cum non sint in rerū natura, quod est absurdum. Et ex his tollitur, quod dicitur de præiudicio aliorum, qui debebant immediatè succedere; tum quia habemus cōsensum; tum quia alienatio tenet, *vt per Andr. & Præposit. & cæteros in c. Titius. si de feud. fuer. cōtrou. int. dom. & agn.* nec de eius reuocatione per agnatum proximiorem fienda nunc agitur. Cætera, quæ ex aduerso deducuntur ex supra deductis satis sunt sublata.

Calagoritan. Quartæ portionis.
Die Mercurij 21. Nouembris 1576.

SVMMARIVM.

1 *Appellationi friuola & calumniosa & contra iuris clari dispositionem iudex deferre non debet, & talis appellatio non causat attentata.*

2 *Breue surreptitium nullam tribuit iurisdictionem.*

DECISIO CCCX.

FVit resolutum præsentationē, collationem, & possessionem Ioannis de Ochoa fuisse validam & minimè attentatam: & ad hoc moti fuerunt Domini; tum quia si bene aduertatur, ius præsentandi nunquam fuit litigiosum, cum nunquam negatum fuerit competere beneficiatis, neque negari poterat, stante Synodali Cōstitutione, sed lis super eo vertebatur, an deberent gaudere beneficio temporis cōcessi ad præsentandum; itaut non possent arctari ad statim præsentandum, prout prætēdebat Martinus, quod satis declaratur ex actis coram Metropolitano factis; tum etiam consideratum fuit

1 † appellationem Martini fuisse friuolam & & calumniosam, & contra iuris clari dispositionem concedentis patronis sex menses, ideo non causare attentata, cū ei iudex deferre non teneretur, *ad c.* 2. *de dol. & contum. lib.* 6. *Achill.* 6. *de appellat.* Tertio fuit

2 etiam deductum, † Breue præsentatum Cātori fuisse surreptitiū, & nullam tribuisse iurisdictionem, prout per informantes deducitur. Ex quibus omnibus conclusum contra Martinum.

Caetana Iurisdictionis.
Die Mercurij 28. Nouembris 1576.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus de iure communi potest iurisdictionem*

ctionem exercere in parochialibus & Parochiis Abbatiæ Episcopalem iurisdictionem non habētis, etiam quòd Abbas vtatur mitra & baculo, & excõmunicet, & alia faciat iurisdictionem spiritualem tantum concernentia; sed secus est in iurisdictione contentiosa & temporali vigore sacri Concilij Trident. quam Episcopus exercere non potest.

DECISIO CCCXI.

FVit resolutum non probari concludenter, quòd Reu. Abbas S. Erasmi exerceat in parochiali & in parochos Episco-
1 palem iurisdictionem talem, + per quã Reu. Dominus Episcopus excludatur, itaut non possit vti iurisdictione sibi de iure communi competente, *vt per Imol. & alios in c. cū venerabilis. de except. Dec. cons. 152. in princ.* nam licèt multi actus per testes pro parte Abbatis probentur, nempe quòd vtitur mitra & baculo, & quòd excommunicat; Item quòd vocat Episcopos pro Sãctissimo Chrismate; Item quòd ponat clericos ad nutũ amouibiles &c. Tamen ista oĩa percutiunt spiritualem iurisdictionem tantum, nõ autẽ iurisdictionẽ cõtentiosam, neq; tẽporalem, quæ requiritur ex dispositione sacri Cõcilij Tridẽt. *cap. 11. de regular. sess. 25.* Neque obstat, quòd testes dicant fuisse publicatas excõmunicationes emanatas ab Episcopo de licentia Abbatis, quia hæc licentia debuit peti ratione exemptionis Ecclesiæ sancti Erasmi. Neque obstant priuilegia & exẽptiones, quia locum habẽt respectu monasterij & monachorum, nulla tamen ipsis tribuitur iurisdictio. Quod dicitur de licentia operandi diebus festiuis nõ percutit ante litem motam, & hæc firmata fuerũt, circunscriptis etiam dictis testium pro parte Episcopi examinatorum.

Perusina Census.
Die Lunæ 3. Decembris 1576.

SVMMARIVM.

1 *Statutum vnius ciuitatis nõ habet locum in alia, quando non est decisorium sed tantum ordinatorium.*

2 *Statutum, quod non tollit omnem appellationem, sed vnam tantum, non dicitur decisorium; & maximè si illam in totum nõ tollit, sed illius tantum effectū suspendit.*

DECISIO CCCXII.

1 STatutum hoc non habere locum hic in curia, cum sit ordinatorium, non deci-
2 sorium; + ex quo non tollit omnem appellationem, sed vnã tantum, *ad notat. per Præp. in c. si duobus, §. denique. de appellation.* neque etiam hanc in totum tollit, sed eius effectum tantum suspensiuum non autem deuolutiuum, vt patet ex vltimis verbis illis quo minus sententia exequi possit, ex quibus satis patet esse ordinatorium.

Zamoren. Castri.
Die Lunæ 10. Decembris 1576.

SVMMARIVM.

1 *Pœna l. fin. C. de iur. emphyt. non habet locum in contractibus locationis siue perpetuæ siue ad longum tempus.*

2 *Locatio ad longum tempus est, licèt partes eam nominent emphyteusim, propter qualitates locationis, quæ emphyteusi non conueniunt.*

3 *Nominatio partium non immutat substantiam contractus.*

4 *Prohibitio alienationis adiecta in locatione ad longum tempus; facit tantum nullitatē alienationis, non autē caducitatem.*

5 *Pœna caducitatis contra minorem per Ecclesiam exigi non potest; maximè si eius conditio non fit effecta deterior.*

Idem est, si bona alienata ante acceptatam ab Ecclesia caducitatem sint recuperata.

6 *Pœna caducitatis per minorē etiam incurritur in casibus, in quibus vel ex dispositione legis, vel ex dispositione hominis fuit introducta.*

7 *Contraueniens contractui iurato ex dispositione l. si quis maior. C. de transaction. cadit à cõmodo contractus; secus est in minore, qui huiusmodi lege non ligatur.*

8 *Facultas arrendandi non trahitur ad fructuum cessionem prohibitam.*

9 *Intentio in animo retenta nihil operatur.*

DECISIO CCCXIII.

FVit resolutum Alphonsum Rodriguez portionarium non cecidisse à iure suo
1 ex pluribus: Primo, ex eo, quòd + pœna *l. fin. C. de iur. emphyt.* non habet locum in contractibus locationis, siue perpetuæ, siue ad longum tempus, *prout fuit resolutum coram me in vna Roman. Casalium de Maximis contra fratres S. Clementis sub die 20. Februarij præsentis anni, & confirmatum per aliam decisionem sub die 14. Martij, quæ decisiones plenissimè discutiunt hanc materiã.* Non obstat, quòd ex aduerso prætendatur contractum, de quo agitur, esse contractum emphyteusis, ex quo ita partes denominarunt, quia pro responsione sufficit decisio *in ead. causa Roman. Casalium coram me facta*
2 *sub die 16. Nouembris 1575.* in qua + ostenditur differentia, quæ est inter emphyteusim & locationem ad longum tempus, & omnes qualitates huius contractus cõueniunt locationi non autem emphyteusi. Nec facit quicquam, quòd partes nominauerint em-
3 phyteusim, quia + nominatio partium non immutat substantiam contractus, *vt per Bald. in l. 1. num. 2. C. commodat.* Præterea nominarunt etiã censum, & arrendamentũ,

itaut in tali denominatione nō sit vis cōsti-
tuenda. Nec obstat, quod ex aduerso prætē-
ditur in Capitulis fuisse prohibitum alienari hoc Castrum, nisi in fauorem Capitulariū
4 quia † hæc prohibitio faciet nullitatem, nō
autem caducitatem, cum hæc pœna nō fuerit imposita nec à lege per supradicta, nec à
contrahentibus. Secundo placuit, quòd
5 † attenta minoritate Alphōsi, & recuperatione Castri, ante acceptatā à Capitulo caducitatem non debeat Ecclesia, cuius conditio non est deterior effecta, exigere hanc pœnam, *Butr. conf. 34. Bero. in c. potuit. num. 164. locat. cum alijs allegat.* * & de minoritate apparet ex partis confessione in instru-
6 mento concessionis. Non obstat, quòd † etiā
minor cadat, *vt per Aretin. cōs. 18. & Aym. 193.* Quia loquuntur in casibus, in quibus caducitas introducta est, vel ex dispositione legis, vel ex dispositione hominis, hic verò non adest per supradicta. Non obstat, quòd
7 †* contractus fuerit iuratus, & ex dispositione *l. si quis maior. C. de transact.* ceciderit à commodo contractus, quia dicta lex non procedit, nisi in maiore, non autem in minore, *vt post Bart. tradunt communiter Doctor. in d. l. si quis maior. quos refert Cagn. num. 32.* Tertio nonnulli ex Dominis considerabant cōcessam fuisse facultatem alienandi; & ideo dicebant potuisse Alphonsū irrequisito Capitulo alienare per ea, quæ tradit *Ang. in l. cum essent. §. per plurimū. deseruit. rust. præd. latè Rolād. conf. 3. num. 69. lib. 1.* sed hoc fundamentum in facto pa-
8 titur difficultatem, quia † facultas concessa fuit arrendandi, non autem cedendi redditus, prout fecit, quæ cessio erat prohibita; ideo hoc fundamentum cessare videtur, sed non est necessarium, cum ex supradictis res sit satis clara. Non obstat, quòd Alphōsus in cessione facta fratri dixerit se tale arrendamentum fecisse pro ipso Christophoro suo fratre, quia talis cōfessio est erronea, & contra facti veritatem contentam in instrumento, quòd si hæc fuit eius intentio,
9 † ea in animo retenta nihil operatur. Et ex his conclusum pro Alphonso.

*Specul. tit. de emphyt. §. nunc aliqua. n. 119. vbi testatur ita fuisse seruatū Bononiæ, idē Faber in l. fin. in princ. C. de iur. emphyt. & ibi Salicet. col. fin. & Bero. in d. c. potuit. dic. hanc opin. æquiorē, & sequendā. & fuit dictū in Roman. Casalis Marcelliani intr. de anno 1587. die 19. Iunij corā ead. Illustr. Card. Seraphino suo n. 15.

Pampilonen. Parochialis de Subiza.
Die Veneris 14. Decembris 1576.

SVMMARIVM.

1 *Appellatio vnius, vt alterum iuuet, oportet quòd sit idem ius, & quòd ille adhæreat appellationi.*
2 *Exequutio sententiæ impediri non potest à tertio, & qui non est in possessione.*
4 *Sequestrum iudicis priuat possessione, & facit eam vacantem.*

DECISIO CCCXIV.

1 FVit dictum † hic adesse rem iudicatam contra Leonem de Ardenas; cum ipse nō appellarit. Neque obstat, quòd Vicecomes appellarit; tū quia ius ipsius nō est idē, quod ius Leonis, qui poterat ex sola quasi possessione Vicecomitis obtinere; tum quia procederet, si ipse Leo vellet adhærere appellationi, sed hoc per Lancellottum non potest allegari. Quo stante fuit resolutum,
2 quòd † Lancellottus non potest impedire executionem sententiæ, cum sit tertius, &
3 non sit in possessione, immo † possessio est vacans, quia auocata à Rota mediante sequestro apposito, ex quo possessio Leonis erat attentata; & ideo reprobata, quo casu sequestrum priuat possessione. Nec sentētia potest dici iniusta, quia non fuit probatū iuspatronatus iuxta formam Concilij Tridentini, non enim intrat dispositio Concilij, cum inter incolas & Leonem nō controuerteretur, an beneficium esset de iurepatronatus, immo hoc inter partes erat in cōfesso, sed tantum agebatur, ad quem spectaret, & eo magis placuit hæc sententia Dominis, quia impetratio Lancellotti visa est calumniosa, cum prius in actis exhibuisset gratiam resignationis, in qua adest confessio iurispatronatus, & forsan etiam ista gratia vltima est nulla propter dispositionē Constitutionis Pij V. annullātis gratias impetratas non facta publicatione.

Palentina Canonicatus, & Præbendæ.
Die Veneris 8. Februarij 1577.

SVMMARIVM.

1 *In beneficio aliàs non reseruato locum habet regula Cancellariæ de mense.*
2 *Reseruatio regressus non reseruat beneficia simpliciter, sed afficit tantummodo ius ad rem, quod dicitur reseruatum, non autem ius in re, & num. 5.*
3 *Per prouisionem Papæ cessat reseruatio.*
4 *Regressum habens tempore, quo non est amplius familiaris, facit cessare reseruationem, quando intrat prouisio Papæ.*

DECISIO CCCXV.

1 REgulā de mense obstare in casu, de quo agitur, cum beneficium nō esset reseruatum *Put. 47. de præbend.* Ratio fundamē-
2 talis huius decisionis est, quia † reseruatio regressus nō simpliciter reseruat beneficiū, sed afficit tātummodo ius ad rem, quod dicitur reseruatum, prout in regula 3. & ideo ius in re non est reseruatum nec affectū, aliàs secundum Dominos sequeretur absurdum, quòd si obiret familiaris, antequā fieret locus regressui, si postea decederet ille, qui obtinebat, esset reseruatū, quod nō est dicēdum, cum vacet ex persona illius, qui nō est familiaris Cardinalis, licèt *Æneas allegatus de reseruat. 47. num. 11 & 12. sub dubio* teneat, quòd sic, quando prius decessisset obtinens beneficium, & postea decederet fami-

miliaris habens regressum, eo nondum acceptato, qui non est casus noster. Praeterea
3 certum est, quòd † per Papæ prouisionem
4 cessat reseruatio; † & ideo cum sit locus regressui intrat prouisio, quæ facit cessare reseruationem, cum tunc temporis regressum habens non esset amplius familiaris. Nec obstat, quòd consequatur beneficiũ ex prouisione habita tempore familiaritatis, quia illa est euentualis & cum clausula, ex nunc
5 prout ex tunc, † quæ tribuebat, vt dictum est, tãtum ius ad rem, quod est diuersissimũ à iure in re, de qua agimus, & tempus euenientis conditionis est spectandum, *Cassad. 3. de prabend. num. 29.*

Abulen. Præstimonij.
Die Lunæ 11. Februarij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Regula de triennali est personalis.*
2 *Possessio triennalis authoris facit præsumi possessionem in ipso authore titulum meliorem de mundo, & possidens vigore talis possessionis, non potest dici illicitus detentor, vt num. 3.*
4 *Per commissionem causa non dicitur inducta lis, nisi adsit citatio.*
5 *Possessio Cameræ etiam instrumentalis ritè & rectè capta, citato possessore, & verificatis verificandis, facit, quòd illam obtinenti competat actio Spolij, non autem via exequutiua; si verò non fuerint seruata seruanda, talis possessio nomine Cameræ nihil tribuit, nec in tali casu potest intrare spolium.*

DECISIO CCCXVI.

1 FVit dictum regulam de triennali, † cum sit personalis, non obstare Aluaro, quominus possit agere vigore Breuis; tamẽ re-
2 spectu allegationis *Lapi* 51. † si constat de triennali possessione authoris Ioannis, vtique ea obstaret, *vt per Mohed. decis. 241. Io. Paul. 24. Sarnen. regul. de triennal. quæst.* 13. & ista possessio facit præsumi omnem titulum meliorem in suo authore; *Cassad. 2.*
3 *& 3. de caus. poss. & propr.* † ita quod non potest dici illicitus detentor ad effectum Breuis, *vt per eundem Cassad. d. decis. 3. n.*
4 *7. & 8. Simonet. 35. Put. 349. lib. 1.* † Neque per commissionem causæ est inducta lis; nisi Didacus fuerit citatus, *Clem. 2. vt*
5 *lit. pend.* † Quòd verò allegatur de instrumentali possessione Cameræ, tendit ad aliũ modum agendi, nam si ritè & rectè capta fuit citato possessore, & verificato Breui vtique competit Aluaro actio spolij, non autem via exequutiua Breuis, si verò non fuerunt seruata seruanda, nihil tribuit, cũ possessio esset plena, *Rot. in nou. decis. 434. cum alijs allegatis.* *

*Per l. prædia. & l. quæuis. §. si conductor. de acquir. poss. Socin. cons. 3 13. n. 8. vol. 3. Curt. sen. cons. 54 n. 6. Rip. lib. 2. respons. c. 56. n. 6. Alfin. decis. 305.

Amerina Pecuniaria.
Die Lunæ 11. Februarij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Generalis renunciatio præiudicat renunciãti; dummodo potuerit in genere cogitari; secus est in transactione, in qua verba generalia restringuntur ad rem vel causã.*
2 *Renunciatio generalis facta in transactione non restringitur, si ratio recti sermonis restrictionem non patiatur.*
3 *Verba, quomodocunque, & qualitercunque, generalissima in transactione non possunt restrictionem recipere, sed omnia vltra etiam expressa comprehendunt, cum sint posita ad ampliandum, & non ad coarctandum.*
4 *Legatum pauperibus factũ in genere propter incertitudinem non redditur nullum, cum sufficiat legatum esse de certa summa, & non de certo corpore.*
5 *Fundus an dicatur venditus ad mensuram vel ad corpus, attendi debet, an præcedat mentio corporis, vel mentio mensuræ.*

DECISIO CCCXVII.

PRoposui dubium, an per quietantias, de quibus in puncto, censeretur remissa summa 257. scutorum Montis vnà cum fructibus quondam Dominæ Anchisæ de Cãsacchis; & fuit per Dominos vnanimiter conclusum remissam censeri. Regula enim — præsens decisio habetur in prima diuers. nouiss. 149. part. 1.
1 iuris est, quòd † generalis renunciatio præiudicat renuncianti; dummodo potuerit in genere cogitari, *Ang. in l. si certis. C. de testam. mil. Bart. & Doctor. communiter in l. sub prætextu. C. de transact. cum alijs quos allegat Gabriel. de reg. iur. concl. 4. num. 8.* & licèt ista regula limitetur, vt non procedat in transactione, in qua verba generalia restringuntur ad rem vel causam expressã, *l. si de certa. & ibi Doctor. communiter C. de trãsaction. Gabr. ibid. num. 21.* tamen subli-
2 mitatur † si ratio recti sermonis non patiatur restrictionem, *Bart. in d. l. si de certa. & ibi Ang. Castr. & Ias. cum alijs cumulatis per eundem Gabr. num. 22.* Igitur applicãdo ad casum propositũ, fuit dictum hoc casu negari non posse Dominum Syllã potuisse in genere de istis pecunijs cogitare, cum de illis per Anchisem habitis notitiam haberet, vt ex septimo præsupposito colligitur: Nec salua ratione recti sermonis fieri posse restrictionem respectu vltimæ quietantiæ ad contenta in primo instrumento, &
3 expressa in eius præfatione † propter illa verba, tam vigore dicti instrumenti, quàm aliàs quomodocunque & qualitercunque, vsque in præsentem diem &c. quæ verba cũ sint generalissima, & omnia etiam vltra expressa comprehendebant, non possunt recipere restrictionem, cum non sint posita ad coarctandum, sed ad ampliandum, *Bald.*

conf. 184. *lib.* 4. *Iaf. conf.* 92. *in fin. lib.* 1. *optime facit Alex. in contrarium allegatus conf.* 11. *num.* 14. *verf. fecundo non obftat. lib.* 2. *& Natta ex aduerfo quoque allegatus conf.* 546. *num.* 22. vbi ponderat claufulam, ab alijs quibufcunque, & alia quaecunque caufa; & fatetur *num.* 23. in cafu fuo non adfuiffe dictas claufulas. Nec hic militat illa aequitas, quam confiderat *Bald. confil.* 434. *lib.* 1. *& refert. Aym.* 221. cum vnicuique liberum fit, de re fua pro fuo arbitrio difponere. Nec obftat, quòd dicta loca
4 montium effent pauperum; † nam cum relictum effet pauperibus in genere, non habet locũ hoc cafu regula *l. à Titio. de furt.* propter incertitudinẽ, propterea dici poffunt effecta pauperum ifta loca, quia legata fuit certa fumma, & non certum corpus, vt in tertio praefuppofito: quòd verò poftea teftator dicit fe habere fcuta 250, in monte fidei, non ftat reftrictiuè, & limitatiuè, fed demonftratiuè; tum ex eo quòd legatum eft factum in piam caufam; & ideo potius illud eft appofitum ratione hypothecae, *Tiraquel. poft Roman. de priuileg. pia caufa. priuileg.* 63. *circa medium*; tum etiam quia legatum incepit à fumma, non à corpore; & ideo in fimili, † An fundus dicatur venditus ad menfuram vel non, attendi an praecedat mentio corporis, vel mentio menfurae tradit *Corn. conf.* 59. *in* 4.

Aurien. Canonicatus.
Die Lunae 4. Martij 1577.

SVMMARIVM

1 *Gratia anterior praeferri debet pofteriori, quo cafu attenditur data, non autem expeditio.*
2 *Tribunal Rotae conftituit vnum corpus, corã quo pendent lites & caufa in eo commiffa, licèt ratione commodioris expeditionis fiant diftributiones particulares.*
3 *Gratia fatis dicitur iuftificata ex confeffione partis refpectu valoris, maximè fi ille, qui ea nititur, offerat fe paratum illam iuftificare.*
4 *Gratia fufficit, quòd de facto iuftificetur.*
5 *Obtinens canonicatum presbyteralem fufficit, quòd intra annum promoueatur.*
6 *Narrato defectu ex conftitutione procedente Papa concedendo gratiam; cenfetur conftitutioni derogaffe.*

DECISIO CCCXVIII.

1 GRatiam fi neutri vltimo coram me productam fuffragari Gometio, † cum fit anterior gratia Phoebi, & hoc refpectu attendi datam non autem expeditionis tempus. Non obftat, quòd dicitur, quòd gratia eft directa R. P. D. Lancellotto, non autem mihi; & ideo non adeffe iurifdictionem, quia hoc motiuum non placuit Dominis;
2 tum quia † Tribunal Rotae conftituit vnum corpus, coram quo pendent lites & caufae in eo commiffae, licèt ratione commodioris expeditionis fiant diftributiones particulares, & hic bene intrat *Clem. Auditor.* [*] *& decif. allegata in illa Legionen.* [a] *coram R. P. D. meo Aldobrandino.* Secundo non
3 obftat, † quòd non fit iuftificata refpectu valoris, quia immo ex confeffione Phoebi in fua gratia videtur iuftificata, & in omnem euentum Gometius offert fe paratum iuftificare. Tertium & quartum obiectum non
4 obftant, quia † fatis eft, quòd gratia de facto verificetur, *Aegid. decif.* 76. & fatis ex narratione facti Papa intellexit Lucen. fine iurifdictione proceffiffe, cum ifte fit effectus iuris ex facto proueniens, & Papa habet iura in ferinio pectoris. Nec releuat,
5 † quòd Canonicatus fit presbyteralis, quia fatis eft, quòd intra annum promoueatur, *Franc. in cap. ei cui. num.* 6. *de praeben. in* 6. Quinta obiectio de conftitutione Pij V. tollitur ex derogatione conftitutionum: & dictio, praemiffis, vt ambigua & fuperflua
6 fuit caffata, † & fatis eft, quòd talis defectus fuit narratus, & cum Papa illud intellexerit, & nihilominus gratiam conceffe rit, fatis videtur ei conftitutioni derogaffe, *Aegid. decif.* 333.

[*] = receipt.

[a] In Legionen Canonicatus 23. Octob. 1574.

Portuen. de Columna.
Die Veneris 8. Martij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Supplicatio praecedens cenfetur dediffe caufam motui proprio.*

DECISIO CCCXIX.

CAufa difcuffa Domini in hoc concordabant, quòd ea, quae contra claufulam motus proprij deducuntur, non faciũt, quominus gratia fit motu proprio conceffa, & fuos pariat iuris effectus; fed an ex hoc tollatur omnino contrauentio refpectu fupplicationis, non fuerunt concordes; aliquibus affirmatiuam, alijs negatiuam partem amplectentibus; Et qui negabant, moueban-
1 tur ex eo, quòd † fupplicatio videtur dediffe caufam motui proprio, & allegabant *Bald. in l. tam quam. num.* 1. *C. de fideicomm.* tamen fuit ordinatum, vt ftrictè informetur fuper acceptatione & vfu, an faciant contrauentionem, & videatur *Bald. ibidem num.* 5. *& num.* 52.

Haec decif. habetur 1 impreff. diuerf. nouiff. 263. part. 1.

Salamantina Iurifdictionis.
Die Lunae 11. Martij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Scriptura dicitur priuata, quando non conftat de rogitu notarij.*
2 *Scriptura, quae extracta fuit ex Archiuio priuato, nõ eft in forma probãti, nec facit fidẽ.*

3 *Contra iura vigore compulsorialium extracta licet opponere in curia, etiam quòd in partibus non fuerit oppositum.*

4 *Scripturæ priuatæ faciunt tantum aliqualem præsumptionem, quæ non sufficit quando non agitur de supplenda substantia probationis, & de probatione perficienda in sui substantia.*

DECISIO CCCXX.

FVit resolutum scripturas, de quibus agitur, non esse in forma probanti, nec facere fidem contra Reuer. Dominum Episco-
1 pum; † Primo, quia sunt scripturæ omnino priuatæ; Secundo, quia non constat de rogitu notarij; Tertio, quia nec etiam manus Archipresbyteri est recognita; Quarto,
2 † quia Archiuium est priuatum, *Put. decis.* 188. *lib.* 3. *Aut. August.* 552. *lib.* 3. Ne-
3 que obstat, quòd dicitur † non fuisse oppositum in partibus, quia immo fuit oppositum, sed & dato quòd esset verum; tamen potest opponi nunc in curia iuribus vigore compulsorialium extractis: Nam quod dicitur, non opponentem sibi præiudicare; procedit, si lis fuisset agitata in partibus, & contra iura ibi in iudicio producta non fuis-
4 set oppositum: & † licèt scripturæ priuatæ faciant aliqualem præsumptionem, *vt per Roland. cons.* 26. *num.* 14. *lib.* 1. tamen in casu, de quo agitur, parum vel nihil operari poterit, cum non agatur de supplendis testibus ratione fidei, sed de supplendo tempore, quod est de substantia probationis; & ideo cum ex ijs sit perficienda probatio in sui substantia, videtur, quòd procedat id, quod aliàs in materia adminiculorum Rota resoluit *coram R. P. D. Robusterio in Ragusina Matrimonij* * requiri adminicula plenè probata.

* sub die Veneris 14. Decembris anni præteriti, & meliuspostea sub die Lunę 20. Maij præsentis anni 1577.

Romana Census.
Die Veneris 15. Martij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Dominium rei prohibitæ alienari non dicitur pleno iure spectare ad eum, cui facta est prohibitio.*

2 *Fideicommissum conditionale differt àb expressa alienandi prohibitione; cum in hoc casu dominium rei prohibitæ alienari pleno iure non spectet ad prohibitum, vbi agitur de vtilitate et æstimatione rei.*

3 *Fideicommissarius adiens hæreditatem dicitur quasi contrahere cum creditoribus hæreditarijs.*

4 *De euictione regulariter agi non potest, antequam sequatur euictio; secus est, quando venditor sciens vendit rem alteri obligatam; quia tunc potest agi ad interesse, antequam euincatur.*

5 *Venditor vel contrahens specialiter promittens aliquid, hoc vel illo pacto sese habere potest, ex actione empti cogi ad illud præstandum, quod promisit.*

6 *Conuentio expressa auget obligationem.*

7 *Actio quanto minoris datur, quando venditur res prohibita alienari, euictione etiam non sequuta.*

8 *Re vendita siue tradita, siue non, si reperiatur à venditore obligata, actione ex empto potest agi ab emptore, vt liberetur; & si agatur ad pretium, potest emptor exceptione se tueri.*

9 *Obligatio rem tradi in venditione habet admixtam obligationem rem dari: & quoties est in obligatione rem dari, potest agi, vt libera tradatur.*

10 *Venditor dando fideiussores de euictione dicitur liberatus à primaua obligatione: limitatur tamen non procedere, quando non appareret, quòd res esset obligata; secus si appareret, quia tunc non liberatur venditor ab obligatione de tradendo.*

11 *Dominium rei prohibitæ alienari non trāsfertur in emptorem.*

12 *Fideiussores de euictione tenentur eadem actione ad præstandum rem liberam, qua tenetur principalis, cum accesserint vti principales.*

13 *Prohibitio alienationis rei impedit dominij translationem, fideicommissum verò non impedit, bene illam reuocat.*

14 *Consensus præstitus alienationi rei prohibitæ alienari propter fideicommissum perpetuum, ab ijs qui sunt in rerum natura non sufficit ad alienationis validitatem.*

15 *Consentiens alienationi rei prohibitæ alienari cadit a iure suo.*

16 *Bona alienata contra expressam testatoris prohibitionem, possunt per alienantem in legitimam sibi imputari ad effectum sustinendi alienationem, dummodo tamen huiusmodi exceptio legitimæ sit liquida.*

17 *Legitimatus potest petere legitimam, sicut legitimus.*

18 *Onus probandi, quòd quis non fuerit consequutus plus legitima incumbit alleganti detractionem legitimæ sibi deberi.*

19 *Contra obligatum tradere rem liberam, & fideicommisso non subiectam potest exequutiuè procedi, existente obligatione Camerali; si res detegatur obligata & fideicommisso subiecta.*

20 *Obligatio apposita super contractu emptionis sortitur eius naturam.*

DECISIO CCCXXI.

IN causa Romana census inter Illustriss. & Reuer. Cardinalem Corneliū actorē ex vna & Illustr. Dominum Hieronymum de Cuppis reum ex altera: status causę ita se habebat. De anno 1556. Illust. D. Hieronymus vendiderat Illustrissimo Domino Cardinali Cornelio censum quendam scu-

præsēs decis. habetur 1 impress. diuers. nouiss. 186. part. 2.

torum 405. monetæ super quodam Casale pro pretio scut. 4500. monetæ, cum narratiua quòd huiusmodi Casale erat ipsius Domini venditoris,& ad ipsum pleno iure dominij, vel quasi spectabat , & nulli alij cessum,pignoratum, seu quomodolibet alienatū,alienationis latissimè sumpto vocabulo, nec de eo factum esse nec apparere quomodolibet aliquem alium contractum distractum vel quasi contractum in præiudicium dicti Illustrissimi Domini emptoris, & promittebat facere consentire omnem personā, nec non suscipere in se omnem litem , aliàs volebat teneri de euictione in forma iuris valida , & ad duplum pretij, & ad omnia damna, & aliàs, prout latius in instrumento. Procedente tempore,cum peruenisset ad notitiam Illustrissimi Domini Cardinalis huiusmodi Casale esse subiectum fideicommisso olim facto per bon. mem.Cardinalem Tranensem in suo vltimo testamento, cum expressa prohibitione alienationis & fideicommisso pœnali in dictum euentum, cœpit agere aduersus Dominum Hieronymum via exequutiua corā. A. C. pro obseruatione contentorum in instrumento, & cum essem deputatus Iudex ab eodem Auditore Cameræ, decreueram mandatum contra d. D. Hieronymum, in quo mandabam alternatiuè adimpleri contenta in instrumento, vel pretium restitui : à quo decreto, cum reclamatum fuisset pro parte Domini Hieronymi, & adita signatura,mihi iterum cōmissum fuit, vt procederem in causa sine præiudicio legitimæ exequutionis : vt parti petenti satisfacerem, licèt causa non esset Rotalis;volui tamen proponere dubium, An esset procedendum ad vlteriorem exequutionem dicti mandati,& causam bis proposui, nempe die Lunæ 11. Martij 1577.& die 15. eiusdem mensis.Et in hoc quidem negocio plures excitabantur difficultates ; Prima an Illustr. Dominus Hieronymus narrasset in prædicto instrumento quicquam, quòd in rei veritate aliter se haberet:Secūda,dato quòd res aliter se haberet, quàm narratum fuerat, An euictione nondum sequuta teneretur ad aliquid præstandum. Tertia,an satisfactum esset obligationi per præstationem fideiussorum, qui fuerant ab initio adhibiti : Quarta,an sufficeret,quòd omnes vocati, qui pro tempore sunt in rerum natura alienationi consentirent:Quinta, an ratione debitorum per ipsum solutorum, & portionis legitimæ posset D. Hieronymus sibi imputare dictū Casale ad effectum sustinendi dictam census cōstitutionem: Sexta,an isto casu posset procedi exequutiuè vigore obligationis in forma Cameræ . Quantū ad primam difficultatē fuit dictum, quòd rei veritas aliter se habebat, quàm fuisset narratum;nam quicquid sit in
1 illa quæstione, † An dominium rei prohibitæ alienari dicatur pleno iure spectare ad eum, cui facta est prohibitio, de qua *per Bald. in l. fœminæ. §. illud. & §. fin. C. de secund. nupt. Aretin. in l. si quis vi. §. sed quia. in fin. C. com. de legat.* in qua quidem
2 quæstione † differētiam constituere oportet inter fideicommissum cōditionale, & expressam alienandi prohibitionem, quia posteriore casu opinio Baldi videtur procedere sine difficultate, vbi agitur de vtilitate, & æstimatione rei, vt bene animaduertit *Aretin. cons. 19. num. 3.* quod bene applicatur in hoc casu, in quo talis enunciatio, & assertio tendit ad hunc effectum, vt facilius emptor induceretur ad emendum super dicto Casale censum, quicquid sit ad alium effectum, quo casu possent procedere dicta *per Bart. in l. Iulianus. §. fin. de rei vindic. per l. generaliter. qui & à quib. Ruin. cons. 138. num. 7. lib. 2. Tiraq. de retract. conuēt. §. 2. glos. vnic. num. 52. & in l. si vnquam. in fin. n. 11. allegat corruptè Alex. cōs. 219. cum sit 208. lib. 2. cum alys ;* tamen in proposita facti specie cessat omnis difficultas, ex quo dictum fuit de isto Casale nullū aliū fuisse factum contractum nec quasi contractum ; & tamen contrarium apparet ex eo,
3 † quòd Dominus Hieronymus adiuerat hæreditatem Cardinalis; & ideo quasi contraxerat cū creditoribus hæreditarijs, & fideicommissarijs, *§. hæres quoque. Instit. de oblig. quæ ex quas. contr.* Quantū ad secun-
4 dam fuit conclusum, quòd † quamuis ante euictionem sequutam regulariter non possit agi de euictione, *l. qui rem. C. de euiction. l. si plus. §. mora. ff. eod.* tamen huic regulæ plures aplicantur limitationes, quæ deseruire possunt casui, de quo agitur ; Prima est,quando venditor sciens vēdidit rem alteri obligatā, quia antequā euincatur potest agi ad interesse,*ut est tex. in l. seruus quē. §. fin. de act. empt. l. si hominem. de solution. tradunt Doctor. omnes in d. l. qui rem. vbi Butrig.* qui optimè deducit interesse ex eo, quòd volens rem alienare, vel obligare,non potest facilè reperire emptorem vel cōtrahere volentem: Scientia verò Domini Hieronymi est indubitata; tum ex eo, quòd fuit præsens confectioni testamenti ; tum etiam quia prius de anno 1554. idem Dominus Hieronymus constituerat censum 360. scutorum super palatio bon. mem. Cardinalis de Tranis enunciando fideicommissum : Se-
5 cunda est, † quando specialiter aliquid promittitur,hoc vel illo pacto sese habere;tunc enim actione empti potest cogi venditor ad illud præstandum,quia ex tali narratione & promissione videtur inductus emptor ad emendum , aliàs non empturus , quæ ratio colligitur ex textu *in l. si is qui hæres. §. 1. de except. rei iud. & l. cum eiusdem. §. interdū. de edilit. edict. Corn. cons. 226. num. 3. lib. 2.*
6 & † conuentio expressa auget obligationē,

l. ven-

l. venditores. de verb. oblig. Cagnol. in l. vnic.
num. 114. *C. de sent. quæ pro eo quod inter.*
7 † Tertia, in qua Doctores omnes concor-
dant, est, quòd hoc casu detur etiam actio
quanto minoris, *Bart. l. cum stipulatus sim.*
de verb. oblig. Ang. in l. si seruus. la secon-
da, de cond. furt. cum alijs latè cumulatis in
26. *decis. Pedemont. num.* 5. Quarta limi-
tatio, ex qua videtur tolli difficultas, est
ex l. ex his prædijs. iunct. glos. C. eod. de euict.
8 vbi vult tex. quòd † re nondum tradita, si
reperitur à venditore obligata, potest agi
actione ex empto, vt liberetur, & etiam si
agatur ad pretium, potest emptor exceptio-
ne se tueri: subdit ibi glos. quòd si res fue-
rit tradita, etiam aget emptor actione ex
empto, vt liberetur, allegat *l. creditor. §. præ-*
dium. de act. empt. ne deterioris sit cōditio-
nis emptor re tradita, quàm si non esset tra-
dita, idem tradit *glos. in d. l. qui rem. quam*
referunt, & sequuntur moderni Pedemont.
d. decis. 24. *num.* 2. *vers. in contrarium. &*
num. 4. Corroboratur hæc limitatio, ex eo
9 quòd † obligatio rem tradi in venditione
habet admixtam obligationem rem dari,
Bart. in l. certi condictio. num. 22. *&* 23. *si*
cert. petat. & ibi Dec. latissimè num. 11. *&*
12. *Idem Bart. in l. in conuentionalibus. de*
verb. oblig. quoties autem in obligatione est
rem dari, potest agi, vt res libera tradatur,
l. Iulianus. §. qui fundum. de verb. obligat.
quia tenetur ita dare, vt dominium auoca-
ri nequeat, *Ias. in d. l. qui fundum. num.* 5.
10 Neque obstat, si diceretur † ex eo, quòd fuit
cautum de euictione, & dati fideiussores,
D. Hieronymum fuisse liberatum à primæua
obligatione, *Bart. in l. cum quis. §. qui ho-*
minem. ff. de solution. & l. si quis aliam
num. 2. *eod. tit.* quia hoc dictum Bart. pul-
chrè limitatur *per Cuman. in d. §. qui ho-*
minem. quem refert, & sequitur Alexan. in
d. §. qui fundum. num. 2. *in fin.* vt proce-
dat, quando non appareret, quòd res esset
obligata; secus verò si appareret obligatā
esse, tunc enim non liberatur venditor ab
obligatione de tradendo. Hæc verò maxi-
11 mè procedunt in casu isto, in quo † propter
prohibitionem alienationis factam à testa-
tore nō potuit dominium transferri in em-
ptorem, vt communiter tradunt Doctor. *in*
l. filiusfam. §. Diui. de legat. 2. *& ad idem*
optimè facit Dec. cons. 102. *propè fin. & Al-*
ciat. d. §. qui fundum. Quantum ad ter-
tiam difficultatem, an satisfactum sit per
fideiussores præstitos à principio; fuit dictū
non esse satisfactum; tum ex supra traditis,
quòd vbi apparet rem esse obligatam per fi-
deiussores, non satisfieri obligationi de dā-
do, quæ inest obligationi de tradendo; tum
12 etiam quia † fideiussores tenentur eadem
actione ad præstandum rem liberam, quia
promissioni principalis vti principales ac-
cesserunt; ideo absurdum est dicere, quòd
ijdem sint obligati, & obligationem tol-
lant, sed etiam animaduertendum est, eos
fuisse acceptatos sub eadem narratiua, quòd
nullus fuerat de istis bonis factus cōtractus,
nec quasi; ideo cū superuenerit noua causa,
nempe notitia fideicommissi, & prohibitio-
nis alienationis, potest agi, vt idoneæ ca-
ueatur in hunc casum, vt benè deducitur
per *Pedemont. in d. decis.* 24. *num.* 2. *vers.*
secunda. & num. 8. *vers. nec aduersatur.*
Nec obstat, quòd tradit *Bald. in l. ex his*
prædijs. in fin. dum dicit emptorem agere
non posse, vt sibi caueatur, quia loquitur
in obligatione conditionali, hic verò nedū
adest obligatio conditionalis fideicommis-
13 si, sed etiam † prohibitio alienationis, quæ
impedit dominij translationem, quæ per so-
lum fideicommissum non impeditur, licèt
reuocabilis sit, *Castr. cons.* 370. *lib.* 2. Præ-
terea loquitur, quando venditor idoneus
erat facultatibus, de qua quantitate hic
propter fideicommissum ambigi potest, &
ita intelligit *dictū Baldi Afflictus decis.* 241.
circa fin. Quantum ad quartam difficul-
14 tatem fuit quoque dictum, † cum fideicom-
missum sit perpetuum, non esse sufficienter
cautum Illustrissimo Cardinali per consen-
sum præstitum per istos, qui sunt in rerum
natura; & ideo difficile esse inuenire modū
cauendi, tradidit *Dec. cons.* 323. Præterea
15 † ijdem consentientes huic alienationi pro-
pter prohibitionem alienandi cadunt à iure
suo; *vt fuit resolutum in illa Roman. vinea-*
rum coram R. P. D. Decano,[a] & ita eorum a Ordine 19
consensus non reddit securum Cardinalem. Octob. 1574.
16 Quantum ad quintam difficultatem, † si in impress. di
exceptio Domini Hieronymi esset liquida, uers. nouiss.
non displiceret Dominis, quòd satis dice- decis. 23. vol.
retur prospectum indemnitati Cardinalis, 1.
sed quia non fuit confectum inuentarium;
dato etiam, quòd d. D. Hieronymus fuerit
17 legitimatus, † & possit petere legitimam;
Tamen non constat, neque de quantitate
bonorum, neque de quantitate legitimæ;
Ideo cum exceptio non sit clara, non rele-
uat, *& aliàs fuit resolutum in vna Tiburti-*
na Casalis coram R. P. D. Robusterio 24.
18 *Nouembris* 1574. † quod onus probandi,
quòd quis non fuisset plus consequutus le-
gitima, incumbebat allegāti detractionem
legitimæ sibi deberi. Sexta & vltima diffi-
19 cultas, † An possit procedi exequutiuè,
sublata videtur ex his, quæ supra deducta
fuerunt, nam in effectu fuit assertum Casa-
le esse liberum, & fideicommisso non subie-
ctum, cum fuerit dictum nullum fuisse de
eo factum contractum nec quasi contractū:
20 Præterea † cum ista obligatio fuerit appo-
sita super contractu emptionis, vtique sor-
tiretur eius naturā, *l. si stipulatus. de verb.*
oblig. notant Doctor. in Rubr. eiusdem tit. si
ergo agi potest ex empto ad primæuam ob-
ligationem de tradendo, vt fuit deductum,

poterit agi etiam executione vigore obligationis Cameralis super dicto contractu appositæ. Et ex his virtualiter sublata sunt omnia, quæ in contrarium deducta fuerunt: Visaq. est hæc sententia Dominis etiam maxima æquitate niti, cum ex cautionis præstatione nullum afferratur præiudicium Domino Hieronymo, ex eius verò omissione maximè videatur sors principalis Illustrissimi Cardinalis periclitari.

Abulen. Præstimonij.
Die Lunæ 18. Martij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Non potest agi spolio, quando non constat de mandato eius, qui cœpit possessionem, nec de ratificatione, antequam possessio sit occupata.*

2 *Allegatio Lapi 51. non procedit in spolio.*

3 *Habens possessionem instrumentalem, non habet necesse probare possessionem esse vacuam, sed onus probandi incumbit ei, qui dicit possessionem tunc temporis fuisse plenam.*

DECISIO CCCXXII.

FVit per Dominos conclusum, Aluarum non posse agere spolio in casu proposito; Primo quia videbatur, quòd possessio Cameræ non esset iustificata, ex eo quòd Breue erat surreptitium, per ea quæ fuerũt dicta, die 11. Februarij proximè præteriti in hac eadem causa. Secundo quia aut Aluarus agit ex persona propria, & nihil habet, aut agit tanquam cessionarius Cameræ, & hoc casu necesse haberet probare spolium commissum ante cessionem, quòd non probatur. Tertio & hoc motiuum, omni-
1 bus Dominis placuit, quia † non cõstat de mandato eius, qui cœpit possessionem nomine Cameræ, nec de ratificatione Cameræ ante possessionem Didaci de Alaua; & propterea non intrat spolium, *Rot. 9. de restit. spol. in nou. Doctor. in l. quod meo. & ibi Alex. n. 5. de acquir. poss.* Alia deducta pro parte Ioannis de Sancta Maria ad excludendum
2 spoliũ non placebant Dominis, nam † neque allegatio Lapi* procedit in spolio, *Castad. de* (* quæ est 51.)
3 *cis. 5. de restit. spol.* neque opus est, quòd † is, qui habet possessionem instrumentalẽ, probet alium tunc non fuisse in possessione; sed incombit onus hoc probandi ei, qui dicit possessionẽ tunc temporis plenam fuisse, neque etiam cõfessio intrusionis facta per Aluarum videbatur concludens tam ratione temporis, quàm ratione diuersitatis beneficiorum. Neque etiam in facto verum erat, Cameram non cessisse actionem spolij; contrariũ enim legitur in instrumẽto cessionis.

Gadicen. Administrationis.
Die Veneris 19. Aprilis 1577.

SVMMARIVM.

1 *In iudicio summarissimo sufficit semiplena probatio.*

2 *Facultas competens per modum iuris præscribi non potest.*

3 *Præsumptio, quòd materia sit facultatiua, nisi sit vehemẽs; manutentionem nõ impedit.*

4 *Possessio longi temporis tollit præsumptionẽ, quod possessio sit facultatiu.*

DECISIO CCCXXIII.

FVit resolutum mandatum esse sustinendum* ex his, quæ deponunt testes tam ratione administrationis reddituum decimalium, quàm reddituum Fabricæ; maxi- (* Fuit reuocata ista decisio sub die 29. Iun. 1577.)
1 mè † cum hic agatur de summarissimo possessorio, in quo etiam semiplena probatio sufficeret, & probatur etiam scientia Episcopi, & non contradictio. Nec obstat, quòd fortasse respectu reddituũ decimalium ista possessio videatur habere præsumptionem contra se, ex eo quòd ista administratio respectu Episcopi videatur quid facultatiuũ;
2 † quia ista facultas est de illis, quæ competũt per modum iuris, & cui præscribi potest, *Socin. iun. cons. 145. num. 40. lib. 1. Ferret. 124. num. 5.* Præterea ista præsũptio eneruatur propter salarium, de quo deponunt
3 testes, & in summa † non est ita vehemens, vt possit impedire manutentionem, *Didac. pract. quæst. cap. 17. num. 6.* † concurrit
4 etiam possessio longi temporis, quæ tollit hanc præsumptionem, *Franc. c. ad decimas. num. 8. de restit. spol. in 6.*

Portuen. Bonorum.
Die Lunæ 29. Aprilis 1577.

SVMMARIVM.

1 *Contrauentio in pacto stipulatione vallato, & consequenter in contractu nominato, non impedit ortum actionis, sed parti aduersæ parit exceptionem.*

2 *Exceptio contrauentionis eatenus durat, quatenus durat contrauentio.*

3 *Per acceptationem dicitur ius quæsitum ei sua causa, & non aliter.*

4 *Renũciatio sui iuris nõ potest fieri in præiudicium filiorum; maximè si ius habeant à Papa, non autem ex persona siue ex cõsensu patris.*

5 *Idem est in renunciatione fideicommissi.*

6 *Tertius tacens, nec acceptans, nec renunciationem oppugnans non excluditur à iure sua exceptionis.*

7 *In pacto facto de successione viuentis de consensu illius, de cuius hæreditate agitur, respectu paciscentium contractus est irreuocabilis, respectu verò consentientis, con-*

consensus reuocari potest vsque ad vltimum vitæ spiritum.

DECISIO CCCXXIV.

Quia pro parte Illustr. Domini Iulij Cæsaris fiebant plura fundamenta, Domini nonnulla omiserunt tãquam extra dubium, qualia sunt illa, quòd Papa non intellexerit de pacto, & ideo ei non censeatur præiudicare voluisse; Item quòd gratia Principatus sit nulla; Item quòd conditionalis: Ista enim requirerent particularem inspectionem; Item illud, quòd Illustr. Dominus Iulius sit primus acquirens non multum satisfaciebat; tum propter clausulam motus proprij; tum propter erectionem Principatus in antiquum; sed amplexi sunt
1 fundamentum illud, quòd † in pacto stipulatione vallato, & consequenter in contractu nominato *per doctrinam Bart. in l. 2. de condit. ob caus. Castr. in Rubr. de verb. oblig. num. 6. Aleiat. num. 31.* contrauentio non impedit ortum actionis, sed parit parti aduersæ exceptionem, *vt per Doctor. in l. filia licet. C. de collation. Roman. ibid. num. 8. Alex. num. 6. Curt. iun. num. 10. cum alijs per Dominum Horatium allegatis;* * Et ideo constituta fuit regula pro Illustrissimo Domino Iulio Cæsare, quòd potuerit renun-
2 ciare; nec exceptio sibi obstet, cum † eatenus exceptio duret, quatenus durat contrauentio, *Castr. in l. cum proponas. la secunda, num. 3. C. de pact. vbi Curt. sen. n. 4. Ias. in l. qui Romæ. §. Seia. n. 7. de verb. oblig.* licèt enim ab impugnatione desistere ante sententiam, *l. Papinianus. §. meminisse. de inoff. testam. cũ similibus.* Non obstat
3 † acceptatio per Dominas facta, quia licèt pro parte ipsarum non informetur; tamen aliquibus videbatur, hoc nullã habere difficultatem, quia fuit ipsis quæsitum ius cũ sua causa, videlicet reuocabiliter, seu quatenus altera pars persisteret in sua contrauentione, & non aliàs, ex his quæ super regula dicta sũt, & in simili *Castren. in l. priuilegia. C. de sacrosan. eccl. refert Dec. in c. sãcta Maria. num. 53. vers. & pro ista opin. de constitut. & in cap. nouit. n. 13. vers. tertio applicatur. de iudic.* Nec fortè etiam ob-
4 stare, quòd † talis renunciatio non possit fieri in præiudicium filiorum: Primo, quia, vt Domini dixerunt, firmata regula, de qua supra, poterit si opus erit, particulariter videri, an ab ista regula sit recedendũ, propterea quòd agatur de præiudicio filiorum, quasi non satis fuerit à contrauentione recessum. Secũdo, vt aliqui ex Dominis tenebant, ipse Dominus Iulius renũciauit, quantum in se est, & in sui præiudicium, & respectu suæ personæ, quòd eis videbatur sufficere, licèt postea primogeniti ex pro-
5 pria persona possint venire, vt † in simili de renunciatione fideicommissi post alios tradit *Alba Mandell. cons. 74. num. 3.* maximè si primogeniti habent hoc ius à Papa, non autem ex persona, siue ex consensu patris. Tertio pluribus etiã ex Dominis placebat, quòd hæc exceptio sit de iure tertij,
6 quo tacente neque gratiam acceptante, neque renunciationem oppugnante, non videbatur hæc exceptio ipso iure exclusiua iuris agentis: nam si primogeniti acquiescent tenebit renunciatio, *Bart. in l. 1. de except. rei iudic. cum alijs allegatis*, ergo interim de eorum iure alius opponere nequit; & maximè cum primogenitus nõdum acceptauerit: quo casu respectu eius gratiæ nullam fecit contrauentionem, cum requiratur acceptatio, *l. absenti. de donation. Grat. cons. 25. num. 37. lib. 1. Ruin. cons. 13. n. 10. & cons. 36. num. 14. lib. 4.* Sed hæc poterunt videri particulariter, quia informantes pro mulieribus leuiter informant, & propter decisionem factam *in causa Vrbeuetana Castrorum coram R. P. D. Aldobrandino.* [a] Fuit etiam per aliquem ex Dominis consideratum, quòd aut ius istud fuit quæsitum filijs prædictis sine consensu patris ex sola gratia Principis, & videtur carere dubitatione, hoc casu talem consensum reuocari posse, cum de nullius præiudicio præterquam proprio agatur; Aut iste consensus fuit necessarius, & ex eo ius quæsitum fuit filijs, & videri, quòd iste consensus debeat sortiri naturam vltimarum volũtatũ, & sic sit reuocabilis vsque ad vltimum vitæ spiritum, vt in simili, qui facit testamentũ de consensu Principis, potest illud reuocare, *Ias. l. omnium. n. 5. C. de testam.*
7 Item † si fiat pactum de successione viuentis de consensu illius de cuius hæreditate agitur, licèt respectu paciscentium talis cõtractus sit irreuocabilis, respectu tamen consentiẽtis reuocari potest consensus vsq; ad vltimum vitæ spiritum, *l. fi. C. de pact. & ibi Dec. num. 6. Cagnol. num. 87. & 91. & 109. & Purpurat. num. 12.* Passiuam enim debet recipere interpretationem hęc dispositio Principis à iure Communi *l. 1. §. lex Falcidia. ad leg. Falcid.* facit ad hanc quæstionem *Tiraquel. de iure primogen. quæst. 68.* & ideo fortè non procederet *cons. Bologni.* [b] allegatum pro parte mulierum, quia totum videtur fundatum in consuetudine: *nec etiã Cephali*, quia ibi filius conquerebatur: sed in contrarium videtur facere *Castrens. cons. 164. num. 6. lib. 2.* & ideo si opus erit, particulariter videbitur.

* Castr. in Rubric. de verb. oblig. num. 5. Ias. in l. iurisgentium. in princ. n. 2. ff. de pact. & in l. si duo. §. si quis iurauerit. n. 8. ff. de iureiur. & ita fuit alias resolutũ corã Sãctiss. D. N. Clemẽte Octauo tũc Rotæ Audit. in vna Messanẽ. Baroniarum.

a sub die Veneris 29. Ian. 1574. in impress. diuers. nouiss. 212. part. 1. nu. 5

b Bolognin. cons. 62. per totũ, & Cephal. cõs. 12. a nu. 49. vsque ad fin.

Ciuitatis Castelli Castri Montoni.
Die Veneris 10. Maij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Simplex legitimatio ad feuda non trahitur ad feuda ex pacto & prouidentia.*
2 *Princeps non potest alterare inuestituram anti-*

antiquam, nec in ea comprehensis praiudicare absque illorum culpa, sed solum ex causa, quam exprimere debet.

3 *Quando inuestitura habet vim contractus per Principem seruari debet.*

4 *Papa potest illegitimum habilitare ad feuda ex pacto & prouidentia: & sufficit, quòd solum hoc exprimatur, quia si vult, potest, vt num. 5.*

6 *Volũtas Papæ satis dicitur declarata per verba vniuersalia etiã circa ea, quæ particularẽ requirunt, & expressam mentionem, quãdo tamen verba generalia post casum expressũ apta sũt omnẽ casũ cõprehẽdere.*

7 *Dictio, quibuscunque, est vniuersalis, & omnia comprehendit etiam ea, quæ aliàs non venirent.*

8 *Dictio, quibuscunque, adiecta hæredibus facit, vt etiam extranei comprehendantur.*

9 *Dictio adiectiua non potest stare de per se sine suo substantiuo.*

10 *Nomina dignitatũ in feudis requirunt specialem mentionem.*

11 *Clausula generalis in fine posita post specificata comprehendit omnes casus requirentes specialem expressionem, vt in legitimatione, & in mandatis.*

12 *Clausula generalis, ac alio quouis titulo, omnem titulum complectitur, & in concessione feudi comprehendit etiam feudum ex pacto & prouidentia.*

13 *Geminatio dictionum vniuersalium multum operatur.*

14 *Legitimatio facta à Papa ad feuda operatur etiam contra pacta expressa in inuestitura apposita, quando Papa etiam in genere cogitauit de feudis ex pacto & prouidentia.*

15 *Legitimati ad feuda regulariter succedunt in feudis hæreditarijs tantum, non autem in feudis ex pacto & prouidentia, si expressè sit forma concessionis feudorum cõtraria derogatum. Idẽ est in fideicõmissis.*

16 *Legitimatus cum clausula pragnante, quòd habeatur, tractetur, reputetur in omnibus & per omnia absque vlla penitus differentia, perinde ac si legitimè procreatus esset, omnino iudicari debet, vt verè legitimus, & comprehenditur sub casibus etiam specialem mentionem requirẽtibus*

17 *Dictio penitus est exclusiua.*

18 *Ab exclusione cognoscitur inclusio.*

19 *Legitimati nihil differunt à legitimis, & sufficit, quòd Princeps legis obstaculum remoueat, & num. 20.*

21 *Differũt, quòd quid veniat expressè ex verborum proprietate vel ex legis interpretatione, ad effectum vt intret derogatio per Principem facta:*

22 *Papa præsumitur habere notitiam qualitatis feudi Romanæ Ecclesiæ.*

23 *Papa & Imperator possunt Vassalos priuare feudis sine causa, quando non sumus in iam acquisitis, sed in eis, in quibus est spes tantum futuræ acquisitionis.*

24 *Ius quærendum in spe dicitur valde debile, & nõ considerabile in casu, de quo agitur.*

25 *Reprobatur, & declaratur Cephal. cons. 23. lib. 1.*

DECISIO CCCXXV.

FVit dubitatũ cũ præsupposito, quòd feu- *Pendet decis. habetur l. in press. diuers. nouiss. 168. part. 1.*
dũ, de quo agitur, sit ex pacto & prouidẽ
tia, & quòd legitimatus ad feuda non possit
succedere in feudis ex pacto & prouidentia
cõcessis: An stãtibus forma inuestituræ Leo-
nis X. & clausulis legitimationis Illust. Do-
mini Ioannis Vincentij, ipse dicatur ad hoc
feudum legitimatus: Et difficultatem facie-
1 bat præsuppositum illud, † quòd simplex le-
gitimatio ad feuda non trahatur ad huius-
modi feuda ex pacto & prouidentia, *per cõs.*
Anchar. 308. *quem refert & sequitur Affli.*
decis. 195.* *cum alijs deductis pro parte Il-* ** Paris. cons. 2. n. 31. cũ seq. vol. 2. qui approbat d. decis. Affl. & d. cõs. Anchar.*
lustr. Domini Ferrantis in positione huius
causæ sub die Mercurij 27. Martij huius an-
ni. Quæ conclusio cõfirmatur ex eo, quòd
2 † Princeps non potest alterare inuestituram
antiquam, nec in ea comprehensis præiudi-
care absque illorum culpa, *Cephal. cons.* 23.
num. 46. & 47. *lib.* 1. sed hoc tantum ei li-
cet ex causa, quam exprimere debet, *vt ibi-*
3 *dem per eundem num.* 48. maximè quia † ta-
lis inuestitura habet vim contractus, qui
per Principem est seruandus; *Cephal. ibid.*
nu. 51. *Socin. iun. cons.* 126. *num.* 50. *lib.* 2.
Ex quibus pro parte Illustr. Domini Ferrã-
tis concludebatur pro parte negatiua; &
clausulis inuestituræ & legitimationis sigil-
latìm respõdebatur, illas non esse tales, quæ
de necessitate, & attenta ratione recti ser-
monis omnino includerent etiam huiusmo-
di feuda, vt latius per Excellent. Dominos
informantes deducitur. His tamen non
obstantibus in contrariam sententiam itum
est, Illustr. Dominum Ioannem Vincentium
esse legitimatum etiam ad feuda ex pacto
& prouidẽtia: Et pro huius decisionis fun-
damento, illud in primis assumptum fuit,
4 † Papam posse illegitimum habilitare ad
huiusmodi feuda ex pacto & prouidentia,
quod nemo negat, quinimmo omnes Docto-
res de hac re loquentes requirunt solum,
quòd hoc exprimatur; & ideo quæstio in
præsenti non est super potestate, sed super
5 voluntate Papæ, † si enim voluit, potuit:
6 † Voluntas autem satis declarari potest, e-
tiam per verba vniuersalia, etiam circa ea,
quæ requirunt particularem, & expressam
mentionem, *vt per Felin. in c. postulasti. col.*
4. *vers. declara præfata. de rescript. Ruin.*
cons. 73. *num.* 10. *lib.* 3. *Ant. Gabriel. de reg.*
iur. concl. 4. *num.* 4. qui loquuntur in ter-
minis legitimationis, & hoc quando verba
generalia post casum expressum apta sunt
omnem casum cõprehendere, *vt post Ruin.*

tradit idē Gabr. ibid. n. 7. Quòd autem ex
generalitate verborum & clausularum prægnantia comprehendantur huiusmodi feuda, patet ponderando singulas clausulas infrascriptas: Primo ibi, quibuscunque rebus, & bonis mobilibus, & imobilibus, ac
se mouentibus, & Ecclesiasticis, feudalibus,
7 & emphyteuticis &c. ✝ Virtus enim dictionis, quibuscunque est, vt sit vniuersalis omnia comprehendens, etiam quæ aliàs non venirent, *Aym. cons.* 294. *num.* 1. *Sarnen. regul. de Triennal. quæst.* 2. *n.* 3. *post glos.*
8 *in Clem.* 1. *de decim.* & ideo ✝ dictio, quibuscunque, adiecta hæredibus facit, vt etiam veniant hæredes extranei, *Aym. cons.* 227. *n.* 12. *Tiraquel. de retract. lignar.* §. 1. *glos.* 7. *num.* 21. *& ita passim tenet Rota, vt fuit deductum latissimè in illa Faren. pensionis coram R. P. D. meo Aldobrandino.* [a] Neque obstat, quòd ex aduerso dicitur, dictionem, quibuscunque, determinare dictionem, bonis, non autem dictionem feudalibus, quod videtur voluisse *Cephal. in allegato cons.* 23.
9 *num.* 124. Quia ✝ cum dictio, feudalibus, stet adiectiuè ad dictionem, bonis, impossibile est illam à suo substātiuo separari, aliàs per se stare non posset; Et ideo perinde est, ac si repetitum fuisset in quibuscunque bonis feudalibus; & ideo malè & contra vulgata grāmatices principia loquutus est Cephalus, si clausula legitimationis erat hoc modo concepta; Quod tamen satis ex eius dictis colligi non potest. Secundo facit clausula, etiam quòd Comitatus, Vicariatus,
10 Marchionatus, Ducatus &c. nam ✝ in istis etiam apud Feudistas est in confesso requiri specialem mentionem, *vt ex Bald. refert Anchar. d. cons.* 308. *num.* 6. cum ergo post specificationem eorum, quæ requirunt par-
11 ticularem expressionem, ✝ reperiatur posita clausula generalis in fine, quòd pro legitimo habeatur, ac si ex legitimo matrimonio procreatus esset, in omnibus & per omnia absque vlla penitus differentia, de qua mox agemus; succedit, quòd legitimatio omnes casus requirentes specialem expressionem comprehendit, prout in materia mandatorum, in infinitis causis tenuit *t. qui ad agendum.* §. *pen. in fin. vbi omnes. de procurat. in* 6. *Chisanen. decis.* 123. *aliàs* 127. *incip. fuit dubitatum in vna Compostel-*
12 *lana.* Tertio suadetur ✝ ex clausula, ac quouis alio titulo deuenire &c. quæ generalitas videtur omnem complecti titulum, aliàs si excludamus feudum ex pacto & prouidentia non erit verum dicere, quæcunque bona ad eum deuenire quouis titulo posse; sed
13 ponderari potest ✝ ratione geminationis dictionum vniuersalium, quæ multum in similibus operari solet. Quarto idem colligitur ex clausula illa, etiā si in emphyteuticis & feudalibus expressè caueatur, quòd legitimi & naturales seu legitimi constante matrimonio procreati tantum admittan-
14 tur, ponderando quòd ✝ legitimatio ista etiam operatur contra pacta expressa in inuestitura apposita ex quo patet Papam etiā in genere cogitasse de feudis ex pacto & prouidentia; maximè cum ista formula sit concepta, prout cōcipi solet in huiusmodi feudis, nulla qualitatis hæredis facta mentione, *vt tradunt Doctor. in cap.* 1. §. *hac quoque. de success. feud. Clar. in* §. *feudū. quæst.* 9. *cum alijs.* [b] Neque obstat, quòd hæc clausula conuenire possit etiam feudis hæreditarijs, quod non negatur, sed interim non potest etiā negari ex pacto expresso legitima-
15 tos excludi sub illa forma; adeo quòd ✝ licèt regulariter legitimati ad feuda succedāt in feudis hæreditarijs: tamen non succederent in feudo sub illa forma concesso; nisi dictæ formæ expressè esset derogatum, quod etiam procedit in fideicommissis. Quinto
16 maximè facit ✝ clausula illa, vt talis haberi, tractari, & reputari, ac sub statutis, decreto, vsu, & inuestitura feudali comprehendi possit, & debeat in omnibus & per omnia absque vlla penitus differentia, & omni prorsus fictione cessante, perinde, ac si Domini Chiappini eiusque vxoris filius legitimus & naturalis eorum legitimo constante matrimonio procreatus esset, quæ clausula est adeo prægnans, vt omnino de eo iudicandum sit, quod de vero legitimo, vt fuit in minus prægnanti clausula resolutū hoc anno *In Romana à Burdesia corā R. P. D. meo Aldobrandino.* [c] nec possumus aliquam restrictionem vel modificationem
17 hic adhibere, ✝ cum eā excludat dictio, penitus, *Paris. cons.* 45. *n.* 16. *lib.* 4. nec hoc ratio recti sermonis patitur, vt in simili tradit *Bart. in l. si de certa. & ibi Ang. Castr. & Ias. C. de transact. Gabr. de reg. iur. cōcl.* 4. *num.* 8. Neque obstat, quòd clausula ista intelligatur facere æquiparationem in casibus tantum, in quibus loquitur dispositio, *vt per Anchar. d. cons.* 308. quia in casu Ancharani legitimatio erat restricta ad successionem ex testamento & ab intestato, & sic ad feuda, hæreditaria sed hic tam ex supra deductis constat non esse restrictam, quàm ex tenore huius clausulæ, quæ habet dictiones vniuersales geminatas, & præcisas, & tales, quæ salua ratione recti sermonis non recipiunt restrictionem, alioqui nō erit verum, omnem prorsus fictionem sublatam esse sine vlla penitus differētia, quod enim est secundum quid tale, non est abso-
18 lutè tale. ✝ Sexto ex exclusione agnatorū in illa clausula, necnon ab illorum assequutione, colligitur inclusio istorum feudorum; nam certum est, quòd si Illustr. Dominus Vincentius esset legitimus, quòd excluderet remotiores ab isto feudo, & vtitur ibi verbis generalibus, cuiuscunque dispositionis vigore. Septimo & vltimo vnus ex Dominis cōside-

[a] sub Faren. pensionis 14. Aprilis 1578.

[b] Nota quòd cōmunis forma inuestituræ conuenit omnibus feudis hæreditarijs, & quæ præsumuntur hæreditaria, vt per Afflic. decis. 140. & 195. Clar. in d. §. feudum. q. 9. Lofred. cons. 52. n. 58 & seq. & cōs. 1. n. 93. & per scribent. præsertim Camer. in §. præterea Ducatus. de prohib. feud. alien. per Frid.

[c] sub die 4. Feb. 1577. in impres. diuer sor. nouissim. 339. part. 1.

ſiderabat in inueſtitura ſimpliciter fuiſſe vocatos filios & conſequenter inſpectis ſolis
19 verbis venire legitimatos, ✝ qui nihil differunt à legitimis, *§. ſi quis verò. in Auth. quib. mod. natur. effic. legit.* niſi legis diſpoſitio eos excluderet, *§. naturales. ſi de feud. fuer.*
20 *contr. int. dom. & agn.* Ideo ſatis eſſe, ✝ quòd Princeps remoueat obſtaculum legis, *Curt. iun. conſ. 157. num. 24. & conſ. 310. num. 31. lib. 3. Celſ. Vgo conſ. 26. num. 82.* ſed huic motiuo videtur obſtare præſuppoſitum, quòd legitimatus ad feuda non ſuccedat in huiuſmodi feudis ex pacto & prouidentia,
21 ✝ niſi diceremus intelligi de pacto & prouidentia expreſſa, non autem de eo pacto, quod non ex verborum proprietate, ſed ex legis interpretatione venit, quam legem, cum ſit iuris poſitiui, Princeps proculdubio abrogare poteſt. Et pro iſto fundamento benè videtur facere deciſio quædam facta *corã me in vna Bononien. de Bologninis 22. Martij 1568.* Quæ verò in cõtrarium deducta fuerunt, non obſtant: Et primo, quæ deducũtur circa poteſtatem, nõ habẽt locum in ſupremo Principe, quando ex certa ſciẽtia & de plenitudine poteſtatis reſcribit; maximè in caſu iſto, in quo cum
22 ✝ iſtud feudum, de quo agitur, ſit feudum Eccleſiæ Romanæ, præſumitur Papa de eo notitiam habuiſſe; Quo verò dicitur Papam
23 ✝ & Imperatorem ſine cauſa priuare non poſſe Vaſſallos, procedit reſpectu feudi iam acquiſiti, non autem in eo, in quo ſpes
24 eſt tantum futuræ acquiſitionis: ✝ ius enim iſtud, quod eſt in ſpe, eſt valde debile, & nõ conſiderabile, *prout fuit deciſum in terminis emphyteuſis in eadem Bononien. de Bolo-*
25 *gninis coram me 10. Decembris 1568.* ✝ & tunc in ſpecie fuit reprobatũ *conſ. Cephal. 23.* quod nunc informantes allegant, quod etiam ex alio euitari poteſt, cum loquatur in legitimante poteſtatem non habente, vt concludit in fine conſilij: ſed & quatenus aliquod adeſſet præiudicium conſiderabile, Papa illud ſuſtulit reſpectu remotiorum, vt ſupra in ſexto fundamento dictum eſt: voluit enim eos perinde excludi, ac ſi Dominus Ioannes Vincentius natus eſſet ex legitimo matrimonio, Videatur *Alex. conſ. 67. num. 3. & ibi Apoſtill. lib. 1.* Et ex his virtualiter ſublata ſunt, quæ in contrarium deducuntur.

Meliten. Præcedentiæ.
Die Mercurij 15. Maij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Qualitas eſt probanda ab eo, qui eam allegat.*
2 *Conſuetudo de vno actu ad alium extendi non poteſt, ſed probari debet in caſu, de quo agitur.*
3 *Præeminentia debetur ratione antiquioris ingreſſus in religionem.*
4 *Pupillaris ſubſtitutio licèt fuerit moribus vtentium introducta; tamen circa eam plura à iure ciuili diſpoſita fuerunt.*
5 *Non poteſt conſtare, quòd vnum ſtatutum ſit prius conditum, quando plura ſunt ſub vna & eadem compilatione.*
6 *Confirmatio ſtatutorum confirmat etiam conſuetudinem à ſtatuto approbatam.*

DECISIO CCCXXVI.

FVit reſolutum ex actibus annorum 1330. & 1335. de quibus agitur, non probari Venerabilem linguam Italiæ ante conditum ſtatutum 29. de Baiuliuis abſolutè præceſsiſſe Venerabilem linguam Aragoniæ: Cũ enim in hoc articulo lingua praeſ. deciſ. habetur i im preſſ. diuerſ. nouiſſ. 172. part. 1.
1 Italiæ aſſumpſerit onus probandi, debet probare cum hac qualitate, quòd Drapperius eſſet antiquior Admirato, *Bart. & Bal. in l. non ignorat. C. qui accuſ. non poſſ. Doctor. in c. 1. de homicid. in 6. Pariſ. conſ.*
2 *17. num. 28. lib. 1.* ✝ Conſuetudo autem de vno actu ad alium extendi non poteſt, *vt per Bald. in cap. 1. circa fin. qui feud. dar. poſſ. Natt. conſ. 46. num. 2.* ſed debet probari in caſu, de quo agitur. *Curt. iun. cõſ. 26. num. 10. Aym. 96. num. 4.* nam cum in dictis actibus tam Admiratus, quàm Drapperius eodem tempore creati fuerint,
3 ✝ potuit dari præeminentia Admirato ratione antiquioris ingreſſus in religionem, *iuxta cap. 1. de maior. & obed. Aretin. conſ. 23. num. 10. verſ. ad tertium. Boer. de auth. magn. conſil. num. 80.* Nec facit quòd cap. 1. de Baiuliuis ſit inſcriptum, conſuetudo, quia potuit dici conſuetudo reſpectu originis, & exiſtentiæ Baiuliuorum, vt innuit Rubrica; nam quantum ad ordinem præcedendi nihil expreſsè in eo diſponitur, ſed tantum deſumitur argumentum ab ordine, qui ordo potuit aliunde prouenire, quàm à conſuetudine, prout in ſimili dicimus,
4 ✝ moribus introductam eſſe pupillarem ſubſtitutionem, *l. moribus. de vulg. & pupill.* & tamen circa eam plura à iure ciuili diſpoſita fuere, *Iaſ. ibid. num. 11.* Nec eſt neceſſarium, quòd cap. 29. quod loquitur de conſuetudine, intelligat de illa deſcripta in cap. 1.
5 ✝ cum non appareat, quodnã ex his ſtatutis ſit prius conditum, cum ſint ſub vna & eadem compilatione, *Franc. in cap. 1. num. 8. de iureiur.* Et licèt dignitates dicantur creatæ ab origine; & ideo ſtatutum 29. ſit conditum poſt earum creationem, cum de ijs loquatur: tamen non ſequitur fuiſſe conditum poſt dictum ſtatutũ primum, cum non conſtet dictam conſuetudinem ſtatim ab origine fuiſſe in ſcriptis redactam. Nec obſtat confirmatio Inno-
6 centij, quia ✝ cum confirmet ſtatuta, confirmat neceſſario conſuetudinem à ſtatuto

29.

29. approbatã; aliàs contineret repugnantiam: Poterunt tamen, si velit lingua Italiæ, isti actus poni cum cæteris per ipsam deductis, vt in concursu eorũ habeatur ratio, si qua haberi, iũctis alijs, de iure possit.

Perusina Bonorum.
Die Mercurij 15. Maij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Exceptio discussionis in Saluiano interdicto non admittitur.*
2 *Exceptio doli, seu dolo facis, in Saluiano admittitur.*
3 *Idem est in exceptione compensationis.*
4 *Fideiussori, qui succedit debitori, competit exceptio compensationis.*
5 *Sententia ratione personarum diuidi potest; maximè si debitum oriatur ex diuersis contractibus.*

DECISIO CCCXXVII.

FVit conclusum, sententiam Rotalem quo ad Vincẽtium esse iustam & confirmandam: Quantum verò ad Ioannem Baptistam esse reuocãdam, cum videatur ei obstare exceptio dolo facis &c. nam sibi ipsi soluere tenetur, cum adiuerit hæreditatem nomine filij, & teneatur vendere dictam proprietatem, *l. fi. §. fin autẽ. C. de bon. qua lib. & ibi Salicet. & Corn.* Neque hæc ex-
1 ceptio est discussionis, † quæ in interdicto Saluiano non admittitur, *vt per Gabr. de*
2 *fideiussor. concl. 1. num. 108.* † sed exceptio
3 doli, prout in simili, † quando creditor vult compensare, *Bald. in l. exceptiones. C. de euiction. Gabr. ibid. n. 71. qui allegat Hip-*
4 *polit. & alios.* Item † quãdo fideiussor succedit debitori, *Mars. in Rubr. de fideiussor. n.*
5 *20.* † & potest hæc sententia ratione personarum diuidi, *Bald. in l. fin. num. 2. C. si plur. vna senten.* maximè vbi debitum oritur ex diuersis contractibus, vt hic, *Aretin. in l. certi condictio. num. 22. & ibi Purpurat. num. 9. de cond. indeb.*

Valentina Diuortij, siue Nullitatis Matrimonij.
Die Veneris 17. Maij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Expensa litis à marito debentur vxori petenti diuortium.*
2 *Idem est in alimẽtis, si maritus sit in culpa, & pro muliere facit magnam præsumptionem sententia pro se lata.*

DECISIO CCCXXVIII.

1 DVbium non est † expensas litis deberi Ioannæ, *c. ex parte. & ibi Abb. Felin.*
2 *& Socin. de accusation.* † Quantum ad alimenta, hoc pendet ex eo, quis coniugum sit in culpa, & cui onus hoc probandi incumbat, *Cassan. in consuetud. Rubr. 4. §. 13. n. 15. & 16.* & quia magnã faciebant præsumptionem pro muliere sentẽtia in eius fauorem lata, nec non quòd in alia sententia reuocatoria maritus tenetur ad præstandam cautionem de bene tractando: placuit Dominis pro temperamento, vt per modum prouisionis dentur mulieri centum quinquaginta scuta, & deinde trãsportato processu, negocium cum maiori deliberatione terminabitur.

Esina Bonorum.
Die Veneris 17. Maij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Citatio, cuius terminus est circũductus, non operatur, si pars citata non comparuerit.*
2 *Confessio post translationem iuris à confitente facta non præiudicat.*

DECISIO CCCXXIX.

PArtitæ, de quibus agitur, non fuerunt
1 bene extractæ; † & ideo opus est de nouo extrahere, nã citationis terminus erat circumductus, cum pars citantis non comparuerit, *cap. 1. de dol. & contum. in 6.* si verò essent in forma probanti, vtique contra Episcopum probarent, sed contra Dominos de Amicis opus esset eas adminicu-
2 lare, † cum confessio Episcopi post translationem iuris non possit præiudicare, *Dec. l. 2. num. 14. C. de edend.* Et sumus in probatione contra tertium. Nec satisfaciunt limitationes, cum scriptura ista sit penitus priuata, *vt per Purpurat. in l. admonendi. num. 237.* & contraria procedunt in scripturis plurium notariorum; & maximè quia hic agitur de finibus ad effectũ grauis præiudicij, *Loffred. cons. 44.* ideo erit videndũ, an ex circunstantijs & alijs deducendis pro parte Canonicorum sint sufficienter adminiculatæ.

Salamantina Iurisdictionis.
Die Veneris 17. Maij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Quando plura narrantur, quorum vnum est sufficiens ad impetrandam gratiam, licet alia non subsistant, gratia nihilominus valet.*
2 *Narratiua Papæ, quòd sibi fuit supplicatum, est facti proprij, vel saltem facti alieni secum gesti, quæ probat.*
3 *Narratiua, quæ non est partis, sed Papæ, non est iustificanda.*
4 *Dictio, prout, stat causatiuè & non conditionaliter, maximè in priuilegijs.*
5 *Papa in priuilegio, loquendo per dictionem, & quia, & per dictionem, omnino, dicitur, loqui assertiuè.*
6 *Declaratur Respons. Rip. 174. aliàs 6. de re-*

rescript. lib. 2.

7 *Narratiua Papa, qua fundat intentionem suam, statur; donec contrarium probetur.*

8 *Declaratur cons. Alex. 112. num. 5. lib. 7.*

9 *In antiquis fama probat.*

DECISIO CCCXXX.

praesēs decis. habetur i im press. diuers. nouiss. 171. part. 1.

FVit resolutum Bullā erectionis Abbatiæ esse sufficienter. iustificatam, ea, quæ narrantur sunt hæc: Primo, quòd Alphonsus Rex Aragonum ædificauit Oppidum Medinæ, illudq. pluribus donis decorauit, & in eo parochialem cōstrui fecit, quam in Cathedralē erigi desiderabat. Secundo, quòd Ferdinandus Rex dicti Alphōsi nepos, nec non Rector ipsius parochialis, & Clerus maior, & Archipresbyter, & vniuersi beneficiati ipsius parochialis pro huiusmodi erectione supplicabant. Tertio quòd ex antiqua & approbata, & pacificè obseruata consuetudine, Episcopi nullam exercent iurisdictionem. Quantum ad primum, non curarunt Domini de eius iustifi-
1 catione, quia † quādo plura narrātur, quorum vnum est sufficiens ad impetrandam gratiam, licèt alia non subsistant, gratia nihilominus valet, *Ægid.* 280. Quantum ad secūdum, quòd Clerus & cæteri supplicauerint, satis apparet iustificatū ex effectu subsequuto, quia pluries iste clerus, & alij nominati elegerunt Abbatem, & sub Abbatū cura & solicitudine per lōgissimū temporis spatium quietè permanserunt: Præterea
2 † cum Papa narret, quod sibi fuit supplicatum pro parte istorum, hæc videtur narratiua facti proprij, ideo ei credendum, *Clem. litteris. de probationib.* & saltem est narratiua facti alieni secum gesti, quæ probat, *vt per Imol. ibidem propè fin.* Quātum ad tertium, in quo consistit tota difficultas, vide-
3 retur nonnullis ex Dominis, quòd † ista narratiua non esset iustificanda, ex eo quòd talis consuetudo à parte non narratur, sed à Papa, *iuxta tradita per Innoc. in c. inter dilectos. de fid. instr. vbi Felin. num. 7. glos. in c. si Romanorum. in verb. desunt. 19. distin. Aretin. cons. 76. num. 5. Curt. iun. cons. 97. num. 4. Grāmat. decis. 59. num. 21. & cons. ciuil. cons. 122. Nat. cons. 160. num. 19. cū alijs cumulatis 5. Nouembris 1576. in causa Gauriensi coram Reuer. D. Cantuccio*; &
4 maximè † cum dictio, prout, stet causatiuè, & non conditionaliter, *c. Abbate sanè, de verb. sign. Curt. iun. cons. 97. num. 3. & 4.* maximè in priuilegijs, *Castr. l. admonēdi. num. 16. & 17. de iureiuran. Cassān. in consuet. Burgund. Rubr. 4. §. 6. in verb. selon. la general. num. 1.* † & in eodem priui-
5 legio paulo inferius Papa loquitur per dictionem, & quia, & per dictionem, omni-
6 no non exercuit, & sic assertiuè: † Nec in contrarium mouebantur ex allegat. *Respōs. Rip. 174. aliàs 6. de rescript. lib. 2.* quia fundat suū dictū in doctrina Felini, qui distinguit, an referatur quid certum vel incertum, & in casu suo quid incertum referebatur, hic verò valde certa consuetudo & seriosè à Papa refertur; & ideo non bene ap-
7 plicatur eius dictum: Præterea † cum super narrata consuetudine Papa fundet intentionem suam; tunc statur narratiuæ, donec contrariū probetur, *Doctor. post glos. in d. Clem. litteris.* Nec obstare *cons. Alex. 112.*
8 *num. 5. lib. 7.* nam procedit in casu, † in quo plena requirebatur probatio, nec sufficiebat præsumptiua: tamen quia ad hoc principaliter non tendebat dubium, nō fuit quicquam firmatum, quia si opus esset, particulariter veniret discutiendum: Sed deueniendo strictè ad dubium, fuit resolutum hanc narratiuam esse sufficienter iustificatam, ex quo tres testes deponunt de visu à 60. annis, & quamuis non percutiant quadraginta annos ante litem motam: tamen cum sint examinati de anno 1518. à tempore examinis vsque ad tēpus gratiæ intercedunt triginta anni, quibus si superaddantur alij quadraginta anni, necesse erit, quòd testes deponant de visu de 78. annis, & sic quòd testes sint ad minus 88. annorum: Et
9 propterea satis † sumus in materia antiqua, quo casu fama probat, vt deducitur pro parte Reu. Domini Abbatis. Nec debet imputari parti, cur prius nō examinauerit testes, quia non constat, quo prætextu lis ab initio fuerit mota, & fortasse etiam potuit cogitare, se ad talem verificationem non obligari.

Lucana Pensionis.

Die Veneris 24. Maij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Clausula donationis in pensionibus non operatur, nisi in pensionibus post constitutionem Pij Quinti reseruatis.*

2 *Interpretatio non est facienda, qua contineat absurdum.*

3 *Pensionarius debet concurrere ad solutionē decima iuxta taxam, secundum quam fuit ex acta.*

DECISIO CCCXXXI.

DOmini fuerunt concordes, quòd Reu. Dominus Episcopus tenetur contribuere vigore bullæ fe. re. Pij Quinti propter amplitudinem verborum, etiam quòd in pensione adsit clausula donationis, quia
1 † dicta clausula non operatur, nisi in pensionibus post dispositionē Pij Quinti reseruatis, respectu enim impositarum clara est ipsius voluntas, quòd neminem à tali solutione eximere voluit, non obstante quauis remissione & donatione, prout in ea legitur, † & non est capienda illa interpre-
2 tatio, quæ ex aduerso datur, cum contineat ab-

absurdum; nempe quòd ille, qui non percipit fructus, teneatur ad onus, quod incûberet ei, qui eos percepit, ita quòd fieri posset, vt Rector omnino fructibus beneficij careret, neque attentû fuit; quod dicitur, non constare legitimè de solutione per D. Vsimbardum facta, cum partitæ fuerint informiter extractæ, cum per relationem ponentis, Domini intellexerint fuisse datam facultatem parti scribendi Florentiæ pro habenda veritate partitarum, & fuisse habitum responsum, quòd partitæ erant re vera ita adnotatæ in libris officialium, pront pro parte Vsimbardi fuerunt productæ. Quod verò dicitur non constare de impositione sex decimarum, non fuit habitum in consideratione propter rei notorietatem, & in omnem euentum poterit de tali re fieri
3 fides in actia. ✝ Quantum ad ratam tangentem D. Episcopum fuit dictum, quòd. cum solutio facta fuerit secundum antiquâ taxam, vt ex partitis apparet, debet secûdum eam concurrere Dominus Episcopus, & non secundum prætensum valorem, de quo non constat in actia, cum enim iuxta dictam taxam ipse percipiat totidê fructus, & etiam plures, quàm titularis, vtique non potest iuuari declaratoria, quæ nihil aliud operatur, quàm reductionem veri valoris ad antiquam taxam, & in consequentiam cedit hoc tantum in vtilitatem titularis, cû beneficij quidem valor hoc pacto diminuatur, & per consequens solutio decimarum fit minoris quantitatis respectu beneficij; respectu verò pensionis nihil operatur, cum pensio semper sit eiusdem quantitatis; nisi in casu in quo pêsio excederet antiquam taxâ beneficij: tunc enim ex huiusmodi declaratoria posset pêsionarius commodû aliquod sentire; Et ideo fuit ordinatû, vt relaxarem Reuer. Domino Episcopo cedulam in actia depositatam, facta prius detractione pro rata, iuxta modum solutionis, de qua in partitis.

Cæsaraugustana Decimarum.
Die Lunæ 3. Iunij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Fundans intentionem suam in dispositione qualificata probare debet qualitatem.*
2 *Intentione actoris plenè probata, reus exceptionem suã plenè probare debet, alioqui probatio actoris non confunditur.*
3 *Possessio, quæ est ex priuilegio & in tertij praiudicium non releuat ab onere probandi, etiam si sit longeua.*
4 *Præsumptio præsumptionis non datur.*
5 *Possessio releuat ab onere probandi, quando non habet contra se vel præsumptionem, vel dispositionem iuris.*
6 *Circa qualitatem priuilegij non statur assirtioni partis; secus est, si de priuilegio & eius qualitate constet.*
7 *Priuilegium & eius qualitas probari debet, quando exceptio, qua contra illud opponitur, oritur ex ventre ipsius priuilegij.*
8 *Dictum Castr. in l. sicuti. §. si quæratur. si seruit. vend. quomodo procedat.*
9 *Aym. de antiq. temp. part. 3. in princ. loquitur contra communem sententiam.*
10 *Intentio fundata non eliditur ex possessione, quæ non habet titulum iustificatum.*

DECISIO CCCXXXII.

IN causa Cæsaraugustana decimarum, Ecclesia Collegiata de Pilari prætendês sibi deberi decimas noualium ruptorum loci de Calatoran vigore priuilegiorum Clementis Septimi, & Cardinalis de Saluiatis, cum ex aduerso Metropolitana Ecclesia opponeret de non iustificatione qualitatum priuilegiorum: Replicabat se non teneri ad dictorum priuilegiorum iustificationem, cum haberet possessionem longeuam, nempe 33. annorum, propter quam dicebat se releuari ab huiusmodi onere iustificandi; & ideo fuit per me datum dubium, An adesset talis possessio dictæ Ecclesiæ de Pilari, vt releuaretur ab onere iustificandi qualitates dictorum priuilegiorum in iudicio petitorio: Et fuit vnanimiter per Dominos conclusum non releuari, cum simus in possessione, cui ius resistit: Fuit enim resolutum has decimas de iure communi spectare ad Archidiaconatum vnitum Ecclesiæ Metropolitanæ, *ad not. in cap. cum contingat. de decimis.* Et primo, ex regula,
1 quòd ✝ fundans intentionem suam in dispositione, qualificata, debet probare qualitatem, *l. 1. §. quod autem. & ibi Bart. ne quid in flum. publ. glos. in c. si fortè. de election. in 6. l. Prætor. §. docere. de vi bon. rapt. Socin. cons. 19. n. 3. lib. 3.* cum alijs *per informantes*
2 *alleg.* Secundo, ✝ quando actor plenè intentionê suã fûdauit, necesse est, quòd reus exceptionê suã plenè probet; alioqui probatio actoris non confunditur, *Bart. l. admonendi. n. 50. & ibi Rip. num. 211. de iureiuran. idem Bart. in l. non solum. §. sed vt probari. de oper. nou. nunc. Abb. cap. dudum. col. fin. vers. tertio facit. de election. cum simil.* At isto casu intêtio Metropolitanç plenè est probata ex iuris cômunis di-
3 spositione, ergo &c. ✝ Tertio, status iste possessionis Collegiatæ, cum sit ex priuilegio, & in tertij præiudicium, non releuat ab onere probandi, *vt tradit Bald. in l. Titia. col. 2. vers. secundo casu. solut. matrim. per text. in cap. ad decimas. de restit. spoliat. lib. 6. & in l. non ignorat. num. 10. C. qui accusar. non poss. Cyn. in l. solemnibus. C. de fid. instrum. Alex. cons. 138. num. 2. vers. ad idem. lib. 1. Iacobin à S. Georg. in l. circa. n. 4. de probationib.* etiam si possessio sit lôgeua, *Alex. cons. 70. num. 4. lib. 3.* Quarto, videtur iste articulus decidi *per tex. in*

c. cū persona. de priuileg. in 6. ad quod se remittit *Cyn. in d. l. solemnibus. & per tex. in cap. 1. de praescript. in 6.* Quinto & vltimo non videtur posse Collegiata releuari ab onere iustificandi priuilegia praetextu istius possessionis, cum non sit conformis tenori priuilegiorum; maximè, quia etiam
4 † esset dare praesumptionem praesumptionis; primo enim praesumeretur possessio vigore priuilegiorum, & deinde quòd nullus esset in possessione istarum decimarum, *Ruin. cons. 104. num. 15. & seq. lib. 5.* hoc tamen fuit motiuum vnius tantum ex Dominis. Neque obstant in contrarium deducta; & primo, quòd † possessio releuet ab
5 onere probandi, *l. fin. C. de rei vindic. l. circa. de probation. §. commodum. Instit. de interdict.* non procedit, quando possessio habet contra se, vel praesumptionem, vel dispositionem iuris, *glos. in l. siue possidetis. in verb. facti. C. de probation. qua communiter est approbata, vt per Curt. iun. cons. 90. num. 3. per tex. in d. c. cum persona. de priuileg. in 6. & ibi Franc. Bart. in l. si prius. de nou. oper. nunc. Calderin. cons. 10. de probation. cum alijs per informantes allegatis.* Secundo non obstant notata per Doctor. *in cap. cum venissent. de institut. Butr. ibid. n. 12. Abb. num. 10. Imol. n. 11. cum alijs*, quia Domini intelligūt illos iuxta terminos illius textus, nempe in possessorio, vt animaduersum fuit aliàs per Rotam in illa Tirasonensi, cuius decisionis copia data fuit: Praeterea fuit consideratum, quòd in eo textu constabat in genere de priuilegio ex partis confessione, non autem
6 de qualitate ipsius; & † ideo circa qualitatem standum non erat partis assertioni; at in casu, de quo agitur, constat de priuilegio, & eius qualitate; & ideo Collegiata non potest eo vti, nisi cum qualitate sua,
7 † quam probare tenetur, cum exceptio oriatur ex vêtre eiusdem priuilegij, *Cassad.*
8 *10. de rescript.* † Tertio, non obstant notata *per Castren. in l. fiduti. §. si quaratur. si seruit. vend. num. 9.* quia procedit, quando possessio habet tantummodo contra se praesumptionem iuris, veluti in seruitute, cum de iure quaelibet res praesumatur libera; secus verò vbi lex resistit, vt benè declarat *Didac. variar. cap. 17. num. 7. lib. 1. & Menoch. de retinen. poss. remed. 5. num. 47. vsque ad 50.* bene facit pro hac distinctione *Bart. in l. sed & si lege. §. scire. num. 4. de petit. haered. Curt. sen. cons. 71. num. 14. & 15. circa medium vtriusque numeri.* Quar-
9 to † non obstat *Aym. de antiq. temp. part. 3. in princ.* quia non facit ad rem, cum loquatur de solemnitate, & etiam in suo casu loquitur contra eum. Doct. sententiam *in cap. Albericus. de testam. & cap. illud. de praesumpt.* vbi volunt Doctores contra tertium requiri tempus saltem triginta annorum. Quinto non obstat, quòd habito respectu ad possessionem, Metropolitana non habet fundatam intentionem, quia hoc pro ipsius parte non praetenditur, sed agitur
10 nunc in petitorio, † in quo, vt dictum est, habet fundatam intentionem, quae ex possessione, titulo non iustificato, non eliditur. Sexto & vltimo non obstant ea, quae ex testibus deducūtur super probatione, quòd ex istis terris non solueretur; quia hoc tantum voluerunt firmare Domini, quòd Collegiata tenetur iustificare sua priuilegia: An autem iustificauerit, erit particulariter discutiendum.

Gadicen. Administrationis decimarum.
Die Veneris 7. Iunij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Scriptura antiquissima non indiget recognitione.*

2 *Scriptura extracta ex eodem libro, & per eundem officialem, ex quo, & per quem fuerunt extracta alia scriptura partis aduersa in processu praesentata, dicuntur in forma probanti.*

DECISIO CCCXXXIII.

Dictum fuit scripturas, de quibus agitur, satis esse in forma probanti, maximè ad effectum possessorij: nam primo
1 scriptura illa vocata de los Azimiētos, † est antiquissima, quo casu non requiritur recognitio, & satis est pro adminiculo, quòd contra eam, cum fuit producta, nihil in specie fuit oppositum. De notariatu verò Petri Francisci de Affiesco, qui exemplauit, satis constat ex fide, quae data fuit, recognitionis cuiusdam mandati per A. Curtū.
2 † Aliae scripturae quoque satis videntur in forma probanti ex eo, quòd sunt extractae ex eodem libro, & per eundem officialem Capituli, ex quo, & per quem fuerunt extractae aliae pro parte Capituli in hoc eodē processu praesentatae; & ideo haec exceptio non minus sapit calumniam, quàm illa, quae inter easdem partes opponebatur contra librum statutorum coram R. P. D. Cotta. Nec obstat recusatio iudicis, cum hanc auctoritatem & fidem Domini sumant non à iudice, sed à parte eodem libro & officiali vtente, & eodem approbante.

Portuen. de Columna.
Die Lunae 10. Iunij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Nemo potest venire contra factum proprium; fallit, vbi factum est nullum, vt num. 6.*

2 *Quilibet potest renunciare gratiae tibi factae, etiam si habeat decretum irritans.*

3 *Quando gratia est limitata per clausulam fine*

sine praiudicio tertij, eius quoque acceptatio limitata dicitur.

4 *Acceptatio intelligitur secundum qualitatem actus acceptati.*

5 *Gratia sine praeiudicio tertij concessa, si tertius non reclamet, mittitur exequutioni, quia habet implicitum statu validitatis, donec tertius reclamet, & in sui substantia non dicitur nulla.*

7 *Vbi actus redditur inualidus ad fauorem alicuius, intelligitur semper eo volente, & solus ille debet de nullitate opponere, & non alij.*

8 *Gratia semper intelligitur sine praiudicio tertij; sed hoc intelligendum est ad fauorem illius tertij, & non alterius.*

9 *Priuilegium tacita veritate impetratum non tenet.*

DECISIO CCCXXXIV.

praesens decisio habetur in impres. diuers. nouiss. 399. part. 2.

DVbium propositum fuit per Dominos discussum, & difficultas restricta ad hoc, vt videatur de veritate praesuppositi, quia eo stāte res videbatur pati multas difficultates, contra Illustr. Dominum Iulium Caesarem. Praesupponendo enim resolutiones aliàs coram me factas, * nempe quòd gratia sit diuidua respectu personarum, indiuidua verò respectu dotis, & quòd Dominus Iulius totam gratiam acceptauerit, quae emanauit motu proprio: difficultas eo videbatur redigi, quòd contrauentio oriebatur ex consensu Illustrissimi Domini Iulij, ad quam tollendam ipse modo reuocabat hunc cōsensum & acceptationem, quod, an ei liceret, stante praesupposito, quòd circunscripto pacto non possit reuocare consensum suum, discutiendum veniebat; Et quia Illustriss. D. Clarix, & filiae videntur
1 habere fundatam intentionem in eo, † quòd nemo potest venire contra factum propriū, *l. post mortem. ff. de adoption.* Ad demonstrandum hoc licere, plura facta fuerunt fundamenta pro parte Illustriss. Domini Iu-
2 lij Caesaris: Et primo, quia † quilibet potest renunciare gratiae sibi factae, etiam si habeat decretum irritans, *cap. ad Apostolicam. de regular. Sarnen. de triennal. quaest. 49. num. 11. Pute. decis. 1. lib. 1.* Tamen hoc fundamentum fuit contra praesupposi-
3 tum. Secundo, quòd † gratia sit limitata, ex quo videtur habere clausulam sine praeiudicio tertij, ita etiam videtur limitata
4 ipsa acceptatio, † quia intelligitur secundum qualitatem actus acceptati secundū allegata per informantes. a Hoc fundamentum apud Dominos habet difficultatē maximam; tum quia hoc fuit aliàs disputatum, b & non resolutum; tum quia, quòd acceptatio intelligatur secundum qualitatem actus acceptati, videtur potius facere contra, quia si tertius non reclamet, gratia mittitur exequutioni, prout iacet, *Dec. in cap. super eo. num. 36. de offic. delegat. & ibi Abb. num. 5. Butr. num. 15. Imol. num.*
5 *10.* † & sic implicitè videtur habere statum, donec tertius reclamet, & ratio luit, quia gratia non videtur nulla in sui substantia, *Ruin. cons. 85. n. 4. & 87. n. 5. & seq. lib. 3.* vel saltem hoc esset particulariter videndū; nam si ista gratia implicitè habet statum, donec superueniat reclamatio, ergo Illustriss. Dominus Iulius contrauenit, & adhuc durat contrauentio. Nec obstat reuocatio, quia stante praesupposito, quòd circunscripto pacto non possit reuocari, non vident Domini, quid operetur pactum, ex quo etiam stāte pacto illo gratia habet implicitum statum validitatis, vt sit mittenda plenariae exequutioni; nisi secundo genitus reclamet, cui gratiae ipse renunciare non potest: & faciunt notata *per Gigant. de pensionib. quaest. 79. Cassador. decis. 1. de pensio-*
6 *nib.* quia † tunc demum quis potest venire contra factum proprium, contra regulam *d. l. post mortem. ff. de adoptien. l. si creditoribus. C. de seru. pign. dat. man.* quando factum illud est nullum ad fauorem sui, ita declarat *Alex. cons. 103. num. 14. lib. 2.* Acceptatio igitur Illustriss. Domini Julij
7 non est nulla; maximè quia † vbi actus redditur inualidus ad fauorem alicuius, intelligitur semper eo volente, & ille debet de nullitate illius opponere, & non alij, *Ruin. cons. 35. num. 31. lib. 1. & consil. 85. num. 6. lib. 3. Crot. qui plura cumulat cons. 119. num. 7.* & indubitatum esse videbatur,
8 quòd regula illa, quae habet, † quòd gratia intelligitur sine praeiudicio iuris tertij, intelligitur ad fauorem illius tertij, non alterius ex supra allegatis, & ex his, quae infra dicentur. Tertio, quia iste consensus videtur sapere quandam vltimam voluntatem: Hoc etiam fundamentum visum fuit esse contra praesuppositum. Quarto fuit allegatus text. *in cap. ex multiplici. de decim.* in quo censetur praeseruatum pactum: cui fuit responsum, primo quòd illa dispositio est fundata super praeiudicio tertij, vt constat ibi *per Hostien. in fin. Anchar. num. 4. Butr. num. 6. & etiam secundum Ioan. de Annan. num. 3. & 4.* & sic intrant omnia supradicta, quia intelligitur praeseruatum pactum, quatenus respiciat vtilitatem illorum, qui non consenserunt: Interim tamen videtur remanere firma gratia, vt dictum est supra. Secundo, quod *glosa ibi in*
9 *verb. intentionis*, dicit, quòd † non tenet priuilegium, quia fuit tacita veritate impetratum; & licèt Cardinalis ibi velit, quòd non sit nullum ratione subreptionis; tamen glosa ibi ita tenet cum Hostiensi in finalibus verbis, & videtur de mente *Ancharan. ibi num. 4. propè finem.* Ex quibus non vident Domini, quomodo Illustriss. Dominus Iulius possit allegare hanc nullitatem,

* praeteritum sub die Ven. 9. Decembris 1575. quae resolutio, cum nō fuerit extensa, eā hic pono, prout iacet. Cōclusum gratiam esse diuiduam respectu personae Illustr. D. Iulij Caesaris, quia emanatio gratiae nō venit eodē tēpore, sed diuerso, c. si eo tēpore. de rescrip. respectu verò dotis dataeq; in erectione Principatus, gratia est indiuidua, quia respicit erectionē Principatus absolutè respectu omnium, licè & respectu primogeniti est indiuidua, quis verò effectus resultet erit particulariter videndum.

a iuxta Doctor maximè Dec. Butr. Abba. Barba. & oēs in c. super eo. de off. deleg. & ex Cyn. in l. fin. C. si contra ius vel vtil. publ. & ex Alber. in l. quoties. C. de precib. Imper. off. & in l. si quis maior. C. de cris fact. pro quo etiā facit de cis. sup. in hac causa facta sub die 4. Nouemb. 1575.

b sub die Veneris 4. Nouemb. 1575.

ſtantibus clauſulis, de quibus in gratia, quæ tollit facultatem aliter iudicandi: Et licèt hæ clauſulæ ſortiantur naturam ipſius actus; hoc tamen non obſtare, quia natura huius gratiæ eſt, vt illi Dominus Iulius rénunciare non poſſit, vt præſupponitur, & ſicut ſtante pacto, hæc gratia habet iſtum implicitum ſtatum validitatis, ita non videtur ſubeſſe cauſa, cur etiam clauſulæ non debeant ſuum ſortiri effectum. Et hæc fuerunt à nonnullis ex Dominis conſiderata, ſuper quibus tamen non fuit facta reſolutio, ſed ordinatum, vt videatur de veritate præſuppoſiti, vt ſupra dixi.

Meliten. Præcedentiæ.
Die Lunæ 10. Iunij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Commiſſio data de referendo intelligitur data ſuper eo, quod prætenditur & narratur à partibus.*

2 *Ratio expreſſa in ſententia conueniens petitorio facit, quòd ſententia comprehendat etiam ipſum petitorium.*

3 *Verba ſententiæ, vt hactenus fieri conſueuit, arguunt petitorium, cum conſuetudo ſit ius.*

4 *Concluſio libelli attendi debet, potius quàm narratio.*

DECISIO CCCXXXV.

præſens deciſio habetur ſ impreſ. diuerſor. nouiſſim. 171. part. 3.

FVit reſolutum ſententiam latam de anno 1532. fuiſſe tam in petitorio, quàm in poſſeſſorio ex multis: Et primo, ex petitione Venerab. linguæ Aragoniæ, quæ cõtinet prætenſionem requirentem, non ſolũ poſſeſſorium, ſed etiam petitorium, ponderando dictionem, ſemper, vt per informantes, & dictionem, debet, *vt per Abbat. in cap. conſtitutis. col. fin. de electiõn.* iuncta mentione, quæ fit ſtabilimentorum, quæ important titulum & ius ipſius præcedentiæ. Secundo, idem colligitur ex petitione Venerab. linguæ Italiæ ex iiſdem rationibus; & maximè ex concluſione in illis verbis, & in iure ſuo defendi. Tertio, ex commiſſio-
1 ne data Commiſſarijs ad referendum, ✝ cum dicatur data ſuper eo, quod prætendebatur, & narratum fuerat à partibus, ergo tã ſuper petitorio quàm poſſeſſorio, cum vtrunque eſſet narratum. Quarto, ex diſpoſitiua ſententiæ in illis verbis præcedere debeat, ponderando dictionem, debeat, vt
2 ſupra: ✝ Item ponderando rationem contentam in ſententia, ibi, quia prius electus, quæ fundatur in petitorio, *ad Bart. in l. ex*
3 *diuerſo. §. 1. num. 2. de rei vindic.* ✝ Item in illis verbis, ſicut hactenus fieri conſueuit, cum hoc ius ſit propter conſuetudinẽ, *vt per Innoc. in cap. cum Eccleſia Sutrina. de cauſ. poſſ. & propr.* Quinto, concurrunt ea, quæ deinde ſubſequuta fuere ponderando ea, prout per informantes pro hac par-
4 te. Nec obſtat, quòd ✝ concluſio petitionis linguæ Aragoniæ videatur in ſolo poſſeſſorio; & ideo ea debeat ſolum attendi, *Butr. cap. fin. num. 8. de iudic. Alex. conſ. 117. col. 1. lib. 1. Dec. conſ. 28. num. 6. cum alijs,* * quia non ſtat reſtrictiuè, & poteſt à cumulatis in petitione declarari; maximè cum petitio alterius partis vtrunque contineat, & ita potuit ſuper vtroque pronunciari. Reliqua, quæ de atteſtatione notarij & proteſtationibus deducuntur, fuerunt bene ſublata per informantes, ad quos relatio habeatur.

*Quibus adde Parif. cõſil. 112. n. 44. in 2.

Romana Vineæ.
Die Veneris 14. Iunij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Teſtamentum vi conditum redditur nullũ.*

2 *Ad reſciſſionem teſtamenti per vim conditi probari debet metus mortis, vel talis, qui cadat in conſtantem virum.*

3 *Materia reſciſſionis teſtamenti per vim & metum conditi remanet in iudicis arbitrio.*

4 *Vbi agitur de probatione metus in loco, in quo ius redditur, requiritur pleniſſima probatio metus, cum præſumptio ſit in contrarium.*

5 *Teſtamentum Romæ, & in locis, in quibus ius redditur, non præſumitur per vim & metum factum, ad cuius contrarium probandũ requiritur pleniſſima probatio.*

6 *Confeſſio facta in iudicio criminali parte non citata, in ciuili non præiudicat.*

7 *Teſtamentum non poteſt dici per vim factum, quando quis à loco poteſt recedere, & illud non facere; nam ſtatim, quòd quis poteſt de loco exire, in quo dicitur metus illatus, ſi non exit, dicitur actum ratificare, & ſic purgatur metus.*

8 *Teſtamentum non poteſt dici metu factum, quando datur optio, vel inde diſcedendi, vel teſtandi.*

9 *Teſtamentum, quod quis dolo inductus fuit, condere, dicitur nullum; cum liceat blandis verbis, non autem doloſis quem inducere ad teſtandum.*

10 *Dolus ad annullandum teſtamentum debet eſſe talis, qui virum peritum fallere poſſit.*

11 *Non omnis, qui procurat ſe heredem fieri, dicitur in dolo.*

12 *Exceptio contra teſtamentum per dolum cõditum, an poſſit à tertio opponi, vel potius competat Fiſco. & num. 14.*

13 *Qui fuit in cauſa, quòd teſtamentum dolo fuerit factum, alio priori rectè condito exiſtente, tenetur ad duplum; niſi aliud ſuaderet inimicitia, quæ poſt primum teſtamentum cõditum ſuperuenerit cum herede.*

DE-

DECISIO CCCXXXVI.

CIrca propositum dubinm plures exci-
tatæ fuerunt difficultates; Prima est,
1 An probetur concludenter † testamentum
fuisse vi conditum, quo casu redditur nul-
lum, *l. 1. C. si quis test. ali. probib.* & fuit
2 per Dominos vnanimiter conclusum † non
probari metum mortis, vel talem, qui ca-
deret in constantem virum, pront in mate-
ria rescissionis testamenti requiritur, *Bart.
l. fin. num. 4. si quis ali. test. probib. Bald.
l. 1. num. 8. C. eod. Salicet. num. 5. & ibi*
3 *Castren.* † quòd hoc remaneat in iudicis
arbitrio, *num. 1.* talis verò metus non pro-
4 batur; nam † quando agitur de probatione
metus in loco, in quo ius redditur, quia
tunc adest præsumptio in cõtrarium, requi-
ritur plenissima probatio metus, vt decla-
rat *Bart. in l. fin. num. 2. quod met. caus.
Mill. in repertor. in verb. metus si allegetur.
Paris. cons. 135. num. 12. lib. 4. Rolan. con-
sil. 83. num. 37. lib. 2.* Hic verò militat præ-
5 sumptio in contrarium; tum † ob loci qua-
litatem, cum sit Romæ conditnm testamẽ-
tum; tum quòd concurrunt alia duo instru-
menta, nempe codicillorum & donationis,
& in hac vltima adest iudicis decretũ: pro-
batio verò, quæ deducitur contra testamen-
tum, est valde debilis; nam quantum ad
actum huiusmodi, habemus solum dictum
Felicis tertiæ testis super tertio & quarto,
quæ est vnica, & patitur plures exceptio-
nes, cum agatur etiam de suo interesse, &
inter vnum & alterum examen adsit diuer-
sitas. Assertio Claudiæ, quæ deducitur, pro-
bata per plures testes non releuat, quia sola
voluntate sua non poterat facere, quo mi-
nus testamentum valeret circunscriptis in-
fra dicendis, *vt per Bart. in l. fin. num. 14.
si quis alic. test. probib. Bald. l. 1. num. 15.*
6 *C. eod.* Adducitur tertio † cõfessio Alphõ-
si, quæ cum fuerit facta in iudicio crimina-
li Victoria non citata, non potest ei obesse,
*Boss. tit. de fals. num. 96. cum alys per in-
formantes allegatis*: * Præterea ex proba-
tione prædicta non resultat probatio me-
tus concludens, cum Felix dicat, quòd po-
7 terat † inde recedere, quod & est verisimi-
le, & cum Alphonsus diceret ei, quòd vel
inde recederet, vel testamentum faceret,
non potest dici metus incussus, si maluit re-
linquere ipsi bona sua, quàm recedere, &
poterat reuerti ad domum Ioãnis, cum quo
medio tempore in gratiam rediisse dicitur:
statim enim, quòd quis potest exire de lo-
co, in quo dicitur metus illatus, si nõ exit,
dicitur actum ratificasse, & purgatur me-
tus, *Abb. post glos. in cap. 1. num. 13. de
bis qua vi met. ve caus. fi.* ergo multo mi-
nus potest dici illatus metus hoc casu, quo
8 † dabatur ei optio vel discedendi, vel testã-
9 di. Secunda difficultas, † An possit dici

*Per text. in c. 1. de testib. vbi Doctor. omnes, Grãmat. cõs. 17. n. 6. cu seqq. & quotidie ita practicatur, & est notissimũ apud oẽs iudices, quòd nisi testes fuerint repetiti & cõfrontati, non præiudicent, vt per Grammat. cons. crimin. 15. n. 2.

dolo inducta ad condendum testamentum,
quo casu est nullum *l. 1. & 2. & fin. si quis
alic. test. probib.* licèt enim blandis verbis
non dolosis inducere ad testandum, *l. fin.
ff. & C. eod.* & similiter placuit Dominis nõ
10 adesse talem dolum, † per quem testamen-
tum annulletur, requiritur enim, vt sit ta-
lis, qui possit fallere virum peritum, *Abb.
cap. cum dilectus. num. 4. de bis qua vi met.*
11 *caus. fi.* † Nec omnis, qui procurat se hæ-
redẽ institui, dicitur in dolo, *Bald. in d. l. 1.
num. 20. C. si quis alie. test. probib.* si tamen
talis dolus adesset, vtique noceret etiam
Victoriæ, cum sit immediata causa acquisi-
tionis, *Bart. in d. l. fin. Bald. d. l. 1. num.
9. vbi Alberic. & Salicet.* Tertia fuit exci-
tata difficultas; An talis exceptio per Ioã-
12 nem opponi possit, † cum videatur potius
competere Fisco, per ea quæ tradit *Bart. in
d. l. 1. num. 4.* sed facit difficultatem, quòd
hic adest prius testamentum, & sic videtur,
13 quòd voluerit instituere Ioannem, † quo
casu Alphonsus teneretur ad duplum, *Sa-
licet. d. l. 1. num. 3.* nisi fortè inimicitia,
quæ post prius testamentum cum Ioanne
superuenit, aliud suaderet: sed super hoc
nihil fuit firmatum, cum non sit necessaria
hæc discussio, stantibus supra deductis; &
maximè quia si non interuenit metus, sed
14 dolus, † & non agitur de præiudicio descẽ-
dentium, sed transuersalium; datur tamen
transuersali possidenti exceptio doli, ipso
verò nõ possidente Fiscus ab herede tanquã
ab indigno auferre potest, *Bald. in d. l. 1.
num. 18.* Quarta, fuit excitata difficultas,
An Claudia hos habuerit pro indignis, ex
quo asseruit sibi incussum metum, ad notat.
*per Bart. d. l. fin. num. 14. & Bald. d. l. 1.
num. 15.* & licèt velint, quòd exprimat te-
stator, à quo, tamen *idem Bald. in l. penult.
num. 9. C. de testam.* tenet contrarium,
vbi percipi potest, de quibus testator intel-
lexerit, sed hoc esset particulariter discu-
tiendum. Quinta & vltima difficultas est,
an dato, quod non intercesserit nec metus
nec dolus, sed sola suggestio, an detur re-
uocatoria priori instituto, per ea quæ ex
mente *Ang. Ruin. Socin. & Paris. tradit
Menoch. de arbitr. cas. 395. num. 42.* quod
erit videndum.

Reatina Beneficij Sancti Angeli.
Die Lunæ 17. Iunij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Quasi possessio conferendi probatur ex collatione facta, qua sortita fuerit effectum.*
2 *Effectuatio collationis probatur ex resignatione beneficy sequuta.*
3 *Actus factus sine animo spoliandi non priuat aliquem sua possessione.*
4 *Vltimus status possessionis attendi debet ad cognoscẽdũ, quis sit in possessione cõferẽdi.*

5 *Materia non est merè obiectiua, quando est de iure dantis.*
6 *Ordinarius abſẽs tenetur per alios visitare.*
7 *In beneficialibus attenditur possessio.*
8 *In incorporalibus possessio ita inhæret possessori, vt alius eo ignorante auferre non possit.*

DECISIO CCCXXXVII.

præsẽs decis. habetur ĩ impress. diuers nouiss. 167. par. 1.

a sub die 6. Aprilis & 20 Iunij 1576.

DOmini dixerunt standum esse in reso-
1 lutis; a nam † quasi possessio confe-
rendi Sanctæ Ecclesiæ Lateranensis proba-
tur ex collatione facta à Capitulo Bernar-
do Bentio Calendis Maij de anno 1515. de
hoc beneficio, vt in tertio præsupposito,
quæ habuit effectum, quia idem Bernardus
30. Aprilis 1523. illud resignauit Hierony-
2 mo Balbo, † & ita probatur effectuatio col-
lationis, *Oldrad. cons. 229. num. 2. cum*
alijs allegatis in resolutione aliàs coram me
facta a & præsumitur scientia Episcopi ex
ijs, quæ in alia resolutione sub die 20. Iunij
1576. deducta fuerunt. Neque obstat col-
latio facta à bon. mem. b Cardinali Co-
lumna, necnon possessio subsequuta virtu-
te dictæ collationis: Primo, quia cum Ca-
pitulum iam esset in possessione, non potuit
possessio ipsius inuerti sine sua scientia, *Cal-*
3 *dern. cõs. 12. de iurepatr.* Secundo, † cum
idem Vicarius dederit possessionem vigore
vtriusque tituli, apparet eum non habuis-
se animum spoliandi Capitulum; & ideo
non priuauit illud sua possessione, *Aegid.*
4 *decis. 107.* Tertio, † vltimus status atten-
dendus est, qui est in fauorem Capituli,
cum Hieronymus resignauerit in manibus
Capituli, & vigore huius resignationis se-
quuta fuerit collatio, & possessio de anno
1556. cum quibus concurrit depositio pri-
mi testis Alexandri deponentis de posses-
sione Hieronymi, & Petri Vincentij, & cen-
5 suum solutione. Nec obstat, † quòd simus
in materia obiectiua, quia est de iure dan-
tis, *Cassad. decis. 2. de exception.* Nec ob-
stat, quòd Cardinalis resideret in Curia,
6 quia † tenebatur saltem per alios visitare.
Nec obstat contradictio Episcopi, quia po-
tius videtur turbatio quædam, cum ea non
obstante Hieronymus perseuerauerit in sua
7 possessione. Nec obstat †. renunciatio in
manibus Episcopi, quia cum Capitulum
esset in quasi possessione, per renunciationẽ
factam in manibus Capituli per diem ante,
omne ius fuit abdicatum à Bernardo, quia
in istis magis attenditur possessio, *c. con-*
sultationibus. de iure patron. Abb. c. bona.
il secondo, num. 7. de postul. Prælat. Præ-
terea necesse esset docere de scientia Capi-
tuli, ad hoc vt amiserit suam possessionem,
8 cum † ea ita dicatur ei inhærere, vt alius
eo ignorante non possit illud priuare, *In-*
noc. in d. c. bona. num. 1. vers. item de illo.
de postul. Prælat. & in c. in litteris. de restit.
spoliat. Abb. in d. c. bonæ. num. 20. Bald. in
l. 2. num. 12. de seruit. & aq. Cætera, quæ
contra titulum Domini Alexandri deducũ-
tur, non obstant, cum satis sit ei, ex non
iure actoris obtinere.

a sub dicta die 6. Aprilis 1576.

b Cardinali Marco Antonio Columna.

Anconitana Bonorum.
Die Lunæ 17. Iunij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Pro exequutore præsumendum est.*
2 *In alienatione bonorum Episcopatus requiritur consensus Capituli, non vti personæ interesse habentis, sed solum tanquam solemnitas.*
3 *Clausula, vocatis vocandis, intelligitur de his, qui habent interesse, non autem de his, qui pro solemnitate adhibentur.*
4 *Auctoritas Papæ adhibetur in alienationibus bonorum Ecclesiasticorum, vt suppleat omnes solemnitates.*
5 *Dictio, dummodo, quando importet modũ, quando conditionem, & quando formã.*
6 *In alienatione bonorũ Ecclesiæ propter antiquitatem temporis, nõ præsumitur depositum, quando ex instrumento de contrario apparet.*
7 *Versio in tribus tantum casibus regulariter est probanda, nempe in mutuo, deposito, & venditione, quæ fit pro satisfaciendo creditoribus.*
8 *Quando alienatio bonorum Ecclesiæ fit ob aliquam causam determinatam, debet emptor docere versum in illam causam.*

DECISIO CCCXXXVIII.

DVbitatum fuit, an venditio terrarum,
de quibus agitur, esset nulla, & pro
parte Reu. Domini Episcopi plura oppo-
nuntur: Primo, quòd non interuenerat cau-
sæ cognitio, quòd illa bona essent separata
ab alijs bonis Episcopatus, sed hæc opposi-
1 tio modo videbatur tolli, ex eo quòd † præ-
sumitur pro exequutore *secundum Abbat.*
cons. 41. num. 1. in fin. lib. 1. nec opus est,
quòd hoc enuncietur, per ea quæ tradit *Ias.*
in l. secundum. num. 16. de verb. oblig. Aym.
de antiq. temp. 2. part. num. 23. & 3. part.
num. 5. Fab. decis. 22. Secundo opponeba-
tur, quòd commissio cantat, vocatis vo-
candis, & Capitulum non fuit vocatum,
sed contra faciebat difficultatem, quòd mẽ-
sa Episcopi est separata à mensa Capituli,
quo casu sufficit; quòd Episcopus vendat,
vt per Franc. in cap. 1. n. 20. de reb. Eccl.
2 *non alien.* & † quamuis requiratur eo casu
consensus Capituli; tamen non requiritur
vti personæ interesse habentis, sed solum
tãquam solemnitas, vt colligitur ex tradi-
tis *per Franc. ibid. & num. 36. & declarat*
Rebuff. de reb. Eccl. non. alien. in 1. & 3. re-
3 *quisito.* † Clausula itaque, vocatis vocan-
dis, videtur intelligenda de his, qui habent

in-

interesse, non autem de his, quæ pro solem-
4 nitate adhibentur, quia † auctoritas Papæ
adhibetur, vt suppleat omnes solemnitates,
Abb. d. cons. 41. num. 3. Nec curat Papa
in his de solemnitatibus, sed tantum de vti-
litate Ecclesiæ, *Socin. cons. 15. n. 15. vers.
insuper. lib. 1.* Tertio opponitur, quòd non
fuit seruata forma, quia non fuit facta spe-
cificatio bonorum; sed hoc videtur tolli ex
eo, quòd fuit facta æstimatio, quæ fieri non
potest sine specificatione. Quarto oppo-
nitur, quòd nõ fuit factũ depositũ ipsius pre
tij; hic tria sunt videnda: Primum est, an
dictio, dummodo, importet modum vel cõ-
ditionem, ita vt actus teneat, vel non te-
neat; Secundum est, an saltem hoc fuerit
factum per æquipollens, quod in casu isto
sufficeret; Tertiũ, an intret præsũptio prop-
ter antiquitatem temporis. Et quantum
5 ad primum, regulariter † dictio, dummo-
do, importat modum, ex traditis per *Bart.
in §. Termilius;* * tamen *Socin. iun. cons. 148.
num. 46. lib. 1.* dicit, quòd quando expri-
mitur illud, quòd non inerat, importat cõ-
ditionem: Præterea difficultatem facit
*doctr. Alex. in l. 1. in princ. num. 78. ad leg.
Falc. quã sequitur Brun. de form. tit. quand.
aliq. cons. trad. pro form. 4. concl. fol. 34. col.*
2. quòd si lex permittit aliquem testari; dũ-
modo relinquat tale quid Ecclesiæ, si non
relinquat, actus est nullus; quia licèt non
importet conditionem: tamen importat
formam; sed super hoc partes non informãt;
ideo esset particulariter videndum. Secun-
dum etiam, an potuerit per æquipollẽs ad-
impleri, esset particulariter videndũ prop-
ter ea, quæ tradit *Brun. eod. tit. fol. 37. col.*
6 2. Ad Tertium verò, † quatenus depositũ
fuisset necessarium, videtur dicendum non
intrare præsumptionem, cum ex instrumẽ-
to de contrario appareat. Vltimo opponi-
tur, quòd non probatur versio, sed in hoc
regula est contra Reu. Dominum Episco-
7 pum, quia † regulariter in tribus tantum
casibus probanda est versio; nempe in mu-
tuo, deposito, & venditione, quæ fit pro
satisfaciendo creditoribus, *Bald. in Auth.
hoc ius. num. 7. C. de sacros. Eccles. Castr.
in l. Ciuitas. num. 11. si cert. petat. & in d.
Auth. hoc ius. n. 5. Socin. cons. 15. num. 22.
lib. 1. Rodulph. in cap. sine exceptione. quæst.
56. 12. quæst. 2. Imol. in Clem. 1. num. 9. de
reb. Eccl. non alien.* nã sufficit, quòd à prin-
cipio adsit causa vtilitatis vel necessitatis;
nec est probanda versio, *vt per Bonif. d. Clẽ.
1. num. 58.* quia tamen aliqui Doctores tra-
8 dunt, quòd † quando alienatio fit ob ali-
quam causam determinatam, debet em-
ptor docere fuisse versum in illam causam,
*Ant. de Butr. & post eum Imol. in cap. 1. sub
num. 17. deposit. & Alex. in cons. 4. num.
8. lib. 3. & Dec. in d. l. Ciuitas. in fin.* ideo
de hoc quoque esset particulariter agendũ.

* Immo est l. quibus dieb. § Termilius. ff. de condit. & demonst.

Et hæc fuerunt per viam discursus, non
autem resolutionis per Dominos conside-
rata, & ordinatum, vt Reu. Dominus Epi-
scopus eligat, quam viã malit aggredi pro
habenda causæ resolutione.

Gadicen. Administrationis.
Die Veneris 21. Iunij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Administratio bonorum Ecclesiæ de iure cõ-
muni pertinet ad Episcopum & Capitu-
lum simul, & si Capitulum fecerit ali-
quos actus possessorios debet probare, quòd
illos fecerit priuatiuè ad Episcopum, ad
effectum obtinendi manutentionem.*
2 *Actus in dubio præsumitur potius factus cu-
mulatiuè quàm priuatiuè.*
3 *Possessio compatronorum, qui omnes sunt in
possessione præsentandi, conseruatur per
præsentationem vnius tantum.*
4 *Pro acquirenda possessione in incorporali-
bus sufficit vnicus actus; maximè si non
agitur ad effectum iuris acquirendi, sed
iuris conseruandi.*
5 *Actus semper præsumitur ex causa necessa-
ria, & vigore tituli præambuli factus.*
6 *Partita extracta ex libris alicuius faciunt
fidem contra scribentem.*
7 *Instrumentis magis statur, quàm testibus.*
8 *Probatio illa dicitur verisimilis, quæ est
coniũcta cum dispositione iuris cõmunis.*

DECISIO CCCXXXIX.

FVit resolutum mandatum de manute-
nendo datum Capitulo esse reuocandũ
1 ex nouiter deductis: Et primo, quia † cum
de iure communi administratio bonorum
Ecclesiæ pertineat non minus ad Episcopũ,
quàm ad Capitulum, *vt notatur in cap. e-
doceri. de rescript.* Reu. Dominus Episcopus
habet intentionem fundatam de iure com-
muni, nec non in ordinationibus Ecclesiæ,
quæ continentur in scriptura, quæ dicitur
de los Azimientos, quo casu non sufficit
Capitulo probare, quòd fecerit aliquos ac-
tus possessorios; nisi probetur eum ista qua-
litate, quòd illos fecerit priuatiuè ad Epi-
2 scopum, cum † in dubio censeatur potius
fecisse cumulatiuè, quàm priuatiuè, *vt per
Federic. de Sen. cons. 147. Calder. de præ-
script. cons. 2. Ruin. cons. 50. num. 10. lib.
4 5. & sæpius fuit tentũ in Rota,* quòd † pos-
sessio compatronorum, qui omnes sunt in
possessione præsentandi, conseruatur per
præsentationem vnius eorũ. De quasi pos-
sessione verò Episcopi nominandi factores
ex actibus præsuppositis plenè constat; Nec
non de quasi possessione nominandi Ediles,
siue Fideles, ex actibus annorum 1548. 73.
& 74. idq. sciente & patiente Capitulo,
4 quo casu † sufficit vnicus actus pro acquirẽ-
da possessione in incorporalibus, *Rip. in c.*

præsẽs decis. habetur in ips. cõ. diuers. nouiss. 391. part. 2.

cum

tum Ecclesia Sutrina. num. 52. & 64. de caus. poss. & prop. maximè cum non agatur ad effectum acquirendi ius aliquod, sed ad effectum ius ex dispositione iuris communis & statutorum competens conseruandi; Ideo isti actus sunt referendi ad suam causam, & ad titulum verum Episcopi, non autem ad precariam possessionem, vt ex
5 aduerso prętenditur: † Actus enim semper præsumitur ex causa necessaria, & vigore tituli præhabiti factus. Non obstat, quod di-
6 citur non cōstare de effectuatione; quia † cū istæ partitæ sint extractæ ex libris Capituli, faciunt fidem contra Capitulum; maximè cum sint plura instrumenta. Nec obstant
7 testes, † quia habent contra se instrumenta, quibus magis est standum; maximè cum illi de partibus sint nulliter examinati, & conuincuntur in eo, quod tangit factores. Testes verò de Curia, remittunt se ad scrip-
8 turas, ex quibus conuincuntur, & † ista probatio est magis verisimilis, quia concomitata à dispositione iuris cōmunis, *Gabr. de testib. concl. 4. num. 23.*

Ciuitatis Castelli Castri Montoni.
Die Mercurij 26. Iunij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Per legitimationem à Papa factam ad feuda ex pacto & prouidentia, cum verbis generalibus & amplissimis, intelligitur præiudicatum agnatis, expressè eos excludendo, etiam si vigore cuiusuis inuestituræ vocentur.*

2 *Derogatio regulæ de iure quæsito non tollendo non est necessaria, quando agitur de remouendo obstaculo, non de tollēdo iure.*

DECISIO CCCXXXX.

Legitimationem nō esse surreptitiam, & suffragari Illustr. Domino Ioanni Vincentio, cum ex clausularum prægnantia cōstet eum esse legitimatum ad feuda ex pacto
1 & prouidentia, vt iam fuit resolutum * † & optime Papa intellexit præiudicare agnatis, ex quo eos expressè excludit cum verbis generalibus & amplissimis, etiam si vigore cuiusuis inuestituræ vocentur. Neque in contrarium allegata obstant, quia partim tolluntur ex deductis in alia resolutione, a partim nō loquuntur in casu nostro, vt bene animaduertūt informantes in suo me-
2 moriali. † Nec hic quadrat, quod dicitur de regula de non tollendo iure quæsito, quia hic agitur de remouendo obstaculo, non de tollendo iure &c. *vt ex Paris. cons. 1. n. 75. lib. 2. Roland. cons. 3. num. 118. lib. 1. bene deducitur in alio memoriali dato per informantes*, sed etiam nullum præiudicium agnatorum considerari potest viuente Illust. Domino Ferrante, qui consensit, quòd huiusmodi Castrum ad Illustr. Dominum Ioannem Vincentium perueniret.

* sub die Veneris 19. Maij proxime præteriti.

a sub d. die 19. Maij.

Portuen. Bonorum.
Die Mercurij 26. Iunij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Principatui & dignitati non potest renunciari, nisi in manibus superioris.*
2 *Item nec formæ succedendi, quæ est ei connexa, & indiuidua.*
3 *Quilibet potest renunciare gratiæ sibi factæ, etiam quòd habeat decretum irritās, fallit tamen, vt num. 5.*
4 *Decretum irritans sortitur naturam actus principalis, cui fuit appositum.*
6 *Renunciari non potest, quod fuit fauore alterius introductum, nec etiam quando est sui fauore introductum, si habet fauorem tertij inseparabilem, vt num. 7.*
8 *Defectus intentionis Papæ annullat gratiā ab initio.*
9 *Gratia à tempore datæ initium sumit, & illud tempus attenditur circa validitatē vel inualiditatem, & num. 13. & 21.*
10 *In priuilegio acquiritur ius absenti, cum ex sola Principis cōcessione transferatur dominium; secus si sit concessum in vim contractus, vt num. 11. & 12.*
14 *An possit renunciari gratia in sui fauorem facta, quando adest clausula, sublata aliter iudicandi facultate, & num. 16.*
15 *Contrauentio etiā in minimo repellit agētē.*
17 *Consensus gratiæ, quæ sortitur naturam vltimæ voluntatis, potest reuocari vsque ad vltimum vitæ spiritum; secus est in ea, quæ sortitur naturam contractus.*
18 *Pactum seu consensus, per quem est ius quæsitum tertio, reuocari non potest.*
19 *Auctoritas Principis reddit actum alias reuocabilem, irreuocabilem; quod verum in actu, qui non poterat fieri sine consensu Principis; secus in eo, in quo eius auctoritas non erat necessaria, vt num. 20.*
22 *Pater nō potest præiudicare filio emancipato in emphyteusi ex re ipsius patris quæsita, & quare.*
23 *Pater non potest præiudicare filio in feudo concesso cum clausula, iure feudi antiqui, quia tunc assumit naturam illius.*
24 *Gratia sine consensu in patrimonialibus ex defectu intentionis corruit.*

DECISIO CCCXLI.

Fuit ex ordine Dominorum dubitatum, An reuocationi factæ per Illustr. Dominum Iulium Cæsarem ita obstet gratia Papæ, vt non potuerit consensum suum & acceptationem reuocare respectu sui ad effectum, vt adhuc dicatur durare, vel non durare contrauentio: & materia per Dominos discussa, fuerunt excitatæ infrascriptæ difficultates; licèt nihil fuerit resolutum. Et primo

primo dicebatur per nonnullos ex Domi-
nis, quòd si præsupponimus, quòd forma
succedendi sit indiuisibilis à Principatu,
gratiam Papæ videri obstare renunciatio-
ni Domini Iulij, quia pro indubitato habe-
1 bant † non posse renunciari Principatui;
nisi in manibus superioris, *l. penult. de of-
fic. Præsid. Restaur. de Imper. quæst. 103. n.
10. cum seq. Roman. singul. 252. Affict.
quæ sint regal. in verb. potestas. num. 56. cū
alys,* [a] *quæ per Dominos informantes dedu-
cuntur:* si ergo non potest renunciari digni-
2 tati, † nec etiam potest renunciari formæ
succedendi, quæ est ei connexa, & indiui-
dua, *vt per Gugliel. Bened.* [a] *quæst. de Ca-
mer. num. 6.* sed quia partes controuertūt
super decisione facta super diuiduitate, &
indiuiduitate, quam tamen ego retuli fuis-
se, quòd gratia respectu personæ Illustriss.
Domini Iulij erat diuidua; respectu verò
dotis, & respectu primogeniti esse indiui-
duam, *& ita fuisse resolutum die Veneris 9.
Decemb. 1575.* [b] tamen fuit processum vl-
terius ad alia argumēta, quæ pro parte Do-
mini Iulij deducuntur. Et quantum ad pri-
3 mum, quòd † quilibet possit renunciare gra-
tiæ sibi factæ, etiam quòd habeat decretum
4 irritans, † quia sortitur naturā actus prin-
cipalis, *Sarnen. de triennal. quæst. 49. num.
11. Cassad. 2. de decret.* Tenentes pro parte
5 Illust. Dominæ Clariceis respondebant, † nō
procedere in dignitatibus, postquam alicui
est collata dignitas & acceptata; nisi fiat re-
nunciatio in manibus superioris, *c. admo-
net. de renuntiation.* licèt possit non accep-
tare, *c. si tibi absenti. de præbend. in 6.* maxi-
mè quia est renūciatio expressa, *Dec. l. post-
quam liti. in 1. fallen. C. de pact.* Nec obsta-
re, si diceretur nō agi de renunciādo Prin-
cipatui, sed primogenituræ; nam cum pri-
mogenitura non respiciat vtilitatē Domini
6 Iulij, sed vtilitatem primogenitorum, † hoc
non esset renunciare fauori suo, sed fauori
alterius, quòd fieri non potest, *Dec. in l. pe.
C. de pact. num. 18. & ibi per alios.* Nec ob-
stat, si replicetur nunc non agi respectu pri-
7 mogenitorum, quia † quotiescunque quis
renunciando fauori suo præiudicat necessa-
rio alteri, & sic præiudicium tertij est inse-
parabile, renunciatio etiā nō tenet respectu
renunciantis, *Bart. in d. l. penult. n. 3. vers.
secundo casu. C. de pact. & ibi Iacobin. num.
16.* Ista autē præiudicia sunt inseparabilia,
nam si Dominus Iulius non præstitisset cō-
sensum huic gratiæ; Papa saltem de potesta-
te ordinaria in istis patrimonialibus nō po-
tuisset ita disponere, *vt notant Doctor. in c.
Ecclesia S. Mariæ,* [c] *cum alys allegatis per
informantes,* quòd si disponere non poterat,
sequi videtur, quòd consensus Domini Iulij
fecit gratiam validam, ex quo etiam sequi-
tur, quòd reuocatio istius consensus redde-
ret gratiam nullam vsque ab initio, propter

[*] Addo Martin. Laudens. 1 tract. de princip. q. 441. & per c. translato. de cōstit. vbi Fel. Dec. in c. accessorium. de reg. iur. in 6. vbi Fel. & Frāc.

[a] Gugliel. de Bened. post repet. c. Raynaldus. de testam. in verb. Camerar. n. sub n. 6. & facit Tiraq. de iur. primog. q. 8. in fin. Cephal. cons. 2a n. 35. Rolan. cons. 10. in fi. li. 3. post Paul. de Castr. cōs. 164. sub num. 4. & Bolog. cōs. 69. in 2. & 3 col. de quibus per eos.

[b] cuius resolutionis verba fuerūt supra p me relata sub die 9. Iun. 1577. in princip.

[c] Fel. in d. c. Ecclesi. S. Mariæ n. 31. 1 fi. de cōst. Abb. c. cū dilectus. n. 3. de surrogatr. & in c. ex multiplici. n. 4. de decim. Couar. var. resol. li. 3. c. 6. n. 5. cū sequentib.

8 defectum intentionis Papæ, † qui defectus
annullat gratiam ab ipso initio, *Cassad. 3. de
9 pension. num. 5.* † Gratia enim à tempore
datæ initium sumit; & propterea tempus il-
lud attenditur, *c. si super. de offic. deleg. Gig.
quæst. 22. num. 16. de pension.* Clarus est au-
tem defectus intentionis, quia Papa noluis-
set inferre hoc præiudicium Domino Iulio,
auferendi sibi potestatem disponendi de re-
bus suis sine suo consensu. Ad secundum
fundamentum, quòd sit pro Domino Iulio,
quòd primogenitis non sit ius quæsitum, cū
non interuenerit Nuncius, epistola, vel sti-
pulatio notarij: Respondebatur, quòd aut
ista primogenitura habet vim priuilegij &
concessionis Principis; aut vim contractus
10 cum Principe initi: † si vim priuilegij, tunc
ex illo quæritur ius absenti à data priuile-
gij, quādo constat de mēte Principis, *Butr.
in c. ex conquestione. num. 13. Abb. n. 11.
11 de restit. spoliat.* quia & † ex sola Principis
concessione transfertur dominium, *Alex.
cons. 187. num. 17. lib. 2. Iacob. in l. traditio-
nibus. in fin. C. de pact. & Decius. ibid. num.
12 4.* † si verò valet in vim contractus, ergo in
dissolutione requiritur consensus vtriusque
l. ab emptione. de pact. sed tolli videtur diffi-
cultas ex eo, quòd constat de voluntate
Principis volentis, quòd quęratur ius ex eo,
quòd voluit, quòd gratia sit semper valida;
13 ergo omni tēpore, & consequenter † à da-
ta ipsius gratiæ: Præterea si Papa voluit,
14 quòd † hæc primogenitura ab omnibus in-
uiolabiliter obseruetur, sublata aliter iudi-
candi facultate nō videtur, quòd Dominus
Iulius etiam respectu sui possit renunciare;
prout in simili, propter hanc clausulam fuit
resolutum omnes comprehēdi *in vna Par-
mensi Castrorū corā R. P. D. Aldobrandino
[d] diebus præteritis.* Nec obstat *decis. Put. 1.
lib. 1. & Cresent. 79.* quia procederent, si
renunciaret toti gratiæ. Neq; obstat, quòd
videatur dari hoc pacto de iure tertij; nam
15 † ad hoc vt agens repellatur exceptione
contrauentionis, satis est, quòd contrauen-
tio etiam sit in minimo, *Dec. in l. cum pro-
ponas. la seconda, num. 5. C. de pact.* Satis
autem dicitur Dominus Iulius cōtrauenis-
16 se, † ex quo mediāte consensu suo fecit gra-
tiam validam, quæ est contraria pacto, quā
validitatem tollere nō potest, & sic non po-
test omnia in pristinum statum reponere,
& bene videtur applicari doctr. *Bald. in l. si
quis non dicam rapere. num. 5. vers. melius
dici potest. C. de Episc. & cler.* finis enim in
hoc casu nō est resolutus, nec redditus pri-
mę formę, ex quo adhuc subsistit gratia; ma-
ximè stāte clausula, de qua supra, quòd sem-
per ab omnibus inuiolabiliter obseruetur,
sublata &c. Tertium fundamentum, quod
17 sit pro Domino Iulio, est, quòd † hæc gra-
tia sortiatur naturam vltimæ voluntatis; &
ideo iste consensus possit reuocari vsque ad
vlti-

[d] In Parmēs. Castrorū sub die 19. Iunij 1577.

vltimum vitæ spiritum, *per notat. in l. fin. C. de pact.* sed huic fundamento fuit responsum, terminos illos non esse applicabiles, quia ibi ille, qui consensit, non se obligauit ad relinquendum illis; ideo eum nullum ius fuerit eis quæsitum, non est dubium, quòd potest renocari, *vt per Castr. num. 3. Iaf. num. 12. Dec. conf. 4. num. 10. & 475. n. 4.*

18 Confirmatur, † nam si ex illo consensu esset ius quæsitum, reuocari non posset, *per l. fin. ff. de pact.* est enim pactū illnd conceptum sub duplici cōditione, vt dicit ibi text. sed ex ista cōcessione & priuilegio est quæsitū ius primogenitis, *Abb. conf. 85. Tiraq. quæst. 21. num. 7. de primogenit.* Non obstant, quæ trad. *idem Tiraq. quæst. 68.* quia ibi non interuenit auctoritas superioris cū

19 istis decretis, † quæ reddūt actum aliàs reuocabilem, irreuocabilē, *Couar. de testam. in 2. part. num. 3. & 6.* quod bene confir-

20 matur per informantes, quia † ista primogenitura ita fieri non poterat sine consensu Principis *l. quoniam in prioribus. de inoff. testam. Xuares in locis allegatis, Iaf. in l. omnium. num. 6. C. de testam.* quod ex eiusdē legis textu bene comprobatur, secus verò esset, si auctoritas Principis non esset necessaria, *Palat. Ruu. in l. 44. num. 3. ad leg. Tauri.* Confirmari vidētur supradicta ex eo, quòd eum ex gratia Principis iuncto consensu Domini Iulij fuerit quæsitum ius primogenitis, vt tollatur contrauentio, necesse est tollere validitatem ipsius gratiæ, quæ eum ab initio valuerit, quia aderat consensus, reuocatio superueniens non videtur

21 sufficere, quia † attenditur tempus datæ circa validitatem vel inualiditatē, *Cassad. d. decis. 3. de pensiom.* Quartum & vltimum fundamentum pro Domino Iulio est, quòd cū primogenitura sit facta ex re patris, pater potest præiudicare: sed hoc fundamentū

22 non placebat; quia † si sit quæsita emphyteusis ex re patris, si filius est emancipatus, non potest pater ei præiudicare, quia perfecta est donatio, *Bald. in l. 1. in fin. C. per quas pers. nob. acquir. quem sequitur Natt. conf. 475. num. 5.* Stante ergo, quòd adest auctoritas Principis volentis, quòd hæc donatio obseruetur inuiolabiliter, videtur, quòd omnino teneat, sicut & donatio aliàs inualida cōfirmatur iuramento: Præterea fundamētum istud non procedit hoc casu, ex quo

23 † concessio est cum clausula, iure feudi antiqui, tunc enim assumit naturam antiqui, nec potest pater filio præiudicare, *Aym. de antiq. temp. part. 5. num. 13. cum seq.* & supradicta tenentes istam partem intelligebant eum præsupposito, quòd consensus D. Iulij fuerit necessarius ad validitatem pri-

24 mogenituræ, taliter quòd † gratia sine eo ex defectu intentionis corruat, ex quo sumus in patrimonialibus, prout deducitur per informantes ex dictis *per Abb. in c. cum dilectus. num. 5. de iurepatron. & in c. ex multiplici. num. 6. de decim. cum alijs*, tunc enim non minus ei præiudicat consensus suus, quàm præiudicet consentienti alienationi rei suæ, *vt per Iaf. conf. 73. num. 2. & 89. num. 5. lib. 1. Menoch. conf. 88. num. 27.* Et hæ fuerunt difficultates excitatæ à Dominis, qui hanc partem defendebant: sed quia alijs placebant contraria fundamenta, nihil fuit resolutum, & causa fuit remissa ad Calendas.

Romana Casalis.
Die Veneris 28. Iunij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum de manutenendo datur ei, qui suam possessionem concludenter probauit.*

2 *Præsumptio possessionis iure familiaritatis excluditur per exhibitionem tituli.*

3 *Possessio non dicitur capta, nisi coloni de conspectu loci penitus sint eiecti, ita quòd amplius non redeant.*

4 *Expulsio colonorum nō requiritur, vbi quis auspicetur possessionem authore iudice, si tamen rite & recte processerit.*

DECISIO CCCXLII.

1 Fvit resolutum, † dandum esse mandatū de manutenendo Dominis de Lilijs, eū eorum possessio concludenter probetur per testes pro eorum parte examinatos. Nec

2 hic habet locum † præsumptio possessionis iure familiaritatis, cum ea excludatur per exhibitionem titulorū donationū ipsis per Reuer. D. Episcopum Placentinū factarum cum reseruatione vsusfructus & pacto con-

3 stituti. Neque obstat † possessio capta pro parte Venerabilis Hospitalis vigore mandati de atlociando; tum quia coloni nō fuerunt omnino de conspectu Casalis eiecti, *ad decis. Put. 2. de cauf. poss. & propr. Gozzad. conf. 86. n. 13. & 14.* tum quòd statim ad il-

4 lud redierūt. Neq; obstat; quòd † nō requiratur expulsio, vbi quis adipiscitur possessionē auctoritate iudicis, *ad doctr. Ang. in l. qui vniuersas. de acquir. poss. cum alys allegat.* quia procedit vbi iudex ritè & rectè procedit: At in casu isto fuit respectu Dominorum Marci Antonij & Ioannis nulliter processum, eum non fuerint citati: Testium verò exceptiones in hoc iudicio nō admittuntur.

Recanaten. Donationis.
Die Veneris 28. Iunij 1577.

SVMMARIVM.

1 *In his, quæ concernunt solemnitates contractuum, statuta loci attenduntur, in quo actus geritur.*

2 *Vbi concurrunt duo statuta; alterum particulare loci; alterum verò generale Prouinciæ, magis attendi debet speciale loci.*

3 Di-

3 *Dictio, nisi, postposita orationi negatiuæ dicitur ponere.*
4 *Aliud est donatio, aliud instrumentum donationis.*

DECISIO CCCXLIII.

præsens deci sio habetur i[n] impres. diuers. nouiss. 34. part. 1.

FVit resolutum pro validitate donatio-
nis, ex regula, *quã tradunt Doctor. post
Bart. in l. cunctos populos. C. de sum. Trin.*
1 *& fid. Cath.* quòd † in his, quæ concernunt
solemnitates contractuum, sunt attenden-
da statuta loci; in quo actus geritur. Neque
obstat, quòd adsit cõstitutio generalis Mar-
chiæ, quæ dat aliam formam, quæ non fuit
2 obseruata, quia † vbi cõcurrunt duo statu-
ta; alterum particulare loci; alterum verò
generale Prouinciæ, magis attendi debet
speciale loci, *vt per text. in l. fin. C. de testam.
tradit Bald. in cons. 201. incip. in Prouin-
cia Anconitana. lib. 1. num. 2. vers. in con-
trarium. Socin. cons. 79. num. 24. lib. 4. Idẽ
Socin. cons. 7. num. 7. lib. 1. Neuizan. cons.
58. num. 6. Roland. de lucr. dot. quæst. 86.
num. 4. Menoch. cons. 227. num. 75. lib. 3.
Cephal. cons. 169. num. 7. lib. 2. Crot. in l.
omnes populi. n. 22. de iust. & iur. Bald. in l.
ius ciuile. per illum text. num. 8. eod. tit. Ro-
man. cons. 61. in fin. Hieron. Gabr. cons. 29.
num. 46. lib. 2.* Nec obstat, quòd dicitur, ista
statuta esse inuicem compatibilia; quia cum
statutum procedat ponendo rationem ne-
3 gatiuam, & subdendo † dictionem, nisi, ista
dictio ponit actum, & perinde est, ac si dictũ
fuisset donationes ita factæ valeant, *per do-
ctr. Bart. in l. actione. sub num. 1. C. de tran-
saction. & ibi Dec. num. 5. Grat. cons. 126.
num. 19. lib. 2.* & ideo non potest se compa-
ti hoc statutum cum constitutione genera-
li, quia si vult, quòd valeat instrumentum
4 cum effectu; ergo & donatio; quãuis † aliud
sit donatio, aliud instrumẽtum donationis,
vt per Tiraq. de retract. lig. §. 1. glos. 1. num. 1.

Salamantina Iurisdictionis.
Die Lunæ 1. Iulij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Suprema tribunalia nunquam exequũtur sententias, de quarum iniustitia ex actis constat, sed eas solent reuocare.*
2 *Non potest constare de notoria iniustitia, vbi acta fuerant amissa.*
3 *Nemo præsumitur se velle grauare superfluo onere probandi.*
4 *Renunciatio consuetudinis de iure nõ tenet.*

DECISIO CCCXLIV.

præsens decis. habetur i[n] impress. diuers. nouiss. 165. part. 2.

FVit resolutum sententiam Mercutij la-
tam contra Reu. D. Abbatem non esse
exequendam, sed reuocandam, quia ex re-
solutione nuper facta de eius iniustitia cõ-
stat, cum ex testibus Abbatis fuerit sufficiẽ-
1 ter iustificata bulla erectionis, & † suprema
tribunalia nunquam exequuntur senten-
tias, de quarum iniustitia ex actis constat,
sed eas solent reuocare, *vt ex sentẽtia Guid.
pap. decis. 215. num. 8. & 368. resoluit Ro-
ta in vna Anximana dotis coram me die 14.
Martij 1575.* Nec obstat fundamentũ, quod
2 fit ex aduerso, † quòd de notoria iniustitia
constare non potest, cum probetur quorun-
dam actuum amissio, *ad trad. per Corn. cons.
10. lib. 4. cum alijs per informantes allega-
tis,* * quia ex facto videtur tolli omnis diffi-
cultas: nam quantum ad exceptiones con-
tra bullam, apparet ex actis ter fuisse pro-
ductas, & eodem instanti parti restitutas,
nec constat vnquam realiter apud acta di-
missas fuisse. Quantum ad testes examina-
tos in curia, cũ fuerint examinati de annis
1513. vsque ad annũ 1517. & postea de an-
no 1518. fuerit decreta remissoria, quam
Reu. D. Episcopus exequutus est, & tota
integra extat apud acta, satis apparet illos
3 testes nihil releuãs probare potuisse: † Fru-
stra enim fuisset susceptum onus probandi
per remissoriã cum tanta impensa pro par-
te Episcopi, si ex testibus iam examinatis
fuisset iustificata eius intentio: Vltra quòd
etiã testes Abbatis plures numero, & mul-
ta acta per ipsum producta perierũt, & ma-
ximè cũ testium publicatio pro parte Epi-
scopi fuerit petita & obtenta, quæ omnes
circunstantiæ habitæ fuerunt in considera-
tione; præsertim cum à tanto tempore ci-
tra Rota noluerit vnquam dare exequu-
tionem dictæ sententiæ. Non obstat cõcor-
dia, quia ommissis exceptionibus, quæ con-
tra eam opponuntur, si considerentur ea,
quæ in ea continentur, potius faciant cõtra
Episcopum, dum ille Archipresbyter renũ-
ciat consuetudini, nec probatur eius effe-
ctuatio immo ex articulis quarto & quinto
Episcopi contrarium probatur, *Aym. cons.
4 266. col. fin.* † nec talis renunciatio de iure
tenuit, vt bene deducunt informantes. Et
hæc omnia dicta fuerunt præsupponendo rẽ
iudicatam, & circumscribendo nullitates,
inter quas videbatur valde vrgens illa, quę
deducitur de insufficientia mandati Rode-
rici della Camera in personam Ioannis del
Castillo, per ea quæ tradit *Ægyd. decis. 5. cir-
ca medium*: sed circa hoc nihil fuit decisum;
tum ex eo, quòd pars Episcopi non infor-
mat; tum quòd non fuit visa necessaria Do-
minis huiusmodi discussio.

* Franc. in c. dilecta. quæstion. 52. n. 142. de appell. Rip. in l. 4. §. condemnatum. num. 17. de re. iud. Dec. in c. ex parte il 2 col. 5. de off. deleg. Capuaq. decis. 278. & fuit dictum in vna Oxomen. 8. Aprilis 1575. coram R. P. D. Robuster.

Amerina Confinium.
Die Lunæ 1. Iulij 1577.

SVMMARIVM.

1 *Patientia non potest dici probata, vbi constat de contradictione.*

DECISIO CCCXLV.

Fvit resolutum ex testibus & scripturis deductis pro Communitate Lugnani, optimè probari loca, de quibus agitur, non esse de territorio Amerino, sed de territorio Aluianẽsium authorum Lugnanẽnsium; & huiusmodi probationem non solum non eneruãt testes Communitatis Ameriæ, quin potius coadiuuant, quia illi, qui aliquid deponere conantur, sunt de simplici auditu; & licèt dicant se pasculasse, & incidisse ligna
1 in dictis locis: †tamẽ non probãt concludẽter patientiã Aluianensium; immo contradictio, & pœnarũ exactio ex aduerso probatur nõ solum per testes, sed etiam per literas Communitatis Ameriæ, quinimmo tertius testis Amerinorum nomine Peregrinus clarè deponit præfata loca non esse in territorio Amerinorum, sed Tudertino: & quintus nomine Bernabeus deponit, che in quel tempo non si guardaua, doue andauano le bestie per quelle selue: Et quòd Amerini habuerint locum, qui vocatur L'bomomotto pro confine, apparet ex depositionibus Gratiosi, qui est decimussextus; Ioannis Baptistæ, qui est decimusoctauus; & Nardi, qui est decimusnonus, qui deponunt, quòd fuerunt aliquando capti, tanquã fraudatores gabellæ; ex quo transierant per hominemmortuum per trinum iactum lapidis vel balistæ cum quibusdam mercibus, & visa fuit materia carere difficultate; Et ideo ordinatum fuit, vt ego causam expediam.

Cæsaraugustana Decimarum.
Die Lunæ 1. Iulij 1577.

SVMMARIVM.

1. *Tantum præscriptum, quantum possessum.*
2. *Decimæ agnorum non dicuntur decimæ terrarum, sed pastorum.*

DECISIO CCCXLVI.

Fvit resolutum Collegiatam de Pilari nõ iustificasse qualitates priuilegiorũ; immo potius ex deductis contrarium probari, cum constet Archidiaconum de Daroca fuisse in quasi possessione omnium decimarum exceptis agnis, qui cum habeat intentionem fundatã in iure communi, si quid ex istis decimis excipitur, illud tantum attẽdi debet, & non potest trahi in consequen-
1 tiam; cum † tantum sit præscriptum, quãtũ possessum, *Felin. in c. auditis. n. 19. de præscript. cum similib. & bene deducitur per informantes.* Non obstat, quòd ista noualia fuerint rupta post conuersionem, & non ante; quia ex hoc non infertur fuisse noualia, *c. quid per nouale. de verb. sign. c. 1. de verb. sign. c. fin. de priuileg.* & bene hoc declarant testes, qui causam reddunt, cur non colerentur, nempe propter fluminis innundationes, & aluei mutationem: Præterea non probatur, quòd ex istis terris aliæ de-
2 cimæ non soluerẽtur, † cum decimæ agnorum non sint decimæ ipsarum terrarum, sed pastorum, qui in illis greges pascunt, *c. peruenit. de decim. Paris. cons. 73. num 17. lib. 4. Rebuff. de decim. quæst. 8. num. 4.* Neque etiam probatur, quòd istæ terræ spectarent ad Mauros; & ideo conclusum priuilegia non esse iustificata.

Portuen. Bonorum.
Die Lunæ 21. Octobris 1577.

SVMMARIVM.

1. *Gratia conditionalis in sui substantia est valida; An autem hoc procedat respectu præiudicij tertij, vid. num. 8.*
2. *Præiudicium tertij non reddit gratiam conditionalẽ in sui substantia ab initio nullam, sed tantum impedit illius effectum, quo ad ipsum præiudicium.*
3. *Princeps in primogenituris constituendis potest filijs etiam respectu legitimæ præiudicare, etiam sine eorum consensu accedente consensu patris, & non reclamatione eorum, de quorũ præiudicio agitur.*
4. *Collatio beneficij iurispatronatus tenet patrono non reclamante.*
5. *Papa si sit electus non reclamante Cardinale, qui habet accessum, & non accessit, valet electio.*
6. *Vbi aliquis actus fauore alicuius annullatur, tenet ipso volente.*
7. *Gratia respectu personæ obtinentis à principio dicitur habere implicitum statum validitatis; respectu verò illius in cuius fauorem obtinetur, vt est in primogenitura, ipso non reclamante, dicitur eundem statum validitatis habere.*

DECISIO CCCXLVII.

Cavsa fuit latè discussa; & quantum attinet ad quæstionem, an gratia sit cõditionalis, Domini non multum circa eam laborarunt, cum non videatur multum ad rem facere, per ea quæ tradit *Bald. in c. fin.*
1 *num. 2. de præsumpt.* maximè cum † gratia conditionalis in sui substantia sit valida, licèt eius effectus suspẽdatur, sed fuit diligẽter examinatum, an ab initio sit valida vel inualida attento præiudicio vocatorum in pacto: in qua difficultate nonnullis ex Dominis, maximè considerando gratiam in abstracto, videbatur, quòd gratia non esset ab initio nulla in substãtia, *per l. qui soluendo. de hæred. instit. & Ruin. cons. 93. n.*
2 *8. lib. 3.* † cum præiudicium tertij non reddat gratiam in substantia nullam, *l. 2. §. si quis à princ. ne quid in loc. publ.* sed tantum impediat effectus quo ad præiudiciũ tertij, vt videntur velle *Doctor. in c. per venerabilem. qui fil. sint legit.* quos citat *Ruin. in* alle-

allegat. conf. 93. num. 7. Nec obstare, quòd
defectus videatur esse in substantialibus, cũ
3 agatur de patrimonio laicorũ, quia † Prin-
ceps in istis primogenituris constituendis
potest filijs etiam respectu legitimæ præiu-
dicare etiam sine eorum consensu, *vt tra-
dit Suarez. l. quoniã in prioribus. in decla-
ratione leg. Regni 2. limitat. num. 8. cum
alijs;* maximè accedente consensu patris, vt
in proposita specie facti, & non reclamatio-
ne eorum, de quorum præiudicio agitur, &
fuit allegatum exemplum iurispatronatus,
4 in quo † Rota tenet sustineri collationem
patrono non reclamante, *vt aliàs dicitur
resolutum in vna Tuden. coram bon. mem.*
5 *Grato.* * † Item exemplum Cardinalis ha-
bẽtis accessũ, *Paris. 76. cons. lib. 4.* & hæc est
regula *l. 2. de leg. commiss. & bene per Dec.*
6 *cons. 12. num. 2.* quòd † vbi aliquis actus
fauore alicuius annullatur, intelligitur ip-
so volente, *vti late fuit deductum coram me
in vna Geruien. bonorum.* a Aliqui verò ex
7 Dominis distinguebant dubium † respectu
personarum, scilicet vt respectu Illustrissi-
mi Domini Iulij gratia haberet implici-
tum statum validitatis; respectu verò pri-
mo geniti, quia principaliter cõcernit eius
fauorem, ideo eo non reclamante habere
eundem statum implicitum validitatis; se-
cus verò respectu secundo genitorum, de
quorum præiudicio respectu legitimæ agi-
tur, quo casu videntur intrare *allegata ex
10. ampliatione Suarez in d. l. quoniam in
prioribus.* & videri Doctores allegatos *à
Ruin. in d. c. per venerabilem.* hoc vnani-
8 miter defendere, quòd † respectu præiudi-
cij tertij gratia sit inualida: sed huic opinio-
ni ex aduerso aliqui replicabant, hanc in-
ualiditatem esse respectu exequutionis, &
exercitij gratiæ, non autem respectu substã-
tiæ, per ea quæ tradit *Socin. cons. 41. num.
3. lib. 3. Dec. 258. num. 12.* Alij verò admit-
tebant præiudicium tertij non facere gratiã
à principio in substantia inualidam *iuxta
præfatum cons. Ruin. & Socin.* sed hoc di-
cebant esse intelligendum, vbi defectus non
est circa volũtatem disponentis; tunc enim
nemini dubium videri, posse defectum con-
sensus versari circa substãtialia, non autem
circa accidentalia. Defectum verò circa vo-
luntatem disponentis considerabant ex eo,
quòd non habuit pacti notitiã, ex quo qui-
dem pacto ius erat quæsitum verè omni-
bus vocatis, neque erat ius in spe tantum,
prout in consilijs ex aduerso allegatis, quæ
etiã procedere dicebant data scientia eius,
qui facit gratiam alicui præiudicialem: Fuit
itaque à Dominis ordinatum, vt huiusmo-
di difficultatẽ restringerem, & dubitarem
hoc pacto: stante pacto; An fuerit necessa-
rius consensus vocatorum, vel sufficiat co-
rum non contradictio ad effectum, vt gra-
tia dicatur habere statum implicitum vali-
ditatis vel inualiditatis.

* quæ est 63. fuit tentum pro validitate collationis.

a die 4. Maij 1571.

Calaguritana de Amarita.
Die Veneris 25. Octobris 1577.

SVMMARIVM.

1 *Sententia non operatur vacationem benefi-
cij, sed illam detegit.*
2 *Incompatibilitas propter residentiam non
facit titulorum incompatibilitatem, sed re
respectu tantum fructuum.*

DECISIO CCCXLVIII.

FVit per Dominos conclusum, gratiam
Ioannis Fernandez esse iustificatam, nõ
obstantibus ex aduerso deductis: nam prima
subreptio ex aduerso opposita, quòd nõ fue-
rit narratum D. Ioannem Fernandez fuisse
per tres sententias condemnatum ad fauo-
rem Io. de Madruga, tollitur ex narratiua
explicita litis & sententiarum facta in lit-
teris: Secunda, quòd obtinuerit sententiam
& institutionem à Cannnico Io. de Ilanes
iudice Apostolico, satis verificatur ex dele-
gatione facta per Nuncium Apostolicum,
de qua constat in processu de partibus, & de
sententia constat satis ad hunc effectum ex
commissione, quam impetrauit Io. Madru-
ga collitigans nomine suo, & Ioan. de Itu-
riaga, cuius vigore Madruga prosequutus
fuit litem, & obtinuit. Tertia, quæ opponi-
tur, quòd nondum lata fuerat tertia sen-
tentia in fauorem Madrugæ; & ideo quòd
non est verum, quòd ipse ascendisset, minus
obstat; tum ex eo quòd totum fuit narratũ
Papæ, qui intellexit, quòd pendente adhuc
tertia instantia coram me, petebatur huius-
modi portio, de qua agitur, tanquã vacans
per ascensum Madrugæ; tum quòd hæc por-
tio saltem de iure vacabat, quod sufficit,
1 *Cassad. decis. 5. de priuil.* † & sententiæ non
operabãtur vacationem, sed detegebant, &
satis est Madrugam statim voluisse ascende-
re, cum hoc de iure ei liceret, & ita tollitur
etiã quarta obiectio. Quinta obreptio, quæ
opponitur, quòd narratum fuit Papæ, quòd
obtinebat duo beneficia patrimonialia resi-
dentiam non requirentia non obstat; quia
2 † prætensa incompatibilitas propter resi-
dentiam non facit titulorum incompatibi-
litatem; sed respectu tantum fructuum, *An-
char. cons. 17. Capra reg. 99. n. 100. quòd
postea fuit etiam resolutum in alia Calaguri-
tana de subisana 3. eiusdem mensis coram
R. P. D. Brauo.* Sexta oppositio, quòd non
fuerit narratum sequestrum, tollitur ex fa-
cto. Septima tantum oppositio circa valo-
rem beneficiorum fuit habita in considera-
tione per Dominos; nam quòd attinet ad
beneficium valoris triginta ducatorum, sa-
tis videtur verificatus valor, sed beneficij
valoris viginti ducatorum & portionis, de
qua agitur, non est satis valor verificatus;

Ideo ordinarunt, vt Io. Fernandez hâc probationem coadiuuet.

Anconitana terrarum.
Die Mercurij 13. Nouembris 1577.

SVMMARIVM.

1 *Dictio, dummodo, regulariter importat modum, non autem conditionem.*

2 *Depositum pretij rei vendita fieri nō potest, nisi prius perfecta venditione.*

3 *Depositum an fieri possit penes debitorem, etiam quando in rescripto cauetur, vt fiat actualiter.*

DECISIO CCCXLIX.

Fuit resolutum, quòd validitati venditionis non obstat prætensa inobseruantia formæ rescripti ratione depositi non ritè facti, nam 1 † dictio, dummodo regulariter importat modum, *Bald. c. dudum. num. 27. de electiōn. Rota in nou. 231.** quod subiecta materia suadet, 2 † non enim pretij depositū fieri poterat, nisi perfecta prius venditione; cum itaque deberet hoc fieri post actū perfectum, non potest importare conditionem sed modum, *Grat. cons. 108. num. 23.* & licèt modus iste importet formā, *vt per Brun. de form. fol. 34. col. 2.* hæc tamen forma fuit 3 sufficienter impleta, † quia depositum factum fuit auctoritate commissariorum pœnes emptorem, quod facit, vt depositum dicatur bene factum, & habetur pro facto apud locum publicum, vt declarat *Tiraq. qui alios citat in tractat. de retract. conuent. §. 4. glos. 7. num. 11. & notatur in l. acceptam. & ibi Bald. num. 2. C. de vsur.* Nec obst. quòd in rescripto caueatur, vt fiat actualiter, satis enim stante causæ veritate, nempe venditione, dicitur factum verum & actuale depositum breui manu, *vt per Castr. cons. 170. num. 1. lib. 2. tex. in l. licèt. §. 1. de iur. dot. l. 3. §. sed si debitorem. de donat. inter vir. & vx.* immo etiam videtur pinguius impletum rescriptum ob susceptum pecuniarum à depositario periculum; & ideo conclusum ex hoc capite venditionem nullam aut inualidam dici non posse.

* alias, de cond. appo-sit.

Cæsaraugustana Duorum mille & quingentorum.
Die Veneris 15. Nouembris 1577.

SVMMARIVM.

1 *Verba illa, per totum tempus vitæ suæ, adiecta institutioni hæredis non faciunt eum vsufructuarium, & propterea de rebus hæreditarijs disponere potest.*

2 *Clausula, quomodolibet, propter sui generalitatem, omnia comprehendit, de quibus in genere sufficit, quòd fuerit cogitatum.*

DECISIO CCCL.

1 Quantum ad primam partem dubij fuit dictum, † Agatham non fuisse simplicem vsufructuariam, immo pleno iure hæredem, tam respectu bonorum immobilium, quam mobilium, † etiam quòd dictum fuerit per totum tempus vitæ suæ, *vt per Bald. Ang. & Imol. in l. hæreditas. de hæred. instit.* & ideo eam de pecunijs, de quibus agitur, disponere potuisse. Quantum ad secundam fuit quoque dictum Agathā de ijs disposuisse in ea parte, in qua legauit Ioannæ & Catharinæ Canizar propter verba amplissima legati ponderando clausulam illam, quomodolibet, & ex quacunque via & causa ad me pertineāt, & debeantur. Nec obstat, quod subdat vti hæredi vsufructuariæ, quia id est intelligendum, prout infra intellexit disiunctiuè, ibi quòd quantum debetur ex dicta hæreditate & vsufructu soluatur, & sic in legato de omnibus ad se pertinentibus ex hereditate Io. Crispi disponere voluit. In institutione verò de omnibus alijs suis bonis, non obstat clausula, id quod mihi debetur vsque ad diē mortis meæ, quia est posita respectu censuū & pensionum decursarum; sed postea procedit 2 vlterius in clausula, quæ aliàs † quomodolibet &c. quæ ex sui generalitate cōprehendit omnia, de quibus satis est eam in genere cogitasse, *iuxta terminos l. si de certa. C. de transaction.*

Portuen. Bonorum de Columna.
Die Mercurij 27. Nouembris 1577.

SVMMARIVM.

1 *Propter decretum irritans, & clausulā, sublata tollitur iurisdictio aliter iudicandi.*

2 *Aliud est dare de nullitate gratia, aliud allegare naturam gratia, siue conditionem talem esse, quod non prohibetur per clausulam, sublata, in gratia positam.*

3 *Gratia, in qua tacitè præsupponitur consensus vel dissensus superuenient, dicitur habere statum implicitum validitatis, aliàs conualidari non posset.*

4 *Vbi actus est nullus ex defectu consensus, eo superueniente conualidari potest, quod intelligitur procedere in actibus priuatorum; secus in ijs, in quibus necesse est, quòd Principis auctoritas interueniat.*

5 *Consensus reuocari potest, quando eius reuocatio nemini præiudicat.*

6 *Papa per priuilegium non intendit conuentioni derogare.*

7 *Princeps nunquam censetur iuri tertij derogare; maximè quando præiudicium non est leue.*

8 *Concessio iuris realis, quando tertio præiudicat, sine eius consensu non tenet; secus est in concessione iuris personalis, in qua nul-*

nullum tertio infertur præiudicium.
9 *Consensus primus trahitur ad secundum, non è conuerso.*
10 *Defectus voluntatis concedentis vitiat gratiam.*
11 *Ius proueniens ex pacto, licèt sit ius quærendum, habet causã de præterito, & in eo intrat regula de iure quæsito non tollẽdo.*
12 *Ius ex contractu quæsitum, cum sit irrisgitium, per Principem tolli non potest.*
13 *Effectus succedendi est effectus separatus à legitimatione personæ, cum quis possit esse legitimus, & nihilominus insuccessibilis.*
14 *Ius succedendi est ius separatum à filiatione.*
15 *Subreptio in vno non inficit aliud.*
16 *Priuilegium in his, quæ non sunt contraria conuentioni, tenet.*
17 *Declaratur Ruin. in cons. 93. lib. 3.*
18 *Legitimatio non facta mentione filiorum, non tenet.*
19 *Dictio implicitum, exponitur idest annexũ.*
20 *Simplex potentia euentus non est considerabilis, sed requiritur explicita potentia.*
21 *Si Princeps concedat aliquid cum clausula, accedente consensu, non potest dici adesse defectum voluntatis in concedente.*
22 *Si Princeps rescribat cum clausula, quatenus tertio non præiudicetur, non potest dici adesse defectum intentionis Principis, & gratia dicitur conditionalis conditione suspensiua, non autem resolutiua.*
23 *Præseruatio operatur, vt tãtũ gratia videatur concessa, quãdo alteri nõ præiudicat.*
24 *Tacita conditio ita suspendit actum, sicut expressa.*
25 *Quæ competunt per modum exceptionis peremptoriæ, non possunt opponi per viam subreptionis in rescriptis ad lites; secus in gratijs.*
26 *Intentionis defectus, & subreptio annullant gratiam; qui defectus non tollitur per superuenientiam consensus partis: limita tamen; vt num. 29. & 31.*
27 *Consensus eorũ, qui interesse habent, requiritur in immutatione prioris status rei, quæ fit mediante gratia, & num. 33. qui consensus sufficit, quòd possit præstari, nec requiritur, quòd in initio interuenerit, vt num. 34.*
28 *Confirmatio gratiæ cum clausula, non obstante pacto, non conualidat gratiam nullam, prout ex tunc, sed prout ex nunc.*
29 *Princeps in gratia potest præiudicare iuri tertij nõ fundato in aliqua spe de præsenti, sicuti in legitimatione ante natiuitatẽ filiorum legitimorum, vt num. 30.*
31 *Non potest dari de nullitate gratiæ propter clausulas in ea appositas, quæ claudunt os; maximè si sit motu proprio, & ex certa scientia, & de plenitudine potestatis.*
32 *Clausula, quòd de defectu intentionis dari non possit, operatur, quòd non sit necessaria mentio iuris tertij.*

DECISIO CCCLI.

PRoposui dubium huiusmodi stante pacto & gratia Principatus, quæ sine veri præiudicio, quantum concernit personam Illustr. Domini Iulij Cæsaris præsupponitur valida; Nec non etiam præsupponitur diuidua respectu personarum, licèt respectu dotis sit indiuidua, vt fuit aliàs resolutum;* An dicta gratia habeat implicitum statum validitatis ante consensum vel dissensum vocatorum ex pacto, quo ad ipsos vocatos. Circa huiusmodi dubium, plures fuerunt opiniones, & variæ difficultates per Dominos excitatæ, quarum prima fuit circa intellectum dubij; nam inspectis verbis dubij videbatur aliquibus ex Dominis tacitè præsupponi, quòd consensus vel dissensus superueniens possit operari gratiæ validitatem vel inualiditatem, respectu consentientis vel dissentientis, qui intellectus ex præcedentibus disputationibus deducebatur: Cum enim iam fuerit decisum,[a] gratiam, de qua agitur, fuisse factam motu proprio; & ideo fuisset dubitatum, an ex eo tolleretur contrauentio, super quo nihil fuit decisum, sed pro parte Illustr. filiarum oppositum de gratiæ acceptatione, & vsu; Ad euadendam hanc oppositionem Illustr. Dominus Iulius Cæsar reuocauerat suum consensum; sed & iterum fuerat oppositum, eum non posse illum reuocare ratione iuris iam quæsiti primogenitis in ipsorum præiudicium; & ideo deuentum erat ad hanc disputationem, vt statueretur, quænam esset medio tempore ante consensum vel dissensum vocatorum, status huius gratiæ; si enim gratia haberet statum validitatis, tunc posset habere locum consideratio præiudicij primogenitorum; secus verò si haberet statum inualiditatis; & iuxta hũc intellectum fuit ab vtraque parte primo informatum in priori causæ propositione, licèt nonnulli ex Dominis Aduocatis Illustr. Domini Iulij tunc etiam aliquid dixerint circa defectum intentionis. Alij verò intelligebant dubium, quasi ageretur nunc absolutè de validitate vel nullitate gratiæ ex quouis capite; & præcipuè ex capite defectus intentionis, & iuxta hunc intellectum in posterioribus informationibus Domini Iulij fuit latè scriptum reclamantibus Aduocatis Illust. filiarum, ac allegantibus,
1 † non posse dari de nullitate gratiæ, nec de
defectu intentionis propter decretum irritans, & clausulam, sublata, quæ tollit iurisdictionem aliter iudicandi, & in hoc differt iste intellectus à primo, quia secundum priorem illa clausula, sublata, non obstat Domino Iulio alleganti gratiam habere statum implicitũ inualiditatis,
2 † non enim dat
de nullitate gratiæ, sed allegat eius naturã siue conditionem talem esse: tamen his non

præsēs decisio habetur I impress. diuersis, nouissime 614. pars 2.

* sub die Veneris 9 Decemb. 1571.

a sub die Veneris 8 Martij proximè præteriti.

obstantibus, secundum vtrunque intellectũ
multa fuerunt deducta, licèt nihil fuerit resolutum: Et primo intelligendo dubium secundum primum intellectum, aliqui ex Do-
3 minis censebant † gratiam habere statum implicitum validitatis; quam si verum est id, quod tacitè præsupponitur, quòd vocati ex pacto possint ei consentire vel dissentire, necesse est, vt dicamus gratiã habere subsistẽtiam talem, super qua possit præstari consensus vel dissensus, *l. fin. si ex noxal. cau. ag. Soc. cons. 41. col. 2. & 3. Castr. l. si per fundum. num. 9. de seruit. rust. prad. Aym. cõs. 152. n. 5.* aliàs esset impossibilis conualidatio, *l. quod ab initio. de reg. iur. Cassad. 3. de pension. num. 5.* Neque obstare, quòd
4 † vbi actus est nullus ex defectu consensus, possit conualidari eo superueniente, *Aret. in l. si quis mihi bona. §. iussum. de acquir. hered. cum alijs allegat. per Dominum Hieronym. Gabriel.** quia hæc procedunt in actibus priuatorum, non autem in his, in quibus debet ex necessitate interuenire Principis auctoritas, *vt bene probatur ex dictis decis. 3. & 4. Cassad. de pension. bene facit Calderin. cons. 14. n. 3. de rescript.* si ergo potest præstari consensus, ergo gratia valida fuit ab initio non autem nulla. Aliqui verò cõtrarium sentiebant, nempe gratiam habere statum implicitum nullitatis, saltem ad effectum, de quo agitur, qui est videre, An per reuocationem consensus Illustr. Dominus Iulius præiudicet filijs primogenitis; nã
5 † cum non possit dici per gratiam ius quęsitum primogenitis in successione cõtra formã pacti, nisi ius adimatur secundo genitis, nullum verò ius per gratiam secũdo genitis adimatur, ex quo Papa ignorauit pactũ; inferebãt nullum fuisse ius primogenitis per gratiam acquisitum, hincq. sequi Dominũ Iulium potuisse consensum suum reuocare, cum nemini huiusmodi reuocatio præiudicet. Nullum verò fuisse quæsitum ius primogenitis colligi *ex text. in c. ex multipli-*
6 *ci. de decim.* Vbi † Papa non intendit per priuilegium conuentioni derogare, *& Hostien. ibi in fin.* ait priuilegium propter eam rationem non tenere ob non factam mẽtionem litis, quod *& ibidem not. Anchar. num. 4. & Io. de Annan. num. 3.* Confirmatur
7 ex regula, quòd † Princeps nunquam censetur derogare iuri tertij, *Grat. cons. 158. num. 28. Bologn. cons. 6. col. 9. & 10.* maximè vbi præiudicium non est leue, *vt per Ias. in l. quoties. 3. notab. C. de precib. Imp. off. Socin. iun. cons. 76. num. 106. lib. 1. & cons. 1. num. 88. lib. 4.* Quo stante, priuilegium nullum dicitur, *Abb. in c. penult. de cler. non resid. num. 8. Anchar. num. 3. Card. in 3. quæst.* Nec obstare text. *in l. fin. C. com. prad. & l. per fundum. de seruit. rust. prad.* quia omnes Doctores conueniunt, quòd
8 † respectu iuris realis interim non tenet cõ

Glos. c. non firmatur. de reg. iur. in 6. iuncta l. qui soluendo. de hered. instit. & l. fin. C. de pact. & ibi Bald. col. pẽ. in fin. n. 29. 30 licet. num. 30. & Cagn. num. 65. Gozad. cons. 98. num. 13. Dyn. d. c. nõ firmatur. col. fin. Dec. l. quod ab initio. n. 60. & Cagn. num. 2. de reg. iur. cum ibi per eos al leg. Gemin. cons. 11. n. 14. Calder. cons. 2. col. 2. de cõstit. quibus addo Butr. in c. cũ consuetudinis. num. 22. & Imol. col. 2. num. 2.

cessio, quia de alterius præiudicio agitur, qui non consensit, licèt teneat respectu personalis obligationis, quia per eam nullum generatur præiudicium tertio, qui non cõ-
9 sensit; & propterea † quando tertius consentit, iste consensus tertij non trahitur ad primum, sed primus ad secundum, vt declarat *Alberic. in l. per fundum. sub num. 2. vers. item oppono. & ibi Castren. num. 8.* præterea procedit, vbi nullitas non adest à principio, vt declarat *Imol. in cap. cum consuetudinis. num. 5. de consuetud.* & ita intelligitur *d. l. per fundum.* Hincq. inferebant
10 † adesse saltem defectum in voluntate concedentis; Ideoq. gratiam esse inualidam, *ad notat. per Imol. in l. qui soluẽdo. la prima. de hered. instit. Ruin. cons. 93. lib. 3.* circũscripta etiam potestate, quæ non careret diffi-
11 cultate, † cum hoc ius proueniens ex pacto, licèt sit ius quærendum; tamen habet causam de preterito, in quo habet locum regula de nõ toll. iur. quæs. *vt per Sarnen. ibid.*
12 *quæst. 4.* † ius enim ex contractu quæsitum est iuris gentium, *l. ex hoc iure. de iust. & iur.* quod per Principem tolli non potest, *Aym. cons. 249. num. 20. Riminald. iun. cons. 18. num. 121. Couar. var. lib. 3. cap. 6.* Nec obstant tradita *ab eod. Ruin. d. cons. 93. & in alijs cons. allegatis*, quia in primis defectus in casibus per eum propositis non est in causa efficienti, vt hic, sed in extrinsecis: Secundo videtur decipi, dum allegat pro sua opinione *Butr. & Prapos. in c. per venerabilem. qui fil. sint legit. Prapos. num. 25. post Card.* concludit legitimationem, quantum ad personam valere, quantum verò ad effectum successionis distinguit, & si Ruinus ita intelligit, opinio eius potest su-
13 stineri, quia † effectus succedendi est separatus à legitimatione personæ, potest enim quis esse legitimus, & nihilominus insuccessibilis, *Alciat. cons. 205. n. 14. Socin. 246. n. 3. lib. 2. Tiraq. l. si vnquam. verb. donatione largitus. num. 317. per doctrinam Barts in l. is potest. num. 8. de acquir. hered.* di-
14 centis † ius succedendi esse quid separatũ
15 à filiatione; ideo nil mirum, † si subreptio in vno non sufficit aliud, *iuxta doctr. Butr. in c. constitutus. num. 21. de rescript. Felin. in c. sedes. num. 2. de rescript. & fuit decisum coram R. P. D. Aldobrandino in vna Syracusana Illegitimitatis 19. Octob. 1573.* & hoc videtur voluisse *Card. in d. c. ex multiplici.*
16 cum dixit † priuilegium in his, quæ non sunt contraria conuentioni, tenere: idem sentit *Butr. in d. c. per venerabilem. num. 15.*
17 & † nisi ita intelligamus Ruinum, vel saltem quòd loquatur in agnatis non autem in filijs, eius opinio defendi non potest re-
18 spectu filiorum, quia † non tenet legitimatio non facta de eis mentione, *vt per Addit. ad Alex. cons. 195. lib. 2. Butr. d. c. per venerabilem. num. 25. idem Ruin. in §. & quid si tan-*

si tantum. num. 197. Alciat. conſ. 206. num.
1. Rimnald. 113. *num. 9. cum ſeq.* quæ qui-
dem applicari poſſunt materiæ, de qua agi-
mus, propter diuidnitatem gratiæ reſpectu
perſonarum. Nec ſupradictis obſtant no-
tata *in l. fin. ſi ex noxal. cauſ. ag.* quia illa
procedunt, vbi id quod euenire poteſt, eſt
19 expreſſum; & ideo gloſa exponit, † impli-
20 citum, ideſt annexum, † nec ſimplex poten-
tia euentus eſt conſiderabilis, alioqui etiam
ſiſtendo ſeruum, quis non liberaretur, cum
ſeruus habeat in potentia libertatem, ſed
non habet explicitam potentiam, quæ re-
quiritur; ideo fortaſſe illud ſimile proce-
21 deret, † ſi Princeps diſpoſuiſſet de hac ſuc-
ceſſione cum clauſula, accedente conſenſu
ſecundo genitorũ, quia hoc caſu non adeſ-
ſet defectus voluntatis in concedente. Nec
22 obſtat, ſi dicatur † non adeſſe defectum in-
tentionis Papæ, quia cenſetur reſcripſiſſe
ſub conditione, quatenus tertio non præiu-
dicetur, vt volunt nonnulli Doctores, *vt per*
Sarnen. in regul. de iur. quaſ. non toll. quaſt.
1. quia etiam admittendo hanc interpreta-
tionem, gratia erit conditionalis conditio-
23 ne ſuſpenſiua non autem reſolutiua, † hæc
enim præſeruatio operatur, vt tunc tantum
videatur gratia conceſſa, quando non præ-
iudicat alteri, *vt declarat Cardin. conſ. 92.*
aliàs 93. incip. nobilis vir. num. 4. Ruin.
24 *conſ. 3. num. 7. lib.* 1. & nemo dubitat † ta-
citam conditionem ita ſuſpendere ſicut ex-
preſſam, *gloſ. in l. & quia. de pact. Dec. conſ.*
2. & 327. col. 3. Non obſtat ſimile adductũ
de iurepatronatus, quia id procedit ex ra-
tionibus traditis *per Pariſ. conſ. 144. lib. 4.*
Nec obſtant etiam tradita *per Felin. in cap.*
Capitulum. num. 5. de reſcript. quia proce-
dunt, vbi verſamur in modico præiudicio,
vt vult Caſſad. deciſ. 3. num. 5. & 6. de pen-
25 *ſion.* Non obſtat, quòd † ea, quæ cõpetunt
per modum peremptoriæ exceptionis, non
poſſint opponi per viam ſubreptionis, *vt*
per Card. d. conſ. 93. & in c. ex multiplici,
quia hoc procedit in reſcriptis ad lites, *vt*
ipſemet declarat col. 1. Felin. in c. poſtulaſti.
num. 6. de reſcript. & in c. ſuper litteris. num.
11. eod. quæ maximè procedunt, ſi ample-
ctendo ſecũdum intellectum vellimus dedu-
26 cere † nullitatẽ ex capite ſubreptionis vel
defectus intentionis, cum enim ſint applica-
ta bona expreſsè contenta in pacto pro do-
te Principatus, apparet manifeſtè de inten-
tionis defectu & ſubreptione, ex traditis *à*
Doctor. in c. dudum. de priuileg. Calderin.
conſ. 14. num. 3. de reſcript. Gemin. c. gra-
tia. num. 4. eod. tit. Socin. conſ. 120. num. 5.
lib. 3. Pariſ. conſ. 1. num. 72. in 1. Io. Monach.
in c. 1. col. fin. de pact. in 6. Io. Andr. ibid.
in fin. Butr. num. 4. Gemin. num. 9. Anchar.
num. 3. Imol. c. cum olim. num. 5. de re iu-
dic. Abb. c. penult. num. 8. de cler. non reſi-
den. Felin. c. cauſam quæ. num. 47. de reſcript.
cum alijs infinitis, qui cumulari poſſent. Ne-
que iſte defectus tollitur per ſuperuenien-
tiam conſenſus partis, *Innoc. c. cum olim. de*
re iudic. Imol. ibid. n. 7. Abb. n. 19. Caſſad.
deciſ. 4. de penſion. immo videretur poſtea
iſta forma ſuccedendi ex conſenſu tantũ nõ
autem ex Principis conceſſione obſeruari;
27 maximè † cum immutetur per gratiam
prior rei ſtatus, & conditio, quo caſu con-
ſenſus eorum, qui intereſſe habent, requi-
ritur, *l. in condendo. de aq. pluu. arc. An-*
char. in c. ſuggeſtum. n. 2. de iurepatr. Albe-
ric. in l. fin. 2. col. verſ. ſed contra. commun.
prad. Abb. in c. cum olim. de arbitr. & hoc
28 adeo verum videtur, vt † etiam ſi Papa cõ-
firmaret gratiam, de qua agitur, cum clau-
ſula, non obſtante pacto, huiuſmodi confir-
matio non operaretur effectum conualida-
tionis ipſius gratiæ ab initio, itaut deberet
retrotrahi, ſed valeret, prout ex nunc, non
autem prout ex tunc, *Abb. c. 3. n. 5. in fin.*
de his quæ fi. à Prælat. ſin. conſenſ. Capit. Dec.
l. quod ab initio. num. 12. & ibi Mayner.
num. 14. & 31. de reg. iur. Huic tamen re-
gulæ circa ſubreptionem & intentionis de-
fectum dabantur aliquæ limitationes: pri-
29 ma eſt, † quando ius tertij non eſt fundatũ
in aliqua probabili ſpe de præſenti, vtpotè
quia nondum eſt natus ille, cui gratia poteſt
præiudicare, vt in caſu, de quo agitur, *Caſ-*
ſad. deciſ. 16. num. 2. & 3. de præben. Achill.
deciſ. fin. de gratijs. per not. per Bart. in
l. fin. C. de pact. & Aret. conſ. 7. bene facit
deciſ. 1. Caſſad. de penſion. per tex. in l. ſi ex
duobus. §. ſed & Marcellus. de in diem ad.
30 Confirmatur † ex ſimili de legitimatione
ante natiuitatem filiorum legitimorum, *vt*
per Tiraq. in l. ſi vnquam. verb. donat. lar-
gitus. num. 255. cum ſeqq. Doctores in d. §. &
quid ſi tantum. Bald. conſ. 56. lib. 2. Iaſ. 110.
lib. 4. ſecunda eſt ratione clauſularum; nam
31 poſita etiam nullitate, † non poteſt de ea
dari propter clauſulas in gratia appoſitas,
quæ claudunt os omnibus; itaut non poſſint
de ſubreptione, obreptione, vel defectu in-
tentionis opponere, maximè cum gratia
ſit motu proprio, ex certa ſcientia, & de
plenitudine poteſtatis, *Dec. conſ. 456. num.*
1. & 557. num. 13. & poſtquã ita vult Prin-
ceps tollerare debemus, *Dec. cõſ. 665. Aym.*
137. nu. 9. Nec obſtat, quòd Princeps nun-
quam tollit defectum conſenſus, quia licèt
in hac gratia duo ſint neceſſaria, nempe
32 † mentio iuris tertij, iſte eſt ſublatus per
clauſulam, quòd de defectu intentionis da-
ri non poſſit: ſecundo requiritur conſen-
ſus eorum, quorum intereſt, & ſemper in-
telligitur, quòd debeat interuenire, *Dec.*
conſ. 541. & hoc tollit nullitatem, cum nul-
lum fiat non conſentientibus præiudicium.
33 † Nõ obſtat, quòd hoc pacto gratia erit cõ-
ditionalis, vt ſupra fuit dictum, quia viden-
dum erit, quid operetur hæc conditio, *ſtã-*

te doctrina Bald. aliàs allegata in c. fin. de praesumpt. Dec. in c. 2. de rescript. col. 3. l. nec emptio. de contrah. empt. l. si iactum. de action. empt. faciunt notata per Tiraq. de re-retract. lignar. §. 1. glos. 2. num. 27. & 28.
Nec obstat, quòd actus sit nullus, ex quo nõ
34 adest consensus, † quia satis est, quòd possit praestari, stante, quòd censeatur reseruatus, nec iure cautum est, vt debeat statim ab initio interuenire, *ad notat. per Butr. & Imol. in c. cum consuetudinis. de consuetud.* Et haec fuerunt per Dominos excitata non autem firmata; tum quia pars filiarum noluit super defectu intentionis informare; tum etiam quia propter clausulas in gratia contentas videbatur nõ esse procedendũ ad resolutionem; maximè quòd nec etiam pro parte Domini Iulij Caesaris fuit super limitationibus informatum.

Romana de Soderinis.
Die Veneris 29. Nouembris 1577.

SVMMARIVM.

1 *Actiones censentur esse in loco, in quo fieri debet exactio, secundum veriorẽ opinionẽ.*
2 *De actione iudicatur prout de re, ad quam competit.*
3 *Quando actio est ad quantitatem in genere, nullo loco circumscripta censetur, nec cõputatur inter immobilia, sed facit tertiam speciem.*
4 *Quando fit mentio de bonis existentibus in certo loco, non veniunt iura & actiones. Idem quando successio est limitata ad certum locum, vt num. 7.*
5 *Dominus succedens vasallo in nominibus creditorum, etiam in ijs, quae sint extra suum territorium, succedit.*
6 *Successio est ius vniuersale.*
8 *In decisorijs attenditur statutum loci, in quo est celebratus contractus.*

DECISIO CCCLII.

Prædicta decis. habetur in impress. diuers. nouiss. 146. part. 8.

IVlius Soderinus agebat contra Paulum Antonium pro consequutione quartae partis cuiusdam cedulae scutorum vigintimillium vel circa, cuius summae Glor. mem. Franciscus Primus Galliarum Rex agnoscebat se esse debitorem bon. mem. Cardinalis Volaterrani ratione similis quantitatis per ipsum Cardinalem Romae diuersis personis in pluribus partitis pro ipsius Regis negocijs solutae, & mandabat Thesaurarijs generalibus finantiarum, vt de dicta summa praefato Cardinali satisfacerent, & aliàs prout in ea, & fuerat haec cedula confecta apud S. Germanum en Laye. Excipiebat Paulus Antonius de quadam cessione simili à Reu. Camera Apostolica facta de dicta summa tanquam de spolijs dicti Cardinalis Volaterrani. Replicabat Iulius hãc summam non cadere sub spolijs Cameralibus propter Bullas Summorum Pontificũ Sixti & Leonis, in quibus conceduntur facultates testandi, & succedendi in bonis sitis in Vrbe, & propè eam ad decem milliaria. Duplicabat Paulus Antonius hoc creditum nõ cadere sub praedicta dispositione. Quare proposui dubium, An summa contenta in dicta cedula censeretur comprehensa sub dictis priuilegijs, & fuit per maiorem partem Dominorũ conclusum, quòd non, cum praesupposito, quòd exactio fieri deberet in Gallijs, & non Romae; nam licèt non exigua sit inter Doctores contentio, an actiones connumerentur inter res mobiles vel immobiles, *vt latè disserit Tiraquel. qui infinitos diligentissimè cumulat de retract. lignar. §. 1. glos. 7. in princ.* & an censeantur esse in loco, in quo fuit contracta obligatio, vel potius in loco, in quo est destina-
1 ta solutio: tamen † verior & receptior opinio est, vt attendatur locus, in quo fieri debet exactio, *prout ex sententia Petr. Bald. & Ang. in l. ex facto. de hered. instit & Aretin. in cons. 10. col. vlt. & Castren. 310. lib. 1. Alex. cons. 31. lib. 1. & cons. 19. lib. 6. cum alijs, quos refert Tiraq. de retract. lign. §. 36. glos. 3. num 15. cum seq. quod confirmatur ex recepta distinctione Doctorum, quam refert idem Tiraq. in praellegat. §. 1.*
2 *glos. 7. num. 15. & 17.* quae est, quòd † de actionibus iudicamus prout de re, ad quam competunt; & ideo cum competeret actio ad exigendas pecunias in Gallijs, censetur haec actio esse de bonis in Gallijs sitis, vel secundum *Lap. allegat. 92. incip. in pri-*
3 *mis videndum*, quòd † si actio est ad quantitatem in genere, prout in casu, de quo agitur, nullo loco censetur circumscripta, nec computatur inter mobilia, sed facit tertiã speciem, & eum sequitur *Roman. cons. 509. num. 19. Tiraq. praecitat. d. §. 36. glos. 3. nu. 16.* & secundum hanc opinionem res caret difficultate, quòd istud creditum non venit sub dispositione bullae Leonis, quocunque loci sint exigendae pecuniae, cum bulla apertè loquatur de bonis sitis in Vrbe, & extra
4 per decem milliaria: nam † quando fit mẽtio de bonis existentibus in certo loco, tunc nõ veniũt iura & actiones, *l. Caius in princ. de legat. 2. & ex auctoritate Bald. tradit optimè Socin. cons. 105. lib. 1. num. 4. qui etiã refert. & sequitur Lapum & Roman. supra citatos. sub num. 6. & latè per Tiraquel. in l. si vnquam. in verb. bona. num. 13. C. de reuoc. donat.* Nec obstat *Iacob. de S. Georg. in tractat. de Rhodys fine operis. num. 14.* quia loquitur in diuersis terminis, nempe
5 in quaestione, † an Dominus succedat Vassallo in nominibus creditorum, qui sunt extra suum territorium, & tenet, quòd sic, &
6 bene, nam † successio est ius vniuersale, & actio haeret ossibus Vassalli, cui succeditur,
7 sed non negat, quòd, † si successio esset li-

mi-

mitata ad certum locum, quòd tunc non venirent actiones, immo hoc expressè fatetur, cum alleget *Bald. in l. 1. de stat. hom.* hoc volentem, sed vtitur hoc argumento, vt excludat argumentum eorũ, qui volebant, quòd actio illa esset de bonis in alio territorio sitis. Nec etiã huic sententiæ aduersatur *Alex. cons. 16. num. 2. lib. 1.* quia loquitur de eo, qui habebat bona mobilia, & actiones Romæ, vbi contraxerat domicilium, & licèt idem dicat de mobilibus alibi sitis, quãdo sunt reuersura ad locum domicilij: tamẽ postea ex auctoritate Baldi tenet, quòd sunt de loco, in quo reperiuntur, & non sequuntur personam, contra eundem Baldum sibi contrarium, & hanc opinionem veriorẽ esse testatur tam ipse, quàm additio sub littera B. Neque ab hac opinione discrepat *Salycet. in l. cunctos populos. col. pen. vers. sin autẽ essent iura. C. de Sum. Trin. & fid. cath.* *prout etiam eam põderat Tiraq. d. §. 36. glos. 3. num. 17. & idem in effectu censere videtur Rube. Alex. cons. 136. num. 1. vers. suadetur.* vbi considerat vltra locum contractus locum exactionis. Nec supradictis obstat consideratio, quæ fit ex aduerso per Dominos Aduocatos, quòd † in decisorijs attendimus locum, in quo est celebratus contractus *per l. si fundus. de euiction. Doctor. in l. 1. C. de Sum. Trin. cum alijs*, [a] quia hic subest manifesta fallacia, cum non agamus de quæstione aliqua emergẽte circa substantiã ipsius contractus, quo casu attendenda essent statuta loci, in quo est celebratus, sed agimus de re ipsa in contractu contenta, & quærimus, an sit in loco, & in quo. Et ex his sublata sunt ea, quæ circa hunc articulum in contrariũ deducuntur; ommisso articulo fideicommissi, de quo tanquã non necessario actum non fuit. Quæ deducuntur de capitulis Conclauis non fuerunt examinata; & videndum erit, An quod pro Paulo Antonio allegatur, sit verum, quòd hæc disputatio aliàs in Rota fuerit coram Guidobono ventilata & resoluta.

8 (margin number beside "nos Aduocatos")

[a] Bart. d. l. 2. n. 15. & 16. [illegible] cons. 176. num. 6. vol. 2. & in c. dilectis. in fin. vers. sed hæc est de fin. capi. Alexand. cons. 37. num. 9. vol. 2. & est com. conclusi., vt per Alex. post mul tos, quos allegat in cõs. 41. n. 4. vol. 5. & idẽ Vicend. in cõs. 66. num. 2.

Romana Casalium de Maximis.
Die Mercurij 4. Decembris 1577.

SVMMARIVM.

1 *Locatio simplex nihil habet commune cum contractu emphyteutico.*

2 *Locatio perpetua siue ad longũ tempus differunt à contractu emphyteutico; nec verum est, quòd sint æquiparati per viam regulæ; nec quòd in vtroque contractu eadem sit pœna constituta.*

3 *Argumentum à casibus expressis ad non expressos non valet, vbi non est facta totalis æquiparatio; maximè non concurrente identitate rationis.*

4 *Clausula, ad habẽdum, tenendum & c. facit quòd competat facultas alienandi.*

5 *Idem est de clausula, quibus dederit.*

DECISIO CCCLIII.

Licèt articulus iste, si attendantur auctoritates tantum, videatur habere plures pro parte affirmatiua, quàm negatiua; tamen attentis rationibus Domini noluerunt à resolutis discedere; nam rationes ex aduerso allegatæ patiuntur magnas difficultates. Et primo ratio illa, quòd sub eodem titulo tractetur materia locationis & emphyteusis per Canonistas, potest retorqueri in contrarium, cum clarum sit, † locationem simplicem ad modicum tempus nihil prorsus habere commune cum cõtractu emphyteutico, & prout alias dictum fuit. [a] Claræ etiam sunt, & cõmuniter approbatæ † differentiæ, quas tradunt Doctores communiter inter locationem perpetuam, siue ad longum tempus, & contractum emphyteuticum; prout latius in alijs decisionibus deductum fuit: Nec verum est, quòd isti contractus sint æquiparati per viã regulæ, immo Ang. in ista propria materia fassus est, quòd non habebat legem dicentẽ, quòd eadem esset pœna constituta in vtroque contractu, & istud esset destruere communes differentias, quæ dantur inter istos contractus: † Nec est argumentãdum à casibus expressis ad non expressos, vbi non est facta totalis æquiparatio; maximè non concurrente identitate rationis, prout ex mente Alberici, & aliorum fuit in alijs decisionibus demonstratũ: sed maximè mouit Dominos, † & præcipuè fundarũt se in licentia alienandi data à principio in ipso cõtractu, in clausula, Ad habendum, tenendum & c. quæ est amplissima, & facit, vt competat facultas alienandi; prout † in simili de clausula, & quibus dederit, *tradit Curt. iun. cõs. 4. post num. primum, & cons. 130. num. 2. cum alijs, qui super hoc possent cumulari.* Et videbatur Dominis hoc transire sine difficultate; ideo si pro parte Reu. fratrum super hoc nõ excitetur probabilis difficultas, ordinarunt, vt procedam ad discussionem dubij, quod superest super modo alienationis, non facta mẽtione iuris Ecclesiæ; in quo erit videndũ, quã excusationẽ afferat Dominus Horatius ad euitandam caducitatem.

1 (margin number beside "queri in contrarium")
2 (margin number beside "probatæ")
3 (margin number beside "contractus:")
4 (margin number beside "minos,")
5 (margin number beside "cultas alienandi")

[a] die 20. Februar. & 14. Martij anni præteriti.

Ciuitatis Castelli Donationis de Vitellis.
Die Lunæ 16. Decembris 1577.

SVMMARIVM.

1 *Donatio correspectiua ad testamẽtum facta sub ea conditione, quòd si mutetur testamentum, & donatio pariter sit mutata, & è contra, propter sententiam in contumaciam contra donantem latam, ob quã donans redditur incapax, An annullata censeatur, & num. 9. & 16.*

2 *Bulla à Sum. Pontificibus edita contra homi-*

micidas, reddunt eos incapaces factionis testamenti: declaratur tamen intelligendum esse de bannitis condemnatis propter delictum; secus propter contumaciam, & num. 3. & 16.

4 *Testamentum, quod propter incapacitatem redditur nullum, non potest conualidari postea; sed semper remanet nullum; secus est, si ab initio valuerit, quia tunc non indiget conualidatione, & num. 17.*

5 *Contumax durante contumacia non debet esse melioris conditionis, quàm præsens pro vero delicto condemnatus.*

6 *Priuatus beneficio per sententiam contumacialem, non potest amplius illud recuperare, sequuta etiam absolutione.*

7 *Opponens se violenter, & manu armata ministris Iustitiæ incurrit crimē læsæ maiestatis per bullam Iulij III.*

8 *Contumacia per compartitionem resoluta omnes eius effectus euanescūt, & num. 13.*

10 *Quando sententia sit lata in contumaciam, vel propter delictum, colligitur ex actis,*

11 *Vbi contra reum adsunt tantummodo inditia delictum arguentia, non autem clara & concludens delicti probatio, condēnatio subsequuta dicitur esse facta propter contumaciam non autem propter delictū.*

12 *Dicto Cardinalis non creditur, quod tendit ad sui exonerationem.*

14 *Contumacia non probat delictum, etiam si adsit statutum, quòd contumax habeatur pro confesso.*

15 *Confessio, quæ in contumacem irrogatur vigore statuti, dicitur ficta confessio.*

16 *Condemnatus in contumaciam habet factionem testamenti actiuam & passiuam.*

18 *Ambiguitas sententiæ tolli & declarari potest ex actis.*

DECISIO CCCLIV.

præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 369. part. 2.

1 ILlustr. Dominus Alphonsus Vitellius de
mense Decembris Anni 1562. condidit
testamentum, in quo hæredem instituit bo.
mem. Illustrissimū Cardinalem Vitellium,
eius fratrem, eadem die & loco, & ijsdem
notario & testibus idem Illustr. Cardinalis
habita notitia de testamento prædicto, &
volens versa vice Dominum Alphonsum recompensare,
donauit eidem medietatem
omniū suorum bonorum mobiliū & immobilium
adiecta conditione, quòd in euentum,
in quem Alphonsus mutaret testamētum,
donatio censeretur pariter annullata,
& vice versa, si reuocaretur donatio, testamentum
quoque censeretur reuocatum, &
annullatum, ad effectum conseruandi inter
fratres paritarem; cumque eodem tempore
Dominus Alphonsus ob prætensa quædā
delicta esset per sententiam Reuerēdissimi
Gubernatoris Vrbis cōdemnatus ad pænas
excommunicationis, confiscationis omniū
bonorum, exilij, & vltimi supplicij: Fuit
dubitatum, An huiusmodi donatio valeret.
Et pro parte Illustr. Domini Vincentij Vitellij
hęredis pro medietate prædicti Illustr.
Cardinalis, & rei conuenti, allegabatur dictam
donationem nullius fuisse roboris &
2 momenti, vtpotè, quia † collata in incapacem,
stante dicta sententia, & deducebantur
ad hunc effectum bullæ à diuersis Summis
Pontificibus contra homicidas, & alios
similes editæ, quæ omnes fuerunt per fe. re.
Pium Quintum renouatæ, quibus consonat
dispositio iuris communis, *l. eius qui. §. fin.
& ibi Bart. de testam. l. qui vltimo. & ibi
Bart. de pæn. idem in Extrauagant. qui sint
rebell. verb. rebellando. num. 13. Bald. l. 1.
num. 15. C. de sacrosan. Eccl. Abb. rubr. de
testam. num. 4. Corn. cons. 55. num. 13. cū
seq. lib. 2. cum alijs allegatis.* *Secundo deducebatur
hanc donationem fuisse correspectiuam
ad testamentum; & ideo altero
nullo existente, nempe testamento, per pro-
3 ximè allegata; cùm † banniti sint intestabiles
tam actiuè, quàm passiuè, tam de
iure communi quàm vigore bullarum; donationem
quoque nullius fuisse roboris &
momenti; cum ita inter partes actum fuerit,
*Aym. cons. 179. num. 13. & 230. num.
2. cum similibus.* Confirmabatur hoc fundamentum
ex eo, quòd data huiusmodi
4 correspectiuitate, † cum testamentum Domini
Alphonsi fuerit nullum, non potuit postea
reconualidari, *ex tex. in l. eius. de testā.*
ideoque semper remansisse nullum testamētum,
& in consequentiam donationem quoque
non valuisse. Tertio dicebatur non esse
constituendam differentiam inter condēnatum
in contumaciam ob non paritionem
monitorij, & cōdemnatum propter delictū;
tum quia prætendebatur omnes sententias
curiæ Gubernatoris cōtra absentes esse sub
vna & eadē forma cōceptas; siue sint propter
contumaciam, siue propter delictum;
tum etiam quia hæc non fuit lata propter
solam contumaciam, sed propter delictum,
per septem testes probatum, prout in copia,
5 quæ data fuit: Præterea † contumacē durante
contumacia non debere esse melioris
cōditionis, quàm sit pręsēs pro vero delicto
condemnatus, *ad notat. in cap. ex litteris. de
constitut.* & ideo in simili sententia contumaciali
lata contra quendam de Mantaco,
*Rota in vna Romana beneficiatus coram bo.
6 me. Grato de anno 1563.* tenuit † beneficiū,
quo priuatus fuerat ille, non potuisse recuperari,
non obstante absolutione subsequuta.
Quarto deducebatur magis in specie
7 bulla fel. rec. Iulij III. in qua † opponentes se
violenter & manu armata ministris Iustitiæ
declarantur incurrisse crimen lęsæ maiestatis;
& ideo Dominum Alphonsum, qui pro
simili excessu fuerat condemnatus, subiacere
omnibus pœnis, quę à iure irrogātur his,
qui rei sunt læsæ maiestatis. *ff. & C. ad leg.
Iul.*

* Adde Marchesa. q. alias ... de intell. ab intest. in 3. artic. num. 43. vers. quintus modus. & 44. vers. & idem.

Iul. maiestatis. His tamen & alijs latius per informantes deductis non obstantibus, Domini resoluerunt sententiam fuisse con-
8 tumacialem; & ideo † ea per comparitio-
nem resoluta euanuisse omnes eius effectus; ideo præfatam donationem ex hoc capite inualidam non esse: moti fuerunt; Primo quia in sentẽtia expressè declaratur Dominum Alphonsum incidisse in pœnas contentas in monitorio ob non paritionem ipsius, ex quo sequitur, nõ propter delictum prin-
9 cipaliter, † sed propter contumaciam fuisse processum ad huiusmodi declaratoriam, *vt in simili fuit decisum in vna Roman. Canonicatus Sãcti Angeli, coram R. P. D. Cotta, vltima Februarij* 1567. Secundo, quia
10 † an sententia sit lata propter cõtumaciã, vel propter delictum, colligi potest ex actis;
11 nam † vbi contra reum adsunt tantummodo indicia delictum arguentia, non autem clara & concludens ipsius delicti probatio; cum sententia recipiat declarationem ex actis, dicendum est condemnationem tali casu esse factam propter contumaciam, non autem propter delictum: sed ex testibus informatiuis curiæ delictum ipsum non probatur, neque etiam in dicto concludũt; cum testes, qui deponunt dominum Alphõsum eripuisse ministris Curiæ quendam rusticũ, sint de auditu, & sunt duo tantũ, nam cæteri testes de visu nihil de eo deponũt, neque etiam in dicto concludunt; nec dictum Cardinalis videtur concludere; tum quia
12 non erat præsens, tum † quia videtur tendere ad sui exonerationem: Ne igitur arguatur iudex iniustitiæ consentaneum est, vt dicamus, sententiam fuisse latam in contuma-
13 ciam, † qua purgata, vt supra dictum est, euanescit eius effectus, *Alex. in l. si mora. solut. matr. Felin. in c. ex litteris. num.* 19. *vers. amplia secundo. de constit. Alciat. de*
14 *præsumpt. reg.* 3. *præsumpt.* 22. † & contucia non probat delictum, *Bart. in l. absentem. num.* 3. *de pœn. Castren. l. cum filiusfam. num.* 3. *de verb. oblig.* etiã si adsit statutum, vt contumax habeatur pro cõfessato
15 † talis enim confessio est ficta, *vt per Bero. cons.* 202. *num.* 41. *lib.* 3. Neque vigore bullarum quicquam respectu condemnationis in contumaciam innouatur quantum ad casum, de quo agitur, cũ Domini eas intelligãt procedere in damnatis propter delicta non autem propter contumaciam, ponderando diuersas clausulas, quæ loquuntur de damnatis de delicto vel de homicidio, & de hocidis, & talia committentibus, vt ex lectura earum colligitur. Neque obstat incapacitas allegata respectu factionis testamenti, quia
16 hæc † est intelligenda de criminosis & bannitis condemnatis propter delictum, nam condemnati propter contumaciam habent factionem testamenti actiuam & passiuam, *Ang. Aret. post Bart. in §. cum autem. num.* 8. *in fin. Instit. quib. mod. ius patr. potest. sol. Boss. in prax. crimin. tit. Banniti quid amit-*
17 *tant. num.* 12. *&* 13. & ideo † cessat argumẽtum sumptum ex actuum correspectiuitate, cum vterque valuerit ab initio, neque opus sit conualidatione. Nec confundendi sunt termini condemnati propter delictum, & condemnati propter contumaciam, ex eo quòd stylus curiæ Gubernatoris sit vniformis in omnibus sententijs, quia dato, quòd
18 res ita se habeat, † ambiguitas sentẽtiæ declarari & tolli potest ex actis, vt supra deductum fuit. Nec quicquam obest decisio facta in causa Romana beneficiatus S. Petri. quia ex relatione Dominorum, qui tunc tẽporis erant in Rota, decisio illa fuit facta ex eo, quòd absolutio in illo casu erant restricta, & excipiebat bona fisco incorporata, & nunquam fuerat purgata cõtumacia, immo potius constabat cõdemnationem emanasse propter delictum non propter contuciam; quamuis id ex sententia non appareat, sed potuit colligi ex actis, quod etiam ex copia decisionis & forma absolutionis conijcere possumus. Quantum ad bullã fel. recor. Iulij III, si de delicto constaret, Domini censerent particulariter negociũ esse discutiendum. Ideo si pars Illustrissimi Domini Vincentii velit super hoc capite audiri, ordinatum fuit, vt audiatur.

Oueten. Denegationis possessionis Canonicatus.

Die Veneris 24. Ianuarij 1578.

SVMMARIVM

1 *Capitulum denegans tradere possessionem prouiso de Canonicatu probare debet causam, quare non tradat; fallit vt num.* 2.
3 *Narratiua litterarum debet probari ab eo, qui narrat.*
4 *Petens aliquam rẽ vti talis, vigore legis vel statuti, debet docere se esse talem.*
5 *Fama etiam in antiquis non probat, vbi aliquid in contrarium adest, quod eam debilitet.*
6 *Nobilitas probatur per officia per consanguineos obtenta, ad quæ nõ solent admitti, nisi qui sunt nobiles; & puri sanguinis.*

DECISIO CCCLV.

FVit resolutum sententiam latã in fauo-
1 rem Roderici esse confirmandam, † cũ enim ipse habeat intẽtionem fundatam in sua gratia, Capitulo denegãti tradere possessionem incumbit onus probandi, qua de causa nolit eam tradere; nam cum se fundet in statuto, in quo cõtinetur, ne quis admittatur, nec recipiatur ad Canonicatus & dignitates, qui habeat originem infectã, vtique cũ admissio & receptio spectet ad Capitulum, necesse est, vt denegando admissionem, ostendat se id facere ex iusta causa;
pu-

præsens decisio habetur in impress. decis. nouiss. 176. parc. 1.

puta quia in informatione capta reperiit talem habere originē infectam; quòd comprobatur ex confirmatione, in qua præscribitur modus sumendæ informationis, & imponitur hæc cura Capitulo, quod & obseruatur; nam per eum, qui petit se admitti, nullæ fiunt probationes, sed fit depositum pecuniarum pro expensis, quæ fieri debent pro capienda informatione, & ita etiam factum fuisse in casu, de quo agitur, ostendit decretum Capituli circa denegationem admissionis, *& ita aliàs fuit coram me decisum in vna Toletana portionis die Veneris 7. Maij* 1568. Nec obstat *decisio aliàs facta in alia Toletana portionis coram R. P. D. Gropperio 3. Maij* 1561. vbi fuit dictum præfigendum esse terminum Ioan. Moræ ad probandum suas qualitates, non autem Capitulo ad probandum, cur denegasset tradere possessionem, quia in illa facti specie præsuppo-
2 nebatur Io. Moram † appellasse à denegatione, & postea desertam fuisse appellationem, & ita videbatur tacitè huiusmodi decreto acquieuisse; & ideo illi incumbebat onus probādi grauamen, sed in casu, de quo agitur, cōmissa fuit & prosequuta appellatio, & quòd Rota ex eo mota fuerit, apparet, quia in positione eiusdem causæ, antequam intellexisset desertam fuisse appellationem, sub die 28. Aprilis eiusdem Anni resoluerat præfigendum esse terminum Capitulo. Neque obstat *decisio in causa Monasterien. co-*
3 *ram me*, * † quia merito incumbebat onus probandi suam nobilitatem, cum hæc esset pars narratiuæ suarum litterarum, sed & statutum Monasteriense imponit hoc onus ei, qui petit se admitti; adeo quòd nihil cōmune habet cum ista causa. Neque obstant allegata *ex l. ait Prætor. §. dicere, ff. de vi bon. rapt. & Ang. & Paul. in l. liberorum. de his qui not. infam. Tiraq. de retract. lign. §. 8. glos. 7. num.* 1. quia procedunt, † vbi quis vti talis petit aliquid vigore alicuius legis vel statuti, nam debet docere se talem, sed hic Rodericus non petit vti talis, nec vigore alicuius legis nec vigore statuti, sed Capitulum tanquam non qualificatum vult eum vigore statuti repellere; ideo ea omnia, quæ allegantur à Tiraq. faciunt directè contra Capitulum, quod fundat se in statuto. Quòd autem Capitulum grauauerit Rodericum, apparet ex eiusdem Capituli informatione & testibus, de quibus in summario per Capitulum dato: aliud enim in summa non probant quàm famam, & quidem non omnes, sed primus & tertius tantum, alij
5 verò non deponunt concludēter, † quæ quidem fama licèt in antiquis admittatur; tamen non procedit, nisi vbi nihil in contrarium adest, ex quo ea debilitetur. At in casu, de quo agitur, multæ eireunstantiæ fuerunt consideratæ per Dominos, ex quibus huiusmodi fama penitus enernatur: Primo quia

* In Monasterien. Canonicatus, vltim. Februar. 1567. & die 24. Ianuarij 1578.

non solum non constat, quòd habuerit à iusta & rationabili causa originem, cum non fuerit talis fama in loco originis, in quo probabilius debebat adesse, cum agatur de origine, *Bald. in l. ea quidem. num. 55. de accusation.* quin immo potius constat de causa huiusmodi diffamationis sumpta ex consuetudine vocādi Castellanos Indæos in ciuitate & dioecesi Ouetēse; tum de inimicitijs, ex quibus veri similiter ortum habuit; Item ex libello diffamatorio: Præterea nonnulli testes faciunt pro Roderico; & ideo remanet hæc fama sine adminiculis; & in contrarium multa concurrunt adminicula pro
6 Roderico, maximè † quòd habuit consanguineos ministros Sancti Officij Inquisitionis; Item in militijs Hispaniarum, quibus in locis non solent admitti, nisi illi, qui sunt puri sanguinis, vt in simili fuit consideratum in illa Monasteriensi, Ioannem habuisse consanguineos milites ordinis Theutonici, in quo non solent admitti nisi nobiles militares, & ex eo sumebatur argumentum nobilitatis ipsius, & in summa huiusmodi probatio visa fuit Dominis nullius roboris, stātibus supradictis. Et ideo conclusum pro sententiæ confirmatione.

Portuen. Bonorum de Columna.
Die Veneris 14. Martij 1578.

SVMMARIVM.

1 *An clausula motu proprio tollat effectū impetrationis, qui est, vt impetrans subreptitiè vel obreptitiè, nullitatem ex causa subreptionis allegare possit, & num.* 13.
2 *Gratia motu proprio facta parit suos iuris effectus.*
3 *Si Papa rescribat motu proprio, & in indiuiduo dicat, non ad tuam vel alterius instātiam, non potest dici, quòd aliàs concessurus non fuisset, quia esset redarguere eius attestationem; prout è contra, si in gratia, in qua adest motus proprius, dicat se fecisse ad partis instantiam, vt num.* 6.
4 *Attestatio Papæ de facto proprio non admittit probationem in contrarium.*
5 *Dictum Card. cons. 142. in fine recipitur à Rota.*
7 *Declaratur cons. Socin. iun. 77. num. 98. lib. 1. quomodo procedat.*
8 *Papa attestando se ad nullius instantiam gratiam concessisse, denotat, quòd sine supplicatione fuisset etiam concessurus.*
9 *Per clausulam motu proprio nō excluditur partis consensus, cum sint compatibilia.*
10 *Supplicatio et acceptatio gratiæ An operetur, quòd non possit dici de eius nullitate, maximè vbi in interpretatione non potest cōsiderari dolus, vt num.* 18.
11 *Non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum.*
12 *Consentiens alienationi rei sibi hypothecatæ, si alienatio non tenet, sibi non praiudicat.*

14 Li-

14 *Licet excipere de nullitate, etiã quando quis agendo eam allegare non posset.*
15 *Replicatio dicitur ea, quæ tendit ad suscitandam & coadiuuandam actionem elisam exceptione.*
16 *Nullitas detecta à quolibet allegari potest.*
17 *Quisque potest fauori suo etiam valido renunciare.*
19 *Quæuis causa etiam bestialis excusat à dolo.*
20 *Dolus non potest considerari in eo, quod non est aptum alicui nocere, vt etiam dicitur de falsitate.*
21 *Consentiens actui nullo sibi non præiudicat, quo minus possit dare de nullitate; vt in consentiente pensioni nulla, quicquid sit in faciente actum nullum.*
22 *Licitum est allegare nullitatem actus, etiam si adesset aliquis dolus vel culpa, quando fuit in reticendo aliquid, non in exprimendo falsum.*

DECISIO CCCLVI.

præsens decisio habetur l impress. diuers. nouiss. 175. par. 2.

FVit dubitatum nonnullis præsuppositis, An cõstet, quòd Illustriss. Dominus Iulius Cæsar ita impetrauerit gratiam Principatus, vt possit, vel nõ possit allegare nullitatem gratiæ, ex eo quòd est contra formam succedendi datam in pacto, quod Papa ignorabat, & circa huiusmodi dubium fuerunt cõsideratæ plures difficultates; Prima, an satis constet Illustr. Dominum Iuliũ institisse apud San. mem. Pium V. medio Excellẽtissimi Oratoris Regis Catholici pro obtinenda huiusmodi gratia; quæ res visa est carere difficultate, stante cõfessione eiusdem Domini Iulij, prout bene deducitur pro parte Illustriss. filiarum, sed cum prædicta gratia fuerit motu proprio concessa:
1 hinc orta est secunda difficultas, † An dicta
clausula tollat effectũ impetrationis, itaut
eius nulla haberi possit ratio, vel potius remaneat idem effectus, qualem solet parere impetratio cõtinens subreptionem vel obreptionem, qui est, vt dans causam nullitati, eam allegare non possit, *per decis. Rot. 8. de testam. in antiq.* & circa hanc quæstionem
2 † placuit Dominis gratiã nihilominus esse
motu proprio factam, & suos iuris effectus parere, *ex auctoritate Bald. aliàs allegat. in c. si spectabilis. de off. legat. num. 4. quem sequitur Rota, vt per Cassad. de rescript. decis. 1. num. 4. Ant. Augustin. de motu propr. num. 1. Ant. Gabr. de clausul. concl. 2. num.* 107. Neque obstat, quòd cum agatur de bonis, de quibus Papa non solet disponere, nisi de voluntate Dominorum, Papam aliter non fuisse concessurum gratiam, nisi præcessisset supplicatio Illustrissimi Domini Iulij, quia hoc videtur de directo contra Papæ at-
3 testationem, † qui non solum rescribit mo-
tu proprio, sed etiam in indiuiduo ait, non ad tuam vel alterius instantiam, vt bene considerat *Sarnen. de Annal. quæst 10. prope fin. & Gabr. d. concl. 2. num.* 108. Ideo dici non potest Papam aliàs non concessurũ fuisse, quin redarguamus eius attestationẽ,
4 † quæ cum sit de facto proprio, non admit-
tit probationem in cõtrarium, *vt per Ioan. Andr. & alios in c. si motu proprio. de præbend. in 6. cum alijs per informantes allegatis.* *Neque obstant in contrarium allegata,
5 & Primo † *Card. in cons. 142. in fin.* non reci-
pitur à Rota, vt testatur *Sarnen. de Annal. d. quæst. 10. num. 5.* & eadem ratione non obstat *Paris. cons. 79. num. 23. qui sequitur Card.* Neque obstat idem *Paris. cons. 1. num.*
6 *76. lib. 1.* quia † præsupponitur ibi gratia
obtẽta motu proprio ad partis instantiam, & sic Papa testatur se id ad partis instantiã fecisse, cui attestationi vti de facto proprio standum est, *Clem. 1. de probation.* & sic iste casus est valde diuersus ab eo, de quo agitur. Præterea ipse allegat Felin. qui nõ pro-
7 bat id, ad quod allegatur. † Neque obstat
Socin. iun. cons. 77. num. 98. lib. 1. quia procedit, quando aliquid Papæ narratur, & super illa narratiua Papa motu proprio disponit, quòd etiam non applicatur casui isto, in quo nihil narratur. Nõ obstat *cons. Brun. 12. num. 72.* quia nihil commune habet cum materia, de qua agitur; nam velle allegare Papam apposuisse clausulam motus proprij ad partis importunitatẽ, nil aliud est, quàm ipsum mendacij redarguere. Similiter tollitur dictum *Dec. in c. cum M. Ferrarien-*
8 *sis. num. 34. de constitut.* nam † quòd fuisset
concessurus sine supplicatione, apparet, ex quo testatur se ad nullius instantiã hoc facere; & ideo reprobatur *à Sarnen. vbi supra quæst. 10. de Annal. num. 8. & Gabr. de clausul. conclus. 2. num. 108.* Non obstat *Ruin. cons. 41. num. 15. lib. 1.* quia loquitur, quando Papa expressit quid ad partis instantiam. Nec obstat, quòd Papa nõ soleat similia concedere nisi de partium volunta-
9 te, quia † ex prædicta clausula motu proprio,
non excluditur partis consensus, qui in similibus adhiberi solet, vt post alios, quos allegat, tradit *Dec. cons. 541. num. 16.* & potest regulariter iste consensus & præcedere & subsequi, *l. 1. ad Macedon. c. curam. de iurepatr.* Et licet per confessionem partis possit probari contrarium eius, quod continetur in motu proprio, *vt per Felin. in cap. quanto. num. 3. de præsumpt.* tamen confessio Domini Iulij non probat contrarium, cum hæc sint compatibilia, supplicatio præcedens, & gratia motu proprio, vt ex auctoritate Baldi & aliorum supra deductum fuit. Sed dubium facit, & est tertia difficul-
10 tas, † An supplicatio & acceptatio Domi-
ni Iulij Cæsaris, qui habebat notitiam pacti, vt ex facto deducitur, stante productione eiusdẽ facta in causa Prænestina, faciãt, vt ipse non possit dicere de nullitate prædictæ gratiæ, vt prætenditur pro parte filiarũ,

*& per Clem. si Romanus. de præbend. Paris cons. 9. n. 75. in 1. Gabr. qui omnes cumulat tit. de clausul. concl. 2. n. 8.

quæ allegant *decis. 8. de testa. in antiq. Aym. cons. 151. n. 25. Romã. cons. 87. & cons. 329. Gemin. c. cũ in multis. num. 14. & 16. Gom. num. 101. de rescript. in 6. Crescent. 227.* * *cũ alijs allegatis.* Quibus tamen non obstantibus fuit conclusum Illustrissimum Dominum Iulium posse dare de nullitate, retinendo conclusionem supra firmatam, quòd gratia sit facta motu proprio, & præsupponendo huiusmodi gratiam nullam, vt habetur in puncto, & moti sunt Domini ex pluribus; Primo per regulam, quæ habet,

* in impress. est decis. 11. de præbend.

11 † quòd non præstat impedimẽtum id, quod de iure non sortitur effectum, *c. si beneficia. de præben. in 6. Felin. c. ex tenore. num 4. de*
12 *rescript.* Hinc videmus, quòd † consentiens alienationi rei sibi hypotheccatę, si illa alienatio non tenet, consentiens sibi non pręiudicat, *Bart. in l. si debitor. §. 1. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. sol. Negusant. de pignor. 3. membr. 6. part. princ. num. 26.* Secũdo, quia
13 sumus in gratia motu proprio, † quæ tollit impetrationem ac omnes eius effectus; & ideo cessat fundamẽtum illud, quòd Dominus Iulius dederit causã huic nullitati per ea, quæ supra deducta fuerunt, quãuis vnus ex Dominis de hoc fundamento dubitaret, *ex allegat. per Gabr. de clausul. concl. 2. n. 99.* cum videatur militare eadem ratio, quæ in impetrante; maximè stante acceptatione & approbatione gratiæ: Tamen cæteris Dominis placuit hoc non obstare, ne talis clausula suo iuris effectu careat. Tertio,
14 † quia hic Illust. Dominus Iulius dat de nullitate excipiendo, quod semper licet, etiam quòd quis eam agendo allegare non possit, *vt per Bald. Imol. & alios, quos refert Felin. in c. lator. de re iud. Aym. cons.* 148. *Alber.*
15 *l. post mortem. num. 5. de adopt.* † & hæc est exceptio non replicatio, cum non tendat ad suscitandam & coadiuuandam actionem elisam exceptione, *l. fin. C. de eden. Dec. in Auth. si quis in aliquo. col. 1. eod. tit.* Quar-
16 to, quia † quoties nullitas est detecta, tunc quilibet potest eam allegare, *vt per Felin. in d. cap. lator. & alios per informantes alle-*
17 *gatos.* ᵃ Quinto cum Illustr. Dominus † Iulius consensum suum reuocauerit, quod potuit, cum etiam fauori suo etiam valido possit renunciare, consequens videtur, vt etiam post talem reuocationem possit de nullitate dicere, ex ijs quæ tradunt *Bart. & Bald. in l. post mort. de adopt. & in l. 2. C. si aduers. rem iudic. facit Felin. in c. Capitulũ. n. 9. limit. 4. de rescrip.* Sexto & vltimo, quia † in
18 hac impetratione nullus considerari potest dolus, qui præcipuè habetur in cõsideratione. *in decis. 8. de testam.* & sic omnibus exad-
19 uerso allegatis; respondetur nã † cũ quæuis causa etiam bestialis excuset à dolo, hic nõ põt colligi dolus; tum ex eo quòd Rota dubitauit, nec adhuc resoluit; an inspecta mẽte paciscentium gratia sit contraria pacto;

ᵃ & ĩ tali casu non habet locum regula decis. 8. de testam. in antiq. ad Bart. Abb. & alios per Felin. allegatos in d. c. lator. col. 2. vers. est etiam alius. de re iudic.

20 tum quòd † gratia huiusmodi non erat apta alicui nocere; vt in simili dicitur de falsitate, quæ non est apta nocere, *l. damus. C. ad leg. Cornel. de fals. & ibi Doctor.* nec fecit, quicquid potuit, vt noceret, *Boss. in pract. crim. tit. de fals. num. 89.* maximè verò hoc procedit duplici respectu: Primo
21 quòd allegata in contrarium procedũt † in faciente actum nullum, hic verò sumus in consentiente actui nullo; quo casu consensus iste non præiudicat, vt in simili de consentiente pensioni nullæ, tradunt *Cassad. decis. 4. de pens. & Accbill. 9. eod. tit.* Secundo
22 † quia hic si aliquis potest dari dolus vel culpa, non fuit in exprimendo falsum, sed in reticendo aliquid, quo casu licitum est errorem & nullitatem actus allegare, *vt per Bisignet. decis. 11. de rescrip. quẽ sequitur Felin. in c. lator. col. 2. de re iudic.* Et ex his virtualiter sunt sublata ea, quæ in contrarium allegantur per informantes.

Pientina Beneficij.
Die Veneris 18. Aprilis 1578.

SVMMARIVM.

1 *Per resignationem amittitur ius & possessio beneficij.*
2 *A sententia super possessorio adipiscẽdæ regulariter non datur appellatio, & mittitur exequutioni, licẽt respectu censura-*
3 *rum latarum detur appellatio, vt n. 3.*
4 *Ad impediendam exequutionem sententiæ latæ super possessorio adipiscẽdæ nihil operatur productio tituli post latam sententiam; nisi per talem titulum appareret incontinenti de bono iure producentis.*
5 *Signatura mandans procedi ad vlteriorem exequutionẽ dicitur denegare commissionem causæ appellationis.*
6 *A forma rescripti Papæ recedi non potest.*

DECISIO CCCLVII.

FVit resolutum neque Fuluium neque Nicolaum posse impedire, quo minus procedatur exequutiuẽ ad immissionẽ, non qui-
1 dem Fuluius, quia † per resignationem amisit ius & possessionem; ita quòd non est legitimus contradictor in hoc iudicio; Neq; etiã Nicolaus, quia eo citato fuit processũ
2 ad sententiã, † à qua regulariter non datur appellatio, cum sit in possessorio adipiscen-
3 dæ, licẽt † respectu censurarum latarum detur appellatio, sed non impedit exequutionem articuli immissionis. Neque obstat, quòd post sententiam fuerit editus à Nico-
4 lao titulus Apostolicus, quia † ad effectum impediendæ exequutionis non releuat productio tituli post sententiam, *vt per Bart. in l. fin. n. 2. per tot. C. de edict. diu. Adr. toll.* nisi per huiusmodi titulũ appareret incõtinẽti de bono iure edentis, quod non applicatur casui isto, in quo potius detegitur cõtra-

trarium, cum sit posterior titulo R. P. D. Martij, vltra multa alia, quæ in facto deducuntur, ex quibus detegitur non ius Nicolai: Illud verò, quod tradunt Doctores & præcipuè *Felin. in cap. fin. de præsumpt.* Domini intellexerunt procedere, vbi contradictor, qui possidet, allegat titulum ante sententiam, non autem post sententiã; maximè verò in casu isto, in quo non reperitur
5 commissa causa appellationis, † immo videtur per signaturam denegata, cum mandet procedi ad vlteriorem legitimam exequutionem, & postquam signatura seu Prin-
6 ceps causa cognita ita rescribit † non possumus à forma rescripti recedere, vt in simili *decisum fuit die 14. præsentis mensis in vna Lucana Canonicatus coram R. P. D. Bubalo.*

Romana de Gaddis.
Die Lunæ 21. Aprilis 1578.

SVMMARIVM.

1 *Datio in solutum facta; nulla præcedente subhastatione, quicquid sit de iure, de æquitate potest sustineri, vt hic.*
2 *Forma subhastationis in datione insolutum inuenta fuit ad effectum euitandi fraudẽ.*
3 *Adiudicatio rei facta pro summa tantum debita, & non pro ea quantitate, quanti valet res adiudicata, nullum alijs creditoribus præiudicium afferre potest, si res sit maioris valoris.*
4 *Præfectus signaturæ Iustitiæ potest restaurationem instantiæ concedere.*

DECISIO CCCLVIII.

Domini restrinxerunt se ad caput nullitatis, & censuerunt sententiam latam ad fauorem Illustr. Dominę Siluiæ & Antoniæ non esse nullam, non obstantibus ex aduerso deductis; Et Primo non obstare nullitatem deductam, ex eo, quòd sit confirmatoria sententiæ Vicarij, quæ dicitur lata sine instantia, quia bulla Clementis nõ annullat sententiam, sed liberat creditores, vt possint agere coram quocũque alio iudice: Præterea sunt factæ duæ prorogationes, quarum prima est vigore constitutionis: secunda vigore commissionis: Adest etiam in omnem euentum instauratio instantiæ sub die 29. Aprilis 1545. Neque obstat secunda
1 nullitas, † ex eo quòd fuerit facta datio insolutum nulla præcedente subhastatione, quia quicquid sit de iure, tamen de æquitate sustineri potest, cum constet ex actis creditum ipsorum filiorum tunc temporis excessisse valorẽ Castri empti pro sexdecimmillibus, quo casu sustinetur datio insolu-
2 tum non seruata illa forma, † quæ fuit inuenta ad effectum euitandi fraudem, prout tradit *Put. in fin. eiusdem decisionis 252. lib. 2. ex aduerso allegata, vti fuit etiam conclu-*
3 *sum 16. Martij:* Præterea † adiudicatio fuit facta in dicta sententia non simpliciter, sed pro summa trigintiduorummillium scutorum, quo casu nullum fieri potuit præiudicium alijs creditoribus, si Castrũ erat minoris valoris. Non obstat tertia nullitas ex capite bullæ reformationis signaturæ fe. re. Pij IIII. quia sustinetur sẽtẽtia vigore cõmissionis restaurationis instantiæ pręsenta-
4 tæ 25. Iunij 1566. & † absurdum est dicere Cardinalem Præfectum signaturæ non potuisse hanc restaurationẽ concedere. Quod verò de citatione dicitur, bene tollitur ex facto deducto per Informantes. Reliquæ exceptiones, quæ respiciunt iniustitiam sẽtentiæ reseruatæ fuerunt discutiendæ super capite notoriæ iniustitiæ, postquã informãtes pro Domino Roderico se ad caput nullitatis restrinxerunt.

Romana, siue Ciuitatis Castelli Donationis.
Die Lunæ 28. Aprilis 1578.

SVMMARIVM.

1 *Captatoria institutio dicitur, quæ in alterius voluntatis arbitrium confertur, vel in euentum futuræ dispositionis, vt per exemplum declaratur num. 12.*
2 *Donatio, quæ subsequitur testamentum, si non respiciat futurum euentum, neque ab eo pendeat, non potest dici captatoria; secus est, si respiciat futuram testamenti non reuocationem, & num. 18.*
3 *Captatoria institutio dicitur ex eo, quòd est deceptoria, secundum antiquiorũ Doctorum interpretationem, & num. 19.*
4 *Donatio, quæ subsequitur testamentum, in qua expressè cauetur, quòd altero reuocato alterum annulletur, non potest dici captatoria, cum omnis tollatur decipiendi occasio.*
5 *Institutiones mutuis affectionibus factæ valent, sed hoc declaratur verum esse, quando nulla per eas imponitur necessitas hoc vel alio modo testandi, vt num. 22.*
6 *Institutiones inter fratres factæ à mutua affectione proficisci præsumuntur propter sanguinis coniunctionem.*
7 *Vbi adest sanguinis coniunctio, ibi cessat fraudis præsumptio.*
8 *In donatione non cadit captatoria voluntas, prout in testamento cadere potest, sed hoc declaratur procedere in donatione inter viuos; secus in donatione causa mortis, vt num. 23.*
9 *Conditio alliciens ad testandũ in sui fauorẽ in donatione adiecta, nõ est prohibita.*
10 *Permissum est & arte & blandis sermonibus, dummodo sine dolo, homines allicere ad testandum in sui fauorem.*
11 *Captatoria voluntas propriè est illa, per quã quis alium quærit inducere, vt sibi vel alteri commodum in vltima voluntate relinquat.*

12 *Captare est veluti aliena aucupare, unde sumit nomen captatoria voluntas.*

13 *Captatoria voluntas etiam dicitur propter actuum correspectiuitatem habentem tractum ad futurum.*

14 *Actus facti ijsdem die, loco, & testibus sunt correspectiui, itaut alter alteri inesse videatur.*

15 *Conditio, quòd in euentum, in quem testamentum reuocaretur, donatio censeatur reuocata, imponit necessitatem causatiuã non reuocandi testamentum.*

16 *Institutio potest dici captatoria, etiam si extranea persona sit in conditione posita.*

17 *Institutio facta, vt ex ea quis lucrum consequatur per viam institutionis, vel ita est concepta, vt sublata futura substitutione euanescat, non valet, quia per indirectum tollitur facultas testandi secũdum receptissimam Doctorũ opinionem.*

18 *Donatio respiciens futuram testamenti non reuocationem impedit liberam testandi facultatem per indirectum, quæ est vera ratio inualiditatis captatoriæ, & n. 21.*

20 *In ijs, quæ ad verborum iuris significationem spectant, plus tribuendum est recentiorum Doctorum obseruationibus, quàm antiquioribus.*

22 *Institutio facta sub conditione, si me alimẽtauerit, valet.*

24 *Donatio causa mortis quantum ad effectũ iudicatur vti actus vltimæ voluntatis.*

25 *Conditio respiciens futuram institutionem, quando vitiet.*

DECISIO CCCLIX.

Præsens decis. habetur i im press. diuers. nouiss. 342. part. 1.

ILlustr. Dominus Alphonsus Vitellius de mense Septembris Anno 1562. condidit testamentum, in quo hæredem instituit vniuersalem Illustr. & Reu. bo. me. Cardinalem Vitellium fratrem: Deinde eodem die, loco, & testibus, bo. mem. Illust. Cardinalis Vitellius volens recõpensare d. Illustr. Dominum Alphonsum donauit eidem sponte, ac omni meliori modo, ac titulo puræ, & meræ donationis causa mortis, medietatẽ omnium suorum bonorũ mobilium, & immobilium &c. adiecto pacto, quòd in euentum, in quem prædictus Illustr. Dominus Alphonsus dictam suam vltimam voluntatem & testamentum reuocaret & annullaret, siue per superuenientiam filiorum de iure reuocaretur, pari modo donatio censeretur reuocata; Et versa vice si donatio per Illustr. donantem reuocaretur pari modo ex tunc & ex nunc prædictum testamentum reuocatum & annullatum censeretur ad effectum seruandi æqualitatem. Defuncto Cardinale vigore præfatæ donationis d. Illustr. Dominus Alphõsus petebat ab Illust. Domino Vincentio medietatem bonorum Cardinalis, qui inter alias exceptiones al-
legabat nullitatem prædictæ donationis vti captatoriæ: Quare dubitaui, an prædicta donatio ex capite captatoriæ voluntatis esset nulla, & pro parte negatiua deducebatur,
1 tur, † illas esse captatorias institutiones; vel quæ in alterius voluntatis arbitrium cõferebantur, *vt per glos. & Doctor. præsertim Castren. & Ias. in l. captatorias. C. de milit. testam.* qui captionis modus in casu proposito non adest; vel quæ fiebant collata in euentum futuræ dispositionis sub hac vel simili formula, in qua parte me Titius hæredem instituit, ex eadem illum hæredem instituo, *l. 1. de his, quæ pro non script. hab. l. 2. de hæred. instit.* & ideo cum in casu pro-
2 posito † donatio subsequuta sit testamentũ, eam dici non posse captatoriam, cum non respiciat futurum euentum, neque ab eo pẽdeat, *vt est tex. in l. illa autem. & l. hoc articulo. de hæred. instit. not. glos. in l. 1. de his, quæ pro non script. hab. & in d. l. captatorias. vbi Paul. num. 4. Ias. num. 9. Dec. n. 14. Rod. Suarez. in tract. de capt. volunt. num.* 4. Confirmabatur hæc opinio, quia secundum communem Doctorum interpretatio-
3 nem, † captatoria institutio dicitur ex eo, quòd est deceptoria, *vt per Castr. Ias. & alios in d. l. captatorias. & per Cuman. in l. captatorias. de hæred. instit. & per Couaru. cap. cum tibi. de testam.* hæc autem deceptio
4 hoc casu considerari non potest, † cum donatio sequuta fuerit testamentũ, & expressè caueatur, vt altero reuocato, alterum annulletur, ex quo omnis tollitur decipiendi occasio. Et hæc maximè procedere vi-
5 debantur ex eo, quòd † institutiones, quæ mutuis affectionibus fiunt, valent, vt habetur *in d. l. captatorias. de hæred. instit. Couar. loco præstato num. 1. circa fin.* hæc autem tam institutio quàm donatio, à mutua
6 affectione profectæ videntur, † cum sit mua inter fratres propter sanguinis coniunctionem, *ad notat. per Dec. cons. 561. num. 4.* &
7 † vbi adest sanguinis coniũctio, cessat fraudis præsumptio, *l. cum alienam. C. de legat. Bald. l. 2. C. de iur. dot. Rolan. cons. 38. n. 22. lib. 2.* & mutua affectio Cardinalis erga Alphonsũ colligi potest ex testamento subsequuto Cardinalis in fauorem Illustr. Dominorum Vincentij & Alphonsi æquis portionibus hæredum institutorum, alijs fratribus à successione exclusis. Postremo de-
8 ducebatur, † in donatione non cadere captatoriam voluntatem, prout in testamentis, *l. cum donationis. & ibi per Doctor. C. de testam. Castr. in d. l. captatorias. num. 4. de*
9 *milit. testam.* & eo magis, quia † in donationibus conditio alliciens ad testandum in sui fauorem non est prohibita, *vt per illum tex. tenet Bald. in dicta l. cum donationis. num. 2. post antiquos, quos citat: idem tenet Alber. Salyc. Fulgos. Ias. & alij,* neque mi-
10 rum videri debet, nam † & arte & blan-

dis

dis sermonibus, dummodo sine dolo, per-
missum est homines allicere ad testandum
in sui fauorem, vt probatur optimè *per tex.*
in l. fin. C. si quis ali. test. probib. & ibi Bald.
& per Dec. cons. 489. num. 6. His tamen
non obstantibus, itum est in contrariam
sententiam, nempe donationem hanc tan-
quam captatoriam nullius esse roboris; cũ
11 † captatoria volũtas propriè sit illa, per quã
quis alium quærit inducere, vt sibi vel alte-
ri commodũ in vltima voluntate relinquat,
12 inde dicta, quia † captare est veluti aucu-
pare aliena, vt à recentioribus melius, quã
ab antiquis explicatur, qui falsò captatoriã
voluntatem eam existimabant, quæ erat in
alienum collata arbitrium, veluti si quis
dixisset, hæredem instituo, quẽ Titius no-
minauerit, cum hæc non sit captatoria, li-
cèt alia ratione non valeat, *Cuman. in l.*
captatorias. de hered. instit. & in l. captato-
ria. de legat. 1. Socin. iun. in l. moribus. num.
10. de vulg. & pup. Alciat. lib. 2. parerg. c.
31. Ant. Aug. lib. 4. Emẽdat. cap. 15. Cõ-
nan. lib. 10. concl. iur. c. 6. Balduin. in Instit.
post tit. de adim. legat. Iacob. Cuiac. in not.
ad tit. Instit. de societat. & lib. 16. obserua-
tion. cap. 11. Spiegel. Hottoman. & Brisson.
in suis dictionar. Couar. cap. cum tibi. num.
1. de testam. & nouissimè R.P.D. Sarmient.
lib. 2. select. opin. cap. 4. & non discrepant
recentiores ab antiquis in hac re, nempe,
quòd hæc sit captatoria institutio, sed in
eo tantum, quòd illa, quam modo retuli
collatã in alienam voluntatem, contra eo-
rum sententiam non est captatoria; sed tũc
demum est captatoria, quando aliũ inducit
in futurum ita testari de re propria, & ita
procedit *tex. in l. captatorias. de hered. instit.*
13 Hoc posito fundamento, † habita fuit hæc
donatio pro captatoria propter actuum
correspectiuitatem habentem tractum ad
14 futurum; nam † quòd actus sint correspe-
ctiui, nemo negauerit, cum sint facti ijsdem
die loco & testibus, adeo vt alter alteri in-
esse videatur, *Corn. cons. 36. num. 14. & cõs.*
217. num. 14. lib. 2. & cons. 57. num. 17.
& cons. 319. n. 10. lib. 3. Socin. cons. 273. n.
4. lib. 2. Felin. cap. Pastoralis. num. 7. de
rescript. Dec. l. petens. 2. notab. C. de pact. &
cons. 245. num. 5. & hanc opin. tenet Rota,
vt per Crescent. decis. 78. Mohed. 224. Pe-
regr. 81. Put. 3. de Simon. vnde non datur
hoc casu præcedens institutio libera, quo
casu nulla in sequenti donatione considera-
ri potest captio; sed censetur ideo facta, vt
inuicem alter testaretur, & alter donaret,
neque est dare prius vel posterius in huius-
modi actibus. Quòd autem habeat tractũ,
& dispositionem futuro prospicientem tem-
pori, facit conditio expressè apposita, quòd
in euentum, in quem testamentum reuoca-
caretur, ipsa quoque censeretur reuocata,
15 † quæ conditio imponit necessitatem cau-
satiuam non reuocandi testamentum, & per
consequens facit, vt satis videatur collata
in futurum, postquam respicit nexum & ob-
ligationem in futurum decedendi cum illo
testamento, quod ferè perinde est, ac si ar-
ctaret ad ita in futuro disponendum, cum
testamenti vis stet in suspenso vsque ad obi-
tum, & morte demum confirmetur: Ideo
non tam verba in huiusmodi dispositione,
quàm mentem disponentium considerare
16 oportet; † vt in simili si extranea persona in
conditione apposita sit, nihilominus capta-
toria dicitur institutio, *l. illa. §. fin. de ha-*
red. instit. Confirmatur hæc sententia, quia
17 † vbi institutio talis sit, qua mediante quis
consequatur lucrum per viam institutionis,
& ita est cõcepta, vt sublata illa futura sub-
stitutione euanescat, tunc non valet, *vt re-*
ceptissima est opinio Doctorum post glos. in d.
l. illa autem. in verb. in sententiam. Gofr.
Butr. Bald. Ang. & Imol. ibidem, & ratio
est, quia per indirectum tollitur facultas
testandi, *vt per Bart. in l. stipulatio hoc mo-*
do. de verb. oblig. & in l. cum donationis. &
ibi Alex. & Ias. Castr. l. captatorias. & ibi
Ias. & Dec. C. de testam. milit. Et ex his ita
deductis facilè elicitur responsio ad ea,
quæ fuerunt in contrariũ adducta. Et Pri-
18 mo non obstat, quod dicebatur, † dona-
tionem in casu proposito non respicere ad
testamentum futurum, sed ad præteritum,
quia iam fuit demonstratum contrarium,
nempe eam respicere futuram testamenti
non reuocationem, & ita impedire liberam
testandi facultatem per indirectum. Secũ-
do non obstat, quòd Doctores interpretati
19 fuerint † captatoriam institutionem pro
deceptoria, & hic cessare deceptionẽ, quia
interpretatio illa antiquorum, quę tempo-
rum conditioni magis, quàm ipsis Docto-
ribus accuratissimis & doctissimis tribuen-
da est, tollitur per ea, quæ ex recentiorum
obseruationibus supra deducta fuere; qui-
bus hac in re post bonarum litterarum pro-
20 pagationem † in ijs, quæ ad verborum si-
gnificationem spectant, plus tribuendum
est, quàm antiquioribus, sed neque verum
est hoc casu cessare omnem deceptionis oc-
casionem, cum secreta fieri possit reuoca-
tio, & hoc pacto volũtas captantis vel cap-
tati deludi: sed vera ratio inualiditatis cap-
tatoriæ est illa, quæ supra ex Bart. & alijs
21 deducta est, nempe † quòd impediat libe-
ram testandi facultatem per indirectum,
quod ex eo colligitur, quòd valet institutio
facta sub conditione, si me alimentauerit,
vt per Bald. Castr. Alex. Ias. & alios in d. l.
cum donationis: Illa enim conditio nihil im-
pedimenti affert, quominus hæres institu-
tus liberè testari valeat. Tertio non obstat,
22 quod dicitur, † Institutiones mutuis factas
affectionibus valere, quia hoc demum ve-
rum est, quando nulla imponitur per eas

necessitas hoc vel illo modo testandi; quẽadmodum imposita est in casu, de quo agitur, quæ excludit præsumptionem mutuæ affectionis, cum expressa sit conditio, quæ facit cessare præsumptionem, iuribus vul-
23 garibus. Postremo non obstat, quòd † in donatione non cadit captatoria voluntas *per text. in l. cum donationis*; quia id posset fortè procedere in donatione inter viuos;
24 secus in donatione causa mortis, † quę quãtum ad effectum iudicatur vti actus vltimæ voluntatis, & in omnibus actibus vltimarũ voluntatum, veluti & in legatis captio actus vitiat, *l. captatoria. de legat.* 1. Præte-
25 rea est animaduertendum, quòd † conditio respiciens futuram institutionem; tum demum actũ vitiat, si ponitur in dispositione; itant ea cessante cesset dispositio; nam si per viam pollicitationis, vel alia ratione, per quam non inducatur obligatio, deducatur, tunc remanente actu principali, ea reijcitur, & hoc sentit *Bald. in d. l. cum donationis. num.* 2. vbi considerat, si sit adiecta per modum pœnæ, vel quasi, *per text. in l. stipulatio hoc modo. de verb. oblig.* Et ex his cessant ea, quæ in contrarium deducta fuere; ideo pro donationis inualiditate conclusum.

Meliten. Præcedentiæ.
Die Veneris 16. Maij 1578.

SVMMARIVM.

1 *Statutum referens se ad consuetudinem, de qua non constat, quæ & qualis fuerit, nõ attenditur; secus esset, si referret certam dispositionem.*

DECISIO CCCLX.

Domini strictè ad dubium dixerunt ex statuto 29. de bainliuis, nõ tolli intẽtionem Ven. linguæ Italiæ fundatam in dispositione iuris communis, ea ratione, quia
1 † cum statutum referat se ad consuetudinẽ, de qua non constat, quæ & qualis fuerit, referens non attenditur, *l. si quis fundum. de contrahen. emption. Innoc. Abb. & alij in c. inter dilectos. de fid. instr. Affl. decis.* 280. *num.* 2. licèt secus esset, si referret certam dispositionem, vt ibi explicant Doctores, ad idem *Bald. in l.* 1. *num.* 4. *C. de Episcop. & cler. & in c.* 1. *de feud. guard. vbi Affl. num.* 6. *vers. sed quid si dixit. bene Rip. de rescript. respons.* 6. *& in vlt. impressione sub tit. de diuers. rescript. respons.* 5. *num.* 6. *cum seq.* & hoc casu hæc potissimum procedunt; tum quia fieri potest, vt consuetudo illa sit iuxta iuris communis dispositionem, & ita exceptio non concludat aduersus linguam Italiæ; tum etiam quia, nisi aliud ostendatur, potest probabiliter lingua Italiæ allegare statutum esse intelligendum de consuetudine illa, quæ reperitur scripta in cap. primo de baiuliuis, quod capitulum inscribitur, consuetudo, & in recensendis linguis prius nominat linguam Italiæ, & cõstat inter alias linguas ordinem illum seruari, vt dictum fuit aliàs: Tamen quia sit ex aduerso fundamentum super possessione; Domini reseruarunt, An stante sententia & possessione Ven. linguæ Aragoniæ cũ alijs factis circumstantijs, sit taliter fundata eius intentio, vt Venerab. lingua Italiæ obtinere non possit; nisi per eam aliter probata præterita consuetudine, quod erit particulariter videndum.

Romana Liquidationis.
Die Mercurij 21. Maij 1578.

DECISIO CCCLXI.

Domini fuerunt concordes, quòd ex dedùctis pro parte Illustr. D. Comitis Mirandulæ non constat liquidationem fuisse excessiuam, nec iniustam; nam quantum ad excessiuitatẽ attinet, facto calculo iuxta prætensionem prædicti Domini Comitis, & computatis omnibus annis summæ ferè cõueniunt. Quantum verò ad læsionem, quæ prætenditur ratione annorum, quos ait nõ esse computandos, ex eo quòd non possederit, dixerunt difficultatem tolli; tum ex instrumentis locationum; tum ex fide Domini Ioannis Petri del Drago; ex quibus apparet de eius possessione: nam quod de vineis obijcitur, tanquam rei modici momẽti, & cuius contrahentes noluerunt haberi rationem, non fuit habita vlla consideratio. Vnum tamen fuit reseruatum; nempe vt videatur in facto, quomodo se habeat negocium illud sequestri, & ad cuius instantiam fuerit relaxatum, vt sciri possit, ad quem peruenerint illæ pecuniæ.

Ispalen. Decimarum de Tribusena.
Die Veneris 23. Maij 1578.

SVMMARIVM.

1 *Duo Anni dantur ad prosequendam appellationem ex causa, in quorum computatione non est subtiliter & rigorosè procedendum, vt num.* 5.
2 *Ex cursu fatalium deducenda sũt tempora sedis vacantis, & tempora remissorialiũ.*
3 *Prorogationes obtenta ab assertis procuratoribus dicuntur ratificata per vlteriores prorogationes obtentas à legitimis procuratoribus.*
4 *Prorogationes fatalium possunt per iudicem dari ex officio.*

DECISIO CCCLXII.

Actum fuit de desertione causæ à die sententiæ latæ per bon. mem. Accorambonum, qui fuit 19. Iunij 1551. vsque ad diem 15. Martij 1577. quod spatium capit annos 25. menses nouem minus quatuor

tuor diebus, quo tempore non adesse sufficientes prorogationes prætendebatur pro parte Excellentiss. Domini Ducis: Reperiuntur enim intra hæc tempora prorogationes num. 45. tantum, quæ constituunt tempus vigintivnius annorum & sex mensium: Tamen Domini tenuerunt pro non
1 desertione, quia ✝ primo deducēdi sunt duo anni, qui dantur ad prosequēdam appellationem ex causa, *Cassad. decis. 6. de appellat.*
2 *num. 3.* Secundo ✝ deducendi sunt nouem menses sedis vacātis diuersis vicibus intra hæc tempora, quia tunc ius non redditur, Tertio deducenda sunt tempora remissoriæ habitæ per D. Ducem, qui iuxta computū datum habuit 32. menses *iuxta decis. 7. & addit. ibi de appellation. in nou. Cassad. decis. 9. in 1. part. de appellat. Rota 2. de dilation. in nou.* ista tempora constituunt in totum annos 26. & vndecim menses, & sic supersunt etiā quatuordecim menses. Neque obstat, quòd aliquę ex istis prorogationibus reperiantur obtentæ per assertos procuratores, de quorum mandato non cōstat, quia ex fide Saraceni constat de mandato Petri de Royas: Item de mandato Ioannis constat in actis; & ideo reducitur hoc totum ad duas tantum prorogationes, nēpe eas quas obtinuit Iacobus Millan, & Ioannes Bapti-
3 sta Paez, ✝ post quas eū subsequutæ fuerint aliæ obtentæ per legitimos procuratores, satis dicuntur præcedētes per eos ratifica-
4 tæ: Vltra quòd ✝ cum ex officio dari per
5 Iudicem possint, ✝ non est adeo subtiliter & rigorosè procedēdum in hac materia: Ideo ordinatum, vt videatur de bono iure.

Romana, siue Ciuitatis Castelli Donationis. Die Lunæ 2. Iunij 1578.

SVMMARIVM.

1 *Conditiones turpes an & quando vitientur, vel vitient in vltimis voluntatibus, & vid. num. 4. & 8.*

2 *Vbi adsunt leges & auctoritates decidentes casum in specie, absurdum est ex regulis generalibus discedere à manifestissima legum traditione.*

3 *Conditio alia implicita, alia explicita.*

5 *Conditiones turpes & à lege improbata, quæ non reddunt voluntatem captatoriam, commodè ab actu vel dispositione separari possunt, cum non influant in ipsa principalem dispositionem, quæ per se nihil turpe continet.*

6 *Conditiones captatoriæ influunt in dispositionem, & eius substantiam inficiunt.*

7 *Conditio captatoria in dispositione per indirectum impedit liberam testandi facultatem.*

9 *Sententia Ruin. in cons. 20. num. 6. lib. 2. confutatur, & sententia contraria Didaci tanquam verissima approbatur.*

DECISIO CCCLXIII.

Fuit dubitatum, an cōditiones siue modi appositi in donatione, de qua agitur, vitient donationem vel potius vitientur, itaut donatio remaneat pura & valida: Et pro parte Illust. Domini Alphonsi præ- *præsens decisio habetur impress. diuers. nouiss. 143. part. 2.*
1 tendebatur ✝ conditiones vitiari, tanquam turpes, per regulam *l. conditiones. & l. reprehendenda. C. de instit. & substit. & l. obtinuit. de cond. & demon.* & huius sententiæ authores adducebantur *Castr. in l. cum donationis. num. 3. Salicet. ibid. num. 2. Curt. iun. num. 5. C. de transaction.* nec non in terminis proprijs *Ruin. cons. 20. num. 6. lib. 2.* & legibus improbātibus captatorias voluntates respondebant eas procedere, quādo sunt cōceptæ per modum à lege improbatum, vt ex qua parte me heredem institues, ex eadem te hæredem instituo, non autem vbi adijcitur modus vel cōditio turpis post dispositionem iam perfectam, vt in casu proposito: Præterea dispositionem dictarum legum intelligendam, vt captatoria volūtas sit nulla volēte honorato, quòd si magis expedire putet, vt valeat, eam valere. Sed his non obstantibus, contrarium omnium consensione obtinuit: Cum enim iam fuerit decisum, donationem, de qua agitur, esse captatoriam, & ea præsupposita esse causa mortis, sequitur eam esse nullam & inualidam, ex ijs quæ tunc deducta
2 fuere; Ideo ✝ cum habeamus tot leges & auctoritates volētes in specie dispositiones captatorias esse nullas, visum fuit absurdū ex regulis generalibus discedere à manifestissima legum traditione contra regulam *l. in toto. de regul. iur.* nam si huiusmodi opinio vera esset, nulla amplius institutio ex capite captionis vitiaretur, cum omnes
3 sint sub conditione ✝ vel implicita vel explicita, quæ reijceretur; implicita veluti in forma supra posita; explicita verò veluti illa, si me hæredem institueris, vel si Meuiū à se scriptum ostenderit hæredem. *l. illa aut. ff. de hered. instit. cum alijs similiter relatis per Ant. August. emend. lib. 4. c. 15.* Et ideo
4 allegata in contrarium ✝ procedunt in conditionibus aliàs turpibus & à lege improbatis, quæ tamen non reddunt voluntates captatorias, quales sunt illę, de quibus agi-
5 tur in præfatis locis, & ratio est, quia ✝ illæ commodè separari possunt, cum non influāt in ipsam principalem dispositionem, quæ per se nihil turpe continet; sed in istis con-
6 ditionibus captatorijs secus est, ✝ influūt enim in ipsam dispositionem, & faciunt eā captatoriam, & ita eius substantiam inficiunt, non enim conditio est sola captatoria, sed institutio ipsa, quæ veluti esca præponitur ad aliciendum alium ad ita dispo-
7 nendum, quæ res, ✝ cum per indirectum impediat liberam testandi facultatem, à le-

gibus sub generali appellatione captatoriç voluntatis improbatur, & hoc est, quod voluit *Bart. in l. 1. num. 5. de cond. instit.* qui optimè sentit vitium in captatorijs respicere substantiam dispositionis. Neque obstāt deducta *ex Castr. & alijs*, quia cum allegent *l. obtinuit. de cond. & demonstr.* patet, quòd intellexerunt in genere de cōditionibus tur-
8 pibus, † nempe eas non vitiare vltimas voluntates, quod & verum est; sed si in specie intellexerunt de captatoria, in hoc allueinati sunt, & contra apertas leges loquuti sunt. Illud verò, quod dicitur illas institutiones vitiari, si honorato videatur, est contra omnes leges absolutè loquentes, nec ali-
9 quo iure vel auctoritate probatur. † Nec obstat *cons. Ruini allegatum*, quia præterquàm quòd fallitur in explicatione captatoriæ voluntatis, vt ex ijs quæ in præterita decisione * deducuntur videre licet, optimè confutatur eius sententia *à Didaco in cap. cum tibi. num. 13. de testam.* cuius sententiam verissimam esse Domini censuerunt; & ideó pro donationis inualiditate cōclusum.

* Sub die 28. Aprilis præteriti facta.

Cremonen. Iurispatronatus.
Die Veneris 6. Iunij 1578.

SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus familiæ relictum, ea extincta, extinctum quoque censetur; quod verum, quando apparet fundatorem voluisse limitare iuspatronatus, itaut ad alios non transeat, quàm expressos, vt n. 8.*
2 *Iuspatronatus, quod non fuit relictum vnà cum hæreditate, ex quo fundator alio hærede instituto, illud alijs personis reliquit, mortuis illis, quibus fuit relictum, non transit vnà cum hæreditate, cui non cohærebat.*
3 *Iuspatronatus de sui natura est transitorium ad hæredes extraneos.*
4 *Testator volens iuspatronatus esse de sua familia non intelligitur taxatiuè, vt ad eos tantum spectare debeat, & non ad hæredes, sed demonstratiuè, & num. 9.*
5 *Gemin. in cons. 45. in 3. dubio, loquitur contra communem opinionem.*
6 *In fideicommissis casus omissus relinquitur iuris communis dispositioni.*
7 *Casus deficientis familiæ in relicto iurispatronatus relinquitur dispositioni iuris, & num. 12.*
10 *Ad constituendum iuspatronatus non est necessarium, quòd sit annexum hæreditati testatoris, sed obseruatur lex initij fundationis apposita.*
11 *Iuspatronatus licèt ex fundatione sit personale, non tamen est taxatiuè ita personale, vt ad extraneos hæredes peruenire non possit.*
13 *Prouisio hominis in identitate rationis generalis non tollit prouisionem legis.*

DECISIO CCCLXIV.

STephanus de Stephanis de Anno 1514. condito testamento instituit hæredem Catharinam neptem in octuaginta libris Imperialibus, & mādauit quibusdam fideicommissarijs exequutoribus, vt construerent Capellam in Ecclesia sancti Laurentij sub inuocatione sancti Stephani; eamq. dotarent; & voluit, quòd illi de domo seu casata de Stephanis essent patroni dictæ Capellæ, & quòd electio Capellani fieret per duos vel tres ex senioribus dictæ domus &c. Cōtigit tandem familiam deficere per mortē Iosephi de Stephanis, qui instituit suos vniuersales hæredes Nicolaum & Cęsarem de Chissolis, qui vacante prædicta Capellania prætendentes se esse patronos præsētarunt Dominum Bartholomeum Padernū, contra quem Dominus Iulius Brinus prouisus Apostolicus vigore Breuis de capiendo possessionem egit coram Auditore Camerę, & demum causa in Rota per appellationem introducta dubitaui, An sufficienter constet de Iurepatronatus illorum de Chissolis ad effectum excludendi Dominum Iulium Brinum: & fuerat aliàs hæc dubitatio proposita de ordine Sāctissimi in Rota per R.P.D. Robusterium, * & tunc Rota in abstracto cēsuerat Iuspatronatus translatum fuisse in hæres extraneos Iosephi vltimi de familia de Stephanis: Reseruatum tamen fuerat videre, An prædicta decisio applicaretur ad casum, de quo agitur, & pro parte Domini Iulij negabatur, prætendebaturq. vnà cum familia extinctum fuisse iuspatronatus, his
1 potissimū rationibus: Et primo, quia † Iuspatronatus familiæ relictum, ea extincta, extinctum quoq; cēsetur, *vt per Lambertin. de iurepatr. lib. 1. part. 2. artic. 2. & artic. 4. n. 6. 2. q. principal. fol. 132. in non. impres. & magis in terminis Gemin. in cons. 45. in tertio dubio. Card. cons. 48. in primo dubio, Roch. de iurepatr. in verb. ipse vilis. quæst. 33. in fin.* Secundo, quia cum testator se restrinxerit ad familiam, relinquendo illis de familia, non potest competere alijs non habentibus hanc qualitatem, argumento eorum, quæ tradit *Bald. cons. 304. num. 1. vol. 5. Rip. l. filiusfam. §. Diui. num. 110.*
2 *de legat. 1.* Tertio, quia † Iuspatronatus, de quo agitur, non fuit relictum vnà cum hæreditate, cum fundator alium hæredem instituerit, sed fuit relictum personis, & ita cohærebat personæ Iosephi vltimi de familia; & ideo non potuit transire vnà cum hæreditate, cui non cohærebat, *ad notat. per Dec. cons. 119. col. 1. & 2.* Quarto, quia hoc iuspatronatus concessum familiæ simile est Iuripatronatus cōcesso Vniuersitati, quod non potest transferri in eos, qui sunt extra Vniuersitatē, sed debent assumi in Vniuersitatem vel in familiam illi, in quos volumus tran-

a Sub die 28. & 21. Maij 1576. vt habetur 1 decis. in impres. diuersor. nouissim. 385. part. 1.

transferre, *vt per Lambertin. lib. 1. part. 2.*
artic. 9. quæst. 2. num. 12. fol. 135. in nou.
impres. His tamen non obstantibus, con-
trarium fuit decisum inhærendo decisioni
aliàs factæ, * nempe satis constare de iure-
patronatus illorum de Chissolis ad effectũ,
de quo agitur; Moti sunt Domini auctori-
tate *Anchar an. cons. 81. & Calderin. cons.*
4. de iurepatr. qui optimis rationibus pro-
bant prouisionem hominis hoc casu nõ tol-
3 lere prouisionem legis: Vnde † cum ius-
patronatus de sui natura sit transitoriũ ad
hæredes extraneos, *vt per glos. in cap. con-*
siderandum. 16. quæst. 7. Abb. cap. 1. de iu-
repatr. Aret. cap. significauit. col. 3. de testib.
Card. Anchar. & Imol. in Clem. 2. de iure-
patr. cum alijs, quos citat Didac. variar. re-
solut. lib. 2. cap. 18. num. 6. prouisio facta
sibi & filijs, vel certis personis non excludit
eorum hæredes, dummodo non sit facta ta-
xatinè, & hanc sententiam communiter re-
ceptam esse constat ex Doctorib. cumulatis
in decis. R. P. D. mei Robusterij; Et ideo
4 applicando ad casum, de quo agitur, † li-
cèt testator voluerit hoc iuspatronatus esse
illorum de familia de Stephanis; non tamẽ
hoc voluit taxatiuè, itaut ad eos tantum
spectare posset, & non ad eorum hæredes,
qui est casus Cardinalis, & Rocchi in lo-
cis allegatis, pro vt animaduertit *Paris.*
5 *cons. 48. num. 6. lib. 4.* † & ideo nõ est attẽ-
denda opinio Geminiani loquentis contra
communem. Facit optimum simile, quòd
6 † quando in fideicommissis aliquis casus est
omissus relinquitur dispositioni iuris com-
munis, *l. si cum dotem. in princ. solut. matr.*
7 *l. commodissimè. de liber. & posth.* † casus au-
tem deficientis familiæ à fundatore fuit o-
missus, ergo relinquendus dispositioni iuris,
quod permittit, vt iuspatronatus ad extra-
neos hæredes transferatur, & sic prouisio
ipsius non conuenit cum prouisione legis,
sed sunt istæ prouisiones circa diuersa. Ne-
que obstant allegata *ex Lambertin. referen-*
te Calderinum in 2. part. primi libr. artic. 4.
8 *2. quæst.* quia procedunt, vbi † ex verbis
fundatoris apparet ipsum limitare voluisse
iuspatronatus, ita vt ad alios nõ transiret,
quàm expressos, ex supra deductis, aliàs lo-
queretur contra communem opinionẽ. Ne-
que obstat, quòd reseruatum fuerit illis de
9 familia, quia † illa verba stant demonstra-
tiuè & nõ taxatiuè, & quatenus aliquã im-
portẽt taxationem, ea intelligitur durante
familia, scilicet vt quãdiu fuerit aliquis de
dicta familia, is sit patronus, aliàs iuspatro
natus reseruatum pro se & filijs nõ transiret
ad hæredes extraneos, qui nõ habẽt qualita-
10 tem filiationis, quod est falsum. Neque † ob-
stat, quòd hoc iuspatronatus non fuerit an-
nexum hæreditati testatoris, quia hoc non
est necessarium ad constituendũ iuspatro-
natus, sed est obseruandæ lex ab initio fun-
ad

* sub die Lunæ 21. Maij 1576. quæ in impress. diuersor. nouiss. est decis. 181. part. 2.

dationis apposita; sed hinc nõ infertur, quo-
minus hoc ius non fuerit in hæreditate Io-
sephi, postquam ei fuit acquisitum, & nul-
lus alius extat ex familia, per quem hæredes
extranei excludantur. Neque etiam obstant
allegata *ex Dec. cons. 149.* quia loquitur de
iurepatronatus rei cohærentis puta Castro,
quia sine illo transferri nequit, sed hoc nul-
11 li rei cohærebat, † & licèt sit personale ex
fundatione; non tamen est taxatiuè ita per-
sonale, vt ad extraneos hæredes peruenire
non possit, iuxta regularẽ iurispatronatus
non ecclesiastici naturam. Nec obstat, quòd
sit simile iurispatronatus Vniuersitatis,
quod non potest concedi ei, qui non est de
illa Vniuersitate, quia in hoc procedit simi-
le, vt quamdiu adsunt aliqui de familia, nõ
possit iuspatronatus competere extraneis,
12 † sed deficiente familia incipit casus omis-
sus à fundatore regulandus iuxta iuris di-
spositionem, & in hoc non procedit simile
Vniuersitatis vel Collegij, quorum non da-
tur hæres, vel successor, sicut in familia. Vl-
timo non obstat, quòd in *consilijs allegatis*
Anchar ani, & Calderini adsint aliquæ cir-
cunstantiæ diuersæ à casu proposito, ex qui-
bus moti fuerunt ad ita decidendum, vt cõ-
siderant subtiliter scribentes pro Domino
Iulio, quia vis fit non in similitudine facto-
13 rum, † sed in identitate rationis generalis,
quæ est, quòd prouisio hominis non tollit
prouisionem legis, *prout latè fuit deductum*
in præallegata decisione R. P. D. mei Robu-
sterij: Et ita fuit conclusum.

Portuen. Bonorum de Columna.
Die Lunæ 9. Iunij 1578.

SVMMARIVM.

1 *Papa sciens supplicationem, & nihilominus concedens gratiam motu proprio, reijcit illam supplicationem, & motus proprius non amittit suum priuilegium.*
2 *Possunt stare simul, quòd petens petat id, quod Papa erat omnino concessurus.*
3 *Clausula, motu proprio, cum operetur viuificationem gratia, non potest allegari ad illius destructionem.*
4 *Clausula, motu proprio, tollit impetrationẽ, & omnes eius effectus, qui ex impetratione oriri possunt.*
5 *Effectus clausulæ, motu proprio, est vt viuificet gratiam, & tollat subreptionem.*
6 *Motus proprius non tollit effectus facti, sed bene tollit effectus iuris.*
7 *Factum infectum fieri non potest.*
8 *In materia fauorabili, & latè interpretanda appellatione impetrationis venit etiã gratia motu proprio concessa.*
9 *Appellatione priuilegij venit etiam priuilegium concessum motu proprio.*

DE-

DECISIO CCCLXV.

FVit votata causa strictè super clausula motus proprij, & per Dominos resolutum, quòd gratia non obstante supplicatione remanet motu proprio facta, ita quòd de supplicatione nulla prorsus haberi potest ratio, & moti fuerunt per doctrinam allegatã *Bald. in c. nisi specialí. num. 4. de off. legat.*
1 *& ibi bene Barbat. num. 39.* † cum enim Papa sciuerit supplicationem, & nihilominus concesserit gratiam motu proprio, reiecit illam supplicationem, & non propterea motus proprius amisit suum priuilegiũ, quia Papa sciuit supplicationem, & nihilominus voluit, quòd gratia esset motu proprio, *vt bene dicit Gamban. de legat. lib. 3. n.*
2 *61. cum seq.* † possunt enim stare simul ista, quõd petens petit illud, quod Papa omnino erat concessurus. Non obstat id, in quo videtur consistere potissimum fundamentum informantium pro Illustr. mulieribus, quòd
3 † clausula hæc operetur viuificationẽ gratiæ; ergo secundũ eos nõ potest allegari ad destructionẽ, *Bald. in d. c. nisi.* nam assumptũ nõ est verũ, quòd allegetur ad destructionẽ gratię; cũ aliũde nullitas proueniat, nẽpe ex defectu intentionis, sed cũ obijciatur Illustr. D. Iulio Cęsari, quòd nõ potest dicere de nullitate, cũ ipse impetrauerit gratiã, *per dec. 8.*
4 *de test. aliàs allegatã,* ipse replicat, † clausulã illã tollere impetrationem & oẽs effectus iuris, qui ex impetratione oriri possunt, inter quos est iste, quòd impetrãs nõ possit gratiã impugnare, postquã enim adest talis clausula, verũ est dicere, ipsum nõ haberi pro impetrãte, ex quo motus proprius præuenisse cẽsetur. Nec obstat, quod Bald. dicat, quòd vi-
5 uificat gratiã, quia † ille est vnus effectus ipsius clausulæ, vt tollat subreptionem; & propterea etiã hoc casu habet hũc effectũ, quia non obstãte supplicatione retinet naturam motus proprij, secundũ quam naturã potest dari de defectu intentionis, *vt per Doctor. in c. si motu proprio. de prabend. in 6.* & hinc est, quòd aliàs noluit Rota admittere ad probãdũ supplicationẽ, ad effectũ vt probaretur contrauẽtio Concilij prohibentis impetrationem, quia non releuabat, ex quo Papa omnino nõ obstante illa supplicatione motu proprio concedere voluit, *vt per Gamba. vbi suprà num. 63.* Alioqui non appareret ratio, quare Papa velit, quòd ille in cuius odium apposuit illam clausulam, possit dare de defectu intentionis, de eodem autem non possit opponere ille, ad cuius fauorem illã apposuit, contra *l. quod fauore, de legib.* & ita retorquetur argumentum, quod fit ex
6 aduerso. Nec obstat etiam, quòd † motus proprius non tollat effectus facti, quia hoc est verum, sed bene tollit effectus iuris, vt etiam admittunt ex aduerso informantes; nam effectus, de quo agitur, est effectus iuris, quia à iuris dispositione prouenit, quòd ille, qui impetrat gratiam nullam, de ea opponere nequeat: Cum igitur Motus proprius huiusmodi, licèt non tollat effectum
7 facti, † quia facta infecta fieri non possunt; tollit tamen effectus iuris resultantis ex supplicatione: tollit etiam hunc effectum iuris, sicut reliquos omnes, & iusta ratione quia cum Papa non obstante supplicatione absolutè concedat gratiam Motu proprio; & sic in nulla consideratione habeat illam supplicationem; non est verisimile, quòd velit relinquere effectum iuris prouenientem ex illa supplicatione, quæ apud ipsum nullius fuit momenti. Nec obstat identitas rationis; tum quia illa conclusio, licèt ponatur *à Gamba. de clausul. concl. 2. num. 99.* ea tamen non probatur, quia ipse allegat *Sarnen. in reg. de impetr. benef. vac. per obit. fam. Card. quæst. 1.* qui non mouetur ea ratione, quòd militet eadem ratio; sed ex eo,
8 quia † in materia fauorabili & latè interpretanda, vt ipse censet esse illam regulam, appellatione impetrationis venit etiã gratia Motu proprio, & quia aliàs illa regula redderetur inutilis propter facilitatem, qua impetratur gratia etiam in forma motus proprij, *& Gamba. vbi supra num. 65.* ponit eãdem decisionem ex ijsdem rationibus, nõ ex ea quòd militet eadem ratio, & si allegarẽtur *Doctor. in Clem. 1. §. fin. de concess. praben.* vbi appellatione impetrationis cõprehenditur secũdum Doctores etiam gratia Motu proprio facta propter idẽtitatem rationis, colligitur responsio *ex Gamban. vbi supra,* quòd ideo ibi hoc est, quia tota illa Clementina diuersis in locis generaliter, & indistinctè loquitur, & propterea ex identitate rationis apparet, quòd dum postea mentionem facit impetrationis, restrictiuè ideo non fecit, sed prout dicit *Bonifac. num. 83.* gratia frequentioris vsus. Nec *Ruin. cons. 133. lib. 1.* id etiam dicit, quia solum conatur defendere, quòd appellatione directæ vel indirectæ impetrationis venit Motus proprius, quod hic cessat, & quia non cõfidit de hoc fundamento, dicit, quòd ille, contra quem scribebat, renunciauerat in casu suo, ne dum dispensationi directè vel indirectè impetrandæ, sed priuilegijs,
9 † quorum appellatione veniunt etiam priuilegia concessa motu proprio, quod non facit ad propositum: Alioqui si consideremus identitatem rationis, cum Motus proprij hodie procurentur, in nihilo seruiret hodie prædicta clausula: Præterea satis videtur militare eadẽ ratio, si quis vel iniquũ ius impetrat à Principe, vel iniquo iure cõcesso vtitur, cum sit in potestate sua vti, vel non vti, & tamen hoc non obstante in vno casu habet locum retorquutio, in alio non, *l. 3. ff. quod quisq. iur. Gamban. vbi supra num. 66.* Tum etiã secundo, quia non proba-

batur ista identitas rationis, in vno enim casu nempe quòd gratia fuit absolutè ad postulationem partis; petitio fuit causa ipsius concessionis,& illa petitio habuit effectum, in alio casu illa petitio nó fuit habita à Principe in consideratione, quia omnino etiam sine illa supplicatione fuit concessurus gratiam huiusmodi, ex quo non obstante supplicatione asserit se facere Motu proprio,& ad nullius instantiam,alioquin subuerteremus naturam huius clausulæ, si amplecteremur hanc conclusionem fundatam in identitate rationis, & recederemus à stylo antiquo.

Anconitana Terrarum.
Die Veneris 13. Iunij 1578.

SVMMARIVM.

1 *Ad effectum cognoscendi an alienatio fuerit Ecclesiæ vtilis vel damnosa, attendi debet tempus contractus.*

2 *Onus conuertendi in alia bona pecunias ex venditione rei Ecclesiasticæ redactas, nõ spectat ad emptorem, & minus probandi talem conuersionem; sed ad venditorem.*

3 *Verso doceri debet solum in mutuo, deposito, & quando res Ecclesiæ venditur pro debitis soluendis.*

DECISIO CCCLXVI.

Domini resoluerunt, alienationem fuisse Ecclesiæ vtilem, & non damnosam,
1 †cum ad hunc effectum sit habenda ratio temporis contractus, *Bald. cons. 314. lib. 1. in fin. Bon. Clem. 1. de reb. Eccl. non alien. n. 58.* de quo tempore pretium solutum excedebat verum valorem terrarum, *Anchar. cons. 122. num. 1. cum alijs.* * & licet vtilitas præsila consisteret in conuersione pretij in emptionem aliarum terrarum vicinarũ bonis Episcopatus;tamen in hoc non posse dici formam rescripti non fuisse seruatã, cũ Papa cõtentus fuerit,vt interim,donec pretium in alias terras cõuerteretur, fieret depositum, quod iam fuisse validè tactum per Dominos fuit resolutum: a quo stante,
2 † ad emptorem non spectabat onus conuertendi pecunias in alia bona, sed ad Episcopum, *vt ex communi Doctorum sententia in c. 1. de deposit. tradit Dec. cons. 36. num. 8. versic. tertio principaliter.* maximè cum ex forma rescripti nullum esset præfixum tempus ad reinuestiendum; & ideo cum in principio esset venditio vtilis, id quod ex post facto successit, non est in consideratione habendum, *Cal. cons. 5. de rer. permut. Tiraq. de retract. cõuent. §. 7. glos. 1. n. 10.* Neque obstant allegata *ex Bald. & Castr. in Auth. hoc ius porrectum. C. de sacrosanct. Eccl. & Butr. & Imol. in c. 1. de deposit.* quia non dicunt, quòd absolutè in contractu emptionis emptor teneatur docere de conuersione,
3 immo dicunt contrarium, nempe † illud esse speciale in mutuo; deposito, & quando res Ecclesiæ venditur pro debitis soluẽdis, *vt per Bald. num. 7.* Nec est verũ, quòd hoc vltimum stet exemplificatiuè, quia immo stat limitatiuè propter formam, quæ forma in contractu, de quo agitur, non potest dici inducta, cum contentus fuerit Papa, vt fieret depositum;& ideo nõ applicatur ad casum istũ, maximè cum Reuer. D. Episc. sit actor.

* Corn. cons. 381. num. 30. vol. 3. Alex. cons. 75. sub num. 7. vers. fortificatur. vol. 1. Dec. in c. quoniam contra. num. 42. vers. & ideo, à phat. Bald. in cap. 1. sub num. 7. in princ. ver. ego addo. de his qui feud. dar. poss.

a sub die 13. Nouẽb. 1577.

Toletana Beneficij de Huerta.
Die Veneris 13. Iunij 1578.

SVMMARIVM.

1 *Vacante beneficio in mense Apostolico eius collatio ad solum Papam pertinet.*

2 *Collatio beneficij non potest prætendi debita ex eo, quòd quis sit deputatus in Oeconomum, vel Vicarium; sed ei debetur, qui post examẽ magis idoneus repertus fuerit.*

3 *In vacatione beneficij in mense Apostolico contingente, quod certo generi personarũ debetur, ex quo collatio ad Papam pertinet, persona approbatio infra terminum quatuor mensium à die vacationis, Papæ notificari debet, aliàs iuxta Constitutionem Pij Quinti ad solius Papæ dispositionem beneficium remanet.*

DECISIO CCCLXVII.

Didacũ non esse audiendũ, cum nullum ius habeat ad huiusmodi beneficium,
1 †nam cũ beneficium vacauerit in mense Apostolico, eius collatio ad Papã spectabat, quam tamen adhuc Didacus non obtinuit;
2 † & ideo neq; deputatio facta de eo in Oeconomũ iuxta sacri Concilij Tridentini dispositionem quicquam iuris tribuit; cum neque etiam velit sacrũ Concilium, vt collatio fiat ei, qui deputatus est in Vicariũ; sed ei, qui post examen fuerit magis idoneus repertus: Ideo si ex hoc secũdo capite prætendit Didacus beneficium sibi deberi, vtique debet ostẽdere fuisse seruatam formam eiusdẽ decreti Concilij circa concursum faciendum; de qua tamẽ ex sola litterarũ Gubernatoris attestatione nõ probatur, immo potius contrarium, nempe nullum factum fuisse concursum apparet, sed dato, quòd
3 etiam fuissent seruata seruanda; † tamen cũ beneficij collatio, vt dictum est, spectaret ad Papam, debuit intra terminum quatuor mensium à die vacationis approbatio Papę notificari, aliàs est nullius momenti, & remanet beneficiũ ad solius Papæ dispositionem, vt clarè in Bulla fel. rec. Pij Quinti disponitur; sed ex litteris eiusdem Gubernatoris apparet, beneficium vacasse de mense Februarij 1573. notificatio verò eiusdem est de mense Septembris 1574. & sic per viginti menses post vacationem, & per consequens extra tempus. Nec quicquam tribuit commissio iustitiæ; nam si ex deductis nullum

lum ius Didaco competit, non intrat diſpo-
ſitio *Clem. Auditor.* nec ſignatura, quæ eſt
reſtricta cum clauſula, prout de iure, ſuffra-
gatur.

Fauentina Bonorum.
Die Lunæ 16. Iunij 1578.

SVMMARIVM.

1 *Partita libri, licèt non ſit in forma probanti, ſi tamen pars ea ſit vſa, fidem facit.*
2 *Libri antiqui ſemiplenè probant.*

DECISIO CCCLXVIII.

FVit reſolutũ articulum trigeſimumſecũ-
dum, de quo agitur, non obſtantibus ex
aduerſo deductis, concludere, ſed teſtes nõ
probare immemorabilem ex rationibus in
ſimili aliàs deductis in alia poſitione; tamẽ
articulum probari ſimpliciter per decimũ
teſtem, vigeſimumſecundum, vigeſimum-
quartum, vigeſimumoctauum, & trigeſi-
mum, de quo autem tempore, apparebit de-
mendo ex ſingulorum ætate annos duode-
cim. Quantum ad famam, probari; niſi ſe
1 reſtringat ad ſeniores. † Quantum ad parti-
tas, videndum, an ſint in forma probanti,
vel ſi ijs vſi ſunt RR. Canonici, tunc enim
facerent fidem, *vt coram me fuit de Anno*
præterito reſolutum * *in vna Gadicen. admi-*
niſtrationis. An verò probent, dato quòd
2 ſint in forma probanti, dictum fuit † in an-
tiquis ſemiplenè probare, *ad Aym. & alios*
per informantes allegatos: [a] tamen ex ijs, li-
cèt probetur affirmatiua, non probari ne-
gatiuam, ſed eam aliunde eſſe probatam,
nempe per teſtes, vt ſupra, niſi fortè obſtẽt
duo teſtes, nempe primus & quartus iun-
ctis aliquibus partitis, in quibus fit mẽtio
iurium Pompoſiæ, quòd erit particulariter
videndum.

* ſub die 7. & 21. Iun. 1577.

[a] Ad Aym. conſ. 158. n. 4 cum ſeqq. qui ad hoc plures adducit & auctoritates & rationes, & licèt idem de antiquit. par. 1. §. quid in libro. num. 8. dubitet, tamen in antiquis concedit id eſſe veriſſimum poſt Dec. in cap. cum cauſam. num. 4. verſ. 2. limitatur. de probation. Idem tenet Roman. conſ. 127. poſt princ. quem ſequitur Felin. c. ad audientiam. num. 16. de præſcript. & Abb. conſ. 74. in 1. dubio. in fin. cum alijs per Aym. vbi ſupr. d. conſ. 158.

Ciuitatis Caſtelli Donationis.
Die Veneris 20. Iunij 1578.

SVMMARIVM.

1 *Verba, titulo puræ ac meræ donationis cauſa mortis, qualificant totam diſpoſitionẽ.*
2 *Pactum appoſitum in donatione, quòd in talem euentum cenſeatur reuocata, eſt contra naturam donationis inter viuos.*
3 *Ex numero teſtium in donatione adhibitorum denotatur donationem non eſſe inter viuos, ſed cauſa mortis.*
4 *Veriſimilius eſt, eum qui donauit purè inter viuos, donaturum quoq. fuiſſe vel cauſa mortis, vel per fideicommiſſum, quàm quòd ille, qui donauit cauſa mortis, donaturus etiam eſſet inter viuos.*
5 *Clauſula, omni meliori modo, in donatione quando arguat trãſitum donationis cauſa mortis in donationem inter viuos, & num. 6.*
7 *Clauſula, pro ſe ſuiſq. hæredibus, in donatione cauſa mortis quid operetur.*
8 *Donatio cauſa mortis æquiparatur legatis.*
9 *Regula, quòd pro validitate actus interpretatio ſit facienda, quando non procedat.*
10 *Donatio inter viuos nũquam dici poteſt pura & mera donatio cauſa mortis.*

DECISIO CCCLXIX.

FVit reſolutum ſine difficultate donatio-
nem, de qua agitur, eſſe donationem
cauſa mortis, non autem inter viuos ex ver-
1 bis expreſſis in donatione contentis, † ibi,
titulo puræ ac meræ donationis cauſa mor-
tis, quæ verba qualificãt totam diſpoſitio-
nem, *prout fuit reſolutum in illa Vrbeuetana*
Caſtrorum coram R. P. D. Robuſterio [b] *de*
præſenti Anno, Dec. conſ. 470. num. 6. verſ.
prædictis tamen. Idem in l. fin. num. 20. C.
de pact. Pariſ. cõſ. 16. n. 7. lib. 2. Curt. iun. cõſ.
230. in princ. lib. 3. Iaſ. conſ. 5. col. fin. &
conſ. ſeq. col. 3. lib. 3. Clar. §. donatio. quæſt.
4. Accedit, quòd partes habuerunt hanc
2 donationem pro reuocabili, † cũ fuerit ap-
poſitum pactum in euentum, quòd reuoca-
retur, cenſeretur teſtamentum reuocatum,
quod eſt contra naturam donationis inter
viuos, *l. perfectam. C. de donation. quæ ſub*
mod. Pariſ. conſ. 9. in princ. lib. 3. Præte-
3 rea † fuerunt adhibiti tot teſtes, quot requi-
runtur in donatione cauſa mortis, *l. fin. C.*
de donation. cauſ. mort. Dec. d. conſ. 470. n.
4. Ex quibus ſequitur non poſſe ſuſtineri ex
alio capite quàm eo, de quo actũ eſt, ex quo
donans ſe reſtrinxit, & diſpoſitionem ſuam
limitauit, *Dec. cap. cum ſuper. ad fin. verſ.*
item concluſio. de off. deleg. Rip. in l. 1. §. ſi
quis ita. num. 30. de verb. obligat. Alciat. i-
bid. num. 47. verſ. ſecundo limita. & ita fuit
reſolutum in d. cauſa Vrbeuetana, in qua
longè plures & fortiores cõiecturæ deduce-
bantur, & agebatur de ſuſtinenda donatio-
ne facta inter viuos filio in vim fideicom-
miſſi, quòd facilius ex præſumpta mente
4 donantis permittendum eſſet, † cum ve-
riſimilius ſit, eum, qui purè inter viuos
donauit, donaturum quoque fuiſſe vel cau-
ſa mortis vel per fideicommiſſum, quàm
quòd ille, qui donauit cauſa mortis, do-
naturus etiam eſſet inter viuos, nã qui do-
nat cauſa mortis, mauult habere ipſe, quàm
eum, cui donat. *Inſtit. de donation. in princ.*
Non obſtant deducta in contrarium; Et pri-
5 mo † clauſula, omni meliori modo, quia tũc
operaretur, ſi dictum fuiſſet, donat cauſa
mortis, & omni meliori modo, ſed cum di-
cat, donat omni meliori modo cauſa mor-
tis, illa verba, cauſa mortis, totã diſpoſitio-
6 nem qualificant. Nec obſtat † copula, &,
conſiderata *per Achill. in deciſ. 1. de clau-*
ſul. quia non ponitur inter modos donan-
di,

Præſens deciſio habetur ſ impreſſ. diuerſor. nouiſſim. 544. part. 1.

[b] & idem in alia Vrbeuetana hæreditatis 4. Februarij 1577. coram eod.

di, sed inter qualitates ipsius donationis scilicet sponte ac omni meliori modo; adeo quòd non arguit transitum ad aliam speciē.
7 ✝ Nec obstat clausula pro se, suisq. hæredibus, quia cum respiciat exequutionem, tunc operatur, quando principalis dispositiu sortitur effectum, *vt ex Bald. optimè cōsiderat Dec. in allegat. cons.* 470. *num.* 10. vel si velimus amplecti opinionē Additionatoris, illa verba operantur transmissionem ad instar legatorum, ✝ quibus æquiparatur donatio causa mortis. Nec obstat,
8 ...
9 ✝ quòd pro validitate actus sit faciēda hæc interpretatio, quia restrictio impedit talē interpretationem; maximè cum ad effectū euitandæ captionis non sit admittenda, ex eo quòd in specie captio est reprobata, *Ferlin. d. cap. cum super. num.* 12. *de off. deleg. Rip. d. §. si quis. num.* 32. *& Alciat. num.* 47. Non obstat, quod sit facta ex causa remunerationis, quia in contrariū retorquetur, cum testamentum, propter quod fiebat donatio, esset reuocabile ex sui natura, vt ergo seruetur proportio, talis quoq; esse debet donatio. Non obstat, quod fuerit facta fratri, quia in fortioribus terminis *in illa Vrbeuetana* fuerat facta filio; Non obstant illa verba, puræ ac meræ, quia immo in contrarium maximæ & fortissimæ vrgent, cum sint adiecta donationi causa mortis; vnde excludunt omnem aliam dona-
10 tionis speciem; ✝ nam donatio inter viuos, nunquam diei poterit pura & mera donatio causa mortis. Nec obstat etiā clausula, pleno iure, quia qualificatur à præcedentibus, semper enim repetendum est verbum, donauit causa mortis, & sic cum sua qualitate. Cætera, quæ allegantur ex Doctoribus de transitu vnius speciei in aliam pro actus validitate, procedunt vbi disponens non se restrinxerit; & ideo non faciunt ad propositum casum.

Portuen. Bonorum de Columna.
Die Lunæ 23. Iunij 1578.

DECISIO CCCLXX.

Domini ordinarunt, vt Illustr. Domina Clarix & filiæ non audiantur amplius super clausula, Motu proprio, neque etiā super alijs motiuis positis in decisione illa facta sub die 14. Martij, quia satis est, quòd decisio ex vno capite sustineatur; maximè quia ea, quæ deducuntur contra illā rationem, quòd hic abest omnis dolus, non placent Dominis. Quantum ad resolutionem vltimo factam, ordinarunt vt prædictæ Illustriss. Dominæ denuo audiantur, & dentur etiam præsupposita necessaria super cōtrarietate gratiæ & reliquis. Quantum ad prætensionem Illustr. Dominæ Claricis ratione suæ dotis, Domini habent recognitionem factam in Curia Capitolij pro bona, sed videndum in facto, si adsunt vel nō adsunt alia bona; nam si eius negatio coadiuuatur ex inuentario, partes Illustr. Domini Iulij erunt docere, quod adsint alia bona. Videndum etiam, quomodo se habeant verba pacti respectu bonorum restātium, quia non fuit data eius copia; adeo quòd nihil certi statui potuit super eo. Quātum ad dubium petitum super dote Illustr. Dominæ Iuliæ, Domini ordinarunt, vt detur dubium comprehendēs dotes omnium filiarum; & quia non potest proponi ante vacantias, placeret, vt interim aliqua fieret diligentia super verificatione valoris bonorum; Interim etiam poterunt partes de opportunis dubijs concordare, & in reliquis causa & causæ huiusmodi remissæ fuerunt ad Calendas.

Romana de Gaddis.
Die Veneris 24. Octobris 1578.

SVMMARIVM.

1 *Inuentarium, in quo non adsunt solemnia instrumenti, nempe dies, & subscriptio, & similia, non dicitur legitimum.*
2 *Inuentarium factum cum interuentu iudicis non indiget testium subscriptione.*
3 *Confusa descriptio scripturarum repertarū in sacco in inuentario admittitur, quia præsumēdum est scripturas non fuisse alicuius momenti propter diligentiam, quā præsumitur adhibuisse iudex.*
4 *Creditores certi sunt specialiter citandi in confectione inuentary, nec sufficit generalis citatio; quod nō procedit in absentibus.*
5 *Absentia probatur ex eo, quòd quis est Episcopus, qui de iure communi tenetur in sua Ecclesia residere.*
6 *Regula, quòd probatis extremis præsumatur medium, non procedit, vbi adest alia præsumptio in contrarium.*
7 *Inuētarium præsumitur ritè & rectè factū, si interuenerit tempus sufficiens à die, quo fuit inchoatum, vsque ad diem quo fuit perfectum; maximè si in partibus remotis sit hæreditas.*

DECISIO CCCLXXI.

Fvit dubitatum, An innentarium, de quo agitur, affecerit bo. me. Episcopum Aprutinum: Pro parte Dominorū de Bellhominibus, plura huic inuentario opponebātur, ex quibus prætendebatur non affecisse prædictum Episcopum. Et primo, quia in facto prætendebatur de illo non constare le-
1 gitimè, ✝ cum non adessent solemnia instrumenti, nempe dies & subscriptio & similia, sed hanc obiectionem ex facto bene euacuarunt informantes pro Illustr. Domino Cardinali Cesio, exhibitis manualibus actorū & obligationum, nam in instrumēto additionis, & confectionis inuentarij, notarius re-

tulit se ad inuentariũ, quod post instrumẽtum deputationis actorum pro minoribus describitur, & idem notarius citat originale in manuali obligationum, quòd fuit ostẽsum ponenti ita se habere, & in capite dicti originalis inuentarij adest adnotatio diei 19. Nouẽbris 1544. Quòd verò de subscriptione dicitur, satis videtur tolli hæc obie-
2 ctio propter calorem iudicij, † fuit enim factum cum interuentu iudicis, *Bald. consf. 147. lib. 4. Achill. decis. vnic. de inuentar.* Secundo opponebatur confusa descriptio scripturarum repertarum in quodam sacco siue Armario, sed habuerunt Domini hanc oppositionem pro leui, cum sit præsumendũ has scripturas non fuisse alicuius momenti;
3 nam † pro iudice præsumitur, quòd adhibuerit eam diligentiam, quam adhibere tenetur, *Ias. in l. fin. §. licentia. num.* 4. *C. de iur. deliber.* Tertio opponebatur defectus citationis ex eo, quòd cum Episcopus esset certus creditor descriptus in inuenta-
4 rio, † non sufficiebat generalis citatio, sed fuit per Dominos approbata responsio, quæ datur ex aduerso, quòd absentes non sunt specialiter citandi. *§. fiat igitur. Auth. de*
5 *hared. & Falcid.* † Absentia verò probatur ex eo, quòd erat Episcopus, qui de iure cõmuni tenetur residere in sua Ecclesia; maximè concurrente alia præsumptione validitatis actus. Neq. obstat, quod diceba-
6 tur † probari præsentiam Episcopi de anno 1542. & 1546. quia ex his extremis nõ præsumitur medium, vbi alia adest præsumptio in contrarium, vt de forensi *tradit Alciat. regul. 2. præsumpt. 22. in fin. de præsũpt.* Quarto obijciebatur defectus iurisdictionis: sed fuit dictum, Vicarium in istis habere iurisdictionem, *vt fuit resolutum in vna Romana societatis Valerij Chormadij.* Quinto obijciebatur, non potuisse fieri eo in loco descriptionem omnium bonorum; maximè mobilium alibi existentium, sed hoc quoq. non placuit; quia † cum interuenerit tempus sufficiens à die incohati vsq. ad diem perfecti inuentarij, præsumuntur omnia ritè facta, & potest hoc fieri de iure, quando hæreditas est in remotis partibus, *Bald. consf.* 383. *num.* 7. *lib.* 1. Vltimo dicebatur Thadæum sibi præiudicasse per solutiones post inuentarium factas; sed quia articulus iste non tangit oppugnationem inuentarij, Domini ordinarunt super hoc dari particulariter dubium.

Neapolitana Census.
Die Mercurij 29. Octobris 1578.

SVMMARIVM.

1 *Exceptio solutionis non releuat, si sit obscura & incerta & præsumptiua tantum.*
2 *Ad elidendum plenam probationem debiti, qua oritur ex instrumento publico, solutio allegata debet concludẽter probari.*

DECISIO CCCLXXII.

FVit resolutum per Dominos, sustineri posse exequutionem, nisi mandatum sit limitatum pro sorte principali tantum: Et moti fuerunt principaliter ex eo, quòd respectu fructuum cẽsus, de quo agitur, nulla opus est alia liquidatione, nisi illa, quæ ex ipsomet instrumento colligitur, cum sũma sit certa, & tempus etiam colligatur ex
1 data instrumenti: † Nec exceptio solutionis visa est Dominis talis, quæ releuet, cum sit obscura & incerta, & præsumptiua tantum, verba enim sententiæ non clarè cantant, quòd possessio fuerit penes Iuliam, immo ex natura negocij non poterat penes eam esse alia possessio, quàm exigendi portiones fructuum sibi debitorum pro rata census; & ideo non concludit talis probatio, immo potius facit in contrarium, cum in sententia ipsa cum alijs condemnetur ad fructuum restitutionem; ne-
2 cesse est itaq. † ad elidendum probationem plenam debiti, quæ oritur ex productione instrumenti publici, quòd Reu. Dominus Episcopus melius probet intentionẽ suam, cum allegans solutionem teneatur illam probare concludenter, aliàs succumbit, *vt per Doctor. post Bart. in l. admonendi. num. 50. ff. de iureiurand.*

Prænestina Bonorum.
Die Mercurij 5. Nouembris 1578.

SVMMARIVM.

1 *Scriptura in forma memorialis non probat contra scribentem, neque illum obligat, vt num. 2.*
An autem habeat vim confessionis parte absente facta, vide num. 3.
Vel an faciat adminiculũ probationis, seu præsumptionem, vid. num. 6. & 7.
4 *Contenta in folio simplici, licèt nõ sint obligatoria, probant tamen in fauorem abstẽtis, præsertim de æquitate Canonica, & stante difficultate probationis, & n. 5.*
8 *Adminiculum an sit magnum vel paruum, statur arbitrio Iudicis.*

DECISIO CCCLXXIII.

FVit dubitatum, an sit standũ folio scripto manu Illustr. Domini Iulij Cæsaris Columnæ ad effectum, de quo agitur, nempe ad probandum existentiam, quantitatem, & applicationem reddituum in dicto folio descriptorum; Et quoniam pro parte Illustr. Filiarum non fuit informatum circa applicationem, nempe an sint isti fructus applicandi Ciuitati Prænestinæ, vel Algido, aut Corcollo, fuit circumscriptum hoc caput suo loco discutiendum, & actum tantũmodo de existentia, & quantitate dictorum reddi-

redditruum, & quidem pro parte prædicti Illustr. Domini Iulij Cæsaris dicebatur, fo-
1 lium huiusmodi, † cum sit sine die & causa, & sic in forma simplicis memorialis non probare contra scribentem, allegabatur *Bald. in Rubr. C. de fid. instr. num. 33. in fin. Roman. in l. nuda. num. 7. ff. de Donatio. Iaf. in l. admonendi. num. 81. in fin. de*
2 *iureiurand.* qui volunt, † quod scripturæ simplici in forma memorialis confectæ non statur ad effectum obligandi scribentē: Deducebatur etiam non esse fidem adhibendā huic folio, attento quòd ex multis conuincitur esse erroneum, quod probari prætenditur: tum ex applicatione, cū ea quæ sūt applicanda Algido & Corcollo, applicentur Ciuitati Prænestinæ: tum ex dictis testium circa fructuum existentiam, & collationem folij cum partitis existentibus in libris Castruccij *, & in folio subscripto per Illustr. Dominam Marchionissam; & ideo constito de errore huic folio nullam fidem adhibendam, *ad ea, quæ tradit Aym. conf. 157. num. 8. Parif. conf. 131. n. 34. lib. 1.*
3 Ex aduerso verò deducebatur † huiusmodi folium saltem habere vim confessionis parte absente factæ, *vt per Bald. in Rubr. C. de consist. pec. num. 14. quem sequitur Felin. in cap. 2. num. 29. de fid. instr. & Dec. ibid. num. 19.* saltem vbi scriptura est serio scripta, *vt per Addit. ibidem*, quod videtur dicendum de folio isto attenta qualitate personæ scribentis, & materia subiecta, *idem tenet Aym. de antiq. temp. part. 1. vers. vidimus. num. 27.* & hoc maximè, quia hæc cōfessio principaliter nō emanauit ad obligā-
4 dum confitentem, † contenta enim in folio non sunt obligatoria, quo casu probat etiā in fauorem absentis, *Felin in cap. si cautio. n. 28. de fid. instr. socin. regul. 63. fallent. 17. Affl. decif. 375. num. 4. Gabr. de confess. cōcl. 1. n. 50.* præsertim de æquitate Canonica, *Felin. d. cap. si cautio. num. 27. Socin. vbi supr. Fallent. 10. & Gabr. num. 46. & seq.* ac etiam stāte difficultate probationis, necnon quòd libri redditruum sūt penes Illustr. Dominum Iulium Cæsarem, neq. fuerunt vt prætenditur, omnea integraliter exhibiti, quod probari aiunt ex quibusdam attestationibus in actis productis; Et insuper dicebatur librum, qui hactenus circumlatus fuit, & ostensus Dominis, non esse illum librum magnum Castruccij, de quo testes deponunt, & in pluribus locis adsunt rasuræ, quæ ex inspectione videntur suspectam
5 reddere fidem prædicti libri; & † ideo attēta difficultate probationis, esse fidem adhibendam folio, *argumento eorum quæ tradit Alex. conf. 69. num. 2. lib. 2. Parif. conf. 75. num. 16. lib. 1.* maximè cum veritas dicti folij sit adminiculata ex partitis librorū particularium Factorum, in quibus describuntur redditus Grani, hordei, & reliquorū, ex quibus verificantur pro maiori parte ea, quæ continentur in d. folio sub enumeratione redditruū Ciuitatis Prænestinæ. Et hæc sunt ferè, quæ hinc inde deducebantur: Quibus examinatis fuit per Dominos
6 conclusum, † hoc folium facere aliquod adminiculum probationis contra scribentem, *ad notat. per Abbat. Felin. & alios in d. cap. 2. de fid. instrum.* Neque obstare doctrinam *Bald. in rubr. C. de fid. instrum. num. 33.* quia licèt dicat ex similibus memorialibus non resultare obligationem, quia scriptura non est modus inducendæ obligationis; tamen non negat, immo expressè fa-
7 tetur † inducere præsumptionem obligationis, & sic deseruire ad probandum, licèt non ad obligandum, & ita intelligendi sunt cæteri, qui eum allegant & se-
8 quuntur. † Quantum verò ac quale sit hoc adminiculum, an magnum vel paruum, fuit relictum arbitrio Rotæ declarandum in cōcursu probationum, & hoc, quia licèt esse erroneum prætendatur huiusmodi folium, tamen adhuc de errore isto non constat, donec examinatæ fuerint probationes Illustr. Domini Iulij Cæsaris, & discussum, quibus locis sint applicandi isti redditus, super quibus particulariter dubitabitur.

Portuen. Bonorum de Columna.
Die Lunæ 10. Nouembris 1578.

SVMMARIVM.

1 *Hæres paciscentis non potest venire contra pactum.*
2 *Dicenti extare alia bona, maximè stante inuentario incumbit onus probandi.*
3 *Auth. res quæ. C. Com. de legat. an habeat locum in contractibus inter viuos.*
4 *Prohibitio expressa impedit dominij translationem.*
Idem si cum prohibitione concurrat hypotheca, vt num. 6.
5 *Verba, præmissis exceptis, posita in facultate testandi, tollunt omnem facultatem disponendi de exceptis etiam in vltima voluntate.*

DECISIO CCCLXXIV.

FVit dubitatum, an bona in pacto comprehensa potuerint obligari pro restitutione dotium quondam Illustr. Dominæ Margaritæ Aquauiuæ, & Illustr. Dominæ Claricis; Et quantum ad dotem Dominæ Margaritæ nullo discrepāte resolutum fuit, quòd ex quo constitutio dotis præcesserat pactum, bona omnia cadebant sub hypotheca tatione prædictæ dotis, licèt maiori parti Dominorum placeret, vt existentibus alijs bonis præter ea, quæ in pacto continētur fieret ex illis restitutio, & in supplementum postea fieret ex bonis pacto compre-
1 hensis, † attento quòd Illustris. filię sunt ha-

praesens decisio habetur in impress. di verti. nouiss. 449. part. 2.

hæredes Sciarræ hæredis paciſcentium. *l. cum à matre. C. de rei vindic. & ibi not. gloſ. Bart. Bald. Paul. & Salicet. Bart. in l. fin. §. in computatione. num. 6. C. de iur. deliberan. & ibi Bald. Paul. Alex. & Iaſ. Pinel. in l. 1. C. de bon. matern. part. 3. num.*
2 *79:* † ſed onus docendi extare alia bona, maximè ſtante inuentario, incumbere Illuſtriſſimo Domino Iulio Cæſari, *l. fin. §. licentia, & ibi Iaſ. C. de iur. delib. Alex. cõſ. 55. num. 6. in 1. Dec. 519. num. 7. Curt. ſen. 27. n. 17. Aym. conſ. 19. num. 15.* Tamen reuocatum fuit in dubium, An Illuſtriſs. filiæ teneantur prius agere contra alia bona non comprehenſa in pacto, ex quo in facto fuit deductum Margaritam deceſſiſſe poſt obitum Sciarræ; & ideo filias ſuccedere ei ex propria perſona, non autem mediante perſona ipſius Sciarræ; & ideò fuit ordinatum, vt ſuper hoc videretur, quò pacto factum ſe habeat, quòd ſi exequutio fieri deberet in alijs bonis, taxandus eſſet valor contentorum in inuentario, quæ non videntur aſcendere ad magnam ſummam; nam quod attinet ad Caſale nouum videtur bene ex facto tolli hanc prætenſionem Domini Iulij Cæſaris, attentis inſtrumentis doralibus Iſabellæ, & etiam in eundem euentum Domini haberent rationem fructuum perceptorum, maximè ad effectum ſeparationis, *l. mulier. §. cum proponeretur. ad Trebell. Roman. conſ. 232. in fin.* Quantum ad dotem Illuſtriſs. Dominæ Claricis, Domini pro maiori parte tenuerunt, bona pacto ſubiecta non potuiſſe pro eius reſtitutione obligari attenta anteriori hypotheca vocatorum in pacto, *ad l. aſſiduis. C. qui pot. in*
3 *pign. hab. Oldrad. conſ. 114. in fin.* Nec obſtat *tex. in Auth. res quæ. C. com. de legat.* quia ſecundum communem opinionem illa Auth. non habet locum in contractibus inter viuos, *vt poſt gloſ. dicit Bald. in l. nulla. in fin. C. de iur. dot. & in c. 1. §. donare. in princip. qual. feud. pot. al. alien. Alex. in l. filius fam. §. Diui. num. 10. & ibi Iaſ. num. 32. & Crot. num. 58. Ambr. de Opizon. nu. 52. Loaz. num. 140. de legat. 1. Butr. conſ. 77. num. 2. Socin. conſ. 75. num. 1. lib. 1. Riminald. conſ. 215. n. 12. lib. 1. Aym. cõſ. 19. in fin.* Tamen ſuper veritate huius opinionis pars poterit audiri particulariter ſtantibus ijs, quæ ex aduerſo deducũtur *ex ſententia Paul. de Caſtr. conſ. 80. num. 1. in 1. quem ſequitur Dec. conſ. 519. num. 3. Ambroſ. de Opizon. d. §. Diui. num. 137.* videtur enim hoc caſu militare eadem ratio veriſimilitudinis, quòd pater voluerit eximere bona ſua à neceſſaria obligatione, quam ponderat *Caſtr. d. Auth. res quæ. n. 11.* & ideo tenent multi, etiam quòd non poſſit, quos refert *Roland. conſ. 85. num. 36. lib. 1. Guid. pap. deciſ. 96. per totam, latè Bologn. d. §. Diui. num. 283. Lupus in Rubric. de donation. §. 16. num. 14. verſ. pater.* Retenta tamen priori opinione, Domini
4 dicebant non obſtare, quòd dicitur † eam procedere in prohibitione expreſſa, per quã impeditur dominij translatio, *vt per Iaſ. in d. Auth. num. 25. & in l. filius fam. §. Diui. num. 69. vbi Crott. num. 57. Loaz. num. 140. Socin. iun. num. 151. cum alijs per informantes allegatis*,* nam tenebant hic adeſſe expreſſam prohibitionem, ponderando
5 illa verba, † præmiſſis exceptis, poſita in facultate teſtãdi, quæ videntur tollere omnem difficultatem diſponendi etiam in vltima voluntate. *l. cum Prætor. de iudic. l. quod Labeo. de compenſat. Iaſ. l. 1. de off. eius. num. 80. Dec. num. 48.* Præterea hic adeſſe
6 hypothecam, † propter quam cenſetur prohibita alienatio rei donatæ. *Bart. d. §. Diui. num. 14. Rip. n. 81. Crott. nu. 99.* Et etiã dicebant nos eſſe in donatione, in qua ipſo iure translatum eſt dominium in donatarios. Neque obſtare, quòd pro parte filiarum dicitur pactum eſſe factũ de bonis poſt mortem reſtantibus propter illa verba poſt mortem eorum reſtantia, quia iſte intellectus deſtruit totam diſpoſitionem, cum in ea detur facultas teſtandi & diſponendi de omnibus alijs bonis, præmiſſis exceptis, quę exceptio redderetur vana & ſuperflua, ſi pactum reſtringeretur ad reſtantia; & ideo placebat Dominis intellectus datus per D. Gabrielium, ne inducatur contradictio, *Dec. conſ. 283. num. 4. cum alijs*[a] & poteſt etiam veriſimiliter dici erratum eſſe à notario extendente reſtantia pro reſtantibus, quo caſu referri poſſet abſque aliqua voluntatis & litteræ violatione ad illa verba diſponendi de alijs omnibus bonis &c.

* Alex. in d. §. Diui. sub. n. 30. verſ. 3. limit. Ambroſ. de Opizõ. ſuper. allegatus num. 87. 113. & poſt gloſ. dicit Bald. in l. nulla. in fin. C. de iur. dot. & in c. 1. §. donare. in princ. qualiter olim poter. feud. alien. Soccin. conſ. 78. lib. 1.

a Idem Iaſ. cõſ. 171. col. 2. lib. 2. Alciat. de præſumpt. reg. 2. præſumpt. 16. num. 2.

Romana Pecuniaria.
Die Lunæ 10. Nouembris 1578.

SVMMARIVM.

1 *Socius habens gubernium in ſocietate, ſi accipiat pecunias in depoſitum extra cauſam ſocietatis, non obligat ſocietatem, niſi verſionem pecuniæ probet.*
2 *Ex eo quòd partita non fuerit deſcripta in libris ſocietatis probatur pecunias non fuiſſe verſas in eius cauſam, & num. 5.*
3 *Prohibitus in ſocietate gerere negocia in proprio intelligi debet de negocijs mercantilibus pertinentibus ad illud genus negociationis, quæ exercetur, ſecus eſt, ſi talis prohibitus gerat negocia in proprio de alijs pecunijs extra ſocietatem habitis.*
4 *Ad hoc vt quis dicatur nomine ſocietatis aliquid facere, quæ requirantur, remiſſiuè.*
6 *Quando quis cenſeatur voluiſſe obligare ſocietatem vel procuratorem.*

DE-

DECISIO CCCLXXV.

DOminicus Ghirlãdarius de anno 1561.
inierat quandam societatem mercã-
tilem cum Ioanne Baptista Deti, & in ca-
pitulis societatis cauebatur, vt societas
cantaret sub nomine Dominici Ghirlan-
darij & sociorum; Item quòd signum ipsius
Ghirlandarij esset signum societatis; Item
quòd ipse haberet liberum gubernium &
administrationem dictæ societatis; Item
quòd non posset negocia gerere in proprio;
Item quòd singulis annis teneretur ponere
in saldum omnes scripturas, & leuare bilã-
cium & alia, de quibus in capitulis: Eue-
nit, quòd de anno 1563. quædam Simona
de Campaninis dedit præfato Ghirlanda-
rio in depositum senta 350. & ipse confecit
ei apocam cantantem sub nomine suo tã-
tum, cum signo societatis apposito in mar-
gine ipsius apocæ, in qua fatetur se debi-
torem prædictæ summæ, & promittit se ei
soluturum pro fructibus octo pro quolibet
centenario; deinde lapsu temporis ipse de-
coxit, & factus est non soluendo; hæredes
verò dictæ Simonæ petebant à Ioanne Bap-
tista tanquam socio dictam summam: Fuit
dubitatum, An vigore dictæ apocæ esset
obligata societas: & per Dominos fuit re-
solutum non fuisse obligatam; nam aut præ-
1 tenditur, quòd † Dominicus obligauerit so-
cietatem vti socius, & nõ potest, nisi probe-
tur versio, vt est textus in terminis *in l. iure
societatis. & ibi Bald. pro soc. Alex. cõs. 139. n.
2. vol. 5. & cõs. vlt. n. 10. vol. 7. Dec. cons. 98.
n. 2. Aym. cons. 129. n. 12.* Præterea si vti so-
cius volebat obligare, debebat negocium
nomine societatis gerere, quod cum non
fecerit, non obligauit; negocia enim com-
munia gerebantur sub nomine Dominici &
sociorum, *Anchar. cons. 332. num. 2. Paris.
cons. 93. num. 22. lib. 1.* Quod confirmatur
2 ex facto, † cum huiusmodi partita per eum
non fuerit descripta in libris societatis, quę
coniectura detegit animum ipsius, *l. Nesse-
nius. de negot. gest. Soc. cons. 160. num. 3. lib.
2. Alex. d. cons. vlt. num. 10.* & ex hoc pro-
batur non fuisse versas pecunias in causam
societatis, *Bart. in l. fin. C. de reb. cred.
3 Hercul. de negat. num. 168.* † Nec obstat,
quòd ipse non posset negocia gerere in pro-
prio; & ideo præsumendum sit, quod gesse-
rit nomine societatis, quia capitulum illud
videtur intelligendum de negotijs mercan-
tilibus pertinentibus ad negociationis ge-
nus, quod exercebat, potius quàm de pecu-
nijs mutuo vel in depositum accipiendis:
Præterea illa prohibitio non est præcisa,
quia cauetur, quòd si contrauenerit, vt lu-
crum sit commune societatis, damnum ve-
rò ipsius proprium: Aut prætenditur, quòd
Dominicus obligauerit societatem tanquã
4 administrator, & habens gubernium, † &
non adsunt requisita tradita *in l. 1. §. non
autem, & ibi Bart. & Doct. de exercit. act.
& in l. fin. de instit.* Vltra quòd, vt supra
5 dictum est, † non fuit facta apoca nomine
societatis, pro vt requirebatur, *l. sed & si
pupillus. §. conditio. de instit. act. l. quicun-
que. §. non tamen. eod. tit. Paris. d. cons. 93.
num. 50. lib. 1.* & ex hoc etiã tollitur, quod
dicitur de signo, nam vltra quòd signum
erat ęquiuocum, cum etiam esset proprium
ipsius Dominici, non sufficit ex pluribus
requisitis vnum, si alia desint, sed debent
omnia interuenire, *Tiraquell. de retract.
6 lignar. §. 8. glos. 7. num. 1.* † Nec obstat,
quòd præsumatur Simonam voluisse obli-
gare societatem, prout dicitur de eo, qui
contrahit cum procuratore, *vt per Doctor.
in l. si pupilli. §. 1. de negot. gest.* quia primo
non constat, quòd ipsa habuerit notitiam
huius societatis: Præterea si voluisset socie-
tatem obligare, procurauisset apocam no-
mine societatis; & contrarium procedit,
quando contrahens contrahit cum aliquo
vti procuratore vel socio, vel scit illum esse
talem, vel contrahit in rem, quæ pertineat
ad societatem vel Dominum, & non potest
pertinere ad illum, cum quo contrahit, vel
contrahit sub nomine socij vel procurato-
ris, prout *latè fuit dictum in illa Clusina
Grani* * *de anno præterito coram R. P. Do-
mino Robusterio, & in illis terminis procedit
cons. Dec. 510. in fin. cum alijs allegatis.* [a]
sed neque hæc mens Simonæ multum fa-
ceret, quamuis de ea constaret, cum ratio-
ne formæ non seruatæ non potuerit etiam
volente Dominico socios sub illa forma, &
non data versione, obligare, vt supra dictũ
fuit: Et ex his sublata in contrarium omnia
videntur, quæ pro hæredibus Simonæ fue-
runt deducta. & ita fuit conclusum.

* sub die 13. Iunij 1576.

[a] & hoc ex mente Ang. l. l. eandem. in princ. ff. de duobus reis, iuncta l. fin. de instit. cũ cõtrahẽtes cõfeãt in institore habuisse resp[…] eũdem ad Dñum, & sic ad ipsum hãchũ, vt probatur in §. si igitur. Instit. quod cũ eo. & ita declarat Dec. d. cõs. fil. g[…] in fin.

Veliterna Bonorum.
Die Veneris 14. Nouembris 1578.

SVMMARIVM.

1. *Notorium delictum dicitur probatum per testes deponentes clarè de loco, tempore, & alijs circumstantijs, quæ inducant notorium.*
2. *Notorium delictum non dicitur, quod non est factum coram maiori parte populi; ita quòd sit inexcusabile.*
3. *Simplex diffamatio facit tantum inditium ad inquirendum, non autem probat ad pœnam irrogandam; secus est in diffamatione, quæ æquipollet condemnationi.*
4. *Vna pars alternatiua declarat aliam.*
5. *Bullæ, quæ pœnam irrogant condemnatis intelliguntur de condemnatis propter delictum, & non propter contumaciam.*
6. *Diffamatio, ad hoc vt pœnã irrogare sit apta, debet esse talis, quæ inducat notorium.*
7. *Ad hoc vt diffamatio inducat notorium*

requiritur declaratoria.

8 *Sententia lata in contumaciam ob non paritionem monitorij non potest dici, quòd declaret notorium.*

9 *Sententia lata in contumaciam non parit eum effectum, quem parit, si sit lata ob delictum, cum ei non æquipolleat, nec inducat diffamationem sufficientem.*

10 *Declaratoria requiritur ad inducendum notoriũ, tam in infamia iuris, quàm facti.*

11 *Diffamati accipiuntur pro famosis grassatoribus, qui plura commiserunt homicidia.*

12 *Fama sola non facit delictum notorium.*

DECISIO CCCLXXVI.

præsẽs decisio habetur ĩ impress. diuer sor. nouissim. 525. part. 1.

CVm variæ extent Bullæ Sum. Pontificum contra homicidas confirmatæ à fe.re. Pio V. & in specie in Bulla Pij Secundi caueatur, quòd homicidæ, quorum delictum sit notorium, vel de homicidio infamati seu condemnati, sint ab omnibus actibus legitimis perpetuo suspensi; Fuit dubitatum, An homicidium per quendam Leandrum commissum fuerit taliter notorium, vel ipse taliter de eo fuerit infamatus vt intret dispositio prædictæ bullæ. Et pro
1 parte affirmatiua deducebatur, † homicidium fuisse notoriũ, ex quo per testes probetur, quòd fuerat commissum in loco, qui dicitur Il Pelegrino, in apotheca cuiusdam sartoris ante ipsius banchum de die, præsentibus ibidem pluribus personis, quæ circunstantiæ loci & temporis videntur inducere notorium, *iuxta tradita per Cyn. in l. ea quidem. col. 5. C. de accusation. Boss. in prax. crimin. §. fin. quæst. 9. vers. iam quia. Menoch. de arbitr. lib. 2. centur. 2. casu 166. n. 20. Put. decis. 10. de probat.* Præterea constat etiam de diffamatione ex ijsdem testibus, & ex monitorio ei facto, & sententia contra eum nõ comparentẽ lata, *Bart. in l. turpia. de legat. 1. Angel. de malefic. in verb. vera iniuria. n. 7. Clar. in prax. §. fin. quæst. 6.* Contrariam tamẽ sententiam amplexi sũt Domini, scilicet hic non constare de notorio crimine, nec de sufficienti diffamatione: & primo quãtum ad notorium attinet, dicebãt, quòd licèt per testes probetur delictum, non tamen probari qualitatem illã
2 notorij; nã † ad eius probationẽ requiritur, quòd factũ sit corã maiori parte populi, ita quòd sit inexcusabile, *prout tradunt Archidiac. in c. manifesta. 2. quæst. 1. Salicet. l. ea quidem. num. 66. C. de accusation. Aretin. in cons. 163. n. 3. & 7. Ang. in pract. verb. notorium. §. tertium est. Capr. tit. de notorio. in 2. membr. num. 7. & in 6. membr. num. 12. Franc. in c. peruenit. il primo. nu. 12. de appellat. & ibi Dec. & Præpos. Hyppol. Rubr. de probat. num. 226. Clar. prax. crimin. §. fin. quæst. 9. in princ. Boss. d. tit. quom. proc. in notor. num. 13. Foller. in pract. crim. §. item quod est notorium. Gabr. de crimin. concl. 12. num. 2. & 5.* Quantum verò ad infamationem, dixerunt eam non probari: non enim intelligendæ sunt Bullæ
3 de simplici diffamatione, † quæ regulariter facit indicium tantum ad inquirendum; esset enim absurdum velle, quòd pro tali diffamatione irrogaretur tam rigorosa pœna; sed intelligendæ sunt de diffamatione, quæ æquipollet condemnationi, propter alternatiuam illam positam in Bulla infamati
4 vel condemnati, † cum vna pars alternatiuæ declaret aliam, *l. 1. de reb. dub. Roman.*
5 *cons. 131. num. 2.* maximè, quòd † Bullæ sunt intelligendæ de condemnatis pro delicto, & non propter contumaciam, *vt aliàs fuit coram me resolutũ in illa Ciuitatis Ca-*
6 *stelli donationis.* * & ideo † hæc diffamatio debet esse talis, quæ inducat notorium;
7 † & ideo requiritur declaratoria, *Anchar. cons. 141. Marsil.* [a] *post Ferret. & Cyn. cons. 10. num. 10. plures congerit Gram. voto 3. num. 37.*
8 † Nec potest dici sententiam contra Leandrum latam habere vim huius declaratoriæ, cum sit sententia lata in contumaciam ob non paritionem monitorij; &
9 † ita non parit eum effectum, quem parit sententia lata ob delictum; & ideo non æquipollet ei, nec inducit diffamationem
10 sufficientem: † neque est verum, quòd Doctores requirentes declaratoriam loquantur in infamia iuris tantum, quia ex eorum lectura de contrario apparet, *vt bene facit Ferrett. cons. 31. num. 36. in 1.* Addebat v-
11 nus ex Dominis † diffamatos videri hic accipi pro famosis grassatoribus, qui quam plura commiserunt homicidia, *Boss. de inquisit. n. 32.* Vltimò non obstant testes de
12 fama, † sola enim fama non facit notoriũ, *Rot. de except. decis. 5. num. 3. in nou.* Quare conclusum Bullas non habere locum in casu, de quo agitur.

* die 16. Decemb. 1577.

[a] Marsil. in rubr. ad leg. Corn. de fals. num. 39 & in rubr. de probat. nu. 226. post Ferret. cons. 31. lib. 1.

Bononien. de Budriolis.

Die Veneris 21. Nouembris 1578.

SVMMARIVM.

1 *Iudex nõ potest se fundare super productione verbali tantum, & cuius copia non fuit parti tradita; maximè si eadem pars postea deuenerit ad specialem productionem data copia aliquorum iuriũ, vt n. 3.*

2 *Acta facta in alio iudicio inter easdem partes non probant, nisi producantur.*

4 *Illa tantum pars processus aliàs facti, cuius copia data fuit, dicitur de actis, non autem totus processus.*

5 *Productio scripturarum limitatè facta ad illũ tãtum finẽ, ad quem fit, suffragatur.*

6 *Acta facta in iudicio criminali non probant in ciuili.*

7 *Statutum mandans procedi de plano, & manu Regia, non tollit substantialia iudicij; maximè si in tali casu iudex processerit*

in

in vim commissionis habentis clausulam, prout de iure, vt num. 8.

9 *Iurisdictio Iudicis criminalis dicitur distincta à iurisdictione iudicis ciuilis; maximè in casu, vbi adest specialis cõmissio.*

10 *Iudex non potest moueri ex his, quæ sunt extra acta contra sententiã Abbatis, Felini, & aliorum.*

DECISIO CCCLXXVII.

praesēs decisio habetur i impress. diuer sor. nouissim. 443. part. 2.

DVbitatum fuit, an productio euiusdã processus criminalis facta pro parte Mazzutæ fuerit talis, vt iudex potuerit se in ea fundare respectu omnium contentorũ in dicto processu, & quorum copia non fuit parti tradita, & fuit vnanimiter per Domi-
1 nos conclusum, † talem productionem non fuisse sufficientem; nam cum fuerit verbalis tantum, Iudex non potuit in ea se fundare, *Bart. in Extrauag. Ad reprim. in verb. de plano. num. 3. ad fin. Roman. cons. 156. nu. 3. idem cons. 519. per tot. Dec. in cap. 1. num.*
2 *64. de probation.* † non enim probant acta facta in alio iudicio, etiam inter easdem partes; nisi producantur, *Bart. in l. naturaliter. §. nihil commune. num. 3. de acquir. poss. Alex. in l. 2. in fin. & ibi Curt. iun. n. 108. C. de edend. Matthesillan. singul. 160.*
3 *nota singularem, vbi bona additio*, & † maximè, cum eadem pars postea deuenerit ad specialem productionem, data copia non-
4 nullorum constitutorum: vnde † illa tantũ, quorum copiam dedit, sunt de actis, non autem reliquus processus, *vt post Abbat. Castr. Aretin. Alex. & alios, quos allegat, tenet Pedemont. decis. 1. num. 47. & 50. Ias. in l. sciendum. §. morte. num. 28. de nou. oper. nunc. Aym. cons. 121. in fin. Cagnol. l. 2. n. 125. C. de edend. Socin. iun. cõs. 134. n. 3. lib.* 2. Concurrit etiam hoc casu, quòd in illis copijs notarius testatur reliqua omissa de
5 voluntate producentis, & hoc quia † illa productio fuerat limitatè facta ad effectum probandi bona, de quibus agitur, fuisse in hæreditate testatoris; ideo ad illum tantum finem suffragari debet productio, *Ægyd. decis. 630. Grat. cons. 14. num. 17. lib. 1.* Præterea illa acta non erant facta inter easdem
6 partes, † sed cum procuratore fiscali; ideo non probabant in iudicio ciuili, itaut iudex illis moueri deberet, *Bald. in l. 2. num. 19. & ibi Dec. num. 44. C. de edend. Felin. in c. causam quæ. il primo. num. 18. de testib. Bart. in l. 2. §. hoc edicto. n. 5. de vi bon. rapt. Capie. decis. 107. num. 3.* Non obstat *statutum Bononiæ de arbitr. Potest.* vbi in causis
7 miserabilium personarum † mandatur procedi de plano & manu Regia, quia hoc non tollit substantialia iudicij, *Aretin. in c. dilecti. num. 13. de iud. Bart. in d. verb. de pla-*
8 *no. num. 3. ad fin.* † maximè cum Gubernator hic processerit in vim commissionis habentis clausulã, prout de iure, *Bald. in l. quicunque. num. 13. C. de seru. fugit. Aym. cons. 171. Mohedan. decis. 204. Crescent. decis. 121. cum alijs per informantes allegatis.*[a] Non obstat, quod esset idem Tribunal,
9 quia immo † iurisdictio Auditoris criminalis est distincta à iurisdictione Auditoris ciuilis, *l. solemne. §. latrunculator. de iudic. Crescent. decis. 167.* maximè hic, vbi aderat
10 specialis commissio † & sententia *Abbatis & Felin. in c. Pastoralis. §. quia verò. de off. deleg.* quòd iudex possit moueri ex his, quæ sunt extra acta, non est vera, *vt per Didac. variar. resolut. c. 1. n. 9.* Neque etiam obstat opinio *Guid. pap. decis. 29. quia ibidẽ per Didac. reprobatur sub num. 7. Cassad. decis. 12. num. 8. super regul.* Quibus stantibus, conclusum fuit per Dominos non posse Ægidianam locum habere in proposita facti specie, cum sententia ex eisdem non sit iustificata, & ad eum effectum non potest ex nouiter deductis iustificari, *vt pluries fuit in Rota resolutũ*[a] *per cons. 10. Corn. lib. 4.* & eo minus hodie cum reperiatur illa sententia criminalis lata Bononiæ reuocata hic in curia.

[a] Cyn. in l. illa institutio. de hered instit Io. Andr. ad Specul. tit. § arbitr. §. excipit. Bald. in l. diffamari, sub. n. 6. C. de ingen. & manum. Cur. addit. ad Alex. ad l. vnic. in penul. addit. si cert. pet. idem sentit. glos. in l. pin de. §. notan. in glos. fin. in fin. ad leg. Aquil. facit reg. l. multũ interest. C. si alter. vel sibi. Roman. cons. 44. Crescent. decis. 121.

[a] apræsertĩ fuit dictũ in vna Beneuẽtana notarial 16. Martij 1562. coram Dno Gropper. & i Firmana attentatorum 14. Ian. 1577. coram bon. me. Robust.

Cremonen. Beneficij Iurispatronatus.
Die Veneris 21. Nouembris 1578.

SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus de sui natura est transitoriũ ad hæredes extraneos.*

2 *In dubio censetur semper testator se conformare cum dispositione iuris communis.*

3 *Testator, ex quo non fecit hæreditarium iuspatronatus erectum, non ob id sequitur, quòd voluerit, vt beneficium fiat liberum, & non possit ad hæredes eorum transire, quibus fuerit relictum; licèt eorum familia extinguatur.*

4 *Iuspatronatus, quod non est hæreditarium, transit etiã sine hæreditate in extraneos ex voluntate disponẽtis, ad quẽ pertinet.*

5 *Iuspatronatus relictum familiæ taxatiuè extincta familia extinguitur, quando testator solius familiæ rationem habuit; secus est, si non taxatiuè.*

6 *Familia licèt sit corpus quoddã simile Vniuersitati; tamen in re, quæ pertinet ad familiam, vti familia, datur successio.*

7 *Licèt testator velit, quòd præsentatio ad iuspatronatus relictũ familiæ fiat per duos vel tres de familia, si familia redigatur ad vnum tantum, non ob id extinguitur iuspatronatus.*

8 *Iuspatronatus concessum pro se, filijs & nepotibus, quando ex personis vocatis supersunt aliqui, non potest alienari in extraneos, licèt secus sit, si nulli supersint*

9 *Relictum masculis, etiam quòd nõ adsit dictio taxatiua, includitur tamen in limitatione & taxatione, quando per talem dispositionem fœmina, quæ aliàs ex iuris*

 di-

dispositione admitterentur, sunt exclusæ.

10 *Prouisio hominis non facit cessare prouisionem legis in casu, in quo ab homine non fuit prouisum propter diuersitatem casuum, qui diuersis temporibus accidere possunt; quod etiam procedit, siue prouisio hominis sit de iure communi, siue de iure speciali.*

11 *Iuspatronatus dicitur hodie ius ordinariū; ex quo habet particularem titulum in corpore iuris clausum.*

12 *Prouisio statutaria, licèt contra ius, dicitur ordinaria in loco, vbi viget statutum.*

DECISIO CCCLXXVIII.

*Sub die Veneris 6. Iunij proximè præteriti.

FVir iterū proposita causa super dubio
aliàs resoluto, * an sufficienter constet
de iure patronatus Dominorum de Chil-
solis; Et omnibus, quæ contra decisiones
factas deducuntur, diligenter examinatis,
Domini perstiterūt in ea, in qua prius fue-
1 rant, sententia: Et primo † retinuerunt pro
vera & communi *decisionem Anchar. in al-
legat. cons.* 81. nam idem tenent *Calderin.
in cōs. 4. de iure patronat. Rochus relatus per
Lambertin. de iure patron. lib. 1. part. 2. q. 2.
artic. 5. Cassad. decis. 1. n. 3. de iurepatr. Pa-
ris. cons. 48. num. 11. & 21. lib. 4. Curt. iun.
cons. 257. num. 2. & 323. num. 2. lib. 3. Dec.*
149. *num.* 2. *Didac. variar. lib.* 2. *cap.* 18.
num. 7. Io. Baptista Ferret. cons. 131. *in
fin.* Secundo retinuerunt tanquam indubi-
tabilem conclusionem, quòd materia ista
iuris patronatus de sui natura est transito-
ria etiam ad hæredes extraneos, *vt per glos.
in c. considerandum. 16. quæst. 7. Abb. cap. 1.
de iurepatr. Arct. Card. Imol. & cæteri al-
legati à Didaco loco præallegato. num. 6.* &
2 ideo cum † in dubio semper censeatur te-
stator se cōformare dispositioni iuris com-
munis, tota difficultas præsētis disputatio-
nis eo reducitur, An fundator voluerit re-
stringere iuspatronatus ad illos de familia
de Stephanis, itaut illis deficientibus ex-
tinguatur quoque iuspatronatus, neque ad
eorum hæredes transeat; consideranda er-
go sunt ea, ex quibus informantes conan-
tur elicere huiusmodi voluntatem, an sint
talia, quæ faciant cessare iuris communis
dispositionem: Primo, quia deducitur pro
coniectura voluntatis, quòd fundator no-
luerit hoc ius patronatus transire ad hære-
des patronorum, cum illud non constitue-
rit hæreditariū, non enim filiæ propriæ hæ-
redi institutæ hoc ius patronatus reliquit,
sed familiæ illorum de Stephanis; sed hæc
coniectura non placuit: nam bene ex ea ar-
3 guitur, † iuspatronatus non esse ex sua pri-
mæua creatione hæreditarium; sed nō ideo
sequitur, quòd ad hæredes eorum, quibus
est relictum transire non possit, qualitas
enim illa, quòd sit hæreditarium, facit, vt
non possit transire, nisi cum hæreditate,
*Didac. in c. Raynutius. §. 9. num. 11. de te-
4 stam.* sed † si non est hæreditarium, transit
etiam sine hæreditate ex voluntate dispo-
nentis, ad quem pertinet, alioquin sequere-
tur, quòd relicto iurepatronatus alicui titu
lo particulari, eo extincto extingueretur,
quod est cōtra ipsius iurispatronatus na-
turam, vt supra dictum est. Secundo dedu-
citur pro coniectura satis vrgenti, quòd
5 † iuspatronatus huiusmodi fuit relictum
familiæ, & ideo familia extincta, extinctum
videri, cū testator solius familiæ in hoc re-
licto rationem habuisse videatur: sed huic
coniecturæ fuit aliàs respōsum hanc dispo-
sitionem non posse dici taxatiuè factā, quē-
admodum in simili animaduertit *Paris. cōs.*
48. *num. 6. lib.* 4. sed testatorem prouidis-
se in vnum casum tantum, scilicet existen-
tiæ familiæ de Stephanis, casum verò fami-
liæ deficientis non considerasse; & ideo re-
linquendum hunc casum dispositioni iuris
communis: casum autem istum fuisse omis-
sum probatur *ex traditis per Dec. in cons.*
386. *num. 6. & Ruin. 74. num. 18. lib. 1.*
6 Neque huic responsioni obstat, quòd † fa-
milia sit corpus quoddam simile Vniuersi-
tati, quia immo in re, quæ pertinet ad fa-
miliam, vti familiæ, datur successio, *vt pro-
batur optimè in l. ius sepulchri. C. de relig. &
sumpt. fun. & ibi Castr. & l. familiaris. cū
seq. ff. eod.* In contrarium deducta non ob-
stant *ex Roch. de iurepatr. in verb. in Eccle-
sia. quæst. 7. num. 17. & Lambertin. lib. 1.
part. 2. quæst. 2. artic. 3. num. 2. fol. in nou.*
132. quia dato, quòd in hoc dispositio iuris
Canonici sit contraria dispositioni iuris ci-
uilis, quod tamen non est verum, cum illud
non procedat indistinctè, *vt ibidem videri
potest apud Lambertinum*; tamen non tollit
vim argumenti, scilicet quòd etiam fami-
liæ respectu, eius quod est particulare fami-
liæ, successio detur. Tertia coniectura, quæ
ponderatur, est, quòd fundator præcepit,
vt præsentatio fiat per duos vel tres senio-
res residentes in Ciuitate & Episcopatu
Cremonensi: Vnde cum hæc forma seruari
nō possit, videri extinctum iuspatronatus,
sed hæc coniectura nō est concludens, cum
vt dictum est, ista omnia respiciant casum
à testatore cogitatum, non autem casum
non cogitatum, quod patet ad sensum; nam
7 fingamus, † familiam redactam ad vnicū su-
perstitem ex omnibus, nequaquam tamen
erit extinctum iuspatronatus, ex eo quòd
non possint duo vel tres seniores præsenta-
re, sed penes eum residebit ius omnium, &
cum in eo deficiat prouisio testatoris, sub
intrat prouisio legis, vt in fortioribus ter-
minis *tradit Dec. d. cons. 386. num. 6. vers.
secundo respondetur.* Vltra has coniecturas
non obstant ea, quæ impugnando decisionē
deducuntur: Et Primo, dum Domini ex ad-
uerso scribentes conantur diuersificare ca-
sum

sum Ancharani à casu nostro, ponderando nonnullas circumstantias, quæ ibi aderant; nam licèt in eo themate quædam cócurrât, quæ hic non adsunt; tamen super illis non fuit factum præcipuum fundamentum, sed super regula, quæ habet, quòd prouisio hominis non tollit prouisionem legis, de qua infra dicemus. Secundo non obstat *auctoritas Didaci variar. lib. 2. cap. 18. nu. 10.* vbi improbat Lambertinum volentem, quòd
8 † iuspatronatus concessum pro se, filijs, & nepotibus possit alienari in extraneos; nam loquitur, quādo ex personis vocatis supersunt aliqui non autem si nulli essent superstites. Tertio non obstat *Bald. cons. 400. lib. 2.* quia non minus est contra communem *quàm cons. Gemin. 45.* cui aliàs fuit responsum, & etiam est falsum secundum opinionem Dominorum scribentium, qui illud allegant, cum ipsi fateantur, consilium Ancharani esse in suis terminis verum, cû loquatur de re transitoria ad hæredes extraneos, & allegant *Bart. & Alex. in l. si tibi. §. pactus. de pact. & Dec. cons. 149. col. 1.* Quarto non obstat *Lambert. artic. 2. secund. quæst. princ. 2. part. 1. libr.* quia tractat aliā quæstionem, nempe an quando reseruatur iuspatronatus illis tantum de familia, sit necessarius alius consensus Episcopi; & potius facit in contrarium eius, ad quod allegatur; quia vult, quòd ad hunc effectum debeat adesse dictio taxatiua, prout apparet ex facti propositione in ipsius quæstionis initio, vbi allegat *Bald. in l. 2. C. de in ius vocand. & clarius in artic. 6. n. 7. quicquid dixerit in artic. 4. num. 6.* vbi videtur innuere, quod idem sit, etiam si non adsit dictio taxatiua; sed prædicta opinio est contra communem sententiam. Quinto, quòd dicitur de iure reall & personali, fuit in alia decisione * sublatum; & ideo hic repetere est superfluum. Sexto nō obstat auctoritas *Calder. de iurepatr. cons. 5. quem sequitur Lambertin. loco allegato per informātes,* quia non facit ad præsentem quæstionem, cum loquatur in diuerso casu, quando iuspatronatus à principio à fundante acquiritur nō sibi sed alteri, tunc enim ad eius hæredes pertinere non posse ait Calderinus, quod & verum est, sed non negat, quin transeat ad hæredes eius, cui à principio fuit reseruatū, neque valet consequentia, voluit proprios hæredes excludere, ergo & multo magis hæredes extraneos illorum de Stephanis, quia in eo, quod reliquit Stephanis, exclusa filia, prædilexisse videtur illos; ideo ipsa ex patris voluntate certa & indubitata remanet exclusa, concurrente iuris dispositione, cum nemo id, quod sibi nunquam fuit acquisitū, ad hæredes suos transmittat, hæredes verò eorum; quibus reseruatum fuit iuspatronatus ex iuris dispositione succedunt, cum ipsis neque testatoris voluntas neque legis dispositio obstet. Septimo non obstat, quod
9 dicitur, † relictū masculis, etiam quòd non adsit dictio taxatiua, includere tamē limitationem & taxationem, cum per talem dispositionem fœminæ, quæ aliàs ex iuris dispositione admitterentur, sint exclusæ, ad ea, quæ notant *Alex. & Doctor. in l. Gallus. §. etiam si parente. de lib. & posth. cum alijs allegat.* * & ideo *Lambertinum in d. artic. 4. secund. quæst. princ. quartæ part. libr. 1.* etiam sine taxatiua voluisse, quòd iuspatronatus reseruatū pro se & hæredibus sui sanguinis, non transit ad extraneos, & huic argumento dicunt non fuisse responsum: quia immo fuit in vltima decisione dictum, quòd quatenus talis institutio facta de filijs, vel de masculis importet aliquam taxationē, illa intelligitur, quamdiu aliquis ex dictis filijs vel masculis est superstes, tunc enim verum est, alias personas admitti non posse; sed illis deficientibus subintrat legis dispositio, deferens successionem proximioribus, siue sint masculi siue fœminæ indifferenter, quia limitatio huiusmodi non porrigit se vlterius, quàm sit expressum aduersus regulas iuris communis. Quod autem deducitur *ex Lambertin.* supra fuit sublatum, cum loquatur contra sententiam *Anchar. communiter receptam.* Octauo non obstant allegata cōtra regulam illam,
10 quòd † prouisio hominis non facit cessare prouisionem legis, dum dicitur legis prouisione admittendos fuisse hæredes fundatoris, & tamen eos excludi, *vt per Calderin. d. cons. 5.* quia falsum est, legis dispositione admitti filios fundatoris, qui non sibi sed alij reseruauit iuspatronatus, quod & supra tactum fuit, & licèt talis prouisio hominis faciat, vt prius admittantur illi de familia; tamen non facit, vt illis deficientibus nō reuertamur ad iuris communis prouisionē, cum prouisiones huiusmodi concurrāt circa diuersos casus, & diuersis temporibus; & ideo siue prouisio legis sit de iure cōmuni, siue de iure speciali, ea hoc casu nunquam cessat, *vt post Bart. in l. si eum dotem. solut. matr. bene declarat Alex. cons. 126. num. 6. lib. 5. & Ruin. cons. 74. num. 18. lib. 1. Bellon. cons. 22. num. 3. Bero. in c. Raynutius. num. 238. de testam. Aloys. de Alber. singul. 129.* & ita respondetur auctoritati *Cyn. in l. 2. C. de iur. emphyt.* Eodem pacto tollitur, quod dicitur prouisionem hominis facere cessare extraordinariam prouisionem legis, *vt per Alex. in l. maritus. C. de pro-*
11 *curat.* Præterea † iuspatronatus hodie est ius ordinatium, ex quo habet particularem
12 titulum in corpore iuris clausum, & † prouisio statutaria licèt contra ius, dicitur ordinaria in loco, vbi viget statutum, *Bero. in d. c. Raynutius. num. 238.* Quare conclusum standum esse in decisis.

* sub die 6. Iunij præsentis anni.

* al. ss. in d. §. etiam si parente. nu. 13. Clar. in §. feudum. quæst. 71. vers. quid si in feudo empto. facit tex. in c. Raynaldus de testam. ibi absque filijs masculis. & ibi hoc notat Hostien. & Io. Andr. & per Lutr. cōs. 46. Abb. cōs. 16. vol. 1. Cur. de feud. 1 ɔ part. vbi agit de feudis laicorum, in ea quæstione, An appellatione liberorum veniant nepotes sub nu. 71. Ruin. cōs. 46. num. 14. lib. 1. cū alijs per Cephal. idem dicentē cōs. 430. num. 18.

Ispa-

Ispalen. Iuris nominandi.
Die Lunæ 24. Nouembris 1578.

DECISIO CCCLXXIX.

FVit resolutum dandum esse mandatũ de manutenendo beneficiatis nominandi * seruitores in suis beneficijs Domino Prouisori Archiepiscopatus Ispalensis, & ab eo obtinendi licẽtiam, & prouisionem pro dicto seruitio, quia talis possessio bene probatur per testes examinatos pro beneficiatis, *prout fuit resolutum sub die 30. Aprilis præsentis anni*, qui bene coadiuuantur per testes Illustrissimi Domini Archiepiscopi, nempe primo & tertio; ex quorum depositione colligitur, quòd beneficiati, si præsentes per se, vel absentes per eorum procuratoré nominant idoneos Domino Prouisori, ipse solet nominatis dare licentiam inseruiendi, neq; ex scripturis productis ex aduerso excluditur huiusmodi probatio, quia non excludũt factam fuisse de talibus prouisis nominationem: Vltra quòd potuerunt fieri in absentia beneficiatorum, vel eis minus idoneos præsentantibus: Coadiuuatur etiam talis probatio ex articulo decimo; super quo tamen stantibus ex aduerso deductis non fuisse factum magnum fundamẽtum: An verò ista possessio sit conformis depositioni iuris cõmunis, vel præter, aut contra ius, Domini non examinarunt, quia ad effectum mandati de manutenẽdo, hæc disputatio non erat necessaria, sed illam reseruarunt suis loco & tempore discutiendam

* Manutentio nominandi datur beneficiatis. cũ sint in possessione, vt iam fuit resolutũ 30 April proxime præteriti sub his verbis. Beneficiatos esse in probatis, si solos testes attendamus, sed placet Dominis, vt videatur intra partes admissa.

Toletana Beneficij.
Die Veneris 28. Nouembris 1578.

SVMMARIVM.

1 *Tempus quatuor mensium ad collationem faciendam concessum Ordinarijs collatoribus non currit, nisi à die notitia vacationis habita.*

2 *Quod procedit etiam in beneficijs reseruatis per bullam Pij V. vt num. 2.*

3 *Ignorantia vacationis beneficij ad hoc, vt suffragetur collatori, qui in tempore quatuor mensium non contulit, debet esse verisimilis & probabilis.*

4 *Ex qualitate beneficij, & longitudine temporis vacationis, ignorantia ipsius vacationis à collatore allegata redditur omnino inuerisimilis.*

5 *Diligentia, quando non sunt facta in tempore, nullius sunt momenti.*

DECISIO CCCLXXX.

1 DVbitani, an stante Bulla fel. rec. Pij V. in qua sibi reseruat beneficia curam animarum habentia, & aliàs Sedi Apostolicæ reseruata, ad quæ concursu facto iuxta formam Concilij Tridentini, nemo per Ordinarios fuerit electus, aut intra spatium
quatuor mẽsium à die vacationis notificata ipsi vel successoribus suis, ad quos collatio pertinet, electio huiusmodi obstaret Didaco agenti ad beneficium, de quo agitur, cum vacauerit de mense Februarij 1573. notificatio verò fuerit de mense Septembris 1574. & per Dominos vnanimiter fuit con-
1 clusum, † tempus quatuor mensium non currere; nisi à die habitæ notitiæ vacationis, *c. quia diuersitatem. de concess. præben. c. licèt, & ibi Imol.* * *de suppl. negl. Prælat. Roch. de iurepatr. in verb. honorificum. quæst. 29. Ancharan. & Imol. in c. nos quidem. de testam. Bald. in l. 1. si quis caution. Alex. in l. penult. ff. quis aliq. testar. prohib. Roman. cons. 228. Rota decis. 263. in nou. Io. Andr. & Abb. in c. fin. de iure patr. Teraq. de retract. lign. §. 35. glos. 4. num. 7. cum alijs per informantes allegatis.* Nec obstat *cons. Socin. 108. num. 14. lib. 4. ex aduerso allegatum*, quia Pius Quintus limitat hanc facultatem ad quatuor menses, quæ iã com-
2 petebat Ordinarijs † etiam in beneficijs reseruatis ex dispositione Concilij Tridentini *sess. 24. decret. de reform. c. 18.* Tamen
3 † quia huiusmodi ignorantia debet esse verisimilis & probabilis, dixerunt Domini
4 Bullam obstare Didaco; † cũ allegata ignorãtia sit omninò inuerisimilis, attenta qualitate beneficii, & longitudine temporis vacationis, *Abb. in d. c. quia diuersitatem. nu. 7. de concess. preben. Bald. in l. 1. C. ad Macedon. Grat. respons. 92. num. 26. libr. 1. in terminis Rom. cõs. 481. Achill. de suppl. neglig. Prel. decis. citat.* maximè cum adsit summus scientiæ; qui colligitur ex littera missiua Alphonsi de Torres, quæ est in summario sub num. 2. in illis verbis, quod iã olim obtinere procurauimus in fauorem D. Garziæ Giron, de quo D. Garzia similiter meminit prima notificatio Prouisoris, quæ est sub
5 num. 4. summarii, & ideo † omnes diligentiæ postea factæ nullius sunt momenti, quia non sunt factæ in tempore; Et ideo conclusum contra Didacum.

* In informationibus loc. Imol. habetur Ioannes.

* præsens decis. habetur in impress. diuers. nouiss. 481. part. 2.

Meliten. Præcedentiæ.
Die Veneris 5. Decembris 1578.

SVMMARIVM.

1 *Pro sententia præsumitur; maximè quando est lata parte præsente, licèt ab ea fuerit appellatum. quando appellatio nõ fuit prosequuta; fallit, vt num. 4. 8. & 9.*

2 *Vnicus actus non sufficit pro iustificatione consuetudinis.*

3 *Consuetudo ex his, quæ variè seruata fuerit non inducitur; nisi varietatis certa & determinata causa probetur.*

5 *Rota non admittit præsumptionem sententia, nisi in sententijs valde antiquis, puta centum annorum, & in quibus clara sit obseruantia sententia.*

6 Sen-

6 *Sententia habens tractum successiuum & continuatum, continuò grauat, & continuò mandatur exequutioni.*

7 *Repulsio à iudicio est pars exequutionis sententiæ.*

8 *Præsumptio pro sententia oritur ex acquiescentia partis, aliàs ex contradictione eliditur.*

10 *Præsumptio iuris specialis non habet locum aduersus claram probationem, quæ sumitur ex iure communi.*

11 *Sententia, an sit antiqua, est arbitrariū iudici secundum com. opin. & præsumptio sententiæ, quæ oritur ex antiquitate, facilè per contradictionem eliditur.*

12 *Sententiæ transitus in iudicatum in Rota non attenditur, nisi constet de iustitia.*

13 *Sententia iniusta nunquam transit in iudicatum.*

14 *Obseruantia non pacifica non suffragatur.*

DECISIO CCCLXXXI.

præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 431. part. 1.

FVit dubitatum, an sententia lata de anno 1532. in fauorem Venerabilis linguæ Aragoniæ esset iustificata, vel saltem pro ea esset præsumendum; Et quantum ad caput iustificationis, quia illud poterat intelligi dupliciter, tam respectu rititudinis quàm respectu rectitudinis: Quantum ad rititudinē, aliquibus ex Dominis placebat attenta dispositione *c. 1. de consilio & iudicijs*, ponderando dicti capituli summariū, & rationem generalem in eo positam, quòd facilè pro rititudine præsumi posset; † maximè cum totum negocium gestum sit partibus præsentibus, *ad notat. per Innoc. in c. cum in iure peritus. de off. delegat. Rot. decis.* 301. *in nou.* * *cum alijs cumulatis per Gabr. de senten. concl.* 5. *num.* 16. & licèt appellatum fuerit; tamen postea causa fuit deserta ob non prosequutionem appellationis: sed respectu rectitudinis & iustitię dictę sentētię, Domini pro maiori parte censuerunt sententiam non esse iustificatam; nam ex actis illius iudicij, cum nulla hic extent, nulla potest desumi iustificatio; ex ijs verò iuribus, quæ producta fuerunt hic in Curia per partes, & quæ percutiunt tēpus ante sentētiā, non posse elici iustificationem sufficientem; cum enim intentio prædictæ Ven. linguæ sit probare alternatam præcedentiā, scilicet vt Pilerij seu Baiuliui antiquiores pręcedant recentiores, vtiq; talis intētio ex actis productis non probatur; cum nō solum sit probandum aliquando Drapperium pręcessisse Admiratum, sed etiā, quòd ille Drapperius erat prius creatus Admirato; & ideo Dominis nō placebat id, quod pro parte Ven. linguæ Aragoniæ in suis vltimis memorialibus petebatur, nempe vt separatim viderentur iura pro eius parte facientia, quia cū sententia velit, vt seruetur ordo antiquitatis, vtique ex prædictis iuribus nihil omnino colligi potest, quod præcedentiam hoc modo qualificatam probet; nam licèt in facto aliàs per Dominos firmato dicatur, quòd de anno 1475. adest quoddam vestigiū

* aliàs 9. de probationib.

2 alternatæ præcedentię; tamen † quia est vnicus actus nō sufficit pro iustificatione consuetudinis prætensæ, *ad notat. per Bald. in Rubr. C. quæ sit long. consuetud. in* 2. *quæst. Bart. in l. de quibus. pen. col. vers. quæro iuxta hoc. de legib.* & cum ex iuribus productis pro Ven. lingua Italiæ appareat de pluribus a-

3 ctibus in eius fauorem, vtique † ex his, quæ variè seruata leguntur, non inducitur consuetudo, nisi huius varietatis certa & determinata causa probaretur, *Bald. l. 2. in princ. solut. matr. cū alijs deductis per Aym. cons.* 96. *num.* 5. *Dec. cons.* 11. *num.* 12. Quā-

4 tum verò ad secundam dubij partem, † An pro dicta sententia sit præsumendum, fuit similiter dictum, quòd quamuis regula sit pro lingua Aragoniæ, ex his, quæ tradit *Gabr. tit. de senten. concl.* 5. *per tot.* tamen ex multis concurrentibus, in casu, de quo agitur, non poterat locum habere huiusmodi præsumptio: Et primo propter stylū Ro-

5 tæ, † qui non admittit talem præsumptiuā iustificationem, nisi in sententijs valde antiquis, puta centum annorum, & in quibus clara est obseruantia. Nec obstare, quòd ex aduerso dicitur, hic non agi de exequutio-

6 ne dictæ sententiæ, quia † cum habeat tractum successiuum, & continuatum, continuo grauat, & quotidie mandatur exequu-

7 tioni, † & si repelleremus linguam Italiæ, vtique sententiam exequeremur. Secundo

8 † cessare præsumptionē ex eo, quòd toties fuit reclamatum & protestatum: vnde cum præsumptio, quæ facit pro sententia, potissimum oriatur ex acquiescentia partis, *vt tradunt Doctor. in c. quoniam contra. de probationib.* ea satis ex contradictione videtur elidi. Tertio consideratum fuit, nullum casum accidisse in Insula Melitæ post annū 1532. ex quo possit dici scripturas per Cōmissarios de ordine Consilij visas, fuisse deperditas; & ideo præsumptio hæc non potest fundari in dictis scripturis, cum iā eas partes hic in Curia exhibuerint, quòd si velimus eam fundare in eo, quòd testes potuerunt deponere, vtique in immensum hæc præsumptio erit extendenda, & mirum est, quòd in re tam graui, si fuissent examinati testes, quòd agentes pro Venerab. lingua Aragoniæ non procurauissent eorum dicta in scriptis redigi ad perpetuam rei probationem, cum ex stabilimento hoc facere

9 permissum sit. † Quarto non esse habendam rationē huius præsumptionis ex eo, quòd in cōtrariū adest pro parte Ven. linguæ Italiæ dispositio iuris cōmunis, & generalis cōsuetudo præcedētiæ per alias linguas obseruatæ secundū ordinē *c. 1. de Baiuliuis*, ex quibus Rota aliàs resoluit linguā Italiæ habere fun-

10 fundatam intentionem : & ideo † non esse locum præsumptioni iuris specialis aduersus claram probationem sumptam ex iure communi, *Bald. cap. sicut. in fin. de re iudic. Imol. in l. si quis cum aliter. col. fin. de verb. oblig. cum alijs cumulatis per Gabr. d. concl. 3. num. 35.* Nec obstare sententiæ prædictę
11 antiquitatem, quia † an sententia sit de antiquo, est arbitrarium, prout ex communi Doctorum sententia *tradit Gabr. eod. tit. concl. 4. num. 40.* Præsumptio autem, quæ ex antiquitate oritur, facilè eliditur per cõtradictionem, *veluti fuit resolutum coram me in vna Tudertina bonorum. die 23. Maij*
12 1569. Non obstat † transitus in rem iudicatam, quia in Rota non attenditur, vt supra
13 dictum est; nisi constet de iustitia; & † si sententia fuit iniusta non transiuit in iudicatum: & insuper fuit oppositum de nullitate.
14 † Non obstat etiam obseruantia subsequuta, quia non fuit pacifica, sed pluribus contradictionibus & protestationibus interrupta, prout ex actibus deductis pro lingua Italiæ colligitur, ex quibus per maiorem partem Dominorum conclusum fuit, præsumptionem allegatam non sufficere: si tamen super istis velit Ven. lingua Aragonię audiri, iterum Domini mandarunt, vt audiatur.

Auenionen. Legati.

Die Mercurij 10. Decembris 1578.

SVMMARIVM.

1 *Legatum hæredi factum, postquam rogatus est hæreditatem restituere, nõ venit in restitutionem; secus est si testator mandando restitui hæreditatem, vsus sit verbis praguantissimis, vt puta restituat absq; aliqua retentione, & similibus, vt num. 4.*

2 *Legatum non dicitur reuocatum in secundo testamento, in quo non interuenerũt saltem quinque testes.*

3 *Per secundum testamentum minus solemne non solet reuocari primum solemne in bis, qua non concernunt piam causam, sed contra num. 9.*

5 *Testes, qui non sufficiunt pro reuocatione testamenti, sufficiunt pro illius declaratione.*

6 *Iussus restituere hæreditatem non tenetur restituere prælegata; fallit, quando prælegata totum patrimonium absorbent.*

7 *Testamentum solemne reuocatur per secundam voluntatem testatoris in fauorem filiorum factam, licèt per tres testes tantum de ea constet, etiam quòd primum testamẽtum esset inter liberos vel ad pias causas, secundum magis communem opinionem; maximè quando secunda voluntas est fauorabilior liberis quàm prima.*

8 *Legatum censetur translatum cum suo onere & qualitate.*

DECISIO CCCLXXXII.

DVbitaui, An legatum à Petro de Rieijs in codicillis Venerab. Collegio societatis Iesu relictum deberetur: Facti species hæc proponebatur. Petrus, cui vnica erat filia Francisca nupta Claudio Testardo, odio generis sui, quem vitæ suæ insidiatum fuisse suspicabatur, eandem in tertia parte bonorum iam antea in dotẽ promissorum, & in vigintiquinque scutis auri instituit, In reliquis verò bonis instituit Primicerium & Collegium Doctorũ Vniuersitatis Auenionensis, per quos voluit omnia onera & legata hæreditaria solui, nec non dispo suit, vt medietas fructuum huius portionis daretur Franciscę pro suis occurrentibus necessitatibus; reliqui verò fructus distribuerẽtur inter pauperes CHRISTI: Et in euẽtum, quòd matrimonium filiæ morte viri dissolueretur, & ea secundo nupsisset, & liberos masculos suscepisset voluit hæreditarem ipsius testatoris seu partem, in qua instituti fuerant, totam & absq; aliqua detentione primo filio nascituro per dictos Primicerium & Collegium restitui: Item in dicto testamento prælegauit quendam censum annuum prædictis Primicerio & Collegio pro Concionatore ab eis eligẽdo, quod legatũ postea in codicillis transtulit in prædictam Venerabilem societatem, quæ agebat contra Franciscam pro huius legati assequutione. Ex aduerso prætẽdebat Francisca, quæ mortuo Claudio, secundo nupserat, & filium ex eo susceperat, factum fuisse locum restitutioni; & ideo reuocatas esse omnes institutiones, & legata Collegio Doctorum, & restitutio facta, tam vigore testamenti prædicti, quàm per prætensum testamentum nuncupatiuũ in articulo mortis conditum, in quo tres testes examinati asserebãt testatorem declarasse se odio Generi sui, qui eum veneno occidere tentauerat, primum testamentum condidisse; & ideo si contingeret prædictum Generũ suum sine filijs ex filia sua susceptis ea superstite decedere, velle, quòd tota & integra sua hæreditas filiæ suæ restitueretur, non obstãtibus testamento, & codicillis suis, quę hoc casu non intendebat locum habere; & ideo pro parte Franciscæ concludebatur huiusmodi legatum non deberi, sed reuocatum censeri: sed replicabatur pro Venerab. societate, neque ex euentu conditionis neque per vltimum testamentum reuocatum esse hoc legatum non quidem ex euentu conditionis cum in illum casum testator mandet restitui hæreditatem seu portionem, in qua prædicti Primicerius & Collegium instituti fuerant; & ideo non comprehendi prælegatum, quod in institutione non cõtinetur. Secundo quia prælegatum postea fuerat translatum per codicillos à Primicerio & Colle-

legio in societatem; & ideo locum habere
1 communem sententiam, quòd † quando legatum fit postquam hæres rogatus est restituere hæreditatem, non venit in restitutione, de qua *per Alexan. in l. Marcellus.*
2 *§. quidam. in princ. ad Trebell.* † Neque per secundum testamẽtum reuocatum fuisse legatum, cum non probetur saltem interuenisse quinque testes in vltimo, prout requiritur, *l. hac consultissima. §. si quis autem. C. de testam. Clar. §. testamẽtum. q. 97.* maximè quia in priori testamento fuerat instituta eadẽ testatoris filia in tertia parte, *ad notat. per Alex. & Ias. in d. §. si quis autem. Socin. cons. 229. num. 4. lib. 2. Guliel. Bened. in c. Raynutius. in verb. testamentum. il primo. num. 76. vers. tertio re-*
3 *quiritur.* Secundo, quia testamentum solemne non solet reuocari per minus solemne in ijs, quæ nõ concernunt piam causam, *Abb. cons. 11. col. penult. lib. 1. Socin. d. consil. 229. num. 4. lib. 2. Ias. d. §. si quis. limit. 4. Guliel. Bened. d. verb. testamentum. il primo. num. 77. Tiraq. de priuileg. pia caus. priuileg. 52.* His tamen non obstantibus, causa per me bis proposita, Domini in contrariam sententiam inclinarũt, nempè fuisse reuocatum legatum, de quo agitur, moti fuerunt ex pluribus: Et primo,
4 quia † testator vsus est verbis prægnantissimis, dum voluit restitui totam hæreditatem absque aliqua retentione *glos. in l. decem. de fideicomm. cum cæteris allegat. per Gabriel. ad Trebell. concl. 6. & 7. quibus addi potest. Dec. cons. 597. n. 7. Bero. cons. 81. n. 32. lib. 2.* Secundo, quia constat de voluntate testatoris ex declaratione illa corã testibus vltimo facta, ex qua potest colligi interpretatio verborum & dispositionis testamenti,
5 † dato quòd non valeret talis declaratio in vim vltimi testamenti reuocatorij primi, *Bart. l. 2. nu. 4. de vulg. & pup. Ruin. cons. 98. n. 6. & cons. 16. n. 19. lib. 3. Pedemõt. decis. 101. n. 23.* dicunt enim testes, quòd testator volebat integram hæreditatem filiæ restitui non obstante testamento & codicillis. Tertio, quia si non intelligeremus reuocata legata, vtique redderetur inutilis institutio, cum totius illius portionis, fructus essent in pauperes Christi erogãdi; & ideo licèt † ius-
6 sus restituere hæreditatẽ nõ teneatur restituere prælegata; tamen fallit, vbi prælegata totum patrimonium absorbent, *Alex. d. §. quidam. num. 2. in 4. limitat.* Quarto, quia
7 † cum de voluntate testatoris constet per tres testes, & illa voluntas sit in fauorem filiæ, satis censetur per eam reuocatum testamentum solemne, *vt voluerunt Bald. Castr. Alex. & alij in d. l. hac consultissima. §. ex imperfecto. C. de testam. & licèt Oldrad. consil. 119. & alij citati per Nattam in d. §. ex imperfecto. quæst. 45.* contrarium voluerint, quando prius testamentum est etiam inter liberos, vel ad pias causas; tamen contraria opinio fortè est magis communis, vt colligi potest *ex notat. per Gabr. de testam. conclus. 7.* maximè quando secundum testamentum est fauorabilius liberis, *Roman. consil. 385. Ias. Auth. hoc inter. in 1. limitat. C. de testam. Aym. cons. 143. Socin. iun. consil. 124. num. 33. lib. 1. & 144. num. 57. lib. 2. Natt. in repet. d. Auth. hoc inter. in 1. q. num. 3. Dec. cons. 59. num. 3. Roland. cons. 100. num. 18. in 3. & hanc sententiam sequuta est Rota in vna Terracinensi coram Domino Blanchetto**, quæ hoc casu facilius admitti posse videntur, ex quo in primo testamento filiæ tertia portio relicta, ei iam antea in dotem data fuerat, ita quòd dici potest eam ex primo testamento nihil ferè consequutam fuisse. Quinto, quia non potest dici imperfecta voluntas huiusmodi; nam licèt tres testes tantum de ea deponãt; tamen fuit declaratio facta coram pluribus testibus, ita quòd non potest dici imperfecta ratione numeri testium, & pars offert se, quatenus opus sit, alios examinari curaturã. Et ex his magna ex parte sunt sublata, quæ in contrariũ deducuntur. Nec ob-
8 stat, quòd postea † prælegatũ fuerit per codicillos translatum, quia cẽsetur translatũ cũ suo onere, & qualitate, *l. legatũ sub conditione. de adim. legat.* † Non obstat, quod dicitur de priuilegio piæ causæ, quia contrarium *tradit Paul. de Castr. quem sequitur Barbat. cons. 44. num. 4. lib. 3.* & hoc casu testamentum posterius magis venit ad declarationem, quàm ad reuocationem primi respectu restitutionis iniunctæ; nam interpretari debemus à principio in priore testamento testatorem ita sensisse, & ita cessant, multæ difficultates ex aduerso excitatæ.

* In Roman. seu Terracinen. bonorũ. 6. April. 1576. & est cõmunis opinio de qua per Vasquez. tom. 1. lib. 3. §. 11. limit. 7. n. 65. & §. 21. limit. 12. num. 17.

Romana Census.

Die Mercurij 10. Decembris 1578.

SVMMARIVM.

1 *Habens specialem hypothecam super re nõ potest redire ad generalem; nisi facta prius discussione specialis.*
2 *Agens contra tertium possessorem tenetur probare rem hypothecatam fuisse possessam per debitorem.*
3 *Per solutionem factam à principali debitore extinguitur obligatio fideiussoris, & solutio probatur per confessionem debitoris, vt num. 4.*
5 *Fides, quæ habet relationem ad acta, de quibus non constat, non facit fidem.*
6 *Obligatus in contractu census ad damna & interesse, dicitur etiam obligatus pro censibus decursis, & decurrendis ratione interesse.*
7 *Exceptio discussionis est exceptio dilatoria, & opponi debet ante litem contestatam.*

R 8 Per

8 *Per processum ad vlteriora Iudex censetur reiecisse exceptionem.*
9 *Exceptio discussionis non habet locum in Saluiano Interdicto.*
10 *Rota non solet approbare sententias extra eam latas, nec illis dat exequutionem, nisi gustata prius iustitia sententiæ.*

DECISIO CCCLXXXIII.

præsēs decis. habetur I impress. diuersor. nouissim. 444 part. 1.

FVit dubitatum, an sententiæ latæ in fa-
uorem Venerab. Hospitalis sancti Spi-
ritus, contra D. Ioannem Baptistam de Blā-
chis essent exequendæ; Et pro parte Blan-
chi dicebatur eas non esse exequendas, at-
tenta earum notoria iniustitia, quæ dedu-
cebatur ex pluribus. Primo, quia Vincen-
tius fideiussor Pallonæ non se obligauerat
Buccabellæ pro censibus decursis & decur-
rendis; & ideo non potuisse condemnari
Blanchum possessorem domus, quæ erat
tunc temporis D. Vincentij ad soluendum
1 census decursos. Secundo, quia † Ludoui-
cus habens specialem hypothecam super
domo censuata non poterat redire ad ge-
neralem, nisi facta discussione, ex his quæ
tradunt *Doctor. in l. 2. C. de pign. & hypoth. Bald. in l. prosequutionem, & Auth. hoc si debitor. C. de pign. & hypoth. Natt. consil.*
2 521. Tertio, quia † agens contra tertium
possessorem tenetur probare rem hypothe-
catam fuisse possessam per debitorem, *Bart. in l. rem alienam. num. 6. de pignorat. action. cum alijs,* * sed testes super hac re examina-
tos huiusmodi possessionem non probare.
Quarto, quia prætendebatur constare de
restitutione dictorum scutorum 200. & ideo
3 † solutione extinctam omnem obligatio-
4 nem; solutionem verò probari dicebatur ex
confessione Ludouici probata per Domini-
cum & Iulium, hancq. confessionem suffica-
re ad liberandum, per ea, quæ tradit *Felin. in cap. si cautio. num. 27. de fid. instr. Dec. consil. 163. Paris. 120. num. 4. lib. 1. Socin. iun. cons. 32. num. 18. lib. 2. Put. decis. 2. lib. 2.* Quinto & vltimo ex eo quòd legiti-
mè non constitit de euictione domus cen-
suatæ, cuius euictionis prætextu Ludouicus
habuit recursum aduersus domum ipsius
Blanchi, vti possessam per Vincentium fi-
5 deiussorem, & † fidem productam non face-
re fidem, cum habeat relationem ad acta
Senatoris, de quibus non constat. Hæc
sunt in effectu, quæ pro hac parte contra
sententias deducebantur. Quibus non ob-
stantibus, in contrariam sententiam itum
est. Et primo non obstare, quòd Vincen-
tius non se obligauerit de soluendis censi-
6 bus, quia † cum obligarit se ad damna &
interesse potuerunt peti census decursi &
decurrendi ratione interesse, cum istud sit
interesse ex sui natura certum & liquidum.
7 Secundo non obstare, quòd nulla facta di-
scussione non possit Ludouicus agere con-
tra tertium possessorem; tum quia ista ex-
ceptio est dilatoria; & ideo debet opponi
ante litem contestatam, *Aretin. §. in fraudem.* [a] *col. 4. versic. aduertas. de actionib. Negusant. de pignor. primo membr. 8. part. num. 34. Alexand. consil. 32. & 34. lib. 4. Gabr. de fideiuss. conclus. 1. num. 12.* tum
8 quia si fuit opposita, & † iudex nihilomi-
nus processit, censetur hanc reiecisse per
processum ad vlteriora, *Castr. in l. fin. col. 2. si cert. pet. Corn. consil. 85. lib. 4. col. penult. Gabr. vbi supra conclus. 1. num. 57.* & ideo
necessarium erat appellare, *vt fuit aliàs coram me decisum in vna Romana domus 29. Martij 1574.* potest etiam dici ex sen-
9 tentia *Socin. consil. 80. col. 2. vol. 3.* † hanc
exceptionem non habere locum in Saluia-
no interdicto, quamuis Natta supra citatus
eam confutet. Tertia obiectio quoque sub-
lata est ex lectura duorum testium Petri &
Sertorij pro Ludouico examinatorum, qui
bene probant possessam fuisse domum per
Vincentium, quod sufficit, cum obligaue-
rit bona tā præsentia quàm futura. Quar-
ta quoque oppositio non placuit, quia non
est concludenter probata, nec dicta testium
super confessione Ludouici concludebant;
maximè stantibus circunstantijs facti, cum
nullibi appareat de noua census constitu-
tione, nec de prioris cassatione, nec est ve-
risimile virum senem & cautum fuisse ita
contracturum, vt ex aduerso prætenditur,
& depositio Christinæ Pallonæ videtur op-
timè declarare, quomodo factum se habue-
rit. Quinta obiectio, quòd non constite-
rit legitimè de euictione domus censuatæ
fecit subsistare Dominos, quia licèt adsit
fides in actis, tamen ex ea non constat de
iustitia sententiæ Capitolinæ; & ex quo
10 † Rota non solet approbare sententias ex-
tra eam latas, si hæc causa esset Rotalis,
non daret exequutionem sententijs, nisi
gustata aliqualiter iustitia sententiæ latæ
in Capitolio, per quam fuit euicta illa
domus; nam si bene fuit euicta, res vide-
tur clara, & deueniendum ad exequutio-
nem sententiarum pro Venerab. Hospita-
li latarum.

* Idē Bart. in l. cum res. in fin. C. quę res pign. oblig. nō poss. rem enim alienā pignori oblīgare nemo potest, l. aliena res. ff. de pign. action.

[a] aliàs §. & quis in fraudem. n. 1.

Fanentina Bonorum.
Die Lunæ 15. Decembris 1578.

SVMMARIVM.

1 *Connexum diuersimodè accipitur.*
2 *Ex vsu alicuius partitæ libri, non sequitur, nec resultat approbatio totius libri; secus in libris retentis per aliquem officialem, ratione officij, & num. 4.*
3 *Fides, quæ adhibetur libris, est indiuidua.*

DECISIO CCCLXXXIV.

FVit resolutum probari vsum. partita-
rum per RR. Dominos Canonicos pro-
ducta-

ductarum; ideo illis & etiam connexis fidem adhibendam, quæ verò sint connexæ,
1 erit videndum, quia † connexum quid diuersimodè dicitur, *vt per Menoch. de arbitr. cas. 95.* sed semota connexitate, an
2 † ex tali vsu resultet approbatio totius libri, Domini erant in sententia, quòd non, *ex traditis latè per eundem Menoch. cas. 93. num. 7.* Nec obstat, quòd fides sit indiuidua; quia hoc procedit † in instrumentis, & in libris retentis per aliquem officialem, & scriptis ab eo, quia ratione officij fides eis solet adhiberi.

Romana Hæreditatis.
Die Veneris 19. Decembris 1578.

SVMMARIVM.

1 *Exequutio facta post inhibitionem est attentata, & reuocari debet, si non est facta vigore obligationis Cameralis propter priuilegium Auditoris Cameræ.*
2 *Legitima peti potest super vnaquaque re.*
3 *Exequutio facta super re, de qua adhuc non constat, an in ea ius aliquod debitori competat, sed de hoc prius videri debet, antequam fiat exequutio, propter præposterationem sustineri non potest.*

DECISIO CCCLXXXV.

1 Domini dixerunt, † exequutionem esse attentatam, & ideo reuocandam, cum fuerit facta post inhibitionem Rotalem; nisi facta fuerit vigore obligationis Cameralis, quia propter priuilegium Auditoris Cameræ sustineretur respectu Sanctij; nisi obstet ei, quòd fuit iam iudicatum, Vineam non fuisse in hæreditate Antoniæ; sed cum fuerit ab illa sententia appellatum, & specialiter fuerit in obligatione hypothecata Vinea; esset videndum, An adhuc sustineatur exequutio: respectu verò Simonis Aromatarij exequutio est reuocanda, quia facta super re ad Antoniam non spectante; nisi ostendat aliquod speciale priuilegium Aromatariorum, de quo tamen adhuc nihil apparet. Neque obstat, quòd Antoniæ deberetur legitima in hac vinea, quia ex aduerso dicitur apparere ex testamento Michaelis, quòd aderant alia bona, ex quibus mater potuit de-
2 trahere legitimam; sed quia † hæc legitima potest peti super vnaquaque re, ista responsio fortasse non concluderet, nisi probaretur plenè, quòd mater ex alijs bonis consequuta fuerit legitimam & Trebellia-
3 nicam; sed interim † exequutio non potest sustineri propter præposterationem, prius enim de his cognoscendum est, quàm eo nomine fiat exequutio.

Romana de Gaddis.
Die Veneris 19. Decembris 1578.

SVMMARIVM.

1 *Quis non tenetur ad exhibitionem librorum, quos non constat quòd penes ipsum sint.*

DECISIO CCCLXXXVI.

Quantum ad dubium, Domini dixerunt solutiones non præiudicasse Thadeo, *per text. in terminis. in l. fin. §. & si præfatam. C. de iur. delib.* Quantum ad oppositiones pro parte Roderici factas; Et primo respectu testium, dictum fuit, quòd cum commissio sit limitata ad notoriam iniustitiam, non debent admitti nouæ probationes; maximè cum fides exhibitæ non concludant de tempore inuentarij: nec est verum, quòd pro parte Cardinalis fuerint instificatæ sententiæ ex nouiter deductis; nam exhibitio originalis inuentarij fuit ad tollendas disputationes,
1 non autem quòd esset necessaria: † respectu verò petitionis exhibitionis librorum, fuit dictum * Cardinalem non teneri, cum non constet, quòd sint penes ipsum, & in omnem euentum hoc esset cõtra formam commissionis, quæ est limitata ad notoriam iniustitiam ex ijsdem actis.

* sub die Lunæ 26. Maij proxime præteritis anni per hæc verba Pro. Illustriss. Cardinali nẽpe nõ teneri ad exhibitionẽ librorũ, cũ non cõstet, quòd sint penes ipsum.

Fauentina Prætensi Spolij.
Die Veneris 9. Ianuarij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Cadenti facto suo à possessione non competit actio spolij.*
2 *Cedens contra cessionarium non agit spolio.*
3 *Fideicommissarius non potest occupare bona fideicommissi, nisi facta sit verbalis restitutio, per quam grauatus ceciderit à possessione, & per totam.*

DECISIO CCCLXXXVII.

Restringatur, an ex dictis testium probetur talis restitutio, per quam Camilla desierit possidere, vel dederit auctoritatem Pasijs capiendi possessionem propria auctoritate, quia ex hac potissimum inspectione pendet decisio istius causæ; si enim verbalis restitutio talis fuit, vt Camilla ceciderit à possessione, vel dederit licentiam ingrediendi propria auctoritate,
1 † vtique non competit actio spolij, quia facto suo cecidisse apparebit; neque forte tunc releuabit, quòd perstiterit in possessione post dictam restitutionem, quia potuit hoc facere ad commodũ fideicommis-
2 sariorum, & † cedens non agit spolio con-
3 tra cessionarium: † Si verò verbalis restitutio non esset talis, vtique non potuissent fideicommissarij propria auctoritate occupare bona non vacantia, vt videntur tra-

dere *Zuccard. in l. fin. C. de edict. diu. Adr. num. 205. & 206. & 418. & Sapia ibidem num. 50.*

Lamaeen. Administrationis.
Die Lunæ 12. Ianuarij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Breue non emanatum ad alicuius petitionem non potest de subreptione redargui.*
2 *Verbum, intelleximus, in Breue non refertur ad partem, sicut dicitur de clausula vt asseritur, quæ non refertur ad partem, vt num. seq.*
4 *Sententia lata præsente procuratore partis, de cuius mandato constat in actis, non potest redargui de defectu citationis.*
5 *Incapacitas administratoris est legitima causa petendi à Papa mutationem dispositionis, vt est in Fratribus Minoribus de Obseruantia.*
6 *Dictio, huiusmodi, refertur ad omnia, de quibus supra est facta mentio.*

DECISIO CCCLXXXVIII.

Dubitaui, An sententia siue decretum, quod emanauit in fauorem Monialium de Monchique, sit confirmandum vel reuocandum, & pro parte Andreæ opponebatur, quòd Breue fel. record. Pij Quinti, cuius vigore fuerat factum decretum erat subreptitium, ex multis in informatione facti deductis: præterea sententiam fuisse nullam ex defectu citationis. His tamen non obstantibus, Domini contrarium censuerunt; Et quòd attinet ad priorem
1 obiectionem, dixerunt † non posse opponi de subreptione, cum Breue non emanarit ad alicuius petitionem, vt ex lectura appa-
2 ret; & † verbum, intelleximus, non est re-
3 ferendum ad partem, † quemadmodum dicitur de clausula, vt asseritur, *vt per Rot. decis. 60. de rescript. in antiq. Bisignet. 6. de præbend. Cassad. 4. de prob. num. 9.* ideo nihil est per ipsam partem verificandum. Quantum ad secundam obiectionem fuit dictum, quòd citatio non erat necessaria in actu distributionis, & assignationis, quia forma illa, vocatis vocandis, respicit tantum priorem partem Breuis, vbi Papa mãdat, vt fiat indicatio, notificatio, & specificatio bonorum relictorum, ad hunc enim effectum erant citandi Administratores: Præterea dato quòd requireretur citatio,
4 satis est, † quòd sententia lata fuit præsente procuratore Andreæ, de cuius mandato constat in actis, quicquid ex aduerso dicatur, *Cassad. de Iudic. decis. 2. num. 3.* Quantum ad potestatem Papæ super mutatione huius dispositionis, non fuit dubitatum, & maximè mouit Dominos, quòd si ex hac mutatione fit aliquod præiudicium alicui, vtique fit Fratribus Minoribus de Obseruantia, qui non solum non reclamant, sed etiam consentiunt, cum fuerit facta distributio cum interuentu Ministri Generalis; Andreæ verò nullum omnino infertur præiudicium; & ideo non est cur ipse con-
5 queratur, & † mutatio ex legitima causa facta est, nempe incapacitatis Fratrum, *Clem. exiui. §. cumq. annui redditus. de verb. signif.* * *& ibi Card. num. 13. & Anchar. num. 14. Feder. de Sen. cons. 12. Gemin. cons. 40. cum alijs per Dominum Moschenium deductis.* ª Vnum tamen fuit per Dominos excitatum dubium, quòd sententia videtur lata contra formam Breuis in ea parte, in qua dantur annuatim tot regalia pro eleemosynis, missis, & cera, & oleum pro lampadibus, nec non triticum Monasterio de Ferrania, cum in Breui Papa mandet, vt prius assignetur portio pro fabrica & ornamentis Ecclesiæ de Ferrania, & residuum distribuatur pro necessitatibus aliorum Monasteriorum Monialium, sed si bene perpendantur verba Breuis, vtique Papa non assignat residuum pro alijs monasterijs exclusiuè ad monasterium de Ferrania, sed vtitur verbis, quæ & hoc ipsum monasterium comprehendere videntur; ibi, attentis singulorum monasteriorum & do-
6 morum huiusmodi necessitatibus, † dictio enim, huiusmodi, refertur ad omnia monasteria, de quibus supra fuerat facta mentio. Alia etiam circa hoc fuit mota difficultas, quòd si Papa propter incapacitatem commutauit huiusmodi dispositionem, vtique eundem scopulum impegisse videtur Illustrissimus exequutor, qui in distributione assignat tot regalia, de quibus supra, nec non oleum, & triticum monasterio de Ferrania, super qua difficultate videndum est, quid pars, quæ pro confirmatione sententiæ instat, respondeat.

[Margin notes: præsens decis. habetur i im press. diuers. nouiss. 447. part. 1. — * & ibi glo. I verb. annui. — ª Bart. in l. legatum. ff. de cap. dimin. cũ multis alijs deductis per Alex. in l. si Stichum. §. stipulatio. in fi. de verb. oblig.]

Romana Societatis.
Die Veneris 23. Ianuarij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Resignationes factæ in fauorem habent tacitam conditionem, si ius resignatario acquiratur, aliàs ius à resignante non abdicatur; hoc tamen declaratur procedere in beneficialibus tantum, vt num. 9.*
2 *Resignanti officium, si nulla sequatur admissio, an competat repetitio, & num. 3.*
4 *Resignationes beneficiorum & cessiones officiorum inter se valde differunt, & num. 9.*
5 *In beneficialibus necessaria est superioris auctoritas in resignationibus, sine qua resignatarij admissio non tenet; secus est in officijs.*
6 *Officia Romanæ curiæ ferè æquiparantur bonis patrimonialibus.*
7 *Officia in legitimam computantur.*

8 *Emens*

9 *Emens titulum officij notariatus Rota, si non approbatus sit ab Auditore suo, vel à Collegio; non ideo retractatur venditio iam perfecta, sed cogitur alteri vendere, qui sit idoneus.*

10 *Exemplis non est iudicandum.*

11 *Societas officij semel extincta reuiuiscere non potest.*

DECISIO CCCLXXXIX.

FVit inita quædam societas inter Claramundum & Indellum scutorum centũ
super eiusdem Indelli officio proxenetæ Ripæ sub periculo vitæ Horatij nepotis dicti
Claramundi, & eodem die reperitur facta
cessio eiusdem officij coram notario & testibus in D. Curtium Telanum præsentem
& acceptantem ex causa cuiusdam sui crediti, cum expressione quòd ipse non intendebat exercere officium huiusmodi, sed acceptabat illud animo vendendi, quatenus
opus esset, cum pactis latius in dicto instrumento contentis; & ideo non curauit habere approbationem à Collegio Proxenetarum, neque litteras patentes, quæ solent
expediri per Illustrissimum D. Camerariũ.
Obijt postea prædictus Horatius, per cuius obitum Indellus prætendebat se lucratum fuisse societatem. Ex aduerso Claramundus habita notitia venditionis prætendebat ex tunc dissolutam fuisse societatem:
cumq. extra Rotam litigaretur, de ordine
Sanctissimi proposui in Rota dubium, An
Indellus lucratus fuerit pecunias per obitum Horatij, vel potius censeretur societas per cessionem dissoluta; Et pro parte
dicti Indelli deducebatur, quòd licèt per
Motũ proprium fel. rec. Pij Quinti sit concessa facultas Proxenetis resignandi & cedendi officia prædicta in fauorem cuiuscũque personæ coram notario & duobus testibus; hanc tamen facultatem esse limitatam, & restrictam, dummodo huiusmodi
cessiones fiant personis idoneis, & à Collegio Proxenetarum approbatis vel approbandis, & teneantur litteras patentes à
S. R. E. Camerario recipere, easq. registrari facere in Camera Apostolica solutis scutis vigintiquinque auri Camerario, & voo
iocali sex ducatorum pro recognitione Cameræ Apostolicæ, quæ cum non fuerint obseruata, ius penes Indellum remansisse, quia
1 † resignationes in fauorem habent tacitam
conditionem, si ius illi acquiratur, *Io. Paul. decis.* 102. *Fab.* 37. *Mohedan.* 83. *Put.* 7.
& 10. *de renunciat.* Præterea ipsam cessionem non admissam per superiorem nullum
ius tribuisse, *ad decis. Put.* 94. *in vna Calaguritana. lib.* 2. & consequenter ius ab ipso Indello abdicatum non fuisse, *Ang. in l. auus. in fin. de pact. Put. d. decis.* 94. maximè quia post huiusmodi cessionem ipse
perseuerauit in officij prædicti exercitio.
Confirmabatur prædicta ratio ex dispositione Motus proprij, in quo adest decretum
irritans omnes collationes & concessiones
factas personis non approbatis vel appro-
2 bandis; & ideo † dari dicti officij repetitionem Indello, *vt per Cassad. de renunciat. decis.* 2. *num.* 4. & allegabatur, ita fuisse
obseruatum in Camera Apostolica, de mandato Sanctissimi D. N. in vacatione cuiusdam officij similis per obitum Alphonsi Zamorræ, qui resignauerat coram notario &
testibus Alphonso Balisterio, nulla sequuta
admissione. In contrarium pro Claramũ-
3 do deducebatur, † societatem cesso officio dissolutam fuisse, *l. verum, §. vlt. l. actione. §. morte. pro soc. cum similibus*, eãque cessionem validè fieri potuisse coram
notario & duobus testibus iuxta formam
Motus proprij; ideo sine superioris admissione tenuisse. Nec obstare, quòd sequuta
non fuerit admissio & expeditæ litteræ patentes, quia hoc respicit potius exercitiũ,
quàm proprietatẽ; nam simul stare possunt,
& quòd proprietas sit penes cessionariũ, &
quòd exercere non possit nisi præcedente
admissione & approbatione; & ideo nihil
obesse ad effectum, de quo agitur, quòd sequuta non fuerit admissio; maximè cum in
ipsa cessione Telanus declarauerit se nolle
dictum officium exercere: Et hæc sententia
4 Dominis pro maiori parte placuit; † constituebant enim magnam differentiam inter resignationes beneficiorum, & cessiones
5 officiorum; nam † in beneficialibus, quia
beneficiorum Ecclesiasticorum nullum est
commercium, necessaria est omnino superioris auctoritas; sine qua nec admissio quidem tenet, *vt not. in cap. quod in dubijs. & in cap. fin. de renunciat. Rot.* 4. *de renunciat. in nou.* respectu verò officiorum aliud est,
6 eorum namque est commercium, cum † forè æquiparentur bonis patrimonialibus;
7 adeo vt † etiam in legitimam computentur, *vt fuit resolutum aliàs coram me in vna Romana diuisionis de Pratetis*,[a] & ideo simplex renunciatio teneret in præiudicium a sub die 17. Aprilis 1570.
renuncianti etiam sine admissione; & licèt
non acquirantur cessionario, quando est in
fauorem certæ personæ sine admissione, hoc
videtur introductum ratione interesse Principis, cuius interest scire, in cuius personã
resideat officium, propter eam vacationem, quæ contingere posset per obitum,
& propter alia emolumenta, quæ ex admissione proueniunt; sed licèt hoc sit regulare in alijs officijs; tamen in eo, de quo
agitur, est specialiter prouisum, vt cessiones coram notario & duobus testibus factæ teneant; & ideo cessat huiusmodi obiectio, quòd ius non acquiratur cessionario
nisi sequuta admissione; redderetur enim
hoc pacto elusoria huiusmodi facultas; ideo
ne contrarietatem contineat, dicendum

est illa decreta respicere ius exercendi, non autem ipsā officij proprietatem, vel respicere eas collationes tantum, quæ fiunt de vacantibus per obitum, quod suadetur ex eo, quòd in decreto apponitur clausula, reseruata dictis Proxenetis facultate resignandi, vt supra, quæ verba arguunt, circa resignationes nihil Papam immutare voluisse, & ratio differentiæ valde probabilis est, quia potest cessionarius, si sit minus idoneus, itaur obtinere non possit se admitti, officium alteri vendere, quod quotidie in officijs notariorum Rotæ practi-
8 catur; + si quis enim emit titulum officij, qui non approbetur ab Auditore suo, vel à Collegio, non ideo retractatur vendirio iam perfecta, sed cogitur alij vendere, qui sit idoneus; & ideo non sine misterio annullantur concessiones & collationes non autem resignationes in supradicto decre-
9 to. Non obstat, quòd dicitur + in resignationibus in fauorem ius non abdicari à resignante, nisi quæratur resignatario, quia illud procedit in beneficialibus, ex eo quòd solet apponi clausula, non alias &c. vel etiam non apposita subintelligitur ex præsumpta mente resignantis, qui aliàs non erat dimissurus beneficium, sed in venditione officiorum, vendens vel dans insolutum nihil aliud quærit, quàm vel rei pretium, vel debiti liberationem, & parum solicitus est, an cessionarius sit, vel non sit admittendus: neque cessionarij interesse haberi potest in consideratione, cum nihil ipse deperdat ob facultatem, quam habet alteri cedendi; & ideo magna est differentia, vt dictum est, inter beneficia & officia. Non obstat, quòd Indellus perseuerauit in exercitio, quia fuit postea inhibitus, postquam cessio venit ad notitiam Proxenetarum; sed neque hoc facit, quò minus cessio fuerit valida, cum nihil commune habeat possessio cum proprietate, *l. naturaliter. §. nihil commune. de acquiren. possess.* Non obstat, quòd fuerit in contrarium iudicatum in Camera Apo-
10 stolica; quia præter quam quòd + exemplis non est iudicandum, casus ille potuit habere particularem rationem, ex eo quòd cum Zamorra infirmus resignasset, & recuperata valetudine continuasset in officio, videtur, quodammodo recessum ab ea resignatione facta timore mortis, vt in simili dicitur de donatione causa mortis, *Instit. de donation. in princip.* & sic facta fuit retrocessio, sed in casu proposito, dato quòd censeretur facta retrocessio, hoc
11 nihil prodesset Indello; + nam societas extincta reuiuiscere non potuit. Neque obstat si diceretur hoc pacto facilè posse eludi & defraudari Principem, quia dato quòd res ita se haberet, sibi ipsi imputandum esset, qui talem facultatem resignandi coram notario & testibus concessit: sed verius est eas tantum resignationes, quæ in fraudem factæ deprehenderentur irritas fore, non eas, quæ ex causa necessaria, qualis est ista, fierent, causa autem adeo erat necessaria, vt obtenta sit facultas à Sanctissimo Domino Nostro subhastandi huiusmodi officium. Præterea non esset absurdum dicere, multa tenere in præiudicium proprium, quæ non tenent in præiudicium superioris, vt colligi potest *ex notat. per Abb. in cap. ex ore. num. 10. & 11. de his quæ fi. à maior. par. Cap.* Ex quibus conclusum pro Claramundo contra Indellum.

Lucana Beneficiorum.

Die Veneris 30. Ianuarij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Ad effectum validitatis regressus non est necesse, quòd cedens habeat bonum ius, nec illud tenetur iustificare.*

2 *Procurator excedens fines mandati in resignando, nulliter resignat.*

3 *Dans de inualiditate consensus in resignatione contra Papa attestationem de ipso consensu in litteris expeditis, debet intentionem suam concludenter probare.*

4 *Aliud est, quòd pensio solui debeat litteris non expeditis, & aliud quod habeantur pro legitimè expeditis & intimatis.*

DECISIO CCCXC.

Fvit per Dominos vnanimiter resolutum pro validitate regressus Iacobi ex
1 pluribus; Primo quia + ad effectum validitatis dicti regressus non est necessarium, quòd Iacobus cedens haberet bonum ius, nec tenetur illud iustificare, *Tholom. decis. 25. Cæsaraugustana Archipresbyteratus de Darocca*; maximè quando acceptans resignationem, & consentiens regressui habet bonum ius, quemadmodum in casu proposito, in quo Iacobus resignat in fauorem Laurentij, qui prius in eius fa-
2 uorem resignauerat, licèt nulliter; + ex quo procurator secundum intentionem Arnolphini excesserat fines mandati, *Puteo. decis. 189. in vna Ispalensi de Carmona. lib. 1. Mohedan. decis. 110. vtrum consen-*
3 *sus.* Secundo quia + cum in litteris expeditis Papa attestetur de consensu expresso Laurentij, sine quo litteræ non fuissent expeditæ, qui dat de inualiditate dicti consensus debet intentionem suam concludenter probare; sed huiusmodi. probatio non elicitur concludenter ex mandato per Arnolphinum producto, quia potuit adesse aliud mandatum, & cum non fuerit præfixus terminus ad docendum de alię

man-

mandato, non constat de negatiua. Tertio quia dato quòd hoc sit mandatum, cuius vigore fuit præstitus consensus; tamen
4 adhuc sustinetur resignatio, † quia non fuit præcisum ad hoc, vt solui debeat pensio litteris non expeditis, sed vt haberentur pro legitimè expeditis, & intimatis, quod probatur ex eo, quòd in dicto mandato dicitur ad consentiendum pensionibus persoluendis locis ac temporibus, ac sub censuris & pœnis in litteris exprimendis, quæ clausula demonstrat cogitatum fuisse, quòd litteræ essent expediendæ; & ideo satisfactum fuit menti constituētis per decretum in reseruatione appositum, in quo Iacobus vult habere litteras pro intimatis; & ideo cessant allegata *ex decis. 9. Achill. tit. de pension. cum alijs per informantes allegatis*,* quia loquuntur vbi forma est omnino præcisa: Accedit quòd ipsemet Laurētius habuit resignationem pro valida, postquā acceptauit retrocessionem Iacobi consentiendo regressui in eius fauorē. Et ex his cessant etiā alia, quæ circa subreptionem deducuntur contra huiusmodi regressum.

* prout in simili. quòd resignatio sit nulla nō seruata cōditione quòd litteræ haberētur pro legitimè expeditis super pēsionib. fuit resolutū in vna Corduben. dimidiæ portionis 4. Nouēbris 1558. coram Chiroga, & iterū 1. Martij 1559. corā eod. & huiusmodi resolutionē esse tenendā etiā probatur stylo, quòd huiusmodi clausula non detur, fuit in eadē resolutum 2. Aprilis 1560. corā Oradino, quæ omnes resolutiones fuerunt iterum approbatæ in vna Ispalen. præbendæ 13. Octobris eiusdem anni coram eod. Oradino.

Ciuitaten. Fructuum.
Die Veneris 6. Februarij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Si pensio sit reseruata super fructibus exceptis distributionibus quotidianis, pensionarius debet probare, quot sint fructus, non autem soluens, quot sint distributiones quotidianæ.*
2 *Solutio facta metu excommunicationis non suffragatur.*
3 *Actor non releuatur ab onere probandi, etiam si reus assumpserit in se onus.*

DECISIO CCCXCI.

FVit resolutum sententiam declaratoriā per Audit. Cameræ latam nō esse iustificatam; & ideo esse reuocandam, nam licet facilè Domini admiserint iustificatam esse prædictam sentētiam in tribus; nempe quòd Don Frāciscus sit nepos Illustrissimi D. Cardinalis Burgensis, & quòd daret operam Salamanticæ iuri Pontificio, & quòd esset ætatis 18. vel 19. annorum, tamen respectu redditaum Alcanze nuncupatorum, dixerunt non esse probatam intentionem dicti Don Francisci, qui hos redditus petit tanquam fructus distinctos & separatos à distributionibus quotidianis, quas Papa expressè excepit; nam testes pro eius parte examinati nihil probāt: testes verò Capituli in contrariū
1 faciunt; † & ideo non solum ratione expressionis tenetur iustificare istos esse fructus, nō autē distributiones, sed etiā vigore petitionis; debet enim actor intentionē suā fundare; & ideo cessat id, quod ex aduerso dicitur, Capitulū excipere; & ideo ei onus probandi incumbere; nam hoc est de intētione agētis ad istos fructus nō autē excipientis, cū eius gratia fuerit limitata per exceptionē factā de distributionibus quotidianis; nec est negatiua assertio, sed affirmatiua, *vt per Ioan. And. in regul. infamibus. col. antepen. de reg. iur. in 6. Salicet. l. cū te. col. 2. C. de probat.* & hinc sequitur sentētiam tanquā iniustā esse reuocandam, cum suspendat Capitulum ob non responsionem fructuum, redditaū, prouentuū, & eorum, quæ Alcanze vocātur exceptis distributionibus quotidianis; nam prius iustificandū erat Alcanze esse fructus, & non distributiones; & licèt excipiat distributiones iuxta formam Breuis; tamen hæc formula non est iuridica; nam aut nō est referenda exceptio ad Alcanze, & sentētia est iniusta, cum sit sine iustificatione, vt dictum est; aut est referenda ad Alcanze, quatenus sint distributiones quotidianæ, & est incerta, cum recipiat eandem dubitationem circa factum, quam recipit ipsum Breue, & tamen Breue non poterat mitti executioni non iustificata intentione agentis; ergo in eandem difficultatem incidimus, si sententiam attendamus. Quæ dicuntur de solu-
2 tione facta per Capitulum, non faciunt; † cū facta fuerit solutio metu excommunicatio-
3 nis, † neque etiam quòd Capitulum assumpserit in se onus probandi Alcanze esse distributiones, quia ideirco non releuatur actor ab onere probandi; maximè stante clausula, non adstringens se, &c. quæ solet apponi in calce articulorum. Et ideo conclusum sententiam esse reuocandam.

Ispalen. Iuris nominandi.
Die Veneris 13. Februarij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Qui potest actum facere, potest & confiteri.*
2 *In materia manutentionis non solent attendi exceptiones contra testes.*
3 *Citatus tanquam talis & tanquam talis à iudice & à notario nominatus, habetur pro probato, quòd sit talis.*
4 *Rota non credit testibus dicentibus talē procuratorē aliquid fecisse; nisi probetur mādatū: nisi res verisimiliter sit publicè nota.*

DECISIO CCCXCII.

FVit resolutū dandū esse mandatū de manutenēdo beneficiatis; nā cū huiusmodi negotiū manutētionis sit leuis præiudicij, satis visum est Dominis sufficiēter probari facultatē Abbatis cōparēdi in iudicio pro beneficiatis, & deputādi procuratorē, prout deponūt testes pro dictis beneficiatis examinati, inter quos sūt aliqui, qui nō sūt beneficiati, sed & illis, qui sūt beneficiati non

fuit oĩno derogatũ de fide ad hũc effectum;
1 tũ ex eo quòd † ille, qui potest actũ facere,
2 potest confiteri; tum etiam quia † in hac
materia manutentionis non solent attendi
exceptionea contra testes. Non obstat,
quod obijcitur Antonium Ramos non esse
notarium rogatum de instrumentis & alijs
in actia contentis; quia cum ipse sit actua-
rius, vigore Innocentianæ adhibitur fides
iuribus insertis. Non obstat, quod obijci-
tur, non constare de mandato Bartholo-
mæi Rodriguez asserti fiscalis, quia cum
causa fuerit agitata in Ciuitate Ispalensi, &
Iudex esset vnus ex Canonicis Ecclesię Ca-
3 thedralis, & † prædictus Bartholomæus
tãquam talis fuerit citatus à parte per plu-
res vices, & tanquam talis à Iudice & à no-
tario nominatus, non est dubitandum, satis
4 probari eum esse talem; nam † licèt Rota
teneat non credi testibus dicentibus talem
factorem, vel procuratorem aliquid fecisse,
nisi probetur mandatum; tamen quãdo res
est verisimiliter nota publicè, veluti in ca-
su proposito, creditur ipsis, esset enim val-
de inuerisimile, quòd quis in ipsamet Ciui-
tate, in qua residet Reu. Archiepiscopus,
per tantum temporis spatium gessisset se,
& habitus fuisset pro tali, nisi reuera talia
extitisset. Quare conclusum pro mandato
de manutenendo; & ordinatum, vt in ne-
gocio principali dubitem, quænam partiũ
habeat intẽtionem fundatam de iure com-
muni, quo discusso, apparebit, cui partium
sit danda absolutoria.

Velitern a Bonorum.
Die Veneris 13. Februarij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Bulla Pij II. contra homicidas confirmata per Pium Quintum ipsos ab omnibus actibus legitimis perpetuo suspendit, & per consequens successionibus priuat.*
2 *Ad infamiam facti incurrendam sufficit sola accusatio.*
3 *An declaratoria requiratur, vbi pœna ipso iure imponitur, & num. 4.*
4 *Testamentum vsurarij post eius obitum per declaratoriam annullatur, ex eo quòd ipso iure est intestabilis.*
5 *Declaratoria requiritur ad exequutionem facti non autem iuris.*
6 *Infamatio duplex, altera simplex, qua sufficit ad inquirendum tantum; altera qualificata, qua sufficit etiam ad condemnandum.*
7 *Bulla loquens de infamatis de homicidio nõ potest intelligi de sola diffamatione, qua sufficit ad inquirendum; sed est intelligenda de tali diffamatione, qua sufficiat ad condemnandum.*
8 *Alternatiua seu disiunctiua licèt ponatur inter diuersa, tamen arguit similitudinem & conformitatem.*
9 *Dictio seu, potest stare expositiuè.*
10 *Notorietas simplex delicti non sufficit ad incurrendam pœnam contra homicidas per bullas impositam; nisi esset talis, qua esset inexcusabilis.*
11 *Quando sumus in dubio, an aliqua reo eõ, petat defensio, notorium non facit vt sine citatione possit procedi ad condẽnationẽ.*
12 *Si ex dispositione statuti fama probat delictum, non sufficit, quòd testes dicant audiuisse à maiori parte populi; nisi etiam articuletur, & probetur qualitas delicti, seu homicidij ad effectum condemnandi; secus est ad effectum inquirendi.*
13 *Vbi agitur de tollenda pœna, & impunitate deducenda, rigorosa interpretatio fieri debet.*
14 *Iudex non potest declarare vel condemnare delinquentem vel homicidam vti notorium, vel vti diffamatum, nisi probata qualitate notorietatis vel diffamationis.*
15 *Ex probatione delicti nõ sequitur probatio diffamationis vel notorij inexcusabilis.*
16 *Testes deponentes de visu, & publica voce, & fama non sufficiunt ad probationem notorij delicti, vel notorij homicidij.*
17 *Vulneratus moriens post aliquot dies potest etiam dici obijsse propter malam curam in medendo adhibitam.*
18 *Pœna non est extendenda, sed quo magis est exorbitans dispositio, eo magis angustanda, & restringẽda est interpretatio.*

DECISIO CCCXCIII.

DVbitaui, an constet de tali diffama-
tione Leandri super homicidio per eũ
commisso, quæ sufficiat, vt intret bullarum
editarum contra homicidas dispositio: To-
ta difficultas fuit in interpretatione bullæ
in illis verbis, ita quòd omnes & singuli ho-
micidæ, quorum delictum notorium foret,
vel de homicidio infamati seu condemnati
&c. Ex quibus videtur colligi, quòd ad hoc
vt habeat locum pœna in bulla contenta,
1 † quæ prædictos ab omnibus actibus legi-
timis perpetuo suspendit, & per consequẽs
à successione, *vt per Alex. cons. 75. libr. 1.
Dec. & Cagnol. in l. actus legitimi. de reg.
iur.* sufficiat, quòd quis de homicidio sit
diffamatus; & ideo prætendebatur pro par-
te Hersiliæ, cum in casu proposito proces-
sum fuerit coram Gubernatore Vrbis con-
tra Leãdrum, & fuerint examinati duo te-
stes pro informatione curiæ, & factum mo-
nitorium ad personaliter comparendum,
sub pœna confessati criminis, confiscatio-
nis bonorum, & vltimi supplicij, & demum
lata sententia declaratoria, incursus pœna-
rum ob non paritionem monitorij, & de
delicti substantia verè constet per quatuor
testes postea formiter examinatos, satis di-
ci posse Leandrum de homicidio diffama-

tum

2 tum fuisse; cum † ad infamiam facti incur-
rendam sufficiat etiam sola accusatio, *cap.
omnipotens. de accusation. notant Doctores
in l. qui à latronibus. §. 1. de testam. Bald. in
l. diffamari. C. de ingen. Bart. Paul. Imol.
& cæteri in l. turpia. de legat. 1.* & quia aliàs
dicebatur requiri declaratoriam; respon-
3 debatur, † bullam imponere pœnam ipso
iure, *vt per Bart. in l. iubemus. la seconda
§. sanè. C. de sacrosan. Eccl. Felin. in c. Ro-
dulphus. num. 53. de rescript.* & ideo non
requiri declaratoriam, ad notat. *per Do-
min. & Franc. in c. felicis. de pen. in 6. Do-
ctor. in l. 3. §. quod autem. quod quisque
iur. Idem Felin. in c. Rodulphus. num. 71.*
& ideo ita esse limitandam doctrinam eo-
rum, qui dicũt requiri declaratoriã, quin-
immo etiam si requireretur, posse hodie
ferri declaratoriam facti, *vt per Boss. in
pract. crim. de senten. num. 47.* & in simili
4 videmus, † vsurarij testamentum annulla-
ri per declaratoriam post eius obitum, ex
eo quòd ipso iure est intestabilis, *Abb. &
Card. in c. cum in diœcesi. de vsur. Idẽ Abb.
cons. 2. & 81. lib. 2. Feder. cons. 8.* Confir-
mabatur hæc sententia ex eo, quòd atten-
ta bullæ dispositione non potest dici, quòd
requiratur declaratoria, cum imponatur
pœna homicidis, etiam quòd fuerint abso-
luti, quæ res est contraria declaratoriæ,
vel saltem si non est contraria, dicendum
est talem declaratoriam esse facti nõ iuris,
5 † requiritur enim ad exequutionẽ facti nõ
autem iuris, *vt per Alex. in l. is cui. num.
6. de verb. oblig. cum alijs.* His tamẽ & alijs
per Dominos ex aduerso informantes non
obstantibus, contrarium fuit resolutũ; nẽ-
pe hic non adesse diffamationem talem,
qualem requirunt bullæ allegatæ: Et pro
decisionis fundamento consideratum fuit,
quòd non simpliciter pro homicidio pœna
fuit imposita, sed tantum cũ qualitate no-
torietatis vel infamationis seu condemna-
tionis; quo stante, videndum est, qualis es-
6 se debeat infamatio; nam † ea duplex est,
altera quidem simplex, quæ sufficit ad in-
quirendum tantum, altera verò qualificata,
quæ sufficit etiam ad condemnandum, *Dec.
in c. quia nos. circa fin. de appellat. Boss. de
7 inquisit. num. 28. cum sequentib.* † Cum
igitur bulla loquatur de infamatis de homi-
cidio, vtiq; non potest intelligi de illa prio-
ri specie diffamationis, quæ sufficit ad in-
quirendum tãtum, cum recipiat interpre-
tationem à iure communi, sed est intelligẽ-
da de tali diffamatione, quæ sufficiat ad cõ-
demnandum, & hoc colligitur ex alijs qua-
litatibus consideratis notorietatis & con-
demnationis; cum enim inter istas qualita-
8 tes ponatur † alternatiua seu disiunctina,
licèt ponatur inter diuersa, tamen arguit
similitudinem & conformitatem, *l. 1. n. 6.
de off. proc. Cæs.* * *Roman. cons. 231. n. 2.*
9 † & dictio, seu, potest stare expositiuè, *vt
per Dec. cons. 399. num. 5.* [a] hinc sequitur
qualitatem diffamationis debere esse talẽ,
quæ æquipolleat notorietati, & condemna-
10 tioni; cum † nec etiam notorietas simplex
sufficeret, nisi esset talis, quæ esset inexcu-
11 sabilis: nam † si sit dubium, an aliqua reo
competat defensio, tale notorium non fa-
cit, vt sine citatione possit procedi ad con-
demnationem, *Bald. l. ea quidem. num. 43.
C. de accusation. Franc. in c. ex insinuatio-
ne. num. 3. de appellat.* & ideo censendum
Romanos Pontifices in prædictis bullis in-
tellexisse de diffamatione tali, ex qua possit
12 sequi condemnatio, vt in simili, † quam-
uis extaret statutum, quòd delictum proba-
retur fama, non sufficeret quòd testes dice-
rent audiuisse dici à maiori parte populi,
nisi etiam articularetur, & probaretur qua-
litas homicidij, *c. 1. de appellat.* ad effectũ
scilicet condemnandi, licèt sit secus ad ef-
fectum inquirendi, *vt per Boss. de inquisit.
num. 38.* Cõprobatur, quia si aliter inter-
pretemur bullas, vtique redderetur earum
dispositio iniqua, & cõtra regulas iuris cõ-
munis, & erunt tales, quę merebuntur à sa-
pientibus reprehendi; maximè cum sint no-
13 uæ pœnæ contra homicidas inductæ, † ne-
que per interpretationem agitur de tollen-
da pœna, & impunitate inducẽda, quo ca-
su interpretatio rigorosa fieri deberet, *Ale-
xand. in l. 1. de verb. oblig. n. 25.* sed tan-
tum de interpretanda mente Papæ circa
nouas pœnas homicidis irrogandas, quo
casu mitior interpretatio est eligenda; ma-
ximè quòd est conformis dispositioni iuris
14 communis; & ideo † non potest iudex con-
demnare vel declarare homicidam vti no-
torium, nisi probata huiusmodi qualitate,
*iuxta doctrinam Bald. in d. l. ea quidem. n.
43. vers. vnde aduerte. C. de accusat.* & idẽ
dicendum, si vellet cõdemnare vti diffama-
tum: vnde sequitur, quòd etiam si conce-
damus nõ esse necessariam declaratoriam;
tamen est saltem necessarium, vt sit articu-
lata & probata huiusmodi qualitas, *vt su-
pra ex Boss. deductum est,* quod in casu pro-
posito non est obseruatum, vt bene per in-
15 formantes pro Capizucchis deducitur, † nõ
enim statim ex probatione delicti sequitur
probatio diffamationis, vel notorij inexcu-
sabilis, *vt per Boss. quom. proced. in crimin.
notor. num. 4. & num. 15.* Non obstat sen-
tentia, quia nõ est lata super crimine prin-
cipaliter, sed propter contumaciam, ob nõ
paritionem monitorij; & ideo intrant de-
ducta *coram me in illa Ciuitatis Castelli do-
nationis. sub die 16. Decembris 1577.* Non
obstant testes deponentes de visu, & de pu-
16 blica voce & fama, † quia hoc non sufficit
ad probationem notorij homicidij, *vt per
Speculat. & Bald. in Addit. tit. de notor.
crim. §. notorium quid sit. in fin.* maximè in
ca-

* immo est Repert. in l. 1. num. 6. de off. proc. Cęs. citatus à Cephal. cós. 126. num. 3. lib. 1.

[a] adde Gem. cons. 115 n. 5.

casu isto, in quo testes licèt viderint inferētem vulnera, tamen non viderunt vulneratum mortuum, cum non statim obierit, 17 † sed post aliquot dies, ita vt prætendi possit obijsse propter malam curam in medendo adhibitam. Non obstat, quòd imponatur huiusmodi pœna, etiam si de delicto nō posset quis ex forma statutorum puniri, vel pœnæ esset facta remissio, quia ista omnia locum habent retento præsupposito, nem-
18 pe delicti qualificati, vt supra; † sed non ideo extendenda est pœna, immo quo magis exorbitans est dispositio, eo magis angustanda & restringenda est interpretatio. Cum ergo in proposita facti specie nō probetur delictum cum ista qualitate à bulla requisita, non intrat eiusdem dispositio respectu pœnarum, quæ vltra pœnas iuris communis homicidis irrogantur, & ideo conclusum esse standum in resolutis.

Rauennaten. Vallium.
Die Lunæ 16. Februarij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Instrumenta, quæ non excedunt metam centum annorum ante litem motam, non dicuntur esse de antiquo.*

DECISIO CCCXCIIII.

Sententiæ Rotales latæ in fauorem Dominorum Rasponorum mandant protrahi lineam à secundo capitello per directum vsque ad Padum, & quia pro parte Dominorū Comitum de Calcagninis fuit oppositum, eas in hac parte non fuisse iustificatas; proposui dubium, An ex deductis pro parte Rasponorum, circumscriptis his, quę ex aduerso pro parte Calcagninorum deducuntur, verificentur prædictæ sententiæ; Et fuit per Dominos conclusum verificari ex pluribus: Primo ex inuestituris Rasponorum de anno 1471. & 1510. in quibus Vallibus Capitis hordei, Cursiæ, & Codardari contiguis dantur hæc confinia, Rasponum de Rasponis, pro valle de Fossis Aggerem Sancti Petri in Armentario, Padum, Antonium de Bordiolis loco olim Augustini de Balbis, Hostasium de Rasponis, pro valle quæ dicitur Polisenella, Petrosam vsque ad Santernum &c. Ex quibus confinibus apparet ex latere Padi Bordiolos esse confines, at istos Bordiolos constat fuisse in loco, qui in planta dicitur Fouea fratrum, qui est locus, in quo desinit linea per directum protracta à secundo capitello vsque ad Padum ex relatione facta per peritos electos per Cipellū de anno 1551. Præterea Bordioli enunciantur pro confine Codardari, qui est contiguus Polisenellæ in alio instrumento permutationis factæ inter Canonicam de Portu & Vincentium de Rasponis de anno 1491. Item enunciantur ijdem Bordioli iuxta fossatum illorum de Rasponis, quod est inter ipsos Rasponos & Bordiolos in instrumento diuisionis factæ inter Canonicos & Rasponos de anno 1515. & in instrumento concordiæ 1545. quę instrumenta concordant cum instrumento antiquo de anno 1488. In quo Iulianus quōdam Antonij Bordioli vendit Canonicæ quandam partem Nemoris, & Vallium, quam habebat pro indiuiso cum alijs Bordiolis, & dantur Rasponi pro confine, qui quidem cum sint Domini Codardari nō possunt cum prædictis Bordiolis confinare, nisi mediante dicta Valle Codardari, & in nullo alio loco designato in planta possunt Bordioli collocari, quàm iuxta prædictam foueam, nam alia fouea, quæ est Oriētem versus, & appellatur fouea Rasponorum, nunquam fuit terminus diuisorius, neque est probatum, quòd Bordioli ibi vnquā quicquam possederint. Confirmantur prædicta optime ex diacepto Archiepiscopatus Rauennæ, in quo adest partita, quę enūciat Canonicam de Portu debere dare singulis annis nomine pensionis certam summam pro quarta parte vnius vallis sitæ in territorio Rauennæ citra Padum in fundo fossæ Pudolæ, & dantur pro confinibus Canonica & Rasponi pro parte acquisita ab hæredibus Antonij de Bordiolis, & ista partita valde deseruit huic negocio; nam cum fundus fossæ Pudolæ sit iuxta prædictam foueam fratrum ab Occidente, vt infra dicetur, & dentur pro confinibus Canonica & Rasponi pro ea parte, quā acquisiuit ab hæredibus Antonij Bordioli, cuius fit mentio in inuestitura anni 1471. satis apparet, quo in loco fuerit iste Antonius, & concordat hæc partita cū instrumēto Anni 1488. de quo supra facta est mentio, in quo continetur emptio quartæ partis istarum vallium facta per Canonicam à Iuliano quoudam Antonij Bordioli, & ista partita consonat cum alia extracta ex diacepto Canonicæ & producta fol. 79. Secundo principaliter verificantur sentētiæ ex dictis testium Rasponorū per Cipellum examinatorum in visione loci per ipsum facta, qui deponūt dictam foueam fratrum fuisse antiquitus vocatam foueam Rasponorum vsque ad tempus cuiusdam diuisionis factæ inter fratres & Rasponos, ex quo arguitur Valles possessas per Rasponos, illucusque peruenisse. Confirmatur ex dictis testium Calcagninorum in eadem visione examinatorum, qui collocant eodem in loco foueam fratrum de Portu, & ibidem collocāt Bordiolos, & similiter probant fossam Pudolam esse iuxta illum locum à parte superiori fluminis, quod decurrit ab Occidente in Oriētem, vt bene deducitur in informatione facti. Tertio principaliter verificantur sententiæ, ex eo quòd est in con-

fesso inter partes, quòd vallis, quæ dicitur Polisenella est contigua Codardaro, sed vallis Polisenellæ est posita in fundo fossæ Pudolæ supra designato, vt probatur ex instrumento inuestituræ factæ Paulo quondã Bartholomęi de Bononia de anno 1442. fol. 81. vltimi processus; ex quo etiam verificatur id, quod habetur in inuestitura Rasponorum de anno 1471. vbi enunciatur Antonius Bordiolus loco Augustini de Balbis, cũ iste Augustinus enuncietur in isto instrumẽto pro confine, & idẽ habetur in alio instrumẽto cessionis siue restitutionis factæ per d. Paulũ Ecclesiæ Rauennatensi de anno 1457. fol. 42. & in instrumẽto inuestiturę factæ Hostasio Raspono de anno 1457. fol. 83. Item in alio, de anno 1514. fol. 86. Ex quibus omnibus colliguntur infrascriptæ conclusiones pro verificatione sententiarum; Prima quòd vallis Codardari habet pro cõfine Bordiolos ab ea parte, quæ est iuxta Padum. Secunda quòd Bordioli erant in loco, qui dicitur fouea fratrum. Tertia quòd fouea fratrum vocabatur fossa de Rasponi. Quarta quòd vallis Codardari est contigua valli Polisenellæ. Quinta quòd vallis Polisenellæ est in fundo fossę Pudolę. Sexta quòd fundus fossæ Pudolæ est prope foueam fratrum à parte superiori fluminis; Ex quibus videntur sufficienter iustificari sententiæ. Nec obstat, quod opponitur inuestituras Rasponorum non esse in forma probanti, tollitur enim ex facto; nam fuerunt extractæ vigore compulsorialium, & recognitæ parte citata, prout in processu paruo, qui est alligatus processui magno in
1 fine. Nec obstat, quòd dicitur † Instrumenta non esse de antiquo, cum non excedant metam centum annorum ante litem motã, *vt ex Aym.* * *& alijs deducunt informantes*, quia hic concurrunt cum instrumentis etiã probationes per testes & quã plurima adminicula, quæ simul considerata circumscriptis iuribus Calcagninorum, de quibus erit in sequenti positione agendum, sufficiunt ad effectum, de quo agitur.

* Aym. de antiq. temp. in princ. n. 4. cũ seq. & in terminis probãdi confines p instrumenta tradit Hieronym. de Mõte, i tract. fin. regũ. c. 60. n. 27. & q. 70. n. 5. & q instrumẽta nõ sint d antiquo, nisi excedat cẽtũ annos tenet Put. decis. 215. lib. 1.

Ciuitaten. Fructuum.
Die Mercurij 25. Februarij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Non est verisimile, quòd Capitulum insigne voluerit per lõgum tempus sine causa insordescere, & propterea pro eo potius sentiendum est.*

DECISIO CCCXCV.

Feci verbum cum Dominis super expeditione causæ, quia cum causa esset mihi commissa cum clausula, parito Breui, pars D. Don Francisci opponebat non cõstare de paritione: Tamen Domini omnibus discussis, dixerunt satis constare de paritione, stante fide notarij reproducta parte citata, quæ nunquam opposuit in actis de non paritione, nec per spatium duorum annorum vnquam est conquesta de non so-
1 lutione; † neque est verisimile, quòd Capitulum insigne voluisset per tantum temporis spatium insordescere: ex quibus Domini habuerunt rem pro valde clara etiam ad effectum procedendi ad vlteriora.

præsẽs decisio relationẽ habet ad decis. factam sub die 6. Februarij præsentis anni.

Prænestina Bonorum.
Die Lunæ 16. Martij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Filiæ de iure communi subintrant in locum patris in successione patrui vnà cum alijs patruis.*
2 *Onus dotandi dicitur habere adiectam tacitam conditionem, si nupserit.*
3 *Repræsentatio locum habet in fideicommissis ascendentium.*
4 *Statutum excludens filiam dotatam intelligitur tantum ab hæreditate dotantis.*
5 *Verba; vt infra, stant demonstratiuè non limitatiuè, prout in dubio demonstratiuè semper accipiuntur.*
6 *Masculi possunt fœminas exclusas à statuto admittere ad portionem illis de iure communi competentem.*

DECISIO CCCXCVI.

Fvit resolutum non esse habendam rationem portionis bon. mem. Stephani Iunioris in casu, & ad effectum, de quo agitur, sed tres partes tantum constituendas bonorum pacto subiectorum: Cum enim post obitum bon. mem. Francisci, & ante translationem obierit Stephanus, dubium
1 non est, † de iure communi istas Ill. filias subintrare in locum Francisci eorum patris, & admitti ad successionem patrui vnà cum alijs patruis, *Auth. vt fratrum filij. §. 1. & ibi Bart. & Ang. & Auth. cessante. & ibi glos. Bald. & cæteri. C. de legit. hæred.* & ideo solum eis facit negocium pactum initum inter bon. mem. Stephanum seniorem & Alexandrum, per quod excluduntur filiæ fœminæ à successione, sed cum exclusio prędicta sit facta cũ pacto expresso, quòd filiæ dotentur, non operatur hæc exclusio, nisi vel actu dotentur, vel per hæredes non steterit quominus dotentur; & ideo huiusmodi pactum non impedit effectum acquisitionis iuris communis, licèt sit reuocabilis, in euentum dotationis vel mortis ante
2 tempus nubile, † cum censeatur adiecta tacita conditio, si nupserit, *ad notat. per Doctor. in l. Titia. §. Titio genero. de cond. & demon.* & hinc sequitur quòd, cum dotatio eas excludat tam à portione patrui quàm patris; errorem, qui prætenditur pro parte ipsarum, esse considerandum etiam habito respectu portionis patrui, cui etiam in

præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 448. part. 1.

in transactione in specie renunciarunt. Nec obstat, quòd in pacto vocentur descendentes gradatim, quia hæc dispositio non ex-
3 cludit repræsentationem, † quæ etiam in fideicommissis locum habet, *vt per Socin. cons. 126. num. 11. & 13. lib. 1.* Nec obst. *Socin. iun. cons. 73. num. 15. lib. 1.* quia nõ loquitur in successione ex fideicommisso ascendentium: Confirmantur prædicta vrgenti ratione; quia pactum non excludit fœminas à successione legitimę consanguineorum, sed à bonis, locis, Ciuitate, Castris, & Oppidis, in pacto comprehensis, & sic excluduntur à certis rebus non autem à successione; & ideo repræsentatio impediri ratione pacti nõ potest: vnde sequitur, quòd in ijs bonis possunt petere dotes, à quibus propter dotes sunt exclusæ, prout
4 in simili, † si statuto filia dotata excludatur, intelligitur tantum exclusa à dotantis hæreditate, *vt post Bald. Castr. & alios refert Brun. in statuto, stantibus masculis. artic. 8. quæst. 16. num. 59.* & ideo videtur onus esse reale saltem hoc respectu, quòd sequitur quoscunque bonorum prædictorũ possessores, qui excludere non possunt fœminas, nisi eas congruenter dotauerint: Et insuper ex præmissis infertur nõ esse interpretandum pactum, vt voluerit absolutè excludere fœminas à successione transuersalium, ex eo quòd voluerint fœminas descendentes tantum dotari; quia præter supradicta obstat ratio prohemij, in quo habetur Stephanum, & Alexandrum fratres deuenisse ad laudabiles & honestas conuẽtiones, quæ ita interpretando, nec laudabiles, nec honestæ essent; ideo dictio, descẽdentes, (si modo legendum est descendentes & non descẽdentibus) ita vt ad masculos referatur, intelligenda est respectu paciscentium, repugnat etiam interpretatio iuris communis, quam supra ex Bruno retuli; excluderentur enim à successione eorũ, de quorum bonis dotari non possent: Et in summa non obstat, quòd in pacto in ea parte, in qua mandant dotari, dicatur, vt infra, quod est præcipuum fundamentum cõ-
5 trariæ partis, quia † verba illa, vt infra, stant demonstratiuè non limitatiuè, prout semper in dubio accipiuntur, & vrgentissima ratione demonstratur; nam si sequens dispositio intelligeretur limitatiuè, sequeretur quòd solæ filiæ morientis sine masculis essent dotatæ, non autem filiæ morientis cum masculis, quod est absurdissimum; Et ideo clausula illa, vt infra, potius refertur ad qualitatem dotandi, nempe condecenter & honorificè secundum qualitatem temporum & familiæ, vel ad prouidendum filiabus, quæ patre orbatæ essent; illis enim, quæ patrem haberent censuerunt satis esse prospectum. Non obstat, quòd filiæ essent
6 melioris conditionis quàm masculi, † quia liberum est masculis, si expedire eis videatur, eas ad portionem, quæ de iure cõmuni competeret, admittere. Quare conclusum fuit pro Illustriss. filiabus.

Salamantina Integræ Portionis.
Die Veneris 20. Martij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Appellatio extraiudicialis regulariter non causat attentata; nisi concurrentibus requisitis in decis. 44. de appellat. in nou. & nisi respectu eius, quod fit cõtra appellationẽ; & dicitur fieri cõtra appellationẽ, quod fit in articulo connexo, vt n. 3.*
2 *Possessio sequuta contra appellationem interpositam est attentata.*

DECISIO CCCXCVII.

FVit inclinatum contra D. Aluarum; tamen iterum proponã: Difficultas fuit
1 circa hoc, † an appellatio extraiudicialis interposita per Cabredum causauerit attentata, quia videtur, quòd regulariter nõ causet attentata, nisi cõcurrentibus requisitis *in decis. 44. de appellation. in nou.* & nisi respectu eius, quod fit contra appellationem, *vt per Abb. in c. cum nobis. num. 7. de electiõn. Dec. in c. bonæ. 12. differentia de*
2 *appellation.* † & hic non videtur possessio sequuta esse contra appellationem interpositam super competentia optionis: Vnus tamen ex Dominis meis putabat esse contra appellationẽ, & allegabat *decis. Achill.*
3 *12. de attentat.* † nam propter connexionẽ videtur esse idem articulus tam iuris optandi quã possessionis ratione optionis per Capitulum traditæ; & ideo super hoc poterunt informantes deducere, si quid noui habent, quod non fuerit per eos hactenus deductum: & fortè melius esset, vt apposito sequestro deuenirent ad disputationem negocij principalis, à quo videntur præcipuè pendere hæc attentata.

Portuen. Bonorum de Columna.
Die Veneris 20. Martij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Gratia etiam Motu proprio facta ex defectu intentionis est nulla, immo secundum aliquos ipso iure nulla.*
2 *Subreptio & defectus intentionis æquiparantur, quo ad gratiam annullandam, & defectus intentionis potest etiam dici subreptio. vt num. 4.*
3 *Actus sine voluntate & potestate constitui non potest.*
5 *Subreptio duplex, altera, quæ prouenit ex parte impetrantis, altera quæ oritur ex ipsa re, prima tollitur per Motum proprium, altera non.*
6 *Motus proprius non firmat priuilegium contra ius alterius.* 7 *Ver-*

6 *Verba secundum subiectam materiam sunt intelligenda.*

8 *Falsitas causæ perpetuo annullat gratiam, quantumuis Motu proprio concessam.*

9 *Secunda littera concessa censentur habere clausulam, si primus sui suum non prosequatur.*

10 *Incompatibilitas gratiarum manifestè declarat defectum intentionis.*

11 *Præiudicium tertij indistinctè annullat gratiam secundum Franc. & Butr. in cap. postquam. de prebend. in 6.*

12 *Gratia generalis ex casu particulari, in quo versatur tertij præiudicium, non corruit; secus est in gratia particulari.*

13 *Comprehensio plurium euentuum non facit gratiam generalem.*

14 *In gratia generali nō agitur de defectu intentionis, sed de comprehensione vel non comprehensione.*

15 *Gratia à principio nulla per consensus superuenientium, non confirmatur; maximè si adsit defectus intentionis Papæ.*

16 *Præiudicium, quod fit à Papa cæteris filijs in concessione primogenituræ, dicitur præiudicium inseparabile à concessione, quod præseruari non potest per clausulam, sine præiudicio, cum sit incompatibilis cum dispositione.*

17 *Clausula, sine præiudicio, posita in concessione, quæ est incompatibilis cum dispositione, vel vitiat dispositionem, vel à dispositione vitiatur, ne actus reddatur nugatorius.*

18 *Clausula, sine præiudicio, subintelligitur in omnibus concessionibus, quando potest stare cum principali dispositione.*

DECISIO CCCXCVIII.

Dubitaui præsupposito pacto & gratia, & quod sine veri præiudicio dicta gratia in quibusdam euentibus discordet, in quibusdam concordet cum pacto, An dicta gratia sit ita nulla ex defectu intentionis Papæ, vt neque etiam clausulæ in ea appositæ illā viuificent, & causa pluries proposita, tandem sub die 20. Februarij Rota resoluit[a] gratiam esse nullam à principio ex defectu intentionis reseruata generalitate, siue euentualitate; & demum 20. Martij fuit eadem decisio per Dominos confirmata: Præcipua fundamenta decisionis fuerunt; Primo auctoritas Doctorum *in c. causam quæ. il secondo. de testib. vbi glos. Hostien. Ioan. Andr. Aegid. Abb. Felin. Aretin. & alij per informantes allegati*, [a]

1 qui omnes vno ore dicunt, † gratiam etiam Motu proprio factam esse nullam, quando adest defectus intentionis, & licèt non dicant esse ipso iure nullam; tamen sunt etiā aliqui, qui hoc dicunt, veluti *Paris. consil. 74. num. 32. lib. 4.* & hoc idem videtur firmare *Cassad. decis. 3. de pension. num. 3. in fin.* vbi tradit gratiam factam de pensione non facta mentione de alia prius imposita esse nullam, etiā si Motu proprio facta sit, & demum num. 5. tradit eam esse nullam ipso iure, & licèt fundet se etiam in subreptione, id euenit, quia in casu suo gratia erat ad partis postulationem, sed non tol-

2 lit æquiparationē, † quam facit subreptionis & defectus intentionis, & ita sunt intelligendi Doctores, quia passim æquiparant subreptionem & defectum intentionis. Secundo, pro hac sententia facit euidens ratio, quia cum in constituenda gratia requiratur potestas & voluntas, vtique altera deficiente gratia est à principio nulla,

3 nam † actus sine voluntate, & potestate constitui non potest, *Bald. in l. omne verbum. C. com. de legat. Alexand. consil. 52. num. 30. lib. 4. Imol. in l. qui soluendo. de hæred. instit. & in l. filio præterito. in vlt. q.*

4 *de iniust. rupt. testam.* † Tertio, quia non bene videtur constitui differētia inter subreptionem & defectum intentionis, quantum attinet ad hunc effectum, quia etiam defectus intentionis potest dici subreptio,

5 † ea enim est duplex; altera, quæ prouenit ex parte impetrantis, altera quæ oritur ex re ipsa, primam tollit Motus proprius, secundam non, *Aegid. decis. 392. & 475. & d. cap. causam quæ. il secondo. num. 1. de testib. Rebuff. in form. mandat. Apostol. in verb. Motu proprio. in 29. speciali. in fin. Bonifac. Clem. per litteras. num. 11. & 13. de prebend. Felin. cap. in nostra. in 10. correlar. de rescript.* Quarto faciunt Doctores

6 passim dicentes, quòd † Motus proprius non firmat priuilegium contrarius alterius, *Abb. cap. ad aures. num. 5. de rescrip. Butr. in cap. per venerabilem. num. 15. qui fil. sint legit. Præposit. in cap. quia circa. num. 4. de consanguin. & affinit. Ruin. cons. 123. num. 16. lib. 3. Gemin. consil. 104. Curt. sen. consil. 35. num. 37. Rota in antiq. 444. cum infinitis alijs qui deduci possent*, [b] ex quibus colligitur, quòd si Motus proprius non firmat priuilegium, illud ab initio esse nullum. Quinto in indiuiduo, de quo agitur, hoc tanto facilius procedit, ex eo quòd Papa videtur motus ex falsa causa, cum dixerit Illustrissimum D. Iulium esse horum bo-

7 norum verum dominum, quæ verba iuxta subiectam materiam, cum agatur de perpetua applicatione, sunt intelligenda de eo dominio, ex quo nascebatur valida per-

8 petua applicatio; sed † falsitas causæ perpetuo annullat gratiam quantumuis Motu proprio concessam, *Felin. post Anchar. in cap. ad aures. num. 9. de rescript & in d. c. causam quæ. num. 3. cum alys per informātes allegatis.* [c] Non obstant in contrarium deducta. Et primo *doctr. Butr. in cap. man datum. ante num. 14. & in cap. Capitulum Sanctæ Crucis. num. 24. de rescript.* quia vel

Ista decis. habetur i im press. diuers. nouiss. 452. & 525 part. 1.

[a] Cuius resolutionis verba formalia sūt huiusmodi Gratiā a principio fuisse nulla ipso iure ea defectu intentionis, referuntur vl dedū, an propter generalitatem sustineatur, Item fuit dictū verū esse in iure, quod expressio falsæ causæ vitiat gratiam, sed quomodo applicetur i facto erit videndum.

[a] Ias. in l. 2. n. 2. C. vt lit. pend. Abb. de Butr. in c. cū nostris. col. 2 circa med. vers. quia li-

cit. Papa. & ibi Abb sub n. 9. vers. nam Motus propri us. de cōcess. prebēd. Item Abb. in c. ad aures. sub n. 5 vers. vnde cō cludo. de rescrip. & in c. cū olim. n. 15. de re iud. & in c. quia circa. sub nu. 7. vers. quia licet. de cōsag. & affin. Fel. in tract. quando. lit. Apost. n. 2 vers. ampliatur. Prob. ad Monach. in c. si Motu proprio. nu. 6. de prebend. in 6. Rip. lib. 2. respōs. 1. c. 28. n. 22. Ruin. cōsil. 116. sub n. 5. vol. 1. & hoc idem, quod gratia etiam Motu proprio facta sit nulla ex defectu intentionis, tenuit Rota antiqua, moderna & modernissima. vt p Aegi. decis. 391. Rota in antiq. 445. Cassad. 5. de pension. & Chisanen. 97.

[b] Paris. cōsil. 74. n. 32. li. 4. Ruin. cōs. 216 n. 5. vers. non obstat etiam quod Papa. lib. 2. vbi ratio, quia clausula, Motu proprio, non tollit subreptionē ad præiudicium tertij, cum alijs cumulatis p Gabr. § clausul. concl. 2. num. 8.

[c] Abb. in d. c. quia circa. n. 7. de cōsag. & affinit. Card. cōs. 96. nu. 5. Anchar. cōs. 318. col. 1. vers. sed in casu

[c] In c. est magis dubiū, Butr. in d.c. causam quæ. n. 5. Staphil. 8 litter. grat. 107 & vltim. effectu motusproprij fol. 90. vers. finali pro cōplemento.

vel loquitur contra auctoritatem cæterorū
Doctorum, vel in casu suo militat particu-
laris ratio, pront considerat *Cassad. d. decis.*
3. num. 5. de pension. nempe distinguendo
inter leue & magnum præiudicium, vel etiā
ex alio potest considerari ratio particula-
ris, quia re vera ibi non adest defectus in-
tentionis, cum indistinctè siue primæ litte-
ræ sint præsentatæ siue non, teneāt secundæ
litteræ secundum opinionem *Abbatis.* [d] *ibi-*
dem in fin. & in cap. Capitulum. num. 4.

[d] in d.c. mandatum, n. 4.

9 † & ipsæ secundæ litteræ censentur habere
clausulam, si primus ius suum non prose-
quatur, *vt post Imol. in d. cap. mandatum.*
dicit Felin. in d. cap. Capitulum. num. 5.
& valde probabilis est hæc sententia, vt
non adsit defectus intentionis respectu cō-
cessionis secundarum litterarum; quia
Papa in gratiam plurium rescribere po-
test, & in hoc non deficit intentio; tamen
non vult inuitum Ordinariū pluribus man-
datis grauare, quod colligitur ex eo, quòd
si super eodem corpore beneficij impetra-
tæ essent litteræ, tunc essent omnino sub-
10 reptitiæ & nullæ; nam † propter incom-
patibilitatem gratiarum appareret mani-
festè de defectu intentionis: præterea in
illamet materia multi tenent, quòd gra-
tia etiam Motu proprio concessa, non te-
neat, *vt per Franc. in cap. si postquam.*
num. 6. de prabend. in 6. & ibidem Butr.
num. 5. & 6. & ita vis non erit in diffe-
rentia, quam constituit Butrius inter sub-
11 reptionem & defectum intentionis, † sed
in præiudicio tertij, quod indistinctè annul-
lat gratiam secundum eos. Non obstat,
12 quòd † quando gratia est generalis, ea non
corruat ex casu particulari, in quo versatur
tertij præiudicium; quia gratia, de qua agi-
tur, non videtur generalis, sed particularis:
13 † comprehensio enim plurium euentuum
non facit gratiam generalem, quod patet,
14 quia † si essemus in gratia generali, nō esset
agendum de defectu intentionis, sed de cō-
prehensione vel non cōprehensione, *Socin.*
cons. 13. n. 8. lib. 1. præiudicium verò hic est
certum & indubitatum respectu secūdoge-
nitorum, siqui adsint: sed de euentualitate,
15 alias erit videndum. [e] Non obstat quòd † si
gratia esset nulla à principio non possit cō-
firmari per consensum superuenientem, cu-
ius contrarium tradit *Socin. cons. 115. lib. 3.*
quia hoc negari merito potest, cum neque
Socinus loquatur in consensu ex post facto
superueniente, sed in consensu pręstito in
ipso actu, & fortè etiam ita indistinctè non
procederet etiam secundum istam lecturā,
nisi data Papæ scientia, *Aegid. decis. 632.*
Præterea defendit Socinus in suo casu non
adfuisse defectum intentionis *sub num. 3.*
hic verò non potest negari adesse, cum Pa-
pa ignorauerit pactum. Non obstat, quòd
distinctio, quæ fit ex aduerso inter defectū

[e] de euentualitate dictū fuit sub die 3. Aprilis proxim.

intentionis respectu gratiæ, & defectum in-
tentionis respectu effectus, & exequutionis
eiusdem, quia ista differentia est verbalis,
cum non possit separari hoc casu effectus
16 ab ipsa gratia; † statim enim quòd appli-
cantur bona primogenito, infertur præiu-
dicium cæteris filijs inseparabile ab ipsa
concessione, nec potest hoc præiudicium
præseruari per clausulam, sine præiudicio,
nam est incompatibilis cum dispositione,
17 † adeo quòd vel dispositionem vitiat, vel
à dispositione vitiatur, ne actus reddatur
nugatorius, & quæ dicuntur † de hac clau-
sula generaliter subintellecta in oībus con-
cessionibus, habent locū, quando potest sta-
re vnà cum principali dispositione. Et ita
fuit pro nullitate absoluta gratiæ cōclusū.

In eadem Portuen. Bonorum de Colnmna.
Die Veneris 3. Aprilis 1579.

SVMMARIVM.

1 *Gratia etiā Motu proprio facta ex defectu intētionis est nulla, licèt in ea cadere possit euentualitas, & plures euentus comprehendantur.*

2 *Euentualitas in gratia non tollit defectum intentionis.*

3 *Papa in materia prophana non potest dici, quòd aliquid constituturus fuisset sine consensu eorum, quorum interest.*

DECISIO CCCXCIX.

FVit causa proposita super euentualitate
in pręcedenti propositione reseruata, &
per Dominos conclusum fuit retēta priori
2 decisione, † eam non facere, quo minus gra-
2 tia sit nulla, quia † huiusmodi euentualitas
non tollit defectum intentionis, ridiculum
enim esset dicere, quòd Papa voluerit gra-
tiam huiusmodi pendere perpetuo à volun
tate successorum Domini Iulij, itaut modo
valida quorundam respectu esset, modo in-
3 ualida; † maximè cum simus in materia
prophana, in qua Papa sine consensu voca-
torum in pacto de potestate ordinaria nihil
constituturus fuisset; & ideo perstiterunt in
resolutis.

Rauennaten. Vallium.
Die Lunæ 6. Aprilis 1579.

SVMMARIVM.

1 *Compulsoriales non sunt necessario de substantia in processu registranda.*

2 *In compulsorialibus extrahendis, quando iudicium est in curia inchoatum, sufficit vt in illis decernendis citatus fuerit procurator, qui nominet procuratorem in partibus ad assistēdum extractioni, quòd si talis procurator non fuerit reperibilis, factis diligentijs, extractio etiam sine eo facta valet.*

3 *Constituens procuratorem, si constitutus*

non

non acceptet sibi imputet.

4 *Nemo tenetur citare procuratorem partis, qui mandatum non acceptauit.*

5 *Instrumentum antiquum iunctis adminiculis fidem facit sine recognitione.*

DECISIO CD.

FVit dubitatum, An inuestituræ Rasponorum de annis 1471. & 1521. & 1555. mererentur fidem, ex quo pro parte Illust. Dominorum de Calcagninis prætendebatur in earum compulsatione multos defectus adfuisse; Et primo, quia compulsoriales non videntur fuisse præsentatæ Iudici, cum non reperiantur registratæ in processu de partibus Secundo ex defectu citationis. Tertio, quia non constat de facultate Nuncij, qui citauit. Quarto quia partitæ non fuerunt recognitę, sed sine recognitione extractæ ex diaceptis Canonicorũ. Quinto quia non constat, quòd ille Iacobus de Brixia, qui libros exhibuit esset Canonicus. Quibus non obstantibus fuit resolutum, inuestituras esse in forma probãti; nam quod primo loco obijcitur, præsentatas non fuisse compulsoriales iudici compulsori, tollitur ex facto, cum tam de decreto illarum in registro primæ instantiæ constet, quàm de
1 præsentatione in processu cõpulsato: † Nec refert, quòd nõ fuerint in eo registratæ, quia hoc non est de substantia. Quod secundo obijcitur nõ fuisse citatos Calcagninos non
2 releuat, quia † iudicium iam erat hic in curia inchoatum, & citato procuratore Calcagninorum decretæ cõpulsoriales, qui nominauerat in Ciuitate Rauẽnæ procuratorem aliàs per suos principales corã Legato Romandiolæ constitutum; & ideo cũ facta fuerit diligẽtia de eo reperiendo, prout ex relatione Nuncij cõstat, frustra opponitur de huiusmodi defectu, & ita non facit in contrarium *decis. Mobedan.* 334. quia in ea nec iudicium erat inchoatum, nec aliquis citatus in curia, nec nominatus in loco per procuratorẽ partis, qui assisteret extractioni, quemadmodum in casu isto; & ideo sibi
3 imputet pars, † quæ citata ad constituẽdum procuratorem non constituit procuratores
4 acceptantes, † eos enim quis citare non tenetur, qui non acceptant *Aegid. decis.* 681. *quã Rota sequitur.* Quod tertio loco obijcitur non constare de deputatione Nuncij tollitur ex facto, cum adsit deputatio eiusdem, vt deducitur per informantes pro Dominis de Rasponis. Quod quarto loco dicitur non fuisse recognitum instrumentũ anni
5 1471. non placuit Dominis; primo quia † cũ instrumentum sit satis antiquum, & adsint multa adminicula, facit fidem etiã sine alia recognitione, *vt per Put.* 143 *corã D. Britonorien. lib.* 1. Adminicula sunt auctoritas Iudicis super recognitione interloquentis, mentio huius inuestituræ facta in alio instrumento diacepti noui, quod fuit plenè recognitum. Item productio facta coram Cipello parte citata & non opponẽte, *Dec. Auth. si quis in aliquo. nu.* 20. *Fab. decis.* 35. *Put.* * *decis.* 4. *de fid. instrum. cũ alijs per informantes allegatis,* ª Item quòd duæ fuerũt latæ in Rota sentẽtiæ, quæ fundantur in hoc instrumento, & nihil vnquam fuit contra illud oppositũ, quæ res arguit hanc obiectionem esse friuolam: Reliqua autem iura sunt bene recognita. Quod vltimo loco dicitur non constare illum Iacobum de Brixia fuisse Canonicum, tollitur ex circunstantijs facti, vt bene per informantes deducitur. Quare conclusum fuit pro bona iurium extractione ad effectum, vt & esse in forma probanti, & fidem facere dicantur.

* in informationibus habetur Put. decis. 9. nu. 4. de fid. instrum.

ª Aretin cons. 36. col. fin. Aym. de anti qu. tẽp § vere in genere. n. 21. fol. 126.

Anconitana Bonorum.
Die Lunæ 6. Aprilis 1579.

SVMMARIVM.

1 *Papa dans facultatem alienandi plures petias terræ, censetur etiam de vna tantum licentiam dedisse.*

Idem est si data sit facultas respectu summa maioris, & alienatio fiat in summa minori.

2 *Pro exequutoribus est præsumendum in alienationibus bonorum Ecclesiæ.*

3 *Modica alienatio bonorum Ecclesiæ sicut est in terrulis, sine solemnitate & Papæ auctoritate valet.*

DECISIO CDI.

FVit resolutum, terras, de quibus est controuersia, vigore Breuis alienari potuisse, non obstãtibus ex aduerso allegatis; nam in huiusmodi alienatione forma Breuis exactè seruata fuit, cum in ea considerata fuerit euidens vtilitas, quam adfuisse de tempore contractus resolutum est, &
1 † dans facultatem alienandi plures petias terræ, censetur etiam de vna tantum licentiam dedisse, *cap. pastoralis. §. item cum totum. & ibi Felin. num.* 13. *de offic. deleg.* Item fuit seruata respectu summæ, intra quam fuit data facultas alienandi, nam ea erat vsque ad octingenta, & tamen alienatio facta est vsque ad summam 300. tantum,
2 & † pro exequutoribus est presumendum, *Abb. cons.* 41. *in fin. lib.* 1. *cum simil.* Nec obstat id, quod est præcipuũ fundamentum ex aduerso scribentiũ, nempe quòd adessent plures terrulæ magis exiguæ; prout in inuentario quod datur, quia hoc argumentum nõ concludit; nam Papa exiguitatem mẽsus est ex valore; & ideo cum sub ista appellatione petiarum terræ, & intra valorem expressum comprehendantur terræ, de quibus agitur frustra deducitur dispositio iuris communis, cum habeamus rescriptum clarũ, in quo non ad ea, quæ narrata fuerunt in petitione,

S 2

tione, sed ad euidentem vtilitatem Papa se restrinxit, & insuper terrarum huiusmodi vocabula & confines pro expressis haberi voluit; & ideo hæc forma solum est attendenda. *Calder.cons.5 de rer.permut.cū alys per informantes allegatis.* * Contraria verò locum haberent, si non fuisset determinata summa, intra quam debebat fieri alienatio, & Papa cōcessisset sub illa forma, ex qua de iure communi tantum permittitur aliena-

3 tio sine solemnitate,✝veluti in terrulis, quo casu non fuisset necessaria auctoritas Papæ, *cap. terrulas, 12. q. 2.* Ideo de his solum actum fuisse non est dicendum. Et ita fuit per Dominos vnanimiter conclusum.

* Ias. cōs. 14. sub n. 5 vers & per hoc nō obst. vol 1. Tiraq. de retrac cōuent. § 7. glos 1. sub n 10. nā satis dicitur vtilis quotiens cōqueri dē nota, vt per glos penult. I c. sine exceptione. 12 q 2 Abb. cons. ..3 sub n. 5 vers. quinimo vol. 2. Felin. cons. 42 sub nu. 4. versic. tertio moueor.

Burgen. Liquidationis Præeminentiarum. Die Mercurij 29. Aprilis 1579.

SVMMARIVM.

1 *Præcedentia in processionibus secundum consuetudinem seruari debet.*

2 *Beneficiati in illa Ecclesia, vbi tenentur sumere ramos benedictos, debent illorum benedictioni assistere.*

DECISIO CDII.

QVantum ad primam præeminentiam Domini dixerunt Ecclesiam S. Thomæ teneri processionaliter eundo & redeūdo associare Ecclesiam collegiatam in recipiendis tam Cruciata quàm alijs Iubileis & in-

1 dulgentijs, pro quarū receptione✝de cōsuetudine ita obseruatū fuerit, vel si maior pars Consilij censuerit fieri processiones debere. Quātum ad secūdam fuit dictū publicationē earum, etiam quòd processionaliter non recipiantur, fieri prius in Collegiata debere quàm in parochiali S. Thomæ. Quantum ad tertiam censuerunt Domini, cogendos non esse beneficiatos S. Thomæ ad assistendum huiusmodi publicationi. Quantum ad quar-

2 tam,✝cum beneficiati teneantur sumere ramos benedictos à Collegiata, dictū fuit esse cōsentaneum, vt eorum quoque benedictioni assistant; esset enim res mali exēpli, si secus fieret. Quantum ad quintam & vltimā, fuit dictum, quòd si Ecclesia de Couarruuias est exempta ab Ordinarij iurisdictione, quousque durat huiusmodi exemptio, teneatur parochialis Sancti Thomæ recipere à Collegiata Chrisma, & Oleum sanctum.

Farsen. Grani. Die Lunæ 11. Maij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Decretum & traditio possessionis, cum reseruatione iuris alterius est conditionale, & non transfert possessionem, nisi verificata conditione; & acceptans tale decretū sibi præiudicat, etiam si prius possedisset. vt num. 2.*

DECISIO CDIII.

DOmini dixerunt possessorium intentatum per D. Ludouicū ad effectum restitutionis cedulæ nō posse terminari, nisi viso negotio principali, à quo dependet, nam neque ex societate inita cum Argētino probatur possessio, nisi probetur, quòd ex pecunijs Anastasij fuerit emptum granum; neque ex inspectione fouearum fuit translata, cum iste non sit modus tradendæ possessionis, ne-

1 que ex decreto quæsita,✝cum decretum sit factum cum reseruatione iurium aliorum potiora iura habentium, & dummodo non leuetur granum de dictis foueis, quare cum sit conditionale, non transfert possessionē nisi verificata conditione, *Fel. in cap. ex par-*

2 *te. num. 27. de rescript.* &✝stante acceptatione huius decreti, etiam si prius Anastasius possedisset, videtur sibi præiudicasse: Ideo cum tota res pendeat, vt dictum est, à negotio principali, fuit ordinatum, vt videatur, An granum fuerit emptum ex pecunijs Anastasij, vel potius redactum ex redditibus Abbatiæ Farsen.

Meliten. Præcedentiæ. Die Lunæ 11. Maij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Vbi adest particularis statuti dispositio, ea in primis est seruanda, & ad iuris communis dispositionem non est opus recurrere, nisi quando statutum deficit. & n. 2.*

3 *Stante possessione reus releuatur ab onere probandi, nisi ex aduerso actor probauerit intentionem suam, vt num. 11.*

4 *Qui habet pro se ius commune, dicitur habere intentionem fundatam; nisi ex aduerso aliqua exceptione repellatur; quia tunc exceptio est plenè probanda.*

5 *Statutum, quod aliquid præsupponit, illud non probat.*

6 *Fundans se in statuto, vel dispositione qualificata, tenetur qualitatem illam verificare.*

7 *Incertitudo eadem, quæ impedit, ne actor obtineat in actione, impedit, ne reus etiam obtineat in exceptione.*

8 *Ius commune in materia sedendi, & similium, defert consuetudini.*

9 *Statutum recipit interpretationē passiuam à iure communi; nisi in indiuiduo aliud deduceat iuri communi contrarium.*

10 *Allegantí statutum deducere aliquid contrarium iuri communi, incumbit onus probandi.*

DECISIO CDIV.

FVit particulariter dubitatum, An Admiratus & lingua Italiæ possint fundare intentionem suam in iure communi, & Ra-

præsēs decis. habetur i im prel. dia nouiss. 322 par. 2.

& stabilimentis, stante statuto 29. de Baiuliuis, in quo disponitur, quòd Baiuliui, Priores, & Castellanus Empoltæ, tam in conuentu, quàm extra sedeant, & stent tam in sessione, quàm deambulatione & loquutione, in Cõcilio & alijs locis, quemadmodum præteritis temporibus facere & stare consueuerunt, ex quo statuto Venerabilis lingua Aragoniæ prætendebat probari, cũ in ista materia præcedentiæ debeat attendi consuetudo; Admiratum & linguam Italiæ
1 teneri ad probationem cõsuetudinis; † vbi enim adest particularis statuti dispositio,
2 ea in primis seruãda est: † nam ad iuris cõmunis dispositionem tum demum recurrendum est, quando statutum deficit. *Bald. & Castr. in summario. l. omnes populi. de iustit. & iur. Ias. ibidẽ in prima lectura. n. 10.*
3 & hoc maximè procedere dicebant † stante possessione alternatæ præcedentiæ, in qua præfata Venerabilis lingua existit, quę releuat ab onere probandi *l. certa. de probation. l. fin. C. de rei vind. glos. in l. fin. possidetis. C. de probation. & in l. si solemnibus. C. de fid. instrum. & Bald. in consil. 351. num. 2. lib. 1.* Contrarium tamen fuit decisum, nempe Admiratum, & Venerab. linguam Italiæ posse intentionem suam fundare in iure communi, non obstante dicto statuto;
4 † quilibet enim deducens pro se ius commune habet intentionem fundatam, itaut obtinere possit, nisi ex aduerso aliqua exceptione repellatur, sed si quis exceptione vti velit, debet eam plenè probare, postquam actoris intentio plenè est probata. *Bart. in l. admonendi. num. 50. & ibi Rip nu. 211. de iureiur. Idem Bart. in l. non solum. §. sed vt probari. de nou. oper. nunc. Abb. in cap. dudum. col. fin. vers. tertio fecit. de elect.* Est itaque necesse, vt Venerab. lingua Aragoniæ excipiens de statuto 29. plenè suam exceptionem iustificet, nempe quòd de consuetudine aliter fit obseruan-
5 dum, † sed hoc non probatur ex sola statuti allegatione, quod non refert aliquam cõsuetudinem, sed præsupponit tantum, *Paris. cons. 25. num. 18. & cons. 27. num. 35. & cons. 47. nu. 67. lib. 1. & cons. 66. n. 11. lib. 4. Put. decis. 301. lib. 1.* est enim qualificatum hoc statutum; & ideo succedit re-
6 gula, quod † fundans se in dispositione qualificata tenetur qualitatem illam verificare, *ad notat. in l. Diuus. de re iudic. Felin. in cap. ex parte. num. 27. de rescript.* &
7 † eadem incertitudo, quæ impedit, ne actor obtineat in actione, impedit ne reus obtineat in exceptione, *vt declarat Bart. in l. 3. §. si duobus. de adim. legat.* Non obstat, quòd statutum mandet, vt stetur consue udini; & ideo videatur tollere iuris cõ-
8 munis dispositionem † quia immo ius commune in hac materia idem disponit, *Bald. in cap. cum olim. num. 1. & 2. de consuetud. Dec. in l. rum quidam. num. 39. si cert. petat. & ibi Cagnol. num. 54. Ruin. consil. 19. num. 6. lib. 1. Rimінald. consil. 95. num. 22. lib. 1. cum alijs allegatis;* Ex quo sequitur, quòd cum vtraque dispositio tam iuris cõmunis, quàm statuti simul concordet, non eliditur intentio actoris per statuti allega-
9 tionem, † quod recipit interpretationem passiuam à iure communi; nisi in indiuiduo deducatur consuetudo iuri communi con-
10 traria, † quo casu onus probandi incumbit alleganti, *glos. in l. 1. in verb. probatis. C. quæ sit long. consuetud. & ibi Bald. n. 1. Dec. cons. 402. num. 11.* Neque obstat possessio alternatæ præcedentiæ, quia verum
11 quidem est, † eam releuare possidentem ab onere probandi, sed hoc intelligitur, nisi ex aduerso actor probauerit intentionem suam, *ad notat per Aegid. decis. 76.* & ideo licèt alias dictum fuerit adesse aliquod vestigium alternatæ præcedentię ante annum 1532. tamen illud non est concludens, nec sufficiens ad probationem huius consuetudinis, immo maius & certius argumentum in contrarium sumi potest ex stabilimento primo & quadragesimo secundo de Baiuliuis, stante obseruantia ordinis in illis contenti respectu cæterorum Baiuliuorum. Nec releuat sententia Anni 1532. quia iam est resolutum illam non esse iustificatam. Et ex his conclusum pro Venerab. lingua Italiæ.

Rauennaten. Vallium.
Die Lunæ 18. Maij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Non est inconueniens, quòd aliquis locus pluribus nominibus censeatur, & nominetur.*

DECISIO CDV.

FVit dubitatum, An probetur, quòd fouea, quę in planta dicitur fouea fratrũ, fuerit, & sit eadem cum fouea Rasponorum, enunciata in eorum iuribus & testibus, itaut constet iuxta dictam foueam fuisse Antonium de Bordiolis de tempore inuestituræ Anni 1471. & subsequenter Iulianum filium Antonij de anno 1488. Et fuit per Dominos vnanimiter firmatum ambas conclusiones probari; Nam quantum ad primam, ea probatur primo, per quinque ex testibus inductis in visione loci facta per Cipellum de anno 1551. qui cum deponant de diuisione inter fratres & Rasponos, optime comprobãtur ex instrumento diuisionis de anno 1515. Quantum ad secundam, quòd Antonius de Bordiolis & Iulianus fuerint iuxta dictam foueam, ea probatur per eosdem testes, qui corroborantur ex

Innestitura anni 1471. Item ex instrumen-
to anni 1488. ponderando reciprocatio-
nem confinium, cum dentur inuicem Ra-
sponi & Bordioli pro vicinis confinanti-
bus; Item ex partita Diacepti Archiepi-
scopatus Rauennæ ponderando, vt per D.
informantem in facto, coniungendo cum
partita Diacepti Canonicæ præsuppositi
sexto loco, & cum instrumento venditio-
nis, de quo in octauo præsupposito: Ex qui-
bus optimè deducitur descendentia, & in-
uestituræ Bordiolorum. Vltimo hoc idem
probatur per testes ex aduerso per Domi-
nos Comites de Caleagninis examinatos,
qui clarè deponunt Bordiolos fuisse conti-
guos foueæ fratrum; nec potest dubitari,
quòd loquantur tam isti quàm alij supra al-
legati de alia souea, quàm quæ in planta
describitur in Corsia, & etiam vocatur fo-
uea Rasponorum, quia clarè diuersificant
testes Rasponorum supra citati vnam ab al-
tera, cum ad foueam Corsiæ non peruene-
rit Cipellus in sua equitatione; adeo quòd
de illa intelligere nō potuerunt, præterquā
quòd illa nunquā fuit terminus diuisorius,
neque quisquam ibi aliquid prætendere
compertus est; non enim verum est, quòd
probetur Bordiolos ibi aliquid possedisse,
cum æquiuocatio tollatur ex testibus supra
deductis innctis partitis Archiepiscopatus,
in quibus datur confine fossæ Pudolæ, quod
verificari non potest in illa fouea Corsiæ.
Nec obstat, quod dicitur de Mezzano Padi;
1 quia † non est inconueniens, quòd locus
ille pluribus nominibus censeretur; & re-
torqueretur in contrarium, cum testes Cal-
cagninorum probent Bordiolos ibi habuisse
bona, & sic in necessariam consequentiam
iuxta foueam fratrum, quod est id, quod co-
nantur demonstrare Rasponi. Fuerunt ta-
men per Dominos circunscriptæ testium
exceptiones in præsenti positione propter
multiplicitatem obiectorum, quæ propo-
nuntur in informatione facti, de quibus, si
opus erit, suo loco tractabitur.

Prænestina Transactionis.
Die Veneris 22. Maij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Volens excludere fœminas à successione vi-
gore pacti debet offerre se eas dotaturum,
& interim eas alere, quando fuit ita di-
spositum in pacto.*
2 *Filiæ, quibus dos est constituenda super bo-
nis pacto subiectis, præferri debēt alijs cre
ditoribus, & etiam dotibus super huius-
modi bonis obligatis & constitutis, quan-
do præcessit onus dotandi.*
3 *Restitutio aduersus non confectionem inuē-
tary ex pluribus capitibus dari potest.*

DECISIO CDVI.

FVit conclusum per Dominos constare
de errore transactionis, & præcipuum
fundamentum fuit in assertione Illustrissi-
mæ Dominæ Marchionissæ in prædicta trās-
actione, quòd ex narratis pro parte Illu-
strissimi Domini Iulij Cæsaris nouit, quòd
filiæ suæ non poterant, neque possent obti-
nere ea, quæ pro earum parte prætensa &
petita fuerunt, & quòd detractis detrahen-
dis, calculatisq. calculandis dictis suis fi-
liabus non remanerent bona valoris sum-
mæ infrascriptæ, quam dictus Dominus Iu-
lius dictis DD. Iuliæ & Catharinæ soluere
promittit; nam in huiusmodi assertione di-
xerūt plures errores cōsiderari posse: pri-
1 mus est in eo, quod † si volebat Illustrissi-
mus Dominus Iulius excludere filias vigo-
re pacti, prout eum voluisse ex toto trans-
actionis tenore apparet, debebat offerre se
dotaturum iuxta tēporum & familiæ qua-
litatem, & interim alere, prout expresse
in pacto fuerat dispositum, *l. filiæ. vbi Bald.
& cæteri. C. de collat. Bart. in l. quibus die-
bus. §. Termilius. & ibi Imol. num. 8. de
condit. & demonst.* Secundus est, quia re-
nunciatum fuit alimentis, quæ tamen clarè
debebantur vigore eiusdem pacti, & inte-
rerat ipsarum potius ali honorificè iuxta
temporum & familiæ qualitatem vsque ad
tempus nubendi, quàm acceptis duobus
millibus, & residui solutione dilata illis re-
nunciare. Tertius est, quia præsuppositum
fuit ista bona pacto subiecta esse obligata
pro dotibus restituendis; & tamen contra-
rium est verius, *prout fuit resolutum in
Portuen. 10. Nouembris anni præteriti*, &
2 dato quòd non esset verum, † saltem onus
dotandi filias præcedebat obligationes fa-
ctas pro dotibus; ideo dictæ filiæ erant hoc
respectu cæteris creditoribus priores & po-
tiores. Neque obstat, quòd tanquam hæ-
redes bon. mem. Francisci tenerentur ad
debita paterna, quia confectum erat inuen-
3 tarium; & † quatenus non fuisset confe-
ctum, poterant restitui aduersus non con-
fectionem ex multis capitibus, *vt per Bald.
in l. fin. in princ. C. de iur. delib. cum alle-
gatis* *. Quartus est, quia etiam secundum
calculum pro parte Domini Iulij Cæsaris
datum apparet, quòd aderant tot bona, ex
quibus poterant consequi præfatam summā
promissam, & interim fructus habere, ex
quibus commodè potuissent ali pendente
tempore ætatis nondum ad nubendum ido-
neæ; & tamen ita fuit transactum, ac si tot
non extarent bona, ex quibus consequi pos-
sent alimenta; Et maximè omnes Domi-
nos mouit, quòd in ineunda ratione huius-
modi pro parte filiarum fuit acceptatus cal
culus Domini Iulij Cæsaris, in quo Ciuita-
tas Prænestina æstimatur viginti octo milli-
bus

* per text. in Auth de hæred. & F. Lcid. §. pupillus & in l. in Zilium & ibi glos. de r... sib Ang. in tract. d. inuē tar. nu. 4.

bus scutis, quæ res vti manifestè erronea notata fuit, nec est habenda ratio euentus incerti litis, prout ex aduerso deducitur, ea eo quòd iste error prouenit ea assertione partis per Dominã Marchionissam admissa, & fuit expressus, *vt fuit resolutum 16. Maÿ, & 21. Nouembris 1575.*

Esina Bonorum.
Die Mercurij 27. Maij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Identitas bonorum non excluditur per adiectionem alterius confinis, nec per mutationem nominis, si appareat esse eadem confinia, vt num. 2. & 3.*

DECISIO CDVII.

DVbitaui, an ex his, quæ deducuntur pro parte Dominorum de Amicis sit à resolutis recedendum: Fuerat enim resolutum *19. Ianuarij præteriti, partitas productas pro parte Dominorum Canonicorum esse adminiculatas circũscriptis his, quæ deducebantur contra illas pro parte Dominorum de Amicis; & ideo nunc actum fuit de his, quæ contra partitas opponuntur, circa quod dubium Domini fuerunt varij: Aliqui enim putabant eas ea coniecturis deductis pro parte Dominorum de Amicis valde debilitari iuncta varietate, & diuersitate earum, prout deducitur in informatione facti, ea qua videbatur oriri incertitudo talis, quæ omnem eis fidem detraheret; Aliqui verò ex Dominis dicebant non esse nunc agendum de inuerisimilitudinibus & alijs deductis per D. Gabrielium, sed tantum agendum de exceptionibus ex eisdem partitis resultantibus: illa enim potius pertinent ad concursum, de quo suo loco erit agendum. Quantum verò ad exceptiones ea earundem partitarũ lectura resultantes, dicebant eas non valde obstare; quia cum intentio Canonicorum sit per has partitas probare fossatum Marciani esse illud, quod hodie vocatur Gangaliæ, diuersitates allegatæ non videbantur tollere huiusmodi fundamentum: nam incipiendo ab anno 1484. istæ terræ habent pro confinibus viam communis, Fossatum Marciani, & bona Matthæi Christophori, & soluuntur tres denarij; & continuantur
1 partitæ similes, vsque ad annum 1506. † in quo additur aliud confine nempe bona Antonij Francisci; sed hoc non facit, quin sint eadem bona, cum cætera omnia concor-
2 denti Deinde de anno 1507. † mutatur nomen Marciani in Moricini; sed ex alijs apparet esse easdem terras, quia sunt eadem confinia, & dicitur in ea partita productũ fuisse instrumentum, vt supra, & ita habet relationem ad partitam præcedentem, in qua legitur productio instrumenti: Sequitur annus 1508. in omnibus similis præcedenti, nisi quòd soluuntur quatuor denarij, sed apparet esse easdem terras ex alijs demonstrationibus; & continuantur similes partitæ vsque ad annum 1512. inclusiuè. Deinde de anno 1520. rursus incipit denominatio Marciani, & concordant alij confines, sed discordat in solutione; soluuntur enim octo denarij: De anno 1521. sequitur similis partita præterquã in solutione, quæ est denariorum quatuor in reliquis concordat, & apparet esse eandem tam ea confinibus, quàm ex instrumento eiusdem notarij Angeli de Esio; Et eodem modo ferè se habent aliæ duæ sequentes partitæ: De anno 1525. partita est diuersa in nomine fundi, nam vocat fundum Albaraci, tamen concordat in confinibus viarum, & fossati, & in nomine notarij Iacobi de Esio: Sequuntur partitæ de anno 1534. vsque ad annum 1552. & istæ sunt sine expressione confiniũ, & solutio est octo denariorum, sed ex sequentibus declaratur esse pro eisdem terris, nam in margine adscripta est renouatio dictarum terrarum per instrumentum manu Tulii confectũ de anno 1553. deinde describitur pretium terræ in fundo Marciani siue Gangaliæ confinatum iuxta vias publicas à duobus, fossatũ Gangaliæ & alia latera, quod ostendit esse easdem terras, cum in instrumento publico eiusdem Tulij adnotato in libro instrumentorum dicatur in fundo Marciani siue Gangaliæ, quod cõcordat cum instrumento Iacobi Angeli de Esio de anno 1498. in reliquis præterquam in nomine Gangaliæ: & deinde sequuntur aliæ partitæ solutionum de annis 1554. vsque ad annum 1575. sine alia specificatione; ea quibus videbatur istas variationes
3 esse nullius momenti, † cum ex ijs non inducatur diuersitas respectu bonorum, sed tantum probetur nominis variatio, quæ etiam pro parte Canonicorum prætenditur; & cum hodie sit indubitatum, Fossatum descriptum in planta sub num. 3. vocari fossatum Gangaliæ, sequitur bona ista in partitis contenta ibidem esse collocanda; & per consequens non esse alibi in planta quærendum fundum passi Moricini, neque fundum Albaricii; Vnde & consequenter resultat probatio ex dictis partitis, fossatum Marciani & Gangaliæ vnum & idem esse, si solas partitas attendamus, circumscriptis his quæ suo loco pro parte Dominorum de Amicis deducentur; nam instrumentum illud sententiæ, quod fuit de nouo ostensum Dominis, vltra quòd adhuc non est productum, non facit ad præsentem inspectionem, sed suo tempore erit videndum, An probationibus Amicorum contrarium probe-
1 tur. Et hæc discussa quidem fuerunt, sed nulla fuit capta resolutio; Et ideo ite-

*quæ resolutio, cũ suo loco exactè nõ regiatur, hic adnotatur prout iacet Circũscriptis omnibus his, quæ deducuntur pro parte Dominorũ de Amicis, Dñi dixerũt partitas esse adminiculatas; ideo videndum, An ex his, quæ opponuntur, sit eis detrahenda fides.

rum causam proponi ordinatum. a

a Et sic proposita fuit sub die 16. Nouembris proximi, qua die dictum fuit Dominos de Amicis nihil concludenter docere de diuersitate fossati Gangaliæ à fossato Marciani.

Romana Societatis Artis Albæ.
Die Veneris 5. Iunij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Liquidatio non potest prætendi ex libris impugnatis.*

2 *Liquidatio illa non est sufficiens, quæ elicitur ex decreto facto à iudice, quòd positiones habeantur pro confessatis, nisi ad primam.*

3 *Iudex potest cogere ad præcise respondendum positionibus.*

4 *Confessio, quæ elicitur ex positionibus habitis pro confessatis propter contumaciam eius, qui præcisè non respondit, ad hoc vt operetur effectum, necesse est, vt concurrant requisita per Franc. in c. 2. num. 9. de confess. in 6.*

DECISIO CDVIII.

1 FVit resolutum † pecunias, quas prætendit Petrus Maria non esse liquidas, ideo non esse ei soluendas; nam neque ex libris potest prætendi liquidatio, cum libros huiusmodi impugnet D. Petrus Maria, *ad vulg. regul. cap. ex eo. de regul. iur.*
2 *in 6.* † Vigore autem positionum, quas Auditor Cameræ pronunciauit haberi pro confessatis nisi ad primam, liquidatio non est sufficiens; tum eo quòd fuit responsum, & licet ex aduerso prætendatur, non fuis-
3 se sufficienter responsum; tamen † Iudex poterat cogere ad præcisè respondendum;
4 tum etiam quia † vt huiusmodi confessio propter contumaciam operetur hunc effectum, necesse est, vt concurrant requisita *per Franc. in cap. 2. num. 9. de confess. in 6.* quæ non fuerunt hic obseruata; ideo conclusum pro non liquidatione.

Vrbeuetana Castri Seppij.
Die Veneris 19. Iunij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Institutio facta per verba directa obliquari non potest; fallit tamen, vt num. 11. & 12.*

2 *Illi, in quibus non cadit necessitas instituendi, censentur vocati simul non ordine successiuo; fallit vt num. 11.*

3 *Institutio, quæ continet substitutionem, intelligenda est de vulgari & non de fideicommissaria; secus est, si adsint verba habentia tractum temporis; quia tunc intelligenda sunt etiam de fideicommissaria, & num. 13.*

4 *Ad fideicommissum reciprocum inducendum concurrere debent requisita, de quibus per Socin. in l. hæredes mei. §. cum ita. ad Trebell.*

5 *Institutis duobus, eorumq. filijs, expectanda est mors vtriusque propter pluralem loquutionem, & substitutio intelligenda est distributiuè, vt filij in portione patris succedant, vt num. 6.*

7 *Indefinita æquipollet vniuersali distributiuè non collectiuè.*

8 *Filij illi censentur vocati, qui tempore testamenti erant nati, vel post testamentum, ante tamen mortem testatoris, vel concepti; maximè in compendiosa secundum communem opin. quod tamen est intelligendum, quando vocatio est pura, secus est si sint vocati in casum mortis, vt num. 19.*

9 *Mens testatoris est præcipuè attendenda.*

10 *Vocati sub appellatione descendentium dicuntur vocati ordine successiuo, licèt nondum sint nati.*

11 *Verba tractum temporis denotantia faciunt, quòd dicantur vocati successiuè.*
Quod procedit, etiam quòd verba sint directa, vbi adest clausula codicillaris, vt num. 12.

14 *Dictio, descendentes, importat tractum temporis.*
Idem est de dictione, in infinitum, vt num. 15.

16 *In institutione facta cum verbis habentibus tractum successiuum, verbum, instituo, respectu primi hæredis testatoris importat institutionem, respectu verò filiorum hæredis importat substitutionē.*

17 *Propter substitutionem factam, si hæres sine liberis decesserit, positi in conditione censentur substituti.*

18 *Pater renuncians fideicommisso non præiudicat filio, quin intret in eius locum.*

DECISIO CDIX.

CAmilla de Sinibaldis Domina Castri Seppij instituit suos hæredes Gabrielem & Falconum fratres suos, eorumque filios & descendentes in infinitum ex eis, & quoslibet eorum per lineam masculinam legitimam & naturalem; & in euentum, in quem prædicti sui hæredes moterentur sine filijs legitimis & naturalibus, seu descendentibus ex eisdem, vt supra, tunc & eo casu hæredes suos vniuersales instituit Ludouicum eius maritum, & Confraternitatem Annunciatæ de Vrbe: Defuncto Gabriele, qui portionem suam alienauerat Sinibaldus filius Falconi adhuc patre viuente, sed excluso à successione ob fideicommissi renunciationem, petiit vigore substitutionis se immitti in possessionem prædicti Castri per Gabrielem alienati: Ex aduerso dicebatur eum non esse vocatū ex
1 pluribus. Primo, quia institutio fuit facta per verba directa; & ideo nō potest obliqua-

præsens decisio habetur in impress. di uers. nouiss. 579. part. 1.

ri

ri *Doctor. in l. Centurio. C. de impub. & al. subst.* Secundo quia cũ vocentur illi, quos necesse non erat instituere, nempe fratres & eorum filij, *l. fratres. C. de inoff. testam.* non veniunt ordine successiuo, sed simul vocati censentur, *c. Raynutius. de testam. Alex. cons. 13. num. 7. lib. 4. Ias. in §. quidam rectè.* * *num. 24. in prima lectur.* Ter-
3 tio quia † hæc institutio, dato quòd contineat substitutionem, ea est intelligenda de vulgari, non de fideicommissaria, *Castren. cons. 159. lib. 1. & 352. num. 5. lib. 2. Dec. consil. 253. num. 5. Ruin. cons. 119.*
4 *num. 2.* Quarto quia † non concurrunt in casu isto requisita ad inducẽdum fideicommissum reciprocum, de quibus *per Socin. in l. heredes mei. §. cum ita. col. 2. ad Trebell. & ibi Rip. num. 24. Ruin. consil. 126. num. 6. & 8. lib. 3. Paris. cons. 44. num. 32. lib. 2. Aym. cons. 161. num. 7. Mandel. cõsil. 31.* Quinto quia cum testatrix instituerit Gabrielem, & Falconum eorumq. filios,
5 expectanda est mors vtriusque † propter pluralem loquutionem, *l. inter illam. §. fin.*
6 *de verb. signif. cum simil.* Sexto quia † hæc substitutio distributiuè est intelligenda, scilicet vt filij Gabrielis in portione Gabrielis & filij Falconi in portione Falconi succedant, *Corn. cons. 32. num. 2. lib. 2.* nam
7 † indefinita æquipollet vniuersali distributiuè non collectiuè, *Bart. in l. si pluribus. in fin. de legat. 2. Idem Corn. consil. 82. co-*
8 *lum. fin. in 2.* Septimo quia † illi filij censentur vocati, qui erant nati tempore testamenti, vel post testamentum ante tamen mortem testatoris, *l. si cognatis. de reb. dub. l. cum ita. §. in fideicommisso. de legat. 2. Alexand. cons. 219. circa fin. lib. 2. Dec. cons. 95. col. penult. cum alijs*, [a] quod in compendiosa communiter est receptum, vt filij non censeantur vocati, nisi sint nati vel concepti tempore mortis testatoris, *Alex. cons. 184. col. 1. lib. 2. Ruin. consil. 112. num. 13. lib. 2. cum alijs.* [b] His tamen non obstantibus, contrarium fuit decisum, verba enim testamenti visa fuerũt satis cla-
9 ra, † ex quibus elicitur mens testatoris, quæ in his est præcipuè attendenda, *l. in conditionibus. de condit. & demonstrat. l. cū proponebatur, & ibi glos. de legat. 2. l. cum virum. C. de fideicomm. l. si quis mihi. de verb. signif. Ias. cons. 154. col. antepenult. vol. 4. Socin. cons. 75. num. 32. lib. 3. Grat.*
10 *cons. 31. num. 14. lib. 2.* nam † quod testatrix voluerit filios Gabrielis & Falconi vocare ordine successiuo, apparet ex eo, quòd vocauit eos sub appellatione descendentiũ, *Galiaul. in l. Gallus. §. quidam rectè. num. 24. & ibi Rub. Alex. num. 85. Ruin. cons. 100. num. 1. lib. 2.* & tunc temporis nulli filij erant nati, *Bald. cons. 305. lib. 3. Dec. cons. 205. num. 3. Rub. Alex. in d. §. quidã. num. 31. Socin. iun. cons. 136. num. 16. in*
11 *fin. lib. 3. Pedemont. decis. 81. num. 16.* † Et sunt apposita verba tractum temporis denotantia, nempe dictio illa in infinitum, quæ facit, vt nisi intelligantur vocati successiuè dispositio reddatur impossibilis, *Aym. consil. 22. nu. 2.* Neque obstat, quòd
12 † verba sint directa, quia adest clausula Codicillaris, vltra verba tractum temporis denotantia, *Alex. cons. 82. num. 2. lib. 2. Aym. d. cons. 22. nu. 8.* Et ex his tollitur primum & secundum fundamentum, quæ ex aduerso fiunt. Secundo facit, quia
13 † hæc substitutio non solum est intelligenda per vulgarem, sed etiam per fideicommissariam propter verba, quæ habent tractum temporis, *Socin. in d. §. quidam rectè. num. 9. Paris. cons. 31. num. 4. lib. 2. Curt. iun. cons. 48. num. 4. Ruin. cons. 92. num. 7. lib. 3. Aym. cons. 22. num. 7. Couar. in cap. Raynutius. §. 2. in fin. de te-*
14 *stam.* † tractum autem temporis importat illa dictio, descendentes, *Curt. d. cons. 48. num. 4. Socin. iun. cons. 136. num. 28. lib. 3.*
15 & † idem importat dictio, in infinitum, *l. apud Celsum. §. in hac exceptione. de dol.*
16 *except.* Ex quibus resultat, vt † verbum, instituo, respectu fratrum testatoris importet institutionem, respectu verò filiorum substitutionem, *Io. de Anan. cons. 37. nu. 2. Curt. iun. d. cons. 48. num. 2.* Con-
17 firmantur supradicta † ex substitutione facta Gabrieli & Falcono si sine liberis decesserint, vt positi in conditione censeãtur substituti, *vt per Ruin. cons. 158. num. 13.* Nec obstat, quod quinto loco opponebatur, expectandam esse mortem vtriusque tam Gabrielis, quàm Falconi, quia hoc posset procedere, si Falconus esset capax, sed
18 cum præsupponatur, † quòd renunciauerit fideicommisso subintrat eius filius, per ea quæ fuerunt per Rotam resoluta *in Vrbeuetana Castrorum coram R. P. D. Blanchetto,* [c] & in proprijs terminis renũciationis fuit decisum *in vna Foroliuien. fideicommissi coram R. P. D. Aldobrandino 30. Aprilis 1578.* [d] Vltimo non obstat, quòd non veniant isti filij, qui non erant nati tẽpore testamenti, vel saltem concepti, illud
19 enim procedit, quando vocatio est pura, sed hic cũ sint vocati in casum mortis institutorum, vt supra fuit demonstratum, sufficit, quòd eueniente casu mortis, & tempore purificationis huius conditionis reperiantur nati vel concepti *Castr. cons. 16. num. 5. lib. 2. Socin. l. si cognatus. num. 3. de reb. dub. Alex. cons. 26. num. 14. lib. 3. Paris. consil. 31. num. 43. lib. 2. Rolan. consil. 38. num. 36. & consil. 39. lib. 4.* Et ex his conclusum ex verbis testamenti Camillæ resultare fideicommissum in fauorem Sinibaldi.

* Ias. l. §. quidam recte. l. gallus. de liber. & posth.

a & pulchrè Socin. cons. 73. a n. 25. vsque ad 40 li. 4. Corn. cons. 17. col. 2. versic. est aduertendũ lib. 4.

b Adde Alex. cõs. 13. col. 2. vers quoad vltimũ, & late Rimin. cõsil. 112. à nu. 23. vsque ad 40. & cõs. 78. n. 6. lib. 2. Bertran. cõs. 166. n. 4. vol. 1. in 2. impress.

c sub die 29. Aprilis & 2. Iunij 1578.

d & sup. in Portuen Bonorũ 29. Aprilis 1577. n. 5. vbi d ctum fuit, quòd possunt filij ex propria persona venire annullando renũciationẽ

Me-

Meliten. Præcedentiæ.
Die Lunæ 22. Iunij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Quando agitur de auferendo iure alteri cõpetente dicitur præscriptio, non consuetudo.*
2 *In præscribendo iure alteri competente requiritur tempus quadraginta annorum.*
3 *Statutum loquens de consuetudine intelligi debet de valida.*
4 *Præscriptio per contradictionem partis, & protestationem coram superiore emanatam interrumpitur.*

DECISIO CDX.

DVbitatum fuit, An ex deductis constet de aliqua consuetudine vel præscriptione alternatæ præcedentiæ, ita vt Venerab. lingua Aragoniæ dici possit habere fundatam intentionem aduersus linguam Italiæ: Et fuit resolutum non constare; nam aut volumus inspicere tempus ante sententiam anni 1532. & indubitatum est ex actibus dictam sententiam præcedentibus non probari alternatam præcedentiam; Aut inspicimus tempus post sententiam, quod est potissimum fundamentum linguæ Aragoniæ, eum ab eo tempore citra fuerit obseruata alternata præcedentia, & ad effectum de quo agitur, non sufficit pro inducenda consuetudine tali, quæ suffragetur; nam enim resolutum fuerit * Venerab. linguam Italiæ habere intentionem fundatam in iure communi & stabilimentis; Neque ei obstare statutum 59. de Baiuliuis,
1 consequens est, vt dicamus, hic † agi non de simplici consuetudine, sed de præscriptione; agitur enim de auferendo alteri ius sibi competens, quo casu dicitur præscriptio, *Abb. in cap. fin. num. 20. de consuetud. Aym. de antiquit. temp. part. 4. in princip. num. 21. in terminis Put. decis. 387. lib. 2. & 252. lib. 3.* & ideo dicitur in prædictis
2 decisionibus † requiri tempus quadraginta annorum, quod quidem in casu proposito non adest stantibus contradictionibus & protestationibus, quòd de anno 1532. & 1538. particulariter procuratores linguæ Italiæ in legendis rotulis protestati sunt; & maximè illa, quæ fuit de mense Maij 1541. eum Venerab. lingua Italiæ obtinuerit licentiam erendi procuratores pro defensione præeminentiarum prædictæ linguæ. Non obstant in contrarium deducta: Et primo quod dicitur hanc esse consuetudinem, & non præscriptionem, ex iam deductis est sublatum; & † quamuis statu-
3 tum loquatur de consuetudine, tamen intelligendum est de valida, *Sarnen. de non toll. iur. quæsit. quæst. 21. circa princ.* Secundo non obstat probatio, quæ sumitur ex enunciatione sententiæ, nam ea est sublata

*sub die Lunæ 22. Maij præterit.

per decis. factam sub die 5. Decembris 1578. Tertio non obstat, quod dicitur has linguas non constituere Collegia separata, quia dato, quòd ita se res haberet, adhuc inter ipsas tanquam particulares datur præscriptio, *Aym. de antiq. temp. part. 4. num. 22* si verò constituunt Collegia separata adhuc habentur pro priuatis hoc respectu, *vt ex Abb. refert Put. d. decis. 387.* Vltimo non obstat, quòd per protestationes emanatas non fuerit interrupta præscriptio,
4 tum ex eo quòd † contradicente parte non procedit præscriptio, tum quòd protestatio fuit facta corã Magno Magistro & Consilio, & fuit admissa cum expressa licentia deputandi procuratores ad defendendas præeminentias, quæ videntur sufficere iuxta terminos *l. vt perfectius. C. de annal. except.* cum eo tempore non posset lingua Italiæ agere, sed expectandum esset generale Consilium.

Rauennaten. Vallium.
Die Lunæ 22. Iunij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Testis, qui dicit, quòd audiuit & tenuit, non est testis de auditu tantum.*
2 *Vilitas & paupertas, quando non repellant testem, & num. 3.*
4 *Dicta testium sunt adiuuanda non cauillanda.*

DECISIO CDXI.

EXceptiones deductas pro Caleagninis contra testes Rasponorum non esse releuantes; Nam quantum ad primam, quòd non sint practici in locis, de quibus agitur, vt constat ex depositione Peregrini, non bene infertur hoc ex suo dicto, eum non loquatur de Ripa Padi, sed de vallibus Sauernæ, immo dicit se esse practicum à Sancto Alberto ad Longastrinum, in quo spatio continentur loca, de quibus agitur.
1 Secundo quod dicitur † esse de auditu, non est verum, eum dicat, quòd audiuit & tenuit, & sic ipse, dum supra loquitur de conductione, loquitur de se non de patre suo. Tertio quod dicitur, quòd non interrogati ingerant se in depositione socer fratrũ, quia hoc deprehenditur ex lectura aliter se habere, cum præcipua intentio producentium fuerit hoc probare, & ad hunc effectum fuerint ad ipsum locum deducti, & ibi per iudicem interrogati. Quarto quòd dicitur non reddere causam scientiæ, ex le-
2 ctura redarguitur. Quinto quòd † sint viles, non est attendenda hæc exceptio, cum rei qualitas requirat testes practicos in illis locis, qui esse non possunt, nisi huius
3 qualitatis, † nec simpliciter paupertas aut vilitas, quæ non est cum improbitate iuncta repellit testes; maximè cum eorum di-

ctum

ctum cum instrumentis concordet. Quantum ad particulares exceptiones contra dicta testium, ex optimè euacuantur per Dominum in facto scribentem; & vulgatum
4 est illud, quòd ✝ dicta testium sunt adiuuanda non cauillanda, quod maximè conuenit, vbi habemus conformitatem instrumentorum, vt supra dictum est, & in Summa Dominis placuerunt responsiones Rasponorum, & omnino impossibile iudicarunt, quòd testes intelligi possint vel debeant, dum loquuntur de Fossato Rasponorum, de illo quod est in Valle Corsiæ; cum apertè hunc ab alio distinguant per interuallum quatuor milliarium.

Prænestina Bonorum.
Die Lunæ 6. Iulij 1579.

SVMMARIVM.

1 *Dos arbitrari debet per iudicem, secundum familiæ, & temporum qualitatem.*
2 *In dotis constitutione paciscentes præsumũtur se conformare iuris communis & statutorum dispositioni.*
3 *Aestimatio in re manifesta non admittitur.*

DECISIO CDXII.

Domini omissis disputationibus & difficultatibus excitatis per informan-
1 tes pro parte Illustrissimi Domini Iulij, ✝ arbitrati sunt, dotem de qua agitur, ad scuta quindecim millia, relinquentes prætensiones fructuum & alimentorum dispositioni iuris communis & statutorum, prout iuris fuerit, huiusmodi autem arbitrium placuit omnibus, & fundatum fuit præcipuè in eo, quòd dotes huiusmodi ex pacti dispositione debent esse honorificæ secundũ familiæ
2 & temporum qualitatem; ✝ in qua re paciscentes conformarunt se dispositioni iuris communis & statutarij, *Dec. cons. 26. num. 4. Ruin. consil. 56. num. 18. & 152. num. 8. lib. 5. Aym. consil. 226. num. 3. Socin. consil. 57. num. 31. lib. 4. Grammat. decis. 18. num. 69.* Qualitates autem familiæ & temporum vti notoriæ Dominis, non indigent vlla demonstratione. Nec obstat, quòd non constet de valore bonorum, quia attento valore, quem confitetur Illustrissimus Dominus Iulius, hæc dos visa est competens, & licèt pro eius parte deducatur dos Illustrissimæ Dominæ Marchionissæ, quæ tamen, an deducenda veniat, nõ caret difficultate probabili propter decisiones factas in causa Portuensi, & ex eo quòd Dominus Iulius, si prætendit per errorem indebitum soluisse, debet contra eam experiri: Tamen in contrarium fuit habita ratio valoris Ciuitatis Prænestinæ, quæ cum æstimetur à Domino Iulio vi-
3 ginti octo millibus scutis, ✝ visa est æstimatio omnino reijcienda, & nullatenus admittenda, neque hoc eget probatione; cum simus in re manifesta. Et hæc ita fuerunt firmata non habita ratione portionis Marij, & habita etiam consideratione doris habitæ ab Illustrissima Domina Marchionissa ad tollendam omnem disputandi occasionem.

Bononien. Bonorum de Pipinis.
Die Lunæ 6. Iulij, & 20. eiusdem 1579.
in Congregatione.

SVMMARIVM.

1 *Vtilitas Ecclesiæ debet adesse de tempore reconductionis, & non sufficit, quòd adfuerit tempore primi contractus.*
2 *Facultas alienandi res Ecclesiæ, quæ vigore bullæ Paulinæ conceditur, non datur simpliciter, sed cum qualitate illa vtilitatis Ecclesiæ de tempore alienationis seu reconductionis, & talis qualitas est probanda per conductorem, non autem læsio per Ecclesiam.*
3 *Enunciatio melioramentorũ facta per partem non probat.*
4 *Melioramenta facta pro manutẽtione prædij non veniunt in æstimatione.*

DECISIO CDXIII.

Actum fuerat in Rota, dato particulari dubio sub die Veneris 15. Maij præsentis anni, An per Dominos Pipinos probarentur talia melioramenta, quæ excluderent læsionem Ecclesię, & impedirent mandatum de immittendo petitum pro parte prædictæ Ecclesiæ, & tunc Domini discussis dictis testium & peritorum relatione, dixerunt non constare de huiusmodi melioramentis, & in omnem euentum satis consultum Pipinis per cautionem, quam se daturos offerebant Reu. DD. Canonici, qua re intellecta per informantes pro DD. Pipinis cõfugerũt ad aliud dubiũ, negantes fuisse resolutum constarę de lęsione Ecclesiæ, quamuis contrarium innuere viderentur decisiones aliàs factæ coram R. P. D. de Grassis, quarum copia data fuerat; tamen ad tollendas difficultates dubitaui particulariter, An sufficienter constaret de læsione: Quo dubio plenè discusso Domini vnanimiter, vno tantum excepto, dixerunt de ea constare per ea, quæ aliàs fuerunt deducta 8. Nouembris 1577. & 21. Maij 1578. coram eodem, *quæ cum sint diligenter adnotata, nõ indigent repetitione, sed solum sunt diluendæ obiectiones, quę de nouo factæ fuerunt. Et primo quod prætenditur incumbere Ecclesiæ onus probandi læsionem, cum contractus fuerit factus in re solita alienari, non placuit Dominis, quia primo in iure potest hoc pati difficultatem, retenta decisione facta in hac eadem cau-

præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 607. pag. 1.

* quæ habentur i impres. tit. de reb. eccles. non alienand. 134. & 136. alioqui 3. & 5.

a Sub die 9. Decēb. 1577. corā R. P. D. de Grass. quæ in suis impress. est decis. 4. de reb. Eccl. non alien.

1 causa,[a] quòd † vtilitas debet adesse de tépore reconductionis, ponderando verba Constitutionis Paulinæ, & tunc in Ecclesia-
2 rum euidenti vtilitate, † ex quibus colligitur non dari simpliciter facultatem alienandi res alienari solitas, sed cum illa qualitate præsentis vtilitatis Ecclesiæ; & ideo hæc qualitas esset probanda per Pipinos, cū facultas, quam prætendunt habuisse locatorem, sit à iure hoc pacto qualificata: Sed ex facto tollitur hæc dubitatio, cum per Canonicos fuerit probatum, prædium, de quo agitur, communiter potuisse locari de eo tempore pro libris 240. ex qua probatione apparet euidenter Ecclesiam fuisse læsam, quæ locauit pro libris 20. Quo excessu adeo notabili stante non obstat, quod deducebatur secundo de melioramentis, & de mille libris solutis; quia quantum ad melioramenta nihil certi per testes & peritos deducitur, vt in alia positione coram me [b] conclusum fuit, sed hoc totum tollitur etiā admittendo id omne, quod prætenditur per Pipinos, quod fuit pro eorum parte assertum in instrumento locationis ipsius factæ, nempe melioramenta ascendere ad libras
3 500. † nam licèt hæc enunciatio non probet, quia facta inter personas prohibitas, *Bellamer. cons. 33. col. 14. Dec. consil. 142. num. 6. Franc. & Gemin. in cap. 1. de reb. Eccl. in 6.* Tamen præsupposito, quòd sit vera, non excludit læsionem iuncta solutione mille librarum, nam dato etiam, quòd fructus harum pecuniarum æstimemus ad rationem decem pro centenario, conficient summam centum quinquaginta librarum, cui addendo viginti libras, erit tota summa centum septuaginta librarum, quæ adhuc est infra summam, pro qua communiter poterat locari prædium, neque aliqua ratio, aut sextæ partis aut pacti de lucrando melioramenta est talis, quæ possit tam notabilem excessum excludere; Primęuus enim status prædij ex narratiuis instrumé-
4 torum † excludit ea melioramenta, quæ periti recensent, cum ea tenerentur pro manutentione prædij facere, *l. agri. de vsufruct. l. pen. de impen. in reb. dot. fact. Castren. cons. 270. lib. 2. Ias. in l. 1. n. 29. C. de iur. emphyt.* Sed neque possunt plus importare, quàm id, quod pars ipsa prætendebat, prout in narratiua instrumenti, quæ supra fuit admissa nempe libras 500. Vltimo non obstant, quæ deducuntur contra testes, nam placuerunt Dominis responsiones per informantes ex aduerso datæ; & ideo ordinatum vt præstita per Canonicos cautione relaxandum mandatum de immittendo; visa est enim causa per plures propositiones exactissimè discussa.

b Nempe sub die Veneris 25. Maij eius dē anni, vbi resolutū fuit, Non obstare de te lib. melioramentis, quę excludāt læsionē, vel impediāt mādatū de immittēdo præstita per Reuer. Dños Canonicos cautione in forma depositi de reficiēdo toto eo quod per Rotā fuerit ordinatū.

Toletana Beneficij.
Die Lunæ 12. Octobris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Dismembratio beneficij seu diuisio facta causa cognita, & de consensu Rectoris valet.*
2 *Ex solemnitatibus adhibitis in dismembratione vel alienatione rei ecclesiasticæ resultat præsumptio vtilitatis in dubio.*

DECISIO CDXIV.

Domini præsupponēdo in præsētia sine veri præiudicio causam diuisionis siue dismembrationis iustam, dixerunt sententiam latam in partibus non esse confirmandam, quia in huiusmodi dismembratione interuenerunt solemnia, cum facultates administratoris sint sufficientes, *cap. dilecto. & cap. vacante. cum ibi notat. de*
1 *praben.* † & facta fuit dismembratio causa cognita, cum assistentia & de consensu Rectoris, *Franc. de reb. Eccl. non alienand. cap. 1. num. 24. Gemin. consil. 48. num. 2.* Nec obstare id, quod de subreptione opponitur respectu valoris, quia in dismembratione dicitur fructus sufficere pro ambo-
2 bus, & hoc est quod mouit iudicem, † ex quibus solemnitatibus adhibitis resultat præsumptio vtilitatis in dubio, *ad Gemnian. d. cons. 48. num. 6. vers. vnde præsumitur*; & ideo videbimus in concursu præsuppositis testibus vtriusque partis, An pro parte Francisci probetur non adfuisse iustam causam diuisionis siue dismembrationis, de qua agitur.

præsēs decis. habetur 1 in press. diuers. nouiss. 534. part. 4.

Fulginaten. Spolij.
Die Veneris 16. Octobris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Citatio exequenda tam contra minorem quàm contra tutorem, si exequuta sit contra tutorem tantum, censetur nihilominus contra eum tam nomine tutorio, quàm proprio exequuta; nisi citatio sit restricta ad eum tanquam principalem tantum.*
2 *Actus sustineri debet ex eo capite, ex quo sustineri potest.*
3 *Citatio interpretari debet in fauorem citantis.*
4 *Tutor testamentarius potest procuratorem constituere sine decreto iudicis.*
5 *Fides notary in curia facit fidem.*
6 *Positionibus datis tam contra tutorē, quàm contra minorem, si solus tutor illis respōdeat sufficit; si tamen sit causa connexa.*
7 *Locator potest propria auctoritate conductorem non soluentem expellere, quod nō procedit, vbi interuertit possessionem domini, & cœpit nomine proprio possidere, vide etiam num. 9.*

8 *Restitutio in spolio datur officio iudicis.*

DECISIO CDXV.

QVia mihi commissa fuit exequutio cu-
iusdam sententiæ Auditoris Came-
ræ cum clausula, constito quòd sit
locus Aegidianæ; Dubitaui, An non ob-
stantibus ex aduerso contra sententiam
deductis esset exequenda: Et primo de-
ducebatur nullitas ex defectu citationis
respectu Angeli, quia cum monitorium
esset decretum contra Iulium & hæredes
Francisci Iacobilli, fuerat exequutum con-
1 tra Iulium tantum, † & quamuis ipse esset
tutor Angeli, censetur nihilominus cita-
tus nomine proprio *ad l. 1. §. nunciatio. de nou. oper. nunciat.* Hæc obiectio non
placuit, quia re vera ipse erat tutor &
administrator cum amplissima potestate
à contutoribus ei tributa; quare cum
citatio non fuerit restricta ad eum tan-
quam principalem tantum, & exclusiuè,
respectu facultatis, quæ ei vti tutori com-
2 petebat, † sustinetur actus ex capite, ex
quo sustineri potest, *ad consil. Roman. 446. & 496. Ias. in l. exigendi. num. 7. & 9. C. de procurator. & ex regul. l. si quis*
3 *intentione ambigua. de iudic.* † citatio in-
terpretanda est in fauorem citantis. Se-
cundo dicebatur procuratorem, qui com-
paruit, fuisse constitutum à tutore sine de-
creto iudicis; sed hoc fuit sublatum ex
4 eo, quòd † tutor testamentarius potest
procuratorem constituere, & notorium
erat Iulium omnia administrasse, & ter-
ras, de quibus agitur, locasse, & insuper
spolium commisisse, & de potestate ipsius
5 satis † constat ex fide notarij, quæ in Cu-
ria fidem facit. Tertio opponebatur de-
fectus terminorum substantialium non ser-
uatorum; sed huic obiectioni Domini re-
sponderunt sufficere, quòd in iudicio priua
introducto fuissent seruati, *per decis. Bisign. 1. de caus. possess. & propriet. Aegid. decis. 661.* Nec obstat defectus reitera-
tionis non factæ, quia cum fuerint factæ
aliæ citationes ad videndum reiterari ter-
minos, licèt prætendantur circumductæ;
tamen magis videntur circumductæ ratio-
ne pronunciationis quàm obseruationis
terminorum; & hanc oppositionem tan-
quam leuem admodum non habuerunt Do
mini in consideratione. Quarto oppo-
nebatur de notoria iniustitia respectu An-
geli, quia Iulius solus respondit positioni-
bus, & sic sibi tantum nocere debet non
6 autem tertio, quia † cum haberent con-
nexam causam ex hoc satis apparet de ve-
ritate, & ad eam comprobandam multum
prodest eius responsio, *Corn. cons. 123. col. pen. post mediu, vers. & licèt confessio. lib. 1.*
Quinto oppositum fuit de notoria iniusti-
7 tia ex eo, quòd † licitum est expellere cōdu-
ctorem nō soluentē propria auctoritate; sed
hoc fundamentum non placuit, quia tenen-
tes hanc opinionem fundant eā ex eo, quòd
Dominus possidet & colonus non possidet;
vnde limitant illam conclusionem in colo-
no, qui interuertit possessionem Domini,
& cœpit nomine proprio possidere, vt
per Menoch. remed. 1. de restit. num. 66.
Sed cum Rota restituat ad statum, nec re-
quirat possessionem, cessat ista difficultas:
8 Præterea † competit officium iudicis, *vt*
9 *per Menoch. vlt. remed. num. 21.* † & li-
cèt limitetur, quando colonus non soluit,
hoc respicit negocium principale, scilicet
an soluerit nec ne; Ideo interim restituen-
dus Franciscus; maximè cum locatio ha-
beat admixtam societatem. Quare his
obiectionibus reiectis resolutum fuit pro
exequutione sententiæ.

Portuen. Bonorum de Columna.
Die Veneris 16. Octobris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Pactum continens mutuam promissionem successionis ad fauorem masculorum æquiparatur emptioni spei, & euentus.*
2 *Per contractum onerosum præiudicatur legitima.*
3 *Dispositio l. si pater. C. de inoffic. testam. licèt sit correcta, & non habeat locum in fideicommissis per l. quoniam in prioribus. C. eod. tit. habet locum in contractibus.*
4 *In vltimis voluntatibus lex omnem conditionem, & onus ipso iure à legitima reijcit, in contractibus autem ad rescissionē requiritur quarela, & num. 22.*
5 *Debitum ante legitimam est detrahendum; cum potentius sit ius creditorum quàm filiorum, sed debet esse contractum titulo oneroso, & ex causa necessaria, non autem voluntaria, & num. 27.*
6 *In alienatio titulo oneroso nullum ius competit filio pro legitima.*
7 *Donationes reciprocæ, An sint veræ donationes, & quando veniant sub dispositione de donatione loquente, & num. 8.*
9 *Qui limitationem affert, eam probare debet.*
10 *Titulus dotis dicitur titulus onerosus, tamen quando ex euentu fit locus lucro illius propter mortem vxoris, tunc est lucrosus, & reuocatur vsque ad legitimam, proposita quarela inofficiosæ dotis.*
11 *Quæuis causa onerosa non facit, quòd detrahi non possit legitima, sed ea solum, quæ est verè & merè onerosa, & non habet admixtum lucrum, & num. 23.*
12 *Causa onerosa, quæ habet lucrum admixtū dicitur causa quasi lucratiua.*
13 *Donatio remuneratoria non est simplex & gratuita donatio, sed potius quædam per-*

mutatio & titulus onerosus.

14 *Ex donatione remuneratoria detrahitur legitima.*

15 *In substitutionibus reciprocis detrahitur legitima.*

16 *Fideicommissum & substitutio in contractibus fieri possunt, & legitima etiam ex eis detrahi potest.*

17 *Causa onerosa donationis est ea, quæ respicit commodum & vtilitatem donantis; si verò respiciat commodum donatarij, vel ex ea donans nullum commodum percipiat, non dicitur onerosa.*

18 *In donatione facta descendentibus, tot sunt donationes, quot sunt descendentes.*

19 *Legitima, quæ petitur ex casu primæ dispositionis factæ de bonis in descendentes vigore contractus vel pacti, nullam potest habere causam onerosam, quia statim debetur mortuo contrahente seu disponente; licèt secus esse posset in descendentibus ex altera linea eam petentibus, in quibus propter pactum in contractu appositum dicitur adesse causa onerosa.*

20 *In donatione ex causa, quatenus causa concurrit cum donatione eatenus donatio non dicitur esse simplex, quatenus verò excedit causam, dicitur propriè donatio.*

21 *In venditione facta pro minori pretio, quàm res valet, admittitur querela inofficiosi.*

22 *Per fideicommissum reciprocum impònitur grauamen legitimæ.*

23 *Ad impediendam detractionem legitimæ non sufficit quoduis onus.*

24 *Contractus inspecto initio potest dici onerosus, & inspecto euentu lucratiuus.*

25 *In materia legitimæ, quæ est fauorabilis, lex loquens de donatione simplici habet etiam locum in donatione mixta.*

26 *Quando mixtum habet assumere naturam simplicis, assumit naturam eius, quod est fauorabilius.*

27 *Aes alienum contractum ex causa voluntaria, & non ex causa necessaria, nec titulo oneroso, non impedit detractionem legitimæ.*

28 *Donationes reciprocæ in aliquibus regulãtur secundum regulas donationum, & in aliquibus non, secundum quòd subest eadem vel diuersa ratio.*

29 *Declaratur Dyn. in l. hæreditarium. de bon. auth. iud. poss. quomodo intelligi debeat.*

30 *Vbi in dispositione aliquid disponitur præter veram naturam contractus, ex quo fiat fraus legi vel homini, siue re siue consilio, semper de eo excessu iudicatur non secundum naturam illius contractus, sed secundum naturam excessus; vt exemplum est in donatione remuneratoria, & in emptione.*

31 *Donatio remuneratoria in eo, quod excedit merita, donatio pura dicitur, & ex mera liberalitate.*

32 *In emptione id, quod deest de vero pretio censetur donatum, & à creditoribus vel habentibus interesse reuocari potest.*

33 *Ludere & scommissas facere, est quemadmodum iactum retis emere, & sapiunt negociationẽ, in qua euentus est fortunæ casibus expositus; et ideo de his iudicatur, sicut de negociatione & mercatura.*

34 *Portio debita filio vigore statuti non est fauorabilis, sicut legitima.*

35 *Donatio inofficiosa re & consilio, ab extraneo in totum reuocatur per filium; si re tantum reuocatur vsque ad legitimam; si verò non sit inofficiosa nec re nec consilio, non reuocatur, & nihil detrahitur.*

DECISIO CDXVI.

Dubitatum fuit, an ex bonis pacto cõprehensis debeatur legitima; Et pro parte negatiua deducebatur primo, quòd *præsēs decis. habetur i im press. diuers. nouiss. 418. part. 1.*
1 pactum huiusmodi, cum contineat promissionem mutuam ob honestũ causam & onerosam, *ad glos. in l. licèt. C. de pact. Oldrad. cons. 139. n. 3. Alber. d. fin. C. de pact. col. 2. Alexan. cõs. 83. n. 14. lib. 2.* æquiparatur emptioni spei & euentus, *Io. Fab. l. 1. C. de inoff. donat. n. 4. Dyn. in l. hæreditarium. de bon. auth. iud. poss.* & ideo quod capitur vigore huius pacti; prouenit ex causa onerosa, *vt post d. glos. tradit Purpurat. ibid. n. 12. Anchar. cõs. 101. col. 2. in fin. Tiraq. in l. si vnquã. in verb. donatione largitus. n. 133. C. de reuoc. donat. Bald. in l. 1. in fin. C. si in fraud. patron. Curt. iun. cõs. 81. n. 5. Socin. iun. cõs. 143. n. vlt. lib. 1. Iul. Clar. §. donatio. q. 2. vers. item quæro. Ant. Gabr. de donation. cõcl. 1. n. 65.* Ex quibus se-
2 quitur† ex tali contractu præiudicari legitimæ, *glos. in l. cum à matre. C. de rei vind. Bart. in l. non vsque adeo. si à paren. qui iuer. manum. & in d. l. hæreditarium. Salic. in l. 1. C. de inoff. donat. q. 8. n. 11. Ang. n. 5. Castr. ibid. in fin.* Secundo confirmatur ex eo, quòd cũ Alexandri Constitutione *in l. si pater filiæ.*
3 *C. de inoff. testam.* cautũ fuisset, † ex reciproco fideicõmisso non dari querelã inofficiosi ratione dubij euentus, qui facit, vt filia non censeatur grauata; hæcq. constitutio ex Doctorũ sententia sit correcta *per l. quoniã in prioribus.* quæ omne grauamen reijcit, hocque locũ habeat in fideicõmissis, non tamen procedit in contractibus, ex sentẽtia *Baldi in d. l. 1. C. si in fraud. patr. in fin. Anchar. cõsil. 101. col. 2. in fin. Tiraq. in d. l. si vnquam. in verb. donatione largitus. n. 140.* & ratio differentiæ inter vltimas voluntates & cõ-
4 tractus videtur esse, quia† in vltimis voluntatibus lex omnem conditionem & onus ipso iure à legitima reijcit, in contractibus verò requiritur quærela ad rescissionem toto titulo. *C. de inoffic. donat. Ruin. consil. 26. libro 3. Caccialup. l. generaliter. §. cum*

§. cum autem. de instit. & substit. Tiraq. in d. verb. donatione. num. 140. Tertio facit, quia hæc bona debentur ex contractu, *Oldrad. consil.* 139. *in princip. Ias. consil.* 173. *num.* 4. *lib.* 4. *Suarez in d. l. quoniam in*
5 *prioribus. limitat.* 16. ergo ✝ hoc debitum ante omnia est detrahendum, quia potentius ius est creditorum quàm filiorum, *l. Papinianus. §. quarta. de inoff. testam.* &
6 ✝ in alienatis titulo oneroso nullum ius cōpetit filio, *Barb. post Card. in cap. Raynutius. num.* 36. *de testam. Couar. ibid. §.* 10.
7 *num.* 91. Quarto, quia ✝ huiusmodi reciprocæ donationes non sunt veræ donationes, nec habent causam lucratiuam; & ideo quæ disponuntur in veris donationibus, locum sibi in istis non vendicant, *vt latè sequitur Tiraq. d. l. si vnquam. in verb. donatione. num.* 130. 133. *&* 139. *post Ioan. Fab. & Guid. pap. consil.* 214. *col.* 5. *Oldrad. d. consil.* 139. *num.* 3. *cum alijs, quos allegat Ias. & Suarez locis supra citatis.* Quinto videntur pro hac parte facere infrascripti Doctor. *Dyn. in l. hæreditariū. de bon. auth. Iud. possid. & ibid. Cuman. Io. Fab. in l.* 1. *num.* 4. *C. de inoff. donat. Bald. in l.* 1. *in fin. C. de his quæ in fraud. patr. Paris de Put. de ludo. num.* 52. *Caccialup. in eod. tractat. num.* 81. *Ancharan. consil.* 101. *num.* 5. *Guid. pap. consil.* 214. *num.* 6. *&* 218. *nu.* 10. *Tiraq. d. l. si vnquam. in verb. donatione largitus. num.* 130. *&* 140. *Paris. consil.* 26. *in fin. lib.* 2. *Cuch. de legitim. §. legitima est quota bonorum. num.* 21. *Vuissembech. consil.* 49. *n.* 11. *& melius cæteris Palat. Ruu. in repetit. Rubr. de donat. inter vir. & vx. §.* 50. *n.* 17.
8 Pro contraria parte facit; primo quia ✝ licèt donatio mutua non sit simplex & gratuita donatio, vt supra deductū est; tamen donatio est, vt probat *text. in l. quod autem. §. si maritus. in fin. de donation. inter vir. & vxor. Curt. iun. consil.* 11. *n.* 9. maximè verò in casu, de quo agitur, in quo contrahentes vsi sunt verbis prægnantissimis, dum voluerūt habere vim perpetuæ, inuiolabilis, meræ, & irreuocabilis donationis inter viuos, idem probat *text. in l. cum hic status. §. si ambo. de donat. inter vir. & vx. Alex. in l. licet. num.* 4. *C. de pact. Suarez d. l. quoniam in prioribus. in* 3. *limitat. n.* 17. *cum ibi per eum deductis,* & ideo regula est pro hac parte *per l.* 1. *C. de inoff. donat.* ex
9 quo sequitur, eos ✝ qui limitationem afferunt, eam concludenter probare debere.
10 Secundo facit, quia ✝ licèt titulus dotis dicatur titulus onerosus, *l. fin. §. si à socero. quæ in fraud. cred. l. ex promissione. ff. de action. & oblig.* tamen quando ex euentu fit locus lucro dotis, puta prędecedēte vxore, tunc reuocatur vsque ad legitimam proposita quærela inofficiosæ dotis, *vt per Bald. & Castr. in l.* 1. *C. de inoff. dot. Affl. decis.* 86. *n.* 3. non est ergo verum absolutè, quòd
11 ✝ quæuis causa onerosa faciat, vt detrahi non possit legitima, sed ea demum, quæ est verè & merè onerosa, non autem vbi adest
12 lucrum admixtum, ✝ tunc enim dicitur causa quasi lucratiua, *vt est text. iunct. glos. in d. l. apud Celsum. §. si quis autē. in verb. proinde. de dol. except. Ias. in §. item si quis in fraudem. num.* 29. *Instit. de action. vt paulo post latius deducetur.* Tertio hoc idē comprobatur exemplo ✝ donationis remuneratoriæ, quæ neque ipsa est simplex & gratuita, sed potius permutatio quædā, & titulus onerosus, *l. Attilius Regulus. de donation. l. sed & si lege. §. consuluit. in fin. de pet. hæred. Tiraq. d. verb. donatione largi-*
14 *tus. num.* 11. & tamen ✝ ex ea legitima detrahitur, *Castren. in Authent. Vnde si parens. nu.* 7. *& ibi Ias. nu.* 15. *ad fin. C. de inoffic. testam. Bertran. consil.* 71. *n.* 9. *in* 2. *part. prim. libr. Aym. consil.* 165. *nu.* 4. *&* 6. *cum alijs per informantes adductis.** Quar-
15 to facit, quia ✝ in substitutionibus reciprocis nihilominus detractio legitimæ locum habet, non obstante dispositione *l. si pater puellæ; quæ est correcta per l. quoniam in prioribus. vt per glos. Bart. Bald. Salicet. Castr. & Ias. in d. l. si pater. & de communi testatur Dec. consil.* 456. *col.* 3. *Gabr.*
16 *de legitim. conclus.* 1. *num.* 6. Quare ✝ cum fideicommissa & substitutiones in contractu fieri possint *l. vt hæredibus. de legat.* 2. *l. quoties. C. de donation. quæ sub mod. Bald. consil.* 244. *in* 2. *Aym. consil.* 19. *num.* 8. consequens est, vt ex eis legitima detrahi possit, *vt tradit Dec. consil.* 613. *num.* 1. *circa fin. & num.* 4. *&* 5. *Goffred. in l. Titio centum. §. Titio genero. vlt. col. de condit. & demonst.* Quinto pro hac parte stat auctoritas infrascriptorum Doctorum, *Alber. & Ang. in l. hæreditarium. de bon. auth. iud. possid. Roman. consil.* 26. *num.* 1. *&* 9. *Dec. consil.* 613. *num.* 2. *Bertrand. consil.* 84. *num.* 3. *& num.* 14. *lib.* 4. Quibus accedunt in argumentum, qui tenent donationem remuneratoriam admittere detractionem legitimæ *Castr. in Authen. Vnde si parens. nu.* 7. *C. de inoff. testam. Ias. ibid. num.* 15. *& in l. ex hoc iure. num.* 61. *de iust. & iur. Aym. consil.* 165. *num.* 5. *Io. Fab. ex aduerso allegatus in d. l.* 1. *C. de inoff. testam. vers. sed quid si pater dedit. cum alijs infra deducendis.* Hanc posteriorem sententiam, in hoc pacto, de quo agitur, amplexa est Rota, causa per duas positiones plenè discussa: & præcipuum fundamentum
17 constitutum est ex eo, quòd ✝ causa onerosa in donatione consideratur, quando ea respicit commodum & vtilitatem ipsius donantis; secus verò si ea respiciat commodū donatarij, vel ex ea donās nullum commodum percipit, *l. si extraneis. de iur. dot. Rip. in l. si vnquam. num.* 26. *&* 27. *C. de reuoc. donat.* In pacto autē, de quo agitur, plu-

* Adde Borguin. de vsufr. sub n. 95. circa med. vers. & nedū per legata Moderni Burgē. cōs. 101. n. 1.

T 2 plu-

plures dispositiones continentur, nam
quilibet ex contrahentibus, quamdiu su-
persunt filij descendentes, donat filijs suis
18 descendentibus, & sic † tot sunt donatio-
nes, quot descendentes, *l. quoties. C. de
donat. quæ sub mod.* Alia dispositio conti-
net donationem, quæ fit filijs descenden-
tibus ex altera linea in euentum, quòd pro-
pria linea defecerit, Adsunt etiam aliæ,
quas opus non est referre, cum ad præsen-
tem inspectionem non faciant: Prior ergo
illa dispositio, quæ fit in fauorem filiorum,
durante vtraque linea, nullam habet cau-
sam respicientem vtilitatem donantis, ne-
que vlla adest reciproca donatio inter pa-
trem & filium, nam cum dono filijs meis,
vt tu dones filijs tuis, nihil vtilitatis sen-
tio ex hac donatione; sed in posteriore,
quando dono filijs tuis, vt tu dones meis,
adest quædam vicissitudo, & mutua illa
spes concernens commodum vtriusque.
Cum autem legitima, de qua agitur, sit le-
19 gitima Sciarræ filij Alexandri, † quæ ei
statim debebatur mortuo Alexandro, ap-
paret hic agi de detractione legitimæ in ca-
su prioris dispositionis, non in casu secun-
dæ, veluti si filij ex propria persona hodie
peterent legitimam, & sic in casu, in quo
nulla subest causa onerosa, detrahitur enim
legitima ex persona Sciarræ ex priori do-
natione, pro qua nullum paciscentes con-
sequebantur commodum, & licèt isti euen-
tus in præsenti facti specie mixti videan-
tur propter correspectiuitatem; non ta-
20 men obest, quia † quatenus causa concur-
rit cum donatione, eatenus dicitur non
esse simplex; quatenus verò excedit cau-
sam dicitur propriè donatio, *vt declarat
Aretin. consil. 17. num. 9. Tiraquell. loco
supra citato nu. 148. Bertr. consil. 46. n. 3.
in prim. secund.* sicq. in proposito quate-
nus simus in casu primæ dispositionis, non
inconuenit dicere donationem esse sine ali
quo onere respectu descendentium ex pro-
prijs filijs, hæc enim bona consequuntur ti-
tulo merè lucratiuo, quatenus verò simus
in secundo, eam habere causam onerosam,
21 † Idē obseruari constat in venditione, quæ
quatenus facta est pro minori pretio, quàm
res valeat, admittit querelam inofficiosi:
*Doctor. communiter in d. cap. Raynutius.
& ibi Couarr. §. 10. num. 9. de testam.*
Idem in dote, quæ quamdiu est penes
maritum constante matrimonio non re-
uocatur, sed eo soluto reuocatur, vt su-
pra fuit deductum; & hanc diuersitatem
donationum & causarum manifestè osten-
dit donatio facta descendentibus Illustris-
simi & Excellentissimi Domini Marci An-
tonij, quæ non potest dici ex causa onero-
sa, cum pro eorum parte nihil prorsus
in hoc pacto collatum fuerit: Et hoc stan-
te fundamento, clarè apparet rationem

diuersitatis datam inter contractus & vl-
timas voluntates, de qua in secundo fun-
damento, quod fit ex aduerso, non obsta-
re, cum ratio correctionis *l. si pater puel-
la. per leg. quoniam in prioribus.* sit, quia
22 † per fideicommissum reciprocum im-
ponitur grauamen legitimæ, *vt animad-
uertit Iaf. d. l. si pater. num. 1.* quod ple-
nè verificatur in casu isto, nec tollitur
ex eo, quòd in vltimis voluntatibus pater
non possit grauare in legitima, sed in
contractibus possit ex causa onerosa, ex-
clusa enim causa onerosa, excluditur quo-
que hæc facultas grauandi legitimam per
contractum; nam si fiat, reuocatur per
viam querelæ, & ita etiam tollitur pri-
mum argumentum, quod fit de contractu
oneroso, & auctoritates allegatæ tendunt
ad alium effectū; vt infra dicetur; sed & ex
23 alio tolli potest, nam † non quoduis onus
sufficit ad impediendam detractionem le-
gitimæ, vt supra deductum fuit in secundo
fundamento pro hac parte, & onus hic ap-
positum est talis naturæ, vt statim quòd fit
acquisitio per conditionis implementum,
reperiatur commodum donationis penes
donatarium absque eo, quòd quicquam ei
obsit, vel ab eo auferatur; Ita quòd licèt
conuentio habeat speciem oneris, tamen
effectus est merè lucratiuus, quale est pa-
ctum de lucrando dotem in casu *Baldi &*
24 *Castr. in d. l. 1. C. de inoff. dot.* † Neque est
absurdum, quòd inspecto initio contractus
dicatur onerosus, & inspecto euentu lucra-
tiuus, *vt per Bald. consf. 401. num. 1. lib. 2.
Iaf. in l. si donaturus. §. fin. num. 13. de
cond. caus. dat. Ioan. de Fano in Auth. ex
testamento. num. 88. C. de secund. nupt.
Rub. Alex. in l. Titia Seio. §. Imperator.
num. 135. de legat. 2. Raph. Bertran. in l.
hac edictali. num. 59. C. de secund. nupt.*
Et ideo aliqui Doctores dicunt, huiusmo-
di donationes non esse merè lucratiuas,
sed habere onus annexum, *Salicet. d. l. li-
cèt. Tiraq. loco supr. citat. num. 133. &
Ang. in l. sancimus. num. 3. C. de dona-
tion.* Et ex hac responsione potest deduci
aliud fundamentum pro hac parte, nempe
25 quòd † cum versemur in materia fauora-
bili, scilicet legitimæ, sub lege loquente
de simplici comprehenditur casus mixtus,
& ita sub *l. 1. C. de inoff. donat.* loquen-
te de donatione simplici, comprehendi-
tur etiam hæc, de qua agitur, *ad notat.
per Doctores in l. 2. de verb. obligat.* &
26 † quando mixtum habet assumere natu-
ram simplicis, assumit naturam eius, quod
est fauorabilius, *Iaf. in d. l. 2. num. 5.*
Tertium fundamentum de ære alieno an-
27 te omnia deducendo facilè tollitur, † de-
bet enim esse æs alienum contractum
ex titulo oneroso & ex causa necessaria,
non autem ex causa voluntaria, aliàs
non

nō impedit detractionē legitimę, *Castrē.cōs. 134.n.2.Aym.cōs.141.n.5. & 165. n.4.glos. fin.in l.seruū quoque. §.fin.de procur.et glos. fin.in l.rē legatā.de adim.legat.Soci.cōs.148. col.fi.in fin. lib.1.Corn.cōs.190. nu.8. lib.4. Rip.lib.3.resp.c.10.de reuoc.don.Pinel.in l.1 in 4.part.n.76. C.de bon. matern. Couar.d.c. Raynutius.§.10.n.9.* Quartum, quòd huiusmodi reciprocæ donationes nō sint veræ do nationes, ex supra deductis est sublatū: nam
28 † in quibusdā regulātur secūdū regulas do nationū, in aliquibus secus, prout vel subest eadē ratio vel diuersa: Vnde cū supra ostensū fuerit in his subesse eandē rationē detrahēdi legitimā propter grauamen, & quia nō cōtinet causā mere onerosā; Itē quia cōtinet & fideicōmissa, & substitutiones, consequēs est, vt regulētur ad instar donationū in officiosarū, & fideicōmissorū ac substitutionū, ex quibus debetur legitima. quinto & vltimo nō obstāt auctoritates. Et primo auctoritas *Dyn. in l. hereditariū. de bon. auth. iud. poss.* vltra quòd habet casū lōgè à no-
29 stro diuersū, quia ibi † immediatè hęreditas ex pacto deferebatur superstiti, & nullū adiūctū erat onus fideicōmissi filijs ex vna linea proueniētibus, prout in casu proposito, vt fuit supra deductū, ea procedit in causa merè onerosa, *vt declarat ibi Bar.* adeo quòd nisi causa sit merè onerosa, dissentiat à Dyno, & sic nō videtur ex simplici reciprocatione, quę in quęstione Dyni præsupponebatur, cōsēsus ad hoc, vt dicatur cōtractus ex causa onerosa, & ibi Albericus idē sentit, & si bene aduertatur idē sentire videtur ipsemet Dynus, prout eū intelligit *Ang ibidem*, qui apertè pro hac parte facit, & etiā Cumanus: Neq; est verū, quòd sufficiat titulus
30 quasi onerosus; quia in cōtrariū † in omni dispositione, vbi aliquid disponitur pręter ve rā naturā contractus, ex quo fiat fraus legi vel homini, sine re siue cōsilio, semper de eo excessu iudicamus, nō secundū naturā illius cōtractus, sed secūdū naturā excessus, veluti
31 † in donatione remuneratoria, si excedit merita, iudicamus eā in excessu esse donationē
32 purā ex mera liberalitate; † Idē in emptione, Id quod deest de vero pretio, cēsetur donatū: & ideo reuocatur tāquā donatū à creditorib. & alijs interesse habētibus; & ideo idē dicēdū in casu proposito, ne discedamus à regulis cęterorū cōtractuū & negotiorū. Secūdo, Nō obstat *doctr.Io.Fabr.* nā ea cōtinet casū similē casui Dyni, nō autē nostro, & ipse nō firmat illā opinionē, immo potius cōtrariū sequitur, cū argumētetur cōtra eā *ex textu l.Seia.de donat.caus.mort.* & deinde expressè firmet cōtrariū *in vers.sed quid si pater.* Tertio nō obstat doctrina *Baldi in l.1.de his quæ in fraud.patr.in fin.quē sequitur Paris de Puteo & Caccialup.* quia loquitur in ludo, in quo nulla cōcurrit volūtas donandi in ludēte, & ratione administrationis in vita
33 † potest ludere, & scōmissas facere, quēadmodū & iactū retis emere, ista enim potius sapiūt negotiationē, in qua euētus est fortunę casibus expositus; & ideo de his idē, quod de negociatione & mercatura iudicandum. Quarto nō obstat *cōs. 101. Anchar.* quia lo-
34 quitur † in portione filio debita vigore statuti nō antè in legitima, & sic in casu minus fauorabili. Quinto nō obstat *Guid. pap. & Tiraq.* quia hanc quæstionē nō tractāt, & ad aliū finē tendūt, & nō negatur quibusdā respectibus aliud disponi in donatione mera, aliud in donatione reciproca, veluti respectu insinuationis; & ita procedūt *notata in l. licèt. C.de pact. & per Oldrad.cōs.139.cū alijs in primo fundamēto cōtrariæ partis allegatis.* Sexto nō obstat *cōs.26.Paris.in fi.lib.2.* quia manifestè cōtrariū sentit, ibi enim fatetur
35 legitimā nō detrahi, ex eo quòd † donatio illa, de qua agebatur, nō erat nec re nec cōsilio inofficiosa, quo casu nihil detrahitur, sed si re & cōsilio esset inofficiosa, in totū reuocaretur ab extraneo, si re tantū vsq; ad legitimā, *Clar.§.donatio.q.24.n.2.* Septimo Cucchius, & Vnissembech. parū faciūt, quia multū perfunctoriè loquūtur. Vltimo nō obstat *Palat.Ruu.* quia non bene declarat, an actū fuerit ad releissionem pacti vti innalidi, an verò ad legitimā, sed vtcūque sit, videtur solus relinqui pro hac parte, cū plures & maioris auctoritatis stēt pro cōtraria parte, & in omnē euētū cōuenit respōsio data ad auctoritatē Dyni, scilicet, quòd casus, de quo agimus, est valde diuersus propter varias substitutiones in eo cōprehēsas, & ex hoc capite tāquā tutiore, & minus præiudiciali placuit Dominis capere prędicti dubij resolutionē. Reliquæ auctoritates adductę ad probandū, quòd ex cōtractu oneroso nō detrahitur legitima parum faciunt, cum non explicent, quomodo intelligatur cōtractus esse onerosus ad effectum præsentis dubitationis.

Romana Locorum Montis Pij.
Die Lunæ 26. Octobris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Ad reuocationem primi testamenti non requiritur in secundo indiuidua mētio clausula derogatoriæ in primo positæ.*

2 *Confessio iurata notario pro absente stipulāte, etiam si sit facta in testamēto, licèt regulariter reuocari nō possit, nec cōtra eā opponi exceptio nō numeratæ pecuniæ, vt n.4. quādo tamen possit reuocari, vid. n. 5. 7. & 8.*

3 *Contractus etiam in testamēto fieri potest, & retinet naturam contractus quoad irreuocabilitatem.*

6 *Confessio emanata coram Principe prætextu erroris reuocari potest.*

9 *Per alienationē rei prohibitæ alienari factā sine causa in dispositione inter viuos nō impeditur trāslatio dominij, & pro ea solum competit actio ad interesse cōtra alienantē.*

10 *Substitutio etiam in contractib. fieri potest.*
11 *In contractibus etiam nuda probibitio locum babet.*

DECISIO CDXVII.

PRopośui dubium in hac cauśa, An dispo
sitio locorum montium facta ad fauorē
Ioſephi per D. Io. Mariam in priori testa-
mento potuerit reuocari, & fuerit reuocata
per secundū testamentum;& an dictæ dispo-
sitioni obstet prohibitio facta per Gabrielē,
itaut dicatur nulliter facta;in quo quidē du-
bio circa vtranq; partē DD.vario modo sē-
tiebāt: Et quo ad primā partē dubij fuerūt
concordes in hoc, quòd Io. Maria voluerit
per secundū reuocare primū testamentū;nā
licèt primū esset iuratū,& cū clausulis dero
gatorijs sufficiēter appositis in secūdo testa
1 mēto, † in quo nō requirebatur indiuidua
mētio clausulę derogatorię positę in primo,
vt de cōmuni per Clar.in §.testamētū.q.99.n.
7.& fuit resolutū corā D.Bubalo de hoc anno
in vna Romana Legati.& dubitari pōt,quin
reuocato testamēto censeātur etiā reuoca-
ta legata,l.3.§.penult.& ibi glos.in verb.scri
ptus.ff.si cui plusquā per Falcid.Alberic.in l.
sancimus.in fin.C.de testam.Curt.iun. cons.
163.n.15.nec est verū,quòd in secundo testa
mēto leget quædā Ioſepho, quia in eo præ-
supponitur,quòd Ioſephus sit eius debitor,
& leget,quod sibi debet.An autē potuerit re
uocare dictā dispositionē, aliqui ex Domi-
nis sētiebāt pro negatiua; Et mouebantur,
2 quia † cōfessio iurata notario stipulāte pro
absente de re particulari, etiā si sit facta in
testamēto reuocari nō potest, Bart.in l.cum
quis decedēs.§.codicillis. n.5.de legat.3. Rom.
cōs.171.n.7.Anchar.in c.fin.n.14. de success.
ab intest.et ibi Alber.n.19.Rip.in l.nemo po-
test.n.34.de legat.1.& ibi Io.Hannib.n.135.
Natt.in Auth.hoc inter liberos.n.77.C.de te-
3 stam. & ratio est,quia† etiā in testamēto cō
tractus fieri potest,& retinet naturā cōtra-
ctus etiā quoad irreuocabilitatē,glos.in l.ha
redes palam.in fin.de testam.Tiraq. de legib.
cōnnb.glos.5.n.101.& de cōstitut.part.2.am-
pliat.24.Dec. cōs.196. col. 2.ibi. & licèt facta
sit.Mādel.cōs.109.n.11.et cōs.57.n.17.et cōs.
42.n.6.& cōs.4.n.36.& multos cōgerit Bolog.
4 cōs.7.n.9.& 10.& † cū ista cōfessio sit facta
in testamēto per infirmū notario stipulante
pro absēte,nō potest cōtra eā opponi exce
ptio nō numeratæ pecuniæ,vt per Fel.in c.si
cautio.n.54.de fid.instr.cū alijs cumulatis per
Emanuel Cost.in l.si ex cautione.vers.duode-
cimo fallit.C.de nō num.pec. Aliqui verò con
trariū tenebāt,nēpe dispositionē locorū mō
tiū factā in fauorē Ioſephi potuisse reuoca-
ri per secūdū testamētū,& cōsiderabāt quòd
in isto testamento aderāt duæ dispositiones
ad fauorē Ioſephi,Prima est cōfessio facta à
Io.Maria,quòd sit debitor Ioſephi ex pluri-
bus causis in scutis quingētis;Secūda est le-
gatū istorū quinq; locorū mōtis Pij. Quod
attinet ad primā dispositionē dicebāt Do-
5 mini,quòd †licèt ista cōfessio regulatiter nō
possit reuocari,vt supra dictū est,tamen hæ
res pōt docere de errore istius cōfessionis,&
illā reuocare,Salic.in l.generaliter.sub n.13
C.de nō num.pec.Hērie.Boich.in c.2.n.31.de
cōfess.qui licèt limitet,vt nō procedat,quā-
do interuenit iuramētū, tamen hoc nō puta
bat verū,quia iuramētū nō impedit reuoca
tionē,quę fit prætextu erroris, Ias.cōs.160.
6 in fin.lib.4.sicut etiā videmus,quòd †cōfes-
sio emanata corā Principe reuocatur præte
xtu erroris.Ant.Aug.decis.367.incipit in Ro
mana alimētorū. Præterea dicebāt posse ap
plicari duas limitationes ad d. regulā; Pri-
7 ma erat, quòd †licèt hæc cōfessio particula
riter & per se reuocari nequeat, tamen reuo
cādo totaliter testamētū, cōfessio etiā reuo
cata cēsearur,per Doct.glos.& Bar.in l.alie
nā §.1.de donat. caus. mort. & latè cōprobat
Ruin.cōs.129.n.6.vol.1. Secūda erat limita-
tio;nā cū Ioānes Maria facta d.cōfessione in
8 cōtinēti leget hæc loca mōtiū† videtur hęc
cōfessio facta cōtēplatione huius legati; &
rōne cōnexionis, quēadmodū potuit reuo-
cari legatū,ita etiā reuocata sit ista confes-
sio per doctr.Bart.in l.fin.ff.de solution.& la
tè cōprobat Ruin.cōs.61.n.6.cū seq.lib.2.qui
sequitur Port.Imol.in cons.112.n.48.Rimin.
iun.cons.112.n.117. & 178. lib. 2. maximè
quia vt dicit Natt.cōs.73.n.6. ideo efficitur
irreuocabilis cōfessio facta in testamēto par
te acceptāte,quia cōfessio probatoria est a-
ctus,qui de sui natura celebratur inter vi-
uos,nihil pertinens ad testamētū, quia vsus
testādi est inuētus, vt fiāt institutiones, &
legata in eis;& propterea mirū nō est,si cen
setur facta,vt fiūt aliæ dispositiones inter vi
uos,quia nō pōt dici,quòd facta fuerit gra-
tia testādi,cū nihil ad testamētū pertineat,
quod nō videtur cessare in hoc casu, cū hæc
cōfessio facta fuerit ad colorādū istud lega-
tū, vt bene facit quod dicit Alciat.in l.nemo
potest. n.27.de legat.1. quòd cōtractus facti
in testamēto cōtinent naturam testamēti,
quando fuerit de hæreditate, vel de aliqua
parte hæreditatis. Has duas tamen limita-
tiones Domini nō firmabāt,sed dixerūt pos
se super eis particulariter dubitari. Quo ve
rò ad secūdā dispositionē, in qua Io. Maria
legat scuta quingēta in dictis mōtibus,tene
bāt potuisse reuocari,& fuisse reuocatā per
secūdū testamētū, cū sit facta per modū le-
gati,vel institutionis in re certa,nec interue
nerit aliqua stipulatio,nec acceptatio nota
rij,quo casu tāquā vltima volūtas,nō est du
biū,quòd poterat reuocari. Circa secūdā
partē dubij,pariter Domini nō fuerūt con-
cordes,aliqui enim dicebāt,prohibitionem
Gabrielis non obstare dispositioni factæ per
Io. Mariā in fauorē Ioſephi, cū fuerit facta
per testamētū,& in infirmitate,& sic in arti
culo

culo mortis,*vt per Bar.in l.1.n.40.C.de sacrosf.Eccl.*& sic potius cõuenire cũ volũtate Gabrielis,qui voluit,quòd Io.Maria nõ potuerit disponere nisi in testamẽto, & in articulo mortis,& licèt fecerit cõtractũ in testamẽto,tamen per hoc nõ potest dici quin dispositio sit facta per testamẽtũ,nec Gabriel videtur habuisse cõsiderationẽ, quòd fieret dispositio reuocabilis vel irreuocabilis,dũmodo fieret testamentũ,& Io. Maria posset eius vita durante percipere fructus dictorũ locorũ montiũ . Secundo mouebãtur, quia
9 †prohibitio istius alienationis fuit facta sine causa in dispositione inter viuos,quo casu sequuta alienatione nõ impeditur trãslatio dominij,*vt per Bar.in l.filius fam.§.Diui.n.14.de legat.1.& ibi Crot. n.86.qui dicit quòd nemo ab ea dissentit,*& solũ cõpetit actio ad interesse cõtra alienãtẽ. Nec obstat, quòd ista prohibitio cẽsetur facta in fauorẽ Leõtiæ substitutæ in euẽtũ alienationis,sed solũ si Io.Maria decesserit ab intestato,qui casus nõ euenit, cum fecerit duo testamenta,& ad hoc vt valeat prohibitio,debet fieri substitutio in euẽtũ alienationis,& nõ in aliũ casũ,*vt per Rip.in d.§.Diui.n.19.* Contrariũ autẽ sentiebãt aliqui ex Dominis tenẽtes huiusmodi prohibitionẽ nõ posse dici
10 nudã,cũ fuerit substituta Leõtia,†quę substitutio etiã in cõtractibus fieri potest, *l.vt haeredibus.de legat. 2. l.quoties. C.de donat. Aym.cõs.18.n.8.*& sic satis videtur vestita à
11 persona. Præterea dicebãt†etiã in cõtractibus nudã prohibitionẽ valere, *l.ea lege. n.3. C.de cõdit.ob caus.Ias.in d.§.Diui.n.34.et in l.si ita quis promiserit.§.ea lege.n.3. de verb. oblig.*& vnus ex Dominis cõsiderabat,quòd fortè posset dici , quòd simus in contractu Principis;nã cũ Princeps admittat resignationes horũ locorũ montiũ dãdo facultatẽ Gabrieli,vt de eis disponere possit,& sic approbãdo dispositionẽ isto casu videtur,quòd impediat trãslationẽ dominij,*Ias.in d.§.Diui.in 3.lectura n.26.quẽ sequitur ibi Rip. n.92.Opiz.n.168.& Loaz.n.165.*Addebãt etiã quòd in isto casu non constat de traditione istorũ locorũ montiũ facta Iosepho,& sic nõ intrat difficultas, an impediatur translatio dominij,cũ nõ sit sequuta traditio, per quã dominia trãsferũtur , & sic remanet prohibitio valida,vt supra dictũ est;Et ideo stãtibus huiusmodi difficultatib. Domini ordinarũt,quòd materia restringeretur ad aliquod dubiũ particulare, & super eo disputetur.

Romana de Fabijs .
Die Lunæ 26. Octobris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Deputatio Iudicis ab Aud.Cam. debet cõstare,nec sufficit partiũ comparitio coram eo.*
2 *Priuatorum consensus iudicem non facit.*
3 *Dispositio cap.fin. cum ibi notat. de rescrip. non procedit , quando potest ferri sententia super iure superueniente .*
5 *Causa cõmissa, quã plures habẽt cũ tertio,nõ censetur cõmissa causa inter ipsos plures.*
6 *Quando Iudex non dicatur functus officio suo per sententiam .*

DECISIO CDXVIII.

DVbitaui super validitate cuiusdã decreti Aud. Cam.siue deputati ab eo; Et primo opponebatur nõ cõstare de subdelega-
1 tione,†qui defectus esset clarus nõ docto ex aduerso de sufficiẽti deputatione,nõ obstãte quòd partes corã eo cõparuerint, quia pri-
2 uatorũ † cõsensus iudicẽ nõ facit *l.priuatorũ.C.de iurisd.omn.iud.* sed ex facto tolli potest hæc difficultas docẽdo de deputatione: Reliqua, quæ obijciũtur cõtra decretũ reiecta fuerũt per Dominos;nã quod secũdo dicitur hanc causã tẽpore,quo emanauit Motus proprius fel.rec.Pij V.nõdũ natã,eo cõ
3 prehẽdi nõ potuisse,† *c.fin.vbi Doctor.de rescrip.*ᵃnõ procedit quãdo potest fieri sentẽtia super iure superueniẽti,*Rota 19.de rescr. in nou.Imol.in d.c.fin.n.8.Card.ibid.in 7.oppos.de rescrip.* ᵃ & sufficit ius huiusmodi superueniat ex causa de pręterito,*l.si rẽ.§.fin. de pign.action. Gabr.de iudic. cõcl.2. n.1.&*
4 *15.*†Nõ obstat tertia obiectio, quòd Motus proprius continet causã inter creditores & Io.Vincẽtiũ tantũ , nõ autẽ inter ipsosmet creditores *c.P.& G.de offic.deleg.Rot. 12.de rescrip.in nou.* quia in causa discussionis creditores,nõ solũ cũ debitore , sed etiã inuicẽ cõtẽdũt rõne prioritatis & potioritatis. Vl
5 timo nõ obstat , quod dicitur† Iudicẽ fuisse functũ officio suo,*l.iudex postea quam. de re iud.*quia tollitur hęc obiectio ex forma sẽtẽtię,quæ mãdat cõsignari Lauinię,quatenus debeatur,ᵇ.sin minus alijs creditoribus , & ideo restabat adhuc,vt declararetur, An deberetur,& ideo nõdũ fũctus erat officio suo, *l.quod tamen.de arbitr.Card.in c. qualiter & quãdo.n.13.& 16.Fel.n.41.de accus.*ᶜ *Rot.16 de re iud.in nou. cũ alijs per informãtes allegatis.* ᵈ

* & facit Clemen.fin.eod. tit. de rescrip.

a Addo Ias.in § omniũ. sub n mihi 68. Instit. de actio.

b & sic habetur quod Iudex tenetur seruare formã sẽtentię, prout idẽ dr de arbitro, q tenetur seruare formam cõpromissi,iuxta tex.in l quẽ tũ.ff. de arbit. Et exequutor tãdiu exequi potest, donec mandatũ suũ adimpleuerit . Rot.decis. 16 de re iud.per tex in c. si super gratia. de offic. deleg. in 6 & in d. l. quod tamen.

c & per Abb. in d.c qualiter. num. 6.

d Imol.in l.iudex. n.6.& ibi Alex. n.14 de re iud Castrẽ.in l.si q̃rebatur ff de re iud Boer. decis.6.n.5.

Vlixbonen. Bonorum .
Die Lunæ 26. Octobris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum procuratoris est stricti iuris,& strictè intelligendum .*
2 *Exceptio rei iudicatæ in vim dilatoriæ non autem peremptoriæ opponi potest per procuratorem constitutum ad allegandum exceptionem rei iudicatæ tantum, & non ad tractandum de meritis causæ, & talis procurator non potest audiri super impugnatione censurarum, vt num. 4.*
3 *Censuræ latæ in curia , non reuocantur,nisi causa cognita, & parito iudicato .*
5 *Aliud est censuras impugnare,aliud absolutionem petere .*

DECISIO CDXIX.

MAndatum non esse sufficiens ad oppo-
nendũ de nullitate censurarũ cõclusum
1 fuit,†cũ enim mãdata sint stricti iuris,&stri
ctè intelligẽda, *Rota decis.456. in nou. Ae-
gid.decis.*314.& expressè in mãdato procu-
rator cõstituatur ad allegandã exceptionẽ
rei iudicatæ solũmodo,& nõ ad tractãdũ de
2 meritis causę,vtiq; apparet†hãc exceptio-
nẽ in vim dilatoriæ opponi posse,nõ autẽ pe
rẽptoriæ,*ad not.per Io.And.Imol.& alios in
c.sicut.de re iud.Frãc.c.*1.*n.*8.*de lit.cõtest.* &
ideo cũ cẽsuræ non possint impugnari, nisi
3 tractetur de meritis causæ;maximè†cũ fue
rint latæ in Curia,quo casu nõ solẽt reuoca
ri,nisi causa cognita,& parito iudicato, *Io.
Paul.decis.*33.*&* 119.*Achill.*2.*vt lit. p̃d.* &
4 †in meritis causę procurator nõ possit stãte
restrictione audiri,cõsequẽs est, vt etiã non
possit super dictarũ cẽsurarũ impugnatione
audiri,nisi aliud mãdatũ sufficiẽs exhibeat;
& ideo procedẽdũ ad instãtiam Didaci per
contradictas: Nec facit quicquam facultas
5 petendi absolutionem,†quia aliud est cẽsu-
ras impugnare,aliud absolutionem petere.

* Lucana Beneficiorum.
Die Mercurij 4. Nouembris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Dispẽsatio de retinẽdo Archipresbyteratũ cũ
Canonicatu nõ facta mẽtione de prabẽda il
lius dicitur subreptitia,si prabẽda sint incõ
patibiles;An autẽ sustineatur ex clausula,
etiam quòd sit beneficiatus. vid. n.4. & 5.*
2 *Archipresbyteratus cum sit dignitas, etiam
sine prabenda est incompatibilis sub eodem
tecto cum Canonicatu.*
3 *Sublato per dispensationem vno impedimen-
to aliud remanet.*
6 *Dispensatio mixta cum prouisione censetur
vnica prouisio in odium impetrantis; & si
dispensatio sit subreptitia, tota gratia cor-
ruit secundum magis communem.*

DECISIO CDXX.

QVatuor fuerunt excitatæ difficultates
per informantes: Prima,an dispensa-
tio de retinendo Archipresbyteratum cum
Canonicatu facta mentione de præbenda il-
lius sit subreptitia. Secunda,an huiusmodi
subreptio tollatur per clausulas. Tertia, an
dato,quòd dicta dispensatio sit subreptitia
vitietur propterea gratia prouisiua de iure
cõmuni. Quarta,an dato quòd de iure cõ-
muni nõ vitietur,saltem ex intẽtione resi-
gnãtis vitietur propter clausulã validè re-
seruatis infrascriptis,& nõ aliàs. Quantum
1 ad primã difficultatẽ,†ea videbatur sublata
per tex.in Clem.fin.de prabẽd. Neque obstat
decis.Taui 53.quod non sit mentio facienda
de præbenda annexa *per decis.* 449.*in nou.
qua est* 36.*de prabẽd.* & *Cassad.decis.*17.*n.*
6.*de praben.* quia tollitur hæc responsio ex
præsupposito,cum præsupponãtur istæ præ-
bendæ incompatibiles; & ideo in dispensa-
tione necesse est facere mẽtionem de prima,
cap.non potest. de prabend. in 5. *& ibi Ge-
min.num.*6. *Pelin. cap. in nostra. coroll.* 8.
2 *de rescript. Aegid. decis.* 472. † Archipre-
sbyteratus enim,cum sit dignitas,etiam si-
ne præbenda est incompatibilis sub eodem
tecto cum Canonicatu, *vt per Achill. decis.*
8. *de prabend.* & præbendæ etiam inter se
3 præsupponuntur incompatibiles; † ideo
licèt tollatur vnum ex impedimentis, ad-
huc superest aliud, *Hostien. cap. postulasti.
§. non enim. col .pen. propè fin. de rescript.
Abb.in c. ad aures. num.*6. *de rescript. & ibi
Dec. nu.*11. *vers. venio ad tertium.* Quan-
tum ad secundam, Domini dixerunt eam
esse particulariter examinandam;nam stan
4 te præsupposito † regulariter clausulæ non
solent operari dispensationem, *Paris. con-
sil.* 1. *num.* 96. *lib.*1. *Rebuf.* 3. *part. signat.
in ver. quod obstante. num.* 28. tamen cum
5 † quædam sint clausulæ,quæ validant gra-
tiam, quædam quæ validant & ampliant,
quædam quæ nec validant nec ampliant, &
inter eas quæ validant & ampliant, pona-
tur illa, etiam quòd sit beneficiatus, *Ge-
min.in c. duobus. col.* 2. *vers. sed pro euiden-
ti. de reseruat. in* 6. ideo videndum, an
possit iste effectus dispensationis ex clausu-
lis haberi. Quantum ad tertiam, ea ver-
satur super intellectu *Clem.* 1. *de prabend.*
6 & videtur cõmuniter teneri, quòd † quan-
do miscetur dispensatio cum prouisione,
tunc in odium impetrantis censeatur vni-
ca prouisio, & propterea tota gratia cor-
ruat, *Anchoran. ibid. col. fin. Card. col.* 2.
*versic. Tertiam lecturam. Imol. num.*15. *Vi-
tal. num.*72. *Bero. cap. ad aures. de rescript.
num.* 28. & licèt contrarium teneat *post
glos. Petr. Rauen. in compend. iur. Canon.
in* 2. *part. tit. de prabend. in Clement.* ta-
men contraria opinio ex supradictis vide-
tur magis communis, & confirmatur ex
traditis *per Hostien. in cap. postulasti. de
rescript. cum alijs allegatis per informantes.*
tamen affertur limitatio *ad dictam Clem.
per Anchoran. consil.* 65. *num.* 7. vt non
procedat in dispensatione non ita stricta,de
cuius veritate esset videndum. Quantum
ad quartam & vltimam difficultatem, vi-
debatur res clara, gratiam reddi indiui-
duam propter clausulam, non aliter aliàs
&c. *vt fuit resolutum in multis causis pro-
ut vltimo in illa Claramontan. pensionis* *
coram R. P. D. Aldobrandino. Quare
stantibus tot difficultatibus Domini ordi-
narunt, vt dubium restringatur ad alte-
rum ex duobus capitibus, nempe ad di-
scussionem veritatis præsuppositi, scilicet
an præbendæ, de quibus agitur, sint incom-
patibiles, vel ad clausulas, an scilicet per
eas validetur gratia; itaut non possit dici
subreptitia; maximè stante clausula, vt
pos-

* aliàs Claramõtana Monasterij 20. Octob. 1574. quæ in impß. diuers. nouiß. est 214. par. 1

possint litterę expediri simul vel ad partē, quod videtur quodāmodo facere gratiam ex intentione concedentis diuiduam.

Portuen. Bonorum.
Die Mercurij 4. Nouembris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Donans censetur donasse ius illud, quod ipse habet durante vita sua, non autem pro tempore, quo obligatius est alteri restituere, etiam si donatarius recipiat pro se & haredibus quibuscunque.*
2 *Donans renunciare potest beneficio l. si vnquam. C. de reuocand. donationib.*
3 *Tutor non potest facere incidere in pœnam suos pupillos.*
4 *Contrauentio non potest considerari in retrouenditione facta ex causa necessaria prioris obligationis.*
5 *Actus necessarij non subiacent statutis loquentibus in contractibus.*
6 *In generali obligatione non veniunt bona alienari prohibita.*
7 *Exceptio, qua concernit fauorem vnius, non potest ab alio opponi.*

DECISIO CDXXI.

Contra Illustrissimum D. Iulium Cęsa-
rem opponebantur plures contrauē-
tiones, ad effectum ne ipse possit iuuari pa-
cto: Prima ex donatione, quam fecit bon.
mem. Dominus Marius ipsi Domino Iulio,
qui recepit pro se & successoribus quibus-
cunque, & tamen bona non poterant deue-
nire nisi ad personas in pacto comprehen-
sas; prætera promisit illam non reuocare,
etiam propter natiuitatem filiorum; & ta-
men in pacto ipsi filij erant comprehensi in
successione: tamen hæc contrauentio non
est visa Dominis releuare; Nam quantum
1 ad primum obiectum, † cum Dominus Ma-
rius donauerit bona sua censetur donasse
ius illud, quod ipse habebat durante vita
sua Domino Iulio, non autem pro tempo-
re, quo alteri fuisset obligatus restituere,
Aym. cons. 19. num. 13. Gozzad. cons. 165.
num. 21. lib. 2. Ias. l. qui poti. num. 3. C. de
leg. facit, quod tradit Bertrand. cons. 167.
nu. 6. in 1. part. Calcan. cons. 74. num. 12.
Rimin. iun. cons. 153. num. 15. & 16. &
licèt Dominus Iulius recipiat pro se & hæ-
redibus quibuscunque, non tamen insurgit
alienatio aliqua in hæredes extraneos, qui-
bus nihil est quæsitum, & ex hac sola facul-
tate, quæ concedi videtur liberè disponen-
di in quoscunque, quę stante pacto est nulla,
non potest induci contrauentio, cum non
fuerit deuentum ad aliquem actum, *ex no-*
tat. in c. ex tenore. & ibi Abb. num. 5. & Fe-
lin. num. 1. de rescript. Quantum ad secun-
dum obiectum, non obstat, quia D. Marius
censetur renunciasse beneficio *l. si vnquam.*
C. de reuoc. donat. competenti sibi de iure
2 communi, † quia competit patri, nam pa-
ter dictæ legi renunciare potest, non autem
renunciauit beneficio competenti filijs suis
post ipsius obitum vigore pacti. Secunda
contrauentio deducebatur ex alienatione
facta à bon. mem. Domino Alexandro, sed
neque hæc placuit; tum quòd potius est cō-
3 trauentio Alexandri, quàm Iulij; † nec po-
tuit tutrix facere incidere in pœnam suos
pupillos; tum quòd bona ista recuperata
fuerunt, & hodie sunt penes ipsas Dominas
aduersarias; Nec Sciarra declarauit, ex
quibus pecuniis redemit, itaut potius sit
contrauentio orta inter virum & vxorem
qui subrogantur, quàm inter venditorem
& vxorem, *vt colligitur ex notat. in l. ex pe-*
4 *cunia. C. de iur. dot.* Præterea † retrouen-
ditio facta est ex causa necessaria prioris
obligationis; & ideo non potest considera-
5 ri contrauentio in isto actu, † cum isti a-
ctus necessarii non subiaceant statutis lo-
quentibus in contractibus, *vt per Roman.*
cons. 394. num. 3. Ias. l. si vnus. §. pactus
ne peteret. num. 27. de pact. Tertia contra-
uentio de cēsu contracto cum Domino Bi-
scia non fuit habita in consideratione, cum
fuerit factus ex causa dotandi filiam iuxta
formam pacti. Quarta contrauentio quo-
6 que deducta † ratione hypothecæ dotis cō-
stitutæ super bonis suis fuit reiecta; tum
quòd in generali obligatione non veniunt
ista bona, *l. obligatione generali. de pignor.*
tum quòd fuerunt postea liberata hęc bona
ab huiusmodi hypotheca. Nec obstat, quòd
liberatio non fit bona, ex eo quòd Castrū
Bassanelli, est feudale, quia hoc non potest
7 opponi per Illustrissimas filias, † quia hæc
exceptio concernit fauorem vxoris Iulij,
Rot. 8. de testam. in antiq. Aretin. cons. 77.
num. 6. Ruin. cons. 35. num. 31. lib. 1.

Conchen. de Vetetta.
Die Veneris 13. Nouembris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Clausula augendi vel minuendi est facultatiua.*
2 *Valor fructuum beneficij non potest augeri vltra tertiam partem.*
3 *Resignatarius moriens in possessione beneficij post sex menses datos ad publicādum, non docto de publicatione, facit intrare regulam, & beneficium vacat per mortem, non autem per resignationem.*
4 *Ad probādum vacationem beneficij per resignationem debent probari omnia requisita ad resignationis validitatem, inter qua est publicatio.*
5 *Non sufficit, quòd quis probet appellationē fuisse interpositam; nisi probet, quòd intra legitima tempora fuerit interposita.*
6 *Alleganti præscriptionem non sufficit cur-*

sum

sum temporis probare, sed cætera necessaria ad eam inducendam probari debent.

DECISIO CDXXII.

DVbitaui, an beneficium, de quo agitur, vacauerit per obitum Hieronymi, vel potius ius remanserit penes Sebastianum. Factum est tale, de mense Februarij 1562. Hieronymus resignauit in fauorem Sebastiani, valor fuit expressus vna cum alio beneficio, quod non excedebat 250. ducatos, cum clausula augendi vel minuendi vsque ad verum valorem; retrocessit Sebastianus eodem anno reseruato sibi regressu per cessum vel decessum Domini Hieronymi, & fructus fuerunt expressi nô excedere 195. obijt Hieronymus, & Ordinarius prouidit Alphonsum, qui opponit, quòd regressus non fuit iustificatus: Ex aduerso prætendit Sebastianus, quòd si regressus est nullus, ius penes ipsum remansit, quia prima resignatio respectu valoris
1 non est iustificanda, † propter clausulam augendi & minuendi: Hoc fundamentum non videbatur tutum, quia clausula illa
2 est facultatiua, & † regula obstat, ne possit augeri valor vltra tertiam partem, & interim stat confessio in expresso, *Bart. in l. Publia. §. fin. num. 1. deposit. Bald. in rubric. C. deposit. num. 6. Roman. singul. 541. vbi adde Dec. cons. 385. col. 2.* sed hoc omisso, quia præsupponebatur ab Alphonso, quòd Hieronymus decesserat in possessione beneficij post sex menses datos ad publicandum, & dictum fuit aliàs, quòd non docto de publicatione intrat regula antiqua, & beneficium vacat per mortem Hieronymi, non autem per resignationem: Partes informarunt super hoc, An Hieronymus obierit in possessione post sex menses, & ad ostendendum obijsse in possessione; Primo deducitur confessio expressa Sebastiani, qui fatetur, quòd tempore suæ retrocessionis Hieronymus possidebat, cum dicat eum in possessione, in qua existit pacificè dimittendo. Secundo adest confessio in articulis, in quibus ponit vacasse per obitum Hieronymi. Tertio adducuntur dicta testium Sebastiani ad decimumtertium interrogatorium. Vltimo deducitur assertio Ordinarij in prouisione asserentis Hieronymum obijsse in possessione: Sed hæc probatio licèt sufficiat ad probandum obitum in possessione; tamen non releuat, nisi probetur de tempore, scilicet an intra sex menses datos ad publicandum, vel post dictos sex menses; nam primo casu non intraret neque regula antiqua, neque Constitutio fel. rec. Pij Quinti, *vt fuit resolutum coram R. P. D. Aldobrandino in vna Legionen. Canonicatus*, [a] cum resignans decesserit ante datam prædictæ Constitutionis; & ideo difficultas in eo versatur, cui incumbat onus probandi tẽpus obitus Hieronymi; & inclinarunt Domini, hoc onus incumbere Sebastiano, quia Alphonsus est reus & possessor, & iam probauit intentionem suam, nempe beneficium vacasse per obitum Hieronymi qui in possessione de-
4 cessit; & ideo Sebastianus, † qui excepit non vacasse per obitum, sed per resignationem, debet iustificare ipsam resignationem, & probare omnia requisita ad ipsius validitatem, inter quæ est publicatio, quemad-
5 modum dicimus, non sufficere, quòd quis probet appellationem fuisse interpositam, nisi probet, quòd intra legitima tempora fuerit interposita, *cap. Romana. §. si verò. & ibi Franc. num. 7. de appellat. in 6.* &
6 similiter † alleganti præscriptionem, non sufficit probare cursum temporis, sed debet probare cætera necessaria ad eam inducendam, *Franc. in cap. 1. de præscript. in 6. & ita fuit resolutum coram eodem R. P. D. Aldobrandino in vna Calaguritana Thesaurariæ. 4. Februarij 1579.*

[a] Sub die 15. Octob. 1576.

Ceruien. Bonorum.
Die Veneris 20. Nouembris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Banna expirant per mortem vel recessum Legati.*
2 *Vbi non potest applicari pœna banni, nec eius dispositio applicatur.*
3 *Habens ciuilem & naturalem possessionem præfertur habenti ciuilem tantum.*

DECISIO CDXXIII.

PLuribus præsuppositis &c. An possessio capta per Vicarium sit considerabilis ad effectum, de quo agitur; Fuit per Dominos resolutum, possessionem captam per Vicarium esse considerabilem ad effectum, de quo agitur, & modicam apud Dominos habuit difficultatem. Nec obstant adducta pro parte Dominæ Theodoræ &
1 Dominorum de Pantaleonibus, quia † banna expirant per mortem vel recessum Legati, *vt per Afflict. decis. 290. nu. 2. cum alijs tradit. per informantes*, & constat ex verbis ipsius banni, quod fuit personale, *argum. cap. quoniam Abbas. de offic. deleg. vbi Felin. num. 8. Dominic. in cap. si gratiosæ. num. 9. de rescript. lib. 6.* tum etiam quia licèt disponat possessionem non capiendam sine licentia, & pœnam imponat, non tamen annullat possessionem captam, & ita quæritur capienti, *argumento eorum, quæ tradit Dec. in cap. 2. num. 7. de iud. per eundem consil. 17. & cons. 169. num. 2.* & Domina Theodora ea non seruauit in acquisitione successionis. Nec videbatur Dominis vltra prædicta, quòd bannum possit comprehendere casum præsentem, ex eo
2 quia † cum pœna non possit applicari Reu. Epi-

Episcopo, nec eius dispositio, *argumento glos. in l. mancipia. in verb. auocandum. C. de seru. fugit. Roman. singul. 489. Hippol. singul. 339. Felin. in cap. nonnulli. in princip. num. 30. versic. aut. de rescript. Tiraq. de retract. §. 8. glos. 3. num. 1.* Et verba illa (con le debite circonstanze) nihil inferunt, cum etiam si de bannis intellexit, ipsa non afficerent, cum iam expirassent; vltra quòd sunt equiuoca: Nec infringit possessionem primo captam ratificatio Domini Episcopi, & de nouo capta possessio per Aeneam Alberium, cum ea ex abundāti facta censeatur; & mandatum eius, qui primo cœpit possessionem, satis probetur, prout fuit resolutum in ista causa. Nec obstat, quòd fuit capta possessio prout de bonis deductis, quia hoc non respicit iudicium præsens; & satis est docere de possessione in casu, & ad effectum de quo agitur. Et ita etiam tollitur, quod de primo statuto dicitur: Nec secundum de possessione continuanda per heredem facit: quia cum fuerit resolutum constare de possessione priori & certa Reuer. Domini Epi-
3 scopi, † cui fuit quæsita ciuilis & naturalis, debet præferri habenti ciuilem tantum, *vt per Couar. lib. pract. quæst. q. 9. cap. 17. n. 5. versic. ego verò. Menoch. de retinend. possess. remed. 3. quæst. 2. num. 22. & remed. vlt. num. 17.* Et fuit dictum, vt videretur de Motu proprio Leonis, qui fuit in hac resolutione circunscriptus per Dominos.

Auximana Bonorum.
Die Veneris 20. Nouembris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Aegidiana non habet locum in causis fori Ecclesiastici.*

DECISIO CDXXIV.

1 DOmini dixerunt frustra hic agi, an sit locus Aegidianæ, cum ea locum non habeat in causis fori Ecclesiastici, *vt aliàs fuit resolutum coram R. P. D. Decano* [a] *in vna Hortana Sanctissimæ Trinitatis, & coram R. P. D. Brauo in vna Romana domus Capellaniæ Sancti Laurentij:* Tamen ad effectum confirmationis vel reuocationis, videndum erit de iustitia sententiæ; ideo moneatur pars, vt super eam informet.

a aliàs de Rubeis.

Perusina Exequutionis.
Die Veneris 20. Nouembris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio Cameralis non dicitur constare ex copia instrumenti producta, de qua non apparet, nec constat, quòd habuerit requisita in consensu de stando copia, nec fuerit parte legitimè citata extensa.*

2 *Arbitrarium est iudici declarare, an creditum sit amissum ob susceptionem tutelæ, nulla de tali credito facta mentione.*

3 *Vbi Iudex incipit de iniustitia mandati suspicari, supersedere debet in exequutione.*

4 *Facultas offerendi, vel eligendi, an quis velit pecunias vel bona, durat vsque ad litis contestationem tantum.*

5 *Consensus, qui ex actu colligitur, non extenditur; secus est, si nedum tacitus, sed & expressus resultet.*

DECISIO CDXXV.

QVoniam partes informando ad diuersa tendunt, pars enim Illustriss. Domini Marchionis præsupponit validitatem & iustitiam mandati, & informat super facultate offerendi, qui est præcipuus scopus puncti; pars verò contraria informat super eiusdem mandati inualiditate & iniustitia, nulla potuit capi resolutio; sed tantum fuit per Dominos ordinatum, vt difficultates, quæ possunt tolli ex facto, tollantur; & dubium ad alterum ex propositis capitibus restringatur, & circa nullitates & iniustitiam videbantur vrgere
1 infrascripta: Primo † quòd non constiterit de obligatione Camerali, cum non fuerit productum instrumentum sed copia; de qua non apparet, nec constat, quòd habuerit requisita in consensu de stando copiæ; nec fuerit parte legitimè citata extensa, cū in actu extensionis non reperiatur Domina Hortensia citata ad dicendum contra, & erat simplex copia copiæ; nec constat de refectione expensarum, quæ tamen iuxta formam commissionis veniebant reficiendæ. Secundo, quòd fuit relaxatum mandatum pendente termino ad publicandum. Tertio, quia in actis aderat nominatio peritorum pro mensuratione facienda cōcorditer facta, & tamen in contumaciam fuit facta alia deputatio; maximè cum viuente bon. mem. Ascanio fuisset facta alia mensuratio, quæ non reperitur. Quarto,
2 quia † videtur creditum amissum ob susceptionē tutelæ Conressinæ, nulla huius crediti facta mentione, *Auth. minoris. C. qui dar. tut. poss.* Tamen hoc videtur relinqui iudicis arbitrio, *vt per Bald. ibid. Menoch. de arbitr. iud. casu 196.* Nec videntur tolli prædicta, ex eo quòd cœpta sit exequu-
3 tio, quia † vbi iudex incipit de iniustitia suspicari, debet supersedere, *Ant. Aug. de-*
4 *cis. 400. lib. 3.* Quantum verò † ad facultatem offerendi, & eligendi bona, regulam videri pro Illustriss. Domino Marchione; cum enim in obligatione sint pecuniæ, & in solutione sint pecuniæ, & bona stabilia *ex notatis per Bart. in l. si quis stipulatus. num. 2. de solutionib.* & hoc casu ex contrahentium dispositione competat hæc facultas, ea durat vsque ad litis contestationem

nem tantum, *Bart. d. l. si quis stipulatus.*
& in l. item veniunt. §. idem rectè. de petit.
hered. & ibi Bald. & Angel. Dec. cons. 187.
col. fin. Neuizan. cons. 45. num. 15. & 16.
*cum alijs allegatis,** Tamen difficultas ori-
tur, an hoc casu sit locus purgationi moræ
propter facti circunstantias, & electionem
5 semel factam; † nam licèt consensus, qui
ex actu colligitur, non extendatur, *ad no-*
tat. per Dec. in l. si conuenerit. num. 3. de
iurisdict. omn. iud. Aym. cons. 123. nu. 12.
tamen hic videtur nedum tacitus, sed etiã
expressus resultare; quo casu non procedit
illa regula, *Castren. consil. 334. num. 5. &*
6. lib. 1. Consideratis igitur istis difficul-
tatibus erit restringenda materia, prout
fuit ordinatum.

* & per Castren. in l nõ amplius. §. cũ bonorum. n. 4. de legat. 1. Capic. decis. 202 n. 5. Bursat. cons. 84 num. 9.

Valentina Emolumentorum.
Die Veneris 27. Nouembris 1579.

SVMMARIVM.

1 *In petitione subministrationis expensarum litis duo probari debent, paupertas, & boni iuris præsumptio, & paupertas probari debet respectu rei, de qua agitur, vt num. 2.*
3 *Clericus tractans negocia Ecclesiæ, principaliter dicitur tractare negocium proprium, quando agit de conuertendo redditus in proprium vsum.*
4 *Ecclesia non repræsentatur per beneficiatos, sed per Canonicos; cum appellatione Ecclesiæ veniat Capitulum.*
5 *Distributiones quotidianæ dantur absenti ex iusta causa, & vbi adest consuetudo; aliàs secus.*

DECISIO CDXXVI.

Dubitatum fuit, an deberentur expen-
sæ litis beneficiatis, & deberentur di-
stributiones in absentia beneficiato hic in
Curia pro defensione causæ degenti; & fuit
per Dominos resolutum negatiuè in vtro-
que capite: nam quantum ad primum, re-
1 gula est, quòd † petens expensas litis, de-
bet duo probare, paupertatẽ, & præsump-
tionem boni iuris pro se, *ad decis. Bisignet.*
2. de re iudic. Afflict. decis. 10. Aym. cons.
164. Didac. pract. quæst. c. 6. num. 6. pau-
pertas verò hoc casu non fuit probata; quia
2 † ea probari debet respectu rei, de qua agi-
tur, & sic respectu sustentationis litis, *l. fin.*
C. de ordin. cognit. vbi Doctor. sed ea ex col-
latione, & vsu pecuniæ attento numero be-
neficiatorum facilè sustẽtari potest. Nec ob-
stat, quòd deponunt testes de eorum indi-
gentia, quia licèt ad retinendum domum
apertã fortè sint pauperes; tamen absolutè
tales non possunt dici; maximè cum decla-
rentur isti testes ab alijs, qui dicunt eleemo-
sinam dare pauperibus infirmis. Non ob-
3 stat, † quòd tractent negociũ Ecclesiæ, quia
potius principaliter proprium negocium
tractant, cum agant de conuertendo reddi-
tus in proprium vsum, *bene facit Ang. cons.*
4 *246. num. 4.* † Neque Ecclesia per ipsos re-
præsentatur sed per Canonicos, cum ap-
pellatione Ecclesiæ veniat Capitulũ, *Abb.*
c. eam te. num. 3. de rescript. Dec. ibid. n. 22.
Rip. n. 16. Paris. cons. 27. nu. 9. lib. 4. Vn-
de sequitur, quòd cum beneficiati litigent
contra Ecclesiam, litigent contra Capitu-
lum: Cessat quoque præsumptio boni iuris
propter sententiam contra eos latam; nec
iuuari possunt sententia de partibus nulla,
& cui fuit per eos renunciatum; & ideo in-
trant allegata *ex Felin. in c. cũ dilecta. num.*
15. de rescript. cum similibus. Quantum ad
5 secũdam partem dubij, licèt † distributio-
nes quotidianæ dentur absenti ex iusta cau-
sa; hoc tamen procedit, vbi adest consue-
tudo, *Franc. in c. 1. §. qui verò. num. 4.*
de cler. non resident. Didac. var. resolut. cap.
13. num. 8. vers. octauo. lib. 3. Non obstat,
quod Episcopus mandauerit dari, quia per
hoc non agitur, an debeantur. Nec ob-
stat, quòd dentur Canonico; quia ille tra-
ctat negocia Ecclesiæ, & non solum respe-
ctu huius litis, sed & aliorum negociorum:
Quare resolutum pro negatiua.

Portuen. Bonorum.
Die Veneris 27. Nouembris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Contractus ab initio dicitur voluntatis ex post facto necessitatis.*
2 *Donatio potest à donante, ante acceptationem reuocari; secus est, si sit stipulata nomine absẽtis, vt est communis opinio; præsertim si sit stipulata per patrem pro filijs nascituris.*
3 *Pater stipulatus donationem pro filijs, potest eam reuocare, quod procedit in merè profectitijs; secus in alijs aliundè prouenientibus.*
4 *Donatio stipulari potest pro filijs nascituris tam per patrem quàm per extraneum secundum communem opinionem.*
5 *In stipulatione non datur locus pœnitentiæ.*
6 *Verbum, promiserunt, importat stipulationem.*
7 *Iuramentum non impedit reuocari posse actum de sui natura reuocabilem; quando tamen est reuocabilis ex alio, quàm ex debilitate sua.*
8 *Ex heredis institutione facta in testamento non censentur reuocata donationes.*

DECISIO CDXXVII.

Fuit dubitatum, An pactum, de quo a-
gitur, potuerit reuocari per alterum
ex contrahentibus, & An fuerit reuocatũ:
Et fuit per Dominos resolutum nõ potuis-
se

præsens decisio habetur in impress. di uers. nouiss. 419. part. 2.

se reuocari, quia hæc est regula contractuũ,
1 vt à principio dicantur voluntatis, ex post facto necessitatis, *l. ab emptione. de pact. l. sicut. C. de action. & oblig.* Non obstat, quòd ex aduerso deducitur *ex notatis in l. qui Roma. §. Flauius. de verb. oblig.* quòd
2 ante acceptationẽ licita sit reuocatio, quia non procedit, quando donator, vel donatarius, vel Notarius stipulatus est pro absente, *Bald. in l. cum à socero. nu. 7. C. de iur. dot. Alex. in d. §. Flauius. n. 9. Socin. n. 18. Ias. n. 19. Alciat. n. 32. & 33. Aym. consil. 19. n. 11. Rip. lib. 3. Respons. cap. 16. Didac. var. resolut. lib. 1. cap. 14. n. 11. Addit. ad Alex. cons. 204. lib. 7. vbi de communi. Gabr. de donat. concl. 5. n. 4. Corn. cons. 68. n. 8. lib. 3. Rimin. iun. consil. 112. n. 246.* & hæc opinio procedit, maximè vbi pater pro filijs nascituris stipulatur, *l. quod dicitur (la seconda) vbi Doctor. de verb. obligat.* Nec obstat, quòd
3 pater possit reuocare, quia hoc procedit in merè profectitijs; secus in alijs, *vt in d. Addit. ad cons. Alexan. 204. & ita loquitur Bald. in l. cum à socero. C. de iur. dot.* hic autem non sumus in profectitijs, cum agatur de bonis Alexandri patrui. Nec obstat, si dicatur non posse patrem pro filio hoc casu stipulari, quia stipulatur post obitũ; quo casu nihil sibi quærere potest, & sic cessare rationem, cur pater filio stipuletur, *d. l. quod dicitur.* nam communis est opinio Docto-
4 rum, quòd qui vis extraneus in donatione secundum terminos *l. quoties. C. de donation. quæ sub mod.* potest alteri stipulari, vt probatur ex suprade ductis auctoritatibus, *declarat Didac. d. lib. 1. cap. 14. n. 13. vers. secundo loco.* & alia ratione à patre non po-
5 test reuocari, & quia propter stipulationem sumus in contractu nominato, in quo non est locus pœnitentiæ, *Corn. post Imol. d. cons. 68. n. 8.* & ratione interesse pecuniarij tenetur donator, *l. stipulatio ista. §. alte-*
6 *ri. vbi Doctores. de verb. oblig.* & verbum, promiserunt, importat stipulationem, *l. 1. C. de contrahen. & committ. stipul. Socin. cõs. 267. n. 1. lib. 2. Bero. quæst. 105. num. 5.* & cum verba sint directa in ipsos pro filiis & descendentibus, pro eis tenet stipulatio, *ex traditis per Doctores in d. §. alteri. vbi Ias. nu. 2.* Accedat, quòd cum tempore obitus Alexandri, iam obiisset Stephanus cum hoc pacto, non poterat ipse Alexander illam reuocare, *Alex. in d. §. Flauius. num. 4. vers. quartus casus. Bald. in l. ex placito. quæst. 11. C. de rer. permut.* Confirmantur prædicta ex eo, quòd huic pacto accedit iuramẽtum, *Guid. pap. cons. 23. num. 8. Alciat. d. §. Flauius. nu. 32. Gabr. de donation. conclus. 5. num. 7. Socin. iun. cons. 118. nu. 12. lib. 2.*
7 Nec obstat, quòd iuramentum non impediat reuocabilitatem actus de sui natura reuocabilis; quia procedit, quando est reuocabilis ex alio quàm ex debilitate sua, *Ias. d. §. Flauius. num. 20.* Et hoc quantum ad primum caput dubii. Quantum ad secundum Domini dixerunt illud carere prorsus omni difficultate, cum in testamẽto nulla adsit reuocatio, sed solum hære-
8 dis institutio, ex qua non censentur reuocatæ donationes, *ad tradita per Aretin. cons. 74. num. 11. & Paris. consil. 128. nu. 4. lib. 1.*

Toletana Beneficij.
Die Mercurij 2. Decembris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Pinguedo parochialis dicitur esse causa sufficiens dismembrationis.*
2 *Deseruiens in Ecclesia parochiali de iure debet esse in illa institutus.*
3 *Ecclesia melius deseruiri potest per duos, quàm per vnum.*

DECISIO CDXXVIII.

1 FVit resolutum causam dismembrationis esse sufficientem; cum enim Paro-
2 chialis esset pinguis admodum, & de iure ille, qui deseruit, debet esse institutus in illa Ecclesia, *vt per Abb. in cap. vt quisque. 3. notab. de vit. & honest. cleric. Butr. ibid. num. 4. Domin. in cap. presbyteri. num. 5. distinct. 44. cum alijs,* & comprobatur *ex tradit. per Abb. in cap. conquærente. num. 5. de cleric. non resid. Gambar. de legat. lib. 5. tit. de dismembrat. num. 9.* quod licèt fortè non seruetur de consuetudine, satis est,
3 quòd de iure fieri possit, & Ecclesia melius deseruiatur per duos quàm per vnum, potuit Ordinarius facere huiusmodi dismembrationem. Neque obstãt testes, quia vt prouideatur huic incommodo, eo quòd fortè non prẹstatur debitum seruitium, Domini ordinarunt, vt Gondisaluus, quando est absens inseruiat per duos Capellanos, quando verò est præsens, retineat secum vnum: Neque est excessiua portio sibi assignata, stante quòd portio Rectoris est sufficientissima, quod solum videtur haberi in consideratione à Doctoribus in huiusmodi materijs, & excedit portionem beneficiati in primitijs, censibus, & possessionibus: Ex quibus conclusum hanc dismembrationem sustineri. Ad alia optimè per informantes satisfactum fuit.

Prænestina Transactionis.
Die Mercurij 2. Decembris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Doctrina Bart. in l. demonstratio. §. quod autem. C. de condit. & demonstr. quomodo procedat.*

DECISIO CDXXIX.

QVasitum fuit, an constaret de errore transactionis, & dixerunt Domini satis constare; qnoniam mouentur ad transigendum ea ratione, quòd sncceſſio nō aſcenderet ad ſummam datam; & tamen ex calculo debebatur magis; nam ex ſucceſſione debebātur quindecim millia, & tamen in transactione dantur duodecim millia tantum cum dilatione, cum in illis tantum ſe
1 poſſe ſuccedere arbitrarentur. † Non obſtat *doctrina Bart. in l. demōſtratio. §. quod autem. C. de cond. & demon.* quoniā ibi erat illa ratio comprehenſa in prohibitione, quę præſumitur cauſa finalis; maximè ſi legitima ad fauorem Franciſci erat de his bonia detrahenda, quæ erant ad filiam transmiſſa: Vnde cum inde fructus percepiſſet, & tamen in transactione neque fructus neque alimenta potuiſſet petere, & ſi ab his bonis debebat excludi vigore pacti, habēbat ius petendi alimenta, & dotes. Non obſtāt deducta ex aduerſo 1 Primo, quod æs alienum excederet valorem legitimæ, nam cum pars offerat ſe oneri æris alieni, ſi corpora hæreditaria pro legitima conſignantur, videtur ſat eſſe. Secundo Domini iam valorē Prænestinæ Ciuitatis taxatum tanquam omnino incongruum reiecerunt 1 Præterea ad æs alienum, cum ſint hæredes cum beneficio legis & inuentarij, vt fuit iam reſolutum, non tenentur. Alia deducta videntur pertinere ad læſionem, non autem ad errorem.

Portuen. Bonorum.
Die Mercurij 9. Decembris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Hæres cum beneficio legis & inuentarij poteſt ante omnia petere ſeparationem bonorum, etiam quòd hæreditas ſit ſoluendo, & ſeparationem legitima, quod declaratur num. 3.*

2 *In poſſeſſorio proueniente ex contractu datur appellatio, quod tamen declaratur procedere, quando in contractu promittitur poſſeſſio; ſecus eſt, quando datur Saluianum ratione hypothecæ in contractu appoſita.*

3 *Hæres non eſt magis priuilegiatus poſt confectum inuentarium, quam ante inuentarium, quādo in bonis competit Saluianum ratione hypotheca in contractu appoſita.*

4 *Quæ ſolam requirunt iuris diſpoſitionem, non faciunt, quòd res dicatur requirere altiorem indaginem.*

5 *Exceptio oriens ex ventre pacti, etiam quòd requirat altiorem indaginem, admittitur in quocunque iudicio.*

6 *Obligatus ex pacto dotare, licèt ante nuptias nō teneatur tradere dotem, cum debitum ſit conditionale; tenetur tamen cauere de ea ſoluenda, ne mulier tempore nubili cogatur litigare pro dote conſequenda.*

7 *An poſſint ſtare, quòd debitum ſit conditionale, ſimulq. modale, & quomodo.*

DECISIO CDXXX.

DVbitaui, an in caſu de quo agitur, ſit locus ſeparationi bonorum in fauorē Illuſt. filiarum, vel potius immiſſioni in fauorē Illuſtriſſ. D. Iulij Cęſaris, & cauſa diſcuſſa, placuit Dominis, vt omnia ſimul & vnico contextu expediantur; nam licèt pro parte
1 filiarum videatur regula, quòd † hæres cum beneficio legis & inuentarij poteſt ante omnia petere ſeparationem, *vt per Bald. Alex. Iaſ. Cur. & Dec. in l. debitori. C. de pact.* etiā quòd hæreditas ſit ſoluendo, veluti quando filius grauatus fideicommiſſo petit ſeparationem legitimæ *Caſtr. in l. qnoniam in prioribus. in fin. C. de inoff. teſtam. Ruin. conſ. 57. n. 16. lib. 2.* tamen cum iam actum fuerit de validitate pacti, & fuerit reſolutum in fauorem Domini Iulij, & non intendant Domini amplius audire partem contrariam ſuper hac re; niſi admodum clara & releuantia, & probabilia deducerētur, & omnes controuerſiæ ferè habeant originem à pacto, cenſuerunt, partes æqualiter tractandas eſſe, & omnia ſimul diffinienda.
2 Neqne obſtare, quod dicitur † dari appellationem in hoc iudicio, cum ſit poſſeſſorium proueniens ex contractu, *vt per Bald. in l. vnic. num. 6. C. ſi de momentan. poſſ.* quia id procedit, quando in contractu promittitur poſſeſſio, & ita loquitur Baldus: ſecus quando datur Saluianum ratione hypothecæ in contractu appoſitæ, *Bart. & Salic. in l. 1. C. de Saluian. Interd. Iaſ. in §. Item ſeruiana. n. 95. Inſtit. de action. Menoch. 3. remed. adipiſc. nu. 186. Modern. in d. l. vnic. limitat. 14. num. 10.*
3 neque † reſpectu inuentarij eſt magis priuilegiatus hæres quàm ante inuentarium ad hunc effectum ſeparationis, *Dec. d. l. debitori num. 17. Phannt. de inuentar. in 5. part. fol.* 106. *num.* 20. neque è conuerſo debet D. Iulius immitti; quia multa ex aduerſo deducuntur partim omnino liqui-
4 da, partim † quæ ſolā requirunt iuris diſpoſitionem, quæ non facit, vt dicatur res requirere altiorem indaginem, *vt per Franc. in cap. 1. de lit. conteſt. in 6. Pute. deciſ. 233. die 27. Martij lib.* 3. maxime,
5 † cum bona pars eorum, quæ prætenduntur pro filiabus, oriatur ex ventre eiuſdem pacti 1 & ideo etiam quòd requirerent altiorem indaginem, admitterentur in quocūq; iudicio, *Caſſad. deciſ. 10. de reſcrip. Sarnen. in compēd. Signat. n. 84. & 85. Bald in l. ex prædijs. n. 1. C. de euictio. Roman. conſ. 42. num. 3. Dec. conſ. 80. num. 7. cum ſimilib.*

Quæ

Quæ sunt in facto liquida, sunt ista: nam de legitima Sciarræ nulla est controuersia, Dos Dominæ Margharitæ, dos Dominæ Claricis, dos Dominæ Iuliæ, quæ iam nupsit; sed in iure videndum, ex quibus bonis sint istæ dotes detrahendæ, & an legitima sit in dotem computanda. Item videndum an ex bonis pacto subiectis sit deducenda dos Dominæ Isabellæ; Item taxandæ sunt dotes tam Dominæ Iuliæ quàm reliquarum puellarum, & pro istis,
6 quæ nōdum sunt nuptæ † debet Dominus Iulius obligare se de soluenda dote taxata suo tempore; nam licèt non teneatur nunc tradere, cum debitum sit conditionale, *vt per Castr. in l.Titio genero. §. Titio centum. de condition. & demonstrat.* tamen tenetur cauere de modo adimplendo, ne tempore nubili cogantur pro consequendis dotibus litigare, *vt per Bart. in l.quibus diebus. §. Termilius. numer.* 14. & 15. *de condition. & demonstrat. & ibi Imol.*
7 † nec implicat contrarietatem, quòd debitum sit conditionale & simul modale, quia respectu ortus obligationis versatur conditio; respectu verò exclusionis versatur modus: Illis itaque discussis inmittendus erit Dominus Iulius detractis detrahendis, & sic vtrique parti ex iure & æquitate erit consultum.

Romana de Valle.
Die Mercurij 9. Decembris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Scientia testamenti, cum sit difficilis probationis, ex indicijs & coniecturis probatur; maximè in antiquis.*
2 *Ad probandam scientiam in antiquis sufficit leuior probatio.*
3 *Notitia testamenti qualiter probetur, & num. seq.*
5 *Licèt partitæ mercatorum non faciant fidem in praiudicium tertij, faciunt tamen partitæ officialium publicè deputatorum, & magistratuum; sed hoc non procedit contra non subditum.*
6 *Libri officialium semper probant factum ipsum; licèt non probent ius ex facto.*
7 *Pecuniæ solutæ, & nunquam repetitæ de voluntate Domini, & eius mandato solutæ dicuntur.*
8 *Diuisio conformis dispositioni testamenti facit coniecturam notitiæ testamenti.*
9 *Ignorantiæ testamenti præsumptio vti generica tollitur per probationis magis specificas scientiæ.*

DECISIO CDXXXI.

FVit resolutum, Lelium, Philippum, & Iacobum filios Pauli, & nepotes & hæredes Nicolai patrui tempore diuisionis habuisse notitiam testamentorum patris
1 & patrui: nam † cum scientia sit difficilis probationis, & probetur ex indicijs & coiecturis, *Alex. cons. 187. num. 8. lib. 2. Abb. cons. 81. num. 2. lib. 1. Natt. cons. 231. nu. 2.*
2 *lib. 1. Rimin. iun. cons. 1. n. 12. & 13.* & † cū simus in re antiqua, ratione difficilioris probationis sufficit leuior probatio, *Cassador. de procurat. decis. 3. num. 3.* Vrgens
3 igitur coniectura, immo † vera probatio elicitur ex exactione pecuniarum existentium in monte Florentiæ, cum per procuratorem istorum Dominorum enuncientur, ne dum testamenta, sed & notarij de
4 ijs rogati cum alijs qualitatibus, quas † nō poterat diuinare, nisi de illis fuisset à suis principalibus certioratus, nec Respublica Florentina soluisset, nisi viso mandato & alijs scripturis necessarijs. Non obstat,
5 quod dicitur, † illas partitas non facere fidem in præiudicium tertij; quia hoc est verum in partitis mercatorum, sed isti erant officiales publicè deputati & Magistratus, quorum scripturis fides adhibetur, *Aym. de antiq. temp. part. 1. num. 230.* & licèt hoc non procedat contra non subdi-
6 tum, *vt per eundem num. 240.* † tamen cessat difficultas, quia saltem probabunt factum illud, *vt dicunt Doctor. in l. 2. C. de eden.* Secundo, quia Domini de Valle obtinuerunt hæc iura compulsari, vt habetur in quinto præsupposito: Præterea ex obser-
7 uantia subsequuta, quia † pecuniæ nunquam fuerunt repetitæ, quod non ita factū fuisset, nisi tunc fuissent de eorum volun-
8 tate & mandato solutæ; † & hæc coniectura probatur ex diuisione conformi testamentis, nempe exclusis fœminis, vt habetur in decimo octauo præsupposito *Bart. in l. qui Romæ. §. duo fratres. in 3. quæst. de verbor. oblig. Ruin. cons. 42. num. 21. lib. 1. Roland. cons. 36. num. 16. lib. 2.* Item ex affictuatione domus relictæ Antonio & alijs per informantes adductis. Non obstat
9 † præsumptio ignorantiæ, quia cum sit generica, potest tolli per alias probationes magis specificas, *vt per Riminal. d. cons. 1. num. 13.* Nec obstat inuerisimilitudo, quæ deducitur, quòd officiales viderint totum testamentum, & duplex fideicommissum, quia non agitur nunc de scientia officialium, sed Dominorum de Valle. Non obstant, quæ deducuntur ex duodecimo & decimotertio præsupposito, quia non probatur identitas rerum ibi contentarū; immo potius apparet de diuersitate,

cum differant ista, deauratum & de brocato; An verò hæc scientia sit talis, quæ possit sufficere ad effectum, de quo agitur, aliâs suo loco erit videndum.

Aquinaten. Beneficij.
Die Veneris 11. Decembris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Absolutio à censuris latis in Curia non solet dari; nisi parito iudicato.*
2 *Excommunicatus, qui attentauit contra formam inhibitionis, non absoluitur; nisi purgatis prius attentatis.*
3 *Sententia recipit declarationem ex actis.*
4 *Continuans in possessione non dicitur attentare.*
5 *Possessio instrumentalis non habetur in consideratione, licèt sit cum aliqua fructuum perceptione, alio existente in possessione.*
6 *In possessione capta auctoritate Iudicis nõ requiritur colonorum expulsio, si tamen Iudex ritè & rectè procedit, secus est, si nulliter & iniustè.*
7 *Sententia nulla nunquam transit in iudicatum.*
8 *Licèt in priuatione beneficij non requiratur monitio; requiritur tamen citatio in declaratoria.*
9 *Episcopus potest beneficium, quo alterum priuauit, sine citatione priuati conferre; illius tamen possessionem parte non vocata tradere non potest.*

DECISIO CDXXXII.

Don Mutius Venafrus fuit declaratus incidisse in excommunicationem & alias pœnas contentas in inhibitione Rotali prætextu attentatorum per eum commissorum, cumque ipse peteret absolutio-
1 nem, † quæ non solet dari à censuris latis in Curia, nisi parito iudicato, *Io. Paul. decis. 32. & 119.* Dubitaui, An constaret
2 taliter de contrauentione, † vt non possit absolui, nisi purgatis prius attentatis: Et pro parte prædicti D. Mutij allegabatur declaratoriam non loqui de attentatis, sed
3 hoc non placuit; † cum sententia recipiat declarationem ex actis, ex quibus satis est, quòd constet de attentatis, *l. ait Prætor. §. si iudex. vbi glos. de re iudic. & per Aretin. cons. 56. col. fin.* Secundo allegabat, se de anno 1575. de mense Nouembris cœpisse possessionem ante inhibitionem; & ideo
4 † continuando possessionẽ suam non attẽtasse, hæcq. possessio probatur concludenter per testes ab ipso inductos, nempe per primum super primo, tertium ad decimum octauum, & ex testibus vltimo examinatis per primum ad duodecimum, & decimum tertium, secundum ad decimumquartum & decimumseptimum, tertium ad decimumtertium. Exaduerso allegabatur
5 † possessionẽ fuisse instrumentalem, & clãdestinam; quam cum D. Petrus esset in possessione, nec constaret de eiectione colonorum, & modicam fructuum perceptionem non esse habendam in consideratione, *ad decis. Aegid. 379. l. clam possidere. §. qui ad nundinas. de acquir. possess.*
6 Ad tollendum hoc, triplicatum fuit, † possessionem fuisse captam auctoritate Iudicis, quo casu non requiritur expulsio, *Ang. in l. qui vniuersas. §. item cum Prætor. de acquir. possess.* sed cum hoc intelligatur, quando Iudex ritè & rectè procedit; secus si sententia est nulla, vel notoriè iniusta, dictum fuit videndum esse, an sententia sit talis: Et quantum attinet ad nullitatem ex defectu citationis, Domini censuerunt eam esse claram, si conuincitur testis Domini Mutij de mendacio ex eo, quòd probetur D. Petrum tunc fuisse absentem, & hæc nullitas tolleret etiam excusationem, quam proponit Don Mutius ratione rei
7 indicatæ, quia † sententia nulla nunquam transit in iudicatum. Neque obstat *cap. li-*
8 *cèt canon. de election. in 6.* quòd † in priuatione non requiratur monitio, quia saltem requiritur citatio in declaratoria, *Felin. in cap. Rodulphus. num. 35. & num. 41. de rescript. Tiraquell. in l. si vnquam. in verb. reuertatur. num. 400. & 404. C. de reuocan.*
9 *donation.* † & licèt potuisset Episcopus beneficium conferre sine citatione, *cap. licèt. Episcopus. de præbend. in 6.* non tamen potuit tradere possessionem parte non vocata, *d. c. licèt Episcopus. & Tiraquell. vbi supra. num. 335. & 337.* Ideo fuit ordinatum, vt videatur, An pro parte Don Petri probetur iste defectus citationis; quæ res pendet à probatione suæ absentiæ à loco, in quo dicitur facta citatio, & interim detur absolutio Don Mutio ad mẽsem ex eo, quòd sumus proximi festi Natalitijs.

Papien. Bonorum.
Veneris 11. Decembris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Fundans se in alienatione rei Ecclesiasticæ ex causa vtilitatis debet ipsam vtilitatem probare.*
2 *Ecclesia in alienatione rei præsumitur læsa, nisi contrarium probetur, nec ad hoc sufficit probasse, quòd Ecclesia non sentiat damnum, sed requiratur, quòd sentiat vtilitatẽ, & quòd sit euidẽs vtilitas.*

3 *In alienatione rei Ecclesiæ quando causa dicatur vtilis, & quando non.*

4 *Alienatio facta de tempore calamitoso, vel tempore belli non potest dici vtilis.*

5 *Alienatio rei Ecclesiæ facta ex causa vtilitatis debet esse vtilis non solum re ipsa sed etiam spe.*

6 *Verus valor rei non satis probatur per testes referentes se ad malas conditiones temporum.*

7 *Testibus deponentibus contra confessionem partis non creditur, maximè si confessio sit facta in precibus coram Superiore.*

8 *Testibus dicentibus alienationem fuisse vtilem non creditur, si eorum rationes nō concludunt vtilitatem.*

9 *Testes dicentes, quòd ipsi non accepissent rē pro tanta summa, non probant, si non deponant de communi æstimatione, cum si ipsi non accepissent alij accipere potuissent.*

10 *Instrumenta plura de locis contiguis probant communem valorem rei, vel saltem inducunt præsumptionem,*

DECISIO CDXXXIII.

DVbitaui factis nōnullis præsuppositis,
& illorum copia data, an pro parte
Dominorum de Palauicinis sit probata
euidens vtilitas; De ordine Rotæ propo-
sui causam informāte tantum Illustrissimi
& Reuerendissimi Domini Cardinalis par-
te, quia Domini Palauicini sæpius mo-
niti neglexerunt informare; & fuit reso-
lutum non probari vtilitatem euidentem,
1 quia † fundans se in alienatione rei Eccle-
siasticæ ex causa vtilitatis debet probare
vtilitatem, ex quo huiusmodi alienatio
regulariter est prohibita, & in quibusdam
2 tantum casibus permissa; † & propterea
præsumitur læsiua, nisi contrarium probe-
tur, *vt declarat Dec. in cons. 142. numer. 4. Alexand. cons. 160. num. 6. vol. 6. Bertrand. cons. 180. num. 2. vol. 7.* nec sufficit pro-
basse, quòd Ecclesia non sentiat damnum,
sed requiritur, quòd sentiat vtilitatem;
vt per Aegid. in cap. sine exceptione. col. 4. in fin. num. 4. vers. glosa penult. Laurent. de Rodulph. num. 13. circa fin. Henric. Boich. in cap. tua nuper. in fin. num. 5. de his quæ fiu. à Prælat. sin. consen. Capit. & nedum
requiritur, quòd sentiat vtilitatem, sed
quòd illa sit euidens, tum ex dispositione
iuris, *cap. 1. de reb. Eccles. non alienan. in 6. cum similib.* tum ex conditione apposita
in litteris sacræ Pœnitentiariæ; in quibus
mandatur Iudicibus commissarijs, vt ita
demum confirment hanc alienationem,
si & quatenus tendat in euidentem Eccle-
siæ vtilitatem; & propterea vbi potest esse
dubium, an sit vtilis vel ne, non tenet alie-
natio, *d. c. sine exceptione. ibi non dubium. & ibi not. Aegid. in primo vers. quòd non sit dubium præsuppositi. numer. 3. vbi dicit, quod debet esse clarum de vtilitate. Bald. cons. 156. num. 1. vol. 1. per text. in l. cum hi. §. causa. & §. cum Prætor. de transact.*
Verum ex præsuppositis, de quibus in hoc
dubio, tres species probationum colligun-
tur, in quibus Domini Palauicini se fun-
dare possunt circa probationē huius eui-
dentis vtilitatis, quæ probationes non
sunt sufficientes: Quo enim ad primam
speciem probationis ex visione loci facta
de anno 1530. per Iudices commissarios,
vnà cum examine quatuor testium tunc
examinatorum, ex illis nihil aliud colli-
gitur, nisi quòd molendinum, de quo fit
mentio in dictis litteris, erat ferè totum
dirutum, & absque molis & rotis, & alijs
instrumentis necessarijs ad molendinum,
& quòd aqua decurri solita pro vsu dicti
molendini dilabebatur per alia loca, &
quòd vna Cassina cooperta palea cum do-
muncula pro aliquali parte erat diruta;
alterius verò Cassinę cum domo pars erat
absque cuppis & lignaminibus, & quòd
possessiones ac terræ, de quibus agitur,
solitæ cultiuari non erant cultiuatæ à qua-
tuor annis vel circa, & quòd erant ferè di-
rutæ propter bella: Ad hæc omnia Domi-
ni dixerunt non probari causam euidentis
vtilitatis, cum non probetur vtilius fuisse
Ecclesiam alienare in perpetuum hæc bo-
na, quæ sunt particarum 1600. pro annuo
canone scutorum trigintatrium ad ratio-
nem duorum solidorum cum dimidio pro
qualibet pertica, quàm retinere pro se ip-
sa; Et propterea Domini resoluerunt sub
die 10. Iunij *. ex hac visione vnà cum in-
strumento alienationis non probari eui-
dentem vtilitatem, sed potius probari dā-
num Ecclesiæ. Nec obstat, quòd dicti qua-
tuor testes, deponant has terras fuisse in-
cultas per quatuor annos propter bella;
3 quia respondetur † ex hoc non deprehen-
di causam vtilem, propter quam debue-
rit fieri hæc alienatio, secundum distin-
ctionem, quàm communiter in hac mate-
ria faciunt Doctores videlicet, quòd si
alienatio fiat ex causa necessitatis, & tunc
illi statur, quemcunque habeat exitum,
dummodo sit vtiliter cœpta; si verò fiat ex
causa vtilitatis, tunc non sufficit esse vti-
liter cœptam, sed necesse est, quòd sit effe-
cta locupletior, *vt tradit Archidiacon. Geminian. Aegid. Laurent. de Rodulph. & cæteri supra allegati in d. c. sine exception.*;
4 † Propterea huiusmodi alienatio nō debuit
fieri de eo tempore calamitoso ex causa
istius vtilitatis, *iuxta doctr. Cuman. in l. pretia rerum. num. 5. vers. item si posita ad leg. Falcid.* vbi voluit, quòd si res non

* coram bon. me D. Robustello.

potuit vendi nisi modico pretio propter
bellum vel similia, propter quod non reperitur emptor non subsistente necessitate vendendi, debet computari quantum verisimiliter in futurum vendi posset; vel cauere, si plus postea vendi posset, *facit decis. Afflict. 87. num. 3. & Castrens. consil. 109. col. 1. vers. nec obstant testes. volum. 2.* vbi tenet, quòd pretium repertum tempore guerræ de possessione, quæ erat inculta propter dictam guerram, non est verum pretium, cum sit temporale, quia speratur cessare, & ideo non debet attendi, *& dicit Bald. in d. cons. 156. num. 3.* quòd
5 † res Ecclesiæ, quæ alienatur ex causa vtilitatis, debet esse vtilis non solum re ipsa sed etiam spe; at hic nulli dubium est, quòd de eo tempore spes erat, quòd bona retenta fuissent reditura, prout re vera redierunt, *facit etiam consil. Fulgos. 242. visa copia. post princip.* qui dicit, quòd
6 † verus valor rei nõ satis probatur per testes referentes se ad malas conditiones tẽporum, quia ex hoc non resultat iustum pretium rei, *vt plura congerit Corn. in repet. l. 2. num. 233. cum plurib. sequentib. C. de rescind. vendit. & ita in istis terminis aliàs Rota conclusit per supradictam doctrinam in causa Romana Casalis Turricella die 10. Martij* 1578. *coram R. P. D. Cantuccio* [a].

a In impress. diuers. nouiss. 63. part. 2.

Addebant etiam Domini, quòd cum Iudices commissarij in dicta visione loci referant, se inuenisse Ioannem de Madianis vnà cum eius filijs habitantes in dictis possessionibus, ex hoc videtur colligi, quòd dictæ terræ non erant in statu desertionis. Secunda verò species probationis, quæ resultat ex dispositionibus trium testium examinatorum de anno 1537. minus probat euidentem vtilitatem; nam quatenus dicunt has terras quasi omnes esse, vt vocant assicales, Domini dicebant non esse eis dandam fidem; primo, quia eis repugnat confessio partium, de qua in instrumento alienationis, & in supplicatione, si in euidentem, in quibus fatentur has terras esse pratiuas, aratiuas, vitatas, & ar-
7 boratas; & propterea † testibus deponentibus contra confessionem partis non creditur, *vt notat Bald. in l. generaliter. in 2. oppos. C. de non num. pec. Aym. consil. 171. num. 10.* maximè si est facta in precibus coram Superiore, *iuxta notat. in l. cum precum. C. de liber. caus.* Nec etiam est verisimile, quòd si terræ essent solum assicales, quòd partes hoc non expressissent in dicto instrumento & supplicatione pro iustificanda causa vtilitatis. Secundo istis testibus aduersatur attestatio iudicum, qui accesserunt ad inspectionem dictarum terrarum, & retulerunt se reperijsse illas solitas & consuetas cultiuari, sed ad præsens incultas propter dicta bella, nihil autem dicunt, quòd essent assicales; nec credendum est eos omisisse per errorem, siquidem diligentissimè animaduerterunt omnes & quoscunque defectus, qui erant in dictis possessionibus, vt constat in dicta visione. Tertio repugnat etiam dispositio dictorum quatuor testium examinatorum in dicta visione, qui solum deponunt de incultura, quia sunt assicales; Ex quibus
8 infertur, quòd † non est credendum illis tribus testibus, dum dicunt alienationem fuisse vtilem, ex quo eorum rationes non
9 concludunt vtilitatem. Non obstat, † qđ inquiunt, quòd ipsi non recepissent pro dicto canone ducentum librarum, quia non probant, cum non deponant de communi æstimatione, *vt notant Doctor. in d. l. pretia rerum.* nam si ipsi non conduxissent, aliqui alij conduxissent. Minus etiam facit, dum dicunt, quòd parum aut nihil percipiebatur ex dictis terris, quia hoc cõcernit tempus illud calamitosum, quod non debet attendi, per ea quæ supra dicta sunt, propterea fides istorum testium redditur dubia ex pluribus instrumentis productis pro parte Illustrissimi Cardinalis, de quibus in summario, per quæ probatur, quòd de anno 1530. quo fuit facta hæc alienatio, & sic de tempore calamitoso, & paulo post loquebantur, quòd terræ istæ contiguæ, conducebantur pro decem vel vndecim solidis pro qualibet pertica ac etiam ad modicum tempus, & tamen pro qualibet pertica istarum soluuntur tantum duo solidi cum dimidio, vt bene deducunt hic
10 informantes. † Instrumenta autem plura de locis contiguis probant communem valorem rei vel saltem inducunt præsumptionem, *vt latè per Cagnol. in d. l. 2. num. 233. vers. sed prædicta. C. de restind. vendit.* Quo verò ad testes examinatos in hac lite dum referunt malam conditionem terrarum, & quia non habent aquam viuam, sed scolatiuam, vt vocant, hoc nihil facit, quia non refert, quòd terræ habeant aquã viuam, & istę hodie sunt optimæ terræ etiam sine aqua viua. Præterea, vt colligitur ex instrumento, de quo in summario num. 24. in fine, aqua scolatiua inseruit pro tribus diebus & tribus noctibus in hebdomada in dictis possessionibus, & ita sufficit. Non obstat etiam, dum conantur isti testes deponere de maxima penuria illorum temporum tam in victu quàm in colẽdis agris propter bella & pestem, quia hoc procederet, si alienatio fuisset facta ex causa necessitatis, vt dictum est. Cætera verò quæ dicuntur per istos testes, tolluntur ex responsionibus supradictis & datis per informantes. Ex quibus fuit conclusum non probari euidentem vtilitatem,

pro-

propter quam debuerit fieri ista alienatio, cum probationes non sint claræ, sed dubiæ, & potius probetur damnum Ecclesiæ quàm vtilitas.

Zamoren. Castri.
Die Lunæ 14. Decembris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Ad hoc, vt concessio facta sine solemnitatibus, tanquam de re solita locari, teneat, requiritur, quòd vel præcedat vna solemnis locatio & valida, vel solemni locatione deficiente adsint duæ cum cursu quadraginta annorum, de communi.*

DECISIO CDXXXIV.

1 DOmini resoluerunt, quòd † ad hoc vt concessio Castri, de qua agitur, facta sine solemnitatibus teneat, tanquam de re solita locari, vnum ex duobus requiritur; vel quòd præcedat vna locatio solemnis & valida, & illico dicetur res solita locari, nec requiritur cursus temporis, vel hac deficiente adsint duæ concessiones, cum cursu quadraginta annorum, *Prepos. in c. 1. qui feud. dar. poss. num. 23. cum sequentib. Alex. cons. 9. num. 5. lib. 3. ubi Add. Balb. in 1. princ. part. q. 20. Iacob. de Sancto Georg. de feud. in vers. in feudum, num. 39. Ias. cons. 155. qui de communi. col. 2. vers. quarto facit. lib. 1. eandem cõmunem dicit Seissel. in Specul. feud. fol. 171. cum sequentib. & fol. 182. & 183.* Nec obstat, quòd ex cursu temporis, præsumantur solemnitates, quia hoc non potest procedere in terminis huius quæstionis, aliàs redderetur falsa communis opinio, An verò probentur tales duæ concessiones, cum cursu quadraginta annorum in casu, de quo agitur, erit videndum.

Regien. Bonorum.
Die Veneris 18. Decembris 1579.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio rem restitui licèt sit diuidua respectu obligationis & condemnationis, tamen est indiuidua respectu solutionis.*
2 *Obligatio rem restitui dicitur indiuidua, quando adyeitur speciei secus si quantitati.*
3 *In obligatione rem restitui fundus dicitur species.*

DECISIO CDXXXV.

FVit resolutum Illustrissimos Dominos Alphonsum & Camillum non fuisse liberatos per restitutionem duarum partiũ ex tribus terrarum, de quibus agitur, quia
1 † obligatio rem restitui, quamuis sit diuidua respectu obligationis & condemnationis; tamen est indiuidua respectu solutionis, *l. si duo. vbi Bart. deposit. & in l. 4. §. Cato. vbi Butigel. num. 79. & Horman. Det. num. 188. de verbor. obligat.* Vnde intrat *doctr. Bald. in l. 1. num. 3. C. si plur. vna sen-*
2 *tent.* Non obstat, quòd † obligatio rem restitui sit indiuidua, quando adijcitur speciei; secus si quantitati, *Ias. in l. stipulationes non diuiduntur. num. 18. in fin. de verbor. obligat.* quia in hac materia Docto-
3 res † vocant fundum speciem, *vt liquet ex Bart. in d. l. stipulationes. numer. 23. & 24.* & ratio prædictæ indiuiduitatis respectu solutionis est, ne contingat absurdum, quòd solutio fiat in diuersis rebus, *contra regulam l. in exequutione. §. pro parte. de verb. obligat. Bart. in d. l. stipulationes. in 8. oppos. quem cæteri sequuntur.*

Gerunden. Pensionis.
Die Veneris 18. Decembris 1579.

SVMMARIVM.

1 *In iuribus incorporalibus ex vnica solutione acquiritur quasi possessio exigendi.*
2 *Libri mercatorum non probant, nisi concurrentibus adminiculis.*
3 *In iuribus incorporalibus substantia possessionis consistit in patientia Domini.*
4 *Scientia & patientia Domini habetur loco traditionis rei, quæ non potest considerari Ecclesia vacante; cum non adsit persona, cui hoc ius competat, vt numer. 5.*
6 *Confessio Prælati non nocet Ecclesiæ; secus est, si concurrant adminicula, & sint talia, quæ percutiant illud idem, quod percutit ipsa confessio, alioquin agendum esset de coniunctione probationum, & nu. 7.*
8 *Decisionem 2. de caus. poss. & propr. in antiq. Rota non sequitur; nisi concurrant adminicula.*
9 *Partita mercatorum ratione publici officij faciunt fidem.*

DECISIO CDXXXVI.

FVit dictum, quòd aut solutiones factæ a sequestratoribus sunt sufficientes ad constituendum in quasi possessione exigẽ- recessum fuit à præsenti decis. 27. Ianua. 1580.

di pensionem ant non: primo casu constare
1 de quasi possessione, quia † in iuribus incorporalibus ex vnica solutione quæritur
quasi possessio exigendi, *Roman. cons.* 311.
in fin. Rip. in cap. cum Ecclesia Sutrina. nu.
53. *de caus. poss. & propriet.* & de huiusmodi solutione constat ex instrumento anni
1566. de mense Martij iuncta partita banchi. Nec obstat, qnòd sit simplex confessio, quia constat de numeratione ex par-
2 titis banchi, & licèt † liber mercatorum
non probet, *vt fuit pluries resolutum, præsertim 14. huius in illa Romana Montium.*
coram R. P. D. Cantuccio. hic enim partitæ recipiunt adminiculum ab instrumēto, in quo sunt insertæ, Item adminiculatur ex confessione procuratoris Bernardini, qui protestatus fuit de repetitione
non solum termini, qui tunc soluebatur,
sed etiam aliorum omnium à sequestratoribus solutorum post contractum matrimoninm: Si verò solutio facta à sequestratoribus non sufficit ad constituendum in
3 quasi possessione exigendi, eo † quòd in
istis incorporalibus substantia possessionis
consistit in patientia Domini, *Bald. in l. 2.*
C. de seruit. & aqu. Rip. in d. c. cū Ecclesia.
4 *num. 64.* quia † scientia & patientia Do-
5 mini habetur loco traditionis, † & Ecclesia vacante non adest persona, cui hoc ius
competat, *vt dicit Bald. d. l. 2. num. 15. &*
Rip. loco supra citat. num. 65. & fuit resolutum in vna Cremonen. Pensionis * hoc casu
dixerunt Domini non constare de quasi
possessione; nam quantum ad confessionem
Matthæi, quæ deducitur: regula est, quòd
6 † confessio Prælati non nocet Ecclesiæ,
vt per Felin. in cap. fin. num. 11. & ibi Pa-
7 *ris. numer. 54. de præscript.* † & licèt hoc limitetur, quando concurrunt adminicula,
vt per Bald. in Auth. hoc ius porrectum.
C. de sacrosanct. Eccles. num. 8. tamen necesse est, vt adminicula percutiant illud
idem, quod percutit ipsa confesio, alioquin agendum est de coniunctione probationum, *vt per Aym. cons. 281. nu. 6. vers.*
2. *respondeo*. & sic deberent dicta adminicula pereutere tempus dictæ confessionis:
Adminiculum autem partitæ anni 1564.
per se nihil est, cum vt supra dictum est,
non faciat fidem; nam respectu huius non
datur aliqua quietantia per instrumētum,
prout in alijs, de quibus supra. Non obstat
alia partita de anno 1569. quia non constat
de mandato Bernardini Commendatarij
8 † Neque Rota sequitur indistinctè *decis.* 2.
de caus. poss. & propr. in antiq. nisi aliqua
concurrāt adminicula, quæ hic non adsunt.
Non obstat productio, cum fieret ad effectum impugnandi pensionem, *Aym. cons.*
9 175. *num.* 7. † Præterea esset confesio Prælati, quæ vt dictum est supra, non præiudicat; tamen de his dubitarem, si illorum
mercatorum partitæ facerent fidem ratione publici officij ad hunc effectum constituti, pront deducitur in memorabilibus
Io. de Camalonga, *per ea quæ dicta fuerunt coram me in illa Romana de Valle. 9. huius mensis.*

* Die 21. Nou. 1571 coram Illustr. Card. Lancellotto.

Lucana Beneficiorum:
Die Veneris 18. Decembris 1579.

SVMMARIVM.

1. *Archipresbyteratus sine dote erigi non potest.*
2. *Ex quibus arguatur præbendam Archipresbyteri non esse canonicalem, & per totam.*
3. *Canonici in Capitulo sedent secūdum antiquitatem.*
4. *Episcopus qui est in Capitulo vti Canonicus, in quo loco sedere debeat.*
5. *Vicarius, qui est Canonicus, debet in Capitulo sedere in suo loco canonicali.*
6. *Enunciatiuæ, quæ non sunt claræ, non suffragantur.*
7. *Aliud est habere iura canonicalia, aliud præbendam canonicalem.*
8. *Archipresbyter potest habere vocem in Capitulo, non solum ratione præbendæ, sed etiam ratione dignitatis, & quomodo.*

DECISIO CDXXXVII.

DVbitaui nonnullis præsuppositis, An
constet Archipresbyteratum Ecclesiæ Lucanæ habere præbendam talem, quæ
sit incōpatibilis cum alia præbenda canonicali: Et pro parte affirmatiua deducebātur duo genera probationū, nempe scripturæ & testes: Quantū ad scripturas, primo dedncta fuit Constitutio facta de Anno
1012. in qua statuitur, quòd in Ecclesia Lucana debent esse sexdecim Canonici, nec
plures nec pauciores; vnde inferebatur,
quòd cum hodie sint sexdecim, computando Canonicos cū tribus dignitatibus, tres
illas dignitates habere canonicatū annexum, alioquin non essent sexdecim, sed hoc
videbatur tolli ex eo, quòd ex aduerso deducebatur in facto, Archipresbyteratum
esse antiquiorem huiusmodi Cnstitutione;
1 & † cum non potuerit erigi sine dote, *cap.*
cum sicut. de consecr. Eccles. vel Altar. c. nemo. de consecrat. distin. 1. & nullam habeat
dotem nisi istam præbendam, non est dicendum, quòd eam habuerit vigore prædictæ
2 Constitutionis. Confirmatur, quia † Archipresbyteratus habet multas qualitates,
quæ ostendunt præbēdam non esse canonicalem; nam primo non optatur, sicut aliæ
quæ optantur, & si esset talis, saltem optio
da-

3 daretur inter ipsas dignitates. † Secundo
Archipresbyter sedet in loco suo, non au-
tem secundum antiquitatem, quod facere
deberet, si vti Canonicus interesset in Ca-
pitulo, *Gemin. in c. à collatione. num. 6. de*
4 *appellation. & ibi Franc. num. 4.* † & licèt
in Episcopo, qui est Episcopus Ecclesiæ il-
lius Capituli seruetur, vt sedeat post illum,
qui præest Capitulo, *vt per Abbat. in cap.
postulasti. num. 8. de concess. præb. Felin. in
Rubr. de maior. & obed. col. 2. in fin.* tamen
id est speciale, quando est Episcopus illius
Capituli, alioquin debet sedere in loco ca-
nonicali; & sic quod dicitur de Episcopo,
nō habet locum in alijs dignitatibus, adeo
5 quòd † Vicarius si est Canonicus debet se-
dere in loco canonicali, *Cassan. in Cathalog.
glor. mund. 4. part. 45. considerat.* Secun-
do pro affirmatiua ad ostendendū effectua-
tionem constitutionis, allegata fuerunt in-
strumenta antiqua, in quibus dignitates
enunciantur Canonici, sed respondebatur
6 per informantes, † enunciationes non esse
claras; ideo non suffragari, *Oldrad. cons. 262.
col. 2. vers. super prædictis. Aym. de antiq.
temp. part. 1. §. ampliatur. num. 16.* tamen
hæc responsio non videbatur tuta, quia
primum instrumentum videtur clarum;
ideo fuit dictum, quòd si primum est vnicū,
quod habeat talem enunciationem clarā,
prout ex aduerso asseritur, quòd ex eo non
potest elici concludens probatio, *ad notat.
per Aym. loco supra citat. num.* 3. reliqua
enim, quæ habent in fine illa verba omnes
Canonici sunt æquiuoca, & potius referen-
da sunt ad Canonicos nominatos sine ali-
qua qualitate, quàm ad obtinentes digni-
tates in specie designatos cum dignitatis
expressione. Quantum ad testes, primus nō
videbatur concludere, quia quod dicit su-
per decimo interrogatorio Archipresbyte-
rum habere vnam præbendam, sicut habēt
cæteri Canonici, non arguit, quòd illa sit
præbenda canonicalis: Secūdus super quin-
to clarè quidem deponit, sed causam sciē-
tiæ concludentem non reddit; nam neque
posuit applicationem, & quòd ait vidisse
obseruari, referendum est ad id, quod Ar-
chipresbyter habet vocem in Capitulo, &
stallum in choro, & hoc non concludit; in
eo verò quòd intellexerit, est de auditu: ter
tius patitur eandem difficultatem; & quod
dicit in genere omnes vocari Canonicos,
hoc ex eo potest prouenire, quòd omnes
habent vocem, vel quòd denominatio illa
genericè sumitur à maiori parte, cum di-
cat eos in particulari vocari dignitates:
quartus non concludit, nam fundatur eius
dictum in eo, quòd Archipresbyter habet
præbendam sicut cæteri Canonici: quintus
dum dicit Archipresbyterum habere iu-
ra canonicalia est de auditu, & non conclu-
7 dit, quia † aliud est habere iura canonica-
lia, aliud præbendam canonicalem: In reli-
quis dum probat articulos, nō assignat bo-
nam rationem, prout tenetur, cum simus
in materia, quæ pendet ex discursu intelle-
ctus, *Felin. in cap. cum causam. col. 5. num.
4. de testib. cum simil.* & hunc defectum pa-
tiuntur omnes testes: dictum verò Iacobi
Gilij non est concludens, solum enim dicit,
quòd habet domum canonicalem: Fuit er-
go conclusum non probari præbendam hāc
esse canonicalem, prout concludenter pro-
bari debet, cum hæc sit materia obiectiua
contra gratiam Apostolicam; sed fuit re-
seruatum ad effectum, de quo agitur, vt vi-
deatur, An hæc præbenda possit dici quasi
canonicalis, quod sufficeret ad inducēdam
incompatibilitatem; in qua re difficultatē
8 facit, quòd † Archipresbyter potest habe-
re vocem non solum ratione præbendæ, sed
etiam ratione dignitatis, quæ potest esse
ab erectione vel de consuetudine de Capi-
tulo, vel ratione præscriptionis, *vt per Abb.
& Felin. in cap. cum olim. el 2. de re iud.
cum alijs allegatis.*

Rauennaten. Vallium.
Die Lunæ 11. Ianuarij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Enunciationes antiquæ probant situatio-
nem loci, & confinia.*

DECISIO CDXXXVIII.

FVit resolutū in vtroque capite pro Ra-
sponibus; nam quod attinet ad primū,
1 † probatur per enunciationes antiquas, de
quibus in quinque prioribus præsuppositis
*ad not. per Butr. & alios in c. cum causa. de
probat. Cuman. cons. 158. Hipp. in rubr. de
probat. num. 192. Bald. in l. cum aliquis. C. de
iur. delib. & ibi Salic. & Alex. & Ias. Aym.
de antiq. temp. 1. part. num. 70. cum alijs.*
Non obstat, quòd dicatur in ijs, in Fossa
Pudola, siue Longastrino, siue alio veriori
nomine nuncupentur, quia incertitudo ex
aduerso considerata ratione Longastrini
non releuat, cum idem sit effectus, siue Po-
lisenella sit in Fossa Pudola siue in Longa-
strino, sed & hoc tollitur per testes, cum
Longastrinum sit villa habens parochiam,
sub qua verisimile est comprehendi Fossam
Pudolam, quæ nec villa est, neque habet ali-
quam Ecclesiam, & illa verba notarij posi-
ta sunt ad cautellam, aliàs neque etiam
constaret de nomine Vallis concessæ nem-
pe Polisenellæ, ita quòd satis constat ex ea
alternatiua non induci incertitudinem.
Non obstat, quòd Polisenella contigua sit
viæ Alphonsinæ, quia hoc confine verifica-
tur ex alia parte iuxta secundum capitellū,
vbi initium habet via Alphonsina, sed de
hoc & de contentis in instrumentis allega-
tis pro Dominis Calcagninis agēdum erit,
quan-

quando eorum iura, quæ nunc circunscribuntur, examinabuntur. Nec obstat, quòd Burdioli sint intermedij inter Codardarũ & Polisenellam, quia immo ipsi sunt in parte Polisenellæ iuxta foueam fratrum, quod liquet ex inuestitura habita à Canonicis pro iuribus Burdiolorum ab ipsis emptis ab Ecclesia Rauennatense. Quod autem Fossa Pudola sit supra Fossam fratrũ à parte Occidentis, hoc neque à parte negatur, neque negari potest; cum satis apertè à suismet testibus describatur, prout deducitur in informatione facti; maximè à Francisco & Stephano, qui eam aiunt confinare cum iuribus Burdiolorum, qui possident à dicta fossa vsque ad fossam, quæ dicitur fratrum, & hoc quoque corroboratur ex prædictis inuestituris, de quibus in puncto. Neque obstant testes dicentes Fossam Pudolã essere vn pezzo in sù; quia loquuntur de fossa, siue fouea ipsa, à qua territorium circunstans denominationem accepit.

Romana Nullitatis de Fabijs.
Die Lunæ 11. Ianuarij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictio potest prorogari de re ad rem; licèt secus sit de persona ad personam; & talis prorogatio ex tacito consensu induci potest, vt num. 2.*

3 *Quod dicitur prorogationem iurisdictionis non posse fieri ad diuersam speciem iurisdictionis, quomodo procedat.*

4 *Iurisdictio delegata respectu rerum semper est prorogabilis.*

DECISIO CDXXXIX.

FVit resolutum sufficientem fuisse deputationem ad effectum, de quo agitur, nempe sustinendi sententiam, vt non sit nul-
1 la, quia † iurisdictio potest prorogari de re ad rem, licèt non de persona ad personam, *c. P. & G. & ibi Abb. num. 13. Felin. num. 5. & seq. de off. deleg.* & mandatum fuit sufficiens propter specificationem multorum speciale mandatum requirentium cũ clausula generali, *cap. qui ad agendum. de procurat. in 6.* nec hic probatur aliquis error
2 impediens prorogationem, † quæ ex tacito consensu induci potest, *Bart. in l. 1. in fin. de iud. Innoc. in cap. cum venissent. de in integr. rest. Dec. in cap. pastoralis. num.*
3 *11. de except.* Neque obstat, quòd † prorogatio non potest fieri ad diuersam speciem iurisdictionis, *ad not. per Abb. in d. c. P. & G. num. 15.* quia Doctores intelligunt diuersam speciem, veluti si altera sit criminalis altera ciuilis, vel vna simplicis iurisdictionis; altera meri vel mixti Imperij, non autem si altera sit ordinaria altera delegata, si enim hoc esset, corrueret vera & communis conclusio, de qua *in d. cap. P. & G.*
4 quòd † iurisdictio delegata respectu rerum sit prorogabilis: certum est enim causam, super qua fit prorogatio, pertinere ad ordinarium iudicem.

Portuen. de Columna.
Die Sabbati 23. Ianuarij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Dos ab auo relicta nepti censetur relicta contemplatione fily non autem neptis, quod non procedit, vbi de contrario apparet etiam per coniecturas, vt num. 3.*

2 *Dos ab auo relicta nepti, filio imputatur in legitimam.*

4 *Dispositio Auth. res quæ. C. com. de legat. habet tantum locum in subsidiũ, & onus dotandi, de quo in pacto, ita est intelligendum, quando non adsunt alia bona, ex quibus commodè possit dos haberi.*

DECISIO CDXL.

FVit dubitatum, an dotes Ill. Filiarum bon. mem. Sciarræ debeant detrahi de legitima, itaut ad eas non teneatur Illustr. Dominus Iulius, nisi quatenus legitima non sufficiat, & pro parte affirmatiua deducebantur duo principaliter: Primo vulgata est *præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 706. part. 1.*
1 communis Doctorum conclusio, quòd † dos relicta ab auo nepti censetur relicta contemplatione filij non autem neptis, *Cyn. in l. scimus. in 5. quæst. C. de inoff. testa. Angel. in l. in quartam. & ibi Rip. num. 202. ad leg. Falc. & idem Ang. in cons. 78. Alex. cons. 31. num. 4. lib. 4. & ibi Addit. cũ alijs congestis per Gabr. in com. concl. tit. de iur. dot. concl. 5.* & ideo dicunt prædicti Do-
2 ctores, † eam imputari filio in legitimam, & nepti etiam petenti legitimam in bonis auitis ex persona patris. Huic fundamento plures per Dominos ex aduerso informantes dantur responsiones, inter quas pla-
3 cuit, quòd prædicta † conclusio non procedat, vbi apparet neptes non fuisse dotatas contemplatione filij, *Bart. in l. dotem. de coll. bon. Angel. & alij in d. l. in quartam. Alex. in d. cons. 31. n. 5. in 4. Soc. cons. 33. num. 16. in 3. Gabr. d. concl. 5. num. 7. cum alijs deductis.* * Hic autem plures adsunt coniecturæ concludentissimæ, ex quibus constat dotes huiusmodi non propter filios sed propter neptes & proneptes, & deinceps ratione exclusionis ab istis bonis, relictas fuisse, quas quia bene deducunt informantes, hic non repeto. Alia ratione mouebantur informantes pro Domino Iulio, nempe quòd dispositio huiusmodi facta per paciscentes debet recipere interpretationẽ à dispositione iuris communis; & ideo quẽ-
4 admodum † dispositio *Auth. res quæ. C. cõm. de legat.* locum habet tantum in subsidium, quando non adsunt alia bona, ita intelligẽdum onus dotandi pacto adiectum, vt tunc de-

*Bolognet. in d. l. in quartã. num. 164. ad leg. Falcid. Alexãd. cons. 117. n. 4. vol. 6. & cõs. 154. vol. 7. Socin. iun. cons. 77. n. 4. vol. 2. & 79. num. 11. vol. 3. Grat. cons. 119. num. 61.

demum locum habeat, si commodè aliunde dotari non possunt, *iuxta tradita per Castr. in cons. 64. num. 4. lib. 2. Rub. Alex. cons. 124. Cephal. cons. 105. num. 13. Marz. cons. 1. fol. 15. & 16. & in Epitom. quæst. 48.* Hanc sententiam comprobant coniecturę; voluerunt enim paciscentes bona cõseruari in familia, vt dicitur in prohemio pacti, quæ voluntas facilè eluderetur, si permitteretur huiusmodi detractio dotium & legitimæ; & maximè procedente tempore à fęminis dotandis hæc bona exhaurirentur: Præterea voluerunt, quòd nihil præter dotes ex dictis bonis habere possent; ex quo videtur, quòd in necessarium antecedens noluerint eas habere legitimam & dotes, alioquin ex dictis bonis haberēt aliquid præter dictas dotes. Nec placebat responsio *Menoch. in cons. 88. num. 53.* quia non habemus expressam voluntatem, quòd vltra legitimam detrahantur dotes; immo habemus enixam voluntatem, quòd bona conseruentur, & ita respondere possumus adductis *à Cephal. in cons. 253. num. 41. cum seq.* & eadem ratione potest responderi *Rimin. in cons. 257. n. 22.* quia ratio per eum allegata, quòd dos sit relicta contemplatione neptis non autē filij, non est concludens; cum hæc contemplatio recipiat hanc limitationem à iuris dispositione, vt ea tunc demum locum habeat, quando aliūde dotari non potest: Nec propterea est inutilis hæc paciscētium prouisio, quia saltem tollit difficultatem, An *Auth. res quæ.* habeat locum in contractibus, *Aym. cons. 19. in fin.* Item An habeat locum in omnibus descendentibus conceptis post obitum disponentis, de qua alias actū fuit *in vna Romana dotis corā R. P. D. Decano.** Et ex his, quæ in hoc vltimo fundamento deducuntur, fuit conclusum dotes non deberi vltra legitimam, si ex legitima possunt haberi sufficientes iuxta dignitatem familiæ & temporum qualitatē.

* Rubeo sub die 9. Iunii 1574.

Esina Bonorum.

Die Sabbati 23. Ianuarij 1580.

SVMMARIVM.

1 *In limitum & confinium identitate describenda solet fieri designatio, licèt sit valde distans, veluti dicendo à parte Orientis versus mare, & versus meridiem, & sic de cæteris, nec ob id dici potest, quòd confines diuersificentur.*

2 *Quæ sunt communia pluribus, communiter negligi solent.*

3 *In materia finium, præsertim in antiquis, plena probatio est ea, quæ ex varijs generibus probationum & adminiculis colligitur.*

DECISIO CDXLI.

Licèt partes diuersimodè informēt; Altera enim super identitate fossati; Altera verò super spolio: tamen placuit Dominis causam votari, iuxta intentionem Dominorum de Amicis super identitate fossati, quam censuerunt probari non obstantibus ijs, quæ ex aduerso deducuntur; retentis decisionibus factis, quòd partitæ sint sufficienter adminiculatæ, & quòd faciant fidem contra Dominos de Amicis, nā ex ijs iuncta planta colligitur nullo alio loco posse collocari fossatum Manciani, cum hac tantum parte verificentur alij confines certi & indubitati Boardi, Tubettæ, & alij: & sententia ipsa per Amicos producta id ipsum probat; nam dato quòd probet diuersos esse fundos Gangaliæ & Manciani, tamen fossatum his fundis adiacens potuit diuersa nomina sortiri, prout sortitum fuit, & etiā ex eo probatur, quòd eisdem terris vnicum fossatum sub diuersa denominatione in partitis datur pro confine, *vt fuit consideratum in discursu sub die 27. Maij 1579.* Neque in contrarium deducta mouerunt Dominos; nam primo, quod dicitur probari per testes fossatū Gangaliæ semper ita fuisse appellatum, tollitur per decisionem factā *sub die 20. Martij 1579.** quæ habet, quòd testes non probant nisi de 50. annis & non probāt exclusiuè ad scripturas, sed ex scripturis hæc appellatio colligitur. Secundo nō obstat, quòd fossatū huiusmodi habeat originem à sylua Gangaliæ, & inde traxerit nomen, quia potest etiam sumere denominationem à locis, per quæ transit, & hinc orta est diuersitas nominis. Tertio non obstat, quòd de tempore instrumentorum adesset vtrunque nomen Gangaliæ & Manciani, vt liquet etiam ex sententia supradicta, quæ diuersitas horum nominum nō concludit, ad diuersitatem fossati, & ita conclusum fuit 16. Nouembris præteriti; & licèt secundum lecturam Canonicorum instrumenta capiant terras ab vtroque latere fossati, ita quòd videatur excludi fundus Gangaliæ; tamen hoc nihil est; nam extendunt se tantum vsque ad collinas, & in parte superiori potest collocari fundus Gangaliæ, quod est satis verisimile, cum in ea parte sita sit sylua, quæ vocatur Gangalia. Quarto non obstat, quòd in instrumentis non fiat mentio Gangaliæ, quia non erat opus describere omnia loca adiacentia; maximè ex illa parte, quæ habebat satis notabiles fines collinarum, de quibus fit mentio, & id quod non fuit dictum in instrumentis, reperitur appositum in partitis. Quinto non obstat, quòd non fuerint apposita pro confinibus fossata insignia Auolantis & Cesulæ, quia partes, quibus notæ erant terræ, de quibus agebatur, habuerunt pro sufficiēti descriptione, qua vsi sunt dato certo loco & certa terrarum mensura, neque tunc præuiderūt tractu temporis euenire posse, vt de confinibus oriretur controuersia, & si hoc argumen-

*quæ decisio siue resolutio nihil aliud continet nisi eadem verba formalia, quæ hic in text. u ponuntur.

mentum concluderet nullibi possent collo-
cari illæ terræ, cum earum extremi fines à
duobus tantum lateribus non autem ab a-
lijs descripti fuerint. Sexto non obstat,
quòd Antignanum non sit Castrum, sed
Turris, quia instrumentum non dicit ver-
sus Castrũ Antignani sed versus Antigna-
num, quod satis verificatur in Turre. Sep-
1 timo non obstat, quòd † illa descriptio ver-
sus mare non conueniat; tum propter di-
stantiam maris; tum quòd Ciuitas Esij ab
illa parte erat vicinior; & ideo aptius dictũ
fuisset versus Esium, quia quantum ad di-
stantiam hoc non facit, quo minus descrip-
tio conueniat, cum plerumque in limitibus
describẽdis vtamur simili designatione, ve-
luti à parte Orientis & versus meridiem, &
sic de cæteris. Quantum verò ad vicinita-
tem Esij, ea non fuit habita in consideratio-
ne ex eo, quòd Ciuitas Esij est ex alia parte
fluminis, & iam ipsum flumen fuerat datum
pro confine. Octauo non obstat, quòd illi
montes dicantur collinæ, & tamen sunt
montes satis eminentes, nam comparatio-
ne aliorum locorum Apennini, illæ sunt col-
linæ & quidem valde humiles. Nono non
obstat longa Amicorum possessio, quia hinc
prætendũt Canonici spoliũ, quod probatur
probata anteriori possessione. Nec facit,
2 quòd tandiu tacuerint cũ ea † quæ sunt cõ-
munia pluribus cõmuniter negligi soleant,
3 Decimo & vltimo non obstat, quòd † in
hac materia requirãtur plenæ probationes,
quia tot concurrentibus Domini eas ha-
buerunt pro plenis ad probandam fossati
identitatem; maximè in materia antiqua,
Io. Paul. decis. 105. *Put. decis.* 26. *de re-
stit. spol.* & plena probatio ad hunc effectũ
est ea, quæ ex varijs generibus probationũ
& adminiculis colligitur, *cap. cum causam
& ibi glos. & Doctor. de probat. Socin. in
cons.* 86. *num.* 4. *lib.* 1. *Paris.* 107. *num.* 8.
lib. 1. *Aym. de antiq. temp. part.* 1. *§. viso
de verbis enunciatiuis. num.* 67. Quare cõ-
clusum pro identitate: Et ordinatum, vt
disputetur, an stantibus decisionibus sit
concludẽter probatum primum extremum
ad effectum restitutionis.

Gerunden. Pensionis.
Die Mercurij 27. Ianuarij 1580.

SVMMARIVM.

1. *Libris officialium publicè deputatorum fi-
des adhibetur.*
2 *Confessio Prælati, quando noceat Ecclesiæ,
& quando non.*

DECISIO CDXLII.

FVit à resolutione facta 18. Decembris
proximè præteriti per Dominos recces-
sum, cum præsupposito, quòd tabula cam-
bij & depositorum ciuitatis Barchinonen-
sis administretur per duos publicè deputa-
tos vnà cum notario publico, prout de hac
re tam extraiudicialiter ex relatione eorũ,
qui sunt illarũ partium, quàm ex inspectio-
ne partitarum ab Archiuerio, vt vocant,
subscriptarum, & per duos alios notarios
1 recognitarum apparet; † quo casu fides so-
let adhiberi, *vt per Bart. in l. quadã. §. nu-
mularios. num.* 3. *de edend. Socin. in cons.*
205. *num.* 2. *lib.* 2. *Aym. in* 1. *part. de an-
tiq. temp. num.* 234. His enim stantibus, sa-
tis constare visum est de quasi possessione
Ioannis Comalonga, quia primo habemus
confessionem Prælati, nempe Matthæi de
Sorribet de anno 1555. & licèt regula sit,
2 quòd † confessio Prælati non noceat Eccle-
siæ, *vt per Doctor. in c. fin. post glos. ibidem
de præscript.* tamen quando sumus in Præ-
lato non habente Capitulum, idem opera-
tur eius solius cõfessio, quod operatur Præ-
lati & Capituli in Collegiata, *vt per Paris.
d. cap. fin. num.* 54. *vers. tertia concl.* maxi-
mè, quando confessio est de his, quæ perti-
nent ad suam administrationem, *Rota de
confess. decis.* 3. *in nou.* & hoc sine difficul-
tate procedit, vbi cum confessione concur-
runt adminicula, *vt per Bald. in Auth. hoc
ius porrectum. C. de sacrosanct. Eccl. Paris.
vbi supra:* Adminicula sunt ista, primum
partita anni 1564. secundum solutiones fa-
ctæ à sequestratoribus, quos non est verisi-
mile soluturos fuisse, si verè non vidissent
Comalongam existere in quasi possessione
exigendi, tertium & vltimum vrgentissimũ
adminiculum elicitur ex protestatione fa-
cta de anno 1569. de qua in vltimo præsup-
posito de repetendo pecunias tam ab ipso
Bernardino quàm à sequestratoribus exa-
ctas: Ex quibus conclusum probari quasi
possessionem exigendi Comalongæ.

Anximana Bonorum.
Die Lunæ 1. Februarij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Subreptio illa vitiat gratiam, quæ mouit
Papam ad eam faciliùs concedendum.*
2 *Euidens vtilitas dicitur causa finalis, qua-
re Papa moueatur ad alienationẽ bonorũ
ecclesiasticorum confirmandam.*
3 *Subreptio circa non euidentem vtilitatem
Ecclesiæ vitiat gratiam alienationis.*
4 *In alienatione bonorum mensæ Episcopalis
separata à mensa Capituli requiritur
consensus Capituli; sed si probetur euidẽs
vtilitas, defectus dicti cõsensus nõ obstat.*
5 *Cõsensus Capituli in alienatione bonorum
mensæ Episcopalis magis respicit solem-
nitatem, quam substantiã alienationis.*
6 *Canonicatus largo modo dicitur dignitas.*
7 *Ex confirmatione alienationis facta à Pa-
pa resultat præsumptio vtilitatis Eccle-
siæ.*

DE-

DECISIO CDXLIII.

PLures fuerũt excitatæ difficultates per informantes, quòd cõfirmatio alienationis prædij non fuerit valida; nam pro parte Reu. Domini Episcopi oppositum fuit de subreptione; Item de defectu citationis, cum non fuerit citatum Capitulum; tertio quòd Breue fuerit directum Canonico non autem personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ. Quantum ad primam de subreptione, Domini censuerunt non
1 esse; quia † illa demum subreptio vitiat gratiam, quæ mouit Papam ad facilius con-
2 cedendum; sed † in hac materia confirmationis nihil aliud mouit Papam, quàm euidens vtilitas tanquam causa finalis, *Socin. cons.* 15. *num.* 51. *lib.* 1. *Ruin.* 157. *nu.* 25. *&* 26. *lib.* 1. & ideo non obstat, quod prætenditur pro parte Episcopi probari terras fuisse multo ante ad culturam redactas, hoc enim non mouit Papam, sed sola vtilitas, cum narretur, quòd si locaretur ad fructãdum per triennium redderentur inutiles, quod per testes probatur, qui dicunt, quòd si singulis annis seminaretur, deterioraretur valde, secũdus ad duodecimum, tertius
3 & quartus ibidem, † Non obstat *cons. Decij* 142. *num.* 4. quia ibi subreptio deducitur circa non euidentem vtilitatem Ecclesiæ. Quantum ad secundam, An Capitu-
4 lum fuerit citandum, † licèt in alienatione bonorum mensæ Episcopalis separatæ à mensa Capituli requiratur consensus Capituli, *glos. in verb. defensore. in fin. cap.* 1. *de reb. Eccl. non alien. in* 6. *vbi Gemin. nu.* 7. *in fin. Franc. num.* 20. interest enim Capituli, ne possessiones & bona Ecclesiæ alienentur, *Innoc. in cap. nouit. de his quæ fi. à Prælat. fin. cons. Cap. & ibi Abb. num.* 7. tamen si probatur euidens vtilitas, cessat istud interesse, & non est considerabilis iste defectus, *vt sensit Rota aliàs in vna Senogallien. Sylua coram bon. mem. Cotta*, * cum
5 † iste consensus magis respiciat solemnitatem quàm substantiam, *Abb. cons.* 41. *n.* 2. *lib.* 1. *cum alijs*. Quod opponitur Breue directum fuisse Canonico & non personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, non ob-
6 stat, ex eo quòd breue fuit expreſsè † directum Angelo Masutio Canonico, & sic declarauit Papa se intellexisse de dignitate largo modo in clausula cõmissionis, *Achill. decis.* 1. *de rescript.* Istis obiectionibus sub-
7 latis, dixerunt Domini † resultare ex cõfirmatione præsumptionem vtilitatis, *vt per Bald. in c.* 1. *num.* 7. *qui feud. dar. poss. Socin. in d. cons.* 15. *num.* 28. *lib.* 1. *Ias. cõs.* 54. *num.* 3. *lib.* 1. *Paris. cons.* 24. *num.* 5. *lib.* 4. *Ruin. cons.* 88. *num.* 15. *lib.* 1. & ideo ordinatum fuit, vt videatur, an pro parte Reu. Episcopi probetur alienationem non cessisse in euidentem vtilitatem Ecclesiæ.

* aliàs in Senogallien. prædii 10. Decemb. 1568.

Romana Vineæ.
Die Lunæ 8. Februarij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Existens in possessione per actus turbatiuos & clandestinos non dicitur spoliatus.*
2 *Tertius opponens de dominio impedit restitutionem.*
3 *Exceptio, quòd fideicommissarius de manu hæredis capere debeat, non potest à tertio opponi.*
4 *Collusio, quæ sonat in delictum, excluditur per probationem boni iuris coram iudice deducti.*

DECISIO CDXLIV.

FVit resolutum testes non probare primũ extremum ad effectum restitutionis; nam cum Rodomontes esset in possessione, antequã Ludouicus auctoritate iudicis vnà cum notario caperet possessionem, aperiẽdo cãcellum opera fabri ferrarij, & per vi-
1 neam deambulando, & † ipse Rodomontes non se habuerit pro spoliato; immo postea operas Ludouici à vinea expulerit; isti actus potius sunt turbatiui, & clandestini, quàm possessorij, & in specie primus testis non probat realem possessionem nisi de auditu; secundus verò facit contra Ludouicũ, cum deponat de reali possessione Rodomõtis, alij verò parum faciunt, cum probent expulsionem tantum; præterea ad effectum de quo agitur, Domini dixerunt, non posse ferri sententiam in spolio in fauorem Ludouici stante exceptione dominij per illos de Bendicis opposita, & per Rotalem sen-
2 tentiam approbata; quia † tertius opponens de dominio impedit restitutionem, *prout aliàs fuit resolutum in causa Nullius Castrorum coram bo. me. Oradino*, * *& latè tradit Gabr. de restit. spol. concl.* 1. *n.* 45.
3 Nec obstat, quòd † fideicommissarij debeãt capere de manu hæredis, quia hæc exceptio competit Rodomonti, qui sententiæ acquieuit, non autem Ludouico & litis consortibus. Nec facit, quod opponitur, quòd propter collusionem dicantur fideicommissarij habere ius connexum cum iure Ro-
4 domontis; quia † collusio, quæ sonat in delictum, excluditur per probationem boni iuris in Rota deducti ipsorum de Bendicis, *prout in simili dictum fuit in eadem causa Nullius Iurisdictionis coram eodem*, ius autem ipsorum est valde diuersum à iure Rodomontis: illi enim veniunt tanquam fideicommissarij ex testamento Michaelis, Rodomontes verò venit ex testamento Antoniæ, vti hæres ab ea institutus; Ideo videndum, an alia via consuli possit indemnitati creditorum Antoniæ & in specie Magdalenæ.

* sub die 12. Maii 1567. quæ in impress. diuers. nouiss. est 7. part. 2.

Calaguritana Canonicatus,
Die Lunæ 8. Februarii 1580.

SVMMARIVM.

1 *In impetratione debet fieri mentio de quolibet beneficio obtento quamuis modico, nisi obtentū antea fuerit resignatum, & resignatio habuerit effectum, vel nisi de obtento per sententiam sequuta fuerit priuatio, vt num. 2. & 3.*

DECISIO CDXLV.

a sub die 15. Martii 1579. coram Illust. Card. Blanchetto, & coram eodem confirmata 15. Iunii eiusdem Anni.

REgula fuit firmata contra Andream, iuxta decisionem aliàs factam,* ex eo
1 quòd † de quolibet beneficio quantumuis
modico facienda est mentio in impetratione, *c. si motu proprio. de preben. in 6. c. non potest. eod. tit.* Ex aduerso triplex proponitur per Andream excusatio: Prima quòd prædictum beneficium resignauerat antea de anno 1565. & sic de beneficio resignato non erat facienda mentio, *Lap. allegat. 89. num. 6. cum alijs*, sed hæc non placuit, quia
2 † resignatio non tenuit, ex quo non fuit pu-
blicata, *vt fuit resolutum*, a *Rip. in cap. ad aures. num. 12. vers. quarto amplia. de rescript.* Secunda deducitur excusatio, quia per decretum *sacri Concilij Tridentini sess. 24. cap. 17.* ius, si quod habebat expirauerat, ex quo retinebat dignitatem in Cathedrali & parochialem, sed neque hæc placuit Dominis, cum decretum loquatur de obtinentibus plures parochiales simul, vel Cathedralem & parochialem *cap. 4. sess. 7.* & innouat solum *cap. de multa*. b & loquitur de in futurum obtinentibus, non autem de his, quæ iam obtinebantur. Tertia excu-
3 satio deducitur † ratione priuationis po-
stea sequutæ 25. Iunii 1567. sed neque hæc excusatio placuit, cum non iustificetur dicta sententia priuatoria; tamen quia ea iustificata intraret excusatio, cum de iure extincto non sit facienda mentio, *vt per Gemin. in cons. 8. num. 7. Ancbar. cons. 16. num. 1. Aym. 182. num. 4.* ordinarunt Domini, vt processus per Andream produceretur, sed postea cum apparuerit ipsum habitis jam compulsorialibus per plures annos neglexisse hunc processum producere, & Didacus illum produxerit, ex quo constitit de perpetua Andreæ reclamatione, neque ex eo possit iustificari sententia, fuit mihi ordinatum, vt ad causæ expeditionem deuenirem.

a sæpissimè, & maximè in Abulen. beneficii 24. Ian. 1596. coram Illustr. Cardinali Blanchetto. Etiā supradict. 15. Martii & 25. Iunii.

b de preben. & dignit.

Romana Societatis artis albæ.
Die Mercurii 24. Februarii 1580.

SVMMARIVM.

1 *Confessio oriens ex positionibus habitis pro confessatis excusat à contumacia in respondendo.*

2 *Decretum, quòd positiones habeantur pro confessatis, vulneratum per sententiā & processū ad vlteriora, non potest exequi.*

DECISIO CDXLVI.

c sub die 5. Iun. 1579.

DOmini persistunt in resolutis, c nam vltra aliàs deducta dixerunt confessionem, quæ prætenditur oriri ex decreto, esse vulneratam per sententiam Auditoris Cameræ per processum ad vlteriora, & ad
1 absolutionem, ex quo sequitur † eam ex-
cusasse Bartholomæum à contumacia in respondendo, quòd facere potuit, *vt per*
2 *Franc. in c. 2. num. 21. de confess.* † nec pos-
sumus exequi illud decretum, cum fuerit reparatum grauamen ex eo proueniens per absolutionem ab eodē prolatam, quod fieri potest etiam per iudicem appellationis, nedum per eundem, qui intulit, quoties interlocutoria præiudicat negocio principali *c. fin. de appellation. in 6.*

Portuen. Bonorum.
Die Veneris 26. Februarii 1580.

SVMMARIVM.

1 *Probiberi potest tam per viam contractus, quàm per viam vltimæ voluntatis, ne bona fideicommisso subiecta alienentur pro dotandis fœminis, quo casu cessat dispositio Auth. res quæ. C. com. de legat.*

2 *Qui vnum dicit, ex quo aliud sequitur, vtrunque dicit, & hoc procedit in omni materia quantumuis stricta.*

3 *Dictiones, ita tamen, de earum natura limitant & restringunt dispositionem, cui adijciuntur.*

4 *Dictio, penitus, idem significat, quod in totum, & exponitur pro omni casu, & in totum, & habet adeo præcisam naturam, vt nullam recipiat modificationem, seu limitationem.*

5 *Auus tenetur dotare neptem, quando pater non habet, vnde dotet.*

6 *Quilibet censetur se conformare cum dispositione iuris communis.*

7 *Valet argumentum de alimentis ad dotem, cum sint æquiparata; si tamen sit eadem ratio.*

8 *Alimenta debentur iure actionis, etiā quòd quis habeat aliunde, vnde se alat.*

9 *Dispositio recipit interpretationem ab obligatione.*

10 *Probibitio expressa alienationis bonorum facit cessare dispositionem Auth. res quæ. C. com. de legat. quod procedit quando probibitio est absoluta impediēs translationem dominij, aliàs secus.*

11 *Acceptans dispositionem censetur eam acceptare cum sua qualitate.*

DECISIO CDXLVII.

præsēs decisio habetur 1 impress. diuersor. nouissim. 316. part. 2.

PRoposui iterum causam super resolutis sub die Sabbati 23. Ianuarij proximè præ-

præteriti, An dotes Illustriss. filiarum sint
detrahendæ ad legitima Sciarræ, itaut Illu-
strissimus D. Iulius non teneatur, nisi qua-
tenus legitima non sufficiat, & Domini ste-
terunt in decisis, præsupposita nanque po-
1 testate paciscentium, quòd † potuerint ab-
solutè prohibere, non solum per viam con-
tractus, sed etiam per viam vltimæ volun-
tatis, ne bona in pacto comprehensa alie-
narentur pro dotandis fœminis; Quo ca-
su cessat dispositio. *Auth. res qua. C. com.
de legat. Ias. ibid. num. 25. Loaz. in §. Diui.
num. 141. vers. tertia fit conclusio. Ias. ibid.
num. 69. Aym. cons. 19. in fin. Tiraq de pri-
mogen. quæst. 61. num. 9.* Restat solum
videre, quid paciscentes voluerint & dispo-
suerint: Cum itaque vocauerint masculos
onerando eos ad dotandum fœminas cum
ista limitatione, ita tamen quòd à dictis bo-
nis sint penitus exclusæ, satis apparet vo-
luntatem eorum fuisse, vt nihil aliud pror-
sus consequerentur ex istis bonis, quàm
2 dotes; nam † qui vnum dicit, ex quo aliud
sequitur, vtrunque dicit, *Bald. in l. data
opera. num. 34. C. qui accus. non poss. l. il-
lud. de acquiren. hered.* & procedit in omni
materia quantumuis stricta, *Aym. consil.*
174. ponderandæ ergo sunt duæ illæ dictio-
3 nes, † ita tamen, quarum natura est limi-
tare & restringere dispositionem, cui adij-
ciuntur, *l. Lucius. §. qua habebat. & l. ita
tamen. ad Trebell. Dec. in consil. 194. propè
fin. Paris. in consil. 106. nu. 9. lib. 1. Gozad.
consil. 38. num. 6. Socin. iun. 160. num. 46.
4 lib. 2.* ponderanda est etiam † dictio, peni-
tus, quæ idem significat, quod in totum, &
ex toto, *Archidiac. in cap. 1. in princip. de
supplen. negligen. Prælat. in 6. Ias. in consil.
173. num. 1. lib. 4. Socin. consil. 21. num. 6.
lib. 4. Paris. consil. 58. num. 11. lib. 1.* & ex-
ponitur pro omni casu, & in totum, *Grat.
consil. 65. num. 23. & consil. 86. num. 3. lib. 2.*
& habet adeo præcisam naturam, vt nullam
recipiat modificationem seu limitationem,
Angel. in cons. 31. num. 9. Dec. cons. 401. n. 3.
Ex his sequitur, quòd si ex prædictis bonis
aliquid habent, id omnino teneantur in
dotem computare; alioquin verum non
esset, quòd ex prædictis bonis nihil penitus
haberent præter dotes, & hoc comproba-
tur clarè *ex consil. Castren. 64. numer. 4.
lib. 2. per informantes allegato.* Non ob-
stant in contrarium allegata; nam in vni-
uersum potest responderi, ea non proce-
dere, vbi habemus claram & expressam
mentem disponentium, prout hoc casu; sed
& particulariter obiectis satisfaciendo, Nõ
obstat, quòd ratio Castrensis non applice-
tur, eo quòd id factum sit in exequutionem
obligationis legalis, quia quando id non
disposuisset, subintraret prouisio legis ex
dispositione *Authen. res qua.* hic autem
non adest hæc obligatio, ex quo sumus in
contractu: & ideo stante expressa prohibi-
tione, cessat dicta dispositio: Quia respon-
detur eandem rationem etiam hoc casu ap-
5 plicari; nam † auus tenetur, quando pa-
ter non habet, dotare neptem, *l. dotem de-
dit, de collat. bon. Dec. in consil. 66. in fin.*
Vnde ita disponendo paciscentes censentur
se conformare cum ista obligatione legali,
& id facere in in exequutione præfatæ obli-
6 gationis, cum † quilibet censeatur con-
formare se cum dispositione iuris commu-
nis, *Doctor. in l. hæredes mei. §. cum ita.
ad Trebell. & ita deducit Simon de Pret. con-
sil. 137. num. 28. cum sequent. Cephal. con-
sil. 105. num. 18. & 19. lib. 1.* Non obstat
7 † argumentum deductum ab alimentis ad
dotem, quæ sunt æquiparata tam de iure
communi, *ad glos. in l. ob æs alienum tan-
tum. C. de præd. min. cum alijs* *, quàm
ex dispositione paciscentium, ex quo sub
vnica determinatione relicta fuerunt, *l. iam
hoc iure. de vulg.* ex quo inferunt informan-
8 tes, quòd sicut † alimenta debita iure
actionis, debentur etiam, quòd quis ha
beat aliũde vnde se alat, *Dec in l. de alimẽtis.
numer. 5. C. de transaction. Alexand. in
consil. 7. num. 10. lib. 1.* ita etiam & do
tes: nam in primis *Ias. in d. Authen. res
qua. numer. 7. & numer. 15.* reprobat hoc
argumentum, & quamuis dicatur argumen
tum procedere, vbi adest eadem ratio, *vt
per Euerard. in Centur. loco 29.* tamen
hic videtur subesse maxima ratio diuersi-
tatis; nam in alimentis cessat periculum
exhauritionis, & exinanitionis fideicom
missi, quia ex fructibus præstari possunt,
sed hoc fieri non potest in dotibus, & si in-
distinctè detraherentur dotes breui tempo-
re consumerentur bona pacto subiecta: &
ideo hac ratione videntur moti paciscen-
tes, dum dotes reliquerunt cum limita-
tione, alimenta verò non item: Præte-
rea cum dotes fuerint, vt dictum est, reli-
ctæ in exequutionem obligationis, quia
tenebantur paciscentes dotare fœminas de-
9 scendentes, sequitur † hanc dispositionem
accipere debere interpretationem *Castr.
10 d. consil. 64.* Neque obstat, quòd † pro-
hibitio expressa facit cessare dispositio-
nem *Authen. res qua.* & ideo non possit
recipere hoc pactum interpretationem à
iure communi, quia hoc procedit, quan-
do est absoluta prohibitio impediens trans-
lationem dominij; & ita procedit *glos.
in l. nulla, C. de iur. dot. Tiraquell. de
primogenit. quæst. 61. num. 9.* sed hic pa-
ciscentes prohibitionem hanc temperarunt,
vt nihilominus fœminæ dotentur, & ita
voluerunt hanc prohibitionem, potius sor-
tiri naturam prohibitionis, quæ fit in vl-
tima voluntate, quàm eius, quæ fit in con-
X 2 tractu

* Bar. in l. fin. nu. 7 ff de his quib. vt indign. Salicet. qui in istis terminis æquiparat in l. qui liberos. ff de rit. nup. Bal. post Iac. de Aren. Petr. & Cyn. quos ipse refert in l neq. mater. in princ. C. de iur dot. Cephal. q alias refert consil. 481. num. 80. vbi de communi testatur & cõmuniter tenẽ: Doctor. præterti Ias. n 31 in Auth. res quæ. C. cõm. de leg. qui volunt, quòd ex causa alimentorum iis possint alienari bona subiecta fideicommissu sicut ex causa dotis.

tractu, ergo & modi constituendi iuxta naturam prohibitionis vltimæ voluntatis: & ita etiam hoc casu militat dispositio *Authen. res quæ.* cum suis qualitatibus ex paciscentium aperta voluntate, ex quo nihil voluerunt fœminas consequi posse ex his bonis præter dotes, ergo quod ad eas peruenit ex his bonis, id in dotes est computandum;
11 cum † ipsæ acceptãdo dispositionem paciscentium censeantur illam acceptare cum sua qualitate, *Roman. in consil.353.num.11. Bald.in l.contra iuris.§.si filius.de pact.& ibi Ias.num.11. Curt.iun.cons.1.nu.10.* Neque obstat, quòd à paciscentibus constituantur dotes fœminis descendentibus, non solum suis sed etiam alterius; quia totum hoc factum fuit contemplatione suorum descendentium, quibus vnusquisque eorum prouidere voluit. Non obstat, quòd legitima, quæ venit detrahenda, sit effecta proprium patrimonium Pauli, quia cum pacto suppo-sita non fuerint vniuersaliter omnia bona, sed tantum bona particularia; & ideo tertia pars bonorum in pacto comprehensorum non defectu voluntatis paciscentium, sed defectu potestatis eximatur à nexu restitutionis per viam querellæ inofficiosæ donationis, sequitur hanc etiam partem sub verbis pacti comprehensam fuisse, quod secus esset, si in vniuersum omnia bona fuissent in pactum deducta, tunc enim ex legis interpretatione deficeret etiam voluntas respectu legitimæ detrahendæ. Neque refert, quòd grauentur ad dotandum illi, ad quos bona deuoluuntur; quia id virtualiter fit etiã in terminis *Authen.res quæ.* Nam si dotatio fit ex bonis pacto subiectis, videntur etiam dotari ab his, à quibus adimitur illa rata bonorum, ex qua dotes constituuntur. Absurdum, quod consideratur, quòd melioris esset conditionis neptis, quàm filia, non applicatur, quia in vtraque potest euenire casus consumptionis legitimæ & bonorum. Et ex his conclusum portionem bonorum, quæ ratione legitimæ detrahitur, esse in dotes imputandam, & ita fuit resolutum.

Fulginaten. Spolij.
Die Lunæ 29. Februarij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Per clausulam, arbitrio Rotæ, remittitur rigor iuris ciuilis, sicut per clausulam et conscientiam tuam oneramus.*
2 *Contra spolium admittitur compẽsatio obligationis Cameralis cum iuramento.*
3 *In spolio admittitur exceptio notorij non iuris.*

DECISIO CDXLVIII.

QVia compensatio, quam petit fieri Iacobillus, remissa est per rescriptum
1 Papæ arbitrio Rotæ, † per quam clausulam videtur remissus rigor iuris ciuilis, vt in simili de clausula, conscientiam tuam oneramus, *vt tradit Dec. post Bald. & Abb. in l.certum. circa fin. C.vnde legitim.* Domini
2 censuerunt † admittendam esse compensationem: nam licèt spolium sit priuilegiatũ, tamen hæc quoque compensatio est priuilegiata propter obligationem Cameralem cũ iuramento, & ita cessat rigor, de quo *in decis. Pute.2. de exception. & benè facit decisio Afflict. 161.* maximè verò, cum respectu huius debiti Frãciscus fuerit citatus ad cõ-
3 fitendum debitum, & † in spolio admittitur exceptio notorij non iuris, de quo constat per confessionem, *Rota decis. 16 de restit. spol. in nou.* & pensionum summa ex ipso instrumento est liquida.

Salamantina Iurisdictionis.
Die Veneris 4. Martij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Enunciatiua Papæ, super qua fundat dispositionem in re antiqua, probat.*
2 *Vbi probatio de visu requiritur, si simus in re tam antiqua, vt visus non possit attingere metam tot annorum, probatio per famam supplet talem probationem requisitam de visu.*
3 *Fama in antiquis etiam ad effectum grauis præiudicij, maximè concurrentibus adminiculis plenè probat.*
4 *Ex præsumptionibus dicta testium coadiuuantur.*

DECISIO CDXLIX.

DVbitatum fuit, an constet de consuetudine exemptionis Reueren. Domini Abbatis, & Domini concorditer tenuerunt partem affirmatiuam. Et primo pro fundamento considerarunt, enunciationem Papæ in bulla erectionis in illis verbis prout de antiqua approbata & hactenus pacificè obseruata consuetudine, quæ important consuetudinem præscriptam, si simus in casu, prout pro parte Reuerendiss. Episcopi prætenditur, in quo requiritur præscriptio, aliàs
1 non esset consuetudo approbata, & † quamuis sola hæc enunciatio, cum super ea Papa fundet suam dispositionem, & simus in re antiqua, videatur probare intentionem Abbatis, iuxta ea quæ tradunt *Doctor. in Clem.1.de probation. & Aym de antiq.temp. part.1. in princip. & fuit dictum in decisione*

facta

facta in hac causa 17. Maij 1577. tamen concurrentibus ijs, quæ mox deducentur, res videtur omni difficultate carere; nam secundo loco concurrit Regis supplicantis authoritas, quem verisimile est habuisse notam hanc consuetudinem: tertio loco concurrunt testes, quorum vnus, vt aliàs Domini senserunt, probat immemorabilem, nempe decimustertius, alter verò nempe primus etiam secundum aliquos ex Dominis eandem immemorabilem probare videtur; nam quòd aliàs cōsiderabatur, eius probationem non esse per quadraginta annos de visu deducto tempore litis, non obest ad effectum præsentis inspectionis, cum hodie Reuerendiss. Episcopus agat vigore decretorum Sacri Concilij Tridenti, super quibus nulla extabat lis ante prædicti Concilij publicationem; & ideo ad hunc effectum nulla adest lis, quæ veniat deducenda. Neque obstat, quod dicitur de ducendo tempore sedis vacantis, quia hæc vacatio non probatur, vt bene in facto deducitur. Neque etiam obstat, quòd probatio de visu non percutiat per quadraginta annos ante tempus gratię, quia vt aliàs in eadem decisione fuit dictum *, † cum simus in re tam antiqua, vt necesse sit, quòd iste visus attingat metam septuaginta octo annorum; probatio per famam, vtpotè in re antiqua supplet hanc probationem requisitam de visu, cum † fama in antiquis etiam ad effectum grauis præiudicij, maximè concurrentibus adminiculis plenè probet, *Cassador. decis. 2. de probation. Alexand. in consil. 57. propè fin. lib. 2. Ruin. consil. 113. num. 8. lib. 5. & hoc dictum fuit ex abundanti.* Coadiuuantur isti testes ab alijs de tempore valde antiquo deponentibus, nec non de publica voce & fama. Quarto magnum præstant argumentum articuli pro parte Episcopi dati, nec non testes pro ipso examinati. Quinto aliud adminiculum præstant scripturæ licèt informes per Abbatem productæ, cum verum vero consonet, & † ex præsumptionibus coadiuuentur dicta testium, *Aym. cons. 35. num. 6. cum alijs.* Et ex his conclusum sufficienter probari consuetudinem exemptionis.

* sub dicta die 17. Maij 1577.

2

3

4

Farsen. Grani.
Die Mercurij 9. Martij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Libri mercatorum non probant pro tertio cōtra tertium; secus est, si adsint adminicula, vt nu. 4.*

2 *Vnaquaque res specialiter hypothecata præsumitur sufficiens ad satisfaciendum, quod qualiter procedat, vid. num. 5.*

3 *Satisfactio facta præsumitur ab ijs, qui ad eam tenebantur.*

6 *Fructus vel granum prædij pro liberatione affectus cadunt sub hypotheca speciali, & dicuntur pars illius.*

7 *Ratio administrationis peti debet ab eo, qui administrauit, & non ab alio.*

DECISIO CDL.

Prætendebat Dominus Ludouicus Anastasius non constare de credito D. Fabij Seuerini ex tribus capitibus. Primo, quia nō probatur aliqua solutio ex eo, quòd † libri mercatorum non probant pro tertio contra tertium, *adnotat. per Doctor. in l. admonendi. de iur. iur.* Secundo, quia dato quòd constaret de solutione, tamen cum non soluerit Cardinali, ad cuius vtilitatem fideiusserat, sed Alexandro Sancassiano, vt liquet ex quietantijs productis, male soluit, quia Sancassianus non habebat beneficium diuisionis; & ideo intrare dispositionem *l. exceptione. de fideiussor.* Tertio cum specialiter esset hypothecata administratio affictus, ex quo percipiebantur tot fructus, ex quibus verisimiliter poterat satisfieri, cum † vnaquæque res hypothecata præsumatur sufficiens ad satisfaciendum, *glos. in l. 2. C. de pign. Couar. variar. lib. 3. cap. 18.* & Sancadianus administrauerit, non prius posse agere Fabium contra Ludouicum tertium, quàm liqueat ex his fructibus administrationis sibi non posse satisfieri. His tamen non obstātibus, Domini censuerunt constare de credito sufficienter ad hunc effectum, vt Fabius agere possit contra Ludouicum; nam cum clara sit obligatio Fabij, & sit in confesso, quòd Argentinus decoxit, & non soluit; Item quòd Illustriss. D. Cardinalis locator fuit satisfactus, † præsumitur satisfactus ab ijs, qui ad id tenebantur, *Bart. in l. cum seruus. de verb. oblig. n. 4. Abb. cons. 54. nu. 2. & 3. lib. 1. Felin. in c. sicut. nu. 35. vers. fallit quinto. de re iudic.* maximè concurrentibus partitis & quietantijs, quæ omnem tollunt difficultatem. Neque obstat primum fundamentum, quia conclusio illa, quòd libri mercatorū non probant contra tertium, † procedit, vbi non adsunt adminicula; hic verò concurrunt quietantiæ & attestationes Cardinalis & Lauaianæ, quæ reddūt rem ita claram, vt tergiuersari non possit. Non obstat secundum, quòd Fabius malè soluerit; quia prædicta procederent, si Lauaiana soluisset Illustrissimo Domino Cardinali sine cessione, & Fabius deinde soluisset Alexandro: tunc enim posset habere locum *l. Modestinus. de solution.* sed hic nō apparet, quòd soluerit Alexandro, postquam Alexander soluerat Cardinali, immo de contrario constat: quia partita solutionis factæ à Fabio

præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 707. par. 2.

1

2

3

4

est sub die 20. Iunij 1575. Partita verò solu-
tionis 600. scutorum factæ ab Alexandro, ad
quam se refert, est sub die 22. eiusdem men-
sis: Idem apparet esse de partita 250. scuto-
rum. Non obstat tertium, quòd specialis
hypotheca præsumatur idonea & sufficiens,
5 quia illud † procedit, quando quis habet ge-
neralem & specialem, & agit vigore genera-
lis cõtra alia bona non specialiter hypothe-
cata, quorum neutrum hic concurrit; Primo
quia specialis hypotheca non est in fauorem
Fabij, sed Alexandri; deinde non agitur su-
6 per re specialiter hypothecata, † Granum
enim istud, si est ex redditibus Abbatiæ, vt
fuit decisum, cadit sub hypotheca speciali,
& est pars illius. Non obstat, quod Fabius
& Alexander multos actus insimul contra
Argentinum fecerint, prout deducitur in
informatione facti pro Ludouico, quia age-
batur de communi eorum interesse, sed hoc
non facit, qnia administratio erat particula-
7 ris ipsius Alexandri: † vnde cum ipse admi-
nistrauerit, ab eo, non à Fabio petenda est
ratio administratorum, *Angel. in cons. 286. col. 1. Fulgos. 209. propè fin. Anebar. cõs. 352. nu. 6. glos. in l. creditor. §. duobus. in verb. pro solido. mandat.*

Portuen. Bonorum.
Die Veneris 15. Aprilis 1580.

SVMMARIVM.

1 *Bona intelliguntur deducto ære alieno, declaratur tamen nu. 3.*
2 *Petens dotem maternam, vel alia credita, non dicitur contrauenire voluntati testatoris, qui omnia bona sua fideicommisso subiecit, ex quo id, quod petitur, non est ex eius bonis.*
4 *Relatio facit, vt res particulariter & proprys nominibus expressa censeatur.*
5 *Testator in prohibitione, si vtatur verbis huiusmodi, dicens, quòd nihil petatur de hæreditate, tunc nihil peti potest; secus si dicat, nihil petatur de bonis, cum bona intelligantur deducto ære alieno, & nu. 6.*
6 *Hæreditas est quid vniuersale comprehendens tam credita quam debita.*
7 *Legitima dicitur proprium filij patrimonium.*
8 *Dos debita iure actionis An & quando debeatur persona diuiti.*
9 *Ad officium paternum spectat dotare filias, & si pater non habeat patrimonium, quia adhuc viuat auus, ex eius legitima dotari debent.*

DECISIO CDLI.

DVbitani, an dotes Illustr. filiarum de- praesens decis.
beantur eis quo ad omnia bona in sub- habetur in
sidium, & Domini reteta decisione facta sub impress. diu.
die 26. Februarij proximè præteriti respectu nouiss. 329.
bonorum detrahẽdorum per ipsas ex pacto, part. 1.
censuerunt deberi in subsidium, itavt veniãt
in dotes imputanda ex rationibus tunc latè
deductis: quibus addendo pro solutione eo-
rum, quæ ex aduerso allegantur; Non obstat
ratio illa, quòd prohibitio non est ita intel-
ligenda, vt ex bonis pacto subiectis non ve-
niant prius detrahenda credita, quæ capiũ-
1 tur ex alia persona, puta patris vel auię, † cũ
bona intelligãtur deducto ære alieno, *l. subsignatum. §. bona. de verbor. signific. vbi Alciat. & Rebuff. Bart. in l. vt iusiurandi. §. si liberti. in fin. de oper. libert. Bald. in l. liberti libertaq. num. 28. C. eod. & in l. quoniam nouella C. de inoff. testam. Capr. cons. 29. nu. 8. Corn. cons. 192. col. pen. & fin. lib. 2. & cons. 212. numer. 3. lib. 1.* quia prædicta proce-
dunt, quando testator relicta dote, vel quid
aliud prohibuit, ne plus peti possit ex bo-
nis suis, tunc enim, quia bona intelligun-
2 tur deducto ære alieno, † petens dotem
maternam vel alia credita non dicitur con-
trauenire voluntati testatoris; id enim
quod petit, non est ex ipsius bonis, sed
in casu, de quo agitur, filiæ non sunt ex-
clusæ ab illa forma vniuersali, scilicet à
bonis paciscentium, sed à bonis particu-
laribus in pacto enunciatis, nempe Ca-
stris, Oppidis, Ciuitatibus, Fortalitijs,
3 & in Vrbe Palatijs; & id quod dicitur, † bo-
na intelligi deducto ære alieno, verum est,
capiendo bona pro vniuersa substantia,
prout declarat Rebuff. in d. §. bona. pagin. 2. vers. notandum est. & licèt paciscentes re-
spectu exclusionis de bonis loquantur, id fit
4 cum adiuncto nempe dictis bonis, & † ista
relatio facit, vt bona proprijs nominibus
expressa censeantur, *Ruin. in cons. 108. nu. 3. lib. 3.* & pro hac parte facit distinctio *Bart.
& Bald. loco supra citato*, dum dicunt, quòd
5 † si testator dixerit de hæreditate & non
6 de bonis, quòd filia nihil petet, † cum hæ-
reditas sit quid vniuersale comprehendens
tam debita quàm credita. Nec obstat, si
dicatur, ergo in alijs bonis poterunt detra-
here credita; quia hoc verum est, sed ideo
non sequitur, quin ex istis bonis deducta non
censeantur hoc onere grauata, vt in sub-
sidium dotium imputentur ex mente verbis
claris expressa, quam per indirectum elu-
derent, si credita deducere & retinere pos-
sent, haberent enim ex his bonis aliud quàm
dotes; vnde cum Doctores velint sufficien-
tem coniecturam volũtatis esse, vt nihil pe-
nitus etiam ex proprijs creditis petere quis

pos-

possit, quando prohibitus est petere super bonis suis vel in bonis suis vel de hæreditate sua, *vt declarât prædicti Doctores & Capr. in conf. 62. n. 12.* Quanto magis hoc idem dicendū est in casu proposito, in quo paciscentes verbis adeo prægnantibus vsi sunt, vt aliàs fuit per Dominos ponderatum, idque maximè attenta ratione, quæ fuit prouidere familiæ & masculis, quæ facilè eluderetur, si aliam interpretationem admitteremus, & omnes rationes, quæ considerantur respectu legitimæ, militant etiam
7 respectu reliquorum bonorum, † cum legitima sit proprium filij patrimonium, *Saliset. in Auth. res quæ. 4. quæst. Roman. in conf. 232. vbi Apostil. Curt. iun. in d. Auth. num. 16. cum alijs*; * Ideo si non deducitur ex dispositione dictæ Auth. neque etiā reliqua credita sunt deducēda nisi cū hoc one-
8 re. Non obstat, quòd † dos, quæ debetur iure actionis, debetur etiam diuiti, quia hoc procedit, vbi simpliciter est relicta, non autem vbi est limitatè constituta, vt hic. Non obstat ratio *Cephal. in conf. 485. n. 60.* quòd per indirectum hoc esset prohibere detractionem legitimæ filio grauato restituere hæreditatem, quia euidenter est erro-
9 nea; † filius nanq. tenetur de suo dotare filiam suam, hoc enim est paternum officiū, *l. fin. C. de dot. promiss.* si ergo pater mandat filio, vt dotet de suo, & in euentū quòd non habeat, dotet de patrimonio ipsius patris, magis releuat quàm granat filium, cū relicta legitima possit ad libitū de reliqua bonis disponere. Vltimo non obstat, quod dicitur, Sciarram, si filios masculos non habuisset, potuisse dicere filiabus, vos habetis dotem aduentitiā, ergo non teneor vos dotare, & illæ excipere potuissent dotes relictas fuisse non ipsius sed earum contemplatione; & ideo eum non esse ab onere dotandi liberatum; & hac ratione eas consequuturas fuisse duas integras dotes, quia hæc ratio præsupponit id, de quo quæritur, nēpe quòd dotes ex pacto absolutè deberēeur, quod cum non subsistat, neque Sciarra id, quod dicitur, prætendere, neque ipsæ prætensioni eo modo respondere potuissent. Et ex his tolluntur ea, quæ nouissimè per Dominum scribentem deducta fuere.

*facit l. mulier. §. cum proponeretur. ad Trebell. & ibi not. Castr. num. 4. Rub. Alex. conf. 324. n. 3. & fuit dictum supr. in hac causa die 21. Ian. proximè præteriti sub n. 4.

Fauentina Spolij.
Die Veneris 15. Aprilis 1580.

SVMMARIVM.

1 *Ad cognoscendum, an sit locus appellationi, inspiciendus est tenor sententiæ.*
2 *Ex verbis sententiæ apparet, an sententia sit lata in possessorio.*
3 *Immissio in possessionem talium & talium rerum nominatim non est propriè liquidare.*
4 *Liquidatio in actis facta ad effectum possessorij non facit sententiam in possessorio latam appellabilem.*
5 *A sententia, quæ habet aliam sententiam contra se datur appellatio; secus est si sententia sit confirmatoria primæ, sed solum reformet in aliquibus.*
6 *Sententia mandans restitui bona, non autem possessionem bonorum, dicitur sonare in petitorium, limita, vt num. 8.*
7 *Sententia est strictè interpretanda.*

DECISIO CDLII.

1 Fvit resolutum esse locū Ægidianæ[a] † cū enim ad dignoscendū, an sit locus appellationi, inspiciendus sit tenor sententię, *vt per Corn. conf. 10. num. 3. lib. 4.* sententia, de qua agitur, respectu illius capitis
2 (panq. nostra sententia &c.) † est in mero possessorio, quia ita cantant verba explicita *Socin. in l. rem quæ nobis. num. 14. de acquir. poss. & in conf. 262. n. 1. lib. 1.* & ideo regula est pro Camilla. Non obstant limitationes, quæ exaduerso deducuntur: Et primo quia sentētia est in ea parte liquidatoria, & quòd à liquidatione datur appel-
3 latio, quia † immittere in possessionē taliū & talium rerum nominatim nō est propriū liquidare; quia si hoc verū esset, omnes sententiæ restituentes ad certa corpora essent
4 liquidatoriæ: † præterea facta probatione in actis, ex qua liquidantur bona restitutioni non subiecta, nihil obstat, quo minus iudex possit pronunciare aliquem esse restituendum ad talia bona, quia illa liquidatio fit ad effectum solius possessorii, vt in simili de dominio deducto ad effectum possessorii tradit *Dec. in conf. 28.* & de nullitate, ex qua deducitur spolium *fuit resolutum in vna Tiburtina Castri coram R. P. D. meo Aldobrandino*. Secundo non obstat alia
5 limitatio, quòd † ista sententia habet aliā sententiam contra se, ergo debet dari appellatio, *Cassad. decis. 1. de sequestr. poss. & fruct.* quia materia illa sequestrationis est valde diuersa ab ista: Prætereà non applicatur, quia hic non adest sententia in contrarium, quia hęc vltima est prioris confirmatoria, licèt eam reformet in aliquibus, de quibus non fuerat facta sufficiens specificatio: tamen respectu restitutionis bonorum mobilium, aliqui ex Dominis dubitabant,
6 An esset locus Ægidianæ, quia † sententia mandat restitui bona, non autem possessionem bonorum, & sic videtur sonare in petitorium; nam licèt in libello tolleretur ista conclusio, vt possi dici intentatam possessionem, *vt per Socin. in d. l. rem quæ nobis. num. 14. & d. conf. 262. num. 12.* tamen in sententia videtur aliud dicendum, cum
7 † ea sit strictè interpretandā: Tamen † hæc
8 difficultas fuit sublata; tum ratione præcedentium, ex quibus potest sumi interpretatio pro possessorio; tum ex eo quòd adest

[a] Idē fuit firmatū sub die 30. Martii 1579. qua die fuit ita resolutum: Habere locum Aegidianā, si sentētia est mista.

ſuſpenſio petitorij, itaut illa verba omnino ſint intelligenda in poſſeſſorio.

Anconitana Cotiorum.
Die Lunæ 18. Aprilis 1580.

SVMMARIVM.

1 *Damnum quilibet reſarcire tenetur, quod alter occaſione ſua patitur, ſi tamen fuit iuſtè illatum; ſecus ſi iniuſtè, & n. 3.*
2 *Conceſſis repreſalijs, ſoluens repetit à debitore tam ſortem quàm omnia damna.*
4 *Iudex deputatus ad referendum tantum, non poteſt ſententiam proferre.*
5 *L. 2. de iudic. quando non procedat.*
6 *Dominium eſt difficilis probationis; & ideo probatur ex indicijs & coniecturis, & etiam ex confeſſione.*

DECISIO CDLIII.

præſens deciſio habetur in impreſſ. diuerſ. nouiſſ. 618. part. 1.

1 DOmini conſtituerunt regulã pro mercatoribus Raguſinis; quòd † quilibet tenetur reſarcire damnum, quod quis occaſione ſua patitur, *l. fin. de iniur. l. qui occidit. §. in hac. ad leg. Aquil.* & hinc eſt,
2 † quòd cõceſſis repreſalijs ſoluens repetit à debitore, ne dum ſortem, ſed etiam omnia damna, *Bart. in l. nam & Seruius. de negot. geſt. Alex. poſt Bart. & alios in l. 2. §. itẽ & ſi in facto. num 11. de verb. obligat. vbi Socin. num. 8. Iaſ. num. 23. & 24. Galiaul. num. 10 cum ſeq.* ſed quia hæc regula limi-
3 tatur per Doctores, vt procedat, † quando iuſtè fuit damnum illatum, alioquin ſi iniuſtè, non tenetur, *vt per Iaſ loco ſupra citato & Roman. num. 8.* Ideo totum hoc negotium plurimum pendet à iuſtitia ſententiæ Auditorum Claſſis ſacri fœderis, contra quam plura opponuntur; Et primo, quòd eſt nulla defectu iuriſdictionis; Secundo, quòd eſt iniuſta. Quantum ad primum,
4 nullitas deducitur ex eo, quòd † iudex deputatus tantum fuerat ad referendum; ſed hoc non obſtat, nam deputatio illa erat directa ſolum vni Auditorum, nempe Sereniſſimi Don Ioannis, ſed ſententiam protulerunt omnes Auditores Confederatorum, qui erant iudices ordinarij exercitus, in quorum iuriſdictionem partes conſenſe-
5 rant, † ideo ceſſat difficultas *l. 2. de iudic. Gabr. de iudic. concl. 1. num. 2.* Quantum ad iniuſtitiam, ea deducitur ex eo, quòd Iudæi tollerantur; ſecundo, quia non probatur Coria fuiſſe Hebræorum; ſed primum non obſtat, quia capta non fuerunt Coria tanquam Hebræorum propter ſectam, ſed tanquam ſubditorum Turcæ propter bellũ; ſecundum quoque tollitur ex probationibus, ex quibus cenſuerunt Domini probari Coria verè ad Hebræos ſpectaſſe; maxi-
6 mè † cum dominium ſit difficilis probationis, & probatur ex indicijs & coniecturis, *Pariſ. in conſ. 104. num. 103. lib. 1. Rimi-nald. 227. num. 1. lib. 2.* & ex confeſſione, *Aym. conſ. 157. num. 2.* concurrentibus maximè litteris Prodanellorum, *Put. deciſ. 12. lib. 2.* Vnum tamen fecit difficultatem Dominis, quòd iſti Domini Mercatores non probarunt Coria ablata ad eos ſpectaſſe; & ideo deficiunt in fundamento intentionis eorum, quod tamen ſi probauerint, ſententia Auditorum Claſſis veniet reuocanda.

Salamantina Iuriſdictionis.
Die Veneris 22. Aprilis 1580.

SVMMARIVM.

1 *Aſſertioni Papæ Motu proprio reſcribenti ſtatur concurrentibus adminiculis, quod procedit etiam in præiudicium tertij, vt num. 3.*
2 *Non refert ſi ſingulis adminiculis aliquid deſit ad perfectionem, quia ſi eſſent perfecta tranſirent in plenam probationem.*
4 *Immemorabilis non metitur à tempore, ſed ex eo, quòd non extet memoria in contrarium.*
5 *Verba, prout hactenus, ſtant conditionaliter, & non cauſatiuè.*

DECISIO CDLIV.

DOmini non obſtantibus allegatis ſteterunt in deciſis,* nam licèt contro- *ſub die Veneris 4 Martij proximè præteritis.
1 uerſa ſit opinio, † An ſtetur aſſertioni Papæ, vbi non reſcribat Motu proprio, *per ea quæ allegat Oldrad. conſ. 258. num. 3. Boniſac. in Clem. litteris. num. 26. de probat. Aretin. in conſ. 23. num. 9. Tiraq. de retract. §. 1. gloſ. 14. num. 49. & Addit. latè ad conſ. Alex. conſ. 112. lib. 7.* tamen in caſu iſto ei omnino ſtandũ eſſe cenſuerunt, propter vrgentiſſima adminicula aliàs deducta, & quæ nunc bonis rationibus confirmantur per informantes, *vt per Creſcent. deciſ. 89. Mohedan. 272.* & facit ſimile confeſſionis adminiculatæ, *Achill. deciſ. 1. de confeſſ.*
2 † nec refert quòd ſingulis adminiculis aliquid deſit ad perfectionem, nã ſi eſſent perfecta, tranſirent in plenam probationem, neque conſiſterent intra fines adminiculi, & tunc non eſſet opus diſputare, an aſſertio Papæ adminiculata faciat fidem, quod ta-
3 men eſt indubitatum, † etiam quòd non ſit Motu proprio, & quòd ſit in tertij præiudicium, ex allegatis. Neque obſtat, quòd non poſſit dici immemorabilis cõſuetudo, cum ſolum per ſeptuaginta annos plus minus præcedat conſtructio Eccleſiæ, quia
4 † immemorabile non metitur à tẽpore, ſed ex eo, quòd non extet memoria in contrarium, & certè hoc caſu, aut aderat Eccleſia, aut non ante illa tempora; ſi non aderat Eccleſia, non poterat Epiſcopus viſitare; ſi verò aderat, poteſt dari immemorabi-
5 lis. Non obſtat, quòd † illa verba, prout hactenus, ſtent conditionaliter & non cau-

ſa-

satiuè, *ut per Oldrad. in d. cons. 258. num. 3. Ruin. cons. 29. num. 8. lib. 1. Rip. respons. 6. lib. 2.* quia bene respondetur *ex distinct. Vital. in tract. clausul. tit. quãdo verba enunciatiua proferuntur in priuilegijs. num. 5.* Quare cum tot & tanta concurrat, placuit Dominis vnanimiter stare in decisis.

Calaguritana Iuris ingrediendi.
Die Mercurij 27. Aprilis 1580.

SVMMARIVM.

1 *Praescriptio iurisdictionis, quae fit per iudicem inferiorem contra Ordinarium intelligitur, dummodo inferior praescribens sit diligens; nam eo negligente Ordinarius reassumit suam iurisdictionem.*

2 *Iurisdictio praescribi non potest priuatiuè ab Episcopo, itant saltem habitu apud ipsum non remaneat.*

3 *Negligentia non praesumitur, nisi probetur.*

4 *Iudex per trinam interpellationem constituitur in mora ad effectum, vt ab eo possit appellari, & negocium deuoluatur ad superiorem.*

5 *Praefixio termini est vnus modus conuincendi inferiorem de negligentia, qui non excludit alios.*

6 *Dispositio c. oblata. de appellation. quando non habeat locum.*

7 *Dispositio d. c. oblata. quare non seruetur in curia.*

8 *Citatio generalis ad totam causam sufficit ad tollendam nullitatem ex defectu citationis procedentem.*

9 *Non potest opponi nullitas sententiae ex breuitate temporis, quando intercessit tempus congruum, quo potuit iudex instrui, maximè parte non comparente.*

10 *Ex pluribus narratis, sufficit vnum esse verum, ex quo pars potuisset obtinere.*

DECISIO CDLV.

[Margin: praesẽs decisio habetur 1 impres. diuer sor. nouiss. 314. part. 1. & 239. par. 2.]

DVbitaui de validitate sententiarum latarum in partibus in fauorem Andreae, quia pro parte beneficiatorum de Victoria praetendebantur nullae; maximè prima lata à Calaguritano ex defectu iurisdictionis, cum praetendat Vniuersitas se praescripsisse iurisdictionem capiendi informationem super puritate sanguinis, & admittendi & declarandi, qui sint idonei priuatiuè ab Episcopo; super qua re habet tres sententias; neque in dubium hoc per Andream

1 reuocatur; sed praetenditur tantum, ✝ quòd cum quaelibet praescriptio contra Ordinarium intelligatur, dummodo inferior, qui praescripsit, sit diligens; nam eo negligente Ordinarius assumit suam iurisdictionem, *vt per Abb. in c. irrefragabili. num. 1. de off. Ordinar. & in c. caeterum. num. 5. de iudic. & ibi Dec. in cap. 4. notab. Felin. in d.*

2 *cap. irrefragabili. in princ.* ✝ non enim potest praescribi iurisdictio priuatiuè ab Episcopo, itaut non remaneat apud ipsum habitu, licèt actu sit poenes inferiorem, quo sit, vt eo negligente redeat actu poenes Episcopum, *vt trad. Abb. in c. cum contingat. num. 18. de for. compet. cum alijs*, * & ideo tota difficultas in eo versatur, an Iudices ab Vniuersitate deputati fuerint negligentes; qui quidem iudices non deputantur particulariter ad vnam causam, sed ad omnes, vt liquet ex comparitionibus factis coram Episcopo à procuratore Vniuersitatis ex protestatione, de qua in summario Vniuer-

[Margin: * & Felin. in c. irrefragabili col. 1. vbi Abba. de off. Ordinar. idẽ Abb. in c. caeterum nu. 5. vbi Dec. in 4. notab. de iudic. & in c. licet ex suscepto nu. 5. & 9. de for. compet.]

3 sitatis. num. 15. ✝ Negligentia verò, cum nõ praesumatur, probari debet, *l. 3. §. si ad dil. de re militar. Affl. decis. 13. num. 28. Grat. cons. 100. num. 14. lib. 2. Bisignet. decis. 1. de dol. & contum.* eam autem probari censuerunt Domini, cum admittant informa-

4 tes pro Vniuersitate, ✝ Iudicem per trinam interpellationem constitui in mora ad effectum, vt possit appellari, & negocium deuoluatur ad superiorem, *Io. Andr. in d. c. dilecto. col. 2. de appellat. Alex. in l. hoc amplius. §. Celsus. num. 13. de damn infect. Felin. c. proposuisti. propè fin. de for. compet. & in c. suborta. ante num. 5. vers. & illis adde. de re iudic. Dec. in c. ex parte. il 2. n. 3. post Abbat. de appellat. cum alijs allegatis.*

* Hic autem ne dum duplex, sed & quadruplex interpellatio interuenit, Prima est illa, de qua in summario ambarum partium, num. 1. & per Martinum Abbad in summario Andreae num. 11. super 12. secunda fuit quando praesentati fuerunt articuli 12. Februarij 1573. in summario Andreae num. 3. Tertia fuit 22. Maij, 1573. & iudices nihil aliud responderunt, nisi quòd audiebant & petebant copiam. Quarta fuit die sequenti 23. Maij & iudices responderunt, quòd daretur liber baptismi, & quòd declararẽt, vnde originem ducerent illi de Buendia; & licèt pro parte beneficiatorum impugnetur illa secũda, ex eo quòd ille Didaeus Perez erat procurator Andreae, tamen non placuit haec impugnatio, cum non constet de illo tempore de acceptatione, *Mil. in verb. procurator non dicitur.* Nec etiam refert, quòd ista interpellatio non fuerit exhibita coram Ordinario stãte productione aliarum. Non obstat, quòd ex iusta causa praetendant se denegasse, ex eo scilicet, quòd soliti sint capere secreto informationes; nam debebant vtrunque facere, nẽpe admittere Andream ad probandum, & capere aliam informationẽ secreto, prout se talem facultatem duplicem habere pro eorum parte deductum est in ipsa protesta-

[Margin: * Praeposit. in c. ex ratione. num. 25. de appellat. Abbat. in c. ex parte. 1. vltimo. num. 5. eod. tit. Felin. in c. pastoralis, sub num. 14. col. pen. vers. cõsidera tertio. de off. ordin. Pedemõt. decis. 92. nu. 6.]

5 tionem et coram Ordinario facta. ✝ Non obstat, quòd non fuit praefixus terminus, quia iste est vnus modus conuincendi inferiorem de negligentia, sed non propterea tollitur alius, *Barbat. in d. c. caeterum. n. 11.*

de

de iudic. Minus facit, quòd caussa in appellatione expressa non fuit, quia immo satis est expressa, cum in ea dicatur iudices noluisse procedere ad receptionem testium, nec isto casu tenebatur Andreas recurrere ad Vniuersitatem, quia Vniuersitas iam deputauerat Iudices pro illo Anno, & pœnes eos residebat iurisdictio; ideo cum essent negligentes, potuit adiri superior. *Abbat. in d. c. cum contingat. de for. compet.* Præterea sententia Ordinarij fuit cõfirmata à Thesaurario Lucronij. Neque obstãt nullitates ex aduerso consideratæ; prima
6 nanque quòd Andreas † contra formam *cap. oblatæ. de appellation.* præuenerit committendo causam, non obstat; tum ex eo quòd ambæ partes appellarunt; tum etiam quia arbitraria est hæc res, *vt per Franc. &*
7 *Dec. in d. c. oblatæ.* sed & ratio † cur *d. cap. oblatæ.* non seruetur in curia, suadet etiam vt hodie non sit seruandum in partibus, nam in curia ideo nõ seruatur, quia hic iudices dãtur ex officio, in partibus verò datur is, quem petit is, qui rescriptum impetrat, *vt per Rot. decis. 16. de appellat. in nou.* quæ ratio cessat, vbi iudices dantur illi, qui in Senatu deputati fuerunt; Præterea pars coram isto iudice non comparuit, & nihil opposuit. Secunda nullitas considerata ex
8 defectu citationis non obstat, quia † sufficit sola citatio generalis ad totam causam. *l. si prætor. de iudic. l. consentaneum. C. quomodo & quand. iud. Castr. in l. ad peremp-*
9 *torium. num. 16. de iudic.* † Tertia nullitas, quæ deducitur ex temporis breuitate nõ placet; quia cum intercesserint 27. dies, satis congruum visum fuit tempus, quo potuerit iudex instrui, maximè parte non cõparente. Vltimo non obstat, quòd contra sententiam deducatur defectus iurisdictionis ob non iustificationem commissionis auocatoriæ, quia Dominis placuit respon-
10 sio, quòd † quando plura narrantur, sufficit vnum esse verum, ex quo pars potuisset auocationem obtinere, *Ægid. decis. 280.* & hæc à Dominis super duabus vltimis sententijs ex abundanti deducta fuere.

Cassanen. Beneficij.
Die Veneris 29. Aprilis 1580.

SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus regulariter de sui natura transit ad hæredes etiam extraneos.*
2 *Ius præsentandi, licèt cõcedatur solum maiori natu, non ob id tamen desinunt & alij esse patroni,*
3 *Præsentatio est vnus ex effectibus iurispatronatus.*
4 *Patronus potest donare ius præsentandi reseruato sibi iure patronatus.*
5 *Feudum concessum pro filijs & descendentibus hæredibus requirit vtranque qualitatem, quòd sint filij & hæredes.*

DECISIO CDLVI.

FVit resolutum constare Io. Dominicum temporis exactione fuisse patronum, cum fuerit hæres Gulielmi, & verba bullæ sunt clara, in quibus reseruatur iuspatronatus pro Gulielmo & suis hæredibus &
1 successoribus, & † est secundum naturam iurispatronatus, quod regulariter transit ad hæredes etiam extraneos vna cum Vniuersitate bonorum, *Clem. plures. & ibi Doctor. de iure patr. Abb. & alij in c. cum seculum. de iurepatr. Curt. tractat. de iurepatron. in verb. ipse vel is. num. 15.* Non obstant illa verba præsentatio autem, quia
2 † licèt ius præsentandi detur maiori natu, non tamen propterea desinunt & alij esse
3 patroni; quia † præsentatio est vnus ex effectibus iurispatronatus, & potest ab eo se-
4 parari, veluti, quando † quis patronus donat ius præsentandi reseruato sibi iure patronatus quo ad alios effectus, *Calderin. in cons. 19. Curt. vbi supra, num. 35.* & hoc indicare videntur verba bullæ, in quibus reseruatur iuspatronatus illis de familia, præsentatio verò maiori natu; & ideo superfluum est quærere, quomodo illa verba hæredibus & successoribus intelligantur, quãuis Dominis viderẽtur intelligenda de hæredibus de familia, vt sit iuspatronatus mix
5 tum, vt in simili dicitur † de feudo pro filijs & descendentibus hæredibus, quo casu requiritur vtraque qualitas, *vt per Clar. in §. feudum. q. 8.* quod videtur colligi tum ex verbis supplicationis tum ex effectu subsequuto, *ad cons. Aym. 211. num. 8.* tamen quia ex his non deciditur causa, Dominis placet, vt impetrata licentia à sacra Congregatione Cõcilij Tridentini videatur, an isto casu locum habeat decretum per dictum Paulum allegatum.

Maceraten. Parochialis.
Die Veneris 29. Aprilis 1580.

SVMMARIVM.

1 *Sententia ob non prorogationem fatalium transit in iudicatum.*
2 *Attentata reiecta per signaturam Sanctissimi, cum clausula constito de bono iure; sententiam non annullant, & sic nullitas ex capite attentatorum opponi non potest.*
3 *Gratia si neutri, in qua non fuit facta mentio de fructibus male perceptis, non suffragatur.*
4 *Regula de triennali non tuetur possessionem contra superiorem.*
5 *Gratia nulla non præstat titulum coloratum.*

DE-

DECISIO CDLVII.

QVantum ad primum caput dubij, Domini
1 dixerūt † sententiam ab Archidiacono latam transitum fecisse in iudicatum ob nō prorogationem fatalium. Neque obstare nullitatem oppositam ex capite attentatorū;
2 cū † ea per Signaturam Sanctissimi fuerint reiecta cum clausula, constito de bono iure; & ideo difficultatem totā redigi ad prædictæ sententiæ iustitiam, & eam esse iustā Dominis placebat, cū iam fuerit resolutum gratiā Prosperi fuisse subreptitiā, ex eo quòd narrauerit beneficium habere curam habitu tantū non autem
3 actu. Neque obstat † gratia si neutri, per Prosperum impetrata, quia cum non fuerit facta mentio de fructibus male perceptis, ea non suffragatur, *Pute. decis. 12. de praeben. Peregr. decis. 41.* Tamē quia pro parte Prosperi excipere dixerunt de regula de triennali, & res non caret difficultate, Domini ordinarunt, vt dubium ad
4 hoc caput restringam: nam quamuis † ea non tueatur possessionem contra superiorem, tamē nō videtur hæc ratio applicari ex eo, quòd Ordinarius non est in ista lite, sed in lite priuationis ob incompatibilitatem, in qua Prosper obtinuit. Non obstat, quòd sit probata nullitas tituli, *vt per Sarnen. q. 10. de triennal. in fin.* quia hæc probatio non est necessariò concludens: nā sumus in actu multiplicabili; & ideo simile non applicatur, cum ordines bis non conferantur.
5 Non obstat, quòd † gratia Prosperi sit nulla; & ideo non præstet titulū coloratum, *Sarnen. de triennal. q. 27. in fin. & 33. in fin.* quia hoc posset procedere, si resignans viueret, & hoc allegaret, *vt per eundem quaest. 39. in fin.* ideo super his amplius deliberandum.

Vrbeuetana Hæreditatis.
Die Mercurij 4. Maij 1580.

SVMMARIVM.

1 *A suspensione petitorij dicitur recessū, quando post eā partes passa fuerunt petitorii discuti.*

DECISIO CDLVIII.

DOmini concorditer fuerunt pro validitate sententiæ latæ in fauorem Ill. Dominæ Contessinæ, quia cū post suspensiones petitorij hinc inde factas, & dispensationes super possessorio habitas visa esset prætensio Illustr. Dominæ Hortensiæ valde turbida in possessorio, & ordinassent, vt videretur de bono iure in petitorio, & illud fuerit plenè per multas po-
1 sitiones examinatum, † ex hoc satis videtur per ipsasmet partes recessum à dictis suspensionibus, *Rot. decis. 6. de caus. poss. & propr. in nou. Doctor. & ibid. Bero. num. 20. cum seq. in c. 1. de restit. spoliat. plenè per Pute. decis. 29. Licēt spoliatus. lib. 3.* & ideo hanc obiectionem hodie videri calumniosam & reijciendam.

Romana Domus
Die Mercurij 4. Maij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Primogenitus quis dicatur.*
2 *Primogenitura & Maioricatus instituuntur causa conseruandæ agnationis.*
3 *Primogenitura an & quādo dicatur perpetua.*
4 *Dictio, sic, iuncta cum copula præcedente non stat illatiuè seu expositiuè, sed designatiuè modi.*
5 *Consil. Alex. 139. nu. 3. quo casu non procedat.*

DECISIO CDLIX.

DVbitari stante testamēto, & instrumēto diuisionis, & dictis testium, an esset D. Fabritiū esse primogenitum, ita vt domus, de qua agitur, spectet ad ipsū: Domini dixerūt materiā in tres difficultates principales; quarum prima est, An testes probēt, D. Fabritiū esse tertiogenitū D. Angeli, & consequēter maiorē natu cæteris suis fratribus hodie viuentibus. Secūda, An idē D. Fabritius possit dici primogenitus. Tertia, An primogenitura in casu nostro sit perpetua, vel potius expirauerit per primā diuisionē. Et quo ad primā difficultatē Domini affirmatiuè resoluerūt; licèt enim testes potuissent cōcludentius probare, tamē adminiculantur, tū ex nominatione filiorū D. Angeli in eius testamento per ordinē facta, itaut quemadmodū nō dubitatur de Maximo, & de Valerio primo & secūdo loco nominatis, ita & pari ratione non est ambigendū de Fabritio tertio loco nominato, quin fuerit maior natu cæteris suis fratribus post cū nominatis; tū quia pro parte D. Tiberij & aliorū fratrum nihil in contrariū adducitur; tū & tertio, quia si aliquis ex eis esset maior natu D. Fabritio, verisimiliter ageret ad hāc domū, sicut facit D. Fabritius, ne aliàs præsumatur iactare suū. Quo ad secundā Domini
1 pariter affirmatiuè resoluerunt, tū quia † primogenitus non solū is dicitur, qui verè primo loco genitus est, sed is quoq. qui illū proximè & immediatè sequitur ex fratribus, etiam si verè secundo vel vlteriori loco genitus sit: is namq. mortuo primogenito sine liberis, iura primogenituræ consequitur, *vt latè per Tiraq. & per eū cōgesta in tract. de iur. primog. q. 3. n. 6. cū seq. Paris. consil. 72. n. 109. cū seq. lib. 4. cū alijs latissimè cumulatis per Menoch. consil. 97. n. 3. vsq. ad n. 19. lib. 1.* Tum quia primogenitura hic videtur instituta causa cōseruandi decorē & splendorē
2 familiæ, cum † Maioricatus & primogenitura instituantur causa conseruandi agnationes, *Praeposit. in c. ius naturale. nu. 11. ante med. vers. & per idē etiā respondetur. distin. 1. Soc. consil. 47. n. 6. lib. 3. Aym. consil. 256. nu. 3. bene Couar. lib. 3. var. resol. c. 5. nu. 5. vers. tertio eadem opin. circa med. ibi, eadē siquidē ratione.* quæ ratio conseruationis familiæ militat nedū in primogenito, sed etiam in alijs transuersalibus proximè illū sequentibus; Tum & tertio, quia aliàs de facili potuisset reddi elusoria volūtas & dispositio testatoris in illis verbis expressa, & sic sēper &c. si primogenitura intelligeretur restricta ad personā D. Maximi primogeniti, quia potuisset, sicut postea euenit, mori sine filijs. Circa tertiam difficultatē, quæ fuit reseruata particulariter
3 videnda, tenuerunt Domini † primogenituram in casu nostro fuisse perpetuam, non antè expirasse

piraſſe per primam diuiſionem,tũ propter verbũ illud ſuccedat, quod denotat ſucceſſionẽ futuram ex teſtamento vel ab inteſtato, quodq. non poteſt verificari in prima diuiſione, in qua nulla poteſt conſiderari ſucceſſio,cũ momento expediatur; tũ propter illam dictionẽ ſemper, quæ ſignificat omni tẽpore; ſi enim primogenitura expiraſſet per primam diuiſionẽ, vtiq. fuiſſet reſtricta ad vnũ tantum tẽpus,videlicet primæ diuiſionis,& ſic non duraret omni tempore: Tũ & tertio,quia ſi illa verba,& ſic ſemper,eſſent reſtricta ad primam diuiſionẽ,& non denotarent ſucceſſionem poſt primã diuiſionẽ, vtique eſſent penitus ſuperflua, quia teſtator in verbis immediatè præcedentibus ſatis ſuperq. diſpoſuerat,vt primogenitus ex filijs ſuis in actu diuiſionis haberet domũ,de qua agitur, in portione ſua. Fuit etiam & quartò additum, quòd ſicut teſtator fecit fideicommiſſum in infinitũ; ita etiam credẽdum eſt voluiſſe primogeniturã durare in infinitum. Non obſtat,quòd
4 illa ✝ dictio, ſic,iuncta cum copula præcedenti ſtet illatiuè ſeu expoſitiuè,*vt per Ruin.cõſ.102. n.11.lib.2.* & quòd primogenitura denotata per illa verba, & ſic ſemper in portione huiuſmodi primogenitus ſuccedat &c.ſit facta in ca ſũ primæ diuiſionis, *vt per Alex.cõſ.139.nu.3. circa med. verſ.& ſubſtitutio ſequẽs.lib.6.* Nam pro reſpõſione dictũ fuit, dictionẽ, ſic, nõ ſtare illatiuè,ſed deſignare modum,idest,hoc pacto, *l.2.ff.de cõd.indeb.Alberic.in Dictionar.in verb. ſic.* Et illa copula,&, præcedẽs dictionẽ,ſic, eſt repetitiua qualitatũ præcedentiũ ſub vniformi terminorũ paritate, *vt latè deducit Iaſ. in conſ. 218.n.2.lib.2.*& in caſu noſtro repetit præcedẽtẽ qualitatẽ diuiſionis, ita vt ſucceſſio primogeniti fiat in caſu & tẽpore diuiſionis faciendæ de portione primi primogeniti, & hæc diuiſio innuitur ex illis verbis,& in portione ſua, quorũ ſenſus eſt,quòd primogenitus in diuiſione facięda de portione primi primogeniti ſibi obuẽta in prima diuiſione,debeat habere in portione ſua domũ,de qua agitur,& ſic copula,&, in caſu noſtro repetit præcedentẽ qualitatẽ diuiſionis,nõ in ſpecie illius primę diuiſionis,ſed in genere cuiuſcũq.diuiſionis faciẽdæ poſt pri-
5 mã diuiſionẽ.✝ Nec *cõſ.139.n.3.circa med. lib. 2.* poteſt applicari caſui noſtro,quia impoſſibile eſt, quòd primogenitura denotata per illa verba,& ſic ſemper in portione huiuſmodi primogenitus ſuccedat, intelligatur facta in caſũ primę diuiſionis;quia ſi primogenitus ſuccedit in portione facta in prima diuiſione,ergo nõ poteſt ſuccedere in caſũ primę diuiſionis,ſed pręſupponit illam iam factam.Reliqua ex aduerſo deducta aut non indigent reſponſione, aut ex ſupradictis tolluntur. Et ita concluſum.

Legionen. Iuriſdictionis.
Die Mercurij 11. Maij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Confirmatio concordia per ſe non valentis,petita pro firmiori cautella eſt nulla & ſubreptitia;fallit,quando fuit inſertus tenor, vt n. 6.*
2 *De concordia ſatis dicitur conſtare, ex quo eſt in confirmatione inſerta.*
3 *Inſertio tenoris facit, vt confirmatum dicatur ex certa ſcientia.*
4 *Clauſula in fine poſita ad omnia præcedentia referri debet; niſi adſit ratio diuerſitatis.*
5 *Concordia,quæ nititur priuilegijs vel præſcriptione,nõ dicitur cõtra ius & ſacros Canones.*
7 *Iuramentum ſuos ligat authores, qui præſentes iurauerunt.*
8 *Aſſertioni Papæ de facto proprio ſtandum eſt.*

DECISIO CDLX.

DVbitaui,an concordia, de qua agitur, ſit ſufficiẽter cõfirmata,& licèt Dominis videretur de inualiditate confirmationis opponi per Reu.D.Epiſcopũ non poſſe,ſtante clauſula, ſublata, tamẽ omiſſa hac inſpectione reſpõdẽdo ad dubiũ,cẽſuerunt cõſtare de ſufficiẽti cõfirmatione:ea enim,quæ cõtra eã opponuntur, sũt huiuſmodi; Primo,quòd de cõcordia nõ cõſtat.Secũdo,quod cũ diſpoſita in ea ſint contra ius & ſacros canones,nõ ſolũ nõ ſunt cõfirmata,quinimmo ſunt præſeruata propter clauſu-
1 lã,licita tamẽ &c.Tertio,quòd ✝ cũ per ſe concordia nõ valeret, & petita ſit confirmari pro firmiori cautella, dicẽda eſt nulla & ſubreptitia,*vt per Dec.cõſ.541.in fin.* Quarto,quòd non cõſtat de cõſenſu Epiſcopi. Quæ tamẽ non ob-
2 ſtare dixerũt, & primo ✝ ſatis de cõcordia cõſtat,ex quo eſt in cõfirmatione inſerta,*Mohed. dec.280. Frider. Imp.* maximè concurrentibus alijs perinformãtes deductis.Secũdo,nõ obſtat põderatio clauſulæ, licita tamẽ & honeſta &c. quia cũ expreſſus ſit totus tenor, & deinde ſubijciatur clauſula relatiua ad inſtrumenta, ad hanc vltimã partẽ refertur illa clauſula, & ratio eſt,quia in prima parte Papa habebat expli
3 citã ſcientiã contentorũ in cõcordia,✝ ex quo eorũ tenor eſt inſertus,quod facit,vt cõfirmatũ dicatur ex certa ſcientia, *c.pen.de confirm.vtil. vel inut. vbi poſt Abb.Dec.n.1. Roman.in conſ. 228.n.7.Ferret.conſ.38.n.6.Ruin.conſ.127.n.5. lib.4.cũ infinitis ſimilibus.* Reſpectu verò eorũ, quæ expreſſa fuerunt per relationẽ ad inſtrumẽta,cũ de illis Papa non dicatur habere certã ſcientiã, neceſſaria fuit clauſula illa,licita ta-
4 men &c. Neq.obſtat,quòd ✝ clauſula in fine poſita debeat referri ad omnia præcedentia;quia hoc non procedit, vbi adeſt ratio diuerſitatis, *Dec.in c.ſecũdo requiris.n.3.de appell.* Nec obſtat,quòd quãdo expreſsè Papa errat in iure,nõ ſtetur ſuæ aſſertioni,quia in hoc non poteſt dici erratũ in iure; tum ex eo quòd iſta clauſula ad
5 narrata non refertur; tũ etiam quia ✝ poterat Capitulũ niti vel priuilegijs vel præſcriptione tali,quę excluderet huiuſmodi obiectionẽ;neq. diceretur concordia contra ius, *cap. irrefragabili. §.1.de off.Ordin.*quod ex eo colligi videtur, quòd Capitulum renunciat ſententiæ obtentæ ad ſui fauorem, & cõfirmationi Apoſtolicæ deſuper impetratæ. Tertio. Non obſtat clauſula,
6 pro firmiori cautella,✝ quia cum fuerit inſertus tenor, ceſſat obiectum, *d.c.pen. de confirm. vtil.*

vtil. vel inutil. Præterea saltem tenebat respectu præsentium, qui iurauerant *c. cum contingat. de iureiur.* & hinc est, quòd Cõ-
7 cilium vult, quòd † iuramentum suos liget authores *cap. 4. sess. 6. de reformat.* Quarto & vltimo non obstat, quòd non con-
8 stet de consensu Episcopi, quia † immo constat de eo ex attestationibus Papæ, qui dicit ambas partes supplicasse, & est de facto proprio, *Clem. litteris. de probation.* concurrente maximè obseruantia tanti tẽporis, cum intercedant plures anni inter confirmationem & litem motam.

Portuen. Bonorum.
Die Lunæ 16. Maij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Hypotheca, siue particularis siue vniuersalis non facit, quòd omnia bona non sint in dominio alicuius, donec fuerit facta subhastatio & deliberatio.*
2 *Donans censetur solum donare ius, quod habet, neque potest creditoribus praiudicare.*
3 *Per pactum super bonis non alienandis factum non potest creditoribus praiudicari.*
4 *Dispositio limitata non potest acceptari; nisi cum sua limitatione.*
5 *Dictio, nihil penitus, est limitatiua.*
6 *Dictio, ex, denotat intrinsicitatem & separationem.*
7 *Dispositio Authen. res quæ. C. commun. de legat. babet etiam locum in neptibus post obitum aui conceptis.*
8 *Corn. in d. Auth. res quæ. num. 10. loquitur contra communem.*
9 *Filia vltra dotem à patre datam potest habere dotem ab auo relictam.*
10 *Quando filia est nupta cum minus sufficienti dote, an possit fieri detractio ex bonis subiectis restitutioni pro dote pro ea supplenda.*

DECISIO CDLXI.

QVia sub die 15. Aprilis proximè præteriti, fuit resolutum Illustrissimis filiabus dotes deberi in subsidium respectu bonorum pacto subiectorum, nec non ex eis detrahendorum, & pro parte Illustrissimi Domini Iulij Cæsaris instabatur declarari, an hoc idem esset dicendum absolutè respectu omnium bonorum profectitiorum, & aliunde quæsitorum; ideo proposita sæpius causa, nempe die 4. & rursus die 9. Maij, tandem sub die 16. eiusdem mensis fuit per Dominos facta distinctio in tria genera bonorum; primum est creditorum ex bonis pacto subiectis detrahendorum; secundum bonorum aliunde prouenientium & extantium vltra ista bona; tertium est melioramentorum, & bonorum emptorum ex redditibus prædictorum bonorum. Quantum ad primum genus Domini steterunt in resolutis, non obstantibus ex aduerso deductis, *ex doctr. Bart. in l. vt iusiurandi. §. si liberto. in fin. de oper. libert. quam sequitur Alciat. in l. bonorum. (la seconda) de verb. signif.* quia huic argumento fuit aliàs responsum *distinguendo inter bona vniuersaliter & particulariter sumpta, quæ distinctio corroboratur ex deductis *per Riminald. consil. 240. num. 18. cum seq. lib. 2.* Neque obstare ponderationem factam, quòd paciscentes donando omnia eorum Castra &c. videantur se restrinxisse ad existentia in eorum dominio, quia
1 † hypotheca non facit, quo minus essent hæc in eorum dominio, donec fuisset facta subhastatio, deliberatio, & cætera, de quibus *in l. fin. C. de iur. dom. impet.* Neque
2 obstat, quòd dicitur † donantem censeri
3 donare solum ius, quod habet, † neque posse præiudicare creditoribus, *l. siquidẽ. C. de donation. inter vir. & vxor.* quia non versamur in his terminis, neque præiudi-
4 catur creditoribus, sed sumus † in dispositione ita limitata, vt non possit acceptari, nisi cum sua limitatione, vt aliàs deductum
5 fuit, [a] ponderando dictiones illas, † nihil penitus; Item illas, ex dictis bonis, qui-
6 bus additur, quòd † dictio, ex, denotat extrinsicitatem & separationem, *Corn. consil. 339. num. 2. lib. 1.* Accedit etiam, quòd illa prohibitio non potest commodè verificari, nisi respectu huiusmodi creditorum; ideo ab illis excludere debent *Ruin. in consil. 79. num. 8. lib. 2.* Neque obstat, quòd *Autb. res quæ.* non habeat locum in neptibus conceptis post obitum aui, quia *contrarium fuit resolutum 21. Iunij 1574. corã R. P. D. Decano*, [b] † Neque obstat auctoritas *Corn. d. Autb. res quæ. num. 10.* quia communis opinio est in contrarium. Neque obstat testamentum Alexandri, quia neque factum est in exequutionem pacti, cum de bonis vti liberis disponat, neque ipse poterat pacto præiudicare. Ab istis tamen creditis detrahendis ex bonis pacto subiectis Domini exceperunt dotem Dominæ Margaritæ ratione testamenti per eã facti, cum enim fecerit plures gradus substitutionum; ne voluntas ipsius ex aliena dispositione eludatur, censuerunt non esse imputandam in dotes filiarum, sed detrahendam, & inter bona aliunde quæsita connumerandam; seruanda est enim voluntas Dominæ Margaritæ, ne per indirectum id fiat, quod aliàs fieri nequit. Quantum ad secundum genus bonorum, quæ aliunde prouenerunt quàm ex fructibus & redditibus comprehẽsorum in pacto, Domini censuerunt eorum in dotibus constituendis rationem habendam non esse; nam præsuppofuerunt paciscentes filias posse habere alia bona,

Y

Margin notes:

Præsẽs decis. habetur in impres. diuer sor. nouissim. 643. part. 1.

* sub dicta die 15. Aprilis.

a sub die 16. Feb. præteriti.

b hoc est coram R. P. D. Rubeo in Romana dotis, quę in impres. diuer. nouis. est decis. 37. part. 1. & adnotatur sub die 9. Iunij 1574.

bona, ex quo pactum fecerunt de bonis particularibus, non de vniuersis, & nihilominus constituerunt ipsis dotes, & excluserũt solum ab illis; vnde videtur aliorum rationem non habuisse. Neque obstat dispositio *Auth. res quae.* quia paciscentes sequuti fuerunt illam dispositionem respectu bonorum pacto comprehensorum tantum, non autem aliorum, & hoc est de mente *Paul. de Castr. in cons. 64. num. 4. lib. 2.* qui vult
9 † filiam vltra dotem à patre datam habere etiam dotem ab auo relictam, in qua tamen computat legitimam. Neque facit ad rẽ, quòd in casu Castr. dos iam fuisset à patre data, prius quàm eueniret casus fideicommissi, quia hoc potius augere deberet difficultatem; nam maior est apud Doctores
10 difficultas, † quando filia est nupta etiam cum minus sufficienti dote, An possit fieri detractio pro ea supplenda, ex bonis subiectis restitutioni, *vt per Bart. & Doctor. in d. Auth. res quae.* nec sibi ipsi est contrarius *Castr. in d. Authen. res quae. num. 7. cum seq.* quia ibi non tractat hanc quaestionem, quando dos relicta est à testatore. Non obstat *consil. Bart. 131. & Rub. Alexand. 124. cum alijs allegatis*, quia vel loquuntur, quando simpliciter res est prohibita alienari, vel quando dos est relicta ab auo contemplatione filij non neptis; sed circa hoc caput in casu, de quo agitur, fuit resolutum contrarium; & ideo cessat haec difficultas. Quantum ad tertium genus bonorum Domini dixerunt; vt in alia positione causae de his particulariter agatur.

Esina Bonorum.
Die Veneris 20. Maij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Ex partitis Catasti probatur identitas situs loci concurrentibus adminiculis, & num. 6.*

2 *Ad probationem identitatis situs loci, sufficit duos confines verificari.*

3 *Vbi vnum tantum adest corpus, licèt incertitudo possit esse respectu nominis; tamen respectu corporis, nulla potest adesse incertitudo.*

4 *Non inconuenit, quòd res varijs nominibus appelletur, & tamen sit eadem.*

5 *In antiquis probatio melius fit per scripturas quàm per testes.*

7 *In iudicio spolij non attenditur antiquitas possessionis.*

8 *Identitas tanquam qualitas facilius probatur, & etiam per coniecturas probari potest.*

9 *In antiquis sufficiunt leuiores probationes.*

DECISIO CDLXII.

PRoposui in concursu probationes Dominorum Canonicorum & Dominorum de Amicis; & dubitaui, quaenam praeualerent, & Domini vnanimiter censuerunt probationes Canonicorum praeualere: 8
tota enim difficultas versatur in probatione identitatis Manciani & Gangaliae, quae licèt per alias decisiones fuerit firmata; tamen adhuc placuit Dominis totam hanc materiam percurrere, & proinde examinare, ac si nulla desuper emanasset
1 decisio; igitur probatur † identitas ex partitis Episcopatus, in quibus eaedem terrae situantur iuxta fossatum Manciani, quod deinde appellatum fuit Gangaliae, ex quibus deducendo *prout in discursu facto sub die 27. Maij 1579.* sequitur, quòd cum fossatum Gangaliae in planta sit certum, terras in partitis descriptas esse situandas iuxta praefatum fossatum; ideo frustra pro parte Dominorum de Amicis dicitur nunquam per ipsos fuisse admissum, quòd petia terrae descripta in partitis sit iuxta fossatum Gangaliae, quia hoc nihil aliud est, nisi negare partitas clarè cantantes de fossato Gangaliae, quae licèt per se non probarent concludenter, tamen tot & tanta concurrunt adminicula, vt res clarissima omnino reddatur, nam omisso quòd pro parte Dominorum de Amicis nunquam ostensum fuerit, quo in loco posset alibi collocari petia terrae, quae in dictis partitis continetur, itaut fines in eis descripti conueniant, pro corroboratione praedictarum partitarum considerata fuerunt infrascripta: & primo partita Catasti, in quo ponuntur isti confines, (La strada della Tombetta, Il fossato dell'Auolante, Il fossato di Manciano, La selua di Gangalia, mediante la strada, Le cose di San Domenico), cum ergo inter istos confines ve-
2 rificentur, nedum † duo quae sufficerent, *vt per Bart. in l. demonstratio. num. 20. de condit. & demonst. Ruin. in cons. 50. nu. 12. lib. 1.* sed & quatuor ex enunciatis, nẽpe via Tombettae, fossatum Auolantis, Sylua Gangaliae, & res Sancti Dominici, vtique nullum remanet in toto hoc loco fossatum aliud, quàm quod in planta, quae dicitur Gangaliae, quod ideo necesse est esse illud, quod antea dicebatur fossatum Manciani; & licèt ex planta non appareat, vbi sitae sint res Sancti Dominici; tamen partes non negant esse in loco signato, nota num. 5. quod etiam ex eadem partita, in qua tres alij confines supra deducti sunt certi, conuincitur. Secundo hoc idem optimè probatur ex compromisso & laudo Anni 1519. nam in illo dicitur in fundo plani Sancti Dominici, siue fossi Manciani; in hoc verò dicitur in fundo passi

Man-

Manciani, & Albaratij, vt ex partitis Epi-
scopatus liquet, sed fundus Albaratij idem
est, siue contiguus plano Sancti Domini-
ci, vt liquet ex instrumento 1537. posito
in summario Canonicorum num. 12. ergo
petia terræ, de qua in dictis partitis hic
est situanda, & consequenter de fossati idē-
titate apparet. Tertio apparet, quòd hæ-
redes Matthæi Christophori, qui toties dā-
tur pro confine in dictis partitis, posside-
bant in plano Sancti Dominici, vt liquet
ex compromisso & laudo de anno 1575. &
ex supradicto instrumento venditionis an-
ni 1537. in quo ijdem Amici dantur pro
confini: Ex quo sequitur hoc loco collo-
candum esse fossatum Manciani, de quo in
partitis, & clara ex his omnibus elicitur
partitarum verificatio, & veritas veritati
merè consonat. Non obstat, quod in par-
titis dicatur alternatiuè in fundo Mancia-
ni siue Gangaliæ, quasi verò incertum es-
3 set nomen fundi, quia † cum hic vnum tan-
tum adsit fossatum, non potest adesse ali-
qua incertitudo respectu corporis, sed re-
spectu nominis tantum, quod apparet; quia
dum dicitur in partita à duobus fossatum
Gangaliæ, non fuit apposita eadem alter-
natiua siue Manciani, & ex supradictis sa-
4 tis apparet † tam fossatum, quàm fundos
istos varijs nominibus fuisse appellatos,
quod non inconuenit; fossatum enim in
parte superiori potuit appellari Gangaliæ
respectu syluæ contiguæ, deinde in plano
dici fossatum Manciani ratione fundi, &
hoc tollit difficultatem, quæ fieri posset
super diuersitate nominis fundorum, vt
in instrumento anni 1575. Non obstant
testes, quia licèt ipsi deponant à quinqua-
ginta vel sexaginta annis fossatū illud fuis-
se appellatum Gangaliæ; non ideo sequitur
quòd antea non diceretur Manciani, vt in
scripturis, quibus magis est standum;
tum quòd testes eas non excludunt, vt fuit
5 resolutum; tum etiam quòd † antiqua me-
lius per scripturas quàm per testes pro-
bantur, *Rot. decis. 1. de constitut. in nou.*
Non obstat inuerisimilitudo deducta ex eo,
quòd non fuit facta mentio de alijs confi-
nibus fossati Auolantis & Cesulæ, quia vr-
gentiores sunt supradictæ ponderationes,
quæ concludunt per necesse: hæc verò est
potius suspicio quædam, vt vocant homi-
nes, quæ facilè tollitur, si cōsideremus tunc
temporis inter contrahentes nullam fuisse
dubitationem, quonam & vbi sitæ essent
terræ, de quibus agitur; & ideo apponen-
do mensuram terrarum, satis arbitrati sūt,
tunc temporis sufficere pro demonstratio-
ne rei, quam diuinare non poterant ali-
quando in controuersiam deductam iri.
Non obstat, quòd super partitis non possit
fieri fundamentum ob magnam quantitatē
terrarum, de quibus agitur, quia hæc quan-
titas non ex partitis, sed ex instrumentis
probatur, quantitas verò in partitis con-
tenta est modica, & non deducuntur pro ta-
6 li quantitate probanda, † sed pro proba-
tione identitatis fossati. Non obstat, quòd
Domini de Amicis sint antiqui possessores,
quia possessio Canonicorum est antiquior,
7 & † in isto iudicio spolij non attenditur hæc
antiquitas, *Put. decis. 27. de restit. spol.* Ex
his igitur conclusum probationes Canoni-
corum prænalere, cum probatæ sint tot qua-
litates, quæ huic soli fossato conuenire pos-
sunt, & ex quibus probatur identitas, *vt
tradit Aym. post Alex. & alios, cons. 198. n.
2. Ruin. cons. 115. num. 11. lib. 5. Rolan. 67.
8 num. 12. lib. 2.* maximè, quia † identitas tā-
quam qualitas facilius probatur, & etiam
per coniecturas, *Rimin. cons. 254. n. 11. lib. 2.
Afflict. decis. 23. n. 4. Cephal. cons. 170. nu. 25.
9 lib. 2.* & maximè in antiquis, † in quibus suf-
ficiunt leuiores probationes, *Cassad. decis. 3.
n. 2. de procur. Socin. cons. 166. n. 2. lib. 2.*

Rauennaten. Vallium.
Die Veneris 20. Maij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Absurdum est dominum directum ignora-
re nomen rei suæ.*
2 *Non est inconueniens, quòd locus indiuisus
in diuersis postes diuersis nominibus par-
ticulariter appelletur.*

DECISIO CDLXIII.

Domini sæpius proposito dubio, in quo quærebatur, An constet Vallem Polisenellæ positam esse in fossa Pudola, sit propè foueam fratrum, quod fuerat affirmatiuè resolutū sub die 11. Ianuarij præsentis anni: Dixerunt ex his, quæ opponebantur contra decisionem pro parte Dominorum de Calcagninis non esse recedendum à resolutis,* cum enim non agatur principaliter in hoc iudicio de situanda valle Polisenellæ, sed de iustificandis sentētijs Rotalibus, quæ mandant protrahi lineam à secundo capitello per directum vsque ad Padum; prout patet ex decisione facta sub die 16. Februar. 1579. probatio quæ à Rasponis deducitur, visa est sufficere; ea enim primo fundatur in enunciatiuis antiquis, de quibus in quinque prioribus præsuppositis, quæ omnino concludētes sunt, licèt aliqualiter dubiæ, ex eo quòd non simpliciter enunciant Polisenellā esse in fossa Pudola, sed sub his verbis in fossa Pudola seu Longastrino, siue alio veriori nomine nuncupetur; & ideo dicebatur pro parte Calcagninorum hanc enunciationem esse alternatiuam, vagam & incertam, & nō concludentem; sed placuit Dominis hanc clausulam magis videri appositam ex quodam stylo notariorum, quàm quòd incertū esset, quo in loco situāda esset prædicta val-

* sub dicta die 11. Ian.

lis Polisenellæ, quod satis colligi videtur ex eo, quòd in instrumento anni 1442. dicitur Paulum Bartholomæi debere dare Ecclesiæ Rauennæ pro vna petia Vallis piscaritiæ, quæ vocatur Polisenella, vel si aliter dicitur &c. adeo quòd si concluderet ratio incertitudinis propter alternatiuam, & non esset potius de stylo, neque etiam per illud instrumentum cõstaret de nomine in eo lo-
1 cato, quod valde est inuerisimile; † tum ex eo quòd absurdum est dominum directum ignorasse nomen rei suæ; tum quòd indubitatum est ex sex vallibus in planta comprehensis solam Polisenellam esse sub dominio directo Ecclesiæ Rauennatẽsis, reliquas verò sub dominio directo Canonicorum Sanctæ Mariæ de Portu, & talis stylus videtur conformis generali stylo notariorum, qui in designandis finibus solent plerunque apponere clausulã, etsi qui sint alij veriores confines: Nam ex ea non reuocatur in dubium, quo minus fines prius nominati nõ sint veri & certi. Coadiuuantur illæ enunciationes ex eo, quòd indubitatum est fossam Pudolã esse à parte superiori versus Occidentem supra foueam, quæ in planta dicitur fouea fratrum, & in partita Ecclesiæ Rauennatensis, de qua in septimo præsupposito, Canonici Sanctæ Mariæ recognoscunt ad Ecclesiam quartam partem vnius vallis sitam in fundo fossæ Pudolæ, & dantur Burdioli descendentes Antonij pro vno confine; adeo quòd ex ea partita duo colliguntur; Primum est, quòd cum fossa Pudola sit supra dictam foueam fratrum, vt etiam deponunt testes Calcagninorum, necesse est Burdiolos esse ibi contiguos, nec alibi situari posse, quod rectè conuenit cum planta & testibus, & fuit bis resolutum *. Secũdum est, quòd cum Canonici recognoscant Ecclesiam Rauennæ, quam est in confesso esse Dominam Polisenellæ; neque constat, quòd in eo loco habeat alias valles, dictam vallem, quæ in partita situatur in fossa Pudola simpliciter, esse vallem Polisenellæ, quamuis ibi nomen vallis non exprimatur, quod confirmatur ex eo, quòd in instrumentis præsuppositis primo, secundo, & tertio, dictæ valli Polisenellę datur pro confini Augustinus de Balbis, in cuius locum successerunt Burdioli, vt ex inuestituris annorum 1471. & 1520. constat, & ex partitis nouiter per Calcagninos exhibitis; Et ideo nõ obstat, quòd in aliquibus instrumentis ijsq. recentibus reperiantur diuersa nomina vallium; quia
2 † non est inconueniens, quòd vallis Polisenellæ, quæ erat indiuisa in diuersas postas diuersis nominibus particulatim appellaretur, quod innuere videntur instrumenta, de quibus in primo & tertio præsupposito, vbi dicitur alternatiuè Polisenellam, vel si aliter nuncuparetur, & in omnem euentum instrumenta de nouo producta nihil faciunt; nam aut valles ibi nominatæ sunt illæmet, quæ continentur in præsuppositis, & constat esse in valle Polisenellæ, aut sunt diuersæ, & non faciunt ad rem, quia si ex illis Calcagnini volunt arguere Burdiolos esse situandos alio in loco, quàm in planta designato, coguntur vtique eos situare in fossa Pudola, vel eius confinio, & ita non solum ex tali situatione non conuincuntur in cute sententiæ Rotalis, quin immo potius magis coadiuuantur, postquam certum est fossam Pudolam esse à parte superiore fluminis supra foueam fratrum, vt dictum est. Ex his apparet, ea quæ opponuntur, vel non esse concludentia, vel potius in contrarium facere. Quibus sic stantibus, cum satis sint discussæ probationes Rasponorum; Domini ordinarunt, vt Domini de Calcagninis deducant iura sua & probationes, quas habent, quæ hactenus fuerunt in discussione causæ circumscriptæ.

* nempe sub die 16. Febr. & 11. Maii 1579.

Romana de Fabijs.
Die Veneris 27. Maij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Augmentum tertiæ partis bonorum, de quo in Statuto Vrbis lib. 1. cap. 79. in antiq. tunc debetur, quando non reperitur licitator.*

2 *Qui obligatus est cauere, tenetur solum cauere, quatenus cautio petatur; & hoc intelligitur procedere, quando lex obligat ad cauendum, non quando iudex, vt num. 4.*

3 *Cautio de restituendo donationem propter nuptias datur in euentum, quòd vxor præmoriatur.*

5 *Qui vult vti mandato Iudicis, debet vti cũ sua causa & qualitate, & debet prius pro sua parte implere.*

6 *Causa agentis de damno euitando, est fauorabilior causa illius, qui agit de lucro captando.*

DECISIO CDLXIV.

Circa dubium propositum Domini considerarũt tres difficultates; Prima est, An augmentum tertię partis, de qua in statuto Vrbis lib. 1. cap. 79. * deberetur Dominæ Lauiniæ: Secunda an pro concurrenti quantitate dicti augmenti quatenus debeatur, & donationis propter nuptias, dicatur fuisse facta datio in solutum: Tertia an in euentum, quòd esset facta datio in solutum, si ea esset nulla respectu augmenti, corruat in totum, Quantum ad primam
1 Domini † tenuerunt augmentum non deberi Lauiniæ, quia statutum procedit, quãdo non reperitur licitator, hic autem Papa ad tollendas difficultates voluit, quòd darentur hæc bona in solutum creditoribus pro concurrenti quantitate eorum creditorum

præsens decis. habetur i im press. diuers. nouiss. 603. part. 1.

* In antiqua impressione.

torum, omissa via subhastationis; aliàs si
interpretaremur deberi huiusmodi augmē-
tum, aduersaremur menti Pontificis, quæ
fuit prouidere, qnantum poterat posterio-
ribus ereditoribus; & hine est, quòd voluit
fructus perceptos debere imputari in sor-
tem, & quòd postea decursi in nulla habe-
rentur consideratione; si ergo voluisset,
quòd augeretur tertia pars Lauiniæ, resul-
tasset in manifestum damnum credirorum,
quibus prouidere volebat. Quantum ad
secundam difficultatem fuit dictum nullam
fuisse factam dationem in solutum, quia illa
bona fuerunt posita ad partem, consignan-
da quatenus drberentur, quod decretum
2 aliud post se expectabat; immo † in dicto
decrero dicitur consignanda, data cautio-
ne, & sic conditionaliter, quatenus debeā-
3 tur, & † quatenus detur cautio de restituē-
do donationem propter nuptias in euentū,
quòd ipsa præmoreretur, & non aliàs, *l. à
testatore. de cond. & demonst. Abb. in c. in-
sinuante. n. 6. qui cleric. vel vouent.* quæ
4 quidem nunquam fuit data, † nec intelligi
debet, quatenus petatur, *ad Ias. in l. vni-
uersa. C. de precib. Imper. offer.* quia id pro-
cedit, quando lrx mandat ita fieri, non au-
5 tem in mandato iudicis: † Is enim, qui vult
eo vti, deber vti eum sua causa & qualitare,
l. Caius. de pact. Rom. cons. 353. n. 11. & de-
bet prius pro parte vti volētis impleri, *vul-
gat. l. Iulianus. §. offerri. de action. empt.* His
sic stantibus tertia quæstio, an recipiat diui-
sionem, est frustratoria, ex quo pro nulla
parte est facta datio in solutum, & hæc om-
6 nia eo facilius admittenda sunt, † ex quo
vnus tractar de lucro, alius de damno, fuit
enim Lauinia integrè sarisfacta de dicta sua
dote, sed quia tenetur Elysia hærrs restitue-
re donationem propter nuprias, vellet re-
stituere pecuniā & non bona, & lucrari aug-
mētum, quod beneficio temporis prouenit,
Oticellarij verò tractant de damno euitan-
do, & consequutione eorum crediti; & ideo
eorū causa in cōcursu est fauorabilior, *Aym.
cons. 120. n. 2.* quare conclusum fuit pro con-
firmatione decretorum Auditoris Cameræ.

Portuen. de Columna.
Die Lunæ 30. Maij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Melioramenta facta ex fructibus bonorum pacto subiectorum, & bonis ex eis emptis sunt in dotē filiarum imputanda, stante enixa mente paciscentium, volentium bona conseruari in familia; ita vt si ex fructibus dotari possunt, non sit deueniendū ad distractionem corporum pacto subiectorum.*

2 *Onus probandi melioramenta & bona fuisse facta & empta ex redditibus bonorum pacto subiectorum incumbit debitori.*

DECISIO CDLXV.

1 FVit resolutum † melioramenta facta ex
fructibus bonorum pacto subiectorum,
nec non bona ex eisdem empta esse haben-
da in consideratione in constituendis doti-
bus Illustrissimis filiabus, & in eam causam
compnranda: eum enim appareat de enixa
mente paciscentium, qni volnerunt huius-
modi bona conseruari in familia, vtique di-
cēdum, quòd si ex fructibus dotari possunt,
non est deueniendum ad corporum distra-
ctionem, *argumento eorum, quæ tradunt Do-
ctores in l. mulier. §. cum proponeretur. & ibi
Imol. & Alex. ad Trebell. facit tex. in Au-
then. de restitut. §. si verò & ipsam quartā;
ibi aliam non habens substantiam.* Dixerūt
2 tamen Domini † onus probandi meliora-
menta & bona fuisse ex reddiribus dictorū
bonorum pacto subiectorum incumbere Il-
lustrissimo D. Iulio, *per glos. in l. eum opor-
tet. in verb. ex eius substantia. C. de bon. quæ
liber. Alex. in cons. 140. n. 3. lib. 5. Riminal.
cons. 127. num. 12. lib. 1.*

Ceruien. Bonorum.
Die Lunæ 30. Maii 1580.

SVMMARIVM.

1 *Si defunctus possideat animo suo & corpore alieno per colonum, continuante colono possessionem nomine hæredis, possessio dicitur esse penes hæredem.*

2 *Quæ requirantur ad hoc, vt hæres mediantibus colonis acquirat possessionem.*

3 *Præsumptio continuationis possessionis nomine hæredis non est præsumenda, præsertim stante aliqua præsumptione in contrarium, vt hic.*

DECISIO CDLXVI.

DVbiraui, an taliter constet de posses- praeses decisio habetur § impress. diuersor. nouissim. 681. part. 2.
sione per colonos quondam Ioannis
Numai continuata post dicti Ioannis obi-
tum, vt possit diei quæsita hæredibus, & ex-
cludat possessionem Reueren. Domini Epi-
scopi vti posteriorem, dubitationem facie-
1 bar, quia † cum Ioannes viuens possiderrt
animo suo & corpore colonorum, & coloni
continuarent possessionem nomine hære-
dum, possessio videbatur plena nomine eo-
rundem, *Alex. & Ang. in l. qui vniuersas.
§. qui per colonum. de acquir. possess. Afflict.
decis. 167. num. 6. & 325. Natta consil.
538. num. 7.* Tamen hoc non obstante,
2 contrarium censuerunt Domini, quia † non
est verum absolutè, quòd hæres medianti-
bus colonis acquirat possessionem, nisi plu
ribus concurrentibus, nempe, qnòd colo-
nus continuet nomine hæredis, *vt tradit
Alexand. loco citato;* Item quòd adsit scien-
tia & voluntas eius, cui acquiritur posses-
sio, *glos. in l. quod meo. de acquiren. possess.*

eiusdem consuetudinis, quo gaudebat Abbatia principalis, *glos. in cap. cum & plantare. §. in ecclesiis. in verb. pleno iure. de privileg. & ibi Butr. nu. 8. Aretin. in cons. 63. num. 4.* quod etiam ostendit supplicatio, cũ dicat, in Ecclesijs & locis in iurisdictione dictæ Abbatiæ; Alioquin hæc cõfirmatio inducta ad augendum, contrarium effectum operata fuisset, potuisset enim dubitari,
6 † ex quo vna tantum pars fuerat confirmata, an alia diceretur improbata, *Paris. cons. 20. num. 15. lib. 1.* & hæc confirmantur ex exceptione illa sacrilegiorum, quæ vt plurimum in ecclesijs committũtur, nec datur vlla ratio neque ex parte Regis supplicantis, neque ex parte Papæ cõcedentis, cur partẽ aliquam & non totam consuetudinem confirmari voluerint. Nec facit,
7 quòd † appellatione Oppidanorum non veniant districtuales, quia ex supradictis liquet Papam ad Oppidanos non se restrinxisse: Et ex his tollitur etiam secunda difficultas; nam si Papa voluit quamcunque cõsuetudinẽ confirmare, & voluit potius quòd sua confirmatio regularetur à cõsuetudine quàm consuetudo à confirmatione, dum dicit quòd statuta huiusmodi aliàs dictæ consuetudini se conforment & consuetudo tribueret hanc iurisdictionem Abbati, illa etiam in consequentiã censetur confirmata: Et hoc idem confirmatur ex ipsis litteris, nam reseruantur Episcopo causæ appellationum, ergo Papa necessario intellexit, quòd appellaretur ab Abbate, quia si solum fuisset exẽpta Abbatia, & Oppidani, & alicui non suppositi, clarum est, quòd subijciebantur Sedi Apostolicæ, *cap. auctoritate. de priuileg. in 6.* ergo si non fuissent suppositi
8 Abbati † appellatio à Papa ad Episcopum interponeretur, & sic à superiore ad inferiorem contra eius substantiam, *cap. 2. & ibi glos. de consuetud. in 6.* Quantum ad tertiam difficultatem de litteris dimissorijs, quatenus esset probata talis consuetudo, de qua nihil certi Dominis referre potui, cum non essent pœnes me depositiones testium, fuit dictum, cum in casibus exceptuatis, inter quos non est iste, Episcopus vigore consuetudinis sit priuatus iurisdictione, & huiusmodi iurisdictio per consuetudinem sit applicata Abbati, comprehendi etiam in tali priuatione, & applicatione facultatem
9 dandi litteras huiusmodi; quia † licẽt ipsa ordinatio sit de pertinentibus ad ordinem, & legem diœcesanam, quatenus tamen ordo applicatur personæ, id respicit legem
10 iurisdictionalem, & hinc est, quòd † Episcopus sibi non subditum ordinare non potest, *vt declarat Abb. in cap. dilectus. in fin. de offic. Ordinar.*

Romana Officij Curiæ de Sabellis.
Die Veneris 3. Iunij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Quando res deuoluitur ex natura rei, non est locus euictioni.*
2 *Actus ad causam referri debet, sine qua non valeret.*
3 *Mulier officij iudicaturæ est incapax.*
4 *Pactum de retrouendendo detrahitur de valore rei.*
5 *In emptione & venditione & alijs contractibus onerosis non præsumitur quis vendere ius, quod habet, sed plenum ius trãsferre.*
6 *Mentio hæredum in contractibus subintelligitur etiam quòd non sit facta, & etiam quòd non adsit clausula in perpetuum, & pro se & hæredibus.*
7 *Officia solent emi, vt vacent per obitum emptoris, non autem venditoris.*

DECISIO CDLXVIII.

Illustriss. Domini Hostilius & Troylus de Sabellis vendiderunt officium iudicatus Curiæ Sabellæ, cuidam Dominæ Lucretiæ della Palma pro pretio 1800. scutorum in vim Motus proprij fel. recor. Pauli Papæ III. cuius data relicta fuit in albis; sponte, & ex eorum certa scientia, ac deliberata voluntate, & omni meliori modo, via, iure, causa, & forma, quibus magis, melius, & efficacius fieri potuit, cum promissione de euictione, cui accessit Illustriss. Dominus Flaminius Sabellus, & aliàs pro ut in instrumento: Defunctis Hostilio & Troylo S. D. N. concessit Illustriss. Domino Bernardino Sabello officium Marescallatus Curiæ Sabellæ, qui totius officij possessionem est adeptus, & hoc quoque officium iudicatus tanquam illius membrum ab hæredibus Antonij Lisiati singularibus Lucretiæ successoribus euicit, eiusq; possessionem adeptus est, cum prædicti hæredes agerent de euictione contra Illustriss. hæredes Domini Troyli, nec non Illustr. Dominũ Flaminiũ, obijciebatur euictioni locum non esse, cum venditum esset officium, quod de sui natura erat vacabile, neque venditum esse simpliciter iure proprio neque in perpetuum pro se & hæredibus, vt fieri solet,
1 sed iuxta solitum similium officiorum, † & ideo sequuta deuolutione ex natura rei non esse locum euictioni, *ad glos. fin. in l. si familiæ. vers. item quod si vni. C. famil. ercisc. & ibi Cyn. Bart. Bald. Saliet. & alij, quos enumerat Tiraq. de retract. §. 1. glos. 2. nu. 34.* cumq. inter RR. DD. Iudices delegatos extra Rotam non conueniret, Ego de ordine Sanctissimi Domini Nostri causam in Rota proposui, & dubitaui, quid censeretur venditum, & quomodo, ad effectum de quo agitur, & dubitatio oriebatur pro-

præsens decisio habetur in impress. di vers. nouiss. 6la. part. 8.

pter mentionẽ motus proprij, cum adessent duo rescripta; alterum prorogationis officij factæ in fauorem primogeniti ex filijs Hostilij, ad quòd Illustriss. hæredes habitã fuisse rationem prætendebant; alterũ permissionis alienandi fructus, & emolumenta, & alia, ratione dictæ Curiæ ad D. Hostilium quomodolibet spectantia & pertinentia, cum facultate redimendi vsque ad summam sex millium ducatorum, vel redditus quingentorum aureorum, in quo tamen fuerat apposita clausula, facta obligatione in Camera de redimendo infra triginta annos; & ad hoc habitam fuisse relationem prætendebant hæredes Antonij; Ideo causa in Rota proposita Domini censuerũt ita vẽditum fuisse officium, vt per obitũ Troyli vacare non deberet, sed perpetuaretur vsque ad eius redemptionem; & ideo esse locum obligationi de euictione: moti fuerũt ex eo, quòd nõ simpliciter venditũ fuit, sed in vim Motus proprij fel. rec. Pauli III. quod erat intelligendum de eo Motu proprio, in quo dabatur facultas vendendi sub certa forma; nã in vim alterius continentis prorogationem, venditio talis celebrari nõ
2 poterat; ✝ Actum itaque referri ad causam debere, sine qua non valuisset; maximè stãte clausula omni meliori modo, *Aym. cõs. 141. num. 3.* Confirmatur hæc sententia manifestè ex qualitate personæ, cui facta
3 erat venditio, nempe mulieris, ✝ quæ erat huiusmodi officij iudicaturæ incapax, *l. fœminæ. de reg. iur.* ergo vendendo tali personæ, censetur factum vigore rescripti, in quo dabatur facultas vendendi etiam fœminæ, quod ex alio etiam deducitur: nam cum in hoc instrumento fuerit facta venditio cũ reseruatione facultatis redimẽdi, sub qua forma data erat facultas alienãdi, apparet id totũ factũ iuxta modum in rescripto cõcessum: Quod & vltimo colligitur ex eo, quòd in huiusmodi alienatione nulla interuenit licentia de alienando, neque specialiter cautum fuit de ea obtinenda, quare omnino dicendum est factam fuisse vigore illius rescripti, in quo dabatur licentia huiusmodi pro actus validitate, *l. quoties. cum similibus. de reb. dub.* His consona est verisimilitudo: nam satis est inuerisimile, quòd quis velit emere officium, quod subiaceat periculo mortis venditoris; maximè concurrẽte proportione pretij cum valore rei, qui valor colligitur fuisse redditus scutorũ duodecim menstruorum ex reseruatione duodecimæ partis, pro qua soluebãtur duo decim scuta annua, & ex hoc redditu deducendæ sunt expensæ, & propterea æstiman-
4 dum ✝ pactum illud de retrouendẽdo, quod de valore rei detrahitur. Quibus sic stãtibus, nõ obstare ex aduerso deducta: Et primo, quod dicitur in dicto rescripto dari tãtum facultatem alienandi redditus, & fructus, non autem officia tollitur ex lectura Breuis in illis verbis, fructus, prouentus, cum illius iuribus, & iurisdictionibus, & alijs ad eũ ratione dictæ Curiæ quomodolibet spectantibus & pertinentibus, super quibusuis rebus &c. quæ verba apparent esse prægnantissima, non autem ad solos fructus & prouentus restricta. Secundo, nõ
5 obstat, ✝ quòd voluerint tantum vendere ius suum, quia in emptione & venditione, & alijs contractibus onerosis hoc non est verum, *Bald. in l. si domus. §. fin. in fin. de legat. 1. & ibi Angel. in fin. Cuman. nu. 2. Imol. num. 2. Alex. num. 4. qui testatur de communi, Idem Alex. cons. 6 j. num. 10. lib. 6. Ruin. cons. 140. num. 7. lib. 1.* Nec obstat, quòd non adsit clausula in perpetuum, & pro se & hæredibus, quia hoc non est ne-
6 cessarium; nam ✝ mentio hæredum in contractibus semper subintelligitur, *Abb. in cap. fin. in 1. notab. de arb. Ias. in l. si sic stipulatus. la 2. num. 14. de verb. oblig. & in l. 2. §. item & si in. num. 1. & 2. eod. tit.* Non obstat consideratio, quæ fit super natura officiorum; quia stante relatione facta ad Motum proprium, in quo adest clausula, decernentes, per quam Papa vult, quòd emptores nullatenus possint molestari, donec de sũma per eos soluta fuerint satisfacti, satis apparet emptores non habuisse respectum ad naturam officij, sed ad facultatem datam in dicto Motu proprio: Præterea ista consuetudo notoria, quæ deducitur non applicatur ad casum propositum, cum
7 ✝ officia soleant ita emi, vt vacent per obitum emptoris, nõ autem venditoris. Quare fuit per Dominos conclusum Illustriss. Dominos de Sabellis teneri de euictione, præsupposito quòd ea fuerit iusta, & non inique extorta. De iustitia autem satis videtur mihi constare ex eo, quòd cum Papa concesserit facultatem alienandi sub conditione illa, facta obligatione in Camera Apostolica de redimendo intra triginta annos, & talis cautio præstita non reperiatur; apparet venditionem vigore Motus proprij factam non seruata eius forma in præiudicium Cameræ Apostolicæ, & habẽtium ius ab ea, sustineri non posse.

Ispalen. Decimarum.
Die Lunæ 6. Iunij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Testis deponens de visu vltra quadraginta annos; si tamen deponat per dictionem, citra, sine copula, non probat immemorabilem.*
2 *Testis deponens de fama per verbum, est, & non per verbum, fuit, non probat, & n. 4.*
3 *Ratio magis quàm dictum attenditur in teste.*

5 Pro-

3 *Probatio dubia & incerta contra producentem est interpretanda.*

DECISIO CDLXIX.

Dubitani, an probetur immemorabilis possessio Illustriss. & Excellentiss. Ducis percipiendi decimas, de quibus agitur, præsupponendo, quòd lis inceperit de anno 1515. vt Domini Canonici volunt, vel de anno 1516. vt prætendit Dux, & fuit nemine discrepante conclusum non probari, cum non probentur requisita, *iuxta doctrinam glossæ, quam Rota sequitur in cap. 1. de præscript. in 6.* nam incipiendo à decimoquinto teste, quia alij fuerunt nulliter examinati, & de eis postea agetur, cum fuerit quater examinatus, in nullo tamen examine concludenter deponat; nam in primo de anno 1535. deponit de visu per quadraginta annos, & sic demendo tempora litis attingit tantum 31. annos ante litem, neque deponit de auditu à maioribus, neque de fa-
1 ma; † in secundo examine licèt deponat de visu de quinquaginta quinque annis, tamen deponit per dictionẽ citra fine copula; ideo non probant, *iuxta doctrinam Bart. quam Rota sequitur in l. Celsus. de vsucapion.*
2 † Præterea de fama deponit per verbum est, & non per verbum fuit; In tertio examine dicit hoc quidem articulum verum, sed in redditione rationis, dum dicit se vidisse solui decimas Duci, & suis antecessoribus, non deponit à quanto tempore; &
3 ideo cum deficiat à ratione sui dicti, † nõ attẽditur dictum sed ratio, *Socin. in cons. 42. num. 27. lib. 1. Paris. cons. 88. num. 58. & 60. lib. 3.* In quarto examine non deponit de fama; In quinto verò examine repetitus vigore remissoriæ, licèt ad octauum confirmet primum dictum, tamen ad nonum videtur se restringere quo ad Ducem solum de auditu, & super nono interrogatorio, quòd ille, qui eum vocauerat ad se examini subijciendum, dixerat ei, vt se firmaret in dictis per eum antea: Secundus testis deponit tantum de visu à quatuor vel quinq; annis in primo examine; In secundo verò examine deponit quidem, quòd Dux percepit, sed non dixit à quanto tempore: Tertius testis non deponit de auditu à maiori-
4 bus, † nec de fama per verba est & fuit: Quartus testis in primo examine non percutit nisi à quadraginta annis ante litem, & deponit per dictionem citra fine copula, & non deponit de fama per verbum fuit; In secundo examine vltra præfatos defectus non deponit de auditu à maioribus: Quintus testis non deponit de fama, & in vltimis duobus examinibus deposuit de quinquaginta annis de visu, & ita non probat per quadraginta annos ante litem: Sextus testis non probat de quadraginta annis ante litem, nec probat famam per verbum fuit: Septimus testis non deponit de auditu à maioribus nec de fama: Octauus testis deponit tantum de auditu ab Arrendatoribus: Nonus non percutit tempus quadraginta annorum ante litem: Decimus quoque testis non percutit per quadraginta annos ante litem motam, cum deponat de annis quinquaginta, & est examinatus de anno 1553. Vndecimus testis deponit tantũ ab anno 1526. & sic post litem motã: Duodecimus testis nõ percutit per quadraginta annos ante litem motam: Decimustertius testis eodem vitio laborat: Decimusquartus testis itidem: Decimusquintus nõ deponit de aliquo certo tẽpore: Decimussextus eodẽ morbo laborat: Decimusseptimus deponit de quatuor tantum annis citra: Decimusoctauus nõ percutit quadraginta annos ante litem motam: Decimusnonus, & Vigesimus nihil penitus probant. Ex testib. verò nulliter examinatis, duo pro parte Ducis allegantur, secundus Ferdinãdus Riquel senior, qui deponit à sexaginta annis & vltra, & sic sine copula & citra, & non deponit de fama, nisi per verbum est, & licèt in secundo & tertio examine deponat de fama per verbum, fuit, tamen non deponit de visu, sed solum de auditu, neque possunt istæ depositiones coniungi, cum deponat in primo de Donadio de Monte acuto,
5 in alijs verò de Tribuxena; Ideo † cum hæc probatio sit dubia & incerta, interpretanda est contra producentem, *Rot. decis. 6. de testib. in antiq.* Alius testis qui deducitur est Ioannes Xuares, qui nihil penitus probat, quia deponit de fama per verbũ, est, & ibi deponit de possessione Regis respectu territorij Xeritij, non aũt de possessione Ducis, & est aduertẽdũ, quòd articulus quartus deficit in fama, quia non articulatur fama, in sequenti verò articulo, in quo specificè articulatur possessio Ducum, deponit solum de visu, nec dicit à quo tempore, nec deponit de auditu à maioribus. Cæteri testes nulliter examinati non probant requisita; Ideo informantes pro Duce non se fundant in illis, & mirum est in tot repetitis examinibus nullum prorsus reperiri, qui concludenter probet, vltra quòd neque etiam probatur ex istis testibus fama priuilegij, sed hoc extra dubium. Conclusum igitur ex testibus non probari immemorabilem.

Fauentina Bonorum.
Die Veneris 10. Iunij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Immemorabilis non probatur, quando articuli non continent requisita ad eam probandam.*
2 *Itē si testes non percutiant per quadraginta annos de visu ante litem motam.*

DE-

DECISIO CDLXX.

DVbitaui nonnullis præsuppositis, an constet, quòd territorium contentũ, & terminatum in decimo articulo fuerit, & sit in & de fundo Fossulæ, circumscriptis iuribus Dominorum Canonicorum; & licèt multa deducerentur pro parte Canonicorum ad confutandam probationem Magnificæ Communitatis; placuit tamẽ Dominis circumscribere eorum probationes, quas contra testes deducebant, quæ omnia suo loco, si opus fuerit, discutientur: Et fuit conclusum intentionem Cõmunitatis probari ex pluribus; Primo ex depositione testium citatorum in tertia conclusione, de qua in informatione facti Communitatis, qui dicunt articulum verum. Secundò, ex depositione testium, qui constituunt domũ de Mẽgolinis in Fossula: Tertio ex testibus dicentibus, quòd à via de Mosselinis vsque ad Hospitale omnia sunt in fundo Fossulæ: Quarto ex situatione sextę possessionis, quá testes deponunt esse in Fossula: Quinto ex situatione possessionis Guidi de Naldis iuxta terras signatas DD. Æ.Æ. Sexto ex situatione possessionum DD. Æ.Æ. cum quibus concurrunt adminicula instrumentorum, & denominatio viæ Fossulæ; Nec non quòd plebatus panigalis in planta non excedit domũ Hospitalis, quæ omnia latius deducuntur in facto pro Communitate: Fuit tamen animaduersum per Dominos, quòd
1 † hæc probatio non concludit de tempore
immemorabili; † tum quòd articuli non continent requisita ad eam probandam;
2 † tum quòd nullus ex testibus potest per-
cutere per quadraginta annos de visu ante litem motam; & ideo placeret Dominis, vt statueretur dato dubio particulari, quousque se extendat tertia pars Madrariæ, quia ex hoc fundamẽto facilis esset decisio causæ, si res ita se habet, prout prætenditur pro parte Canonicorum.

Portuen. Bonorum.
Die Veneris 10. Iunij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Per mortem legatarij ante testatorem legatum sit caduceum.*
2 *Confessio dotis facta in testamento non præiudicat.*
3 *Confessio dotis facta in testamento solum operatur legati, vel fideicommissi petitionem, nisi adsit iuramentum.*
4 *Permutatio rei pacto vel fideicommisso subiectæ non præiudicat vocatis.*
5 *Bona confiscata dicuntur esse ex fructibus iurisdictionis & regaliorum.*
6 *Melioramenta facta ex fructibus bonorum pacto subiectorum in ipsorum bonorum restitutione, veniunt retinenda.*
7 *Intellectus l. quod de bonis. §. quod auus. ad leg. Falcid. est controuersus.*

DECISIO CDLXXI.

PLura sunt, quæ prætenduntur pro parte Illustr. Mulierum debere refici, ea autẽ sunt infrascripta, legatum annuum scutorũ 300. relictũ ab Alexandro Vrsinæ eius matri 12. Octobris 1548. Dos Margaritæ Acquauiuæ vxoris Alexandri, Census octuaginta annorum super quodam molendino sito in territorio Castri Noui, quod fuit donatum ab Illustrissima Domina Iulia Colũna Sciarræ; rubra centum terreni tenutæ Passarani vendita ab Alexandro 11. Iunij 1551. data Dominæ Helenæ ab Alexandro curatore Domini Iulij, & redempta 13. Iunij 1567. Dos Dominæ Claricis, & portiones, in quibus successit filijs in legitima debita Sciarræ; Melioramenta facta in Arce Castri Noui; molendinum emptum à Clarice; Vineæ & terræ emptæ à quibusdam particularibus per Claricem & Sciarram; bona quædam confiscata; rubra vndecim terræ empta à Margarita Acquauiua.

præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 469. part. 2.

1 Quantum † ad legatum cum præsupponatur, quòd Vrsina prædecesserit Alexandro eius filio, id fuit caduceum effectum, *l. vnic:*
2 *§. pro secundo. C. de caduc. toll.* † Nec debe-
tur dos, quia confessio facta in testamento non præiudicat; *l. cum quis decedens. §. co-*
3 *dicillis. de legat.* 3. † confessio enim facta
in testamento solum operatur legati, vel fideicommissi petitionem, *l. Lucius. §. quisquis mihi. de legat.* 2. nisi adsit iuramentum, *d. §. codicillis, & Auth. quod obtinet. C. de probation. Roman. in cons.* 445. *n.* 9. Quantum ad dotem Dominæ Margaritæ, iam fuit facta decisio sub die 16. Maij præteriti. Quantum ad censum octuaginta anno-
4 rum, non esse reficiendum, quia † permu-
tatio fuit facta ab Alexandro post pactum, cui præiudicare non poterat, transferendo onus ex vna re pacto non subiecta in aliam subiectam. Idem iudicandum de centum rubris Passarani; Neque potest considerari aliqua iniquitas, cum Clarici pretium restituatur in ipsius dote contentum, neque aliquis considerari potest consensus Iulij, qui præiudicet, cum de illo tempore contradicere non posset. Dos Dominæ Claricis venit ex legitima detrahenda. Quantum ad bona empta ab Vrsina, Sciarra, & Clarice, ea per mulieres retineri possunt, iuxta tamen distinctionem factam per Dominos sub die Lunæ 30. Maij præteriti, an
5 sint vel non sint in dotes imputanda. † Quã-
tum ad bona confiscata, illa videntur esse ex fructibus iurisdictionis, & regaliorum. *Afflict. tit. quæ sunt regal. in verb. bona cõdemnatorum:* ideo de illis detractis debet haberi ratio in dotibus constituendis, iuxta prædictam decisionem. † Quantum ad melio-

lioramenta intrat distinctio prædictæ decisionis, An probetur facta ex fructibus; & in his seruandum, quod dicunt *Doctores in l. domos. & ibi Ias. in 2. & 3. notab. de legat. 1. Negusant. de pignor. 4. membr. 5. part. num. 14. Ruin. in cons. 38. num. 25. lib. 1.* An verò sint compensanda cum fructibus,
7 videndum est particulariter,* quia † intellectus *l. quod de bonis. §. quod auus. ad leg. Falcid.* est controuersus, *Alciat. cons. 648.* & maximè cum simus in donatione rerum particularium: Pro qua verò rata succedat Domina Clarix, pēdet ab eo, an Paulus excluserit sorores simpliciter, vel cum onere dotandi; & placuit Dominis decisio facta, [a] quòd dos debeatur ex pacto in subsidiū; & ideo tenebatur Sciarra ex legitima sua dotare filias, & consequenter Paulus eas cū onere dotandi excludit & non aliàs. Quantum ad portionem Trebellianicæ, de ea esset particulariter videndum. Reliqua, quæ deducuntur, videntur extra dubium propositum.

* de hoc fuit facta resolutio sub die 22. eiusdem, quæ non fuit extensa nisi ī hæc formalia verba Cōtra mulieres in omnibus in quibus informant.

a sub die 15. Aprilis præteriti.

Vrbeuetana Hæreditatis.
Die Mercurij 15. Iunij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Verbum, promisit, in donatione, explicitè importat stipulationem notarij, & hoc procedit etiam pro absente, licèt per notarium non fuerit scriptum promisisse sibi stipulanti pro absente.*
2 *Stipulatio censetur interuenisse eo modo, quo debet pro actus validitate.*
3 *Iuramentum confirmat donationem à notario nomine absentis stipulatam, ita vt reuocari non possit, non tamen acquiritur donatario sine acceptatione, vt n. 4. prout etiam dicitur in constituto, vt n. 5.*
6 *An donatarius possit acceptare donationem post mortem donantis, respectu acquisitionis dominij, vel respectu acquisitionis actionis ad tradendum & num. 7.*
8 *Infanti acquiritur dominium stipulatione notarij, quando adest constitutum, vel precarium, & non requiritur Prætoris auctoritas, vt num. 9.*
10 *Actio vtilis sine cessione ex stipulatione notarij cuilibet quæritur.*
11 *In donatione facta duobus acceptatio vnius prodest condonatario.*
12 *In donatione stipulata pro pluribus, vnus ex donatarijs remittens donationem, cæteris præiudicare non potest.*
13 *In pluribus substitutionibus factis vna caducata remanent aliæ.*
14 *Iuramentum supplet defectum insinuationis, quod procedit etiam in insinuatione per statutum requisita contra Curt. iun.*
15 *Sufficit generalis renunciatio statutorum cum iuramento, nec requiritur in specie renunciatio statuti requirentis insinuationem.*

DECISIO CDLXXII.

Dubitaui, an donatio, de qua agitur, posset impugnari ratione absentiæ, vel ex defectu insinuationis; Et per informantes fuerunt plures excitatæ difficultates: Prima, an in hoc casu sit præsumenda præsentia vel absentia donatarij, sed hanc Domini omiserunt, cum dubium præsupponat absentiam; Ideo secunda difficultas excitata fuit, an adfuerit stipulatio notarij pro absente, & censuerunt Domini adfuisse, moti illis verbis dictam donationem, & omnia alia & singula
1 † promisit, quæ verba explicitè, & in necessariam antecedentiam importāt stipulationem notarij, *vt per Paris. cons. 88. num. 94. lib. 3.* & quamuis nō fuerit à notario scriptum, promisisse sibi stipulanti pro absentibus, tamē satis est, quòd dictum fuerit, promisit, cum hoc verbum importet stipulationem, *l. 1. C. de contrab. stipul.* & licèt hoc procedat inter præsen-
2 tes; tamen cū notarius esset præsens, † stipulatio censetur interuenisse eo modo, quo debet pro actus validitate, *l. quoties. de reb. dub. optimè Ruin. in cons. 180. nu. 10.*
3 *lib. 1.* Tertia excitata fuit difficultas, † An iuramentum huiusmodi donationem absēti factam confirmet, pro cuius resolutione affirmatiua sufficit allegare, *Gabr. concl. 1. num. 69. de verb. oblig. Tiber. Decian. qui reliquos citat in cons. 1. num. 22. lib. 3.* Sed quarta fuit in medium proposita difficultas
3 An hoc casu † sit necessaria acceptatio donatarij, vel etiam sine acceptatione teneat; & constituta est regula valere quidem donationem ad effectum, vt reuocari non possit, necessariam tamen esse acceptationem ad effectum acquisitionis dominij vel possessionis, *Didac. in rubr. de testam. 3. par. nu. 13. Tiraq. de const. limitat. 30. Tiber. Deciā. d. cons. 1. num. 23. lib. 3. Purpurat. cons. 396. num. 56. Alciat. cap. cum contingat. n. 327.* & procedit, etiam si donatio sit iurata, *Alciat. cons. 112. & Purpurat. cons. 478. nu.*
5 *28.* & † idem est respectu acquisitionis, quę fit mediāte constituto vel retentione vsusfructus, *Purpurat. ibid. num. 21.* Vnde cum ante obitum donantis non constet de acceptatione, insurgit Quinta difficultas,
6 † An possit postea donatio per donatarium vel eius hæredem ratificari, quæ res nō caret difficultate, multi enim tenent donatarium acceptare non posse, cum sit alteri ius quæsitum, quod tamen admittit Didacus si esset quæsitum titulo singulari, sed quando est quæsitum titulo vniuersali, tenet con-
7 trarium ex eo, quòd † hæres tenetur habere ratum factum defuncti: Præterea licèt difficultas possit esse respectu acquisitionis dominij; tamē respectu acquisitionis actionis

præsēs decisio habetur ī impres. diuersor. nouissim. 683. part. 1.

nii ad tradendum, videtur cessare, *vt vult*
idem Didac. vbi supra num. 13. ante fin. Pur-
purat. cons. 396. *num.* 60. sed ad tollendam
omnem disputationem placuerunt Domi-
8 nis duæ limitationes; prima est, † quando
sumus in infante, cui quæritur dominium
ex stipulatione notarij, quando adest con-
stitutum vel precarium, *Bald. in l. si quis in*
emancipatum. num. 2. *C. de donat. Alciat.*
d. cons. 112. *num.* 14. *Paris. cons.* 69. *num.*
148. *lib.* 3. *& ita fuit tentum in vna Bono-*
nien. de Oricellarijs nuper coram R. P. D.
meo Lancellotto. Non obstat, quòd *Tiraq.*
9 *in d. limitat.* 30. *num.* 29. *&* 32. † videatur
requiri Prætoris auctoritatem, hoc enim
est, quando ipse defendit, quòd notarius ab-
senti stipulari non possit, sed cum sit rece-
pta cõtraria opinio, nihil esse specialitatis
in pupillo, si requireretur, quòd interpone-
retur Prætoris auctoritas. Neque obstat,
quòd sit hoc intelligendum ad effectum, vt
quæratur vtilis actio sine cessione, quia hæc
sententia non est vera; Baldus enim loqui-
tur expressè de acquisitione dominij: Præ-
terea nihil esset speciale in pupillo, quia
10 † etiam alijs mediante stipulatione nota-
rij quæritur vtilis sine cessione, *Decis. Pede-*
mont. 33. *num.* 8. secunda limitatio pla-
cuit Dominis, quòd cum fuerit donatum
11 Contessinæ, † etiam acceptatio prosit cõ-
donatario, *l. quoties. C. de donation. quæ sub*
modo. Nec obstat respõsio ex aduerso data,
quòd illa lex procedat quãdo ius est validè
quæsitũ primo donatario, quia id fortè pro-
12 cederet, † si nõ adesset stipulatio pro omni-
bus donatarijs, sed quando adest stipulatio
pro omnibus, etiam quòd primus remitte-
ret, non posset cæteris præiudicare, *Ias. l.*
qui Romæ. §. Flauius. n. 19. *de verb. oblig.* &
13 maximè hoc procedit in isto casu, † in quo
sũt factę substitutiones, itaut caducata pri-
ma, remaneant aliæ, *vt per Castr. in cons.*
384. *num.* 1. *lib.* 1. *Decian. cons* 55. *nu.* 2.
& 3. *lib.* 3. Quantum verò ad insinuatio-
nis defectũ, Domini dixerunt regulam esse,
14 quòd † iuramentum hunc defectum sup-
pleat, *Gabr. de donation. concl.* 1. *num.* 66.
Nec obstat, quod dicitur ex auctoritate
Curtij iun. in cons. 141. *num.* 21. quando
statutum requirit solemnitatẽ insinuatio-
nis fiendæ infra aliquod tempus post ipsam
donationem, iuramentum nõ validare do-
nationem, nisi sequatur insinuatio; quia
quemadmodum iuramento renunciari po-
test iure communi; ita etiam potest renun-
15 ciari iuri municipali; † Ideo cum donans
renunciauerit etiam statutis, quæ rumpe-
rẽt seu rumpere possent hanc donationem,
dicendum est renunciatum quoque fuisse
huic statuto. Nec verum est, quòd sit ne-
cessarium in specie renũciare huic statuto;
nam sufficit æquipollentia, *vt dicit Corn.*
ex aduerso allegatus in cons. 186. *num.* 18.
lib. 2. maximè in casu isto, in quo adsunt
tot verba prægnantia & vniuersalia, vt nul-
lus dubitationi locus relinquatur.

Romana Societatis Artis Albæ.
Die Veneris 17. Iunij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Dictum Baldi & Castrensis in l. quidam*
æstimauerunt. ff. si cert. pet. & Felini in
cap. cum inter. num. 16. *de re iudic. quo-*
modo procedat.
2 *Debitor non potest dici in mora constitutus,*
quando debitum non est liquidum.
3 *Lucrum dicitur deducto omni damno.*

DECISIO CDLXXIII.

QVamnis Domini admiserint *Baldi* præsti decis. hæ in impress. diuer. nouiss. 124. part. 2.
& Castren. doctrinam in l. quidam
æstimauerunt. si cert. petat. & ibi
Alciat. num. 3. *Felin. in cap. cum inter. nu.*
1 16. *de re iud.* tamen limitarunt † illam pro-
cedere, quando pars, in qua reus se fatetur
esse debitorem, est omnino certa; alioquin
antequam possit contra reum procedi ad
2 exequutionem, necessarium est omnino † li-
quidari illam partem, aliàs non dicitur in
mora constitutus, *vt per Doctor. in l.* 1. *§. si*
stipulanti. de verb. obligat. & ibi per Alciat.
num. 48. *Anchar. cons.* 232. *num.* 2. *Socin.*
cons. 207. *num.* 2. *lib.* 1. *Riminal. cons.* 361.
num. 10. *lib.* 2. sed in proposita facti specie
non fuit habita confessio, siue oblatio pro
certa, ex quo in ea Bartholomæus offert se
paratum soluere ad rationem 18. pro lucro
facto in dicta societate detractis debitori-
bus decoctis; & licèt se remittant ad iuris
dispositionem, & stante conditione non vi-
deantur detrahendi debitores decocti; ta-
men intellecta fuit illa conuentio de deco-
ctis post finitam societatem, non de deco-
ctis ante societatem; nam si erant decocti
ante finitam societatem, non poterat dici,
societatem corũ respectu lucrum aliquod
3 fecisse; † nam lucrum dicitur deducto om-
ni damno, *l. Mutius. & ibi Bald. & Salic.*
ff. pro soc. Ex quo conclusum, non posse pro-
cedi contra Bartholomæũ vigore suæ obli-
gationis, cum adhuc sit illiquida.

Lucana Beneficiorum.
Die Mercurij 22. Iunij 1580.

SVMMARIVM.

1 *In antiquis enunciatiua plurĩũ instrumẽ-*
torum probãt etiam in præiudiciũ tertij.
2 *Vox in Capitulo pendet à canonia.*
3 *Canonia est ius, quod oritur ex receptione*
in fratrem.
4 *Verba regulariter stant demonstratiuè non*
taxatiuè.
4 *De præbenda quasi canonicali idem iudica-*
tur quod de canonicali.

DE-

DECISIO CDLXXIV.

praesens decisio habetur I impress. diuersis nouissimè 684 part. 2.

FVit iterum nouis quibusdam additis
præsuppositis dubitatum, an constet
Archipresbyteratũ habere præbendam ca-
nonicalem annexam, quæ sit alteri præben-
dæ canonicali incompatibilis: Et Domini
omnibus iunctis dixerunt probari Archi-
presbyteratum talem præbẽdam annexam
habere: & primo moti sunt ex instrumentis
annorum 1181. 1188. 1424. 1426. 1431.
cum alijs, quæ videntur satis clara, cum
semper connumeretur Archipresbyter in-
1 ter canonicos, & † in antiquis enunciati-
ua plurium instrumentorum probat etiam
in præiudicium tertij, *Aym. de antiq. tēp. 1. part. num. 74. Achill. 3. de iurepatr.* Admi-
niculum verò facit Constitutio Anni 1202.
item Constitutio Anni 1393. in quibus di-
sponitur, vt sint 16. Canonici, & sexdecim
præbendæ, quod verificari non potest, nisi
tribus dignitatibus inter Canonicos enu-
meratis, quod etiam ex alio comprobatur;
nam cum in dicta Cõstitutione anni 1393.
traditus sit modus seruandus in missis per
Canonicos celebrandis, nihil dicitur de ce-
lebratione dignitatũ, ex quo satis apparet,
dignitates pro Canonicis haberi, & ibidem
dicitur notoriũ esse in dicta Ecclesia adesse
sexdecim præbẽdas, & sexdecim canonicos
prębendatos. Aliud adminiculũ sumitur ex
iuris præsũptione: cũ enim Archipresbyter
2 habeat vocem in Capitulo, † hæc vox de
iure communi pendet à canonia, *glos. in cap. cum M. in verb. receperat. in fin. de constitut. & ibi Felin. num. 18. Innocent. in cap. 2. in fin. de instit. Hostiensis in sum. de reb. Eccl. non alien. num. 4. Bertrand. in cons. 55. num. 4. in 1.* Tertio coadiuuatur
hæc probatio ex dictis testium dicentium
istos vulgariter appellari Canonicos, &
gaudere omnibus iuribus, quibus gaudent
Canonici. Vltimo probatur ex eo, quòd
cum ex formula cuiusdam Constitutionis
interior Sacrista debeat esse Canonicus, &
ex instrumentis appareat Archipresbyterũ
quandoque fuisse interiorem Sacristam, se-
quitur eum quoque pro Canonico haben-
dum. Non obstat, quod ex aduerso prætẽ-
ditur instrumenta non esse clara; quia con-
trarium est verius. Nec facit illa considera-
tio, quòd in instrumento anni 1188. dicatur
Canonicorum & Confratrum, quia hæc de-
nominatio Cõfratrum est propriè Canoni-
3 corum, cum † Canonia sit ius, quod ori-
tur ex receptione in fratrem, *vt dicit glos. supra allegata in d. cap. cum M. de constit.*
Nec facit, quòd Archipresbyter vocetur
sub nomine dignitatis, quia denominatio
fieri solet à digniori, nec tamẽ sequitur ex-
4 cludi, quin sit Canonicus; cum † regulari-
ter verba stent demonstratiuè non autem
taxatiuè, *Paris. cons. 4. num. 36. lib. 4.* &
saltem nõ potest negari ex his probari prę-
bendam huiusmodi esse quasi canonicalem,
5 † de qua idem iudicandum, quod de cano-
nicali, *vt per Vitalin. in Clem. vlt. in fin. de praben.* Aliæ differentiæ per informantes
consideratæ non obstant, quia non incon-
uenit eas esse respectu dignitatis, cui tamẽ
præbendam annexam esse ex supra dedu-
ctis conuincitur.

Legionen. Iurisdictionis.
Die Veneris 1. Iulij 1580.

SVMMARIVM.

1 *Visitatio comprehenditur sub iurisdictione.*
2 *Visitationi propriè conuenit inquirere de vita & moribus.*
3 *Concordia iurata, & à Sede Apostolica confirmata omnino seruanda est.*

DECISIO CDLXXV.

FVit resolutum Reu. D. Episcopum te-
neri ad obseruationem concordiæ, &
modi puniendi delicta in ea contenti, etiã
quando ipse procedit visitando; nam licèt
in specie nihil fuerit in concordia de visita-
tione dictum, tamen sufficit, quòd inter
partes in vniuersum de omni correctione
delictorum cogitatum fuerit, *prout in simili fuit coram me resolutum in vna Palentina Iurisdictionis 18. May 1573.* Quòd au-
tem in vniuersum fuerit de omni correctio-
ne cogitatum apparet ex pluribus: Et pri-
1 mo, quia pendebat † lis super iurisdictione,
sub qua comprehenditur visitatio, *ad not. in cap. conquerente. de off. Ordin.* Secundo,
quia inita fuit concordia ad euitandũ scan-
dala & effugiendum expensas, quæ ratio vi-
detur influere in omnem modum corrigen-
di, alias semper altercatũ fuisset super hu-
iusmodi re, & omnino potuisset Episcopus
procedendo per modum visitationis elude-
re concordiam ipsam, cum possit Capitulũ
suum arbitrio suo omni tempore visitare.
Tertio hoc euidentius probatur ex capitu-
2 lo octauo ipsius concordiæ, in quo † datur
modus procedẽdi super inquisitione sępe fa-
ciẽda ex officio de vita & morib⁹ titulariũ
Capitulariũ, quæ res propriè conuenit visi-
tationi, *cap. 1. §. sanè. de censib. in 6. cap. irrefragabili. de off. Ordin. cum alijs per informantes deductis:* * Et ex his tolluntur facilè
in contrarium allegata, quia procedunt, vbi
ex subiecta materia & verisimili mente di-
sponentium non appareret eos voluisse vi-
sitationem comprehendere; neque per hu-
iusmodi interpretationem tollitur ipsa vi-
sitatio, sed modus tantum in correctione
3 seruandus præscribitur, mediante † con-
cordia iurata, & per Sedem Apostolicam
confirmata, cui omnino standum est, vt plu-
ries in similibus causis per sacram Congre-
gationem Concilij decisum fuit.

* Socin. in tractat. de visitat. n. 38. & p Panuin. de visitat. §. q. 1. part. vbi latissime.

Ispalen. Iuris expendendi.
Die Veneris 21. Octobris 1580.

SVMMARIVM.

1 *Ex vnico actu quaritur quasi possessio.*
2 *In his, quae de facili non conceduntur non praesumitur gratiosa concessio.*
3 *Scientia ex qualitate personarum & alijs circunstantijs probatur.*

DECISIO CDLXXVI.

PRo Capitulo, cõstare de eius quasi pos-
sessione ex actis deductis in summario
1 Canonicorum, & † ex vnico actu ne dum
pluribus quaeritur haec quasi possessio, *Rip.*
in c. cū Ecclesia Sutrina. n. 53. de caus. poss. et
2 *prop.* & † in his, quae de facili nõ cõceduntur
non praesumitur gratiosa concessio, *vt per*
Innoc. in c. bona. il secondo, de postul. Praelat.
& ibi Butr. num. 13. Abb. num. 19. &
3 † probatur scientia ex qualitate persona-
rum & alijs circunstantijs, *Innoc. in d. c.*
bona. vers. has autem praesumptiones. & idē
tenet Hostien. ibid. in 2. col. & Butr. nu. 13.
ait esse arbitrarium; Circunstantiae verò
benè deducuntur per informantes. Ex qui-
bus Domini concluserunt probari scien-
tiam Portionariorum.

Portuen. Bonorum.
Die Lunae 24. Octobris 1580.

SVMMARIVM.

1 *Regula l. cum à matre. C. de rei vindicat. & l. vindicantem. ff. de euictionib. non procedit, quando actus est nullus.*
2 *Actus factus contra expressam probibitionē est nullus, & in eo impeditur dominij translatio; secus est, quando actus factus est à probibito, qui ignorat probibitionē, vt num. 5.*
3 *Probibitio facta in contractu regulariter non impedit dominij translationē, quamuis alienans teneatur ad interesse, An autem impediatur translatio dominij, quando est apposita hypotheca, vide nu. 4.*
5 *Alienatio facta à probibito alienari in eū, qui ignorat probibitionem, transfert dominium.*
6 *Ignorantia probibitionis alienandi in dubio praesumitur in acquirente, maximè concurrente verisimilitudine.*
7 *Probibitio de non alienādo iurata in cõtractu an impediat dominij translationem.*
8 *Qualibet causa excusat à dolo.*
9 *Sufficit relinquere cuilibet de familia, vbi fuit simpliciter relictum familiae; secus si vocatio sit sub certo ordine.*
10 *Ratificatio actus nulli non nocet, non data scientia nullitatis in ratificante.*
11 *Quando haeres grauatus alienauit bona, & alia emit, intrat subrogatio fauore fideicommissarij.*

DECISIO CDLXXVII.

FVit dubitatum, An Rubra centum ven-
dita per bon. mem. Dominum Alexan-
drum Dominae Helenae tanquam tutrici, &
curatrici Illustriss. filiarum, & redempta
per bon. mem. D. Sciarram, sint deducen-
da ex bonis pacto subiectis; Et fuit per Do-
minos conclusum esse deducenda, stantibus
veris narratis in instrumento restitutionis
dotis, & quòd Illustriss. D. Iulius sit haeres
Dominae Helenae; nam regula est contra ip-
sum *ex regula l. cum à matre. C. de rei vind.*
1 *l. vindicantem. de euictionib.* † & quamuis
praedicta regula non procedat, quando a-
ctus est nullus, *Socin. in cons. 79. num. 41.*
lib. 4. Grat. cons. 91. num. 24. lib. 1. cum
2 *alijs allegatis,* * hic autem † actus sit nullus,
quia factus contra expressam prohibitionē,
quae impedit translationem dominij, *vt*
fuit resolutum in vna Romana Palatij de
Vortijs coram R. P. D. Cantuccio, [a] tum
3 quia † haec prohibitio est facta in contractu,
non impedit regulariter translationem do-
minij, quamuis alienans teneatur ad inte-
resse, *l. ea lege. C. de condit. ob caus. l. si ita.*
§. ea lege. de verb. obligat. vbi Ias. post
Bart. Imol. Aretin. Doctores in l. filius fa-
milias. §. Diui. de legat. 1. Ruin. num. 99.
Rip. num. 84. Aleiat. num. 35. de commun.
Bolognet. num. 103. Neque videtur obstare
4 limitatio, † vt non procedat, vbi apposita
est hypotheca, *per tex. in l. si creditor. §. fin.*
de distract. pign. Bart. in d. §. ea lege. n. 3.
vbi omnes, & in d. §. Diui. in 4. quaest. vbi
Rip. num. 87. Ruin. 102. cum alijs, [b] quia
ad hunc effectum requiritur specialis hypo-
theca, *vt per Imol. in d. §. ea lege. col. pen.*
in princ. Aretin. col. 2. vers. extra glosam.
Imol. & Roman. in l. qui absenti. §. 1. de ac-
quir. poss. Ias. qui plures cumulat in d. §. ea
lege. num. 32. & videtur communis, quam-
uis Bart. & Bald. contrarium tenuerint, &
Crot. in d. §. Diui. num. 96. tamen si esset
opus, videndum esset de veritate huius sub-
limitationis: Alia etiam afferri potest sub-
5 limitatio, † vt non procedat, quod dicitur
non transferri dominium, quando facta sit
alienatio à prohibito alienari in eum, qui
ignorat prohibitionem, *vt per Ruin. in d.*
6 *§. Diui. num.* 103. † Ignorantia verò in
dubio praesumitur; maximè concurrente
praesumptione, quod verisimile non est Do-
minam Helenam, si sciuisset hanc prohibi-
tionem, haec bona in solutum accepturam
fuisse. Neque obstat alia limitatio, quae
afferri posset pro parte Illustr. Domini Iu-
7 lij, quòd † prohibitio de non alienando iu-
rata, etiam in contractu impediat transla-
tionem dominij, quia obligat praecisè ad
factum, *vt per Rip. in d. §. Diui. num. 93.*
Bolognet. num. 223. quia in contrariū plu-
res per eundem allegantur, & periculosum
di-

* Addo eūdē Grat. cõs. 95. lib. 1. Socin. iun. cõs 155. num. 20. in fin.

a Sub die 8. Martij 1577. quae in impress. diuers. nouiss. est 47. part. 2.

b Adde Crot. in d. §. Diui. num. 94. vers. quarto limitatur.

dicit *Bolognet. num. 223.* quia fundatur *in*
8 *l. si quis maior.* quæ requirit dolũ, ✝ à quo qualibet causa excusat. Fundamentũ verò, quod sit pro parte Illustriss. filiarũ, quòd
9 ✝ alienatio teneat, quia facta in illos de familia, nõ placuit, quia procederet vbi fuisset simpliciter relictum familiæ, nõ sub certo ordine vocatorum, prout in casu isto, *& declarat Natt. in cons. 110. num. 10. lib. 1.* maximè cum in omnem euentum res pœnes emptores remaneat cum eodem grauamine, *l. peto. §. peto. de leg. 2.* Neque etiam
10 placuit fundamentum, quod fit ✝ super approbatione & ratificatione Illustriss. Domini Iulij Cæsaris, quia ista procedunt data scientia nullitatis, *Pedemont. decis. 179. num. 13.* sed in eo Domini fuerunt concordes, quòd cum Domina Helena haberet hypothecam anteriorem super portione Stephani, & tenerentur filij restituere ei ex dictis bonis pacto subiectis, alijs non extantibus, suam dotem; consequens est, vt potuerint etiam dare ista bona, quæ cum fuerint redempta per Sciarram, ab ipso tanquam domino pro se & successoribus, non reincidunt in priorem obligationem; stante quòd Dominus Iulius tenebatur matri de euictione; & maximè si eidem hæres extitit, non enim videtur æquitati consonum, quòd ex eisdem bonis satisfactum sit doti maternæ, & eadem sint ei vigore pacti restituenda post alienationem per eum titulo
11 oneroso factam; ✝ & quemadmodum fauore fideicommissarij intrat subrogatio, quãdo hæres alienauit, & alia emit, *l. Imperatores. ad Trebell.* eodem pacto Sciarra, qui habet iura Dominæ Helenæ sine eius hæredes possunt hæc bona ex eadem æquitate retinere tanquam subrogata in locum eorum, quæ licèt pacto subiecta, tamen alienare cogebantur filij pro restitutione dotis maternæ, vt supra deductum fuit.

Romana Domus.
Die Veneris 4. Nouembris 1580.

SVMMARIVM.

1 *Illegitimus tam de iure communi quàm vigore Bulla Pij Quinti est incapax successionis in emphyteusi Ecclesiastica iam concessa; potest tamen tam de nouo acquirere, vt num. 3.*
2 *Tollerantia habet vim tacita concessionis, quando concessio non est reprobata.*
4 *Bulla Pij Quinti contra illegitimos non tollit dispositionem iuris communis, sed tantum habilitationes ex iure speciali prouenientes.*

DECISIO CDLXXVIII.

Fuit dictum non esse locum successioni siue nominationi ad fauorem Zattini; primò quia iam nominatio Vincentij facta de filio suo illegitimo sortita est effectum Hospitale non contradicente; ideo non esse, nouo onere grauandum. Nec obstare, quòd
1 id fecerit de facto ✝ stante incapacitate Sigismundi tam de iure communi, quàm
2 ratione bullæ fel. rec. Pij V. quia potest ✝ hęc tollerantia Hospitalis habere vim tacitæ
3 concessionis, quæ valet, ex quo ✝ de iure communi noua acquisitio etiam emphyteusis Ecclesiæ non est prohibita illegitimo, *vt fuit aliàs resolutum in Ariminen. bonorum coram R. P. D. meo Robusterio,* *
4 ✝ & bulla non tollit in istis dispositionem iuris communis, sed tantum habilitationes ex iure speciali prouenientes, *vt fuit resolutum coram R. P. D. meo Decano,* * & per hanc concessionem siue tollerantiam fuit satisfactum menti testatoris, qui noluit Iacobum habere, si Sigismundus nominationis beneficio vti posset, sed & alia ratione hoc idem fuit confirmatũ: nam aut nominatio fuit valida, & pro Hospitali est pronunciandum; aut fuit inualida, prout verius est, tam ex dispositione iuris communis, *ad notat. per Afflict. in cap. 1. §. personam. num. 7. per quos fiat inuestit.* quàm ex dispositione bullæ, & hoc casu irrita quoque & nulla est nominatio facta in fauorem Iacobi, propter onus in fauorem Sigismũdi appositum ex eiusdem bullę dispositione, quę huiusmodi dispositiones omnino cassat, & annullat.

* sub die 14. Aprilis 1574. in impress. diuers. nouiss. 474. part. 1.

* coram R. P. D. Rubeo Decano in decis. facultatis testandi in spu[...] quater in Rota proposita, quæ vltimo fuit resoluta sub die 20. Iulij 1579. & habetur in impress. diuers. nouissim. 487. part. 1.

Romana Societatis Artis albæ.
Die Lunæ 7. Nouembris 1580.

SVMMARIVM.

1 *Nulla obligatio aut actio oriri potest ex oblatione conditionali, nisi purificata conditione.*

DECISIO CDLXXIX.

Domini steterunt in resolutis *, cum enim agatur vigore oblationis con-
1 ditionalis, ✝ non potest ex dicta oblatione oriri obligatio, nisi purificata cõditione, vt aliàs dictum fuit; & ideo non dicitur liquere de huiusmodi debito, ita vt possit procedi exequutiuè. Neque obstat, quòd in facto non constet adesse debitores decoctos, quia hoc non facit, quin ipsa oblatio sit cõditionalis, donec sciatur, an adsint; hos verò esse detrahendos omnino censuerũt Domini, quia intelligunt pactum de illis, qui finita societate pendente dilatione data ad soluendum decoxissent, ex aliàs deductis, neque fieri potest, vt in lucro ponatur id quod petit propter mala nomina societate durante: & difficultas, quæ ex aduerso fit in hoc articulo multo magis ostẽdit oblationem illiquidam esse. Non obstat solutio iam facta ad illam rationem, quia dato, quòd sit verum, tamen est facta eum clau-

præsẽs decis. habetur in impress. diuers. nouiss. 329. part. 2.

* Sub die 5. Iunij anni proximè præteriti.

ſula ſalutari, ſine præiudicio iurium vtrinſque partis; Ideo cum per acceptationem nolit Dominus Petrus Maria ſibi eſſe præiudicatum, quin poſſit reſiduum ad maiorem rationem exigere, equum non eſt Bartholomæum eadem ratione excipere non poſſe de tenuiori lucro, quod cum pendeat ex libris & rationibus per eum exhibendis, ſuper quibus factæ ſunt relationes peritorum, videbatur citius totum negocium principale poſſe terminari; nam vtrunque indiget diſcuſſione, an bene & fideliter fuerit reddita ratio adminiſtrationis.

Placentina Bonorum.
Die Lunæ 7. Nouembris 1580.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſio eſt interpretanda in fauorem confitentis.*

2 *In litteris ſi in euidentem nihil aliud intendit Papa, niſi quòd alienatio cedat in vtilitatem Eccleſiæ.*

3 *Redditus bonorum communiter ad rationē quinque pro centenario æſtimari ſolent, ſed hoc procedit potius ad dignoſcendum pretium quàm ad taxandos redditus.*

4 *Redditus bonorum taxari debent ſecundum rei veritatem, & non ſecundū opinionem.*

5 *Redditus, qui ſine aquis ex terris haberi nō poſſunt, dicuntur redditus prouenientes ex ipſis aquis & non ex terris.*

6 *Vbi in alienatione rei Eccleſiæ proceditur per viam emptionis & nō per viam permutationis, ad iudicandam vtilitatem Eccleſiæ ratio pretij haberi debet, non autem rei ex pretio emptæ; quod non procedit, quando conuentum fuit, quòd pretio res emeretur, & in actu emptionis exburſaretur.*

7 *Ad iudicandam vtilitatem Eccleſiæ in litteris, ſi in euidentem, attenditur valor rei, non fructus.*

8 *Volens probare non euidentem vtilitatem Eccleſiæ, ſi illam vult deducere ex fructuum collectione, haberi debet ratio omnium redditūum, prout re vera reddūt, ſi verò illam vult deducere ex valore bonorum, debet haberi ratio ipſius valoris.*

DECISIO CDLXXX.

Prædicta decif. habetur ſ in præff. diuerſ. nou. ff 611. part. 1.

PRopoſui dubium, An in iudicanda vtilitate Eccleſiæ eſſet habenda ratio redditnum prouenientium ex emptione aquarum, vel pretij tantum taxati in litteris, ſi in euidentem, & quòd non eſſet habenda ratio eorum ſed pretij tantum iuxta taxationem in litteris, cōſiderabatur per Dominos informantes ita inter partes fuiſſe conuentum, vt apparebat in litteris, in quibus habetur, quòd ex dictis aquis perciperentur ad rationem quinque pro centenario ducati auri vigintiquinque; ſed Domini dixerunt illam aſſertionem non ſtare taxatiuè, *l. ſiquidem. & ibi gloſ. & Bart. nu. 3. C. de*
1 *tranſaction. & Iaſ. num.* 4. & † confeſſio eſt interpretanda in fauorem confitentis, *l. ſi quis intentione. de iudic. Mobedan. deciſ.* 37. maximè in hoc caſu, in quo tam inter partes quàm per iudices fuit habita in conſideratione iſta vtilitas proueniens ex aquis, vt apparet tam ex inſtrumento quàm ex proceſſu & teſtibus ſuper dicta vtilitate coram exequutoribus inductis, ex quibus colligitur hanc declarationem eſſe cōformem voluntati contrahentium. Neque etiam re-
2 pugnat huic interpretationi † intentio Papæ, quæ in his alienationibus eſt, vt cedant in vtilitatem Eccleſiæ, & nihil aliud curat, *Socin. in conſ.* 15. *n.* 51. *lib.* 1. & nō eſt inueriſimile, vt ex aduerſo deducitur, etiā ſi intellexiſſet totam rem, prout ſe habet, quòd cōceſſiſſet alienationem hoc pacto fieri, ſi modo verum eſt de iure iſtos redditus eſſe ha-
3 bendos in conſideratione. † Deducebatur etiam communiter redditus bonorum æſtimari ad rationem quinque pro centenario, *ad gloſ. in Auth. perpetuo. C. de ſacroſ. Eccl. Cagnol. in l. 2. n. 263. de reſcind. vend.* ſed reſpōſum fuit, hoc magis introductum ad dignoſcendū pretium rerū quàm ad taxādos
4 redditus, & † abſurdum eſſet velle taxare nō ſecundum rei veritatem, ſed ſecundum opi-
5 nionem. Neque placebat † hos redditus eſſe conſiderandos non tanquam redditus aquarum ſolum, ſed tanquam prouenientes ex terris & aquis, quia cum hoc augmentum ſine aquis haberi non poſſit, rectè dici ex aquis prouenire, *Syluestr. in Summ. in verb. alienatio. num.* 24. Alle-
6 gabant præterea informantes † ſimile de melioramentis; in quibus habetur ratio tantum impenſæ, vbi fructus melioramentorum excedunt, non autem fructuum; ſed fuit dictum hic non agi de melioramentis, ſed de recompenſa data pro re alienata, ex qua Eccleſia percipit maiores redditus quàm ex re alienata, *cap. vt ſuper. §. 1. de reb. Eccl. non alien.* Inſuper fiebat fundamentum in eo, quòd cum eſſet proceſſum per viam emptionis, non per viam permutationis, habenda eſſet ratio pretij, quod ſuccedit loco rei, *vt per Abb. d. cap. vt ſuper. num.* 4. ſed fuit reſponſum proinde eſſe, ac ſi res data fuiſſet, cum fuerit conuentum, vt hæc aqua emeretur, & pretium in actu acquiſitionis exburſaretur, *facit Socin. in conſ.* 249. *n.* 27. *lib.* 2. *Franc. in c. fin. nu. 4. de reb. Eccl. non alien. in* 6. Allegabatur quoq; auctoritas *Anan.*
7 *in d. cap. vt ſuper.* dicentis † attendendum eſſe valorē rei nō fructus, ſed per hoc intelligebant Domini nō tolli, quin poſſint vēdi res minus vtiles, vt emātur res maioris vtilitatis, *vt per Syluest. vbi ſupra.* Quibus ita diſcuſſis Domini venerunt in ſententiam,

quòd

quòd aut Illustrissimus Dominus Cardina-
1 lis, † qui tenetur probare non euidentem vtilitatem, illam vult deducere ex fructuũ collectione, & hoc casu habendam esse rationem istorum redditũum; prout re vera reddunt, quia hoc respectu colligitur vtilitas, quæ sufficit, *vt per Corn. in consil.* 181. *num.* 34. *lib.* 2. Si verò vult deducere non euidentem vtilitatem ex valore bonorum, & probat considerabilem excessum valoris, cum in omnem euentum istæ aquæ, quantumuis reddant, non sunt pluris æstimandæ quàm triummilliũ librarum,& ista Ecclesia non recepisset æquiualentem valorẽ rei suæ, hoc casu non obstante redditu maiori constaret de non euidenti vtilitate,& hoc pendet à dictis testium,quæ erunt discutienda.

Portuen. de Colnmna.
Die Lunæ 14. Nouembris 1580.

SVMMARIVM.

1 *Secundus creditor quando succedat in locum primi priuilegiati.*
2 *Fructus dotales non gaudet priuilegio, quo gaudet dos, vt bona pacto subiecta pro illorum satisfactione alienari possint.*
3 *Dotes in bonis pacto vel fideicommisso subiectis non præstantur,quando ex fructibus bonorum haberi possint.*
4 *Res fideicommisso subiecta pro dotibus alienari non potest, quando legitima illius, qui dotare debet,fit sua culpa consumpta.*
5 *Qui est potior in sorte, in vsuris etiam est potior, sed hoc procedit, quando vsuræ sunt promissa ab eo, qui ad sortem tenetur, & qui rem potest tam pro vsuris quam pro sorte hypothecare.*

DECISIO CDLXXXI.

Vit iterum dubitatum, An ex bonis pacto subiectis Illustriss. filiæ possint detrahere ducatos bis mille ratione censns impositi ad fauorem Dominæ Iuliæ super Casali nouo,& per bon. mem. Alexandrum translati super Molendino Castri Noui, & demum per Dominam Iuliam donati bon.
1 mem. Domino Sciarræ: † Et per Dominos fuit conclusum negatiuè, quia materia illa, quando secundus creditor succedat in locum primi priuilegiati, non procedit, quando debitor de pecunia sua soluit, quia non succedit in locum primi, sed bona sua tantum liberat, *vt bene declarat glos. in l.* 1. *C. de his qui in prior. credit. loc. succed. & ibi Salicet. num.* 2. *versic. tertius casus. & ibidem Albeirc.* extinguitur enim prior hypotheca, & opus est noua ad effectum translationis: Præterea totum pretium Casalis consumptum fuit in dote & fructibus
2 dotalibus debitis Isabellæ; sed † pro fructibus dotalibus non competit hoc priuilegium, vt bona pacto subiecta alienari possint; esset enim nimis præiudiciale, & in totum posset subuertere fideicommissum; &
3 videmus † dotes non præstari ex bonis, vbi ex bonorum fructibus haberi possunt, *l. mulier.* §. *cũ proponeretur. ad S. C. Trebell. Doctores in Authen. res quæ. & ibi Ias. in* 12.
4 *limitat. Curt. iun. num.* 49. † similiter quãdo culpa dotare debentis est consumpta legitima, non possunt alienari res subiectæ fideicommisso, *Ias. ibid.* 14. *limitat.* & ideo non est conueniens æquitati, vt Alexander & Sciarra retinentes dotem in manibus, & gaudentes tam fructibus Casalis, quã aliorum bonorum pacto subiectorum propter moram soluendi ab ipsis contractam præiudicarint fideicommisso; hac enim ratione per indirectum de facili subuerterentur omnia fideicommissa, quod est à iure alienum.
5 Neque obstat, quòd † qui est potior in sorte, sit potior etiam in vsuris, *per tex. in l. Lutius. de vsur.* quia hoc est verũ, quando vsuræ sunt promissæ ab eo,qui ad sortem tenetur ei,qui potest rem tã pro vsuris,quàm pro sorte hypothecare; Sed Alexander non poterat pro vsuris bona hypothecare, sed pro dote tantum alienare; hoc enim fiebat pro minori fideicommissi incommodo, *facit text. in l. deaucta.* §. *qui post tempus. & ibi Alexand. ad Trebell.* Et ideo conclusum esse standum in resolutis, omisso etiam quòd de constitutione primi census non constare dicatur, & donationi per Iuliam factæ ad fauorem Sciarræ opponatur de nullitate.

Foroliuien. Fideicommissi.
Die Mercurij 16. Nouembris 1580.

SVMMARIVM.

1 *Deficiente conditione,euanescit substitutio.*
2 *Prohibitio alienationis facta solum hæredibus institutis et substitutis dicitur personalis, nec inducit fideicommissum in his, qui non sunt in conditione positi.*
3 *Prohibitio intelligitur in terminis præcedentis substitutionis, quæ si euanescat, euanescit etiam prohibitio vti ab ea dependens.*
4 *Testator præsumitur eos tantum grauare voluisse, quos honorauit.*
5 *Cessante præsupposito cessat dispositum.*
6 *Testator volens, quòd res conseruetur pro filijs suis,intelligi debet pro suis idest filiorum institutorum,& substitutorum.*

DECISIO CDLXXXII.

Artholinus de Cultrarijs in suo testamento hæredem instituit Guidonem eius filium, & eo nullis nepotibus & descendentibus relictis decedente, substituit Ceccum alterum filiũ, & eius filios & descendẽtes;deinde alijs interpositis dispositionibus apposita est huiusmodi prohibitio, *praeds decis. habetur l im pres. diuers. nouiss. 449. part. 1.*

 hibitio,

hibitio, grauando dictos suos hæredes institutos & substitutos respectiuè, quòd non possint vllo vnquam tempore vendere domum prædicti testatoris, sed ipsam debeāt tenere, & conseruare pro descendentibus suis, ita & taliter quòd si aliquis eorū prædictam domum venderet, quòd tunc & eo casu talis venditio efficiatur nulla & inualida, & recuperari possit per alios proximiores de dicta agnatione exclusis dictis proximioribus, qui ipsam vendiderint: Decessit postmodum Guido, relicto filio; qui
1 & ipse post patrem obijt; † & quantum ad priorem substitutionem eam euanuisse explorati iuris est, cum defecerit conditio, si sine liberis, sed de posteriori prohibitione alienationis domus dubitatum fuit, An induceret absolutum fideicommissum in fauorem Cecchi; Et fuit resolutum non fuis-
2 se inductum fideicommissum, † quia huiusmodi prohibitio est personalis, nam facta est dictis hæredibus institutis & substitutis, *Rip. in l. filius fam. §. Diui. n. 108. & 111. de legat. 1.* Ideo cum Guidonis filius in cōditione positus non sit neque institutus neque substitutus, vtique potuit tam inter viuos, quàm ex testamento siue ab intestato
3 huiusmodi domum alienare: † Neque enim testator voluit per hanc prohibitionem nouum inducere fideicommissum inter Guidonem & Ceccum, sed in terminis prioris substitutionis prohibitionem hanc facere; Vnde cum illa euanuerit, hæc quoque ab ea pēdens euanuit, *vt per Alex. cons. 139. lib. 6. Rub. Alex. in l. Gallus. §. quidā rectè. n. 68. de lib. & posth. Ruin. in cons. 102. num. 14. lib. 2. & cons. 153. num. 5. eod. lib. Dec. 636. cum alijs innumeris, qui cumulari possent.* ᵃ Patet autem pendere à priori substitutione, ex quo prohibet substitutis, ergo præsupponit casum prioris substitutionis, &
4 † eos tantum, quos honorauit, grauare vo-
5 luit, *l. ab eo. C. de fideicomm.* Ideo † cessante præsupposito, cessat dispositum, *per regulam glosæ in l. mancipia. C. de seru. fugit.*
6 † Illud autem, quòd voluit testator conseruari domum pro filijs suis, intelligendum est, suis, idest filiorum institutorum & substitutorum, *vt bene per Ruin. in cons. 121. num. 8. lib. 2. vbi ponit aliam rationem sūptam ex Bart. in l. si mihi, & Titio. de verb. obligat.* quæ bene potest adaptari ad casum istum. Et ex his colligitur differentia inter hanc prohibitionem, & alias ex aduerso allegatas, quas ex supradictis non obstare conclusum est.

ᵃ & per Zuccard. in l. 3. n. 90. C. de pa. 3. Alexan. cons. 102. col. 2. vers. nō obstat. lib. 7. Roman. cōs. 109. num. 24. & 351. nu. 5. & 8. vol. 2. Alciat. respons. 11. num. 10. lib. 9.

Lucana Beneficiorum.
Die Mercurij 16. Nouembris 1580.

SVMMARIVM.

1 *Subreptio in gratia dispensationis facit totam gratiam corruere, & non solam dispensationem.*
2 *Clem. 1. de prabend. quomodo intelligatur, per tot.*
3 *Mentio cura nō facta in gratia reddit gratiam subreptitiam tam respectu dispensationis, quàm prouisionis, secundum communem opinionem.*
4 *In impetratione beneficij non sufficit mentio de prius obtentis in genere, sed eorum etiam qualitates exprimi debent; etiam quòd versemur in incompatibilibus, quod intelligitur procedere, quoties qualitas illa incompatibilitatis non sit talis, qua potuisset Papam retrahere à concedendo secundum beneficium, & num. 6.*
5 *In incompatibilibus per adeptionem secundi vacat primum.*
7 *Qualitas incompatibilitatis beneficij, quòd sit sub eodem tecto, non est cautum, quòd de iure exprimi debeat, nec est qualitas, quæ retrahat vel facilitet ad cōcedendum secundum beneficium; secus est in qualitate incompatibilitatis propter curam.*
8 *In separabilibus vtile per inutile non vitiatur.*
9 *Clausula, non aliàs nec alio modo, in gratia, facit eā correspectiuā & indiuiduā.*

DECISIO CDLXXXIII.

1 DVbitaui † præsupposita subreptione dispēsationis, prout in resolutione aliàs corā me facta, ᵃ An corruat tota gratia, vel
2 tantum dispensatio, † quæ res pendet ab intellectu *Clem. 1. de prabend.* scilicet quare annulletur in casu illius Clementinæ tota gratia secundum intellectum omnium scribentium, *& glos. ibi in verb. vel alteri,* ponit tres intellectus, & Domini amplexi sunt secundū intellectū, quòd ibi ideo tota
3 gratia corruat, quia † non fuit facta mentio de cura, quæ alteri dignitatum imminebat, quæ res facit subreptionem nedum respectu dispensationis, sed etiam respectu prouisionis; & propterea vtraque gratia tam prouisiua quàm dispensatiua annullātur, *& hanc opinionem vltra glosam tenet Zenzelin. vt omnes referunt, eandem etiam videtur tenere Abb.* vbi pro reprobatione tertij intellectus adducit, *text. in c. si cō tēpore de rescript. in 6.* eandem tenet ibi *Vitalin. num. 72.* quam etiam tenet *Ioannes Vanguel. in compend. Clem. in 3. concl.* & hæc opinio confirmatur ex alia communi senten-
4 tia, quòd † in impetratione beneficij non sufficit facere mentionem de primo obtentis in genere, sed eorum qualitates sunt exprimendæ, etiam quòd versemur in incom-
5 patibilibus, † in quibus per adeptionem secundi vacat primum; Quæ opinio fuit *Calderin. in cap. nostra. num. 11. vers. septimo quoad vltimum. de rescript. Abb. in cap. ad aures. num. 9. de rescript. vbi latissimè Felin. qui reliquos cumulat, & de commu-*

præsens decisio habetur in impress. di vers. nouiss. 610. part. 2.

ᵃ Sub die Mercurij 4. Nouemb. anni prox. præteriti 1579.

ni

*ni testatur. num.*2. *&* 3. quod intelligitur,
6 † quoties ista qualitas est talis, quæ potuisset retrahere Papam à concedendo secundum, *vt vult Dec. in d. cap. ad aures. n.*12. & hoc est quod dicit *Mobedan. in decis.*171.
7 quòd † quando impetratur aliquid simile sub eodem tecto, non est cautum, quòd debeat exprimi hæc qualitas de iure, nec illa est qualitas, quæ retrahat vel faciliter ad concedendum, sed in cura aliud est, nam *vt inquit Abb. in d. cap. ad aures.* si Papa sciuisset qualitatem primi, forsan non absoluisset à vinculo, *& dicit Felin. ibidem n.* 3. Idem fortè esset, quando primum habet vacare, quia posset esse tale, à quo Papa nollet remouere, & congruentius debet remanere in illa vocatione in qua vocatus est. Nõ obstat, quod contraria opinio sit canonizata à Rota *in illa decis. Mobedan.*171. loquitur enim illa decisio, quando impetratur aliud sub eodem tecto, quæ qualitas non erat apta retrahere Papam à concedendo secũdum, sicut est cura, cum plurimum referre possit, quòd quis potius in vno quàm in alio curam exerceat, sed quòd in vna & eadem Ecclesia vnum vel aliud simile obtineat, nihil interest: Neque enim potest dari maior aptitudo respectu vnius quàm alterius. Nec obstat, *cap. non potest. §. cum verò. de præben. in* 6. quia respondent Doctores supra allegati, quòd Papa ibi nõ exprimit integrè factũ, nec agitur ibi de subreptione, sed an esset inducta dispensatio. Confirmatur hoc, quia iste intellectus est
8 magis conformis regulis iuris, vt † in separabilibus vtile per inutile non vitietur, *cap. si eo tempore. de rescript. in* 6. *Felin. in cap. sedes. num.* 3. *vers. subreptio in vna parte. de rescript. Ruin. cons.*76. *num.*8. *lib.* 5. *Mill. in verb. gratia potest esse subreptitia in vna parte*. Non obstant Doctores in contrarium allegati, quia magis communis est secundus intellectus glosæ. Tertium enim solum ibi tenet *Ancharan. num.* 16. *& Card. & Imol. & Bero. in cap. ad aures. num.* 28. sed subobscurè: Cum secundo verò post glosam, & Zenzellinum transeunt supra citati iungendo tradita *per Doctores in d. cap. ad aures*. Vltra quòd *Imol. in d. Clem. dicit opinionem Zenzellini esse æquiorem,* ex quibus resultat nos esse in casu, in quo non procedit dispositio *dicta Clem.* si solam subreptionem dispensationis attendamus: Verum quia in gratia adest clausula reseruatis validè &c. non aliàs nec alio
9 modo, † quæ facit gratiam correspectiuã & indiuiduam, *prout fuit resolutum in vna Claramontana Monasterij, coram R. P. D. Aldobrandino,** videbatur Dominis totam hanc disputationem esse otiosam; tamen quia pars petebat super hoc particulariter audiri, nihil fuit super hoc vltimo capite firmatum.

* Sub die 10. Octob. 1574. in impres. dicis. nouiss. 314. part. 1. Addo Mobedan. decis. 136. Io. Paul. decis. 102. Palgott. 33.

Nolana Iurispatronatus.
Die Lunæ 21. Nouembris 1580.

SVMMARIVM.

1 *Iudex non dicitur functus officio suo, quãdo causæ sunt diuersæ, nec dicitur, sententia contra sententiam.*

DECISIO CDLXXXIV.

FVit resolutum sententiam, de qua agitur, esse validam, non obstante opposita exceptione defectus iurisdictionis, ea enim intelligitur ex rescripto Papæ. Neq; obstat, quòd Ioannes Baptista & Carbonus non essent nominati in eo, *cap. P. & G. de off. delegat.* quia committuntur causæ præsentes & futuræ contra omnes molestantes, & ipsemet Ioannes Baptista comparuit coram Reuerendissimo Domino Nuntio, & obtinuit inhibitionem directam Nolano. Nec obstat, quòd commissio cantet contra occupatores, quia cantat etiam cõtra molestatores, in quorum numero erant, tam isti quàm Episcopus Nolanus, qui volebat instituere; & ideo non est opus videre, an iurisdictio potuerit prorogari, cum cõmissio explicitè contineat molestatores. Non
1 obstat, quòd Nuntius † functus esset officio suo; quia causæ erant diuersæ, & inter diuersas personas, & in priore actũ nõ fuerat super iurepatronatus; & ideo non est sentẽtia contra sententiam, prior enim non nocebat patronis, *Innoc. in c. causam quæ. n.*7. *qui fil. sint legitim. & ibi Butr. num.* 155. *Præposit. num.* 9. *Felin. cap. inter monasterium. num.* 24. *in* 9. *limitat. de re iudic.*

Auximana Bonorum.
Die Lunæ 21. Nouembris 1580.

SVMMARIVM.

1 *Valor bonorum in materia obiectiua per decem annos ante probari debet.*
2 *Testes dubij contra producentem sunt interpretandi.*
3 *Pacta apposita in locatione bonorum Ecclesiæ dicuntur valde vtilia, si finita locatione Ecclesia lucretur omnia melioramenta.*
4 *Melioramenta dicuntur pars pretij ad effectum probandi vtilitatem Ecclesiæ, & non læsionem.*

DECISIO CDLXXXV.

CVm onus probandi non euidentem vtilitatem Ecclesiæ ex aliàs decisis [a] incumbat Reuerẽdiss. Domino Episcopo, pro parte ipsius informãtes deducunt tria fundamenta, nempe quantitatem terrarum ascendere ad salmas 54. quantitatem grani, quæ recolligebatur fuisse sexaginta salmarum, & pretium dicti grani etiam ad rationem duorum scutorum pro salma ascẽ-

[a] sub die 1. Februar. præsentis anni.

dere ad scuta 120. & ideo læsionem esse in quadraginta duobus ducatis, cum soluantur tantum 78. scuta, reducendo censum ad septem pro centenario; sed multo maior prætenditur læsio, ex quo contendunt per testes probari frumentum de illo tempore excessisse valorem quatuor scutorum pro qualibet salma; sed contrarium placuit Dominis, ex eo quòd istæ conclusiones nō bene probantur; Nam quantum ad primam, dixerunt mensuram non concludere, cum fuerit facta parte absente, & ex testibus ipsiusmet Episcopi cōstare Bernardum emisse terras contiguas, & ex mensura tunc facta de commissione Reuerendissimi Domini Episcopi Racanaten. constat terras non excedere salmas quinquaginta, cui concordant testes examinati coram Commissario fabricæ. Quantum ad quantitatem, quæ recolligitur, ea non probatur concludenter, maximè stantibus contrarijs depositionibus testium plenè per informantes relatis. Quantum ad valorem grani non probatur,
1 quia, † cum simus in materia obiectiua probandus erat per decem annos ante, &
2 † testes dubij contra producentem sunt interpretandi, *Rota decis. 6. de testib. in antiq. Tiraq. de retract. lign. §. 1. glos. 16. n. 4. & 5.* Nec probant fides instrumentorum productæ, quia si exhiberentur, facilè appareret venditiones factas cum dilatione, & fides officialatus Esij est de alio loco, non de isto; neque deducuntur expensæ, quæ fiunt in recolligendo. Præterea maximè
3 mouit omnes Dominos, quòd † pacta apposita sunt valde vtilia Ecclesiæ, cum finita locatione lucretur omnia melioramenta, &
4 † cum ea sint pars pretij, si habeatur eorū consideratio, vix fieri potest, vt concludēter probetur aliqua læsio; Et ideo conclusum contra Reuerendiss. Dominum Episcopum non probari alienationem non cessisse in euidentem Ecclesiæ vtilitatem.

Romana Damnorum & interesse.
Die Veneris 2. Decembris 1580.

SVMMARIVM.

1 *Testibus illis magis est credendum, cum quibus concordat relatio peritorum.*
2 *Testibus illis non multum fides adhibetur, qui sunt examinati publicatis attestationibus, & qui nimis animosè deponunt.*

DECISIO CDLXXXVI.

Confirmandam esse sententiam ad fauorem Comitis; Nam quòd attinet ad testes antiquos, iam super illis fuit facta resolutio, in qua Domini persistunt. Quantum ad nouiter productos licèt pro parte Buffalini videantur concludere totam tenutam fuisse exboscatam; tamen contrariū probatur per testes Comitis; maximè per secundum, qui percutit bene tempus super vigesimoquinto, & quartum super duodeci-
1 mo; † & cum istis concordat relatio peritorum, quæ facit, vt magis istis sit credendum. Neque obstant testes Zaccharelli, quia loquuntur limitatè in illis partibus, in quibus poterat trāsire aratrum, & sic re-
2 ducuntur ad concordiam; † Neque illis multum fidei videtur adhiberi posse, cum fuerint examinati iam publicatis attestationibus, & multum animosè deponere videntur.

Portuen. Bonorum.
Die Veneris 2. Decembris 1580.

SVMMARIVM.

1 *Confessio debiti seu dotis recepta facta in testamento non probat; sed solum quando habet dispositionem annexam valet in vim legati, vel fideicommissi, & etiam quando non habet dispositionem annexam, vt num. 10.*
2 *Confessio debiti facta in testamento caducatur, si caducetur legatum.*
3 *Confessio facta in testamento, ad hoc vt praiudicet debet esse certa.*
4 *Confessio nocet confitenti, sed non nocet tertio; fallit, quando est verisimilis, vt n. 14.*
5 *Confessio in testamento facta parte præsente probat: contrarium in dote à marito confessata in testamento, vt num. 7. cum pluribus seqq.*
6 *Confessio de aequitate Canonica licèt facta parte absente praiudicat.*
8 *Vxor ex testamēto est capax relicti à marito*
9 *Maritus vxori neque præsenti neque absenti donare potest.*
11 *Confessio debiti seu dotis recepta facta parte absente pro exoneratione conscientia prodest absenti, sed facta in testamēto valet solum in vim legati vel fideicommissi & est commun. opin.*
12 *Fauor dotis & fisci aequiparantur.*
13 *Inter Romanos non seruatur aequitas Canonica, sed ius ciuile in materia dotis ex dispositione statutaria.*
15 *Confessio debiti seu dotis recepta praiudicat confitenti ad effectum tantum retinendi, non autem ad effectum agendi.*
16 *Confessio dotis recepta facta in testamento nulla certa expressa illius quantitate, non praiudicat confitenti ratione incertitudinis.*
17 *Testator aliquando confitetur & legat, aliquando confitetur & non legat, aliquando legat & non confitetur, ex distinctione Baldi.*
18 *Legatum dotis cōfessata valet propter commodum repræsentationis.*
19 *Clausula, omni meliori modo, in confessione in testamento facta nihil operatur inter absentes.*

DE-

praets deci-
so habetur l
impre.d ver
so.nc.uissi n.
613. part.1.d

DECISIO CDLXXXVII.

1 FVit resolutum non constare sufficien-
ter de dote Vrsinæ; primo quia † cõn-
fessio debiti, & signanter dotis receptæ fa-
cta in testamento non probat, sed solum
quando habet dispositionem annexam, va-
let in vim legati, *l. Lucius. §. quisquis. de le-*
gat. 2. l. qui vxori. de aur. & argen. leg. vbi
Bart. Bald. in cons. 14. num. 2. lib. 2. Bart.
in l. cum quis decedens. §. codicillis. num. 3.
& 4. quem omnes sequuntur, de leg. 3. Bald.
nouell. de dot. part. 6. priuileg. 78. num. 4.
Felin. in c. si cautio. num. 75. de fid. instr.
Roman. in cons. 445. nu. 9. Ang. cons. 181.
Cuman. cons. 31. Castr. cons. 405. num. 1.
lib. 2. Socin. cons. 294. lib. 2. Abb. in cap.
fin. num. 19. de success. ab intest. Rimin. iun.
cons. 31. num. 35. Hinc sequitur, quòd
2 † caducato legato caducatur etiã ipsa con-
fessio, *vt dicunt Bald. d. cons. 14. & Ang.*
3 *d. cons. 181.* Secundo, † vt præiudicet con-
fessio, debet esse certa, *l. certum. de confess.*
l. fin. C. de fals. caus. adiect. §. sed si vxori.
Instit. de legat. Natt. in cons. 245. num. 3.
4 *lib. 2.* Tertio facit regula, quòd † confessio
nocet confitenti, sed non nocet tertio, *l.*
Seia mancipia. ad Vellean. Ruin. in cõs. 147.
num. 13. lib. 1. His regulis nonnullæ dan-
tur limitationes per ex aduerso informan-
tes; Et quantum ad primam dicitur non
5 procedere, † quando confessio est facta par-
te præsente, *vt per Bart. in d. §. codicillis.*
num. 5. Alex. in cons. 49. num. 4. lib. 1. Pur-
pur. cons. 461. num. 5. & hinc inferunt, quòd
cum fauore dotis quæratur ius absenti, con-
fessionem quoque præiudicare tanquam
si præsente parte facta fuisset, quod cõpro-
6 bari videtur † ratione æquitatis Canoni-
cæ, iuxta quam confessio præiudicat etiam
facta parte absente, *vt voluit Rimin. in*
7 *cons. 118. num. 14. lib. 1.* † sed hæc limi-
tatio non placet, cum *Bart. in d. l. qui vxo-*
ri. de aur. & arg. leg. & alij supra allegati
loquantur de dote confessata in testamen-
to, & sic in proprijs terminis nostris habe-
mus claras auctoritates Doctorum. Nec
placuit responsio, quòd illud sit, quia sumus
inter personas prohibitas, nempe inter vi-
rum & vxorem, hic verò cõfessionem ema-
nasse à persona non prohibita, nec suspe-
8 cta; primo quia † non est verum, quòd ex
testamento vxor non sit capax relicti à ma-
rito; *vt inquit Boich. in cap. ex parte. nu. 9.*
de confess. Secundò, hoc idem esset, si pars
9 esset præsẽs, quia † maritus vxori neq; præ-
senti, neque absenti donare potest. Tertio
quia Doctores considerant duas rationes
in confessione dotis; Primo quòd confessio
est inter virum & vxorem; Secundo, quia
10 † facta in testamento, in quo operatur so-
lum in vim legati vel fideicommissi, *vt vi-*
dere est apud Socin. d. cons. 294. lib. 2. Ne-
que verum est, confessionem factam in te-
stamento æquiualere confessioni factæ inter
absentes, quæ speciali aliquo fauore pro-
11 sit absenti; nam † confessio facta parte ab-
sente pro exoneratione cõscientiæ prodest
absenti, & tamen facta in testamento valet
solum in vim legati vel fideicommissi, *vt*
per Aretin. qui de communi testatur, in cõs.
64. col. pen. vers. venio nunc ad secundum
dubium. Felin. in cap. olim. num. 8. de
rescript. Tiraq. de priuileg. piæ caus. priui-
leg. 177. sed & posset negari confessionem
parte absente probare fauore dotis, *prout*
trad. Bald. nouell. in d. 6. part. priuileg. 78.
num. 3. cum neque probet fauore fisci, *l. 1.*
12 *de iur. fisci.* & tamen † fauor dotis & fisci
æquiparantur, *l. 2. C. de iur. fisc.* Nec re-
13 leuat † æquitas canonica, cum simus in-
ter Romanos, inter quos seruatur ius ciui-
le ex dispositione statutaria: Alia affertur
limitatio, quæ conuenit tertiæ regulæ supra
14 positæ, vt † non procedat, quando confes-
sio est verisimilis, *Alex. in cons. 18. num. 3.*
in 3. Cuman. d. cons. 31. num. 1. Purpurat.
d. cons. 461. num. 7. Mohedan. decis. 202.
quæ licèt in se sit vera, tamen non videntur
hic concurrere tales coniecturæ, quæ faciãt
hanc verisimilitudinem; & maximè quia
quæ deducuntur in confessione, videntur se
inuicem elidere: nam si propter antiquita-
tem instrumentum dotale non reperieba-
tur, frustra allegabatur direptio Vrbis, &
apud præfatos Doctores coniecturæ istæ
considerantur cum alijs adminiculis, & non
per se solæ. Tertia potest vltra informan-
tes dari limitatio, quæ fuit *Castr. in l. cum*
heres rogatus. n. 2. & in l. Marcellus. col. 2.
15 *ad Trebell.* vbi voluit, quòd † licèt huius-
modi confessio non prosit ad effectum agẽ-
di, tamen prosit ad effectum retinendi, *sed*
Alex. in d. l. cum heres. reprobat Castren.
ideo si opus esset, de hoc particulariter es-
set dubitandum, sed videtur tolli difficul-
16 tas ratione incertitudinis, † cum nulla
certa exprimatur dotis quantitas; adeo
quòd circa hoc nulla adest confessio, nam
vt inquit Bald. in d. cons. 14. lib. 2. & Boich.
17 *d. cap. ex parte. num. 9.* † Aliquando te-
stator confitetur & legat; aliquando confi-
tetur & non legat; aliquando verò legat &
non confitetur: & hic est casus noster respe-
ctu quantitatis dotis, ex quo sequitur, con-
fessionem non concludere, & si concludē-
ret, quod tantumdem esset in dote, ad ra-
tionem decem pro centenario, legatum
non valeret, *l. si creditore. cum seq. de le-*
18 *gat. 1.* † valeret enim solum propter com-
modum repræsentationis, *l. 1. de dot. præ-*
leg. §. sed si vxori. & ibi glos. Instit. de legat.
Quæ repræsentatio hic cessat, cum simus in
filio debitore. Non obstat limitatio ex
19 clausula, omni meliori modo, † quia nihil
operatur inter absentes.

Fa-

Fauentina Bonorum.
Die Lunæ 5. Decembris 1580.

SVMMARIVM.

1 *Testis dicens se audiuisse à maioribus suis, non probat famam, cum maiores sui non constituant maiorem partem populi.*

DECISIO CDLXXXVIII.

Fvit resolutum circunscriptis probationibus fratrum, testes Communitatis probare Madrariam Fauentiam versus nō protendi vltra domum sine prædium Hospitalis per infrascriptos testes de visu & certa scientia deponentes, qui subducendo tempus litis, & impubertatis percutiunt triginta & trigintaquinque annos ante litē motam; Primus namq. cum sit ætatis annorum 63. & sit simul cum alijs examinatus de anno 1573. & lis cœperit de anno 1554. percutit annum trigesimum ante motam litem; quartus, decimus, vigesimus secundus, annorum sexaginta percutiunt annos 27. sextus annorum quinquaginta percutit annos 17. septimus annorum septuagintatrium percutit annos quadraginta; Vndecimus sexaginta octo annorū percutit annos trigintaquinque; Duodecimus quadraginta octo annorum percutit annos quindecim; Decimus tertius quadraginta quatuor annorum percutit annos vndecim; Vigesimus annorum quadraginta, septem annos percutit; Vigesimus tertius licèt dicat articulum verum, dicit per ea quæ superius deposuit, & supra loquutus fuit per verba præsentis temporis: Iidem testes, ex quo dicunt articulum verum, probant etiā publicam vocem & famam, & de auditu à maioribus, quam famam etiam probat septimus, & licèt nonnulli alij videantur illam probare, si tamen attentè legantur, illam
1 non probant, ✝ quia dicunt se publicè audiuisse à suis maioribus; quo casu non probant famam; tum quia non apparet, quòd sui maiores constituerint maiorem partem populi; tum quia huiusmodi dictum tanquā indefinitum verificatur, si à duobus ex dictis maioribus audiuissent, ex traditis *ab Alex. in cons. 80. sub num. 8. ibi Dominus Frācifcus de Gandiano octauus testis. lib. 3. & conf. 146. num. 4. & 5. lib. 7.* reliqui omnes loquuntur per verba præsentis tēporis.

Tarraconen. Beneficij.
Die Veneris 9. Decembris 1580.

SVMMARIVM.

1 *Descendentia an probetur per testamētum.*
2 *Identitas personæ probatur ex duabus demonstrationibus.*
3 *Qualitas presbyteratus in fundatione requisita debet interuenire tempore præsentationis & institutionis.*

DECISIO CDLXXXIX.

Fvit resolutū ambas descendentias fuisse bene probatas; nam quantum ad descendentiam Iacobi, nulla prorsus adest dubitatio; Quantum ad descendentiam Gabrielis, ea quoque est bene probata; Nam quod controuertitur, An Primus Berengarius sit filius Bernardi secundi facilè tollitur; primo enim ✝ adest testamentum Bernardi, qui inter cæteros instituit Berengarium filium suum, & licèt sit vnicum instrumentum; tamen coadiuuatur, quia Berengarius Orthoneda & ipse fecit testamētū, & instituit Berengarium filium suum, & ita habemus duo instrumenta, quæ faciunt mētionem de Berengario; & licèt in secundo non dicatur Berengarius filius Bernardi, tamen cum dicat Berengarius Orthoneda,
2 & sic ✝ concurrant duæ demonstrationes, satis dicitur probata identitas, & idem est de sequentibus. Hoc præsupposito sub intrat alia difficultas, quisnam eorum sit præferendus, & licèt Iacobus prætendat se esse præferendum, cum descendat per lineam masculinam, Gabriel verò per fœminam; tamen hoc fundamentum non placuit ex dictis *per Castren. in l. 1. num. 4. C. de cond. insert. & in l. Lucius. de hered. instit.* & hoc per subsequentē obseruantiam declaratum fuit, ex quo fuerunt postea præsentati, & instituti descendentes ex fœmina, *Aym. in*
3 *cons. 118. num. 2.* Præterea ✝ cum in fundatione mandetur, vt præsentetur & instituatur presbyter, si inueniri possit, sin minus clericus, & Gabriel esset presbyter tēpore præsentationis, Iacobus verò clericus tantum, cessat difficultas, quia attenditur tempus præsentationis & institutionis, *cap. si eo tempore. de rescript. in 6. Sarnen. de non tollen. iure quæsit. quæst. 1. num. 10. & ita fuit alias tentum in vna Parmen. Iurispatronatus coram R. P. D. Blanchetto de anno* 1573. Quæ de mala fama obijciuntur, tolluntur ex testibus pro eo examinatis, concurrente etiam præsumptione, quæ in institutione per Ordinarium de eo facta oritur. Cætera ex deductis tolluntur.

Gerunden. Anniuersariorum.
Die Lunæ 12. Decembris 1580.

SVMMARIVM.

1 *In materia probatoria indeffinita non æquipollet vniuersali.*

DECISIO CDXC.

Fvit conclusum probari vniuersalem administrationem Anniuersariorum fuisse penes Clanigerum ab anno 1279. vsque ad annum 1368. & sic per annos 89. & præcipuum fundamentum fuit ex enunciationibus antiquis, de quibus in summario bene-

neficiatorum sub numeris 20. 26.27.33.34. 42.44.45. 47.& 48. in quibus Clauiger enunciatur administrator, collector, procurator, & Rector Anniuersariorum Ecclesię Gerundensis; Item dicitur distributor pecuniarum pro missis celebrãdis in ipsa Ecclesia piè dimissarum, & dimittendarum, ita cantat instrumentum anni 1165. sub n. 42.& sub nom. 51. in instrumento transactionis dicitur administrationem ad nullũ
1 alium spectare. Nec obstat, quod † in materia probatoria indefinita non æquipollet vniuersali, *Corn. in cons.* 103. *num.* 3.*lib.*1. quia cum habeatur relatio ad Ecclesiam Gerundensem, per talem relationẽ intelligitur de omnibus Anniuersarijs, *vt per Felin. in cap. auditis. num.* 24. *in fin. de prescript. Dec. in consil.* 100. *num.* 7. sed prædictum instrumentum concordiæ tollit omnem difficultatem. Et ex his alia fundamenta optime deducta in facto pro beneficiatis declarantur, & confirmantur, licèt per se non omnino necessario concludant. Quantum ad effectum, fuit ordinatum, vt particulariter de eo videatur.

Esina Bonorum.
Die Lunæ 12. Decembris 1580.

SVMMARIVM.

1 *Ex coniunctione scripturarum apparet sensus earum.*
2 *Modus confinandi bona per terminos in medio ipsorum bonorum constitutos est contra communem modum confinandi.*

DECISIO CDXCI.

FVit recessum ab inclinatione aliàs facta 6. Iunij 1572. & conclusum terras petitas per RR. Canonicos habere pro confinio fossatum Manciani ab vno latere continuando versus mare, cum enim ipsi sint actores, & debeant eorum intentionem concludenter probare, ea quæ deducuntur pro eorũ parte, sunt vaga & incerta, licèt enim in instrumentis, quibus vtuntur, dicatur hinc inde fossatum Manciani; tamen relinquitur incertum, pro qua quantitate sint ab vno quoque latere: In contrarium verò instrumenta anni 1236. & 1273. fossatum enunciatur pro confinio vnius ex lateribus, cum dicatur ibi incipiẽdo à fossato; & ideo videtur certior ea probatio, quæ ex istis resultat,& consequenter satius sumere ab istis interpretationem aliorum dubiorum, &
1 omnia insimul concordare, † nam *vt dicit Bald. in cons.*263. *n.* 2. *lib.* 1. ex coniũctione scripturarum apparet sensus earũ, quod
2 confirmatur ex eo, quòd † modus iste confinandi rem per terminos in medio rei constitutos est contra communem confinandi modum: Hæc tamen ita constituta fuerunt, nisi melior & certior probatio deducatur per Canonicos, vel probetur possessio Communitatis in parte superiori, vel quòd in inferiori non possederit.

Spoletana Domus.
Die Lunæ 19. Decembris 1580.

SVMMARIVM.

1 *Mens petentis in libellis & sententijs magis attenditur quàm verba.*
2 *Quando dubitatur, quisnam dicatur actus gestus, attendi debet, quomodo partes eum nuncupauerint.*
3 *Extensio actus notarij regulari debet à petitione partis.*
4 *Iudex in ciuilibus nõ potest mutare in sententia, quod petitum est in libello.*
5 *Pactum de ingrediendo propria auctoritate non potest exerceri contra tertium; nec quando pars resistit, quod verum ad effectum, vt possessio capta sit licita, non vt non dicatur acquisita.*
6 *Mandatum de associando contra tertium dari non potest ipso non citato.*
Idem est in mandato de immittendo.
7 *Iudex procedendo iudicialiter non dicitur habuisse intentionem spoliandi; maximè si pars grauata compareat,& appellet,& iudex appellationi deferat.*
8 *Licèt possessio, quæ non potest valere vti iudicialis, aliquando valeat vti extraiudicialis, tamen non procedit, quando deficit intentio iudicis, vt hic.*
9 *Ad hoc,vt quis possessione priuetur, requiritur expulsio talis, vt cum effectu expulsus excludatur à conspectu rei, & quòd facilis non sit reditus, & cum tota familia expellatur.*

DECISIO CDXCII.

DVbitaui, an mandatum ab Auditore Cameræ decretum, fuerit de associãdo, & an in exequutione fuerint excessi termini associationis;Et quantum ad priorem dubitationem fuit conclusum, mandatum fuisse de associando inspecta mente petentis, † quæ in libellis & sententijs magis attenditur quàm verba, *vt inquit Ægid. decis.* 160. *in finalibus verbis*, petita autem fuit associatio nulla præmissa partis citatione, & iudex decreuit mandatum de associando; vnde tam ex mente quàm ex verbis res videtur clara, nam † quando dubitatur quis dicatur actus gestus, solemus attendere, quomodo partes eum nuncupauerint, *vt per Bald. in cap.* 1. *in princ. de feud. dat. in vi. leg. commiss. Aym. in consil.* 20. *in princ.* Nec obstat † extensio notarij, quia regulanda est à petitione, *vt per Anchar.in cons.* 343. *& Butr. cons.* 19. *num.* 5. † cum iudex in ciuilibus non possit mutare in sententia, quod petitum est in libello, *Bald.in cons.* 34.*num.* 2. *vers. præterea. lib.* 1. Non obstat

prata decis. habetur in prel diuer sor. nou sim. 645. part. 1.

5 obſtat † quòd pactũ de ingrediẽdo propria
auctoritate non poſſit quis exercere contra
tertium, vel quando pars reſiſtit, *Bart. in
l. 3. num. 19. C. de pignor. cum alijs per in-
formãtes deductis*, *quia hoc procedit ad ef-
fectum, vt quis licitè vtatur pacto, & non
poſſit pars prætendere ſpolium, ſed non fa-
cit, quin pars ſi vtatur, & ſpoliet, non adi-
piſcatur poſſeſſionem, vt videre eſt *ex Sali-
cet. in d. l. 3. n. 11. & 12.* Nec obſtat, quòd
6 † non potuerit dari mandatum de aſſociã-
do contra tertium ipſo non citato, quia
hoc idem eſt in mandato de immittendo, &
ideo hoc ſignum eſt æquiuocum. Quantum
ad poſteriorem dubitationem, fuit dictum
non videri partem ſtetiſſe in meris termi-
nis aſſociationis, ex quo pro exequutione
mandati de aſſociando adiuit iudicem, vt
liquet ex præcepto facto à Iudice ſub die
19. Aprilis; prout in atteſtatione, quæ da-
tur, quod præceptum, cum fuerit exequu-
7 tum per exequutorem, † non videtur inten-
tio iudicis procedentis iudicialiter fuiſſe
ſpoliare Scaurum: & hoc ex eo comproba-
tur, quòd quando Scaurus ſequẽti die com-
paruit, & appellauit à dicto præcepto, præ-
ſupponitur, quòd iudex admiſerit appella-
tionem, ex quo apparet intentionis iudicis
non fuiſſe ſpoliare Scaurum per præceptum
8 factum inquilinis de diſgombrando. † Ne-
que obſtat, quòd hæc poſſeſſio poſſit defen-
di, vti extraiudicialis, *ex traditis per Zuc-
card. in l. fin. num. 268. C. de edict. diu. A-
drian. toll. & per Bald. in l. nec quicquam.
§. vbi decretum. col. 4. verſ. ſi dubitatur. de
offic. procurat.* quia in terminis Zuccardi
præſupponitur adeptio poſſeſſionis, quæ
poſtquam acquiſita eſt, ſuſtinetur in vim
extraiudicialis, non autem iudicialis prop-
ter iudicis incompetẽtiam, ſed in caſu pro-
poſito negatur acquiſitam fuiſſe poſſeſſionẽ
ob defectum intentionis iudicis, & neceſſa-
ria eſt huiuſmodi interpretatio, aliàs falſa
eſſet limitatio, quam tradit *Sarnen. in re-
gul. de annali. quaſt. 45. num. 3. quam Ro-
ta amplexa eſt*, Baldus verò loquitur in mã-
dato de aſſociando dato non citata parte,
de quo non eſt controuerſia. Non obſtat,
quòd iam fuerat capta poſſeſſio; quia ex
præcepto ſubſequuto ſequenti die apparet
non fuiſſe effectuatam expulſionem, quo ca-
ſu dominus non priuatur poſſeſſione, ex eo
9 quòd ſtatim inquilini reuerſi fuerint: † ſed
ad effectum priuandi poſſeſſione requiritur
expulſio talis, vt cum effectu expulſus ex-
cludatur à conſpectu, & quòd facilis non ſit
reditus, & cum tota familia expellatur, *vt
tradit Gozzad. conſ. 86. num. 10. cum ſeq.*
Et ex his concluſum in caſu propoſito in-
trare limitationem prædictam *Sarnen. d. re-
gul. de annal. quaſt. 45. num. 3.*

[b] Menoch. de adipiſc. remed. 4. n. 135. cum alijs late per eum congeſtis.

Gadicen. Statutorum.
Die Lunæ 19. Decembris 1580.

SVMMARIVM.

1 *Decretum cap. 6. ſeſſ. 25. ſacr. Concilij Tri-
dentini de reform. loquitur in exemptis
tantum.*
2 *Notoria iniuſtitia æquipollet nullitati.*
3 *Reſcriptum, quod non facit mentionem rei
iudicatæ, eſt ſubreptitium, & nullam
tribuit iuriſdictionem.*
4 *Sententia nulla nunquam tranſit in iudi-
catum.*
5 *Sententia ſecunda non reuocans priorem
eſt nulla, cum ſit ſententia contra ſenten-
tiam; fallit ſi prior ſententia ſit nulla.*
6 *Commiſſioni ſignata manu Cardinalis di-
centis, Placet Domino Noſtro Papæ, cre-
ditur; & omne id, quod ab eo Cardinali
fit, dicitur factum auctoritate Papæ.*

DECISIO CDXCIII.

FVit reſolutum pro validitate ſententiæ
vltimo latæ, ſtante reſolutione ſacræ
1 Congregationis Concilij, † quòd *decretum
ſeſſ. 25. cap. 6.* loquatur tantum in exemptis,
nam cum Eccleſia Gadicenſis non ſit exẽp-
ta, non potuit in ea locum habere diſpoſi-
tio Concilij; ideo ſententiæ prius latæ ſunt
2 † notoriè iniuſtæ, quæ iniuſtitia æquipollet
nullitati, vt ſæpiſſimè fuit deciſum: Et ideo
3 non obſtat, quod obijcitur, † reſcriptum,
quod non facit mentionem rei iudicatæ, eſſe
ſubreptitium, & nullam tribuere iuriſdi-
ctionem, *l. fin. C. ſenten. reſcind. non poſſ.
vbi Bald. & Salicet. Felin. in cap. ſuper lit-
teris. num. 14. de reſcript.* non enim proce-
4 dit, vbi † ſententia eſt nulla, cum nunquam
tranſeat in iudicatum, *Felin. ibid. num. 15.*
5 Nec obſtat, quòd † cum vltima non reuocet
priores, eſſe nullam, cum ſit ſententia con-
tra ſententiam, quia eadem ratione tollitur
hæc obiectio, ſcilicet quòd non procedat,
vbi prior ſententia eſt nulla, *Caſtr. in l. 1.
num. 2. circa medium. C. quand. prouoc. non
eſt neceſſ. Felin. in cap. inter monaſterium.
num. 21. & num. 23. & ita fuit tentum in
vna Romana de Benefacere coram R. P. D.
Blanchetto 16. Maij 1575.* Nõ obſtat, quòd
6 prior † commiſſio eſſet ſignata manu pro-
pria, quia creditur Cardinali dicenti Pla-
cet D. N. PP. & id omne, quod ſit ab eo, di-
citur factum auctoritate eiuſdem Papæ, *Sta-
phil. de litter. iuſt. 4. in primis. num. 97.*
Et ex his concluſum pro validitate ſenten-
tiæ vltimo latæ.

Romana Damnorum & intereſſe.
Die Veneris 13. Ianuarij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Teſtes examinati ſine interrogatorijs ad hoc,
vt ſint bene examinati, ſufficit, quòd po-*

ſtea

stea cum interrogatorijs sint repetiti.
2 *Deputatio peritorum facta parte præsente non indiget intimatione.*

DECISIO CDXCIV.

Domini stantibus resolutionibus in hac
causa factis, tenuerunt contra Zacca-
rellum, quòd tenuta non fuerit extirpata,
& exboscata, iuxta formam locationis; Fuit
namq. resolutum 23. Iunij 1578. coram
R. P. D. Bubalo Pasquinum teneri ad eam-
dem exboscationem & extirpationem, ad
quā tenebatur Buffalinus excepta discioc-
catione, & excepto quòd non tenebatur la-
borare tenutam nisi arbitrio suo: fuit etiam
resolutum * testes Comitis concludenter
probare damnum sequutum ob non extir-
pationem: Item vltimo coram me fuit re-
solutū testes Pasquini non concludere, quia
poterant reduci ad concordiam cum testi-
bus Comitis, ex quo limitatè deponūt fuis-
se exboscatam tenutā; vbi transire poterat
aratrū, ex quibus elicitur conclusio præsen-
tis dubitationis. Non obstat, quòd quando
quis nō tenetur laborare, non tenetur exbo-
scare, quia neque testes neque periti loquū-
tur, quando adest particularis conuentio
de exboscando. Non obstat, quòd opponi-
1 tur, † testes fuisse examinatos sine interro-
gatorijs Pasquini, quia postea fuerunt re-
petiti cum interrogatorijs. Non obstat,
2 quòd relatio peritorū sit nulla, cum † depu-
tatio non fuerit intimata; quia tollitur hæc
obiectio, ex quo fuit facta partibus præsen-
tibus, & vltima relatio facta fuit Pasquino
citato & nō reclamante. Non obstat, quod
opponitur, testes Comitis non percutere
tempus, quia contrarium coram me fuit
resolutum, a Non obstat dictum vigesimi-
quarti testis, quòd tenuta erat sfractata,
quia deponit de auditu, & potest etiam in-
telligi in illis locis, in quibus sine extirpa-
tione fieri poterat. Nec obstat, quòd non
fuerat tota locata, quia non agitur de ea
parte, in qua erat controuersia cum Domi-
no Lelio.

* Coram eodem D. Bubalo sub die 3. Martij 1578. quę in impres. diuers. nouiss. est 141. part. 6.

a sub die 2. Decemb. anni præteriti.

Placentina Bonorum.
Die Lunæ 23. Ianuarij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Inter appellationem & supplicationem non est differentia ad effectum, vt quis audiatur ex nouiter deductis, & ad effectum reuocationis sententiæ. vt num. 8.*
Idem est in recursu ad superiorem, vt n. 2.
3 *Recursus ad superiorem succedit loco appellationis.*
4 *Recursus ad superiorem nil aliud est quàm supplicatio, & æquipollet appellationi, vt num. 6.*
5 *Recursus ad superiorem est quædam benignitas superioris ad remouendum ea, quæ male acta quis credit.*
7 *In supplicatione recursus ad superiorem potest dici de nullitate & iniustitia sententiæ.*
9 *Supplicationis & reuisionis per viam recursus idem est effectus reprobato Riminal. & Grammat.*

DECISIO CDXCV.

Fuit resolutum Illustrissimum D. Cardi-
nalem audiendum esse super nouiter
1 deductis non reuocato sequestro; nam † si-
ue sit commissa causa appellationis, res de
plano procedit, *l. per hanc. C. de tempor. ap-
pell.* siue causa supplicationis, & idem est,
cum in hoc nulla sit differentia inter hanc
& causam appellationis, *Imol. in cons. 146.
num. 12. Afflict. in proem. consuet. Regn.*
2 *quæst. 10. cum alijs* b † si verò est causa re-
uisionis per viam recursus ad superiorem,
prout esse videtur, idem est dicendum, *vt per*
3 *Affl. d. quæst. 10. num. 7.* † succedit enim
4 loco appellationis, *vt inquit Affl.* † nec re-
cursus videtur aliud quàm supplicatio, quæ
vt inquit Innoc. in cap. ex litteris. num. 3.
5 *de in integr. restit.* † est quædam benignitas
superioris ad remouendum, quæ male acta
6 credit, *& ibi Io. And. col. 2.* inquit † æqui-
7 pollere appellationi, & † in supplicatione
potest dici de nullitate & iniustitia senten-
tiæ, *vt per Imol. in d. cons. 146. num. 3. & 6.*
8 & † si sententia est iniusta etiam per viam
supplicationis reuocatur, *vt per Imol. ibid.
& per Doctor. in d. cap. ex litteris. de in in-*
9 *tegr. restitut.* sed † etsi constituamus dif-
ferentiam inter supplicationem & reuisio-
nem per viam recursus, nihilominus idem
est effectus; cum reuisio magis participet
de appellatione quàm supplicatio; & ideo
male, & sine aliqua auctoritate loquutus
est *Riminald. in cons. 398. num. 21. Et Grā-
mat. decis. 35. num. 4.* loquitur in casu,
in quo Prorex commiserat limitatè causā
reuisionis: Et ideo conclusum Illustrissimū
D. Cardinalem esse audiendum, sequestrū
verò non esse reuocandum, cum habeamus
legem scriptam in commissione, quòd tunc
demum reuocetur ad fauorem Puteobonel-
lorum, si pro eis fuerit lata sententia.

b Rolan. cōs. 94. sub num. 9. & 10. vol. 1.

Romana Hæreditatis de Capranica.
Die Lunæ 23. Ianuarij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Statutum excludens sororem dotatam stantibus fratribus defunctis, excludit etiam fratrum præmortuorum filias, & per tot.*
2 *Statuta exclusiua fœminarum non extenduntur de persona ad personam etiam ex identitate rationis; fallit tamen, quando maior datur ratio in persona, de qua agitur quàm in exclusa à statuto, quo casu potius dicitur comprehensio quā extensio.*
3 *Absurdum est, quòd superstite sorore filia*

 fra-

fratris succedat, soror verò excludatur.
4 *Filius vel filia subintrans locum patris subintrat eum sua qualitate masculinitatis vel fœminitatis & num. 11.*
5 *Fœmina exclusa à suo gradu, in quo verè reperitur, quia fœmina, multo magis excluditur à gradu ficto, in quo reperitur.*
6 *Regula probibens extensionem de vna persona ad aliam non procedit, quando dispositio fit ratione alicuius qualitatis, quæ in aliam personam transfertur.*
7 *Extensio de vna persona ad aliam admittitur, quando est conformis intentioni statuentium.*
8 *Filia fratris in successione repræsentat patrem per fictionem.*
9 *Fictio cessat, vbi repugnat æquitas, & vbi repugnat mens statuentium, quia tunc est correspectiua ad exclusionem.*
10 *Exclusio personarum in statuto venit in cõsequentiam inclusorum in successione.*
12 *Statutum excludens interpretationem non excludit bonam & rationabilem.*

DECISIO CDXCVI.

præsẽs decis. est in impres. diuer. nouis. 686. part. 1.

* in antiqua impressione,

1 PRoposui dubium † an statutum Vrbis
lib. 5. cap. 24.* excludens sorores stantibus fratribus defuncti, excludat etiam fratrum præmortuorum filias, & causæ bis proposita Domini amplexi sunt sentẽtiam affirmatiuam, quòd filiæ fratrum censean-
2 tur exclusæ; quamuis enim † statuta huiusmodi exclusiua fœminarum non extendantur de persona ad personam etiam ex identitate rationis, *vt per Bald. in l. illam. & ibi alij consequentes. C. de collation. & in l. 1. C. de success. edict. latè Gabr. de statut. concl. 7.* tamen id fallit, quãdo daretur maior ratio in persona, de qua agitur, quàm in exclusa à statuto, *Gabr. d. concl. 7. n. 43. cum seq.* Nam quicquid sit in casu, in quo adest tantum paritas rationis, tamen vbi adest maior ratio, non tam dici potest extensio quàm comprehensio, vt de paritate rationis tradit *Alex. post Petr. Cyn. Bald. & Castr. in cons. 75. num. 3. & ibi concordantes in Addit. lib. 5. & cons. 89. num. 6. lib. 6.* & licèt *in cons. 97. num. 9. lib. 2.* teneat contrarium; tamen reprobatur *ibidem per Add.* quando militat maior ratio, & be-
3 ne, † valde enim esset absurdum, quòd superstite sorore filia fratris defuncti succederet, soror verò excluderetur, *Socin. iun. in cons. 129. num. 36. lib. 3.* quòd maximè procedit isto casu, in quo non potest succedere ex suo gradu, est enim remotior fratre, sed succedit per repræsentationem, *§. reliquum. in Auth. de success. ab intest.* Vnde
4 † cum subintret locum patris, subintrat cũ sua qualitate, quæ est fœminitatis, *Bart. in l. liberorum. num. 3. de verb. sign. Alex. in l. venia. col. fin. C. de in ius voc. & ibi Ias. num. 6. Socin. iun. in cons. 168. nu. 46. lib. 2.* quæ qualitas à statuto excluditur in dicto gradu, cum excludatur soror; ergo
5 † sicut si verè esset in dicto gradu, excluderetur, quia fœmina; multo magis excludi debet, cum in dicto gradu constituatur per fictionem, *Lancellot. Decius in d. l. venia. quem refert Natt. d. cons. 201. num. 2. in fin.* & pro hac parte faciunt Doctores allegati, *Cuman. inter cons. Curt. sen. cons. 34. num. 10. & Socin. iun. cons. 10. nu. 12.*
6 *lib. 4. quod consilium est decisiuum,* † Et facit etiam alia limitatio ad regulam prohibentem fieri extensionem de vna persona ad aliam, vt non procedat, quando dispositio fit ratione alicuius qualitatis, quæ qualitas in aliam personam transfertur, *Ias. post Angel. in l. tale pactum.*
7 *§. fin. num. 5. de pact.* & † hoc conformat se cum intentione statuentium, quæ facit, vt talis extensio admittatur, *vt per Socin. iun. in cons. 129. num. 3. lib. 3. Paris. cons.*
8 *66. num. 66. lib. 3.* Præterea † cum fratris filia repræsentet patrem per fictionem, vti-
9 que † debet cessare fictio, vbi repugnat æquitas, *vt per Rub. Alexan. in cons. 149. num. 10.* repugnat etiam mens statuentium, quæ fuit vocare ad successionẽ fratris sine filijs defuncti alios fratres, adeo quòd alijs
10 omnibus videtur auferri hæreditas, † exclusio enim venit in consequentiam, *vt per Bald. in cons. 411. num. 1. lib. 1. & in l. si verò. §. de viro. solut. matr. Natt. d. cons. 261. num. 2. Bald. in l. 2. §. videndum. in fin. ad Trebell.* & licèt Doctores hoc intelligant, vbi inclusio est correspectiua ad exclusionem; tamen hic dici potest correspectiua non solum ratione sororis, sed etiam
11 filiæ fratris, † ex quo subintrat locum patris cum qualitate, propter quam soror excluditur: sed & dato, quòd expressè non correspectiuetur exclusio ad fratris filiam; tamen ex quo in hac adest maior ratio exclusionis, ratio illa procedit absolutè, *vt tradit Socin. iun. in cons. 30. num. 55. lib. 1.*
12 Nec prædictis obstat, quòd † statutum excludat interpretationem, quia non excludit bonam & rationabilem, *Bart. in l. omnes populi. num. 65. de iustit. & iur. Caccialup. ibid. num. 176. Dec. in cons. 64. in fin.* Et idgo male videtur consuluisse *Alciat. in cons. 39. n. 1. lib. 2.* quamuis etiam possit euitari, cum in specie illa non adesset tempore delatæ successionis soror defuncti superstes, vt in casu isto. Et ex his facilè est respondere ad ea, quæ latè per Excellent. Aduocatos ex aduerso deducuntur: Fuit tamen pro parte hæredum Iacobæ allegatum, eam non fuisse dotatam; & ideo statutum non habere locum: Itẽ quòd tale statutum de tempore obitus Cæsaris, de cuius successione agitur, adhuc conditũ non erat, quæ cum valde releuantia sint, dixerunt Domini videndum esse, An in facto

vti-

verificetur; & ideo partes Excellent. Domini Iudicis, coram quo causa pendet, erūt animaduertere ad huiusmodi obiectiones.

Gadicen. Stanitorum.
Die Veneris 27. Ianuarij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Statutum quatenus non sit contrarium sacro Concilio Tridentino est seruandum; maximè si sit iuratum.*
2 *Confirmatio statuti ex obseruantia longi temporis præsumitur, etiam non data scientia Papæ.*
3 *Errans non potest dici renunciasse iuri suo.*
4 *Error iuris prodest ad effectum damni euitandi.*

DECISIO CDXCVII.

SEntentias priores stante resolutione sacræ Congregationis Concilij fuisse no-
1 toriè iniustas; † statuta enim, quatenus non contrarientur Concilio, seruanda esse fuit coram bon. mem. Cotta resolutum, * præsertim cum sint iurata ab Episcopo, quæ res tollit difficultatem respectu confirmatio-
2 nis, † quæ tamen etiam stante obseruantia tanti temporis præsumeretur, *Bald. in l. 2. C. de seruit. & aq. Dec. in cons. 152. col. fin. Aym. de antiq. 3. part. nu. 28.* neque hoc casu quærendū est de scientia Papæ, *Aym. ibid. n. 29. Fab. decis. 22.* Congregatio autē censuit decreta Cōcilij habere locum tantummodo in Ecclesijs exemptis, ex quo sequitur sententias, quæ contrarium continent, notoriè esse iniustas. Non obstat, quod allegatur non vsus propter nonnullos actus factos iuxta formam Concilij secundum lecturam Episcopi; quia errore ducti Canonici putantes Concilium locum ibi habere,
3 eos actus fecerunt, & † etas probabilis error, neque ex eo censetur quis iuri suo renunciasse, *l. mater. de inoff. testam. l. nec*
4 *ignorans. C. de donatio.* & † error iuris prodest ad effectum damni euitandi, *Doctor. in l. 3. C. de iur. & fact. ignor. cum similibus.*

* in hac eadem causa sub die 20. Maij 1577. & & fuit dictu coram eodē Illustriss. Seraphino in Palatina Iurisdictionis. 13 Maij 1571

Spoletana Domus.
Die Lunæ 30. Ianuarij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Nuncio seu exequutori attestāti de his, quæ spectant ad eius officium creditur.*
2 *Per eiectionem inquilinorum non amittitur possessio, nisi eiecta familia & bonis.*
3 *Consignatio domus libera & vacua fieri nō potest, nisi tota familia expulsa.*
4 *Eiectio coloni cum bonis dicitur super bonis fictè facta, cū super illis nō resideat ciuilis possessio, quæ est penes dominū, sed tātū naturalis, quæ est coloni & inquilini.*
5 *Eiectio inquilinorum non refert quòd sit facta à facie loci, sed sufficit, quòd difficilis sit reditus ad possessionem.*
6 *Inquilinus è possessione eiectus, si statim reincolatus sit, præsumitur voluisse possessionem suam recuperare, & non domini possessionem per calumniā interuertere.*
7 *Ex locatione facta colono post expulsionem ab exequutore factam arguitur, quòd fuerit ficta traditio, quæ domino nō nocet.*

DECISIO CDXCVIII.

DVbitatum fuit, an constet de eiectione sufficienti inquilinorum ad effectum amissionis possessionis; & pro affirmatiua
1 facit attestatio ipsius exequutoris, † cui in his, quæ spectant ad eius officium solet credi, *vt per Tiraq. de retract. §. 8. glos. 9. n. 22.* cui consonat attestatio Simonis & duorum aliorum testium; Huic probationi obijci-
2 tur non constare, quòd † fuerit eiecta familia, & bona inquilinorum, prout de familia, *tradit Alex. in l. peregrè. §. quibus. num. 2. de acquir. poss. Gozad. cons. 86. n. 11. & 12.* sed hoc videtur tolli ex depositione exequutoris, qui refert se expulisse inquilinos, sicut etiam hodie sunt extra domum:
3 Præterea dicit se † consignasse domum, & apotheeas liberas & vacuas, quod fieri non poterat, nisi tota familia expulsa, *l. 2. §. vacua. & ibi glos. & Doctor. de action. empt. Bald. in l. fin. num. 42. versic. sexto oppono. C. de edict. Diu. Adr. toll.* & eadem ratione
4 tollitur id, quod dicitur † de bonis inquilinorum, & fictè etiam dici potest requiri eiectionem bonorum, quia super illis non residet ciuilis, quæ est penes dominum, sed super naturali, quæ est penes colonum vel inquilinum, & licèt *Benintend. decis. 93. num. 3.* videatur velle, quòd *Bero. quæst. 47.* hoc dicat, tamen id dicit satis perfunctoriè, ac Doctores per eum citati nihil ta-
5 le dicunt. Neque obstat, quòd † non appareat fuisse eiectos inquilinos à facie loci, quia Doctores hoc non dicunt simpliciter, sed ita vt difficilis sit reditus ad possessionem, *Gozad. in d. cons. 86. num. 14.* quæ res hodie redditur indubitata ex nouis attestationibus, ex quibus tollitur etiam prior attestatio Simonis. Obijci potest etiam, quòd ista expulsio fuerit ficta & non vera,
6 † ex quo post expulsionem statim reincolata fuit domus, *& vt inquit Gozad. d. cons. 86. num. 17.* magis est præsumendum, quòd inquilinus voluerit possessionem statim recuperare, quàm domini possessionem per calumniam interuertere, vt facit *decis. Put.*
7 *2. de caus. poss. & prop. in fin.* vbi † ex locatione sequuta arguitur, quòd ficta sit traditio, quæ domino non nocet iuxta terminos *l. fin. C. de acquir. poss.* tamen hoc esset particulariter videndum, quia *in eadem decis. quæ est in extens. 130. lib. 2.* colonus existens. apparet magnā super hac re fuisse inter Dominos controuersiam, & pro par-

te affirmatiua, quòd amittatur possessio, *facit Bero. cons. 45. in fin. lib. 3.* tamen cum attestationes super quibus hæc omnia fundantur, non sint in forma probanti, & fidem non faciant, *ad notat. per Doctor. in cap. 2. de testib.* non fuit capta resolutio; sed ordinatum, vt vtraque pars melius probet intentionem suam.

Valentina Iurispatronatus de Consentayna. Die Lunæ 30. Ianuarij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Instituendus est præsentatus ab eo, qui est in quasi possessione præsentandi, concurrentibus requisitis à Calderin. in cons. 12. de iure patron.*

2 *Clausula, si & in quantum, importat admissionem in casu, in quo admitti debet.*

3 *Dum dubitatur de reuocatione priuilegij, possessor interim est manutenendus.*

4 *Iuspatronatus ex priuilegio cõcessũ ex causa onerosa per Concilium Tridentinum non reuocatur.*

DECISIO CDXCIX.

Dubitaui, An Illustr. Comes de Consentayna esset manutenendus in sua quasi possessione præsentandi, ita ut Ludouicus ab eo præsentatus veniret instituendus, vel potius prouisus Apostolicus in possessionem mittendus; Et fuit per Domi-

praesens decisio habetur in impress. di vers. nouiss. 287. part. 1.

1 nos conclusum, † non posse de iure denegari institutionem ipsi præsentato: Fuit enim præsentatus à Comite Don Ximenio, qui erat in quasi possessione præsentãdi, ex quo præsentauerat Michaelem, & eius præsentatio sortita fuerat effectum; nam per eius obitum vterque euenit, & in summa concurrunt omnia requisita *à Calderin. cõs. 12. de iure patr.* fuit enim præsentatio facta ante litem motam, & admissa ab Ordinario,

2 licèt † cum clausula, si & in quantum, quæ tamen importat admissionem, cum simul in casu, in quo debeat admitti, vt in appellatione ita admissa *tradit Rom. in cons. 301. & Felin. in cap. cum contingat. nu. 13. de off. delegat.* Deberi autem institutionem tum ex supradictis patet, tum ex his, quæ tradit *Abb. in cap. 2. num. 22. de in integr. restit. Roch. de iurepatr. in verb. competens. num. 53. vers. nota. Lambertin. de iurepatron. artic. 4. 3. quæst. 1. part. 2. lib. num. 2.* Neque obstant contraria, & primo quòd priuilegium Leonis sit reuocatum per re-

3 gulam Adriani, † quia de hoc adhuc constare non dicitur, & pars interim manutentionem potest petere, & postea in petitorio docere, quòd non subiaceat regulæ, & simul stare etiam possunt, & quòd præsentatus sit instituendus, & quòd in iudicio petitorio iuspatronatus veniat declarãdum nullum. Non obstant sententiæ, quæ dicuntur latæ alias contra Michaelem, quia apparet eas non habuisse effectum; ipse enim decessit in possessione. Non obstat, quod obijcitur contra prædictum Iuspatronatus, quòd solutio fuerit facta per Comitem impetrantem de primitijs non autem de bonis suis; quia videntur istæ primitiæ ad ipsum pertinuisse, cum Administratores Fabricæ eas exegerint vigore cessionis per Comitem ipsis factæ, quæ omnino esset inutilis, si ad Comitem dictæ primitiæ non spectassent; & maximè cum dicantur primitiæ vt in locis Maurorum plerũque spectãt ad dominos temporales, vt passim obseruare licet in eo Regno. Non obstat, quod opponitur de re iudicata, quia si de prioribus sententijs agamus, in illis nõ damnatur iuspatronatus, & quod plus est, non fuerunt sortitæ effectũ. Neq; ils illã quicquã facit, cum ex cursu temporis censeatur habita pro derelicta: si verò loquimur de sententia vltimo lata, adhuc non constat de eius iustitia, & cum concernat petitorium, non tollit ius quæsitum Michaeli ex præsentatione & institutione, quæ præcesserunt.

4 † Quod verò deducitur ex sacro Concilio Tridentino, dixerunt Domini non obstare; cum in prima parte non loquatur de priuilegijs concessis ex causa onerosa, quod fuit sæpius in alijs causis à Rota animaduersũ.

Virdunen. Canonicatus. Die Lunæ 13. Februarij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Ad obtinendũ Canonicatum, sufficit quòd prouisus sit in vigesimoprimo ætatis anno vigore Concilij Tridentini.*

2 *Remissoria solet concedi, quando sumus in tertia instantia.*

DECISIO D.

Si † Carolus erat constitutus de tẽpore suæ prouisionis in vigesimo primo anno satisfactum est decreto Concilij, sed neque liquet eum fuisse huius ætatis, neque etiam contrarium, quòd hanc non attingeret, ex aduerso probatur; & ideo, cum dictus Carolus sese offerat paratum docere de legitima ætate, habita remissoria, & pro fumo sufficiat prouisio sua, Domini omissa disputatione, cui incumbat onus proban-

2 di, ordinarunt, vt ei detur remissoria, † cum simus in tertia instantia.

Fauentina Bonorum. Die Lunæ 20. Februarij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Confessio relationem habens ad instrumenta non obstat, si instrumenta non obstent.*

2 *Error detegitur ex eo, quòd constet rem aliter se habere.*

DE-

DECISIO DI.

FVit resolutum non probari totam Massam Madrariam sitam esse in territorio Fauentino, nam instrumentum, quod primo loco deducitur de anno 1154. nō loquitur de hac Massa, nec quando procurator illud exhibet, dicit illud loqui de ea, sed summariè solummodo refert tenorem instrumenti. Secundo instrumentum anni 1230. concessionis tertiæ partis Madrariæ pro indiuiso nonnullis particularibus ibi expressis nihil facit, quia non loquitur de ea tertia parte, quę postea fuit concessa hominibus de Cotignola, & quæ prætenditur in territorium Rauennæ, quod patet, quia pro tertio cōfine datur monasterium Pomposiæ, & si esset illa tertia pars, fuisset data pro confine ipsa Canonica. Tertio instrumenta anni 1465. & anni 1491. concessionum factarum Astorgio de Manfredis, non obstant, quia loquuntur de duabus tertijs partibus, quæ re vera sunt in territorio Fauentino, & illud constitutum referri potest ad duas partes, quæ conceduntur, nec illa concessio totam Massam comprehendit, cum pro quarto confine detur alia concessa hominibus de Cotignola, ex quo deprehenditur illam tertiam Manfredo concessam non fuisse. Neque obstat, quòd dicatur pro indiuiso, quia quomodocunque res se habeat, non potest capere istam tertiam datam pro confine, quod fieri non potest. Quantum verò ad probationem, quam Cōmunitas conatur elicere ex confessionibus; illæ visæ non fuerunt claræ, quia procurator exhibet instrumenta & recenset ipsorū
1 continentiam; vnde † cum illa non constet, neque etiam confessio, alioquin constaret
2 de errore, cum sit relatiua, & † error ex eo detegitur, quòd constat rem aliter se habere, *ad glos. in l. de ætate. §. Celsus. de interrog. act. l. error. de iur. & fact. ignor. Cal. cons. 1. de confess.* neque etiam articulus cōcludit, quia nihil plus continet quàm prædicta instrumenta. Ea verò quæ ex aduerso pro parte Canonicæ deducuntur, videntur probare contrarium, nempe instrumentum anni 1388. concessionis factæ Vaccolinis miuncta planta; nam illa tertia diuiditur in duas petias terræ, quarum altera sita est supra Ecclesiam, alia subtus Ecclesiam; in planta verò describitur iuxta fines territorij Fauentini; adeo quòd necesse est, vt petia terræ, quæ est à parte inferiori protendatur ad territorium Rauennæ, quod & Communitas admittit pro tornaturis 35. Christophori & Augustini Santoni, quod cōprobatur clarè ex instrumento diuisionis confinium: cum enim territorium Fauentiæ protendatur tantum vsque ad medietatem Campanalis Ecclesiæ de Madraria; necesse est, quòd terræ infra Ecclesiam positæ, de quibus fit mentio in dicto instrumento anni 1388. sint in territorio Rauennæ, & dictum instrumentum vltra antiquitatē adminiculatum est ex alijs instrumentis, in quibus enunciatur tertia concessa hominibus de Cotignola, nec non ex alio instrumēto antiquissimo eiusdem notarij nuperrimè exhibito. Quantum verò hæc tertia se protendat Rauennam versus, & an terminetur illa via in planta descripta, quia partes circa acceptationem plantæ cōtrouertuntur, erit particulariter discutiendum.

Toletana Primitiarum.
Die Lunæ 27. Februarij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Acta reproducta parte non legitimè citata regulariter annullant processum, quando non constat, quòd fuerint transportata, vel quando sumus in diuersa causa coram eodem; aliàs secus est.*
2 *Sufficit, quòd mandatum quandocunque producatur, quod procedit parte non opponente.*
3 *Protestatio in quolibet actu repeti debet.*
4 *In citationibus ad videndum decerni litteras exequutoriales non requiritur tanta solemnitas, quanta in alijs.*

DECISIO DII.

FVit resolutum pro validitate exequutorialium, non obstantibus nullitatibus ex aduerso allegatis; nam quantum ad primam nullitatem, quæ deducitur ex eo,
1 quod † acta non fuerint reproducta parte legitimè citata; fuit dictum quòd *auctoritas Bart. in l. naturaliter. §. nihil commune. num. 32. de acquir. poss. cum alijs allegatis** loquuntur, quando non constat, quòd acta fuerint transportata, *vt etiam loquitur Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ. n. 15. in fin. de constit.* vel quando sumus in diuersa causa coram eodem, *vt ibi per Bart.* hic autem constat processum prioris instantiæ productum fuisse, ex quo constitit de re iudicata. Secundo, quod deducitur fuisse processum citato procuratore substituto à Domino Ioanne Perez, cuius mandatum non fuerat productum, & ex aduerso protestatum fuerat neminem audiri nisi docto de legitimo mandato, non placet; quia re vera
2 d. Ioannes erat procurator; † ideo sufficit, quòd mandatum quandocunque producatur, *Rota decis. 7. de procurator. in nou.* & quamuis hoc non procedat parte opponente, *vt per Aym. cons. 108.* cum tamen postea aliter non producto dicto mandato D. Didacus citauerit prædictum substitutum, videtur recessisse à priore illa prote-
3 statione, † quæ in omnibus actibus repeti debebat, *Put. decis. 218. lib. 2. Mohedan. decis. 44.* Tertio quod dicitur fuisse citatum

præsés decis. habetur 1 in presi diuers. nouiss. 418. part. 1.

* In ibidem. num. 318. & Hip. 175. & vt patet ex Vestr. tit. de exequut. sent. lib. 8.

Ioannem per affisionem absque alia diligentia, non placet, quia hoc venit in exequutionem decreti facti, de quo fol. 986. Neque obstat intimatio facta personaliter Ioanni nationis interpreti; quia adest error in registro, cum ex relatione Cursoris originali appareat non fuisse factam personaliter, sed domi dimissa copia, & in summa 4 † in istis citationibus ad videndum decerni litteras exequutoriales, non requiritur tanta solemnitas, quanta in alijs, *Rot. decis. 15. de re iudic. in nou.* Quarto, quòd dicitur, reseruationis litteras non esse iustificatas non placuit, quia si non sunt iustificatæ, ius remansit penes ipsum resignantem. Itaque quomodocunque res se habeat, apparet de ipsius bono iure, & ita pro validitate fuit resolutum.

Romana Exequutionis.
Die Lunæ 6. Martij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Conditio, si nuptiæ sequentur, est momentanea, & statim quòd contractum est matrimonium, dicitur purificata, & nu. 5.*

2 *Matrimonium à principio est validum, licèt vir sit impotens secundum communem opinionem, tenet enim volentibus coniugibus, vt num. 4.*

3 *Matrimonium propter viri impotentiam potius venit dissoluendum, vel saltem declarandum nullum, quàm quod à principio sit nullum.*

6 *Dos ab heredibus minui non potest, quando adest stipulatio notarij pro omnibus, quorum interest, stante obitu testatoris.*

DECISIO DIII.

praesens decis. habetur 1 in pract. diuers. nouiss. 489. part. 1.

1 FVit resolutum conditionem fuisse purificatam, † cum enim sit conditio momentanea, si nuptiæ sequerentur; statim quòd contractum fuit matrimonium, purificata fuit conditio, *l. cũ fuerit. de condit. & demon. Dec. in l. si quis heredem. num. 2.*
2 *de instit. & subst.* Nec obstat, quòd † vir sit impotens, quia tale matrimoniũ à principio tenet, & est validum, *vt communiter tenent Doctores in cap. puberes. de despons. impub. & ibi per Abb. num. 4. licèt glosa contrarium tenuerit, & cap. ex litteris, & c.*
3 *fraternitatis. de frigid. & malef.* † videantur dicere matrimonium esse nullum; tamẽ potius innuunt, quòd veniat dissoluendum, vel saltem quòd ex post declaretur nullum, *vt per Hostien. in sum. de frigid. & malef.*
4 *num. 3.* & † volentibus coniugibus tenet; &
5 † sufficit, quòd conditio momentanea semel fuerit adimpleta, *d. l. si quis heredem. C. de instit. & substit. Oldrad. in cons. 31. num. 3.* Neque obstat, si dicatur ex euentu apparuisse nullum propter impotentiam viri, quia vt hoc dici possit, multa requiruntur, quæ non apparent obseruata fuisse, de quibus *per Hostien. vbi supra*, & hæc
6 maximè procedunt, quia † stante stipulatione notarij pro omnibus, quorum interest, & obitu testatoris, non possunt heredes minuere hanc dotem, *Dec. in cons. 35. per totum, & maximè num. 5. vers. nec prædictæ conclusioni, Rip. in l. 1. num. 61. sol. matr.* Ex quibus conclusum non implementum conditionis in casu, de quo agitur, non obstare.

Portuen. Bonorum.
Die Lunæ 6. Martij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Non possunt vendi, vel distrahi bona prohibita alienari pro soluendis debitis prohibentis; quod verum est in debito chirographario, & continente personalem actionem tantum, non autem in hypothecario, cui per prohibitionem non præiudicatur, vt num. 2.*

3 *Quando creditor est heres debitoris sine inuentario confunduntur & extinguuntur actiones.*

4 *Inuentarium reddit solum securum heredem creditorem, ne damnum patiatur, non autem vt lucretur.*

5 *Statutum domicilij viri attenditur circa lucrum dotis.*

6 *Qui dicit aliquid aliud extare vltra in inuentario descripta, probare debet.*

DECISIO DIV.

praesens decisio habetur 1 impress. diuer. fol. nouiss. 690. part. 1.

FVit dubitatum, an probetur tot bona remanere penes Illustrissimas mulieres, vt possint sibi satisfacere de dote & donatione propter nuptias Dominæ Margaritæ Auiæ; & licèt dubitatio verteretur circa 6 factum; tamen per informantes mulierum tractata fuit alia difficultas; an possint cogi talia bona accipere in solutum, itaut nõ possint exercere eorum hypothecam contractam ante pactũ contra bona pacto supposita, in quo regula est pro mulieribus, *l. filiusfamilias. §. Diui. de legat. 1. in fin.* tamen limitatur hæc regula *per tex. in l. pa-*
1 *ter filium. in fin. princ. de legat. 3.* † vt non possint hæc vendi vel distrahi, quando adsunt alia bona non prohibita alienari, *Cuman. in l. peto. §. prædium. num. 3. de legat. 2. Ias. d. §. Diui. num. 25. in 2. lectur. Loazes. num. 21. Socin. iun. num. 23.* hæc ta-
2 men fallentia † sublimitatur, vt procedat in creditoribus chirographarijs habentibus personalem actionem tantum, non autem in habentibus hypothecariam, quia per huiusmodi prohibitionem eis præiudicari non potest, *l. 1. C. debit. vendi. pign. imped. non poss. & ibi Bald. Salic. & Angel.* verum cum simus in creditoribus ijsdemq. heredibus, subintrat alia difficultas; nam

† si Sciar-

3 † si Sciarra fuit hæres Alexandri sine inuentario, confusæ fuerunt actiones & extinctæ, *l. debitori. C. de pact.* & hoc in euentū quòd Margaritæ successerit Sciarra : si vtrò filiæ successerunt Margaritæ mediante persona Pauli, subintrat eadem difficultas inuentarij confectionis; sed præsupposito etiā quòd
4 fuerit confectum inuentarium, † illud solum reddit creditorem securum, ne damnū patiatur, non autem vt lucretur; & ideo potest dicere D. Iulius, filias consequutas tantundem fuisse ex alijs bonis, & ita eis satisfactum fuisse, *l. fin. §. in computatione. C. de iur. deliber. vbi Bart. num. 6. Castr. num. 7. Alex. num. 5. & 6. plures congerit Phanuc. de inuentar. fol. 103. n. 4.* Ideo deueniendo ad dubiū, Domini dixerunt statuendū prius esse, quantum est creditum mulierum; nam hoc pendet tum ex ea inspectione, quodnā statutum circa lucrum sit attendendum; &
5 regula est † attendi statutum domicilij viri, *l. exigere. de iudic. Tiraq. de legib. connub. glos. 2. n. 45. Rolan. de lucr. dotis. q. 13.* tum ex eo, an cēsus trium millium scutorū sit fundus dotalis vel datus in solutū, quod verius videtur inspectis verbis clarissimis instrumenti, & ideo intrat *text. in l. quoties. C. de iur. dot. l. plerumque. ff. eod. tit. l. ex conuentione. C. de pact. Couar. pract. quæst. cap. 28.* Secundo, videndum, quænam bona extent pro satisfactione, & informantes pro Domino Iulio dicunt hunc census extare; sed neque id probant, neque apparet, an sit exigibilis; Et si quidem mulieres confecerūt inuentarium, & in eo non est descrip-
6 tus, † qui dicit extare, hoc probare debet, *ad glos. l. est de lege. de probat. l. fin. § licētia. vbi Doct. C. de iure delib. Alciat. regul. 3. præsumpt. 20. Hersul. de negatiu. num. 95.* sin minus essent confusæ actiones, & frustra de hac re quæreretur. Quantum ad scuta quinque millia, informātes pro mulieribus allegant esse erogata in solutionem dotis Dominæ Virginiæ Gambacurtæ: sed hoc non probant, nisi pro summa scutorum duorum mille & quingentorum; Ideo melius deducant hanc solutionem. Quantum ad bona mobilia, si probarentur fuisse Alexandri, esset eorum habenda ratio; si verò non probatur, & Sciarra confecit inuentarium, hæc non veniunt computanda, cum non sint Alexandri, cuius æs alienum ex suis & non alienis bonis est deducendum; si verò non confecit inuentarium, & successit Margaritæ, & tunc confusæ sunt actiones, vt supradictum est; si verò ipse non successit Margaritæ, sed sunt institutæ hæ puellæ, hoc erit debitum Sciarræ, & veniet per filias deducendum; sed quia factum est multiplex, & non distinctè à partibus explicatum, & præsertim, quia hæc omnia ferè sūt extra acta, visa sunt hæc plena difficultatibus, super quibus, si opus fuerit, erit melius informandum.

Tudertina Confinium.
Die Veneris 10. Martii 1581.

SVMMARIVM.

1 *Producens pro se Catastum, debet & illi stare contra se, cum per productionem fateatur descriptionē esse bonā; maximè, quando productio est geminata, vt n. 2.*

DECISIO DV.

Fvit resolutum terminos in sententia extra Rotam pro Illust. Domino Com. Petro lata fuisse bene designatos & conuenire descriptioni Catasti Tudertini; nam cum pro confine dentur Morræ supra Sanctum Ægidium, ergo à parte eminentiori, quod denotatur ex vulgari significatione illius vocis Morræ, quæ est, vt ex testibus colligitur, verticis & cacuminis Collium, quo nomine testes Illustr. Domini Ranutii appellant omnes illas sūmitates & vertices intrinsecus versus loca inferiora permanentes, quod comprobatur ex testibus Com. Petri deponentibus, quòd ementes banditā pascebant in omnibus illis locis, incipiendo à vertice montium supra dictam Ecclesiam Sancti Ægidij, descendendo quantum aqua pendet, & conuenit descriptio libri Episcopatus Tudertini, in quo hæc Ecclesia describitur in Podio Marti, & aliquid etiam facit instrumentum anni 1320. Quātum ad alium terminum Podij Frattæ, ille quoque est bene situatus, cum in Catasto ponatur terminus in capite dicti Podij, & consequenter in parte eminentiori, & dictum Podium est indubitatum ex depositionibus testium Basehii nempe quarti, sexti & octaui. Quæ deducuntur pro parte Basehii, vel ex suo Catasto, vel aliis instrumentis, non sunt attendenda; tum quia non concludunt; tum quia Basehius produxit Catastum Tudertinum, *cap. cum olim. de censib. Aym. in cons. 77. num. 8. & cons. 80. num. 6.* Idem in compromisso in Ciuitate Tudertina conuenit, vt termini apponerentur secūdum dictum Catastum, quod & repetiit in commissione causæ porrecta San-
1 ctissimo, † & cōsequenter in iudicio & corā arbitris & corā ipsomet Principe fassus est huiusmodi descriptionē esse bonā; ideoq. ei præiudicat, *l. generaliter. C. de nō numer. pecun. l. 1. C. de confess. l. precum. C. de liber. caus.* etiam quòd aliter Catastum non faceret fidem, *Bald. in l. alta. num. 3. C. de his quib. vt indign. Ruin. in cons. 7. num. 2.*
2 *lib. 3.* maximè † cum sit confessio geminata, *Bart. in l. cum scimus. C. de agr. & censit. lib. 10. Ruin. in cons. 128. num. 13. lib. 2.* Quæ deducuntur ad excludendum, quòd Com. Petrus non habeat iurisdictionem in illo loco, non faciunt ad rem, satis est enim ei excludere Basehium ex non iure suo; nam negocium illud non ad Basehium, sed ad

Communitatem Tudertinam pertinet.

Maceraten. Dotis.
Die Veneris 10. Martii 1581.

SVMMARIVM.

1 *Delegatus à Principe subdelegare potest; fallit, si causa duobus sit insolidum commissa, quia tunc altero praeoccupante alter se intromittere non potest.*

2 *Non est indistinctè verum, quòd quando causa cōmittitur Vicegerenti, possit cognoscere ille, cuius vices gerit.*

3 *Episcopus non potest cognoscere causam Vicario commissam, cum Vicarius in illa sit maior Ordinario.*

4 *Si duo sint dati iudices insolidum; etiam quòd vnus praeoccupauerit, potest alter cognoscere, quando ille, vel infirmitate, vel alia iusta causa est impeditus; vel si est absens, vel non procedit, vel lentè procedit.*

5 *Arbitrio iudicis committitur, quaenam sit iusta causa, vel iniusta alteri causam committendi.*

DECISIO DVI.

FVit resolutum pro validitate sententiæ extra Rotam latæ, non quidem ea ratione, quòd ✝ delegatus à Principe subdeleget, *l. à iudice. C. de iudic. cap. si pro debilitate. de off. delegat.* quia hoc non procedit, vbi causa duobus insolidum committitur; prout fuit commissa ista, *cap. cum plures, vbi Archidiac. Io. Andr. Butr. Gemin. Anchar. & Franc. de off. deleg. in 6.* hoc enim casu altero præoccupante alius se intromittere nō potest, *vt inquit ibi text.* Neque etiam ex eo, quòd videatur contēplatum tribunal *ad ea, quæ tradunt Doctores in cap. quoniam Abbas. de off. deleg.* quia illa materia alio tendit, ut pe ad quæstionem de successione, *vt fuit dictū in causa Syracusana Illegitimitatis corā R. P. D. Cantuccio*, * *& in alia Placentina coram R. P. D. Lancellotto.* Neque indistinctè verum est, quòd ✝ quando causa committitur Vicegerenti, possit de ea cognoscere ille, cuius vices gerit, quia in terminis habemus, quòd ✝ Episcopus non potest cognoscere de causa commissa Vicario, quia in illa est maior Ordinario, *cap. Studuisti. de off. deleg. Card. in Clem. 1. num. 10. de rescript. & ibi Imol. num. 14. propè fin.* & licèt contrarium sentiat *Franc. in cap. dilecti. il tergo. num. 4. de appellat.* tamē *Doc. in d. cap. quoniam Abbas. num. 19. in fin. de off. deleg.* videtur tenere priorē opinionem. Neque applicātur *notata in cap. cum te. de rescript.* quia non procedunt, vbi ambo sunt insolidum delegati. Neque videtur etiam tutum recurrere ad prorogationem, quia *text. in d. cap. cum plures.* abnegat potentiam, itaut Doctores ibi dicant procedere etiam si primus Iudex consenserit, & quamuis aliqui voluerint, quòd id fieri posit, si concurrat expressus partium consensus, *vt per Anchar. num. 3. & Butr. nu. 4.* tamen hic non habemus expressam nec tacitam etiam prorogationem, sed alia ratione sustinuerunt Domini sententiam, nempe, quia ✝ licèt duo iudices sint dati insolidum, etiam quòd vnus præoccupauerit, potest alter cognoscere, quando ille, vel infirmitate, vel alia iuxta causa est impeditus, vel est absens, vel non procedit, vel lentè procedit, *Gemin. vbi supra. num. 10. Franc. num. 3. Butr. num. 9.* quare cum versemur in causa dotis, quæ semper & vbique præcipua est, *l. 1. solut. matr.* & notorium sit causas apud Dominum Locumtenentem propter multitudinem negociorum recipere magnas dilationes, ✝ satis iusta causa fuit eam alteri committendi; arbitrio enim iudicis committitur, quænam sit iusta causa: exempla ponunt Doctores prædicti *ex l. item hi. ex quib. caus. maior. & ex l. 2. si quis caut.* in quibus locis iniustitia causæ pendet à iudicis arbitrio, *Menoch. de arbitr. cas. 153. centur. 2.* & hac fortè ratione fuit inductus stylus per informantes allegatus.

* Sub die 10. Decēbris 1575. in impress. diuers. nouissim. 11. part. 2.

Gerunden. Anniuersariorum.
Die Lunæ 13. Martii 1581.

SVMMARIVM.

1 *Enunciatiuæ in antiquis excedentibus metam centum annorum probant.*

2 *Obseruantia subsequuta est optima interpres cuiuscunque dispositionis.*

3 *Confirmatio Apostolica ex temporis diuturnitate præsumitur.*

4 *Præscriptionem opponere non potest, nisi qui præscripsit.*

DECISIO DVII.

FVit resolutum Capitulum melius probasse suam intentionem ex pluribus, primo quia iam fuit resolutum Capitulum habere fundatam intētionem de iure communi, quod comprobatur ex enunciatiuis annorum 1430. num. 23. 1437. num. 24. & 1447. num. 26. & 1452. num. 19. & 1471. num. 18. & 1476. num. 21. & 1488. nu. 27. & 1463. num. 28. & 1446. num 30. & successiuè ab anno 1509. hucusque num. 15. ✝ quæ enunciatiuæ, cum simus in antiquis excedentibus metam centum annorum, probant, *Achill. decis. 6. de iurepatr. Aym. de antiq. temp. partic. 1. num. 67. & 68.* Comprobatur ex obseruantia subsequuta, ✝ quæ est optima interpres cuiuscunque dispositionis. *l. si de interpretatione. de legib. Aym. consil. 118. num. 2.* Capitulum enim pro libito voluntatis sæpius circa hæc Anni-

niuersaria disposuit. Non obstante deducta pro parte beneficiatorum, ea enim ad vnicum fundamentum deducuntur, nempe quòd antiquitus ius pertineret ad Clavigerum, & quòd Anniuersaria non fuerunt erecta ex bonis Capituli, sed ex fidelium eleemosynis, sed hoc non concludit ad ius beneficiatorum, sed est dare de iure tertij iã extincto: nam licèt aliquando administrauerit Clauiger; tamen quando Anniuersaria cœpta sunt augeri, Capitulum administrauit, vt constat ex confessione Clauigeri facta in cessione de anno 1419. & hæc confessio comprobatur ex administratione sexdecim annorum ante annum 1384. quo fuit conditum statutum à Bertrando Episcopo; & cum fuerit cessum hoc ius procuratoribus Capituli, apparet esse extinctum,
3 & quamuis esset necessaria † confirmatio
Apostolica, ex temporis diuturnitate præsumitur, *Doctores in l. sciendum. de verb. obligat. Felin. in cap. sicut. de re iudic. Fab. decis. 22.* Preterea vix est, vt ex deductis possit dici constare de dominio Clauigeri, nisi ex præscriptione, quia tanto tempore administrauit. Non enim omnium Anniuersariorum fundationes reperiuntur:
4 & ideo sequitur de hoc iure † neminem opponere posse contra verum Dominum agentem, nisi eum, qui præscripsit, *Bald. in consil. 9. num. 4. lib. 1. Balb. de præscript. 2. part. princip. quæst. 2. num. 8. de commun. testatur Couar. in regul. possessor. parte 3. §. 1. num. 3.* Neque obstat, quòd cessio prosit combeneficiatis; quia non fit illis vti beneficiatis, sed vti procuratoribus Capituli. Ex quibus apparet hoc ius, de quo opponunt beneficiati, esse ius tertij turbidum & extinctum, ideoq. præualere Capituli probationem.

Placentina Bonorum.

Die Veneris 7. Aprilis 1581.

SVMMARIVM.

1 *In alienationibus bonorum Ecclesiæ causa & solemnitas copulatiuè requiruntur, nec vnum sine alio sufficit.*

2 *Auctoritas Papæ in alienatione bonorum Ecclesiæ supplet omnes solemnitates, sed non supplet defectum causæ.*

3 *Defectus causæ reddit nullam interpositionem decreti super alienatione, & numer. seq.*

5 *Pro decreto in dubio præsumitur, admittitur tamen probatio in contrarium.*

6 *Alienans bona Ecclesiæ tanquam patrimonialia est debitor Ecclesiæ pro illa summa.*

7 *Rector Ecclesiæ vendens bona Ecclesiastica tenetur saltem de suo resarcire Ecclesiam.*

8 *Rector debet ex fructibus Ecclesiæ, si potest prouidere indemnitati Ecclesiæ, non autem bona illius alienare.*

9 *Inquisitio, de quibus bonis fieri debeat cõparatio rei, quæ prætenditur vtilis, est inquisitio circa causam principalem alienationis, & sic circa euidentem vtilitatem.*

10 *Euidens vtilitas dicitur causa finalis alienationis bonorum Ecclesiasticorum, & subreptio, quæ circa ipsam causam versatur, tantum attenditur.*

11 *Alienatio quando fit ex causa vtilitatis, necessaria est inquisitio, quòd potius expediat alienare, quod est inquirere de ipsa causa alienationis; secus est, quando fit ex causa necessitatis, quia tunc sufficit, quòd subsit necessitas absque alia inquisitione.*

12 *In alienatione bonorum Ecclesiæ, non solum requiritur vtilitas, sed etiam quòd sit euidens vtilitas.*

DECISIO DXVIII.

FVit resolutum alienationem terrarum, de quibus agitur, fuisse nullam non obstantibus litteris si in euidentem, & confir-
1 matione subsequuta: etenim † in huiusmo-
di alienationibus copulatiuè requiruntur causa & solemnitas, nec vnum sine alio sufficit, *vt per Doctores in cap. sine exceptione. 12. q. 2. vbi latissimè Laurentius de Rodulphis in 3. q. Couar. variar. resolut. lib. 2.*
2 *c. 17. nu. 2.* & licèt † auctoritas Papæ sup-
pleat solemnitates, *iuxta cons. Abb. 47. lib. 1.* non tamen supplet defectum causæ, immo
3 † defectus causæ reddit nullam interpositio-
nem decreti super alienatione, *Gemin. in cons. 48. n. 9.* tunc enim non verificatur cõditio, sub qua Papa rescripsit, nempe si cedebat in euidentem vel necessitatem vel vtili-
4 tatem Ecclesiæ; ideo, † si neutrum verifica-
tur, nulla est interpositio decreti, *Ruin. in*
5 *cons. 48. n. 9. lib. 1.* & licèt † pro decreto in
dubiũ præsumatur, vt aliàs fuit dictum, tamen admittitur probatio in cõtrariũ, quòd non subsit neque necessitas, neque euidens vtilitas, quæ quidem hoc casu concludenter probata videntur: Cum enim Abbas de
6 anno 1519. † vendidisset bona Ecclesiæ tã-
quam patrimonialia pro libris 1744. ipse saltem erat debitor Ecclesiæ prædictæ quãtitatis, *c. statuimus. cũ duobus seq.* 12. *q.* 2. cumq. per quindecim dies ante celebrationem contractus, de quo agitur, idem Abbas consequutus fuerit libras sexmille ex transactione inita cum Bottis, apparet, quòd nõ suberat necessitas alienandi; cum enim debitum, quod vrgebat, esset tantum librarum 1998. & Cõmendatarius habebat in manibus 1744. satis apparet nulla cogente necessitate factam fuisse alienationem. Neque obstat, quod respõdetur quantum ad libras
7 1744. non præsumi, quòd extarent, quia † de
suo

suo proprio Abbas tenebatur refundere, vt
in d.c. statuimus. 12. *q.* 2. Neq; obstat, quòd
posset aliam summam sex millium librarum
tanquam fructus Abbatiæ pro se retinere;
quia hoc procedit, quãdo non subest neces-
8 sitas alienandi, aliàs † debet ex fructibus, si
potest, prouidere, non autem bona Ecclesiæ
alienare, *glos. in c.* 1. *in verb. defensore, de*
reb. Eccl. non alien. in 6. *& ibi Io. Monach.*
n. 3. *Abb. in c. nulli. n.* 5. *de reb. Eccles. non*
alien. Syluest. in verb. alienatio. n. 1. *Tabien.*
ibid. n. 4. *Socin. cons.* 29. *n.* 16. *lib.* 1. Quantũ
verò ad vtilitatem, probatur eam nõ subes-
se, immo constare de damno, ex quo pote-
rat Abbas ex illis pecunijs nedum restitue-
re melioramenta, sed etiam emere aquas,
quibus indigebat; nã pro his oĩbus sufficie-
bãt libræ 6998. & ipse habebat in manibus
libras 7744. & ita omnibus solutis supere-
rant ei adhuc libræ 746. ergo non fuit vtile
tunc temporis vendere prædicta bona pro
aquis emendis, quas comparare poterat ex
9 pecuniis penes eum extantibus: † Inquisi-
tio enim, de quibus bonis fieri debebat cõ-
paratio rei, quæ prætenditur vtilis, est in-
quisitio circa causam principalem ipsius
alienationis, & sic circa euidentem vtilita-
tem, *Federic. de Sen. in cons.* 249. *n.* 2. *Franc.*
in c. 1. *n.* 19. *de reb. Eccl. non alien.* & negari
non potest, quin expressio omnium istorum
non solum reddidisset Papam difficiliorem,
sed etiam ipsum penitus retraxisset; & ideo
videtur supposita persona Pelagatri, ne hoc
negocium, & facilitas consequendi aquas si-
ne alienatione aliorum bonorum detege-
retur. Non obstant ex aduerso deducta; Et
primo, quod dicitur has pecunias fuisse in
melioramentis expositas; quia hoc nõ pro-
batur, & plura deducuntur, quæ contrariũ
suadent, sed vt hoc admittatur, si res ita se
habet, apparebit ex alio de damno; nã eui-
dens vtilitas aliàs considerata, non perue-
nisset ex illis libris tribus millibus, quibus
comparatæ sunt aquæ, sed ex aliis sex mil-
libus impẽsis in melioramẽtis; & ideo quod
dicitur nihilominus contractum fuisse in se
vtilem, non satisfacit; quia cum omnia pos-
sent commodè fieri sine bonorũ alienatio-
ne, damnosum fuit Ecclesiæ vno & eodem
tempore priuari & bonis & pecuniis; præ-
terquam quòd rescriptum est subreptitium
& nullum, vt supra deductũ est, *vt per Ruin.*
in cons. 157. *n.* 26. *lib.* 1. Nec obstat, quòd in
10 huiusmodi litteris, si in euidẽtem, † non at-
tenditur falsa expressio, quia Papa solũ ha-
bet præ oculis euidẽtem vtilitatem tanquã
causam finalẽ, *vt per Socin. in cons.* 15. *n.* 51.
lib. 1. hoc enim procedit, quando subreptio
non versatur circa ipsam causam, tũc enim
sine causa Papa concessurus nõ fuisset, *Dec.*
in cons. 142. *n.* 5. *&* 6. & hoc est, quod *Fede-*
11 *ric. in d. cons.* 249. voluit quòd † quando alie-
natio fit ex causa vtilitatis sit necessaria
inquisitio, quòd potius expediat alienare,
quia hoc est inquirere de ipsa causa aliena-
tionis; secus verò quando fit ex causa ne-
cessitatis, sufficit enim quòd subsit necessi-
12 tas, & eo magis hæc procedunt, ex quo † in
similibus alienationibus requiritur non so-
lum vtilitas, sed & quòd sit euidens vtili-
tas, *Corn. in cons.* 243. *n.* 3. *lib.* 2. *Barbat. in*
cons. 540. *lib.* 1. *cum alijs allegatis.* [a] Et ideo
ex his, omissis aliis fundamentis, quæ leuio-
ra Dominis visa sunt, conclusum alienatio-
nem neque necessariam, neque vtilem fuisse,
& consequenter litteras, si in euidentem, &
confirmationem subsequutam dominis Pu-
teobonellis non suffragari.

[a] c. 9. de reb. Eccl. nõ alien. Paris cõsil. 3. col. 9. lib. 4. de cõmuni. La... cons. 4. n. 3. lib. 3. Dec. cõsil. 142. n. 5.

Maceraten. Dotis.
Die Lunæ 10. Aprilis 1581.

SVMMARIVM.

1 *Actus præsumitur factus ex ea causa, ex qua valere potest.*
2 *Actus sustinetur ex eo capite, ex quo sustineri potest.*
3 *Delegatus à Principe subdelegare potest.*
4 *In dubio respondendum est pro actus validitate.*

DECISIO DIX.

Domini persistunt in resolutis; cũ enim
causa ex sui natura requireret celerẽ
expeditionem, & impedimẽta sint notoria,
non erat necessaria causæ expressio; quia
1 † actus præsumitur factus ex causa, ex qua
potest valere, *l. quoties. de rebus dub. Aegid.*
decis. 532. Nõ obstat, quòd dicat cum facul-
tatibus solitis, quia intelligitur solitis in
his casibus; neque apparet Auditorem Ca-
meræ se restrinxisse ad facultates ordina-
2 rias, † quo casu sustinetur actus ex eo capi-
te, ex quo sustineri potest, *c. cum ex officij.*
vbi Felin. n. 31. *de præscript.* Non obstat,
quòd nõ potuisset delegare Locatellũ, quia
satis est, quòd non subdelegauit, & satis est,
quòd Auditor Cameræ ex iusta causa se
ingessit, & ex quo potuit de causa cogno-
3 scere: † potuit etiam subdelegare, quia de-
legatus à Principe. Non obstat recusatio,
quia non fuit appellatum, *Achill. decis.* 1. *de*
4 *recusat.* & † in dubio est respondendum pro
actus validitate.

Virdunen. Canonicatus.
Die Lunæ 10. Aprilis 1581.

SVMMARIVM.

1 *Merum priuilegium est, quando concessio non est facta per viam contractus, sed ad partis supplicationem.*
2 *Clausula, sicut exhibita nobis petitio continebat, denotat concessionem ad partis supplicationem emanasse.*
Idem est in clausula de benignitate Apostolica

stolicâ dignaretur, ita statuere, vt n. 3.
4 *Verba, statuimus & ordinamus, in concessione Papæ important promulgationem noui iuris.*
5 *Clausula, in omnibus & per omnia, ac si in dictis litteris essent comprehensi, importat omnimodam exequationem.*
6 *Clausula, quorum tenores, omnia comprehendit.*
7 *Clausula, sublata, vltima derogat priori.*

DECISIO DX.

DVbium fuit distinctum in plures difficultates; Prima, an Bulla Leonis quantum ad Virdunensem contineat pactũ & contractum, vel priuilegium dumtaxat; Secunda, an communicatio fuerit facta tantummodo ad effectum tollendi reseruationem mensium, vel absolutè respectu omniũ in concordatis contentorum; Tertia, an huiusmodi communicatio fuerit reuocata, vel per regulas reuocatorias facultatum conferendi beneficia reseruata, vel per regulam reseruatoriam mensium, vel per Cõstitutionem fel. record. Pauli Tertij, de qua tamen in dubio non fuit facta mentio; licèt postea per informantes allegata & deducta fuerit. Quantum ad primam fuit decisum,
1 † Bullam Leonis continere merum priuilegium, quia concessio non est facta per viam
2 contractus, sed ad partis supplicationẽ † ex clausula illa, sicut exhibita nobis petitio
3 continebat; † Item illa, de benignitate A-
4 postolica dignaretur ita statuere; † Item illa, statuimus & ordinamus, quæ important promulgationẽ noui iuris, *glos. in Clem. fin. in verb. statuimus. de rescript. cum similib.* & in sũma nihil in tota Bulla legitur, quod sonet in contractum, sed tantum in simplicem Constitutionem, *vt post Bald. considerat Riminald. in cons. 389. n. 6. lib. 2.* Quãtum ad secundam, fuit dictum communicationem esse generalem respectu omnium reseruationum, tum ex narratiuâ, tum ex dispositiua ipsa, dum vult, quòd Capitulum
5 possit conferre in dictis mensibus † in omnibus & per omnia, ac si in dictis litteris Virdunenses essent comprehensi, quæ res omnimodam exequationem importat, *ex notat. in l. 1. de legat. 1. Socin. in cons. 63. n. 22. lib. 3. Gozad. cons. 48. n. 13. Andr. Sicul. in l. cum acutissimi. n. 265. C. de fideicommiss.* Quantum ad tertiam, reuocatio deducitur ex triplici capite, quorum duo priora sunt ex regula reuocatoria facultatũ conferendi reseruata, & ex regula mensiũ, sed horum neutrum tollit concessionem Leonis; quia clausulæ derogatoriæ ad sequentes derogationes sunt valde prægnantes; maximè in ea parte, in qua requirunt consensum Capituli, *iuxta ea, quæ dicta fuerunt corã me in causa Asloricen. Archidiaconatus.** Tertium caput est ex Constitutione fel. record. Pauli Tertij, & per eam censuerunt Domini sublatam fuisse prædi-
6 ctam Leonis concessionem † propter clausulam, quorum tenores, quę omnia comprehendit, *per cons. Butr. 2. à Rota approbati, quod etiam in prædicta Asloricen. dictũ fuit, Pute. decis. 25. de priuileg.* Non obstat *decisio facta in Leodien.[a] Canonicatus corã Quiroga;* quia loquitur in Ecclesia Leodiense, quæ comprehenditur verè sub Concordatis
7 Germaniæ. Non obstat † clausula, sublata, quæ est in priuilegio Leonis; quia pariter est in Constitutione Pauli, & vltima derogant prioribus. Nõ obstat, quòd isti sint familiares ex priuilegio, quia satis est, quòd talis familiaritas ex Constitutionis dispositione inducat reseruationes cum clausulis fortioribus, ex quibus tollitur Bulla Leonis: Quia tamen hæc Constitutio non fuerat in dubio posita, fuit dictum, quòd si pars velit particulariter audiri, audiatur.

*die 19 Martii 1576.

[a] sub die Veneris 15. Maii 1556.

Narnien. Legitimæ.
Die Lunæ 17. Aprilis 1581.

SVMMARIVM.

1 *Obligatus ad solutionem ducatorum, tenetur soluere iuxta æstimationem & valorem hodiernum.*
2 *Vbi species certa monetæ fuit promissa, quæ extet tempore, quo fieri debet solutio, illa species est soluenda, vel eius æstimatio de tempore fiendæ solutionis, vt est communis opin.*
3 *Natta cons. 454. num. 3. reprobatur.*
4 *Decis. Afflict. 194. declaratur.*

DECISIO DXI.

DOminus Alexander Massarius repetebat à Domino Siluio fratre dotis maternæ portionem, quæ cum fuisset soluta tempore contracti matrimonij in tot ducatis auri de Camera, qui tunc temporis præsupponuntur valuisse decem Iulios, orta fuit inter dictos fratres controuersia, prætendente Siluio se teneri ad solutionem decem Iuliorum tantum pro ducato, non autem ad rationem valoris hodierni; Ideo dato super hac re dubio fuit per Dominos cõ-
1 clusum † Siluium teneri ad solutionem ducatorum iuxta æstimationem & valorem hodiernum; nam communis est Doctorum
2 sententia, quòd † vbi species certæ monetæ est promissa, quæ extet tempore, quo fieri debet solutio, illa species est, soluenda, vel eius æstimatio de tempore fiendæ solutionis, *Bart. & Doctor. in l. Paulus. de solution. Brun. de monet. in 5. particul. Bolognet. in l. cum quid. num. 74. si cert. petat. Alciat. ibid. num. 68. & consil. 155. vbi inquit, omnes in d. l. cum quid. ita sentire. Cagn. in l. 2. num. 215. C. de pact. inter empt. & vend.*

vend. eandem esse communem testatur Aretin. in cons. 11. n. 3. Gabr. de solut. conclus. 2. in princ. Socin. iun. cons. 44. num. 5. lib. 4.
3 † Neque obstat *Natt. consil. 454. num. 3.*
quia ipse decipitur æquiuocando de moneta, quæ est in obligatione ad eam, quæ est in facultate soluendi, & male sentit, & contra communem Doctorum sententiam.
4 † Non obstat *Afflic. decis. 194.* quia ibi diuersus est casus à nostro, non enim erat in obligatione ducatus Venetus, qui est certa species, sed florenus, & tamen traditio dotis facta fuerat in ducatis, & florenus erat in obligatione, & hæc sufficiant ad declarationem præsentis dubij, omittendo alias quæstiones, quas latè tractant Doctores, & in quibus opus est longa distinctione propter diuersitatē casuum, & Doctorum controuersias.

Reglen. Bonorum.

Die Veneris 21. Aprilis 1581.

SVMMARIVM.

1 *Exceptiones rem non personam respicientes, quæ obstant cedenti, regulariter etiam obstant cessionario.*
2 *Cessionarius non potest agere via exequutiua, nisi seruatis ijs, quæ seruare debebat cedens.*
3 *Citatio facta, quatenus sua quis putauerit interesse, non arctat ad comparendum, nisi adsit clausula comminatoria de procedendo ad vlteriora, vt num. 5.*
4 *Contra non comparentem, qui non est contumax, non potest ferri sententia.*
5 *Clausula comminatoria de procedendo ad vlteriora contumacia non obstante, posita in citatione ad comparendum, quatenus sua quis putauerit interesse, alterat naturam citationis, & afficit.*

DECISIO DXII.

1 CVm † regulariter exceptiones rem non autem personam respicientes, quæ obstant cedenti, obstent etiam cessionario, *Aretin. in consil. 16. in fin. Socin.*
2 *iun. consil. 74. num. 7. lib. 3.* & † cessionario non competat via exequutiua, nisi seruatis ijs, quæ seruare debebat cedēs, *Natt. in consil. 398. num. 2. in fin.* Consequens visum est Dominis non posse procedi contra
3 Illust. D. Claudium, † cum fuerit citatus tantum per Reuer. Dominum Abbatem, quatenus sua putauerit interesse, nec vnquam comparuerit; Ideo neque ipse D. Abbas potuisset obtinere contra eum, cum talis citatio non arctet ad comparendum, *Rot. in nou. decis. 18. de dol. & contumac. Felin. in c. cum inter. num. 12. & ibi Dec. n. 16. de except.* est enim potius actor quàm reus, *Afflic. decis. 2. num. 9. & 24. nu. 17. in*
4 *fin. Socin. de citat. artic. 20. n. 22.* Ideo † contra non comparentem non potest ferri sententia, quia non dicitur contumax, *Aegid. decis. 11. Felin. d. c. cum inter. nu. 12. in fin.* neque de eius interesse constat ratione possessionis, cum non probetur, bona, de qui-
5 bus actum fuit, esse per ipsum possessa; † si tamen in citatione adesset clausula comminatoria de procedendo ad vlteriora, cōtumacia non obstante, hæc alteraret naturam citationis, & afficeret, *Capic. decis. 8. nu. 4.* de qua tamen limitatione, si opus sit, esset videndum; sed in hoc concordarunt vnanimiter Domini, non posse procedi cōtra D. Claudium, nisi prius intimatis illi exequutorialibus, quia neque ipse Abbas ex cuius persona veniunt Illustr. Domini actores, illis non intimatis obtinere posset.

Perusina Exequutionis.

Die Lunæ 24. Aprilis 1581.

SVMMARIVM.

1 *A prima æstimatione reclamare licet; & ideo si secunda æstimatio fiat, illi standum est, & hoc procedit, licèt promissum fuerit stare cuicunque æstimationi, & num. 4.*
2 *Ab æstimatione quandocunque licet appellare, licèt non fiat appellatio in tempore; quia iudex quandocunque potest alterum ad æstimandum admittere.*
3 *Sententiæ latæ ad relationem peritorum regulariter non transeunt in iudicatum.*
5 *Si secunda æstimatio fuerit nulliter facta, ad nouam æstimationem deueniri debet.*
6 *Quod nullum est, omni prorsus caret effectu.*
7 *Rescriptum in commissione quantũuis subreptitium, si non sit de subreptione oppositum, tribuit iurisdictionem.*
8 *Rescriptum cum clausula, constito de nullitate, dicitur conditionale.*

DECISIO DXIII.

1 FVit resolutum † standum esse secundæ æstimationi, dũmodo ea sit valida, quia à prima fuit reclamatũ, quod facere licuit, *Afflic. decis. 188. n. 4. Doctores in l. arbitrio.*
2 *qui satisdar. cog.* Neque obstat, quòd † appellatio non fuerit in tempore, quia iudex quandocunque admittere potest alium ad
3 æstimandum; & ideo † regulariter sententiæ latæ ad relationem peritorum non transeunt in iudicatum; *Felin. in c. proposuisti. n. 10. de probation.* præsertim cum hic pro-
4 cessum fuerit in vim commissionis. † Neq; obstat, quòd Ascanius promiserit stare æstimationi, quia non promiserat stare cuicũq; æstimationi, *vt per Bald. l. tale pactũ. §. prouocauit. n. 5. de pact.*
5 † si verò secũda æstimatio esset nulla, deueniendum esset ad nouã
6 æstimationem, cum † id, quod est nullũ, careat omni effectu; Nullitatem informantes dedu-

7 deducunt, ex eo, quòd † commissio fuerit subreptitia, sed si non fuit de subreptione oppositum, rescriptum quantumuis subreptitium tribuit iurisdictionem, *Innoc. in c. cum M. in fin. de rescript. Cassad. decis. 1. de*
8 *rescript.* Item ex eo quòd † rescriptum fuit conditionale, constito de nullitate primæ æstimationis, aliàs secūda est valida. Itē deducitur ex defectu citationis; quia fuit citatus Bonardus qui nō erat procurator, & citatio fuit facta pro die 20 Maij, & nihilominus reperitur æstimatio facta sub die 20. Iunij; & ideo statuēdum in facto, quomodo circa ista res se habeat. Cętera, quę ad probandam nullitatē secundę ęstimationis deducuntur pro parte Ill. Dominæ Hortensiæ fuerunt reiecta tanquam friuola. Quantum ad secundam partem dubij, Domini dixerunt standum esse primæ mensurationi cum augmento, si quod adest in posteriori per Illustriss. D. Marchionem factam, quia quæ facta est pro parte Ill. D. Hortensiæ, est nulla ex multis capitibus, prout ex facto ex aduerso deducto colligitur.

Acheruntina fructuum
Die Veneris 28. Aprilis 1581.

SVMMARIVM.

1 *Reseruatio omnium fructuum intelligi debet deductis oneribus.*
2 *Vsufructuarius tenetur ad omnia onera realia, quæ ratione fructuum imponuntur, veluti ad sarcienda tecta, soluere tributa, salaria, & similia.*
3 *Percipiens fructus Castri tenetur ad stipendia militum, qui ibi pro custodia retinentur.*
4 *Titularis beneficij non est proprietarius, sed Deus & Ecclesia.*
5 *Clausula, volumus, quæ apponitur in reseruationibus, non facit, quominus, vbi non est apposita, sit attendenda iuris communis dispositio; nisi de stylo contrarium seruari probetur.*
6 *Congrua Vicario perpetuo proportionata oneribus ipsum tangentibus dari debet.*
7 *Abbatia est dignitas.*

DECISIO DXIIII.

1 DOmini dixerunt non esse recedendum à resolutis, [a] cum enim † hæc reseruatio sit omnium fructuum ea intelligenda est deductis oneribus, *vt per Dec. in cons. 156. Gigas q. 89. de pension. Tiraq. de retract. lign. §. 15. glos. 1. cum alijs per informā-*
2 *tes allegatis*, [b] & † vsufructuarius tenetur ad omnia onera realia, quæ ratione fructuum imponuntur, veluti ad sarcienda tecta, soluere tributa, & salaria, & his similia, *l. bactenus. de vsuf. Bertrand. in cons. 150.*
3 *lib. 7.* & † qui habet fructus Castri, tenetur soluere stipendia militum, qui ibi pro custodia tenentur, *Ias. in l. diuortio. §. impendia. solut. mat.* Quæ in contrarium allegantur distinguendo inter onera fructuum, & onera titularia, nō applicantur; primo quia
4 † titularis non est proprietarius, sed Deus & Ecclesia, quæ ideo dicitur possidere, *Innoc. in c. cum super. nu. 3. de caus. poss. & propri. ad notat. per glos. in c. conquerente, de off. ordin. c. requisisti de testam. c. fin. de pec. cler.* Præterea distinctio illa procedit, quando agitur de impendijs ad perpetuam vtilitatem; nam vbi agitur de temporali, tenetur ille, qui fructus percipit. Non obstat stylus, quia neque probatur, neque releuat; nam
5 quòd † clausula illa, volumus, apponatur in quibusdam reseruationibus, non facit quominus, vbi non est apposita, non sit attendenda iuris communis dispositio, nisi contrarium concludenter probaretur obseruari de stylo, vbi non adest talis clausu-
6 la. Non obstat simile † de Vicario perpetuo, quia illi datur congrua proportionata oneribus ipsum tangentibus, *Doctores in Clem. 1. de off. Vicar.* Non obstat, quòd sit
7 beneficium simplex, quia † Abbatia est dignitas, *c. fin. de off. delegat. in 6. vbi Gemin. in princ. nu. 3.* Non obstat reseruatio 200. pro titulari, nam cum vniuersi fructus sint reseruati mensario, & hoc intelligatur deductis oneribus, reseruatio illa 200. fit ad effectum, vt titularis nō habeat solum nudum titulum, sed reperiatur qui vacante titulo eius collationem acceptare possit. Et ex his conclusum iuxta resolutiones aliàs factas.

[b] Rot. decis. 60. de concess. preben. in antiq. Felin. in c. ad aures, nu. 15. de rescript. Afflic. decis. 252. n. 8. Paris. cons. 44. n. 23. cū seq. vol. 2. iuxta tradit. in l. fructus. ff. sol. matr.

Auximana Dotis
Die Veneris 5. Maij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Auditor Cameræ habet facultatem reiterandi terminos etiam male & nulliter tentos sub vnica tantum citatione, etiam stante commissione, vt nu. 3.*
2 *De stylo Rotæ sufficit, quòd à die introductionis causæ, vsq. ad diem latæ sententiæ intercedant tot auditiæ, vt potuerint seruari termini, quia postea licet inculcatè & nulliter seruentur, per reiterationem illorum huiusmodi defectus sanantur.*
3 *Commissio non alterat iurisdictionem ordinariam Auditoris Cameræ.*
4 *Non est locus attentatis, quando iudex potuit procedere executiuè, nec quando lis est calumniosa.*

DECISIO DXV.

FVit resolutum pro validitate sententiæ, non obstantibus nullitatibus allegatis; prima enim, quæ deducitur ex eo, quòd pendente dilatione fuit lata senten-

tia, cum penderent termini substantiales, fuerunt enim seruati 17. Iunij, 1580. & sententia lata 4. Iulij, *l. sine pars, C. de dilation.*
1 non placuit Dominis, ex quo † Auditor
Cameræ habet facultatem reiterandi terminos etiam male, & nulliter tentos sub
2 vnica citatione, & † sufficit de stylo Palatij quòd à die introductionis causæ, vsq. ad diem latæ sententiæ intercedant tot audientiæ, vt potuerint seruari termini, quia postea licèt inculcatè, & nulliter seruentur per reiterationem sanantur huiusmodi de-
3 fectus. † Nec commissio alterauit iurisdictionem ordinariam ipsius Auditoris; *Felin. in c. cum ex officij. n. 19. de præscript. & in c. licet. in princ. de off. Ordin.* Secunda nullitas, quæ deducitur ratione pendentiæ iudicij super attentatis, pendet à negotio principali, An scilicet hoc casu esset locus
4 Constitutioni, † ita quòd potuerit procedi exequutiuè; nam si potuit procedi, nulla adiunt attentata, & lis calumniosa non inducit attentata, *Bisignet. decis. 2. de rer. permutat. Cassad. decis. 5. vt lit. pend. n. 3. Sarnen. de Annal. q. 45. in fin.*

Cervien. Canonicatus,
Die Mercurij 10. Maij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Electio simoniaca reprobatur, etiam quòd simonia sit commissa cum vno solo ex electoribus.*
2 *Tractatus de eligenda persona est permissus; si tamen adsit conuentio de tali eligendo, est illicita.*
3 *Conuentio de resignanda portione, an sit simoniaca, & quomodo probetur.*
4 *Non est eligendus, qui scandalum in populo præbiturus est, etiam quòd nullum defectum patiatur.*
5 *Electio facta scienter de indigno non valet.*

DECISIO DXVI.

1 DOmini dixerunt † electionem fuisse simoniacam, & ideo reprobatam, *Hostien. in c. bona. il 2. §. electionem. col 2. & ibi Aegid. nu. 14. de election.* etiam quòd simonia fuisset commissa cum vno solo, *c. nobis.*
2 *vbi Abb. num. 2. de simon.* & licèt † tractatus post obitum Prælati, de eligenda persona sit permissus, tamen illicita est conuentio de tali eligendo, *vt per Imol. in d. c. bona. num. 5. & ibi Card. q. 6.* præterea hic
3 † præcessit conuentio de resignanda portione, vt probatur ex attestatione Capituli, quæ est maximi ponderis, & ex publica voce & fama per testes nempe quartum, nonum & decimumtertium & alios de auditu à multis, & ex confessione Prouisoris, vt per secundum, quintum, septimum, octauum, & duodecimum testes, & hæc proba-
tio est sufficiens; maximè in delicto occulto, qualis est simonia, *c. per tuas. de simon. c. 1. de simon. in 6.* Neque hic agitur de priua-
4 tione, sed de prælatione in concursu, † neque est eligendus is, qui causam scandali in populo præbiturus est, etiam quod nullum defectum pateretur, *Abb. in c. 1. nu. 8. de elec-*
5 *tion.* † Nec etiam videtur valere talis electio, ex quo constat ex confessione eiusdem Capituli præcedente electionem fuisse factam scienter de indigno, *ad c. congregato. de election.*

Romana Fructuum.
Die Mercurij 10. Maij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Fructus dotis non debentur, vbi nulla adest dotis promissio.*
2 *Fructus dotis debentur ratione onerum matrimonij.*
3 *Priuilegium, quod ratione onerum matrimonij in fructibus dotis competit, est personale, & mutata persona tollitur.*
4 *Matrimonium spirituale gaudet priuilegijs carnali competentibus, non tamen comprehenditur in statuto loquente de matrimonio carnali, vt num. 7.*
5 *Fructus dotis non debentur mulieri, quæ ingressa est monasterium, si dos sit tam ampla, quòd mulier ex ea se alere possit, licèt adsit statutum, quod in matrimonio carnali debeantur, nu. 7.*
6 *Idem est in Vidua.*

DECISIO DXVII.

1 FVit resolutum † hæredes Hieronymi non teneri ad præsentes fructus residui dotis monialibus, cum ipsis nulla fue-
2 rit facta promissio, † & cum fructus dotis debeantur ratione onerum matrimonij,
3 quod † priuilegium est personale, & mutata persona tollitur, *Bald. in Rubr. C. de vsur. num. 5. Anan. in c. salubriter. num. 4. Negusant. de pignor. in 5. membr. 5 part. nu.*
4 16. & licèt fortè † matrimonium spirituale gaudere debeat priuilegijs carnali com-
5 petentibus; tamen † vbi dos est tam ampla, quòd mulier se alere potest, isti fructus
6 non debentur, † vt de vidua tradit *Abb. in*
7 *d. c. salubriter. num. 5.* † statutum verò loquitur in matrimonio carnali, & est ad literam intelligendum; & ideo non applicatur ad casum istum.

Valentina Iurispatronatus de Consentayna.
Die Veneris 12. Maij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus de iure communi non competit nisi ex fundatione vel dotatione, vel ex totali refectione.*
2 *Iuspatronatus dicitur ex priuilegio ex causa one-*

sa onerosa, si habet commensurationem ad causam de futuro, quæ importet aliquid soluendum.

3 *Qui allegat priuilegium excedere causam onerosam, eo quia in eo, in quo excedit causam onerosam sit mera gratia, illud probare debet.*

4 *Allegans gratiam præponderare causæ onerosæ probare debet.*

5 *Commensuratio causæ in priuilegio concesso ex causa onerosa quando sit facienda.*

6 *Priuilegio concesso ex causa onerosa Papa derogare solet, quando priuilegium est pinguius ipsa causa.*

7 *Ex obseruantia quadraginta annorum omnia præsumuntur vera & adimpleta.*

8 *Pecunia præsumitur soluentis.*

DECISIO DXVIII.

FVit resolutum iuspatronatus, de quo
1 agitur, † esse quidem ex priuilegio, cũ
de iure communi non competat nisi ex dotatione vel fundatione, vel ex totali refectione, *vt per Doctor. in c. 3. de iurepatr. Roceb. in verb. construxerit. num. 12. de iurepatr. & in terminis fortioribus, quàm sit casus noster Ant. Aug. in decis. 543. idem in*
2 *Placentina. lib. 3.* † esse tamen priuilegium
ex causa onerosa concessum, cum habeat commensurationem ad causam de futuro, si, & postquam tot pecunias impenderit, *Aretin. in c. nouerit, n. 29. de iudic. Dec. in cons. 292. num. 7. faciunt notata per Tiraq. in l. si vnquam. in verb. donatione largitus. num. 335. cum sequentib.* & quamuis Doctores velint, quòd id intelligatur, quando id, quod datur, commensuratur priuilegio,
3 alioquin † in excessu sit mera gratia, *vt per Socin. in cons. 4. & 85. n. 12. lib. 3. Alex. in cons. 7. col. 1. lib. 7. Tiraq. d. nu. 335.* tamen
4 † ille, qui allegat gratiam præponderare,
debet hoc probare, *Roland. in cons. 15. nu. 64. lib. 3. Idem Tiraq. vbi supra num. 341.* Vnde cum hic non constet de valore beneficij de illo tempore, standum est regulæ: Præterea diuersi considerari possunt effectus huius commensurationis; nam si de ea agatur ad effectum videndi, an Papa potuerit reuocare, necessaria est ista commẽ-
5 suratio, † vt dici possit valere concessionem in vim contractus irreuocabilis, *iuxta tradita per Doctor. locis supracitatis*; si verò agatur de præsumpta mente Papæ vel cuiuscunq. dispositionis ad effectum voluntatis non autem potestatis, tunc habenda videtur ratio istius causæ, & quod non esset æquiualens & commensurata exactè ad gratiam, quod colligi potest *ex præallegata decisione Ant. Aug.* vbi inquit videndum,
6 † an priuilegium sit pinguius, quàm cætera, quibus solet Papa derogare, vt *ex cons. Card. 147. quem sequitur Felin. in d. c. nouit. num. 10. vers. limita primo.* Cætera, quæ deducuntur magis tangunt verificationem priuilegij, quàm dubium, de quo
7 agitur, † & præsumuntur vera & adimpleta omnia ex obseruantia quadraginta annorum. Nec obstant, quæ contra solutionem deducuntur, quia fuerunt sublata in
8 alia decisione [a], † & pecuniæ præsumũtur soluentis, cum de mandato Comitis solutæ fuerint, & ex causa concessionis Leonis, vt in quietantijs dicitur, *Salic. in l. 2. nu. 2. C. si cert. pet. Bertran. in cons. 253. n. 2. in prim. tertij. Aym. cons. 129. n. 3. in fin. Dec. 348. n. 4.*

[a] die 30. Ianuarij proximè præterita facta.

Bertinorien. Matrimonij.
Die Mercurij 17. Maij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Appellatione sponsi aliquando venit maritus, & quando.*

2 *Ex quibus probetur contractum esse matrimonium, & non sponsalia.*

3 *In matrimonio dicuntur seruata decreta Concilij Tridentini per solam præsentiam parochi.*

4 *Vxor sequitur forum viri, potius quàm è contra.*

DECISIO DXIX.

FVit resolutum constare de matrimonio legitimè contracto: quantum ad contractum attinet, probatur ex primo, tertio & sexto testibus, qui deponunt de verbis de
1 præsenti, † & licèt aliqui vtantur appellatione sponsi, tamen ex alijs declarantur, *Butr. in cons. 45. col. 2. in fi. Soc. Iun. cons. 69. num. 16. lib. 1.* quod etiam declaratur ex tractatu præcedenti, quod colligitur ex licentia obtenta, quæ non erat necessaria in
2 sponsalibus; Item † ex annuli traditione & deosculatione, & verba fuerunt prolata ad interrogationem binam parochi, & sic deliberatè, *Io. Andr. & alij in c. ex litteris. vbi Preposit. nu. 4. & 6. de sponsalib. Natt. in*
3 *cons. 250. nu. 1. lib. 2.* † quòd autem rite fuerit contractum seruatis decretis Concilij Tridentini satis apparet, ex quo sacra Cõgregatio censuit sufficere præsentiam pa-
4 rochi viri; maximè † cum potius vxor sequatur forum viri, quàm è contra, faciunt *notata per Bald. in l. voluntas. nu. 1. in princ. C. de fideicom.* quòd autem iste esset parochus viri, probatur ex dicto suo, & duorum aliorum testium. Nec placet, quod dicitur ipsum tractare de se exonerando, nam stante licentia, non indiget aliqua exoneratione, & in omnem euentum numerus supplet, *Gabr. de testib. concl. 6. num. 3.*

Anconitana Vineæ.
Die Lunæ 22. Maij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Mater tutrix non potest sibi soluere dotem in alijs bonis pupilli diuersis ab ijs, quæ*

in dotem data fuerunt, nisi adsit consensus.

2 *Error in transactione non facit, quòd verba transactionis generalia patiantur restrictionem.*

3 *Verba generalia & pragnantia in transactione magis attenduntur, quàm dubitatio contrahentis.*

4 *Transactio regulariter non comprehendit rei vendicationem; secus est, si in transactione adsint illa verba, pro omni eo & toto, quod dictæ partes petere possent, & quando verba sunt pregnantia.*

DECISIO DXX.

Domini dixerunt nihil deduci, ex quo sit recedendū à resolutione aliàs sub die 13. Februarij 1576. facta *, nam expressè transactum fuit etiam super bonis paternis, & de inuētario facta est mentio, non autem super bonis maternis tantum, vt prætendit Laura, prout clarè legitur in ipso transactionis instrumento. Nec facit, quòd Laura censuerit, quòd Clarotius haberet vineam ex hæreditate Dianæ, quia cum teneretur ad restitutionem dotis, potuit approbare illā solutionem à tutrice licèt inualidè factam de ista vinea, quando illam Clarotio dedit in dotem; nam quamuis, *vt ait Bald. in l. cum ipse, nu. 7. C. de contrah. empt.* ✝ non possit mater tutrix sibi soluere dotem in alijs bonis pupilli, quia vnum pro alio exigi non potest; tamen cessat hæc ratio, vbi adest consensus, prout in isto casu; & ideo hinc nō potest argui error, quia iste error si quis adest, prætenditur in eo, quòd putaret in trāsactione cōprehendi bona paterna, ✝ quo casu intrat *dispositio l. sub prætextu. la 2. & quod ibi notat Bald. n. 10. C. de trāsactio.* quòd talis error nō restringit verba generalia, ✝ quæ magis attendūtur quàm dubitatio contrahētis, & hoc maximè procedit hoc casu, in quo bonorum paternorum facta est mentio in indiuiduo, *Cor. in d. l. sub prætextu, col. 2.* ✝ & adeo verba sunt pregnātia, vt licèt regulariter transactio non comprehendat rei vendicationem, *l. Aurelius. §. Meuia. vbi gloss. & Bart. de lib. legat.* tamen hoc casu propter illa verba, pro omni eo & toto, quod dictæ partes possent petere, censetur ea comprehensa, *Cor. in cons. 29. nu. 2. lib. 1. Apostil. ad Alex. cons. 46. nu. 3. littera C. lib. 1.*

* vbi resolutum fuit in hæc verba, videlicet non constare de errore claro ad effectum ipolij.

Esina Bonorum.
Die Lunæ 22. Maij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Non est inconueniens, quòd locus vnus duplici nomine vocetur.*

DECISIO DXXI.

Domini dixerunt ex his, quæ deducuntur pro parte Canonicorum posse colligi, quòd fundus Saletti protenditur saltem vsque ad bona Sancti Dominici, sed ex hoc non remanet fundata eorum intentio, quæ erat demonstrare, quòd Communitas nō possideret tot bona à parte inferiori fossati Maneiani, vt possit in ijs verificari quātitas illa sexcentarum pertiearum, immo potius contrarium colligitur ex instrumētis, nempe quòd posederit à parte inferiori; maximè cum in ijs fiat mentio Mogliæ, quæ videtur sonare idem quod Mogliano, &
1 ✝ non est inconueniens, quòd Mancianom, etiam alio nomine Salettum vocetur, prout ex aliàs deductis * apparet ista loca diuersis nominibus appellata fuisse; & ideo pro veritate eruenda, ordinatum fuit, vt dato dubio videatur, an fundus Saletti sit idem cum fundo Maneiani, vel potius sit ab eo distinctus, quia hoc resoluto facilis erit causæ expeditio.

* sub die 20. Maij 1580.

Auximana Dotis.
Die Veneris 26. Maij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Sufficit pro recognitione scripturæ, quòd testis dicat videri sibi scriptam manu talis, & testimonium de credulitate admittitur, vt num. 4.*

2 *Verbum videtur, aliquando denotat veritatem.*

3 *Filius præsumitur habere notam manum sui patris, nec se decipere.*

5 *Tacita confessio ex iuribus productis remanet iustificata.*

6 *Probatio, quæ aliàs non admitteretur, admittitur, quando fit ad conualidandum prius factum.*

DECISIO DXXII.

Fvit resolutū stante constitutione, Theophilum potuisse agere & egisse exequutiuè; quòd potuerit, constat ex dicta constitutione, quæ dat exequutionem paratam apodissis; quòd egerit, constat ex petitione exequutionis iuxta formam constitutionis. Non obstat, quòd non fuerit seruata forma
1 cōstitutionis in recognitione apochę, ✝ quia immo fuit recognita à Io. Baptista, eum dicat videri scriptam manu patris sui, quod
2 sufficit, ✝ verbum enim, videtur, aliquando denotat veritatem, *Bart. & Alber. in l. 1. in princ. de ventr. inspic.* Accedit indubitata obseruantia eiusdē Apochæ, cum matrimonium contractum & consmatum fuerit, nec de alia promissione dotis constat, quàm de ista; & sumus in re, quæ indicio visus per-
3 cipitur, in qua ✝ verisimile est filium non decipi, & habere notam manum sui patris;
4 ✝ & ideo testis de credulitate admittitur, *Bart. in l. testiū. n. 14. col. 2. in fin. C. de testib.* Non obstat, quòd non fuerit probatum eum esse hæredem patris, quia positiones fuerūt

habitæ

5 habitæ pro confessatis, † & tacita confessio
postea fuit iustificata ex iuribus productis,
6 & † hæc probatio admittitur ad conualidã-
dum illam priorem tacitam, *vt post Bald. tradit Dec. in Auth. si quis in aliquo. nu. 2. & 3. C. de edend.* Non obstat, quòd Theophilus egerit soluto matrimonio, nec probauerit se suscepisse liberos, quia de hoc non fuit oppositum, & debet esse in loco res notoria. Quod deducitur de cessione creditoris facta Theophilo, nõ respicit validitatem processus, sed merita causæ; & pendet à facto, an scilicet exactum fuisset creditum ante cessionẽ; ideo videatur, an hoc iustificetur.

Portuen. Bonorum de Columna.
Die Lunæ 29. Maij 1581.

SVMMARIVM.

1 *In donatione reciproca, si aliquid euincatur, an respectu eius, quod fuit euictum, cesset reciprocatio, & sit opus insinuatione.*

DECISIO DXXIII.

1 PRo resolutione dubij, ex quo † sequuta euictione Castri Noni donatio in excessu non esset reciproca; & ideo sine insinnatione nõ teneret, *Tiraq. in l. si vnquam. in verb. donatione largitus, num. 123. C. de reuoc. donat.* Domini dixerunt, esse videndum, an pretium euictionis remaneat liberum, vel reincidat in pactum; nam illo casu corrueret donatio, hoc verò sustineretur: vel erit particulariter discutiẽdum, an hic propter mutuum periculum euictionis teneat; & difficultatem facit, quia vtrinq. non adest æquale periculum, quod videtur consideratum *à glos. & Doctor. in l. si familiæ. C. famil. ercisc. Bald. ibidem in 2. oppos. Alex. in l. qui Romæ. §. duo fratres. num. 34. de verb. obligat. Cuman. in cons. 114. cum alijs allegatis per Tiraquel. vbi supr. num. 134.* Ideo videndum an sufficiat, quòd tempore donationis res esset vtrinq. incerta. Quantum ad calculum Domini ordinarunt, vt adhibitis partibus videam ea, quæ hactenus ex decisionibus factis stabiliri possunt, & deinde referã.

Gerunden. Anniuersariorum.
Die Veneris 2. Iunij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Possessio reo non suffragatur, quando actor intentionem suam probauit.*
2 *Cessio facta procuratoribus & ministris Capituli dicitur facta Capitulo.*
3 *Actus factus cum aliquo censetur factus secundum qualitatem, quam ille gerit.*

DECISIO DXXIIII.

DOmini steterunt in resolutis * 3. cum enim Capitulum fundatam habeat intentionem de iure communi, necesse est, quòd beneficiati in petitorio doceant de
1 iure suo; † possessio enim non suffragatur, quando actor intentionem suam probauit, *ad tradita per Doctor. in l. qui accusare. C. de eden.* & ista probatio est coadiuuata ex ennunciationibus aliàs ponderatis. Non obstat, quod obiicitur Capitulum non posse fundare intentionem suam in dispositione iuris cõmunis; quia probatum est, quòd in ista Ecclesia administratio pertinet ad Clauigerum; tum quia hæc administratio ei competebat ex præscriptione; ideo extinctum, nec est verum, quòd fuerit cessum hoc ius beneficiatis, sed procuratoribus à Capitulo constitutis, & sic ministris eorum, à quibus constituebantur, *ad Bart. in l. 1. §. nunciatio. num. 12. de oper. nou. nunc.* & hoc confirmatur ex narratiua illa, quæ habet, Capitulum auctis Anniuersarijs cepisse administrare, cumq. statutum Bertrandi præcederet huiusmodi cessionem per 35. annos & tunc temporis nominatio beneficiatorum penderet à statuto, cum non appareat, quòd antea hanc haberent iure proprio, se-
2 quitur, † cessionem factam fuisse Capitulo, cum facta sit ministris, quos precario à Capitulo beneficiati nominabant, & à Capi-
3 tulo constituebantur; & ideo † actus gestus cum illis, censetur gestus secundum qualitatem, quam gerebant, *Angel. de Gambel. in cons. 128. num. 22.* & hoc ab effectu comprobatur, quia post dictam cessionem non fuit alterata forma administrationis, quod factum fuisset, si aliquod ius nouum beneficiatis acquisitum ab ea fuisset. Et ex his conclusum cum decisis.

* sub die Lunæ 15. Maij proximi.

Neapolitana Pratensi matrimonij.
Die Lunæ 5. Iunij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Propter sponsalia iurata potest quis cogi ad matrimonium solemnizandum.*
2 *Filius ducens in matrimonium non indignam, non habet timere paternam exhæredationem.*
3 *Tempus appositum in promissione facta de ducendo aliquam in vxorem non extinguit obligationem promittentis, nisi docto de mora mulieris.*

DECISIO DXXV.

1 PHilippum cogendum ad solemnizandum matrimonium, cum sponsalia fuerint iurata *c. 2. & c. ex litteris. de sponsal.* Nec obstat, quod dicitur de ratificatione
2 paterna, cum hodie adsit, & etiam † timor exhæredationis ex parte Philippi nihil est;
3 cum non duxerit indignam, † Neq. tempus in promissione appositum extinguit obligationem, nisi docto de mora Isabellæ, *Ias. in l. eum qui. §. qui ita. num. 7. de verb.*

 oblig.

oblig. Dispensatio verò stante mandato instificato hodie dari potest per causæ iudicē.

Rauennaten. Vallium.
Die Lunæ 5. Iunij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Educatio & conuersatio in loco sufficit pro causa scientia in teste.*

DECISIO DXXVI.

MVlta hinc inde fiunt fundamēta circa situationem vallis Pulisenellæ: & incipiendo à fundamentis Calcagninorum, in primis fit fundamentum in statu præsenti ex inspectione plantæ: Hoc fundamentum mihi non placet, si verum est in facto, quòd in vltima plāta, de qua agitur, fuerint descriptæ valles sine præiudicio partium, ex eo quòd non potuit in loco haberi lumē veritatis. Secundum fundamentum fit in eo, quòd via Alphonsinarum, quæ est citra foueam fratrum versus Orientem, est terminus occidētalis vallis Pulisenellæ, prout dicunt testes examinati ad instantiam Canonicæ: quibus additur primus testis Calcagninorum examinatus de anno 1577. vigore remissoriæ, qui super secundo articulo dicit Vallem Pulisenellæ non excedere viā Alphonsinarum, & hoc semper dicit audi-
1 uisse; † in causa scientiæ reddit rationem, quia fuit educatus, & est conuersatus in illa regione, & fuit pluries cum agrimensoribus, quando valles fuerunt mensuratæ; & vlterius prætēditur hoc idem probari ex sententia, mandato, & possessione relaxata à Roberto de Nobilibus de anno 1510. Hoc fundamentum mihi non satisfacit, quia quantum ad testes examinatos ad instantiā Canonicæ fuit resolutum coram Grato 17. Maij 1568. illos non probare. Quantum verò ad illum testem Calcagninorum, eius depositio me non omnino moueret, si verū est in facto, quòd ipse fuerit ille, qui fecit plantam ad relationem Calcagninorum. Quantum autem ad sententiam, mandatū, & possessionem relaxatam per dictū Robertum, non datur copia harum scripturarum: sed quatenus illas referunt informātes Calcagninorum, non videtur posse in illis fieri firmum fundamentum, immo potius retorquentur in contrarium; quia ex instrumento possessionis Pulisenellę captę, in exequutionem sentētiæ dicti Roberti, cuius instrumenti verba referuntur hic per informantes Rasponorum, constat de initio Pulisenellæ, quod est à parte meridionali à latere secundi capitelli, & se extendit versus Ruptam Aseriæ. Tertium fundamentum fit in laudo Cardinalis S. Georgij iuncta equitatione Cipelli deducendo, vt per informantes Calcagninorum: hoc fundamentum vellem particulariter videre; maximè quia informantes Rasponorum illi non respondent, & me aliàs semper turbauit. Quartum fundamētum fit in resolutione vltimo loco facta *; sed hoc nihil est, quia resolutio fuit facta circumscriptis iuribus Rasponorum. Quintum fundamentum fit in eo, quòd si Vallis Pulisenellæ non esset citra foueam fratrum versus Orientem, sequeretur, quòd sex Valles, de quibus in planta nō essent contiguæ vna post aliam, nulla re intermedia, vt inquit laudum Cardinalis S. Georgij, sed inter Codardarum, & Pulisenellam interponeretur Vallis Moranipadi, quæ est separata, & distincta à prædictis vallibus: De hoc fundamento posset particulariter videri, quia informantes pro Calcagninis prætendunt ex eo tolli omnes prætensiones Rasponorum. Deducta verò pro parte Rasponorum, videntur iudicio meo redigi ad vnum tantum fundamentum, quod quidem est circa initium, & finem vallis Pulisenellæ, initium enim à parte meridionali est à secundo capitello eundo versus Ruptam Aseriæ, prout colligitur ex instrumento possessionis captæ in exequutione sententiæ Roberti de anno 1510. Finis verò Vallis Pulisenellæ est à latere Padi à fouea fratrum eundo versus Occidentem, & sic in fossa Pudola, vt colligitur ex petitione Ostasij facta coram Roberto de anno 1509. Hoc fundamentum apud me non est tutum; quia licèt partes conueniant circa initium Pulisenellæ, vt sit à secundo capitello eundo versus Ruptam Aseriæ versus Occidentem; nihilominus circa finem Pulisenellæ, & per consequens ad petitionē Ostasij plures dantur responsiones; prima est, quòd in ea non nominatur Pulisenella, sed solum dicitur vnam Vallem: Secunda responsio est, quòd petitio Ostasij dubitatiuè loquitur, dum dicitur in fossa Pudola, vel si ille locus aliter diceretur: Tertia datur respōsio, quòd in dicta petitione assignatur pro confine Oriētali, Vallis Codardari, quæ nō excedit foueam fratrum sine Bordiolos, sed si Pulisenella esset in fossa Pudola, vltra foueam fratrum nō haberet pro cōfine Vallem Codardari versus Oriētem, sed Vallem Moranipadi, quæ est propè foueam fratrum versus Occidentem, aliàs sequeretur, quòd dicta vallis Moranipadi esset intermedia inter Pulisenellam, & Codardarum, quod non est dicendum, stante laudo, & ad hanc rationem se restringunt informantes pro Calcagninis.

* sub die Veneris 20. Maij 1580.

Romana Releuationis indemnitatis.
Die Veneris 9. Iunij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Dominus tenetur ex delicto familiæ suæ, quando delinquitur in eo, in quo quis est præpositus; fallit si præpositus sit bonæ*

bonæ famæ cognitus, & qui solitus est cum integritate se gerere, & non delinquere; quæ limitatio licèt de iure communi procedat, non habet tamen locum in substitutis notariorum propter bullas, vt num. 2.

DECISIO DXXVII.

INspecta dispositione iuris communis, quamuis Gerardus & Arrendatarij ha-
1 beant regulam contra se, quòd Dominus tenetur ex delicto familiæ suæ, quando delinquitur in eo, in quo quis est præpositus, *ad Bart. in l. 1. §. si familia. de public. cum alijs allegatis*,* tamē limitatio est in eorum fauorem, quando præponitur homo bonæ famæ cognitus, & qui solitus est cum integritate se gerere, nec delinquere, *vt per Bald. in cons. 222. lib. 2. Castr. in l. videamus. locat. cum alijs per D. Benetum allegatis*, ª & hæ qualitates bene pro eorum parte probantur: neque tollitur hæc probatio per contrarias creditorum probationes, cum non concludant in specie super istis qualitatibus, sed super alijs, ex quibus non infertur necessario, quòd Cinthius esset adeo præditus moribus, vt talia de eo suspicari nō possent, *prout tradit Felin. in c. Petrus. n. 7. de homicid.* Neq. confessio Gerardi concludit ad suspicionem committēdi falsum, sed alia, quæ concernunt diligentiā in exercendo officium. Quæ deducuntur *ex l. 1. Naut. caupon. stab.* non applicantur huic materiæ, & sunt specialia ratione personarum in illo edicto comprehēsarum;
2 Verum † inspecta dispositione bullarum Domini resoluerunt dominum teneri, cum enim disponant de substitutis approbatis à Iudice, ita quòd nulla culpa dominis imputari possit, qui istis sic approbatis negocia committant, non potest earum dispositio limitari, vt procedat, vbi culpa præcedit casum; maximè cum disponatur, quòd etiam si exhibeatur ille substitutus, si non est soluendo, tamen dominus teneatur, & tamen de iure communi ex duobus capitibus non tenebatur; tum quòd non poterat ei imputari mala electio stante iudicis approbatione; tum quòd exhibuit eum, *Roman. in cons. 11. cum ibi annotatis*. Nec placet, quòd bulla fel. recor. Pij IIII. non loquatur de notarijs Auditoris Cameræ, quia immo illos comprehendit, cum sæpius in eadem fiat mentio Auditoris Cameræ, & generaliter loquatur, & maius in his versabatur periculum, stante ista consuetudine, *c. vbi periculum. de election. in 6.* An verò Gerardus, vel Arrendatarij teneantur vigore prædictæ bullæ, videndum erit particulariter,

* & Bart. in d. §. si famil. Doctores ibi communiter sequūtur teste Io. de Annan. cons. 71. n. 3. Salicet. in l. quæ fortuitis n. 7. vers. sin autem. C. de pign. action. Gramm. decis. 3 n. 12. cū alijs per Feli. in c. Petrus. n. 10. vers. secundo decla. de homic. & Paris cons. 87 n. 10. lib. 4. & per Menoch. de arbit. iud. casu 390. nu. 19. prout etiā dicitur de facto institoris extra negocium cui præpositus est, l. cuicumq. §. non tamē. ff. de instit.

ª Bald. in l. & ita §. ex hoc edicto. vers. sed quid si isti erāt homines bonæ famæ ff naut. caup. stabul. Cuman. in l. cū si exhibuissent in princ. de publ. Salicet. in l. fin. C. de pen. iud. qui loquitur in eo, qui deputauit eum, qui alias in tali officio erat exercitatus, Alex l. si cum dotē §. si post. n. 8. vers. similiter solut. matr. Rebuf. alios citans in praxi. tit. forma Vicariat. nu. 188. Franc. Marcus qui alios congerit in decis. 524. ad fin. lib. 1. & probatur in allegata l. videamus, locati. & l. si seruus seruum. §. si fornicar. & §. Proculus. ad leg. Aquil.

Esina Bonorum.
Die Mercurij 14. Iunij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Diuersitas nominis iunctis alijs argumentis arguit diuersitatem fundi.*
2 *Fines fundi diuersi arguunt apertissimam diuersitatem fundi.*

DECISIO DXXVIII.

1 FVit resolutum † fundum Manciani esse diuersum à fundo Saletti, quod non solum ex diuersitate nominis colligitur, sed etiam ex alijs multis argumentis; Primo enim apparet ex catastis Communitatis Esij alia bona sita in fundo Saletti, alia verò in fundo Manciani: Secundo † fines fundi Saletti sunt diuersi à finibus fundi Manciani, quæ res apertissimè diuersitatem arguit: Tertiò arguitur ex planta, denominationem Manciani, quæ ex resolutionibus factis eadem est cum Gangalia, non conuenire parti inferiori, in qua est planum sancti Dominici, sed superiori versus Antignanum: Neq. confunditur denominatio Manciani cum Saletto, ex eo quòd Mancianum & Moglianum tanquam sinonima in instrumentis Canonicorum enuncientur, quia in instrumentis Gentilium, Salettum non dicitur Moglianum, sed venditum est vnà cum Moglia & cerqueto, & plures sunt Mogliæ iuxta flumen: & aliud est Moglia, aliud Moglianum; Neq. terræ venditæ à Gentilibus de anno 1248. Communitati sunt illæ, de quibus est controuersia, & quas Communitas postea habuit à Canonicis; quia cum illas vendiderint tanquam proprias, nulla facta mentione directi dominij Canonicæ, non est verisimile, quòd sint illæ, quas ipsi habuerunt à Canonica in emphyteusim, aliàs contractus fuisset nullus: Neque prætendi potest ob hanc nullitatem fuisse euictas postea per Canonicos à Cōmunitate: non enim conueniunt tempora, nam ab anno 1248. vsq. ad annum 1273. computantur vigintiquinq. anni, & tamen Communitas non condemnatur, nisi pro decem & nouem annis, & tamen si ex ea causa sequuta esset euictio, condemnata esset ad fructus vigintiquinq. annorum: Accedit modicitas pretij nempe quingentarum librarum, & tamen pro dominio directo soluebantur Canonicæ de anno 1236. libræ septem & decem solidi, quæ res arguit longè maiorem fuisse valorem terrarum, de quibus agitur, si æstimetur valor vtilis dominij, & ex instrumento concessionis anni 1236. apparet Bonifacium & fratres habuisse in dictis locis alias terras, quæ sunt illæ, quas postea de anno 1248. vendiderunt, quæ cum ita se habeant, istæ terræ non possunt collocari versus mare in fundo Saletti.

Baren. Pecuniaria.
Die Mercurij 14. Iunij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Actio personalis non competit contra tertium, sed tantum contra debitorem, vel eius haredem.*
2 *Actio personalis debet prius contra haredem experiri, deinde in exequutione contra bona possidentem seruari debet forma l. à Diuo Pio. §. si super rebus. de sent. & re iudic.*

DECISIO DXXIX.

1 FVit conclusum sententiam Auditoris Cameræ esse reuocandam, † videtur enim actum sine actione, cum processum fuerit contra tertium possessorem, contra quem nō competebat personalis actio, quæ non datur nisi contra debitorem, vel eius hæredem *l. 1. §. si hæres. ff. ad Trebell.* & ideo conuenienda erat religio, non autem alius. Nec facit stabilimentum allegatum, quia licèt dicat, quòd debita soluantur prius de mobilibus, & deinde de immobilibus, non propterea dat facultatem conueniendi eū,
2 qui non est hæres, sed † debet agi contra hæredem, deinde in exequutione seruari forma *l. à Diuo Pio. §. si super rebus. de re iudic.* Articulus verò ille, an incumbat Domino Hieronymo onus probandi, quòd ista sexcenta cadant sub facultate testandi equitis Piscatoris, vel potius teneatur frater Antonius probare excessum, fuit controuersus, & nihil resolutum, licèt inclinatum pro Domino Hieronymo *per decis. Rota 62. de concess. praben. in antiq.*

Anconitana Attentatorum.
Die Veneris 16. Iunij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Attentatum dicitur non solum, quod fit pēdente appellatione, sed etiam pendente termino ad appellandum.*
2 *Statutum circa exequutionem litterarum cambij ligat etiam forenses, qui in eo loco litigant.*
3 *Statutum loquens de exequutione litterarum cambij dicitur ordinatorium non decisorium, si non prohibeat exceptiones peremptorias opponi posse.*
4 *Statutum loquens de exequutione litterarum cambij intelligitur tam de eo, qui litteras scribit, quàm de eo, cui diriguntur, postquam eas acceptauit.*
5 *Commissio habens clausulam, prout de iure, dicitur limitata.*
6 *Natura dictionis, etiam, est implicare casum magis dubitabilem.*
7 *Littera cambij vbiq. locorum inter mercatores habent paratam exequutionem.*

DECISIO DXXX.

1 FVit resolutum pro attentatis; † cum fuerit processum non solum pendente appellatione, sed etiam pendente termino ad appellandum. Nec excusationes, quæ opponuntur, visæ sunt habere locum; nam quantum attinet ad statutum, Domini intelligebant, quòd procedat, quando adest consensus debitoris, vt possit capi in domo etiā pro debitis cōtractis vigore litterarū cambij, vel quando super dictis litteris fuit confectum instrumentum, & sic non videtur dare absolutè exequutionem litteris cam-
2 bij: Domini existimabant, quòd † esset attendendum etiam inter forenses, qui in eo
3 loco litigant: † videtur enim esse ordinatorium non decisorium, ex quo nullam facit mentionem, quòd exceptiones peremptoriæ non possint opponi; & ideo seruandum, *Bald. in l. 1. nu. 4. cum seq. C. ne fil. pro patr. Castr. in l. à Diuo Pio. §. 1. num. 4. de re iud. & ibi Alex. nu. 12. Dec. in c. cum Ecclesia sancta Maria. num. 43. de constitut. Ias. in l. 1. in 2. lectur. nu. 58. & 59. C. de sum. Trin. & fid. Cath.* Præterea sentiebant Domini
4 † statutum esse intelligendum ª tam de eo, qui litteras scribit, quam de eo cui litteræ diriguntur, postquam eas acceptauit, propter identitatem, immo etiam maioritatē rationis. Quantum ad aliam excusationē, quæ deducitur ex commissione, ea non pla-
5 cuit; † quia est limitata prout de iure, & consequenter si de iure fieri non poterat exequutio, nihil operatur: Tamen circa interpretationem statuti ego dubito, quia
6 intelligendo hoc pacto, † dictio illa, etiam, cuius natura est implicare casum magis dubitabilem, implicaret casum minus dubita-
7 bilem; cum † vbiq. locorum inter mercatores litteræ cambij habeant paratam exequutionem, quod videtur colligi ex sequentibus verbis statuti; & ideo causam iterum proponam, & partes informent strictè super intelligentia statuti.

ª ab hac declaratione fuit recessum sub die 12. Februar. 1582.

Toletana Pensionis.
Die Lunæ 19. Iunij 1581.

SVMMARIVM.

1 *In pensionibus, qua in Hispanijs reseruantur ad fauorem Itali, Hispanus habet solum nudum nomen pensionarij, & Italus constituitur procurator irreuocabilis, & in rem propriam.*
2 *Mandatum procura factum super eo, ad quod quis de necessitate tenetur, reuocari non potest in praiudicium procuratoris.*
3 *Mandatum procura reuocari non potest, vbi iam per procuratorem constitutum, captum fuit agi.*

DECISIO DXXXI.

1 DOmini habuerunt † hanc procuratoris irreuocabilia constitutionem, perinde ac si fuisset expressè ac nominatim constitutus procurator Alphonsus in rem suam attenta facti veritate: nam constituens nomen solum nudum pensionarij habebat, erat enim reseruata pensio contemplatione Alphonsi.
2 Itaque † in præiudicium Alphonsi non potuit hoc mandatum reuocari; tũ ex eo quòd huiusmodi mandata sunt irreuocabilia, vbi fiunt super eo, ad quod quia de necessitate tenetur, *vt per Bald. in l. 1. num. 11. C. de action. & oblig. cum alijs allegatis per Gabr. de procur. concl. 2. nu. 19. & 36.* tum etiam
3 quòd † iam per procuratorem constitutum, fuerat cœptum agi, *iuxta doctrin. glos. in l. sicut. §. procurator. in verb. hanc exception. quib. mod. pign. vel hypoth. sol.* iste enim est vnus ex tribus casibus comprehensis, *in l. 3. C. de nouation.* & ideo cõclusum fuit pro validitate censurarum ab huiusmodi procuratore post reuocationem obtentarum.

Placentina Decimarum.
Die Lunæ 26. Iunij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Recusatio iudicis non est attendenda, quando causa suspicionis est friuola.*
2 *A recusatione iudicis proposita recessum per reditum ad iudicem recusatum.*

DECISIO DXXXII.

DOmini sine vlla difficultate censuerunt processum, & acta de partibus esse valida; nam quod primo opponitur de priuilegijs Ordinis Cisterciensis, tollitur tum ex decreto sacri Concilij Trident. sess. 24. decret. 20. de reform. tum ex quo non constat, quòd Decimæ, de quibus agitur, spectent ad militiam, & hoc pendet ex interpretatione priuilegij, de quo suo loco agetur. Quòd
1 verò secundo deducitur, † nullitas propter recusationem, non placuit, cum super hac recusatione adsint duæ conformes contra Comitem, & causa recusationis erat satis friuola, cum causa esset Capituli, *ad notat. per Bald. in l. 1. num. 4. C. ne quis in sua caus.*
2 & postremo † quia rediјt Comes coram Ordinario post omnes istas tergiuersationes, *Put. decis. 44. de Iudic.* Ideo omissis istis, ordinatum est, vt deueniatur ad negotium principale.

Rauennaten. Vallium.
Die Lunæ 26. Iunij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Enunciationes instrumentorum antiquorũ probant situationem loci.*
2 *Plus fidei adhibetur testibus antiquis, & instrumentis quàm modernis, qui de auditu tantum deponunt; maximè in controuersia antiqua.*

DECISIO DXXXIII.

DOmini viso cõcursu probationũ vtriusque partis censuerunt Vallem Pulisenellæ sitam esse supra foueam fratrũ in fun-
1 do fossæ Pudolę ex pluribus; Primo † ex enũciationibus in antiquis instrumentis contentis de anno 1442. 1457. 1471. & 1514. in quibus Vallis Pulisenellæ enũciatur in fossa Pudola siue Longastrino, vel si aliter diceretur fundus, & sunt quatuor instrumenta, quæ habent hanc enunciatiuam, quæ aliàs fuerũt per Dominos considerata sub die 11. Ianuar. 1580. Secundo concurrit petitio Ostasij Rasponi de anno 1509. qui cum esset inuestitus
2 de dicta Valle enunciat in suo libello eã esse sitam in fossa Pudola; Tertio faciunt partitę Archiepiscopatus Rauennæ sub eadem die præsuppositæ, & etiam sub die 20. Maij eiusdem anni, prout latè in dictis decisionibus. Quarto probatur ex eo quòd Burdioli, qui sunt siti iuxta foueam fratrum à parte superiori, habent ius ab Ecclesia Rauennatense, sed dicta Ecclesia habet directum dominiũ in solo Pulisenellæ, reliquæ enim Valles sunt sub directo dominio Canonicæ Sanctæ Mariæ de Portu. Quinto in inuestituris Rasponorum pro Valle Codardari de anno 1451. & 1521. Burdioli dantur pro confine Codardari, quę Vallis ex partium consensu contigua est Pulisenellæ. Sexto in alio instrumẽto de anno 1491. Burdioli enunciantur pro confine Codardari, nec possunt Burdioli in planta alio in loco inferiori à fouea fratrum situari, cum ex inuestituris Basbi & aliorum, constet eos successisse in iuribus habitis ab Ecclesia Rauennatense, & eorum bona fuisse iuxta foueam prædictam in fossa Pudola, prout etiam deponunt testes Calcagninorum examinati coram Cipello, Franciscus & Stephanus aliàs per Dominos ponderati sub die 16. Februarij 1579. Septimò hæc situatio ex latere Padi bene conuenit situationi eiusdem Vallis ex alio latere confinium, in quo est indubitatum Pulisenellam sitam esse in secundo capitello versus Ruptam Aseriæ; ducendo lineam rectam à dicto capitello ad Padum, & incidit propè dictam foueam fratrum, prout pręcipiunt sententię Rotales. Nec adducta in contrarium tollunt hanc probationem tot fulcitam

tsm demonstrationibus: Et primo facies plantæ, quantum attinet ad diuisionē Vallium, non est attendenda, prout fuit aliàs resolutnm. Secundo non potest fieri vllum fundamentum super testibns Canonicæ deponentibus viam Alphonsinarum esse terminum Pulisenellæ, stante resolutione facta coram bon.mem. Grato 17. Maij 1568. Tertium fundamentum, quod fit snper laudo Cardinalis & equitatione, in quo habetur omnes Valles reperiri in regione, de qua agitur, ex quo inferunt informantes pro Dominis de Calcagninis, quòd cum à parte Padi Cipellns non excesserit foneam fratrū, necesse esse intra illam situare Pulisenellam, Gualdinellam, & Cormolanum, nihil prorsus concludit, cum ab alia parte idem Cipellus non excesserit secundum capitellum, & Ruptam Aseriæ, & tamen vltra hæc loca ab ea parte sitæ sūt istæ duæ Valles, nempe Gualdinellam, & Cormolanum, ergo non potest laudum intelligi strictè de regione visitata per Cipellum, sed largè de toto illo territorio paludoso. Quarto non obstat, quòd locus ille, in qno descripti sūt Burdioli sit Mezanum Padi, prout deponunt testes Calcagninorum, & vti talis fuerit à Canonicis emptns, quia cum ex serie innestiturarum constet Burdiolos habere ius ab Ecclesiæ Rauēnæ, & ipsos esse in fossa Pudola, necesse est quòd Mezanum sit pars Pulisenellæ; nam aliàs destrueretur continnata series Valliū. Quinto non obstat decisio facta sub die 21. Aprilis proximè præteriti, in qua dicitur Cormolanum esse situm iuxta foueam fratrū, quia dicta decisio fuit facta circnmscriptis iuribus Rasponorum, & tamen contra instrumenta Calcagninorum, quę sunt tria ad summum, militant tot & tantæ demonstrationes snpra deductæ, vt manifestè appareat, necesse esse, vt Cormolanum, si verum est confinare cum Mezano Padi, confinet in alia parte, quàm secundum ripam Padi, qnod satis conijci potest ex nouem instrumentis Rasponorum confinantibus dictam Vallem Cormolani, in quibus nulla fit mentio Mezani Padi; & tamen ex illis alia sunt antiquiora instrumentis Calcagninorum, & demonstrationes Rasponorum sunt certiores, qnia faciunt mentionem non solum Vallis in genere, sed & fossæ Pndolæ & Burdiolorum, quorum vtrumq. est indnbitatum; cum tamen de Mezano Padi aut de Cormolano nihil nisi valde incertum deducatur; nsm probatio, quæ ex testibus deducitur, non multum concludit, apparet enim antiquam fuisse super Vallium distinctione controuersiam ex iuribus, de
2 quibus in actis, † plus q. fidei testibus antiqnis & instrumentis est adhibendum quàm istis modernis, qui de auditu tantum deponunt. Vltimo, quæ dicuntur de diuisione, & arbore Meliadusi, faciunt potius in cōtrarium; nam post dictam diuisionem, fouea, quæ prius dicebàtur Rasponorum, cœpit vocari fouea fratrum; & ideo impossibile est, quòd ibi essent sitæ aliæ Valles, quæ ad alios Dominos aut ratione directi dominij ant ratione vtilis spectabant, & de mutatione huiusmodi denominationis aliàs ex testibns à Dominis fuit animaduersum in dicta decisione sub die 16. Februarij 1579.

Portnen. Bonorum.
Dic Lunæ 26. Iunij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Donatio reciproca & correspectiua non indiget insinuatione.*
2 *Principium attendi debet.*
3 *In donatione reciproca venit euictio, etiam si cœptum sit à traditione.*
4 *In his, quæ à voluntate partium pēdent, magis attenditur opinio quàm veritas.*
5 *Donationes latius interpretantur, quàm vltima voluntates.*

DECISIO DXXXIV.

FVit resolutum pro validitate pacti, non
1 obstante euictione, quia † in donatione reciproca & correspectiua non requiritur insinuatio, *Bart. & Imol. in l. Aquilius. de donation. Tiraq. in l. si vnquam. in v rb. donatione largitus. num.* 130. *C. de reuoc donation.* Neque obstat, quòd periculum versetur solum ab vna parte, & quòd euictio proueuerit ex causa præexistente ante donationem, quia cnm donantes hoc ignorarent intentio ipsorum à principio fuit non simpliciter donare, sed donare ad inuicem Castra diuersa, quæ sna esse opinabantur;
2 & ita † debet attendi initium, *l. si ea lege. C. de vsur. l. 1. C. de pact. & apparet ex tradit.*
3 *in l fin. C. fam. ercis.* & † euictio hoc solum potest operare, vt donans teneatur de euictione, etiam si incepisset à promissione, cum sit ob cansam, *Alex. in cons. 45. num. 8. lib. 3. Ias. in l. ex hoc iure. num. 68. de iust. & iur. Aym. in cons. 64. num. 3. Boer. decis. 67. num. 1.* & hic concurrit etiam, quòd donatio incepit à traditione; ideo habent locum tradita *à glos. & Bart. in l. Aristo. §. fin. de donat. Corn. in cons. 141. num. 8. lib. 2. Gozad. cons. 60. num. 4. Abb. in c. fin num. 10. de empt. & vendit.* Non obstat, quòd Alexander & Stephanus donarint eorum Castra, & consequenter Castra, quæ erant in dominiò ipsorum, *ad notat. per Doctor. in Rubr. de nou. oper. nunc.* quia paciscentes opinabātur hoc esse in ipsorum dominio, quod ex diuisione colligitur, & causam ita opinandi præstabat antiqna maiorum suorum possessio, &
4 † in his qnæ à voluntate partium pendent, magis attēditur opinio quàm veritss, *Bart. in l. 2. §. si sub conditione. pro empt. Aym. in*

cons.

conf. 88. *num.* 14. *Ias. in l. is qui putat.nu.* 2, *de acquir. hered. cum alijs* *, quod autem its opinarentur, apparet ex facto, nam neque aliter Alexander fuisset acceptaturus in suam partem Castrum nouum, neque Stephanus donaturus Ciuitatem Prænestinam, & alia sua bona contemplatione Gallicani, & Passarani tantum, *argumento l.* 1. *de reb. dub. & ibi Socin.* & ex his apparet *conf. Natta* 294. non applicari, cum loquatur de donatione simplici non autem correspectiua. Non obstat, quòd deducta procedane in vltimis voluntatibus, in quibus fit
5 lata interpretatio, quia † latius interpretamur donationes quàm vltimas voluntates, *c.cum dilecti.de donation.* Nō obstat decisio facta super legitima, * quia hic agitur de altera donatione, in qua cadit correspectiuitas, nō de ea quæ primo facta est filijs: Et his stantibus, superfluum videtur disputare, an pretium succedat loco rei, fuerunt tamen postea data iura, ex quibus prætenditur pro parte Ill. mulierum constare de scientia paciscentium, quòd Castrum Nouum pertineret ad Cameram, tamen super illis non fuit aliquid decisum, licèt non viderentur concludere ad claram scientiam rei alienæ, tamen aliàs si opus erit, de hoc erit agendum.

* Bart. in d. l. is qui putat. nu. 3 de acquir. hered. Ruin. conf. 105. nu. 14. & 15. vol. 2.

* sub die 16. Octob. 1579.

Aquilana Capellaniæ.
Die Mercurij 28. Iunij 1581.

DECISIO DXXXV.

FVit resolutum pro Iustitia sententiæ Auditoris Cameræ, ea enim pendet ex eo, an dispositio Eleonoræ contineat fauorem Capellani tantum, vel etiam fauorem Capituli, & attentis verbis donationis in ea parte, in qua præcipit, vt Capellanus inseruiat in choro in horis diuinis, censuerunt Domini agi de fauore non solum Capellani sed etiam Canonicorum; & ideo dum in fine dicitur, quòd si Canonici defecerint, dari distributiones Capellano, Apotheca & terræ redeant ad ipsum, & nihilominus teneatur ad idem onus deseruiendi in choro, ita accipiendum est, vt in Capituli electione sit vel dare distributiones, vel restituere bona. Non obstat *conf. Decij* 12. *nu.* 3. *vers.* 9. cui satis respondet *Socin. Iun. in conf.* 41. *num.* 22. *lib.* 3. *Alciat. in conf.* 109. *bene per Rip. in l. ita stipulatus. num.* 64. *de verb. oblig. Silua. in conf.* 102. sed quia aliqui ex Dominis aliter sentiebant, remisi causam ad Calendas Octobris.

Fauentina de Calderonibus.
Die Mercurij 28. Iunij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Sententia lata nulla ex partibus instante nasci nulla.* ...
2 *Sententia lata prout in cedula contra l.* 2. *& 3. C. de senten. ex breuie. recitan. est nulla; secus est, si ita sit de stylo, vt num.* 3. *in fin.*
3 *Terminus ad sententiam per productionem iurium censetur circunductus.*
4 *Legatus potest legem perpetuam condere, qua non sit contra ius.*
5 *Ob diuturnam obseruantiam præsumitur confirmatio Constitutionis.*
6 *Compensatio legitima fit cum bonis alienatis.*
7 *Diuisio loquens de prælegatis & ijs, quæ tempore diuisionis debebantur, non comprehendit, quod in futurum deberi potest ex causa purificationis fideicommissi.*
8 *Sententia ex actu interpretari debet.*
9 *Aegidiana in petitorio locum non habet.*
10 *Statutum, quod exceptiones peremptorias non tollit, dicitur respicere ordinatoria.*

DECISIO DXXXVI.

DVb. Quæritur an sententia Præsidis sit nulla an sit iniusta, & an exequutio sit nulla vel iniusta, & vti attentata reuocanda: Quantum ad primum, nullitas deducitur ex
1 pluribus; Primo quia † sententia est lata nentra ex partibus instante; Secundo quòd
2 † fuerit pronunciatum prout in cedula, *contra l.* 2. *& 3. C. de senten. ex breuie. recitan.*
3 *Paleot. decis.* 352. Tertio quòd † terminus fuerit circunductus, ex quo postea fuerunt producta dicta testium. His non obstantibus fuit decisum sententiam esse validam. Neq. obstare primum obiectum; quia primo fuerat parte instante tentus terminus ad sententiam. 23. Martij & cum altera pars 12. Aprilis instaret se reponi, vt posset examinare quosdam testes, iudex resoluit ad partium instantiam primum terminum in interloquutoriā, & de nouo partibus præsentibus habuit terminum pro seruato habitis testibus pro examinatis; Instantia igitur partis in illo primo termino facta influit in hunc terminum, cum ambæ partes acceptauerint, vt denuo pronunciaret appellando à sententia quatenus contra. Non obstat secundo, quòd fuerit pronunciatum, prout in cedula stante stylo & Constitutione Legati,
4 † qui legem perpetuam condere potest. *c. fi. de off. legat.* & licèt non possit statuere contra ius, *vt per glos. in c. fin. de his quæ fi. à Prælat. fin. consen. Capit. Corn. in conf.* 131. *n.* 5. *lib.* 3. *Gamb. de legat. tit. de potest. Legat.*
5 *in leg. sonden. nu.* 14. tamen † cum hic stylus sit in viridi obseruantia, & tot fluxerint anni à Constitutionis publicatione præsumitur confirmata, *Bald. in l.* 2. *num.* 75. *de seru. & aq.* Ad tertium obiectum dictum fuit re vera non fuisse datam nouam dilationē, sed eodem contextu iudicem habuisse testes pro examinatis, dūmodo infra decem dies reportarentur, ita quòd reportatio est exequutio

quntio illins decreti facti cum obseruatione termini ad sententiam. Quantum ad ca-
6 put iniustitiæ, quod deducitur † ex detractione legitimæ hoc pendet à compensatione facta cum bonis alienatis, si enim compensatio fuit iusta, sentẽtia quoq. in ea parte est iusta; An verò compensatio fuerit iusta pendet ex probationibus, quas videre necesse est. Quantum ad Trebellianicam, ea fuit prohibita per verba satis clara testamenti; & ideo cessat obiectum. Quantum ad id, quod prætenditur sententiam fuisse iniustam, ex quo per diuisionem fuerat renunciatum fideicommisso; omissa ea responsione, quòd Ludouicus veniat ex propria persona, quæ non placuit, cum Paulus, & eius filij non sint substituti, nisi in euentum, quòd ambo filij decesserint sine filijs; & ideo Ludouicus indiget cessione, cum casus ille non euenerit; Domini dixerunt nulla in dicta diuisione adesse verba, quæ importent
7 renunciationem; † nam in primo capite loquitur de prælegatis & debitis, quæ tunc temporis debebantur, non autem de his, quę in futurum deberentur ex causa purificationis fideicommissi, *Bart. in l. qui Roma. §. duo fratres. num. 17. de verb. oblig. Rimin. in cons. 79. nu. 14. & 121. nu. 19. lib. 1. Rip. in d. §. duo fratres. num.* 44. Quod autem septimo loco deducitur de iniustitia sentẽtiæ ex eo, quòd declarat fuisse locum fideicommisso in fauorem filiorum Pauli, quod tamẽ in facto non subsistit, non placet Dominis;
8 † cum debeamus interpretari sententiam ex actis; & ideo debet intelligi mediãte cessione Ioannis Euangelistæ, *ad glos. in l. si quis ad exhibendum. de except. rei iudic. vbi Bart. num.* 1. Quantum ad exequutionem,
9 non dubitarunt Domini † sententiam esse in petitorio, & ideo Ægidianam non habere locum; quare vidẽdum est, an possit sustineri ratione statuti vel Constitutionis; & quã-
10 tum ad statutum, videtur † quòd respiciat tantum ordinatoria, quia nullas exceptiones peremptorias tollit *, *ad Bal. in l. 1. n. 4. ne fil. pro patr. Ias. in l. cunctos populos. in secund. lectur. nu. 58. & 59. de sum. Trin. & fid. Cath.* Ideo eius dispositio hoc casu attẽdi non debet. Quantum verò ad Constitutionem, ea intrat, dummodo illius forma fuerit seruata, quod erit videndum.

* Idem fuit dictum cons eod supra in Anconitana attẽtatorum 16. Iunij præsentis anni. 1603.

Romana Releuationis indemnitatis.
Die Lunæ 3. Iulij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Arrendatarij non tenentur pro culpa, vel delicto à familia illius, qui arrendauit commisso, nec ad releuationem, ad quam ipse arrendans tenetur.*
2 *Constitutio pœnalis loquens de domino non extenditur ad arrendatarium.*
3 *Extensio in pœnalibus non fit ad eum, qui non est verè talis.*
4 *In pœnalibus subrogatio non sapit naturam principalis.*
5 *Protestatio intelligi debet iuxta naturam contractus, cui apponitur.*
6 *Non est verisimile, quòd quisquam voluerit se obligare in casu, in quo culpa caret.*
7 *Qui se fundat in scriptura, debet concludenter intentionem suam probare.*
8 *Arrendatarij officiorum dicuntur omnia, quæ gerunt, sub nomine domini gerere, non autem sub proprio ipsorum nomine, & contrahentes videntur sequi fidem domini officij, non arrendatarij.*

DECISIO DXXXVII.

FVit resolutum retentis resolutionibus factis *, quòd culpa imputari nõ pos-
1 sit Arrendatarijs; † ipsos non teneri ad releuationem Iacobi *per text. in l. videamus. locat. vbi Doctores*. Neq. obstat Constitu-
2 tio, † quia cum ea loquatur de Dominis officiorum non potest intelligi de Arrẽdatarijs, *bene facit Socin. in cons. 275. num. 7. in fin. lib. 2.* sumus enim in Constitutione pœ-
3 nali, † in qua non fit extensio ad eum, qui
4 non est verè talis: † Neq. subrogatio in pœnalibus sapit naturam principalis, *l. mulct. s. de cond. & demon. Gabr. de reg. iur. concl.*
5 *2. num. 29.* Neque obstat † protestatio, quia intelligenda est iuxta naturam contractus conductionis, *l. si stipulatus. de vsur. l. damni. de damn. infect. Gozad. in cons. 63. num.*
6 *19. Aym. cons. 20. num. 3.* † Non enim est verisimile, quòd voluerit se obligare in casu, in quo culpa careret. Neque obstat *Bald. in Rubr. C. de pœn. iudic. qui mal. iudic. num. 16.* quia loquitur, quando in il-
7 lum casum iudex se obligaret, & † qui se fundat in scriptura, debet concludẽter probare intentionem suam, *l. veteribus. de pact. Dec. in cons. 25. num. 2.* Quæ eo magis pro-
8 cedunt, cum † Arrendatarij similium officiorum omnia gerant sub nomine Domini, non autem sub proprio ipsorum; & ideo cõtrahentes videntur fidem sequi Domini officij, non autem Arrendatariorum. Si tamen Iacobus melius probaret Arrendatarios esse in culpa, prout ex constituto Branchæ colligi videtur, aliud omnino esset statuendum.

* sub die 9. Iunij proximè præteriti.

Gerunden. Anniuersariorum.
Die Lunæ 3. Iulij 1581.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus & Capitulum possunt statuere circa ea, quæ tangunt vniuersalem statum Ecclesiæ, cui præsunt, secus est contra statutum à Papa confirmatum, cum præcepto quòd obseruetur. Item secus est*

contra

contra statutum, quod concernit fauorem alterius, quàm condentis.

2 *Rescriptum censetur impetratum ab eo, cuius nomine cantat, etiam si in eo concurrat modica impensa.*

3 *Ex obseruantia statuti per longum tempus præsumitur consensus Capituli.*

4 *Non est necessaria expeditio litterarum, quando non agitur ad earum canonizatoriam.*

DECISIO DXXXVIII.

QVamuis regula sit contra beneficia-
1 tos, † cum Episcopus & Capitulum
possint statuere circa ea, quæ tangunt vni-
uersalem statum Ecclesiæ, cui præsunt, *ad
glos. in c. 2. §. cæterum. in verb. statutum. de
verb. sign. in 6. Oldrad. in cons. 181. Dec.
in c. cum accessissent. num. 9. de constit. Felin.
in c. cum omnes. num. 7. cum seq. de const. c.
cum consuetudinis. de consecrat. c. noust. de
his quæ fi. à Prælat. c. 1. de his quæ fi. à maior.
part. Cap.* tamen non habet locum in sta-
tuto cōfirmato à Papa, cum præcepto quòd
obseruetur, & quando concernit fauorem
alterius quàm condentis, *Doctor. in l. om-
nium. C. de testam. Feliu in d. c. cum accessis-
sent. num. 4. & ibi Dec. num. 3.* Nec obstat,
quod ex aduerso opponitur, cōfirmationem
fuisse subreptitiam, cum impetrata fuerit
nomine Capituli, de cuius mandato non
2 constat; nam in contrarium facit, quòd † re-
scriptum censetur impetratum ab eo, cuius
nomine cantat, etiam si sit modica impen-
sa, *Ant. August. in decis. 121. lib. 3.* quod eo
3 magis dicendum est isto casu, † cum per tot
annorum spatium statutum fuerit vsu rece-
ptum, nam ex huiusmodi obseruantia opti-
mè colligitur consensus Capituli. Neque
obstat, quòd postea fuerint subsequuta alia
statuta diuersa, quia fuerunt condita de
consensu beneficiatorum, vel ipsis non re-
clamantibus, sed nihil fuit in ipsis innoua-
tum circa nominationem & possessionem
beneficiatorum. Nec obstat, quòd super
dicta confirmatione litteræ non fuerint ex-
4 peditæ, † quia cum non agatur ad canoni-
zatoriam litterarum, non est necessaria ex-
peditio, *Mohedan. decis. 34. Fuit dubitatum
in Rota. Ant. Aug. in repertor. ad regul. de
non iudicand.*

Romana Legitimæ.
Die Lunæ 16. Octobris 1581.

SVMMARIVM.

1 *Institutio hæredum licèt inæqualis facta à patre in testamento tenet.*

2 *Institutio filij facta in legitima valet.*

3 *A legitima omne onus reijcitur.*

4 *Assignatio legitimæ non potest fieri in fructibus tantum, & multo minus in fructibus beneficij, vt nu. 5.*

6 *Officia filio imputantur in legitimam, quādo sunt empta de pecunia patris.*

7 *Filius potest in legitima sibi præiudicare, & supplemento renunciare.*

DECISIO DXXXIX.

DOmini constituerunt aliquas conclu-
1 siones; prima est, quòd † hæredum in-
stitutio licèt inæqualis facta in testamento
paterno tenet, *l. parentibus. vbi Doctor. C.
de inoff. testam. Dec. in cons. 547. num. 1.* &
2 ideo † institutionem in legitima factam va-
lere, licèt assignatio pro ea facta, vt mox
3 dicetur, non valeat: secunda est, † à legiti-
ma omne onus reijci, *l. quoniam in priori-
bus. C. de inoff. testam.* & ideo onera adiecta
legitimæ R. Domini Francisci esse reijcien-
4 da, † neque assignationem potuisse fieri in
fructibus tantum, *Anchar. in cons. 128. So-
5 cin. iun. cons. 64. nu. 5. lib. 2.* † multo minus
in fructibus Canonicatus, cuius neq. com-
mercium esse potest, neq. transit ad hære- * Bart. in l. litis. §. pater. n. 1 ff de negot. gest. ad l. sacros. C. de Epis. & cler. Xuarez in disputatione c. in materia maioricatus in fin. Vásquez de succeß. ab intestat. tom. 1. lib. 1 § 10. n. 916.
des, *Rip. in l. in quartam. num. 166. ad leg.
Falcid. cum alijs per informantes allegatis* *,
6 † officia verò imputanda esse, quando sunt
empta de pecunia paterna vult *textus in l.
omnimodo. §. imputare. C. de inoff. testam.*
7 Tertia est conclusio † filium posse suo con-
sensu sibi in legitima præiudicare & supple-
mento renunciare, *Couar. in c. Raynaldus.
§. 2. num. 3. de testam. cum alijs*, ª An vero
R. Dominus Franciscus sibi præiudicaue-
rit, pendet ex facto, & videndæ erunt respō- ª Anchar. cōs. 128. Rui. cons. 194. n. 8. lib. 9. Paris. cons 19. nu. 71. lib. 2. qui vult quòd sufficit, quòd filius semel acceptauerit.
siones ex aduerso allegatæ: Item statuen-
dum in facto, an excludatur læsio, & petitio
supplementi, ex eo quòd tot habuerit, vt
prætenditur ex bonis paternis, quæ suffi-
ciant pro legitima, quæ quidem particula-
rem requirunt inspectionem.

Placentina Bonorum.
Die Veneris 27. Octobris 1581.

SVMMARIVM.

1 *Emptum ex pecunia alterius acquiritur ei cuius nomine facta fuit emptio, & non ei cuius est pecunia, sequuta traditione.*

2 *Actio ad communicandum competit, vbi cōtracta est societas omnium bonorum.*

3 *Hypotheca solo consensu contrahitur.*

4 *Actus correspectiui dicuntur vnus alteri ita inesse, vt vnicus videatur.*

5 *Ecclesia non potest pro parte approbare contractum, & pro parte improbare.*

6 *Per alienationē bonorum Ecclesiæ nullam, sequuta traditione non est dominium translatum.*

DECISIO DXL.

1 FVit constituta regula, quòd † empta ex praesens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 278. part. 2.
pecunia alterius acquirantur ei, cuius
nomine sunt empta, & nō ei cuius est pecu-
nia sequuta traditione, *l. 1. cum seq. C. si quis
alter. vel sibi. Bart. in l. si patruus. C. com. vtr.
iudic. Bald. Salic. Ang. in l. si vt proponis. C. de
rei vind. Dec. in cons. 99. num. 1. Purpur. in
cons. 71. num. 65. lib. 1.* Non obstat destinatio,

quæ ex aduerso ponderatur, quia procedit illa consideratio ad alium effectum, nempe an propter destinationem res cēseatur mobilis vel immobilis, itaut requirātur solemnitates, quæ in alienatione immobiliū sunt adhibendæ, *l. 3. §. quid ergo. de contrar. tutel. & vtil. act. l. a Diuo Pio. §. fin. de re iudic.* Itē quando dubitatur, an comprehendantur in dispositione loquente de immobilibus, & si vlla hoc casu considerari potest destinatio ad effectum, de quo agitur, ea est in fauorem Ecclesiæ, cum destinata esset emptio ad ef-
2 fectū tradendi Ecclesiæ. Non obstat, † quòd detur actio ad communicandum, quia illud procedit, vbi est cōtracta societas omnium bonorum, *Bald in l. 1. in fin. C. si quis alter. vel sibi. Bart. in d. l. si patruus. nu. 8. C. comm. vtr. iudic.* Non obstat *Crot. in cons. 419. nu. 11. lib. 3.* quia loquitur ad effectum consti-
3 tuendi hypothecam, † quæ solo consensu contrahitur, *l. contrahitur. de pignor.* Non obstat *l. in rebus. la prima. §. 1. de iur. dot.* quia bene applicaretur, si Puteobonelli dedissent bona, sed ipsi pecunias dederūt. Difficultatem Dominis facit, quòd cū emptio aquarum fuerit pars contractus illius alienationis, *l. fundi partem. de contrah. emp.* &
4 † sint omnes isti actus correspectiui, dicitur vnus alteri ita inesse, vt vnicus censeatur contractus, *Tiraq. in l. si vnquam. in verb. donatione largitus. num. 117. cum sequen. Gabr. de præsumpt. concl. 13. nu. 17.* Ex qui-
5 bus videtur sequi, † Ecclesiam non posse approbare partem istius contractus, & reliquū reprobare cum contractus approbatione sic indiuiduus, *Bald. in l. nihil. num. 6 de elect. & aliàs fuit resolutum in vna Anglicana aluminum, & ad hoc facit tex. in l. in rebus. §. 1. de iur. dot. & Pute decis. 362. Romana casalis lib. 3.* Præterea iste contractus secundum partis prætensionem est nullus, quia contra legis dispositioné sine legitima causa alienandi est initus, ex quo consequens
6 videtur, vt dicamus, † ex subsequuta traditione non fuisse acquisitum dominium Ecclesiæ, *Bart. in l. non dubium. num. 28. C. de legib. & in l. 1. §. si vir vxori. de acquir. poss.* Quare hæc erunt particulariter exequēda, nisi fortè malit Illustriss. Dominus Cardinalis defendere, quòd non possit resolui hæc emptio aquarum propter pacta in contractu apposita, quæ per informantes in facto deducuntur.

Romana Pecuniaria.
Die Veneris 27. Octobris 1581.

SVMMARIVM.

1 *Creditores non possunt contrauenire promissioni & obligationi debitoris in casu, quo debitor promisit de rato, aliàs cōmittitur stipulatio rati. vt num. 2.*

3 *Mandatum in rem propriam morte mandantis non expirat.*

4 *Mandatum in rem propriam dicitur, quādo in eo adest clausula, ponens in locum, ius, & esse suum; maximè quando concurrit materia conueniēs & apta ad huiusmodi mandatum.*

5 *Mandatum procura in rem propriam, est quædam recognitio bonæ fidei, declarant cuius sint pecuniæ, de quibus fuit initus contractus emptionis.*

6 *Verba intelligenda sunt secundum naturam actus, super quo interponuntur.*

7 *In mandato in rem propriam non solum dicitur commissum exercitium actionum directarum, sed vtiles etiam cessa.*

8 *Clausula, pro eo, in mandato in rem propriam exponitur idest loco sui.*

9 *Militia est tacitè illi obligata, ex cuius pecunijs fuit empta.*

10 *Idem iudicari debet de militijs nostri temporis, quod de antiquis, & imputantur in legitimam ad instar illarum.*

11 *Pretium rei, quæ de pecunijs alienis empta fuit, existens penes eum, qui non potest prætendere se illud retinere ex causa onerosa, succedit loco rei.*

DECISIO DXLI.

> præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 174 par. 2.

FVit resolutum Dominam Elisabethā vti priorem & potiorem præferendam esse in exactione pecuniarum officij militis Pij cæteris creditoribus quondam Domini Raphaelis ratione hypothecæ appositæ in instrumento procurationis: postquam enim fuit constituta procuratrix ad exigendum fructus, & ad illud vendendum, cedendum, & alienandum, & pretium leuandum, & recipiendum, & omnem voluntatem suam faciendum, idem Dominus Raphael constituens promisit se ratum habiturum totum id, & quicquid in præmissis & quolibet præmissorum per eam factum fuerit, sub hypotheca & obligatione omniū bonorum suorum &c. Habet ergo hypotheca præexistentem obligationem de rato habendo, quic-
1 quid per eam factum fuerit; † & ideo quemadmodum si dictus Raphael viueret, & eam exigere volentem hoc pretium impediret, diceretur contrauenire promissioni & obligationi suæ, *l. quo enim. vers. rem haberi. & §. fin. ff. rem rat. hab.* eodem pacto tenentur creditores, qui ab eo causam habent, ratum
2 habere, † alioquin committitur stipulatio rati, *l. si in debitum. §. fin. d. tit. rem rat. hab.* & sic cessat, quod opponitur *ex l. soluitur. & l. item liberatur. quib. mod. pign. vel hypoth.* quòd tunc competat, cum impeditur, quo minus facultate sua vtatur. Neque obstat, quòd mandatum morte expirasse dicatur,
3 quia † cum sit in rem propriā, morte nō expirat, *l. illam. vbi omnes. C. de donation. Bart. in l. 2. §. sed si quis. ff. eod. cum alijs congestis per Gabr. tit. de procur. concl. 2. limit. 10.* Quòd autem mandatum sit in rem suā, non est dubitandum; nam præterquam quòd verba

ba

4 ba mandati hoc expressè continent, † colligitur etiã ex clausula, ponens eã in locum, ius,& esse suũ *Alex.in l. in Prouinciali, §. si ergo.n.6.7.& 8. de oper. nou. nunc. Paris. in cõs.*107.*n.*35.*lib.*3. maximè cũ hic cõcurrat materia conueniens & apta ad huiusmodi mandatum,prout considerat *Alex.in d.§.si*
5 *ergo.num.*8. † est enim recognitio quædam bonæ fidei, erant enim empta ista officia ex pecunijs ipsius Dominæ Elisabethę,*Roman.*
6 *in cons.* 350. *num.* 6. & ideo † verba intelligenda sunt secundum naturam actus, super quo interponuntur, *vt inquit Ruin.in cons.*
7 109.*num.*4.*lib.*1. ex quo sequitur † non solum fuisse mandatum exercitium directarum, *vt per Alex. d. num.* 8. *& Salicet. in l.*1. *num.*2. *C.de action. & oblig.* sed etiam fuisse cessas vtiles, *l. qui quadraginta . vbi Bart.in* 2.*notab.ad Trebell.Idem in d.§.si ergo . & in l. planè.fam. ercisc. Bald. in cons.* 408. *num.*6. *lib.*1. *Paris.cons.*107. *num.*35. *lib.*3.*Bero. cons.*188.*num.* 4. *lib.* 1. maximè stante clausula,omni meliori modo,in principio dispositiuæ apposita. Neq. obstat põderatio facta super clausula,pro eo; tum quia posita est tantum in ea parte, in qua datur ei facultas exigendi fructus officio-
8 rum; tum quia † exponitur pro eo idest loco sui; Neq. facit, quominus dicatur mandatum in rem suam, *Paris.d.cons.*107.*num.* 24.*& n.*33.*lib.*3. Et ex his cessat obiectum, quod fit ex eo, quod Raphael non habeat hæredem, quòd tamen in facto exaduerso negatur. Et ex his conclusum Dominam Elisabetham esse præferendam,quod ex alio etiam suaderi potest, quia cum pecuniam
9 suam pro emendis militijs dederit, † orta fuit ex legis dispositione tacita hypotheca, *per tex.in l. fin. cum Auth. seq. C. de pignor. Auth.quo iure. C.qui pot. in pign. hab. Negusant.de pignor.*2.*membr.quinta part.prin. num.*21.*Rebuff.ad consuet. Gall. tit. de consuet.reg. artic.*1.*glos.*8. *num.*24. Nec dubitandum,idem iudicari de militijs huius tẽ-
10 poris, quod de antiquis, † cum eas imputari videamus in legitimam ad instar antiquarum, *vt per Nicol.de Vbald.tract.de success. ab intest. part.* 1. *num.* 30. *& fuit aliàs coram me resolutum in vna Romana de Pia-*
11 *tesis.* [a] Nec obstat, quòd † extet tantummodo pretium, & non res ipsa, quia cum pretium sit penes eum, qui non potest prætendere se illud retinere ex causa onerosa, succedit loco rei, *glos. Bart. & alij. in l.*1. *de distract. pign. Negusan.* 1. *membr.quint. part.princ. post num.*48. *vers. aut sumus in hypothecaria,*& hæc ex abundanti dicta sint.

[a] in Roman. diuisionis de Piatesis 17. Aprilis 1570.

Fauentina Bonorum de Nicolutijs.
Die Veneris 3. Nouembris 1581.

SVMMARIVM.

1 *Euentus conditionis facit locum fideicommisso conditionali.*
2 *Communis reputatio probat legitimitatem.*

DECISIO DXLII.

1 FActum esse locum † fideicommisso;cum conditio mortis Bernardini, & Ioannis Euangelistæ euenerit, *l.pen. C.de impub.& al.subst.* Nec obstat,quòd in alia causa dictum fuit,ibi enim propter cessionem Ioannis Euangelistæ actum fuerat ipso viuente, quo tempore adhuc non erat factus locus fideicommisso. Non obstat, quòd obiici-
2 tur non esse probatam † legitimitatem Ludouici & fratrũ, quia immo per testes probatur communis reputatio;probatur etiam mors Franciscæ vxoris testatoris. Quòd verò obiicitur de legitimatione Bartholomęi, si producetur,videbitur,an releuet.

Romana Societatis scutorum septingentorũ.
Die Lunæ 6. Nouembris 1581.

SVMMARIVM.

1 *Societas etiam super officio non vacabili contrahi potest.*
2 *Societas contracta super notariatu an censeatur resoluta per venditionem tituli remanente dominio scripturarum penes venditorem, & num.*5.*& 7.*
3 *Quando pars contractus affert eandem vtilitatem, quam affert totus, non habetur ratio indiuiduitatis ipsius.*
4 *Locatio ad longum tempus transfert vtile dominium in conductorem.*
6 *Societas tandiu durat, quamdiu superest aliquid de ea re,super qua est contracta; secus est in re empta.*

DECISIO DXLIII.

Præsens decisio habetur in impress. diuers.nouiss.175.part.1.

1 CVm præsupposito, quòd † societates contrahi possunt etiam super officijs
2 non vacabilibus,Domini dixerunt, † societatem non fuisse resolutam per venditionem tituli notariatus, remanente dominio scripturarum penes venditorem,cum totum officium non sit alienatum,*§.soluitur.Instit. de societat. l. si id quod quis.§.*1.*& l.verum. §.fin. pro soc.* Neque obstat alienatio tituli, quia adhuc remanent scripturæ capa-
3 ces societatis. Neque obstat † indiuiduitas contractus, quia cum pars eandem afferat vtilitatem, quam affert totum, cessat ratio *Bart. in l. cum vsusfructus. num.* 4. *de vsufr. legat. & fuit resolutum in illa Romana societatis Lucbini,coram R.P.D.Blã-*
4 *chetto.* [a] Non obstat,quòd † locatio ad longum tempus transferat dominium vtile in
5 conductorem, † quia satis est, quòd dominium directum remaneat, idque non inutile, sed cum redditu sufficienti, & capaci pro dicta societate; hæc enim mutatio non habetur in consideratione,nisi per eam non eximatur res ab vsu communi, *glos. in d. l. verum.§.fin.in verb. conditionem . pro soc.* Quæ deduci possunt *ex l.cum eiusdem. de edili.*

[a] sub die 24. Ianuar. 1575. quæ in impress. diuers. nouissi. est 181.part.1.

edilit. edict. cum similibus, non faciunt ad rem, cum loquantur in contractu emptio-
6 nis, † à quo differt societas, quæ est huius naturæ, vt duret, quandiu superest aliquid de ea re, super qua est contracta. Non ob-
7 stat, † quòd scripturæ sint inseparabiles à titulo, quia vsus interpretatur hoc ratione alienationis in tertiam personam, quia habens scripturas cogitur eas vendere habenti titulum, nec potest alij vendere, possunt tamen separari de vtriusq. consensu, vt quotidie fieri solet, & hoc casu factum esse videmus. Et ex his sublata sunt omnia, quæ in contrarium deducebantur.

Romana Turris bubalariæ.
Die Veneris 10. Nouembris 1581.

SVMMARIVM.

1 *Indefinita in cõfessione an æquipolleat vniuersali.*
2 *Dictio residuum, facit quòd reliquum includatur.*
3 *Ratificatio fieri potest, vel per verbum, vel per aduerbium.*
4 *Imputandum est ratificanti, si non excipit de eo, quod non intendit in ratificatione comprehendi.*
5 *In ratificatione præsumitur certioratio eius quòd ratificatur, absque eo quòd probetur scientia.*
6 *Gestum contemplatione alicuius potest ab eo ratificari.*
7 *Actus ratificatus efficitur proprius ratificantis, & æquiparatur mandato.*

DECISIO DXLIIII.

Fuit resolutum solutiones factas medijs- tibus societatibus per Dominos de Vellis cedere in extinctionem portionis debitæ Vincentio; Probatur enim primo per confessionem contentam in commissione, societates pertinuisse etiam ad Vincentiũ, cum ea cantet sub nomine Curtij & fratrũ,
1 & licèt † indefinita in confessione forsan non æquipolleat vniuersali, *vt tradit Corn. in consil. 103. num. 3. lib. 1. quamuis glos. in l. & si quis. §. plerique in vers. oportet. de relig. & sumpt. fun. & Ias. in l. sicut serui. §. Seia filio. num. 10. de legat. 1. teneant contrarium*; tamen cum dicat Curtius & fratres in numero plurali, & tres tantum essent fratres, necesse est, vt sub numero plurali duo reliqui contineantur, *l. inter illum. §. fin. de verb. sign. l. libertus. §. fin. de manumiss. testam. c. pluribus. de reg. iur.*
2 *in 6.* Ponderatur etiam † dictio, residuum, quæ facit, vt includatur portio reliquorum duorum, quibus cum commune erat Casale: hæc autem confessio ratificata fuit per Vincentium & Aurelium, dum ratificarunt omnia gesta & procurata per Curtium, inter quæ indubitatum est adesse hanc commissionem, & quamuis *Doctores in l. Pom-*
3 *ponius. & ibi Castr. nu. 8. de negot. gest.* † distinguãt, quando ratificatio fit per verbum vel per aduerbium, tamen hoc casu hæc æquipollet factæ per aduerbium, cum dica-
4 tur in ea omnia acta & procurata, & † imputandum est ratificanti, si non excepit, si aliquid non intendebat ratificare, *vt tradit ibid. Castren. & benefacit ad rem decisio Pute. 396. in causa Parmen. bonorum. cum seq. lib. 2.* Nec obstat, si dicatur non probari
5 scientiam Vincentij, † quia præsumitur certioratio *per consil. Roman. 481. vt ibi tradit Puteus.* Nec obstat limitatio illa in causa mensurationis, quia confessio facta est in illa causa ad effectum deueniendi ad dictam mensurationem: Ex his sequitur,
6 quòd cum † negotium gestum fuerit etiam contemplatione Vincentij, ipsum, quod gestum fuit, ratificare potuisse, *Salic. in l. si qui. num. 4. C. quod cum eo.* & etiam cum
7 confessio facta sit nomine suo, † tanquam ipse ratificauerit, dicetur iste actus proprius, cum æquiparetur mandato *c. ratihabitionem. de reg. iur. in 6.* Quare conclusum pro Dominis de Vellis.

Gerunden. Anniuersariorum.
Die Veneris 17. Nouembris 1581.

SVMMARIVM.

1 *Dictio, quatenus, exponitur in quantum, & operatur, vt dispositio adaptetur pro ea parte, pro qua fieri potest.*
2 *Subreptio cessat in casu, in quo est eadem ratio partis ad partem, quæ totius ad totum, quia Papa eodem modo quo ad partem concessisset.*

DECISIO DXLV.

Quantum ad primam partem dubij, Domini dixerunt, quòd cum per statuta Berengarij, nihil fuerit immutatum circa modum eligendi, & deputandi protectores ex actibus allegatis, probari isto respectu vsum statuti Bertrandi, quod etiam pro parte Capituli non negatur: sed difficultas versatur in eo, an hoc sufficiat stante clausula in confirmatione apposita, quatenus fit in vsu, & fuit conclusum sufficere ad hoc, vt statutum in ea parte, in qua est vsu receptum, confirmatum
1 censeatur, nam hoc importat † dictio, quatenus, quæ exponitur in quantum, *l. quatenus. de reg. iur. & ibi Dec. & in consil. 385. num. 2. & 2. Ruin. consil. 61. num. 43. lib. 5. Alfred. consil. 41. num. 21.* operatur enim ea dictio, vt dispositio adaptetur pro ea parte, pro qua id fieri potest, *Grat. in consil. 134. nu.*
2 *62. lib. 1.* † maximè in casu, in quo est eadem ratio partis ad partem, quæ totius ad totum, quæ facit, vt cesset subreptio; Papa enim eodẽ modo, quo ad partẽ concessisset, *adno-*

ad notat.in c. super litteris. de rescript. c. postulasti.eod.tit. Mohedan.decis.8.in vna Lamaeen. Quantum ad secundam partem Domini ordinarunt, vt de ea particulariter videatur.

Romana Melioramentorum.
Die Lunæ 20. Nouembris 1581.

SVMMARIVM.

1 *Emphyteuta cadēs ab emphyteusi culpa sua, perdit melioramenta, declara vt nu.4.*

2 *In contractu locationis locator cadens à locatione culpa sua non perdit melioramēta vtilia, quòd procedit etiam in locatione ad longum tempus.*

3 *Ex quantitate pensionis cognoscitur, an simus in locatione, vel emphyteusi.*

5 *Ecclesia potest, si malit, stare cōtractui nullo, quia nullitas est eius fauore inducta.*

6 *Beneficium est Ecclesiæ, si melioramenta sint facta post terminum temporis datum in contractu, non si intra.*

7 *Ecclesia, quæ est cultrix iustitiæ, non debet cum aliena iactura locupletari.*

8 *In locationibus ad longum tempus pensio diminui solet vsque ad sextam partem.*

DECISIO DXLVI.

Domini censuerunt in casu proposito esse reficienda melioramenta facta
1 per Thomam; † quamuis enim emphyteuta cadens ab emphyteusi culpa sua, amittat melioramenta, *l.2.& ibi Doctores. C.de iur. emphyt.* tamen ex multis huiusmodi cōclusio nō applicatur huic casui: Primò quia
2 sumus † in contractu locationis, non autem emphyteusis, in quo adest cōtraria dispositio, vt cadens à locatione culpa sua non tamen amittat meliorationes vtiles, *per text.in l.colonus.locat.& ibi Bart.& Castr. num.4.* qui reddit rationem, quia in emphyteusi quid modicum soluitur; colonus verò soluit pensionem æquiualentem fructibus, & hoc idem tradit ibi *Fulgos. & Ias.in l. 2. num.28.C.de iur.emphyt.* vbi hoc idem ait procedere in colono ad longum
3 tempus, quòd autem † hæc sit locatio non emphyteusis, apparet ex quantitate ipsius pensionis, *Bart. in l. 1. num. 4. & ibi Ias. num.35.C.de iur.emphyt. Aretin.in cons.55. num. 4. Bellon. cons. 21. num. 18. Natta de communi in cons. 49. post num.7. Caguol. in l.2.num.202.C. de rescind.vend.Iul.Clar. in*
4 *§. emphyteusis. q. 1. propè fin. num.4.* † Secundo regula non procedit, quia quod dicitur de emphyteuta, qui cadit culpa sua, intelligitur secundum Doctores, qui hanc materiam tractant, quando talis culpa cedit in aliquod damnum vel præiudicium Domini directi, & exemplificant in eo, qui cessat in solutione, vel qui negat dominium Ecclesiæ, vel qui tentat interuertere possessionem Domini: sed in isto casu nulla considerari potest culpa damnosa Ecclesiæ; nam quantum ad beneplacitum sedis Apostolicæ non impetratum in tempore, nullū
5 ex hac re fit præiudicium Ecclesiæ, † posset enim hodie remittere hanc moram, si malit stare contractui. Hæc enim nullitas inducta est fauore Ecclesiæ, *Aretin. in cons.77.*
6 *num.6.* Quantum † ad melioramenta non facta intra quinq. annos, sed longè postea, hoc potius tendit in beneficium Ecclesiæ propter domorum ætatem, quam considerat Iureconsultus. *in l. domos. de legat. 1.* Tertio excluditur prætensio Ecclesiæ, quòd cum contractus eius voluntate resoluatur, pacta quoque hinc inde adiecta sunt resoluenda; ita vt neutra pars sentiat ex alterius facto detrimentum; & ideo sunt refi-
7 cienda melioramenta, ne Ecclesia † quæ est cultrix Iustitiæ locupletetur cum aliena iactura, *Bart.in §. si vassalus.nu.4.tit.hic incipit constit. in vsib. feud.* & hoc maximè procedit in casu illo, in quo melioramenta ista non ad libitum propriæ voluntatis, sed ita volente & conueniente Ecclesia facta sunt, vt considerat *Castr.in cons.270.num.4. vers.& si dicatur.lib.2.* Nec facit quicquā,
8 quòd pensio fuerit diminuta, quia † in huiusmodi locationibus ad longum tempus solet diminui pensio vsq. ad sextam partē, & tamē diminutio fuit minor septima parte, & etiam fuit cum onere soluendi expensas mattonatorum. Quare conclusum melioramenta esse reficienda per Ecclesiam.

Placentina Bonorum.
Die Veneris 24. Nouembris 158t.

SVMMARIVM.

1 *Pactum sine quo contrahentes non aliâs fuissent contracturi, dicitur pars contractus.*

2 *Correspectiuitas consideratur respectu contrahentium, non respectu tertij.*

3 *Possessor potest sua possessione niti, & nolle vti iure sui authoris.*

4 *Minor & Ecclesia propter anullationem contractus restituuntur, quomodo autem procedat vid. num.seq.*

6 *In melioramentis attēditur impensa, quando minor est melioratione.*

7 *Resoluta emptione, omnia reponuntur in eum statum, ac si venditio facta non fuisset.*

8 *Restitutio, quæ per resolutionem contractus emptionis fieri debet, intelligitur de his, quæ quis accepit ab eo, cui fit restitutio, & non de acceptis à tertio.*

9 *Doctrina Alberici in l.fin. ff. de negot. gest. quomodo procedat.*

10 *Aequitas l. si me & Titium. ff. si cert. pet. quando habeat locum, & num.11.*

9 *In condictione indebiti quid veniat tam re-
spectu principalis, quàm respectu acces-
sionum, & num. 13.*

DECISIO DXLVII.

QVamuis contractus emptionis aqua-
rum respectu intentionis contrahē-
tium pro restituenda recompensa
vtili Ecclesiæ videatur inesse contractui
concessionis in emphyteusim, vt ex multis
clausulis in dicto contractu appositis elici-
tur, ex quibus constat hanc meliorationem
habitam fuisse in consideratione, ita vt non
aliàs fuissent contracturi, nisi pecunijs in
1 aquas istas conuersis; & hinc sequitur † pa-
ctum hoc de aquis emendis fuisse partem
contractus, *l. fundi partem. de contrab. empt.
Tiraq. in l. si vnquam. in verb. donatione lar-
gitus. num. 117. Gabr. de præsumpt. concl. 13.
num. 16.* tamen ad effectum inducendæ cor-
respectiuitatis talis, quæ faciat, vt resoluto
contractu principali resoluatur quoq. con-
tractus emptionis aquarum cum tertio ini-
tus, Domini censuerunt contractum præ-
dictum emptionis aquarum proprijs viri-
bus subsistere, neque corruere, qnamuis
principalis contractus concessionis non
subsistat, pactum enim venditionis aqua-
rum nullam habet correspectiuitatem cum
primo contractu, cum ipsi liberum esset
vendere vel non vendere, & nullum cum
2 Puteobonellis negocium gesserit, † & Do-
ctores in hac materia tractantes *in l. bona
fidei. & in l. petens. C. de pact. & in l. lecta. si
cert. petat.* passim considerant correspecti-
uitatem respectu contrahentium tantum
non autem respectu tertij; Et ideo non ob-
stat *text. in l. in rebus. de iur. dot.* quia secun-
dus contractus inter easdem personas fuit
celebratus, & eadem ratione tollitur *decisio
Pute. 376. lib. 3.* & hæc sententia in casu
proposito carere videtur difficultate, cum
Ecclesia possideat istas aquas, nam si non
possideret, & vellet agere pro earum conse-
quutione contra Puteobonellos vel pro re-
tentione indigeret hoc contractu, vtique
fortè teneretur approbare omnia gesta cū
Puteobonellis tanqnam correspectiua, *vt
per Bald. in l. 1. in princ. C. de reputat. & ibi
Fulgos. num. 1.* sed cum Ecclesia possideat,
3 cessat difficultas, † potest enim sola sua
possessione niti, cum Puteobonellis pro a-
quis consequendis nnlla competat actio; nā
neq. eas vti snas vendicare possunt, cum
earum dominium nunqnam eis fuerit quæ-
4 situm; † Neque possunt prætendere pro-
pter annullationem contractus restituen-
dos esse, prout in minori dicitur *in d. l. 1. C.
de reputat.* & in Ecclesia *in c. 1. vbi glos. in
verb. defraudari. de in integ. rest.* nam Do-
5 ctores omnes & iura loquuntur, quòd † de-
beat restitui & reponi id, quod ab ipso emē-
te vel vendente respectiuè datum est, itaut
qnis non remaneat in lucro cum aliena ia-
ctura, *vt inquit glos. in d. l. 1.* quod non po-
test dici, quoties idem, quod datum est, re-
6 stituitur, & hinc est, quòd † colonus Ec-
clesiæ, cui restituenda sunt melioramenta
iuxta terminos c. 1. de in integ. rest. si centū
impendit, & melioranit in ducentum, non
recuperat nisi, quod impendit, *vt per Abb.
ibi num. 6. Negusant. in 4. membr. 5. part. nu.
11. de pignor. facit optimè text. in l. cum autē.
7 §. iubent Ædiles. de Aedil. edict.* vbi † reso-
luta emptione omnia reponuntur in eum
statum, ac si venditio facta non fuisset, & ita
tollitur obiectum, quod fit *ex §. fin. eius-
dem l. cum autem.* quia si seruus venditus
non fuisset, accessiones venditor fuisset con-
sequutus, idem probatur *in l. debet. eod. tit.*
& in summa omnes Doctores, qui allegan-
8 tur † ad probandum restitutionē accepto-
rum fieri debere resoluto contractu, loquū-
tur de his, quæ quis accepit ab eo, cui fit re-
stitutio, *per l. si à te. C. de pact. inter empt. &
& vend. & ita loquitur Ancbar. in cons. 34.
num. 11. Abb. cons. 62. in fin. lib. 1. Aym. in
cons. 7. num. 14. Bald. in c. 1. §. notandum. de
his qui feud. dar. poss. Natt. in cons. 631. Ce-
phal. cons. 207. num. 1. lib. 2. Roland. cons. 60.
9 num. 32. lib. 4.* † Nec facit in contra-
rium *doctr. Alber. in l. fin. de negot. gest.
relata à Tiraquel. de retract. lignar. §. 32.
glos. 1. num. 27.* quia procedit, si pretium
datum quis recuperare non posset ab eo,
qui recepit, & ita etiam procedit præ-
dicta quæstio, quam ponunt Doctores *in
l. 1. C. de reputat. & Ancbar. in c. 1. de
in integr. restit.* de eo qui emens à maiore,
10 eius iussu soluit creditori minoris: † Neq.
hoc casu potest applicari æquitas *leg. si
me & Titium. si cert. petat.* cum aquæ nun-
qnam fuerint Puteobonellorum; Neq. ini-
qnum etiam videri debet, quod ex pecunijs
Puteobonellorum Ecclesia aliquid conse-
quuta fuerit, ex quo eius conditio sit effe-
cta melior, si enim omnia resolnuntur, & in
eodem statu reponuntur, si aliquid reperi-
tur, quod penes neutram partium fuisset, si
initus contractus non fuisset, vtiq. æquius
videtur, vt remaneat penes Ecclesiam, quæ
possidet, quam qnòd detur non possidenti,
& qui alias non fuisset empturus, cum fun-
dum vicinum non haberet, *argumento l.
11 Mela. de alim. & cibar. legat.* † Præterea
huius æquitatis ratio tunc haberi potest,
vbi de fructibus agitur, quia tota fundatur
in eo, qnòd ex his pecunijs aliqnos alios
redditus emissent; & ita cessare videtur al-
legara æqnitas. Minus competit Puteobo-
nellis condictio indebiti, quia idem in hac
12 actione dicitur, quod supra dictum est, † nō
posse condici, nisi id, quod datum est, & sic
pretium, *vt declarat Bart. in l. quod indebi-
13 tum in fin. de cond. indeb.* † & licèt in hac
actione veniant accessiones, *l. indebiti. eod.
tit.*

tit. tamẽ vt ibi exponit glosa, intelligitur de accessionibus naturalibus, *et ibid. Salicet. in princ. vers. oppono*. Et ex his cessant omnia exaduerso allegata; quare fuit pro hac parte conclusum; tamen excitatum fuit, An possit hoc casu applicari materia permutationis siue subrogationis, de qua *per Tiraq. d. §. 32. glos. 1. num. 10.* super qua re, si Domini Puteobonelli velint audiri, particulariter dubitabitur.

Romana Domus del Caualetto.
Die Lunæ 27. Nouembris 1581.

SVMMARIVM.

1 *Pactum legis commissoria resoluit ipso iure contractum.*

2 *Promittens aliquem ratificaturum, non tenetur procurare aliã ratificationem, si in mandato per eum dato adsit clausula ratihabitionis gerendorum sub clausula promisit.*

3 *Promittens se ratum habiturum, an dicatur ratificasse absq. alia ratificatione.*

4 *Habens mandatum ad vendendum, dicitur etiam habere ad pretium rei vendita recipiendum.*

DECISIO DXLVIII.

FVit resolutum instrumentum venditionis domus, de qua agitur, non obstare Manilijs agentibus ex pacto legis commis-
1 soriæ, † quod resoluit ipso iure contractum
Tiraq. de retract. conuent. §. 1. glo. 7. num. 3.
nam quod exaduerso opponitur, Marcum non impleuisse promissa in contractu pro parte sua, cum non curauerit, vt Susanna ra-
2 tificaret, † omissis alijs responsionibus datis per informantes, quæ non satisfaciebãt; Domini amplexi sunt eam, quæ datur *ex doctr. Aretin. cons. 90. & 100. & Paris. cons. 33. num. 58. lib. 1.* nempe quòd satis dicitur Susannam ratum habuisse, cum in mandato adsit clausula ratihabitionis gerendorum sub clausula, promisit. Neque obstat *Ruin. in l. 4. §. Cato. nu. 27. in 2. lectur. de verb. oblig.* quia eius opinio patitur difficultatem, & in specie eam reprobat *Socin. iun. in d. §. Cato. num. 36. & 37.* Neq. obstat, quòd hoc casu videatur emptor ad cautelam stipulatus, vt Susanna ratificaret *iuxta tradita per Do-*
3 *ctor. ibid.* quia † procedit quæstio Doctorũ, vbi principalis ipse promisit se ratum habiturum in futurum sub pœna; nam eo ipso videtur ratificasse, itaut non sit opus alia ratificatione, sed hic promissio fit per procuratorem, qui eo ipso quòd ostendit ratificationem, de qua in mandato, dicitur promissioni suæ satisfecisse, per allegata *, Præterea videtur datum mandatum ad sic vendendum, vt ex depositionibus testium apparet; & ideo quod allegatur *ex Tiraq. de retract. lign. §. 1. glos. 10. num. 88. & sequent.* retorquetur. Vltimo non obstat, quod dicitur solutionem fieri nõ potuisse Susannæ ob
4 eius absentiam, quia † cum haberet Marcus mandatum ad vendendum, habebat etiam ad recipiendum pretium, *Bart. in l. filia. num. 2. de solut. Dec. in cons. 330. num. 3.* & idem promiserat emptor soluere: quare conclusum pro Manilijs.

* l. si procurator. ff. de cond. indeb. vbi inter alios tas. in 2. notab. Bald. in l. 1. sub n. 4. C. de procurat. Aret. cons. 90. & 100.

Placentina Decimarum.
Die Lunæ 27. Nouembris 1581.

SVMMARIVM.

1 *Milites militiarum religionum subijciuntur Episcopo in materia decimarum, tanquam sedis Apostolica delegato.*

2 *In dubio pro actus validitate dicendum est Episcopum tanquam sedis Apostolica delegatum processisse, etiam si exprimat se Ordinarium.*

3 *Miles ante emissam professionem non gaudet priuilegio exemptionis, nec tenetur seruare regulam.*

DECISIO DXLIX.

DOmini steterunt indecisis *, ad effectum de quo agitur, moti fuerunt potissimum ex eo, quòd exceptio, quam proponit Militia, [a] videtur turbida, cum bis in similibus terminis fuerit idem resolutum coram R. P. D. *Aldobrandino in Mediolanen. Aquarum*, [b] & facilius procedit hoc casu propter decreta Concilij Trident. *de*
1 *reform. sess. 24. c. 11.* in quo † milites harum militiarum subijciuntur Episcopo tanquam sedis Apostolicæ delegato, & quamuis excipiantur milites professi; tamen cum de hac professione non constiterit nisi de anno 1578. nõ potest retrotrahi ad annullationẽ eorum, quæ antea legitimè facta fuerant,
2 † & in dubio pro actus validitate dicẽdum est Episcopum tanquam delegatum sedis Apostolicæ processisse, *ad notat. per Abb. in c. cum ex officij. num. 31. de præscript. & ibi Felin. num. 31.* etiam si exprimat se Ordinarium, *Abb. ibid. num. 32. & Felin. 32.*
3 Sed & prima sententia lata est † ante emissam professionem, quo casu Comes non gaudebat priuilegio exemptionis, cum tũc non teneretur ad obseruationem regulæ, *per Syluestr. in verb. religio. 5. nu. 6.* Sed hæc ex abundanti dicta fuerunt.

* sub die Lunæ 26 Iunij pręteriti.

a Militia militum de Alcantara ordinis Cisterciẽsis.

b In Mediolanen. cursus aquarum 28. Aprilis 1581. quæ in impress. diuersis nouiss. est 702. part. 1.

Toletana de Halia.
Die Lunæ 4. Decembris 1581.

SVMMARIVM.

1 *In materia Congrua multum tribuitur iudicio Ordinariorum, & eorum arbitrio remittitur illius taxatio.*

2 *Maior fides adhibetur testibus magis informatis.*

3 *Testes iudicantes admittuntur, quando bonam rationem reddant.*

DECISIO DL.

FVit resolutum confirmandam esse, sine exequendam sententiam latam in fauo-
1 rem Rectoris, quia ✝ in istis materijs tangentibus congruam multum solemus tribuere iudicio Ordinariorum, quorum arbitrio permissa est hæc taxatio, *Rebuff. de congr. n. 69.* & maximè cum hoc casu propter numerum Locumtenentium, quorum ratio est habenda, non videatur sufficere portio illa relicta Rectori, quamuis ascendat ad ducatos 300. cũ sint necessarij quinque Locumtenentes, vt testes vtriusq. partis deponunt, *Rebuff. ibid. num. 63.* nam propter locorum distantiam est necessarium, quòd Rector, si vult satisfacere muneri suo, quãuis habeat Locumtenentes; accedat tamen sæpius ad illa loca; & ideo indiget mula & famulo pro ea curanda, cum indecens sit ad
2 loca tam distãtia pedibus accedere, & ✝ testibus Rectoris tanquam magis informatis habita fuit maior fides, *iuxta tradit. per Felin. in c. in nostra. num. 10. in fin. de testib. Grat. in cons. 81. nu. 36. lib. 2.* Nec obstat,
3 quod obijcitur ✝ eos potius iudicare quàm testificari, quia ratio onerum ab ipsis assignata visa est bona, *Ias. in Rubr. de iure iur. num. 6.* Nec obstat bulla fe. re. Pij V. propter numerum personarum deseruientium, nec probatur excessus ratione primitiarum adiudicatarum, cum de earum valore nihil deponant testes, Nec obstat clausula, sublata, apposita in litteris dismẽbrationis, quia ea operaretur, si daretur de litterarum subreptione, quod non applicatur casui nostro, sed tantum agitur ad congruam sustentationem, quod etiam decreto Concilij Tridentini licet, *sess. 7. cap. 7.*

Romana Releuationis indemnitatis.
Die Veneris 12. Ianuarij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Sententia contra contumacem lata non nocet tertio non citato; siue quis teneatur de delicto siue de culpa, & culpa notoria est in eo, qui se absentauit, vt num. 2.*

3 *Contumacia non solum non caret culpa, sed etiam speciem delicti præfert.*

4 *Propter contumaciam potest quis excommunicari.*

5 *Dominus officij notariatus exhibendo substitutum, qui in officio deliquit in scripturis falsis, non liberatur, si substitutus non sit soluendo.*

DECISIO DLI.

1 LIcèt regula sit, quòd ✝ sententia contra reum contumacem lata non nocet tertio non citato, *l. cum filiusfam. & ibi Bart. de verb. oblig. Roman. in cons. 154. n. 5. Alex. cons. 84. lib. 3. Corn. cons. 42. num. 9. lib. 2. cum alijs per informantes congestis* *, & siue quis teneatur de delicto siue de culpa, vt in terminis bullæ, necesse est, vt legitimè de ea constet, ad hoc vt noceat tertio; & ideo in casu isto non videtur probata, cum sententia sit lata in contumaciam non vocato Gerardo, *l. qui repudiatus. §. fin. l. Papinianus. §. meminisse. de inoff. testam. Alex. in d. cons. 84. num. 4. facit text. in l. 2. C. de fid. instr. & ibi Bald. & Salic.* tamen Domini concordes fuerũt, quòd in casu isto Domini creditores satis sint in probatis ad obtinendum contra Gerardum, cũ ex dispositione bullæ tenea-
2 tur etiam de culpa, ✝ quæ notoria est, cum Cinthius se absentauerit, & adhuc sit contu-
3 max, & ✝ hæc cõtumacia ne dum culpa non caret, sed etiam speciem delicti præfert;
4 itaut ✝ propter eam possit quis excommonicari, *Aegid. decis. 244.* Nec potest dici quòd Cinthio comparenti aliqua competere possit defensio; cum testes instrumentarij oegent se interfuisse contractibus ab eo
5 confectis: ✝ nec exhibendo Cinthium liberatetur Gerardus; nisi is esset soluendo, vt præcisè in bulla habetur: Quare omnibus simul consideratis negari non potest, hic probari talem culpam, ad quam præstandam Dominus offic. j teneatur: si autem Arrendatarijs noceret hæc culpa, quod erit particulariter videndum, hæc contra eos facilius procederent, eum ipsis fuerit lis intimata, & ipsi à sententia lata appellarunt. Alia considerata per informantes pro dominis creditoribus, tam ex alia bulla fel. recor. Pij IIII. quàm ex eo quòd lis agitata fuerit ab illis, & cum illis, quorum principaliter intererat, non placuerunt; quia bulla vti odiosa procedit respectu delinquẽtis tantum. Alia verò consideratio requirit, vt plura concurrant ad hoc, vt sententia non citato noceat, de quibus *per Couar. pract. c. 13. num. 7.* Reseruatum fuit, vt videatur inter Gerardum & Arrendatarios, an ipsi teneantur eum releuare.

* Bart. & alij in l. si quis delatorem ff. de iur. fisci Arena. in l. si quis plurib. § fin. col. 4. ff. de appellat. Corn. cõs. 97. lib. 4. Marsil. cons. 102. Alciat. cons. 182. in fin. Roland. cõs. 94 n. 25. lib. 2. Alciat. de præsump. reg. 1. præsumpt. 22. Boss. de carcerat. fideiuss. conuen. n. 58 & de publicat. bon. n. 56.

Faoentina Iurisconferendi.
Die Veneris 12. Ianuarij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Verbum ipsorum, indicat personalitatem.*

2 *Ex quibus verbis arguatur concordiam non esse perpetuam, & num. 3.*

DECISIO DLII.

DOmini non dubitarunt stantibus scripturis Capituli probari quasi possessionem canonicam eligẽdi ad Canonicatus de antiquo tempore vsq. ad annum 1548. Item & conferendi quædam altaria & beneficia, & in quibusdam ad aliorum præsentationem instituẽdi, prout in discursu summarij per Capitulum dati videri potest, & faciunt testes examinati de anno 1548. & ante

ante hoc tẽpus pro parte Reu. Domini Epi-
scopi nihil deducitur, ex quo tollatur pro-
batio Capituli: sed quia de dicto anno fuit
orta controuersia inter Capitulum & pro
tempore Episcopum super huiusmodi iure
conferendi, & causa commissa bo.mem. Ac-
corambono, qui processit ad sententiam
diffinitiuam contra Capitulum; licèt eam
postea moderatus fuerit per quãdam suam
declaratoriam; deinde sequuta fuerit con-
cordia inter bon.mem. Cardinalem Carpẽ-
sem, & eius fratrem Episcopum Fauẽtinum
ex vna & Capitulũ ex altera, de anno 1551.
& hodie vtraq. pars petat mandatum de
manutenendo, & Reu. Dominus Episcopus
prætendat probari possessionem dignitatis
Episcopalis conferendi canonicatus, & be-
neficia ab anno 1548. citra, eamq. esse attẽ-
dendam, cum in hoc iudicio ille obtineat,
qui probat possessionem de tempore motæ
litis; Domini dixerunt, si attendi debet tẽ-
pus antiquum vsq. ad annum 1548. rem esse
claram pro Capitulo, si verò debeat atten-
di ab anno 1548. huc vsque, tunc multa face-
re pro Reu. Domino Episcopo; & præsertim
quòd sententia Domini Fabij trãsiuit in iu-
dicatum, ita quòd iudicium petitorium
hoc casu terminatum per rem iudicatam
absorbeat possessorium; quamuis hoc fun-
damentum non omnino satisfaciebat Do-
minis; tum ex eo quòd Fabius suam senten-
tiam moderatus est; tum quòd aliàs Rota
coram R.P.D. Sarmiento non magnam ha-
buit huiusmodi sententiæ rationem; tum ex
eisdem probationibus tunc deductis vide-
tur vix posse à notoria iniustitia defendi,
stante antiquo titulo concordiæ cum quasi
possessione tot annorum: Neque etiam sa-
tisfaciebat Dominis, quòd prætendebatur
per concordiam initam cum Carpensi fuisse
sublatam omnem cõtrouersiam, eamq. fuis-
se obseruandam; nam ea diligenter exami-
nata Domini dixerunt esse personalem &
temporalem, non autem perpetuam, vt pa-
tet ex multis clausulis per informantes põ-
1 deratis, prout † illa, neutrum ipsorum,
quæ personalitatem indicat, *Bald. cons. 504. num. 1. lib. 2. Rip. in l. filiusfam. §. Diui. num. 110. & seq. de legat. 1. Capic. decis. 108. nu. 2.*
2 † Item illa, quòd nulla præscriptio currat
tam in petitorio, quã in possessorio; si enim
futura erat perpetua, ad quid erãt tot clau-
3 sulæ iurium præseruatiuæ apponendæ: † Itẽ
illa, durante huiusmodi concordia, & in hoc
Domini sine discrepantia residebant. Quan-
tum verò ad possessionem bo. me. Episcopi
Sighicelli, ea videbatur non multum vrgere
propter ipsius Episcopi declarationem; ta-
men quia multa fuerunt in hac positione
congesta, placuit Dominis, vt particulari-
ter videatur, quodnam tempus sit ad effe-
ctum, de quo agitur, attendendum.

Fauentina Bonorum de Nicolutijs.
Die Lunæ 15. Ianuarij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Ex diuisione inter fratres probatur, quæ nã bona sint paterna, et fideicõmisso subiecta.*
2 *Ex confessione non transfertur dominium, sed probatur.*
3 *Confessio probat nedum contra vniuersalẽ, sed etiam contra singularem successorem.*
4 *Ignorantia in facto proprio non est tollerabilis.*
5 *Filiusfamilias, quando emit, patri acquirit.*
6 *Dictio, suis, in testamento refertur ad testatorem, & non ad alium.*
7 *Verba concepta in tertiam personam, quæ referri possunt ad testatorem, & ad hæredem, in dubio referuntur ad testatorem; nisi subiecta materia aliud suadeat.*
8 *Trebellianica secundum Rotæ opinionem etiam filijs primi gradus prohiberi potest.*
9 *Hæres hæredis non potest detrahere Trebellianicam nisi ex persona primi hæredis.*

DECISIO DLIII.

QVantum ad priorem partem dubij, quę praesens decisio habetur in impress. decisi nouissi. 403. part. 1.
bona probẽtur subiecta fideicommis-
so, Domini censuerunt probari ea omnia
bona; quæ continentur in instrumento diui-
1 sionis esse subiecta fideicommisso, † cum
diuidentes fateantur prædicta bona esse pa-
terna, & substitutio fuerit facta in omnibus
bonis, *Paris. in cons. 26. num. 54. lib. 2.* nam
2 † licèt ex confessione non transferatur do-
minium, probatur tamen, *Bart. in l. cum falsa. C. de iur. & fact. ignor. Ruin. in cons. 128.*
3 *num. 5. & num. 18. lib. 2.* & † huiusmodi cõ-
fessio probat nedum contra vniuersalem,
sed etiam contra singularem successorem,
Ruin. d. cons. 128. num. 16. cum alijs allegatis *, Idq. eo magis dicendum, cum diuisio * Crauet. cons. 29. n. 1. vol. 1. Aretin. cons. 16. & Ruin. in terminis diuisionis cons. 40. n. 3. vol. 4.
sortita fuerit effectum; & nisi verè bona ad
patrem pertinuissent, Euangelista sibi præ-
iudicasset per diuisionem, & censeretur illa
donasse, & ita suum iactasset diuidendo;
4 † non enim in facto proprio ignorantia hu-
iusmodi est tollerabilis, *l. cum putarem. & l. post diuisionem. C. fam. ercisc.* Neque obstat
instrumentum emptionis, quia ex eo con-
5 trarium non probatur, † cum enim Euan-
gelista esset filiusfamilias, quãdo emit, patri
acquisiuit, *l. acquiritur. de acquir. rer. domin.*
Nec constat, quòd ex acquisitis exercendo
artem medicam emerit, & contrarium ap-
paret ex eius confessione; cum fateatur esse
bona paterna. Quantum ad posteriorem
partem dubij, An fuerit prohibita detractio
Trebellianicæ, Domini tenuerunt partem
affirmatiuam *per tex. in l. in facto. in princ. & in l. debitor. ad Trebell. & in l. cum in testamento. de aur. & arg. legat.* ex quibus iu-

tibus

6 ribus probatur † dictionem, suis, referri ad testatorem non ad alium, *ad idem Alex. in conf. 56. nu. 1. & 2. lib. 1. Marsil. sing. 21. Bertrand. conf. 256. col. 1. in prim. tertij. Roland. in conf. 70. num. 27. lib. 3.* & recepta est regula,
7 quòd † verba cōcepta in tertiam personam, quæ referri possunt ad testatorem, & ad hæredem, in dubio referuntur ad testatorem, *vt per Imol. in d. l. ex facto. in prin. num. 1. & ibi Rip. num. 5. ad Trebell. Dec. in l. fin. nu. 4. C. de impub. & al. subst. & conf. 470. num. 12. & fuit doctrina Bart. in d. l. in testamento. de aur. & arg. legat. & Alex. vbi supra,* & quamuis Imola ibidem limitet istā regulam, vt non procedat, quando subiecta materia aliud suadet, *per tex. in l. cogi. §. sed si seruo. ad Trebell. & ibidem Seiseb. num. 1.* Hæc limitatio quantumuis vera non appli-
8 catur, † cum indifferenter secundum opinionem Rotæ, Trebellianicæ detractio omnibus hæredibus etiam filijs primi gradus prohiberi possit; suadetur hæc interpretatio, quia aliàs intelligendo de hæredibus
9 vxoris, superflua essent illa verba; † cū hæres hæredis non possit detrahere Trebellianicam, nisi ex persona primi hæredis, cui hoc casu iam erat prohibita, *l. 1. §. deniq. vbi Doctor. ad Trebell.* Confirmatur quoq; ex prohibitione detractionis legitimæ, quæ est necessario referenda ad filios, cum alijs non debeatur. Et ex his conclusum prohibitionem esse claram, & necessario concludere.

Perusina Exequutionis.
Die Veneris 26. Ianuarij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Enunciatiua arbitri, æstimatoris, & Iudicis non statur.*
2 *Iuramentum non defertur ad probandum actorum deperditionem, quando non adest aliquis, qui alleget se actum fecisse, qui sit deperditus.*

DECISIO DLIIII.

1 FVit resolutum non constare de compromisso; nam † quantum ad enunciationē Arbitri siue æstimatoris, ei non statur, vt de enunciatiuis iudicum *tradunt Doctor. in c. quoniam contra. de probation. Gabr. de senten. concl. 4. num. 3.* & maximè hoc casu non est huius enunciationis ratio habenda; cum videatur peritus accepisse compromissum pro deputatione à Iudice facta, vt colligitur ex illis verbis extraiudicialiter electus, & deputatus ab Auditore Cameræ, quod conuenit cum reliquis instantijs in iudicio factis post diem primam Martij, in quibus fit instantia pro deputatione tertij: Adnotatio Notarij similiter non probat aliquid certum, cum potuerit esse aliud compromissum, & quidem super meritis causæ, vti inter affines ex dispositione statutorum fieri consueuit; maximè cum alibi enunciatur compromissa in numero plurali, & istæ enunciationes sunt longè ante, quàm fieret instantia pro deputatione tertij. Nec deperditio actorum propter Vrbis excidium
2 quicquam facit, † cum non adsit pars allegans se actum fecisse, qui sit deperditus, & ita non potest deferri iuramentum, *vt per Aym. in conf. 157. num. 17.* Non obstant citationes allegatæ in memorialibus; quia postea fuit impetrata commissio, & postea citatus Comes Ranutius ad videndum eligi peritum, quæ omnia indicant illas non applicari ad casum, de quo agitur.

Valentina Iurispatronatus de Consentayna. Die Veneris 26. Ianuarij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus de iure communi non acquiritur ex eo solum, quòd quis reparauerit Ecclesiam suis expensis, quæ minabatur ruinam; nisi reædificet Ecclesiam, quæ ità sit diruta, vt noua indigeat consecratione, vt num. 2.*
3 *Remissoria non datur ad probandum iuspatronatus, quando de eo agitur incidenter, nisi in tertia instantia, vel nisi facta obligatione de standō vnica, & apposito sequestro, sicut in beneficialibus fieri solet.*
4 *Ad obtinendum remissoriam in beneficialibus requiritur fumus.*
5 *Priuilegium non facilè trahitur ad casus diuersos.*
6 *Res iudicata impedit institutionem in iure patronatus.*
7 *Petitorium absorbet possessorium.*
8 *Non potest dici constare de non iure, quandiu de iure doceri potest, & vbi non adest vel partis confessio vel res iudicata.*
9 *Spoliatori etiam datur manutentio, donec causa per tres conformes terminetur.*
10 *Quando ex rescripto signaturæ procedēdum est simul & semel ad terminationem petitorij & possessorij, parum prodesse potest sententia in possessorio.*

DECISIO DLV.

DVbitatum fuit, vtrum Iuspatronatus, de quo agitur, comprehendatur sub regulis Innocentij & Adriani, ac decretis sacri Concilij Tridentini; & an huiusmodi regulæ & decreta obstent Ludouico Mas præsentato à Comite, itaut sit ei deneganda institutio. Et quantum ad primam dubitationem Domini censuerunt Iuspatronatus huiusmodi comprehendi sub regula Adriani, in qua reuocantur omnia iurapatronatus, quæ nō sunt ex dotatione vel fundatione exceptis quibusdam casibus, extra quos sumus, cum hoc iuspatronatus concessum fuerit ex priuilegio, ex eo solum quòd Ecclesia minabatur ruinam, & pro eius reparatione

ratione Comes obtulit se impensurus scuta
1 ducentum; † sed de iure communi iste non
est modus, per quem acquiratur Iuspatro-
natus, cui dispositioni Adrianus inhærere
in sua Const:tutione voluit; sed requiritur,
vel quòd quis præbeat fundum pro constru-
ctione Ecclesiæ, *c. nobis. de iure patron. c.*
Abbate.il secundo. 18. *q.* 2. *cum alys de qui-*
bus per Rocch.de iurepatr.in verb. fundauit.
*num.*1. vel quod quis construat à fundamē-
2 tis,*idem Rocch.in verb.construxit*;vel † quòd
penitus dirutam reædificet, quo casu re-
quiritur, vt ita sit diruta, vt indigeat noua
consecratione, *Rocch. vbi supr.nu.*12. *Lam-*
bertin. in 3. artic. 6. quæst. princip. prima
*part.lib.*1. Nec super clausulis priuilegij po-
rest fieri fundamentum, quia Constitutio
Adriani habet amplissimas clausulas cum
clausula, quorum tenores, *ad cons. Butr.* 2.
3 † Verum quia pars petit remissoriam su-
per verificatione istius priuilegij, dictum
fuit obiter nos versari in materia benefi-
ciali, cum lis sit inter præsentatum, & pro-
uisum Apostolicum; & ideo incidenter agi
de iure patronatus: Vnde fit, vt remissoria
concedi non possit,nisi in tertia instantia*,
vel nisi facta obligatione de stando vnicæ,&
apposito sequestro, prout in similibus fieri
4 solet. Prætereа † requiri fumum,[a] & licèt
pro fumo dentur nonnulli testes examinati
ad perpetuam rei memoriam;tamen eorum
dicta non videri releuantia, cum fateantur
Ecclesiam antiquam extare adhuc, iuxta
quam Comes nouam cæpit ædificare: Pro-
uisus autem Apostolicus petit veterem, &
neq. iste casus de iure communi probat ius
5 aliquod, neq. † comprehenditur in priui-
legio Leonis,quod ad casus diuersos facilè
non trahitur, *vt per Tiraq. de retract.lign.*§.
1.*glos.*24.*num.*97. Nec possessio releuat ab
onere probandi, cum Adrianus tollat nedū
possessionem de præterito, sed etiam de fu-
turo ex prægnantia dispositionis; si tamen
pars velit remissoriam, super istis particu-
lariter dubitabitur. Quantum ad decreta
Concilij, Domini dixerunt non habere lo-
cum in hoc casu, & iā fuit decisum.[b] Quan-
tum ad secundam dubitationem, An Ludo-
uicus sit instituendus, regula est pro eo, *per*
c.consultationibus.de iure patr. Nec videtur
6 ei obstare res iudicata, † quæ solet impe-
dire institutionem, *vt tradit Menoch. reti-*
*nend. remed.*3. *nu.* 848. quia si de iure erat
instituendus, quia præsentatus à Comite,
qui erat in quasi possessione, sententia erit
notoriè iniusta, & ideo nulla aderit res iu-
dicata. Nec etiam videtur obstare, quòd
in petitorio constet de nō iurepatronatus,
adnotat. per Abb.in d.c.consultationibus.nu.
7 9.*Rocch.in verb.competens.num.*39. † cum
petitorium absorbeat possessorium. *c. cum*
8 *dilectus. de caus.poss. & prop.* quia † non
potest dici constare de non iure, quandiu de

* & ad hoc facit decis. Achill. 97. aliàs 4. de dilation.

a vt per Cæsar de Grass. decis. 16. aliàs prima de dilation.

b præsertim 30. Ianuarij 1582. in fin.

eo doceri potest, *Aegid. decis.* 103. In his
enim requirimus vel partis confessionem,
9 vel rem iudicatam:& hinc est, quòd † etiam
spoliatori damus manutentionem, donec
causa per tres conformes fuerit terminata;
& ideo in hac causa ex rescripto Sanctissimi
10 † Domini Nostri procedendum est simul &
semel ad terminationem petitorij & posses-
sorij: parum tamen proderit sententia in
possessorio, *Rota decis.* 14. *de restit. spol. in*
antiq. Pute. decis. 74. *aliàs* 83. *in vna Sabi-*
*nen.lib.*1.

Spoletana Domus.
Die Lunæ 29. Ianuarij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Inquilini non dicuntur sufficienter eiecti,*
quando per multos dies post eiectionem
in possessione perseuerarunt.

DECISIO DLVI.

FVit resolutum non constare de sufficien-
ti eiectione inquilinorum, ad effectum
1 de quo agitur; † cum sub die 18. Aprilis nō
fuerint eiecti, sed postea per aliquot dies
perseuerauerint in domo & apothecis re-
spectiuè; primus & secundus super tertio,
tertius super quarto, quartus super sexto,
quintus iuxta decimumnonum & super ter-
tio, septimus iuxta decimumseptimum &
vigesimumsecundum; octauus iuxta vige-
simumsecundum; nonus super sexto; de-
cimus iuxta decimumoctauum; vndecimus
super sexto: & ideo intrare allegata *ex Are-*
tin.in l. quod meo.§.fin.de acquir. poss. Alex.
*in l.peregrè.§.quibus.num.*2.*eod. tit. Gozad.*
*cons.*86.*num.*10. *Pute.decis.*6.*de caus.poss. &*
propr. faciunt ea, quæ ex aduerso allegan-
tur in memoriali dato pro contraria parte;
tamen quia idem vitium opponitur posses-
sioni captæ per Scaurum, erit super ea vi-
dendum, quomodo se factum habeat.

Romana Domus del Caualetto.
Die Mercurij 31. Ianuarij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Quando non possit quis vendere fide habi-*
ta de pretio.

DECISIO DLVII.

DOmini persistunt in decisis*, nam dif-
ficultas, quæ fit super incertitudine,
& insufficientia mandati, tollitur ex eo,
quòd non fuit tunc temporis exhibita nota
1 dicti mādati:† Nec facit, quòd Manilius nō
posset vendere habita fide de pretio, quia in
muliere hoc non est cautum, sed tantum in
his, qui non possunt vendere nisi ex causa
dissoluendi æs alienum, *Bart. in l. à Diuo*
*Pio.§.si emptor.num.*3. *de re iudic. Felin. in*
*c.cum olim.num.*5. *de offic.delegat.* Neque
hic

* sub die 27. Nouembris anni præteriti 1581.

hic habet locum statutum, & ipsamet pars aduersa induxit testes super mandato.

Romana Dohanæ Salis.
Die Mercurij 7. Februarij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Silentiarius quis sit, & in quo differat à secretario nostri temporis.*

2 *Cessio facta à filio procuratore patris, censetur nomine patris facta, quando pecunia sunt paterna; maximè quando præcessit conuentio de cedendo, vt num. 4.*

3 *Filiusfamilias, qui contraxit nomine proprio, licèt cum pecunia patris, rectè soluitur.*

5 *Testis vnicus deponens de facto proprio non facit plenam probationem.*

6 *Potest quis considerari vti fideiussor respectu alterius, qui cum eo se obligauit, & vti principalis respectu creditoris.*

7 *Cessio licèt ex interuallo facta habetur pro incontinenti facta, si sit ex modico temporis interuallo.*

8 *Omne interuallum etiam modicum sufficit, vbi solutio ex causa cessionis habita fuit pro perfecta in terminis l. Modestinus. ff. de solution.*

9 *Solutio dicitur tunc habita pro perfecta, vbi partes diuerterunt ad extraneos actus.*

DECISIO DLVIII.

Bis proposui dubium, an iurium cessio facta à D. Io. Baptista fuerit valida ad effectum, de quo agitur, & Domini in vtraq. positione tenuerunt non fuisse validam ex deductis*: nam primo opponebatur hanc societatem pertinuisse ad Antonium patrem Ioannis Baptistæ, cum ipse Ioannes Baptista esset filiusfamilias. Secundo, quòd cessio facta fuit ex interuallo; & ideo intrare dispositionem *l. Modestinus. de solution.* Tertio, quòd facta pro tota summa, cum deberet fieri pro rata tantum tangente socium. Ad primum obiectum respondebatur D. Ioannem Baptistam esse secretarium; & ideo ex numero silentiariorum, qui sunt exempti à patria potestate, *l. fin. C. de silentiar. lib. 12. & l. fin. C. de decur. lib. 10.* sed huiusmodi solutio non placuit; nam
3 † longè lateq. differunt silentiarij à secretarijs nostri temporis; etenim illi erant milites, qui excubias agebant circa Principē, *l. 3. eod. tit. in fin. declarat Iacob. Cuiacius, ad l. 1. C. eod. tit. de silentiar.* Secundo huic
2 obiectioni respondebatur † Ioannem Baptistam fuisse patris procuratorem; ita vt licèt non fuerit expressè facta cessio nomine patris, tamen intelligendum sit, quòd facta fuerit dicto nomine, *Bart. in l. post dotem. num. 10. solut. matr.* & hanc responsionem, nisi aliud obstaret, facilè admitterent Domini, stante quòd pecuniæ essent Antonij patris, vt ex quibusdam partitis colligi videtur, in quibus dicuntur acceptæ ad societatem ab Antonio Argento eius patre; *Bart. in l. si ita. §. Chrisogonus. de verb. oblig. tradit Riminal. in cons. 71. num. 24.* respon-
3 deri etiam fortè posset, † postquam contractus fuit initus nomine Ioannis Baptistæ quamuis filijfamilias, ei tamen potuisse rectè solui, *l. quod seruus. de solut. l. quod seruus. deposit. Doctor. in l. filius. C. de pact. & ibi Alex. num. 1. Ias. num. 6. Dec. num. 6. Ias. in l. si vrbana. num. 1. de cond. indeb. Affl. decis. 335. num. 21.* sed posset dubitari, An hoc casu posset filiusfamilias cedere actiones, cum ei non fuerint quæsitæ sed patri, *l. acquiritur. de acquir. rer. dom. & ad hoc videatur Castr. in d. l. quod seruus. deposit.* Verum circa hanc difficultatem nihil fuit firmatū. Quantum ad secundam oppositionem re-
4 spōdebatur pro parte Domini Costæ † præcessisse conuentionem de cedendo, quæ responsio in iure est bona, sed in facto non ve-
5 rificatur nisi per vnum testem, † qui licèt de facto proprio deponat, non tamen facit plenam probationem, *Achill. decis. 3. de testib.* & ideo secundo loco affertur alia solutio, nempè quòd D. Camillus erat fideiussor, ex quo iam portionem suam soluerat;
6 † sed hoc nō est verum respectu principalis creditoris, est enim principalis debitor non autem fideiussor, licet inter socios hoc procedere possit, *Bart. in Auth. hoc ita. num. 67. C. de duob. reis. & in l. reos. ff. eod. & ibi Ang. num. 1. Natt. in cons. 52. num. 6. lib. 1. & fuit resolutum 9. Martij 1575. coram R. P. D. Robusterio in vna Romana pecuniaria.* & illa quæstio tendit ad alium finem, scilicet quādo fit cessio; pro qua parte sit facienda, *vt per Bart. d. l. Modestinus. & ibi Ang. nu. 4. & Castr. num. 4.* Neque obstant consilia in contrarium allegata, *Dec. 99. in princ. & 446. n. 1.* quia soluens illis casibus non erat obligatus creditori; & ideo eius solutione non extinguitur actio ipsius contra principalem; Neq. *cons. Socin. iun. 27. num. 8. lib. 2.* quia ibi soluens non principaliter, sed accessoriè erat obligatus. Præterea vix ex hoc capite potest D. Camillus defendi, cum non vti fideiussor, sed vti cessionarius contra Faustinum egerit. Tertio respondetur
7 † habendam esse cessionem pro incontinēti facta; cum hoc sit modicum temporis interuallum; sed non placuit hæc responsio,
8 quia † omne interuallum etiam modicum sufficit, vbi solutio fuit habita pro perfecta, *Castr. in d. l. Modestinus. in princ. & Ang.*
9 *ibid.* & † dicitur habita pro perfecta, vbi partes diuerterunt ad extraneos actus, *vt inquit ibid. Castr.* Quātum ad tertium obiectum, responsio quæ pro parte D. Camilli deducitur, pendet ex computis, quæ cum non fuerint neq. visa neq. producta, super his nullum potest fieri fundamentum; Ideo

* & ita fuit resolutū sub die Lunæ 29. Ianuarij præteriti in hæc verba formalia. Cessionē non fuisse validam, quia facta ex interuallo.

Domini ordinarunt, vt exhibeantur computa, & videatur, an in facto res ita se habeat deputatis calculatoribus; & interim videatur, an possit deferri iuramentum Domino Camillo in defectum probationis pro supplenda depositione d. Ioannis Baptistæ.

Romana Bonorum de Lilio.
Die Mercurij 7. Februarij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Donatarius, qui accedit obligationi rei sibi donata, super qua fuit impositus census, sibi præiudicat, sed non respectu donationis.*
2 *Verba sunt intelligenda eo respectu, quo proferuntur.*
3 *Verba quantumuis generalia restringuntur ad causam, propter quam proferuntur.*
4 *Renunciatio est strictis iuris, & strictè interpretari debet.*
5 *Quæ reguntur ab eodem verbo, eandem recipiunt qualitatem.*
6 *Promissio indemnitatis quid operetur.*
7 *Verba in dubio non intelliguntur prolata causa taxationis.*
8 *Mentio hæredis in contractibus est superflua in materia transitoria ad hæredes.*
9 *Reticta fabrica quid veniat.*
10 *Legata area venit ædificium postea impositum, quod verum, si area est propria legantis, secus si aliena, vt num. 15.*
11 *In donatione sumitur plenior interpretatio, quàm in legato.*
12 *In contractibus veniunt futura, quando possunt prauideri, & verba hoc patiantur.*
13 *Ad probandam voluntatem alicuius admittuntur testes etiam singulares.*
14 *Vsufructuarius ædificans recuperat impensas.*
16 *Fabrica donata vel legata trahit ad se, quicquid ei post donationem accedit.*
17 *Bona emphyteutica quando comprehendantur in donatione vniuersali.*
18 *Clausula, successoribus quibuscunq. capit etiam singulares successores, & æquipollet clausula, & quibus dederit.*
19 *Primus acquirens potest hæredibus & successoribus præiudicare; maximè in acquisitis ex causa onerosa.*
20 *Hæres non potest contrauenire facto testatoris.*
21 *Donans, qui sibi reseruauit de aliquibus bonis donatis facultatem disponendi generaliter & specialiter tam inter viuos, quàm in vltima voluntate, de ijs disposuisse intelligitur in institutione vniuersali.*

DECISIO DLXIX.

DVm tractarem concordiam iussu Sanctissimi D. Nostri inter Magnificos Dominos de Lilio nepotes ex fratribus bo. mem. Reu. Domini Thomæ Lilij Episcopi Placentini, quorum alter nempe D. Annibal fuerat hæres vniuersalis à prædicto Domino Episcopo institutus, Alter verò nempe Dominus Ioannes veniebat ex donationibus sibi à bon. mem. Reu. Domino Marco Antonio eius fratre de anno 1564. & 1566. respectiuè ab eodem factis: Fuit dubitatum, quæ bona in prædictis donationibus comprehenderentur circumscriptis omnibus obiectionibus, quæ contra dictas donationes deducebantur, & causa per me in Rota deducta, fuit decisum primo Palatiũ vetus cum Cancello, & alijs suis pertinentijs comprehendi in vtraq. donatione, in priori quidem sub generali dispositione, in posteriori etiam sub speciali mentione. Ex aduerso opponebatur fuisse per Reu. D. Episcopum, de anno 1572. impositum, & venditum censum pro pretio quatuor millium ducatorum ad fauorem bo. me. Illustrissimi Cardinalis de Pisis cum expressione, quòd d. Dominus Episcopus Dominus & possessor dicti Palatij affirmabat non esse alicui venditum, datum, donatum, cessum, obligatum, hypothecatum, & nihil omnino factum in præiudicium dicti contractus, & esse liberum, & immunem ab omni onere impediente hanc impositionem census, huicq. impositioni, & obligationi accesserunt Domini Marcus Antonius, & Ioannes prædicti; ex quibus arguebatur, ✝ ipsos quantum
1 ad donationem palatij sibi præiudicasse, *argumento eorum, quæ habentur in l. si fundum. de legat. 1. cum ibi notat. per Bald. & in l. cum à matre. col. 6. C. de rei vendic. & in l. exceptione. C. de euiction Tiraq. de leg. connub. glos. 7. nu. 27. & de retract. lign. glos. 9. num. 273.* sed non placuit huiusmodi obiectum, quia allegata procedunt, quãdo ageretur cum ijs, quibus venditus fuit census, accedendo enim obligationi sibi quantum ad censum præiudicarunt, sed non respectu donationis, quæ simul cum censu stare potest. Nec obstant enũciationes illæ, & assertiones, quia intelligendæ sunt limitatè respectu validitatis illius actus impositionis
2 census; tum ex eo quòd ✝ verba sunt intelligenda eo respectu, quo proferuntur, *vt per Aym. in cons. 16. num. 3. & cons. 23. num. 26.*
3 tum quòd ✝ verba quantumuis generalia restringuntur ad causam, propter quam
4 proferuntur, *Aym. in cons. 236. nu. 6.* & ✝ renunciationes sunt stricti iuris, & strictè eas interpretari debemus *Dec. in cons. 379. n. 3.* & hoc clarè ex contractus verbis colligitur, ibi, in præiudicium illius contractus, & ibi, ab omni onere impediente hanc impositio-
5 nem census, ✝ quæ cum regantur ab eodem verbo, affirmauit, qualificant totam orationẽ, *Bart. & alij in l. talis scriptura. de legat. 1. Doctor. in c. secundo requiris. de appellat. vbi*

lat. vbi Dec. col. 2. Nec placuit, quod ex ad-
uerso prætenditur, ex quo census postea per
eundem Dominum Episcopum fuit redem-
ptus pro se & suis hæredibus, actionem sal-
5 tem competere Domino Annibali pro re-
cuperandis quatuor mille, quia cum Do-
6 minus Episcopus in venditione † promise-
rit releuare indemnes Marcum Antonium
& Ioannem; consequens est, vt ad eius solu-
tionem non teneantur, *ad notat. in l. quæro.*
locat. Bero. q. 53. num. 1. Ruin. cons. 187.
num. 2. lib. 1. tenebatur enim Episcopus eos
releuare, si coacti fuissent soluere ab em-
ptore. Nec referenda est hæc promissio re-
leuationis ad fideiussionem tantum, sed ge-
7 neraliter accipienda, quia † verba in dubio
non intelliguntur prolata causa taxationis,
Paris. in cons. 4. num. 36. lib. 4. Non obstat
stipulatio pro hæredibus in redemptione
8 census, quia adest & successoribus, & † men-
tio hæredis in contractibus est superflua,
cum sit materia transitoria ad hæredes, *l.*
veteribus. C. de contrah. & com. stip. Ias. in
l. 2. §. item si. num. 1. & 2. de verb. oblig. Se-
cundo dictum fuit fabricam cũ suis melio-
rationibus post donationem factis in dona-
tione anni 1564. sub verbis generalibus, &
in posteriore sub specialibus comprehendi;
9 quãuis enim † relicta fuerit simpliciter fa-
brica; tamen cum sit res, quæ ex sui natura
non habet esse perfectum, & post se aliquid
expectet, non admodum videtur in acces-
sionibus differre à grege & à peculio, de
quibus *in l. gregi. & seq. de legat. 1. &*
in l. peculium. de legat. 2. sed magis in termi-
nis facit tex. in l. seruum filij. §. si area. de le-
gat. 1. & in l. si area. de legat. 2. cum con-
10 *cordantibus, ad deducta à glos.* † vbi legata
area venit ædificium postea impositum, *&*
ibi Bart. & Castr. dicunt esse perpetuum,
vbi area propria legatur, quòd si in fortiori
casu sumitur talis interpretatio in legato,
11 multo magis sumi debet in donatione, † in
qua fit plenior interpretatio, *c. cum dilecti. de*
12 *donation.* & ita tollitur, quod dicitur, † in
contractibus non venire futura; cum immo
veniant, quando possunt præuideri, & ver-
ba hoc patiuntur, *Bart. in l. si ita. de aur.*
& arg. legat. Imol. in Clem. fin. nu. 25. de re-
scrip. Neq. enunciatio confinium impedit
hanc interpretationem, cum à parte cæli
nulli sint fines præter cælum, *l. altius. si seru.*
vend. l. altius. C. de seruit. & aq. Præterea
saeis corroboratur hæc interpretatio ex
13 dictis testium, † qui de voluntate Episco-
pi deponunt, dato etiam quòd essent sin-
gulares, *Socin. iun. in cons. 178. num. 6. lib. 2.*
Bertrand. in cons. 297. num. 1. in 2. 2. Nec
huiusmodi melioramenta cadunt inter ac-
quirenda, quia cum ædificium cedat solo,
nunquam fuerunt Episcopo acquisita. Quæ
deducuntur, *ex l. final. §. fin. C. com. de legat.*
& l. Senatus. §. Marcellus. de legat. 1. non fa-
ciunt, quia loquuntur de ædificante in suo
licèt reuocabiliter, puta, quia euenit condi-
tio, sub qua restitui debebatur, vel dissolu-
tum est matrimonium. Neque obstat, quòd
14 † vsufructuarius ædificans recuperet im-
pensas, *glos. in l. sed & si quid. de vsufr. Alex.*
in cons. 123. num. 11. lib. 1. quia hoc proce-
dit, vbi vsufructuarius est illemet, qui do-
nauit proprietatem; nam per viam acces-
sionis venit id, quod impenditur, *l. quod in*
rerum. §. si quis post testamentum. de legat. 1.
& in hoc non est differentia inter contra-
15 ctus & vltimas voluntates; quia † semper
area trahit ad se ædificium ad commodum
eius, cuius est area, *Imol. in l. qui res. §.*
aream. nu. 8. de solution. Et ideo si promitto
aream, quæ non est in dominio meo, non
trahit ad se ædificium, secus si dono vel le-
go eam, quæ mea est, *vt ibi per eum*, sed in
16 casu isto omnis cessat difficultas, † cum nõ
simpliciter donata fuerit area, sed fabrica,
quæ trahit ad se, quicquid accedit. Tertio
dictum fuit, officia in priori donatione ex-
pressis verbis contineri: Nec obstat reser-
uatio illa disponendi; quia ibi non est dispo-
sitiua, sed est relatio decreti in emptione of-
ficij appositi, cuius fit mentio, vt appareat:
Episcopum de illis disponere potuisse do-
nando, prout faciebat, quod colligitur ex
causa etiam ipsis inuitis, quæ ad Ioannem
donatariũ referri nullo modo potest. Quar-
17 to dixerunt Domini † in donationibus cõ-
prehendi bona emphyteotica: Neque ob-
stare, quòd fuerint acquisita pro se & nepo-
tibus hæredibus, quia adest clausula suc-
18 cessoribus quibuscunq. † quæ capit etiam
singulares successores, cum æquipolleat
clausulæ, & quibus dederit, *Ias. in prælud.*
feud. num. 49. Curt. iun. in cons. 4. num. 4.
Paris. cons. 3. num. 12. in primo. Rip. in l.
quæsitum. §. si quis. num. 4. de priuil. credit.
Bero. in cons. 65. num. 55. vol. 1. latè Ro-
land. cons. 3. nu. 64. in 1. & 55. num. 35. in
19 *tertio.* Præterea † sumus in primo acqui-
rente, qui potest præiudicare, *vt per Clar. in*
§. feudum. q. 41. Maximè cum fiut acquisita
ex causa onerosa, *Natt. in cons. 475.* Quòd
si diceretur, cum simus in nepote videri
perfectam donationem à principio contra-
ctus emphyteutici, *ad notat. per Bald. in l. 1.*
in fin. C. per quas person. nob. acquir. Ruin. in
cons. 149. col. fi. lib. 1. Corn. cons. 51. col. 1. lib. 3.
dato quòd vera esset hæc Baldi sententia, de
qua si opus esset, particulariter esset agendũ;
tamen ad effectũ præsentis inspectionis di-
20 citur, quòd D. Annibal, † cum sit hæres nõ
potest cõtrauenire facto testatoris, *Corn. in*
d. cons. 51. col. 2. lib. 3. l. cum à matre. C. de rei
vend. sed hoc obiectũ tollit clausula prædi-
cta, hęredibus & successoribus quibuscũque,
& hęc sunt verba, quæ in donationibus com-
prehendi Domini censuerunt: Cætera verò
in dubio enumerata non comprehendi, &

primo

primo domum emptam à magistro Laurentio scarpellino dixerunt non comprehendi,
21 cum fuerit acquisita post donationes: † Neque obstare, quòd in priori donatione comprehendantur bona acquirenda, quia illud habet suam limitationem; dummodo de dictis bonis acquirẽdis non fuerit per dictum Reu. Donatorem generaliter vel specialiter in quauis eius dispositione siue inter viuos, siue in vltima voluntate dispositum: quare, cum vniuersalem hæredẽ instituerit D. Annibalem, satis generaliter dici posse fuisse de ista domo, & alijs post donationem acquisitis dispositum, *ad notat. per Salic. & alios in l. filia. C. fam. ercisc. & ex deductis coram R.P.D. Aldobrandino in vna Romana montium*, [a] *& coram R.P.D. Brauo in vna Roman. domus in Monte Iordano*, [b] Nec admiserunt Domini distinctionem ex aduerso per informantes adductam, stantibus illis verbis generaliter vel specialiter, quæ videntur declarare satis mẽtem donatoris: Nec placuit simile de donatione causa mortis; tũ quòd sumus in donatione inter viuos; tũ quòd hæc donatio est conditionalis, si de illis non disposuerit, *ad notat. per Bart. in l. quibus diebus. §. Termilius. de cond. et demon.* & satis expirasse videtur conditio per generalẽ hæredis institutionẽ. Secundo pecuniæ debitæ post dictam donationem à Dominis Marco Antonio & Ioanne ex alia causa, præter quam administrationis non veniunt in donatione; quia remissio debitorum, quæ in ea fit, restricta est ad debita ex causa administrationis tantum, vt Domini censuerunt, sed quia in facto, an verè debeantur nec nę, controuertitur, hoc erit inter partes statuendum. Tertio pecunias à Domino Annibale cambiatas in banco de Gottardis censuerunt Domini non contineri in prædicta donatione, sed venire sub exceptione acquirendorum, de quibus generaliter vel specialiter disposuit. Neque obstare, quòd in prædicta donatione donentur quæcunq. pecuniarum summæ, quas habet vel habiturus est quacunq. causa & occasione in monte Regis, vel alibi eiusdem donatoris, vel nepotum nomine negociatas vel negociandas, & in illa parte nulla adsit restrictiua, quia si verum est, quod prętẽditur, istas de quibus controuertitur fuisse mutuo datas D. Annibali, certè dominium illarum translatum est in eum; & ideo non possunt venire sub illo priori capite donationis pecuniarum, quas habebat vel habiturus erat, cum præsupponantur esse in eius dominio, sed necesse est, vt cedant sub alio capite, in quo donantur iura, actiones, & credita; & hoc caput habet illam restrictionem, dummodo generaliter nec specialiter fuerit de illis dispositum, quæ refertur non solum ad bona sed etiam ad iura, actiones, & credita; & ideo nisi docuerit D. Ioannes dictas pecunias remansisse in hæreditate, non autem nomen debitoris, non potest in prædicto capite donationis intentionem suam fundare. Reliqua quoq. bona per Reu. D. Episcopum post dictas donationes acquisita & inter supra enumerata non comprehensa sine difficultate ad D. Annibalem vigore institutionis spectare vnanimi sententia conclusum fuit.

[a] sub die 5. Nouembr. 1576. quæ in impress. diuers. nouissi. est 262. part. 1.

[b] facta sub die 9. Aprilis 1579. & de anno 1580

Gerunden. Anniuersariorum.
Die Veneris 9. Februarij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Rota nõ indistinctè amplectitur opinionem Oldradi, quòd gratia censeatur impetrata ab eo, cuius nomine cantat; nisi concurrentibus coniecturis, & nu. 2.*

3 *Prætendens gratiam ab alio fuisse impetratam stantibus coniecturis, quòd ipse illam impetrauerit, id concludenter probare debet.*

4 *Statutum per Capitulum factum de consensu Episcopi valet, etiam sine confirmatione Apostolica.*

DECISIO DLX.

QVamuis in confirmatione statuti impetrata à sede Apostolica Capitulũ & beneficiati tanquam supplicantes enuncientur; tamen Domini non habuerunt hanc pro concludenti probatione, quòd Capitulum hanc confirmationem im-
1 petrauerit, ad effectum de quo agitur, † Rota enim non indistinctè amplectitur opinionem *Oldr. in cons. 136. num. 5.* quòd gratia censeatur impetrata ab eo, cuius nomine cantat, nisi concurrentibus alijs coniecturis vel ratione modicæ impensæ, vel ratione materiæ, veluti quando versamur in re,
2 quæ de facili concedi nõ solet, veluti † prouisio beneficij per obitum, & hoc etiam quando pars est præsens, *Sarnen. de annali q. 32. Guidobon. decis. 84. & ita procedit decisio Ant. Aug. 120. aliàs 121. lib. 3.* ibi enim erant expeditæ litteræ, & gratia erat concessa motu proprio & gratis, & ita etiam procedit *decis. Io. Paul. 77.* in casu autem propositæ Bullæ, adsunt coniecturæ immo potius multæ incontrarium concurrunt; nã coniectura transmissionis statuti, & impensæ potius facit contra beneficiatos; qui hac confirmatione hodie nituntur, & sunt ipsi quoq. in confirmatione nominati; ideo cum
3 sint tales indubitanter, † si alios impetrasse contendunt, id concludenter probare debent, *Abb. in c. nonnulli. §. sunt & alij. num. 10. & ibi Felin. num. 42. de rescript.* Neque vlla deduci potest ex tali confirmatione vtilitas Capituli, ex qua inducatur præsumptio impetrationis, cum vtilius esset Capitulo statutum ad libitum vel mutare, vel retinere; secus verò respectu benefi-

eiatorum, quorum maximè intererat tale statutum non abrogari: Neq. vrget consi-
4 deratio Ecclesiæ: † valebat enim statutum sine confirmatione; cum esset factum de consensu Episcopi, *glos. in c.2. in verb. statutum. de verb. sign. Doctor. in c. cum omnes. de constitut. Dec. in c. cum accessissent. num. 9. eod. tit. Abb. in c.1. nu. 14. de his quæ fi. à maior. part. Capit.* Controuersiæ consideratæ de anno 1489. non faciunt ad rem; quia iam de anno 1503. cessauerant, & sic ante impetrationem. Neque etiam lites allegatæ annorum 1509. & 1518. quicquam faciunt, immo potius contrarium suadent, quia beneficiati volebant ligate manus Episcopi, ne quotidie statuta noua conderet, & antiqua abrogaret: Obseruantia verò est æquiuoca, cum præcedat impetrationem; facie etiam, quòd in enunciatiuis nunquam fit mentio huius confirmationis, quòd verisimiliter factum fuisset, si ad instātiam Capituli obtenta fuisset, & potius videndum est beneficiatos eam obtinuisse, postquam procurarunt semper eam consequi, prout fecerunt postea à Nūcio sedis Apostolicæ. Quare conclusum contra beneficiatos.

Placentina Decimarum.
Die Veneris 9. Februarij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Possessio probata respectu aliquorum extenditur etiam ad alios, quando sumus in iure vniuersali, nec alius est in possessione.*
2 *Ius vniuersale ad omnes extenditur.*

DECISIO DLXI.

Fvit resolutum Capitulum esse manutenendum in casu, de quo agitur, quia probatur eius intentio per quatuor testes, qui deponunt de auditu à maioribus, & de fama. Neq. obstat, quòd non probetur possessio in indiuiduo respectu Comitis, quia immo secūdus testis respectu ipsius probat, & non obstant exceptiones contra eum deductæ, quia in hoc summarijssimo remedio non admittuntur, & suppletur ex alijs, quia valde verisimile est, si alij soluerunt, quòd & ipse Comes soluerit, cum soluerit etiam ipse Rex. Nec obstat, quòd Rex non fit exemptus, nisi ratione rerum ad magnū Magistrum pertinētium, quia si vera esset prætensio Comitis, quòd priuilegia suffragentur ratione bonorum patrimonialium, perinde suffragarentur Regi, sicut & alijs militibus eiusdem ordinis. Nec obstat, quòd non percutiat tempus factæ professionis, quia immo percutit, postquam Comes volebat vti miles eximere se à prædicta solutione: sed hoc casu cessat difficultas; nam
1 † sufficit, quòd possessio probata sit respectu aliquorum; extenditur enim ad alios, quando sumus in iure vniuersali, & alius nō est in possessione, *Rota de præscription. decis. 2. num. 3. in nou. Abb. in c. 1. num. 3. de relig. dom. Gabr. de præscriptio. concl. 2. num. 22.* &
2 † hoc ius vniuersale realiter ad omnes extenditur, *Oldrad. in cons. 267. cum alijs, relatis per Aym. de antiquit. temp. part. 4. num. 28. & 29. Felin. c. auditis. num. 19. de præscription. & ita fuit resolutum in vna Toletana annatarum coram R.P.D. Robustério, de anno 1575. 11. Decembris, & in eadem coram R.P.D. Cantuccio 17. February 1581.*

Anconitana Attentatorum.
Die Lunæ 12. Februarij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Dictio, ac etiam, de sui natura est ampliatiua.*
2 *Inter mercatores littera cambij vbique locorum in eorum foro paratam habēt exequutionem.*
3 *Littera cambij continent tria cōmercia, vnū inter numerantem & dantem litteras, alterum inter numerantem & illū cui littera diriguntur, tertium inter dantem litteras, & eum cui diriguntur, & in omnibus istis casibus potest verificari debitum vigore litterarum cambij.*

DECISIO DLXII.

Domini strictè votando super intelligentia statuti recesserūt ab interpretatione aliàs data sub die 16. Iunij 1581. & tenuerunt, quòd ex forma statuti possit procedi exequutiuè contra debitorem vigore
1 litterarum cambij † propter dictionem, ac etiam, quæ est de sui natura ampliatiua, *l. ea tamen adiectio. de legat. 3.* Nec obstat, quòd postea subdatur, tunc etiam pro dictis litteris contractis vigore litterarum cambiorum, ex quibus verbis videtur statutum restringere se ad instrumenta, quia si bene aduertatur, videtur illa oratio imperfecta esse, & deficere aliquid, aliàs caret sensu, videtur autem ita supplenda, tunc etiam pro dictis litteris & instrumentis contractis vigore litterarū, & ita sensus est perspicuus, aliàs valde absurda esset oratio, dicere pro litteris contractis vigore litterarum cambij: intellexerunt ergo statutum, vt tam pro litteris ipsis cambij, quàm pro instrumentis desuper confectis detur via exequutiua, &
2 hoc suadet subiecta materia, cum † vbique locorum inter mercatores huiusmodi litteræ habeant paratam exequutionem in eorum foro. Nec obstat, quòd exaduerso informantes velint restringere materiam respectu recipientis litteras, quia qui dat litteras, satis dicitur debitor vigore litterarum; nam *vt inquit Bald. in cons. 349. facta*
3 *fuerunt. lib. 1. in princ.* † litteræ cambij cō-

tinent

tinent duo commercia, vnum inter numerantē & dantem litteras, alterū inter numerantem & illum, cui litteræ diriguntur; potest etiam addi tertium inter dantem litteras & eum, cui diriguntur; & ideo satis in omnibus istis casibus verificatur debitum contractum vigore litterarum cambij; quia numerans soluit, vt illas litteras haberet, & obligatio licèt re contracta, tamen est correspectiua ad illas litteras, & militat eadem, & etiam maior ratio contra dantem litteras, quàm contra recipientem, quod suaderi potest ex dictionibus, qualitercunq. & quomodocunq. *Salicet. in l. si serui. col. 2. num. 8. C. de noxal. Grat. in cons. 21. num. 77. lib. 2.*

Romana Pecuniaria.
Die Lunæ 12. Februarij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Saluianum datur propter hypothecam.*
2 *Venditio intelligitur, vbi fit mentio pretij.*
3 *L. scripturas. qui potior. in pign. hab. quando non procedat, & num. 4.*

DECISIO DLXIII.

Ab hac decisione recessum fuit sub die 11. Maij proximi, sed iterum postea fuit inclinatum iux ta præsentem resolutionē, & decisum pro vēditione non autē pro arrenda.

1 FVit resolutum fundatam esse intentionem Liuiæ & litis consortium † in hypotheca, de qua in eorum instrumentis, cuius ratione competit Saluianum: Probatur quoq. possessio Ioannis Sodalis ex apocha scripta 2. Iunij 1570. ex qua apparet, quòd
2 saltem pro scutis 365. † erat facta venditio; cum fit facta mentio pretij, *glos. in l. vlt. C. de prad. Cur. lib. 10. Tiraq. de retract. lign. §. 1. glos. 2. num. 1.* & ideo fuit reducta quantitas pretij arrendæ ad scuta quinq. quia pro concurrenti quantitate scutorum 365.
3 erat facta venditio. † Non obstat *l. scripturas. qui pot. in pign. hab.* quia procederet, si super illa scriptura vellent actores fundare eorum intentionem; sed cum habeant hypothecam ex instrumentis publicis, possunt reliqua probare etiam per testes; Ideo non applicatur: quod ex alio etiam suadetur, quia hic non adest periculum antidatationis, cum ex illa scriptura non agatur, sed solum probetur dominium scripturarū: Præ-
4 terea cessat difficultas † ex adminiculis *adnotat. per eundem Tiraq. ibid. §. 1. glos. 7. nu. 55. & 59.* Non obstat recognitio, quia ea detegitur quo ad hāc partem vel falsa, vel erronea, neque debet præiudicare creditoribus *per allegata hic per informantes.**

* per l. in confessionibus. ff de interrog. actio. Bart. in l. generaliter. nu. 9 C. de non num. pec. Roma. cons. 320. num. 10. Cephal. cons. 179. num. 17 quod procedit etiam in facto proprio, quando tractatur de damno euitando Bart. in l. si me putem in princ. ff de cond. indeb. & in l. non fatetur n. 10. de confess. Alex. cons. 101. num. 11. lib. 2. Dec. cons. 350. num. 5. & cons. 408. num. 7. Grat. cons. 27. num. 11. lib. 2.

Anconitana Terrarum.
Die Veneris 16. Februarij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Forenses personaliter citari debent, & non per edictum; fallit si statutum admittat talem citationem, vt est in Ciuitate Ancona.*
2 *Forenses sortiuntur forum tum ratione loci, tum ratione contractus.*

DECISIO DLXIIII.

FVit resolutum pro validitate exequutionis & processus; nam quantum attinet ad nullitatem, quæ opponitur ex defe-
1 ctu totalis citationis, quia † citandi erant forenses personaliter non per edictum, fuit responsum id licuisse ex forma statutorum Anconæ; ideo sustineri, *ex traditis in Clem. 1. & ibi per Doctor. de iudic. Bald. in l. 1. nu. 7. C. quom. & quan. Iud. Tiraq. de retract.*
2 *lign. §. 8. glos. 3. in fin.* & † isti forenses ibi sortiebantur forum tum ratione rei, tum ratione contractus. Quod secundo opponitur, de defectu citationis ad videndum iurare testes, Domini dixerunt notarium attestari de citatione facta iuxta relationem Nuncij: Ad omnia pro parte Zerbinæ deducta & contenta in petitione, in qua petitum fuit partem moneri, prout postea in decreto iudicis monita fuit, responsum fuit quòd sufficit stante eius contumacia, & cum monitio intelligatur facta pro eodem termino probatorio decem dierum à Iudice dato: satis constat etiam de iuramento, cum assertio notarij cadat infra terminum monitionis, quod sufficere in pluribus causis Rota tenuit, & semper obseruari solet, & ita conclusum pro validitate.

Barchinonen. Bonorum plæ causæ.
Die Veneris 16. Februarij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Iudex si semel intra terminum dederit apostolos, pars non tenetur postea amplius comparere, & eos petere, & de acceptatione quando constet, vt num. 2.*
3 *Pars, quæ causam committi obtinuit, non potest dici habuisse illam pro deserta.*
4 *Antequam decernantur exequutoriales, pars citari debet, aliàs appellatio dicitur deserta.*
5 *Exequutio sententia parte non citata fieri potest duobus cōcurrentibus; nempe quòd appellatio fit deserta, et quòd iudex de hoc fit certus.*
6 *Lapsus termini ad docendum de appellatione non inducit desertionem, sed tantum operatur, quòd iudex possit procedere ad exequutionem.*
7 *Terminus præfixus appellanti ad prosequendam appellationem incipit à die scientia, & recipit interpretationem à iure, vt num 8.*
9 *Super desertione appellationis quando requiratur sententia.*

10 *Sententia super desertione appellationis, an*
& quando dicatur interloquutoria & ad
eam requiratur citatio & intimatio, &
num. 11.

DECISIO DLV.

praeter decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 100. par. 2.

DOmini resoluerunt pro attẽtatis: fundata est enim intentio administratorum super pendentia appellationis, *tot. tit. vt lit. pend.* Exaduerso duo deducuntur pro excusatione; Primum est, quòd cum esset datus terminus iuris ad redeundum pro apostolis; administratores non redierunt, *Clem. quamuis. de appellat.* sed hoc fundamentum non placuit, quia 2. Octobris Assessor, ad quem iudex remiserat appellantes, detulit appellationi, & praefixit
1 terminum octuaginta dierum: vnde † sufficit, quòd iudex dederit apostolos, nam postea non tenetur amplius pars comparere petere apostolos, *Bald. in l. eos. §. fin. num. 2. & ibi Salicet. num. 5. in fin. C. de appellat.* Nec obstat, quòd non constet de
2 acceptatione, quia † satis constet ex eo, quòd pars transmisit ad Curiam, & causam committi obtinuit, vt dicitur de comparente post exequutam citationem, *Rot. decis. 11. de dol. & contum. in nou.* maximè cum pars aduersa commiserit etiam causam appella-
3 tionis dictorum administratorum, & † ita apparet non habuisse causam pro deserta. Secundum, quod pro exequutione deducitur, est ex eo, quòd non fuerit infra octuaginta dies facta fides de commissione causae; Hoc quoq. fundamentum reiectum fuit, ex
4 pluribus: Primo, quia † debuit pars citari, antequam decernerẽtur exequutoriales, & tunc diceretur appellatio deserta, *Dec. in c. personas. n. 10. de appellat. Ægid. decis. 217. in fin. & licèt Rota decis. 25. de appellat. in nou.*
5 velit quòd † possit fieri exequutio parte nõ citata; hoc tamẽ procedit duobus concurrẽtibus, vt ibi dicitur; vnũ est, vt verè appellatio sit deserta; alterũ quòd iudex de hoc sit
6 certus: hic verò neutrũ cõcurrebat; nã † lapsus termini ad docendũ de appellatione nõ inducit desertionem, sed tantum operatur, vt iudex possit procedere ad exequutionẽ, *Federic. in cons. 128.* * *Dec. in d. c. personas. n. 10. & ibi Felin. n. 2. Roman. singul. 163. cũ alijs allegatis,* a neq. etiã erat certus de de-
7 sertione, quia † terminus octuaginta dierum non potest incipere, nisi à die scientiae; tempus enim prosequendi appellationem est vtile, nec currit impedito, *Archidia. in c. anteriorum. nu. 5. 2. q. 6. Tiraq. de retract.*
8 *conuen. §. 35. glos. 4. n. 9. in fin.* & † huiusmodi termini recipiunt interpretationem à iure, *Cassad. decis. 9. n. 10. de appellat.* & quòd requiratur citatio, *fuit resolutum 24. Februarij 1576. in vna Taurinen. Capellania coram R. P. D. Blanchetto*, & hinc est, quòd
9 † dicto casu requiritur sententia super desertione, *vt dicit Lap. allegatus à glos. Rot. in decis. 25. de appell. in nou. in Addit. magna post medium*; Vnde cum Iudex pronunciauerit causam desertam, male fecit, quia re vera non erat, & cum esset appellatum, non potuit procedi ad exequutionem; quia
10 † licèt sententia super desertione dicatur interloquutoria, *Rot. decis. 1. de appellat. in nou. & 42. eod. tit. in antiq.* tamen id procedit, quando pronunciatur deserta appellatio ab interloquutoria; secus si pronũcietur deserta appellatio à diffinitiua, *Rot. decis. 21. de re iudic. in nou. Felin. in rubr. de re iu-*
11 *dic. nu. 11.* & † idem requiritur citatio, *vt per Felin. ibid. Gabr. de citation. conclus. 1. n. 214. & seq.* nec sufficit intimatio; maximè stante appellatione, quae suspendebat, *ad notat. per Felin. in Rubr. de re iudic. nu. 3.* Et ex his conclusum pro reuocatione attentatorum.

* in informationibus habetur cõs. 28. & nõ 128. incip. punctus quaestionis talis est. num. 9. vers. posset enim.

a adde Rot. decis. 13. de appell. in no. & decis. 40. in antiq.

Romana Dohanae Salis.
Die Lunae 5. Martij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Ad hoc vt possit deferri iuramentum in supplementum probationis, secundum stylum Rotae requiritur plusquã semiplena probatio; maximè in causa magni momenti, & num. 3.*

2 *Cedens non est idoneus testis pro cessionario.*

DECISIO DLXVI.

FVit resolutum, non esse locum delationi iuramenti in supplementum probationis, in casu de quo agitur, ex regula quam
1 Rota obseruat, quòd † ad hoc vt possit deferri iuramentum, requiritur plusquam semiplena probatio, ex sententia *Boer. decis. 85. Refert Pute. de iure iur. decis. 1. & 431. lib. 2. fuit resolutum in vna Bononien.* hic autem non habemus integram semiplenam, cũ
2 ex communi Doctorum sententia † cedens nõ sit idoneus testis pro cessionario, *vt tradit Bald. in l. omnibus. C. de testib. Butr. & Abb. in c. insuper. de testib. Mill. de testib. n. 34. Alex. in l. si tibi. §. nos autem. de pact. Lanfranc. de testib. nu. 65.* Ideo conclusum pro
3 negatiua; † maximè stante, quod causa est magni momenti, & Rota non solet facilè partes ad huiusmodi iuramenta admittere.

Spoletana Domus.
Die Veneris 9. Martij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Praelatus non potest per actum fictum trãsferre possessionem in praeiudicium Ecclesiae, quod declaratur qualiter procedat.*

2 *Lis impedit, ne res alienari possit, non tamen impedit, quin possit haberi pro derelicta.*

3 *Quo casu non sit necessaria expulsio inquilini ad acquirendum possessionem.*

DE-

DECISIO DLXVII.

Præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 319. part. 2.

AN possessio Scauri sit sufficiens, nec ne, pendet ex eo; An eo tempore, quo per eum capta fuit, esset vacans per dimissionem Iesuitarum; & Domini non obstantibus ex aduerso deductis, censuerunt fuisse tunc temporis vacantem; nam quod primo
1 deducitur † Prælatum non posse per actum fictum transferre possessionem *ex tradit. per Doctor. in l. 1. de acquir. poss. vbi Rip. n. 68.* dixerunt non procedere, quando id fit per viã non accceptationis, quoniam hoc casu potest præiudicare Ecclesiæ etiam concedendo alteri, *Socin. in cons. 53. n. 27. lib. 4. Pute. decis. 519. Hospitale; lib. 2. Natt. in cons. 441. n. 19. lib. 2.* sed tollit omnem difficultatem, quòd cum Societas nõ haberet ius in ea domo, vel popter fideicommissum, vel propter declarationẽ fabricę, potuit agnoscere Pręlatus bonam fidem, *l. quoties. §. sicut autem. de administr. tut. Abb. in c. fin. n. 4. & ibi Felin. n. 10. & Paris. n. 61. de praescription. Rebuff. de alien. rerum eccl. n. 28.* Secundo quod dicitur renunciationem fuisse limitatam in fauorem eius, cui de iure competebat, non obstat; quia cum Scaurus prætendat sibi de iure rationem fideicommissi competere, interim dum super hoc controuertitur, ipse est manutenendus. Quod tertio loco obijcitur declarationem illam fuisse factam lite
2 pendente non obstat; quia licèt † lis impediat, ne fiat alienatio; tamen nullibi reperitur, quòd quis interim non possit possessionem dimittere, & rem habere pro derelicta, hoc enim potius fuit factum ex causa agnitionis bonæ fidei. Vltimo non obstat,
3 quòd † possessio non esset vacans; cum ibi adessent inquilini, quia cum societas desierit possidere animo *l. 3. §. in amittenda. de acquir. poss.* non fuit necessaria expulsio inquilinorum, sed sufficit recognitio, *Affl. decis. 325. n. 3.* & hæc obiectio, cum non fiat ab Ecclesia, vix fieri potest ab alio, *vt aliàs coram me decisum fuit in vna Ceruien. bonorum* [a] *& in pluribus alijs causis.* Et ita conclusum standum esse in decisis.

[a] sub die 4. Maij & 16. Decembris 1575.

Bononien. Compromissi.
Die Mercurij 14. Martij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Donata filio donatione valida inter viuos, in legitimam filij non imputantur, quod verum, quando constat de animo donandi, quia donans expressit titulum donationis, vt num. 3.*
2 *Donatio facta à socero nurui valet.*
4 *Datum filia & personæ, cui debetur legitima, in dubio non censetur donatum, sed datum, vt computetur in legitimam; secus si detur personæ, cui legitima non debetur.*
5 *Si pater dotans filiam stipuletur dotem reddi filiæ, filia transmittit dotem ad filios, tanquam ad hæredes.*
6 *Quando pater stipulatur in vnum casum, puta non existentiæ liberorum, dotem sibi restitui, censetur in alium casum donasse filiæ.*
7 *Argumẽtum à collatione ad imputationem in legitimam procedit negatiuè, secus affirmatiuè.*
8 *Lucrum ex casu aduentitio, & futuro euentu dependens an computetur in legitima.*
9 *Dictum Corn. cons. 190. num. 3. lib. 2. quomodo procedat, & num. 11.*
10 *Filij filiæ emancipatæ habent dotem tanquam hæredes matris.*
12 *Donatum propter nuptias à patre filio emãcipato, aut à matre filiæ datum, computatur in legitima; secus est in donato nepoti vel nepti, quibus non debetur legitima.*
13 *Non valet consequentia datum filio vel filia imputatur à filio vel filia in legitimam, ergo & datum nepti.*
14 *Statutum Bononiæ, quo cauetur, quòd mulier lucretur dotem, & eius augmentum, & de eis testari possit, non obstante quacunq. stipulatione vel pacto ab augmentum dante apposito, an restringatur ad augmentum dotis datum ab eo, qui dare tenebatur, cõcluditur negatiuè cum Ruin. contra Gozad.*

DECISIO DLXVIII.

EXcellentiss. Duchissa Renata dederat mandatum Domino Sigismundo de Valzo ad tractandum cum D. Matthæo Amorino matrimonium contrahendum inter Marcum Antonium filium d. Matthæi, & Dominam Dianam de Puteis, & inter aliàs conditiones in dicto mandato contentas aderat etiam hæc, quòd Matthæus constitueret augmentum dotis eidem Dominæ Dianæ de scutis duobus millibus auri, quod quidem augmentum post obitum Dominæ Dianæ restitui deberet filijs dicti Domini Marci Antonij, & eis non existentibus ipsum augmentum restitueretur dicto Matthæo vel eius hæredibus: Obijt primo Marcus Antonius relicta ex vxore sua Diana, Domina Lucretia filia; deinde obijt Diana, & postremo loco obijt Matthæus institutis hæredibus Dominis Iulio Cæsare & Alexandro Amorinis ex fratre nepotibus: petita fuit à Domina Lucretia legitima ex persona propria in bonis Matthæi aui paterni, pró qua constituenda inter alia pro parte hæredum prætensum fuit duo millia pro augmento dotis matris

suæ à Matthæo data in legitima esse com-
putanda; Cumq. ex aduerso non esse impu-
tanda defenderetur; proposui super hac re
dubium in Rota vti consultor electus ab Il-
lustrissimis & Reuerēdissimis Dominis Car-
dinalibus sancti Sixti, & Vastauillani, Nec-
non Excellentiss. Domino Duce Soræ, ar-
bitris à partibus electis, & causa iterato in
Rota proposita, fuit per Dominos resolu-
tum dicta scuta bis mille non esse in legiti-
mam imputanda: rationes, quibus moti
fuerunt, hæ potissimum fuere: Primo ex re-
ceptissima conclusione, quæ habet, quòd
1 † donata filio donatione valida inter viuos
in legitimam non imputantur, *l. si quando.
§. & generaliter. C. de inoff. testam. l. illam. C.
de collat. Rip. in l. in quartam. num. 143.
ad leg. Falcid. Aym. in cons. 114. num. 17.*
ergo multo minus in legitimam nepotis
imputari debere donata matri, cum explo-
2 ratissimi iuris sit † donationem factam à
socero nurui valere, *per tex. in l. 3. §. so-
crui. de donat. inter vir. & uxor. Castr.
cons. 193. num. 1. lib. 2.* Huic argumento
3 exaduerso obijciebatur, regulam illā † pro-
cedere, vbi donans vsus est verbo, donauit,
itaut dubitari non posset de eius intentio-
ne, sed vbi vtitur verbo, dedit, simplici-
ter non expresso titulo donationis, tunc se-
cus esse propter doctrinam *Bart. in l. 1.
§. si parens. si quis à paren. fuer. manum.
Alex. in l. illud. num. 5. in fin. C. de colla-
tion. vbi Dec. num. 8. & Rimin. num. 12.
idem Alex. cons. 142. num. 22. lib. 2. Rip. in
l. in quartam. num. 145. Ruin. ibid. num.
28. & Alciat. num. 38. Ias. in l. si quando.
§. & generaliter. num. 3. C. de inoff. testam.
Corn. cons. 64. num. 8. lib. 2. cum alijs* *, sed
4 responsum fuit, id procedere † quoties da-
tur filio, quia ratione personæ oritur hæc
præsumptio, vt dicatur potius datum, itaut
computetur in legitimam; quàm purè &
ex mera liberalitate donatum, sed huius-
modi præsumptio non potest cadere in pro-
posita specie, cum detur nurui, & ita per-
sonæ, cui non conuenit illa qualitas debi-
tæ legitimæ, super qua fundata est præsum-
ptio illa Bart. & Doctor. & idcirco cen-
seri donatum; cum alia causa nempe titulus
dationis concurrat. Quod ex alia ratione
confirmatur; nam cum in huiusmodi datio-
ne concurrat non solius aui dispositio, sed
etiam Excellentissimæ Duchissæ ita stipulā-
tis, vtique ex solius Aui intentione metiri
non debemus hanc dationem, sed etiam ex
intentione ipsius Duchissæ, quæ conside-
randa est prouidere voluisse Dianæ & eius
filijs omni meliori modo; & ita excluditur
per hanc alia præsumptio, quatenus con-
uenire posset. Secundo principaliter moti
fuere Domini *ex doctrina Bart. in l. post do-
tem. q. 4. num. 27. solut. matr.* quæ proximè
ad proposium casum accedit, voluit enim
5 ibi Bart. quòd † quando pater dotans filiam
stipulatur dotem reddi filiæ, quòd tunc fi-
lia transmittat dotes ad filios tanquam ad
hæredes, *& Bart. sequutus est Castr. in cons.
6 145. lib. 1.* qui dicit, quòd † quando pater
stipulatur in vnum casum, puta non existen-
tiæ liberorum, dotem sibi restitui, censetur
in alium casum donasse filiæ; & tunc nepo-
tem ex filia venire, vti hæredem matris, *l.
inter socerum. §. cum inter. de pact. dotal. &
Bart. doctrina communiter est recepta, vt per
Alex. & Dec. in l. illam. C. de collation. Rip.
d. l. in quartam. num. 193. Mar. Socin. iun.
ibid. num. 140.* At in proposito casu Mat-
thæus in solum euentum non existentiæ fi-
liorum Dianæ dictum augmentū sibi & suis
hæredibus restitui stipulatus est; ergo iuxta
prædictam doctrinam omnibus alijs casibus
donasse censetur Dianæ; itaut eius filij hoc
habeant mediante persona matris, nec te-
neantur in legitimam matris imputare, *vt
loco allegato inquit Castr.* Neq. obstat, quòd
in stipulatione adsit, vt restituatur filijs
Dianæ, quia hæc prouisio fit ex parte Dia-
næ, cuius intererat habere filios locuple-
tes; & ideo cū in vnum solum euentum sibi
prospexerit, censetur in alijs euentibus do-
nasse Dianæ, itaut ad filios eius transmit-
tat. Tertio principaliter moti sunt Do-
mini, ex eo, quòd *post glos. fin. in c. fin. de
donation. inter vir. & vx. tradunt Bald. in
Auth. siue à me C. ad Velleian. & cæteri, quos
refert Roland. à Vall. cons. 62. in princ. Abb.
cons. 68. num. 3. Natt. cons. 391.* qui volunt,
quòd pacta in contractibus matrimonio-
rum apposita seruari debent; & ideo hæc
duo millia non esse imputanda, aliàs per
indirectum id auferetur nepoti, quod ex
pacto conuento ei debetur; & ideo optime
facere *cons. Neuiz. allegatum 76. num. 12.*
& licèt loquatur in materia collationis, non
7 autem imputationis, tamen † optimè pro-
cedit argumentum negatiuè, non confer-
tur, ergo non imputatur; licèt affirmatiuè
non procedat, *l. illud. & ibi Dec. num. 5. C.
de collation. Alex. cons. 24. num. 4. vers. &
non est verum. lib. 1.* Quarto nonnullis ex
Dominis etiam placebat consideratio illa,
8 quòd † hoc lucrum ex casu aduentitio non
computetur in legitimam, cum fieri posset,
vt Matthæus prædecederet Dianæ, quo ca-
su Lucretia non tenebatur imputare sibi in
legitimam id, quod penes matrem viuen-
tem erat remansurum, *Rip. d. l. in quartam.
num. 218. Socin. iun. num. 149. vbi testatur
de communi*, sed quibusdam non placebat
propter ea, quæ tradit *idem Socin. cons. 148.*
sed verè loquitur in substitutionibus hære-
di factis, in quibus fortè considerari potest
9 diuersá ratio. † Neque obstat, quod dedu-
citur ex aduerso ex *Corn. in cons. 190. num.
3. lib. 2. quem citat Rip. d. l. in quartam.
n. 196.* quia cum loquatur in patre dotante
filiam,

* Cuch. de legitim. fol. mihi 59. nu. 22. Rip & Socin. in c. Raynutius. §. 2. n. 6. de testa. per tex. in l. à quo § fin. ff. ad leg. Falc. & Corn in l. illud. n. 12 & 13. de collation.

filiam, vt ad eum ea mortua reuertatur dos, nepotes dicuntur eam ex prouisione auita habere; secus in donatione facta nurui, quæ ex eius dispositione transmittitur
10 ad hæredes donatarij; † & ideo *Castren. in l. illam. nu. 4. C. de collation.* constituit differentiam inter filiam, quæ est in potestate, & emancipatam, vt emancipatæ filij dotem habeant tanquam hæredes matris, & eam non imputent in legitimam; & iste casus conuenit cum eo, de quo agitur:
11 † Præterea Corn. requirit stipulationem valde explicitam & claram, qualis non est illa, de qua tractamus. Non obstat, quòd etiam stante consuetudine Martiui fiat imputatio, quia cum de iure illo casu dos reuertatur ad patrem, filij dicuntur habere ab eo non à matre, vt bene distinguit hoc casu *Castren. in d. l. illam. n. 4. & Rip. d. l.*
12 *in quartam. n.* 103. Neq; obstat, quòd † donatum propter nuptias à patre filio emancipato, aut à matre filiæ datum côputetur in legitimam, & quòd istud augmentũ æqui paratur donationi propter nuptias; *vt colligitur ex Aym. cons.* 185. *Natt.* 253. *Abb.* 22. *n.* 4. & 68. *n.* 5. *cum alijs per informantes deductis.* [a] quia hoc procedit quando tale augmentum, & donatio fit filio vel filiæ, quibus, vt dictum est, legitima debetur, &
13 ita loquitur *Rip. nu.* 189. † sed neq; valet consequentia, datum filio vel filiæ, à filio vel filia imputatur, ergo & nepti, *Socin. iun. d. l. in quartam. nu.* 140. Nam in specie *Bart. in l. post dotem. supra relat.* dos imputatur in legitimam filiæ & non nepti, & ita ista ratio sumpta ex æquiparatione augmenti dotis & donationis propter nuptias recipit omnes easdem distinctiones, quas recipit materia dotis maternæ, adeo quòd in casu isto nihil concludit. Quinto & vltimo Domini amplexi sunt vnanimi
14 sententia hanc opinionem † stante statuto Bononien. de dotib. restituen. in quo cauetur, quòd mulier lucretur dotẽ & augmentum dotis, & de eis testari possit, non obstante quacunq; stipulatione à dotãte vel augmentum dante apposita: Neq; restringi potest ad augmentum datum ab eo, qui dare tenebatur, prout voluit *Gozad. cõs.* 88. quia contrarium tenuit *Ruin. in cons.* 55. *lib.* 5. & melius est fundata eius sententia, vt patet ex rationibus per eum deductis, & ex his quæ cumulat Postillator ad dictum statutum *lib.* 4. *fol.* 246. Et ex his conclusum hæc duo millia in legitimam Dominæ Lucretiæ non esse imputanda.

[a] & facit l. quoniã nouella, & l. omnimodo. § si. de inoff. testam. Bart. in l. in quartam. nu. 10. vers. aut capit inter viuos, vbi Rip. num 148. ad leg. Falcid. Aym. cons. 316 n 9. Vasquez de succes. creat. tom 1. in repet § imputari. nu. 930.

Auximana Dotis.
Die Veneris 16. Martij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Dos an & quando dicatur specialiter priuilegiata in præscriptione, & quando comprehendatur sub statuto de præscriptione loquente.*
2 *Fundus dotalis prohibitus est alienari, & præscribi non potest.*
3 *Statutum prouidet tantum futuris casibus.*

DECISIO DLXIX.

1 Qvamuis lex generaliter loquens non comprehendat casum priuilegiatũ, *vt per Doctor. in l. 1. solut. matr.* & dos videatur specialiter priuilegiata in materia præscriptionis, *l. si fundum. de fund. dotal. & ibi Bart. & Fulgos. Abb. in c. cum non liceat. nu.* 7. *in fin. & ibi Imol. nu.* 6. & 13. *& Paris. num.* 17. *de præscript.* Quamuis enim in præscriptione triginta annorum nõ sit priuilegiata, *Imol. in d. c. cum non liceat. n.* 13. *Bald. nouell. quem refert. Balb. de præscript.* 1. *part.* 6. *part. n.* 10. *in* 16. *casu. Boer. decis.* 328. tamen dici potest, non comprehendi lege generali nec statuto præscripto viginti annorum in casu priuilegiato: Nihilominus fuit resolutũ statutũ de præscriptione locum habere contra Theophilum; quia dos non reperitur in hoc casu, in quo versamur, specialiter priuilegiata, Docto-
2 res enim loquuntur, † quando agitur de fundo dotali, quia ex eo quòd alienari est prohibitus per legem Iuliam, non potest ei præscribi, *d. l. si fundum.* sed contra debitorem dotis nõ reperitur tale priuilegium, vt præscribere non possit, cum eum possit maritus ad libitum liberare, & si quidem iussu vxoris, vterq; tam debitor quàm maritus sunt liberati; si verò iniussa vxore, & debitor liberatur quidem, maritus verò tenetur, *l. debitor. & l. vir ab eo. de iur. dot. l. penul. §. si vir socero. solut. matr.* Quantum ad publicationem statutorum, si attendimus eam, quæ est impres-
3 sa, † statutum hoc non ligat Theophilum, cum prouideat tantum futuris casibus, *glos. in prohem. Clem. in verb. de cætero. Frãc. in c. vnic. n.* 4. *de postul. Prælat. in* 6. *Felin. in c. fin. nu.* 5. *de constitut.* si verò publicatio stat, prout datur à Gazolino, aliter erit dicendum. Quantum verò ad caput filiorum, pars audietur particulariter super eo; An hodie in hoc iudicio possit allegari ius filiorum, cum hactenus Theophilus egerit, & obtinuerit.

Fauentina de Nicolutijs.
Die Lunæ 19. Martij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Trebellianica detractio etiam filijs primi gradus prohiberi potest secundum magis communẽ opinionẽ à Rota approbatam.*
2 *Clausula siue in initio, siue in medio, siue in fine orationis posita qualificat totam orationem.*

Ad

3 *Ad effectum extensionis satis est, quòd militet eadem ratio, licèt aliquo respectu minor sit ratio in casu, in quem sit extensio.*

4 *Clausulæ exequutiuæ, licèt non disponant, tamen declarant.*

5 *Verba notariorum præsumuntur esse verba partium, non autem quòd sint posita propter imperitiam ipsorum notariorum.*

6 *Qui voluit prohibere detractionem legitimæ, quam non potest, multo magis censetur prohibere detractionem Trebellianicæ, quam potest.*

7 *Prohibitio legitimæ operatur filio approbante iudicium paternum.*

8 *Legatum librorum suorum intelligitur de libris testatoris, non hæredis.*

9 *Prohibitio Trebellianicæ uti odiosa debet de necessitate concludere.*

DECISIO DLXX.

QVia pars Bartholomæi restringit se ad caput Trebellianicæ, Domini strictè super hoc votando, dixerunt non esse à resolutis sub die 15. Ianuarij præteriti recedendum: Et respondendo ijs, quæ in cōtrarium objiciuntur; Primo non obstat, quòd opinio magis communis sit, quòd
1 † Trebellianicæ detractio filijs primi gradus prohiberi nō possit, quia immò contraria, quam Rota est amplexa, est magis cōmunis, & propter Rotæ auctoritatem seruanda, *Marzar. de fideicom. q. 49.* Quòd autē contraria opinio Fauentiæ obseruaretur ex actis non constat. Secundo non obstat, quòd prohibitio huiusmodi veniat cōsequutiuè post institutionem vxoris; & ideo ad eam sit restringenda; quia regula
2 est, quòd † clausula siue in initio siue in medio siue in fine orationis posita qualificat totam orationem, *vt per Bart. in l. 3. nu. 3. de lib. & posth. Abb. & alij. in c. secundo requiris. de appellat.* Nec facit ratio diuersitatis allegata; nam si indistinctè potest tam filijs quàm alijs prohiberi, nulla adest rationis diuersitas; maximè cum hæc prohibitio fuerit facta ad fauorē agnationis, qui fauor vtriusq; respectu militat,
3 † & licèt fortè non tanta, tamen satis est, quòd aliqua militet etiam ad effectum extensionis, *Socin. in l. 2. §. ex his. n. 1. in fin. de verb. oblig.* sed difficultatem tollit prohibitio detractionis legitimæ, quæ non conuenit nisi filijs, ex qua declaratur mens testatoris; prout dicimus de clausulis exe-
4 quutiuis, † quæ licèt non disponant declarant tamen, *Bald. in l. eam quam. n. 36. C. de fideicomm.* Nec placet, quod dicitur, hoc factum per notarij imperitiam, quia
5 † verba notariorum præsumuntur esse verba partium, *ad glos. in l. sciendum. de verb. oblig. Bald. in c. cum in iure peritus. nu. 15. de off. delegat. Natt. in cons. 16. n. 15. & 18.*
6 *lib. 1.* Nec facit, quòd † non possit prohiberi detractio legitimæ, quia ex hoc elicitur magis enixa mens ipsius; si enim voluit prohibere, quod non poterat, multo magis censendum est prohibuisse, quod poterat; neq; omnino inutilis erit hæc prohi-
7 bitio detractionis legitimæ, † poterunt enim filij iudicium paternum sequi, & fauori suo renunciare, *Gabr. de legitim. cōcl. 8.* Tertio non obstat, quòd ratio relationis, quæ fit ad testatorem *iuxta doctr. Bart. in l. cum in testamento. de aur. & arg. legat.* fit ex eo, quòd minus grauetur hæres, quia hæc ratio non est perpetua, licèt aliquando concurrat, veluti in exemplo per eum tra-
8 dito de eo, † qui legat libros suos, in dubio relatio fit, vt censeantur legati libri testatoris non autem hæredis; & ideò alia ratio assignatur *à Bertrand. cons. 157. n. 8. lib. 5.* quòd magis proportionabile sit, quòd testator disponat de rebus suis quàm de rebus hæredis, licèt de vtrisq; possit dispone-
9 re; Quarto non obstat, quòd † prohibitio Trebellianicæ sit odiosa, & ideo debeat necessario concludere, quia hanc prohibitionem ex deductis Domini habuerūt pro cōcludentissima, & in summa nihil fuit deductum in hac positione, quod non fuerit virtualiter in alia sublatum; Et ideo resolutum standum esse in decisis.

Taurinen. Prioratus.
Die Veneris 23. Martij. 1582.

SVMMARIVM.

1 *Clausula, quam & quas, in commissione satis tribuit iurisdictionem cognoscendi ciuiliter, etiam de simonia.*

2 *Iudex habet legem ex commissione scriptā.*

3 *Causa criminalis propter maioritatem præiudicat ciuili; quod procedit etiam, quòd se non contingant; & multo magis si se contingant. declara vt num. 4.*

DECISIO DLXXI.

1 EX commissionibus satis tribuitur iurisdictio Rotæ cognoscendi ciuiliter de simonia, propter clausulam, quam & quas, quæ sunt in prioribus commissionibus, & clausula, remanente causa ciuili in Rota, quæ est in vltima commissione; Quæ verò deducuntur ex Concilio, & de priuilegiis Ducis Sabaudiæ deducenda erant in signa-
2 tura non autem in Rota, † quæ legem ex commissione scriptam habet; vltra quòd dicitur causam infra triennium non fuisse expeditam, An autem causa criminalis præiudicet ciuili, regula est pro Tritonio,
3 † nam propter maioritatem causa criminalis dicitur præiudicialis, *l. fin. C. de ord. cogn. vbi Doctor.* quod adeò verum est, *vt Iason. in §. præiudiciales Inst. de action.* dixerit, id procedere etiam, quod se non contingant, quod etiam voluit *Bart. in l. fundum.*

dum.n.4. de except. tanto magis vbi se contingant, prout in ista, *Ancharan. in conf.*
4 *62. per totum*, ✝ Hoc enim intelligendum est, quatenus Tritonius fisco adhæreat, *Salicet.in l.vnic.n.8. C.quan. ciu. act. præiud.crimin. Peregrin. decis. in vna Toletan. aliàs 133. lib. 2.*

In impress. diuers. nouiss. 133. par. 1. lib. 2.

Anconitana Coriorum.
Die Veneris 23. Martij. 1582.

SVMMARIVM.

1 *In re difficilis probationis, vt puta in re gesta in maritimis & longinquis partibus tempore belli minor probatio sufficit.*

DECISIO DLXXII.

FVit resolutum Eliam esse condemnandũ ad Coria, de quibus agitur, stante resolutione facta sub die 18. Aprilis 1580. Neque obstat, quod ex aduerso dicitur, non cõstare de interesse Valentini, & aliorum mercatorum; nam de eo multipliciter constat, Primo ex caricamento, de quo in extractu Auditorum classis, secundo ex petitione patroni nauis, qui illos tanquam interessatos citari fecit, Tertio ex confessione eiusdẽ Eliæ in præstatione cautionis, quæ quidem res inseruit probationi eorundem, quibus eorum Coria fuerant per milites Chri-
1 stianæ classis ablata, ✝ cum enim simus in re difficilis probationis, nempe in re gesta in maritimis & longinquis partibus tempore belli, minor probatio sufficit, *vt per Bart. in l. 1. n. 2. C. de naufrag. lib. 10. Aretin. in c. significauerunt. nu. 12. de testib. Iaf. in l. si quis ex argentarijs. §. Prætor ait. nu. 18. de edend.* ea autem colligitur ex prędictis circunstantijs, cum non dubitetur fuisse ablata Coria, ea autem ad eos mercatores pertinuisse, satis constat ex eo, quòd ipsi onerarunt nauem suis cotijs, quę reperta non fuerunt, nec tanto tempore alius comparuit, qui petierit huiusmodi Coria. Ex quibus conclusum contra Eliam; maximè, cum isti offerant se velle præstare cautionem de præstanda ei indemnitate.

Fauentina Bonorum de Calderonibus.
Die Veneris 30. Martij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Exequutio sententiæ lata vigore Constitutionis non potest dici nulla nec attentata.*
2 *Verbum, liceat, non est verbum taxatiuum, nec excludit alia.*

DECISIO DLXXIII.

1 EXequutionem stãte Constitutione, neq; nullã neq; attentatã fuisse: Quantũ verò ad excessum, is videtur per posteriorẽ locationem purgatus; tamen ad effectũ, vt Domina Cęcilia consequatur ratam suam sine controuersia, detur ei mandatum de manutenendo: & fundamentum factum super Constitutione consistit in verbis illis, quòd si infra ipsum terminum cum sequentibus ex quibus absolutè datur exequutio; & quamuis in verbis sequentibus dicatur per viam personalis capturæ, & tenutam
2 & captionem pignoris, tamen ✝ vtitur verbo, liceat, quod denotat illum esse vnum modum perueniendi ad exequutionem, non quòd taxatiuè iste modus perscribatur, & repellatur alia via *l. 1. vbi glos. & Doctor. C. quemad. & quand. iud. l. non quicquid. de Iudicijs.*

Aquilana Distributionum Capellaniæ.
Die Lunæ 2. Aprilis. 1582.

SVMMARIVM.

1 *Dispositio testatoris loquens de amissione ob non seruitium, an debeat intelligi de distributionibus, vel de fructibus.*

DECISIO DLXXIV.

1 DOmini steterũt in decisis, ex quo dispositio Leonoræ respicit ne dum fauorem Capellani, sed etiam fauorem ipsius Capituli, cum restitutis bonis, nihilominus grauetur Capellanus deseruire in choro. Neq; obstat intellectus datus per informantes, quòd fundatrix nihil disposuerit de distributionibus, sed præsupposuerit eas dandas Capellano deseruienti iuxta *dispositionẽ c. vnic. de cler. non resid. in 6.* & ideo noluerit dare licentiam Capitulo contra Iuris dispositionem eas auferendi, sed in euentum, quòd auferre tentaret, voluerit auferre id, quod ipsa dederat, & quòd & nihilominus Capellanus inseruiret, vt eas lucraretur, & nõ inseruiendo eas amitteret; & ità sustulerit quidem prouisionem suam auferendo donata Capitulo, sed non sustulerit prouisionem legis ordinariæ, *ad notat. per Bart. in l. si cum dotem. n. 5. solut. matr. Dec. in l. creditor. la 2. propè fin. si cert. petat. Gabr. de reg. iur. concl. 8. nu. 4.* quia vltra quòd iste intellectus magnam vim infert verbis *tex. in c. vnic. de cler. non resid.* non est intelligendus, vt omnes clerici inseruientes debeant participare de distributionibus, sed illi tantum, qui sunt de vno corpore, iuxta rationabilem Ecclesiæ ordinationem, non ergo tenebatur Capitulũ recipere Capellanum ad distributiones, & ad seruitium, sed cum ei fuerit per dotantem data recompensa, apparet eam voluisse grauamen illud imponere, quod ex aduerso prętenditur, & cum loquitur de amissione ob non seruitiũ, non debet intelligi de distributionibus sed de fructibus. Ex quibus apparet de mente ipsius disponentis tam ad fauorem Capituli quàm Capellani.

sub die 18. Iunij 1581.

ni. Et ideo conclusum standum esse in resolutis.

Valentina Iurispatronatus de Consentayna. Die Lunæ 30. Aprilis 1582.

SVMMARIVM.

1 *Vbi vigore rescripti Papæ causa tam in possessorio quàm in petitorio simul & semel terminari mãdatur, potest pro vna parte in possessorio pronunciari, & pro altera in petitorio.*

2 *Exceptio defectus proprietatis obstat agenti in possessorio, quando constat per rem iudicatam.*

3 *Sententia, quæ facit rem iudicatam, pro veritate habetur.*

4 *Non deducta, nec probata in prima instantia, possunt in secunda deduci, & probari.*

5 *Probatio probationem non excludit.*

6 *Vt dicatur constare de non iure agentis possessorio, requiritur confessio vel res iudicata: quod procedit etiam in beneficialibus.*

7 *Sententiæ in petitorio absorbent alias latas in possessorio; quando adest res iudicata in petitorio.*

8 *Agens petitorio in prophanis simul & possessorio, si non probet rem ad se pertinere, & ob id in petitorio succumbat, nihilominus restituitur in possessorio; secus est in beneficialibus, nisi possessorium habeat colorem iusti tituli.*

9 *In prophanis datur restitutio, siue actor in petitorio succubuerit ob defectum probationis; siue ex eo quòd detecta sit inualiditas sui tituli; secus est in beneficialibus.*

10 *Constitutio Adriani habet decretum irritans, & inficit possessionem.*

DECISIO DLXV.

DVm agerem de dispositione huius causæ, orta est dubitatio propter formã rescripti Sanctissimi Domini Nostri mandantis causam simul & semel tã in possessorio quàm in petitorio terminari; quo nã pacto ferri deberet sententia; nam respectu possessorii Comes de Consentayna, & Ludouicus Mas ab eo præsentatus fouent bonum ius, *vt fuit discussum & resolutum corã me sub die 26. Ianuarij proximè præteriti;* respectu verò petitorij Hieronymus prouisus Apostolicus bonam causam fouet; cum prætensum iuspatronatus fuerit per regulam Adriani reuocatum, vt sub eadem die
1 resolutum fuit; & † ideo videbatur necessarium pronunciari in possessorio pro Comite & pro Ludouico; In petitorio verò pro Hieronymo, prout fieri posse ostendit *decis. 14. de restit. spol. in antiq. & Pute. decis. 74. alias 83. in vna Sabinen. lib. 1.* & fundatur ex sententia *Abb. in tex. c. cum dilectus. de caus. poss. & propri. & ibi Imol. & Calder. & omnes alij,* Neq; contrarium sentiunt *Butr. ibid. n. 15. & Alex. in §. ni-*
2 *hil commune. nu. 34.* vbi volunt, quòd † exceptio defectus proprietatis obstat agenti possessorio; quia illud procedit, vbi de huiusmodi defectu constat per sententiam,
3 quæ facit rem iudicatam, † quæ pro veritate habetur; sed vbi non adest res iudicata, non dicitur cõstare notoriè de defectu pro-
4 prietatis; quia † in secunda instantia non deducta nec probata deduci & probari pos-
5 sunt, & † probatio probationem nõ excludit; & ideo differentia, quæ fit per informãtes inter causas beneficiales & prophanas
6 ad hunc effectum non subsistit; quia † etiam in beneficialibus, vt dicatur constare de nõ iure agentis possessorio, requiritur confessio vel res iudicata, *Rota de restit. spol. decis.*
7 *3. in nou. Cassad. 3. eod. tit.* & ideo † sententiæ in petitorio tunc absorbent alias latas in possessorio, quando adest res iudicata in petitorio, & differentia illa inter causas prophanas & beneficiales fit ad effectũ effectualis exequutionis post rem iudicatam;
8 † si enim quis agat in prophanis petitorio simul & possessorio, & non probet rem ad se pertinere, & sic in petitorio succumbat, nihilominus restituitur in possessorio; secus in beneficialibus, nisi possessorium habeat colorẽ iusti tituli *ex sententia Butrij, sed ex sententia Abb. n. 10. in d. c. cum dile-*
9 *ctus.* † in prophanis datur restitutio, siue actor in petitorio succubuerit ob defectum probationis, siue ex eo quòd detecta sit inualiditas tituli sui; quia nõ sequitur, actor non habet ius in petitorio, ergo res pertinet ad reum conuentum; secus verò in beneficialibus, nam ex quo detecta est per rẽ iudicatam in petitorio inualiditas tituli, non potest dari inualiditas tituli in possessorio, ne detur vitiosus ingressus, & hoc pacto absorberetur possessoriũ, *vt per Calderin. ibid. n. 14. & Abb. & Bald. & alios,* sed semper loquuntur in concursu exequutionis rerum iudicatarum in vtroque iudi-
10 cio. Neque obstat, quòd † Constitutio Adriani habeat decretum irritans, & quòd inficiat possessionem, *vt per Sarnen. de iur. quæsit. non toll. q. 5. nu. 3.* quia adhuc super hoc articulo lis pendet; & licèt fuerit resolutum pro Hieronymo, nihilominus non adest res iudicata, & fortè posset aliquid probare Comes, ex quo resultaret validitas iuris patronatus; ideo non est interim priuandus sua quasi possessione, licèt parum sit profutura, nisi aliud docuerit, nam res iudicata in petitorio tandem absorbebit possessorium: tamen placuit Dominis super hoc negocio remittere partes ad Signaturam.

Ro-

Romana Releuationis indemnitatis.
Die Lunæ 7. Maij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Arrendatarius officij notariatus non tenetur de culpa, seu delicto commisso à substituto domini officij notariatus, sed in vim bullarum tenetur dominus, qui arrendauit.*
2 *Obligatus de legaliter & fideliter administrando, si culpa careat, dicitur fideliter & legaliter administrasse.*
3 *Qui promittit rem liberam restituere, si illam restituit obligatam, non dicitur liberam restituere.*
4 *Verbum, liberè, non excludit exceptionem prouenientem ex natura actus, & subiectæ materiæ.*
5 *Super officio, quod fuit obligatum, non datur aliqua hypotheca, sed tantum obligatio personalis inducitur.*
6 *Notarius tenetur, si fideiussor in iudicio præstitus non sit idoneus; secus est in fideiussoribus contractuum, qui per contrahentes, non per notarios approbantur.*
7 *Conductor recipiens in se periculum tenetur in plus quam de iure communi scilicet in eo, quod illi est finitimum; prout si de iure communi tenetur de casu fortuito, venit fortuitum insolitum.*

DECISIO DLXXVI.

Domini persistunt in ea sententia, quòd
1 attentis verbis bullæ, † Gerardus teneatur; cum ea loquatur de dominis officiorum, & Arrendatarij habeant fundatam intentionem super carentia culpæ, *l. videamus. ff. locat.* prout iam fuit resolutum.[a]
2 † Nec placet, quòd ratione eorũ obligationis teneantur ex eo, quòd promiserint de fideliter & legaliter administrando, quia si culpa carent, bene & fideliter administra-
3 runt: † Neq. ex eo quòd promiserint officium liberè restituere, & non videatur liberè restitutum ex eo, quòd restituunt obligatum; nam pactum huiusmodi intelligendum est secundum naturam contractus locatio-
4 nis, *l. quæro. locati.* & † verbum, liberè, non excludit exceptionem prouenientem ex natura actus & subiectæ materiæ, *Alex. in consil. 80. num. 12. lib. 1. Gozad. consil. 58. nu. 22.* Neque ex dispositione Bullæ ex huiusmodi
5 pacto † datur aliqua hypotheca super officio, sed tantum personalis obligatio inducitur: Neque etiam tenentur ex eo, quòd cautum est expressè, quòd fideiussores recipiantur in ciuilibus & criminalibus periculo ipsorum; nam hoc pactum intelligen-
6 dum est † de fideiussionibus, quæ in iudicio præstantur, pro quibus notarius tenetur, si non sunt idonei fideiussores, *iuxta tit. C. de magistr. conuen.* non autem de fideiussoribus contractuum, qui per contrahentes non per notarios approbantur. Neq. videtur applicari *doctrina communiter recepta in l. sed & si quis. §. quæsitum. si quis caution. de qua*
7 *per Corn. in consil. 39. n. 13. lib. 2.* quòd † conductor recipiens in se periculum tenetur in plus quàm de iure communi, scilicet in eo, quod illi est finitimum, veluti si de iure cõmuni tenetur de casu fortuito, venit fortuitum insolitum; nam hoc casu non reperitur huiusmodi periculi susceptio: Quia tamen pro parte Gerardi prætenditur Arrendatarios fuisse in culpa recipiendo Cinthyum; reseruatum fuit, vt videatur, an talis imputari possit culpa Arrẽdatarijs, omnibus simul iunctis, vt teneantur præstare Gerardo indemnitatem damni, quod ex hoc facto sentit, *ad tex. in l. si cuius. §. de prateritis. de vsufr. Affl. post Alex. & alios in decis. 57. num. 7. Purpur. consil. 449 num. 23. Rimin. iun. consil. 285. n. 108. cum seq. quod erit particulariter discutiendum.*

[a] sub die 3. Iulij 1581.

Perusina Exequutionis.
Die Veneris 11. Maij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Qui propter moram in non implendo cecidit ab omni commodo contractus, non potest agere ex dispositione l. si quis maior. C. de transact. si de tali mora fuerit in actis oppositum; secus est. si pendente iudicio superueniat implementum etiam quòd fuerit protestatum, & num. 4.*
2 *Nullitas non implementi non tollit actionẽ, sed impedit tantum illius exercitium, donec implementum superueniat; & interim tenet iudicium, quod postea reconualescit.*
3 *Ius superueniens actori pendente iudicio ei prodest.*
5 *Mora de iure Canonico purgari potest, si abest dolus, etiam stante iuramento.*
6 *Lex si quis maior. C. de transaction. requirit dolum, & eo cessante cessat.*
7 *Relatiuum, dicta, refert cum omnibus suis qualitatibus.*
8 *Mens contrahentium ex eorum verbis colligitur.*
9 *In æstimatione facienda non requiritur partis citatio.*

DECISIO DLXXVII.

Tres fuerunt pro parte Ill. hæredum Dominæ Hortensiæ deductæ nullitates contra secundam æstimationem: prima
1 est, quòd † propter moram Domini Ascanij stante dispositione *leg. si quis maior. C. de transact.* ipse non poterat agere, cum cecidisset ab omni commodo contractus, & de hac mora fuerat in actis oppositum: Secunda est ex defectu citationis, & quòd periti

præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 377 part. 2.

nõ accesserunt ad æstimationem citato Co-
mite Raynutio, & ipsi fuerunt deputati ci-
tato Bonardo, qui mandatum non accepta-
uerat: Tertia est, quòd æstimatio non fuit
facta omnium bonorum, *l. qui tamen. de arbitr.* His tamen non obstantibus, fuit cõ-
2 clusum pro validitate; Nam † quantum ad
primam nullitatem non implementi, non
tollit actionem, sed impedit tantum exer-
citium actionis: Vnde tenet iudicium, &
sufficit, quòd implementum superueniat;
tunc enim reconualescit iudicium, *Alex. in cons. 27. num. 2. & cons. 78. in fin. lib. 1. Ce-*
3 *phal. cons.* 112. *nu.* 20. & 21. *lib.* 1. nam † ius
pendẽte iudicio actori superueniens ei pro-
dest, *l. si rem alienam. §. fin. de pigu. act.* Nec
4 obstat, † quòd fuerit prius oppositum, quia
quicquid dicit *Cephal. in cons.* 186. *num.* 18. *in contrarium, & decis. Affl.* 280. in qua
protestatum fuerat, & nihilominus conclu-
sum fuit non fuisse resolutum contractum, *ad idem Pute. decis.* 139. *eadem die fuit reso-*
5 *lutum. lib.* 2. Præterea † de iure Canonico
etiam stante iuramento, si abest dolus, lici-
ta est purgatio moræ, *c. apud misericordem.* 32. *q.* 1. *vbi glos. c. ex litteris. de constitut. c. suã. de pœn. Bald. in l. qui crimen. num.* 20. *C. qui accusar. Alex. in l. si quis maior. in fin. & ibi Iacobin. de S. Georg. num.* 43. *Ias. num.* 26. *Ca-gnol. num.* 155. *Aleiat. nu.* 77. *Dec. cons.* 136. *num.* 7. *Crot. in l. si insulam. num.* 76. *de verb. oblig. Ruin. in cons.* 123. *nu.* 26. *lib.* 2. *Loffred.*
6 *cons.* 41. *nu* 8. nam † *d. l. si quis maior.* præ-
supponit dolum, ergo cessante eo cessat di-
spositio, *Ias. ibid. num.* 2. *Seisell. nu.* 13. *Curt. iun. num.* 16 & 17. *Cagnol.* 128. hic verò vi-
detur cessare dolus, quia verba instrumenti
videntur potius sonare, quòd prius debe-
ret dos solui; cũ in eo dicatur, quòd debeat
quietare mediante dicta dote, ergo mediã-
te dote soluenda; & sic postquam soluta fue-
7 rit, quia † relatiuum, dicta, refert dotem
cum omnibus suis qualitatibus. Neq. ob-
stat *decisio Mohedan.* 118. quia ibi verba
8 erant dubia, hic verò † ex verbis colligitur
mens contrahentium, *Alex. in cons.* 61. *nu.* 4. *lib.* 5. *Crot. cons.* 72. *nu.* 15. & 39. *lib.* 1. Ab-
surdum enim videtur, quòd quietatio præ-
cedat dotis receptionem. Quantum ad se-
9 cundam nullitatem, ea non obstat, quia † in
æstimatione facienda nõ debet citari pars;
nec refert, quòd Bonardus tunc non accep-
tasset, cum postea in pluribus actibus com-
paruerit, vt in facto bene deducitur. Quan-
tum ad tertiam & vltimam nullitatem, nisi
forma esset præcisa non inducit nullitatem:
Tamen placeret Dominis, vt iterum fieret
æstimatio habita ratione valoris illius tem-
poris; & hoc quia prima æstimatio fuit nul-
la, & hæc posterior est imperfecta, cum non
comprehendat domum; & ideo ex ea non
potest colligi, in qua quantitate remanserit
creditor Dominus Ascanius, cum in pri-
ma nulla & impugnata non possit fieri fun-
damentum.

Burgen. Capellaniæ, siue Maioricatus.
Die Veneris 11. Maij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Consanguinitas per reputationem & famam probatur.*
2 *In probandis gradibus in antiquis sufficit leuior probatio, præsertim non dato concursu, vt num.* 3.

DECISIO DLXXVIII.

CONclusum fuit probari Henricum esse
consanguineum fundatoris, quia testa-
tor nominat in testamento pro sua nepte
Ioannam Gonzales, quòd autem Enderqui-
1 na fuerit soror d. Ioannæ † probat de fama
quartus testis super quarto additionali, coa-
diuuatus ex dicto secundi super secũdo ad-
ditionali, deponentis Didacum de Salazar,
qui possedit hanc Capellaniam, fuisse con-
sobrinum carnalem Mariæ auiæ Henrici:
Nec quadrat responsio, quòd potuerit hæc
consanguinitas aliunde prouenire, quam à
fundatore; quia subiungit testis, quòd erat
fama, quòd proueniebat à fundatore, & tol-
litur etiam hæc obiectio ex dicto tertij te-
stis super quinto dicentis, quòd Maria &
Ioannes fuerunt consobrini filij fratrum; &
quòd huiusmodi cognatio fuit pro parte
Petri fundatoris, & deponit de reputatione
& fama: Coadiuuatur præterea ex testibus
deponentibus parentelam cum Bartholo-
mæo de Salazar patre Hẽrici & Maria eius
auia, & Enderquina Gonzales proauia,
prouenire ex linea & stirpe fundatoris; se-
cundus ad secundum additionale; tertius
ad quintum; quartus ad septimum: Postre-
mo coadiuuatur hæc probatio ex testibus
nulliter examinatis, ex quibus omnibus
colligitur consanguinitas Henrici intra
quintum gradum cum fundatore: reliqui
enim gradus hoc firmato bene probantur;
Nec non quòd Henricus est filius patrimo-
nialis. Non obstat, quòd non sufficiat pro-
batio istius gradus, sed requiratur proba-
tio graduum distinctorum, *vt per Tiraq. de retract. lign. §.* 1. *glos.* 16. *num.* 1. quia sic pro-
bantur etiam gradus; maximè cum simus
2 in antiquis, † in quibus leuior sufficit pro-
3 batio; † neque hoc casu requireretur exacta
probatio gradus, nisi dato concursu *ad notat. per Doctor. & ibi Ias. num.* 23. *in l. is potest. de acquir. hered.*

Romana Pecuniaria.
Die Lunæ 21. Maij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Saluianum non habet locum, nisi probata possessione hypothecantis.*

Posses-

2 *Possessio seu detentio præsumitur ex titulo præambulo.*
3 *Priori scripturæ standum est non posteriori, quando pro prima concurrunt plures verisimiliores coniecturæ, & magis adminiculata.*
4 *Secunda apocha potest recipere interpretationem à prima.*
5 *Mentio pretij potest intelligi de pensione, præsertim quando non iungitur alicui verbo importanti alienationem.*
6 *Collusio non præsumitur, vbi nullum cadit commodum.*

DECISIO DLXXIX.

Ab hac decisione fuit recessum sub die 10 Iunij 1581. & resolutum fuit prout in decis. facta die 12 Febr. præsentis anni 1582.

Domini ex his, quæ deducuntur, recesserunt à resolutis sub die 12. Februarij 1 proximè præteriti, † cum enim actores vtantur remedio Saluiani interdicti, in quo necesse est probare possessionem hypothecantis, *ad notat. per Castr. in l. rem alienam. num. 11. de pignor. act.* hoc easu non videtur concludenter probari huiusmodi possessio 2 scripturarum; † cum enim præcederet titulus locationis, præsumitur possessio seu detentio ex titulo præambulo conductionis, *l. 2. C. de acquir. poss.* Nec obstat apocha sub die 2. Iunij 1570. super qua aliàs fuit factum totum fundamentum, cum in ea fiat mentio pretij, prout in dicta decisione pōderatum fuit; quia ea contra se habet plures coniecturas, easq. valde vrgentes: Prima est alia apocha sub die 9. Nouembris 1568. in qua Sebastianus dicit se recepisse scuta 365. ad bonum computum Arrendæ; Neq. ea redditur suspecta ex eo, quòd inuerisimile sit Sodalem tanto tempore cessasse à solutione pensionis, vt conficeretur adeo magna summa, quia solutio non fuit facta totius summæ vnico actu, sed in pluribus & diuersis particularibus solutionibus, vt ex partitis libri Sebastiani apparet: Secunda coniectura est; quia secunda apocha redditur suspecta, ex eo quòd subscripta est à duobus testibus, & tamen Dominus Cuminus dicit se fuisse solum in subscriptione dictæ apochæ: Tertia est, quia fuit litigatum contra Sodalem, & lata sententia contra ipsum super huiusmodi scripturis de mense Septembris 1575. & ipse nunquam opposuit de hac venditione, quod non est probabile facturum fuisse, si verè talis venditio præcessisset, cum nemo præsumatur suum iactare velle: Quarta coniectura sumitur ex recognitione harum scripturarum facta per Sodalem, in qua obligat se de soluendo mercedem Claudio: Quinta coniectura sumitur ex eo, quòd Grillettus 4. Maij 1574. donauit Claudio suo nepoti has scripturas, quod facturus non fuisset, si vendidisset: Sexta est, quia nullum factum est instrumentum venditionis, & tamen reperitur factum in- 3 strumentum locationis, & hæc faciunt, † vt potius standum sit apochæ priori tanquam verisimiliori, & magis adminiculatæ; ma- 4 ximè quia licèt fiat mentio pretij † in secunda; tamen potest interpretationem re- 5 cipere à prima, † vt pretium intelligatur de pensione, *iuxta text. in l. si quis à te in fin. vbi Bart. num. 5. Alex. num. 9. Castren. nu. 6. de acquir. poss. Ruin. in cons. 110. num. 5. lib. 4.* maximè cum hic mentio pretij non iungatur alicui verbo importanti alienationem, *Alex. cons. 63. num. 1. lib. 7. Ias. cons. 45. nu. 3. lib. 1. Tiraq. de retract. lign. §. 1. glos. 2. n. 34.* Non obstat reductio pensionis, quæ videtur correspectiua ad summam solitam; quia potuit fieri ex alia causa, & maximè ob deteriorationem officiorum. Non obstat, quòd 6 † lis potuerit esse collusiua, quia vbi nullum adest commodū non præsumitur collusio, & hic non solum non aderat commodum aliquod Sodalis, qui habebat releuationem in societatibus, de quibus agitur, quin immo aderat manifesta iactatio rei suæ, quam verisimile non est maluisse ad Claudium, quàm ad se vel suos creditores peruenire. Et ex his conclusum remedium possessorium non competere Liuiæ & consortibus.

Gerunden. Anniuersariorum.
Die Mercurij 6. Iunij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Vbi Papa apposuit manum, inferior non potest se ingerere; quod verum, vbi Papa vlterius procedit reseruando vel annullando.*
2 *Appellatione Cleri an & quando veniat Capitulum.*
3 *Citatio in sententia an præsumatur ex antiquitate temporis in præiudicium tertij.*
4 *Quantum tempus requiratur ad hoc, vt sententia dicatur de antiquis.*
5 *Arbitrarium est iudici quòd sententia dicatur antiqua; maximè concurrentibus adminiculis.*

DECISIO DLXXX.

Fvit dubitatum super confirmatione statuti obtenta à Nuntio tunc temporis in Regnis Hispaniarum degenti, An esset valida; Et quantum ad facultates attinet, nulla facta fuit difficultas, cum exhibitum fuerit transumptum earum, in quo est deputatus à fel. recor. Clemente VII. cum facultate Legati de latere: sed multa alia pro parte Reuerendi Capituli opponebantur; Et primo ex capite subreptionis dicebatur, cōfirmationem esse nullam; ex quo non fuit facta mentio alterius confirmationis Papæ, 1 quæ licèt esset nulla, vt fuit resolutum[a], † tamen propter appositionē manus Papæ non poterat inferior in ea se amplius ingerere, *c. vt nostrum. de appellationib. Roman. in cōs. 335. num. 6.*[b] sed Dominis non placuit huiusmodi oppositio, quia id locum habet, vbi Papa vlterius procedit reseruando vel annullan-

[a] sub die veneris 9. Febr. proximè præteriti in fin.

[b] Adde Ancharan. cons. 58. ante n. 3. Innocent. in c. inter dilectos. de ex-

ref Prelat. Dec. cõf. 137. col 3. in prin. & conf. 699. n. 13. Crauet. conf. 113. ante num. 9. & 348. num. 3.

nullando, *Rota 12. & 25. de concess. prabend. in antiq.* & ideo cũ prior gratia fuerit nulla & subreptitia, non impeditur inferior, quin cognoscere possit, *Dec. in c. 1. num. 7. de confirmat. vtil. vel inutil.* Secundo prætendebatur subreptitia, ex eo quòd fuit obtẽta
2 nomine Cleri, ✝ quo continuetur etiam Capitulum, & tamẽ nullum aderat mandatum Capituli: sed fuit per Dominos responsum constare hoc casu appellatione Cleri non fuisse comprehensum Capitulum; tum ex iuris dispositione, eũ simus in materia subreptionis, & in qua agebatur de præiudicio Capituli, *per ea quæ tradit Abb. in rubr. de vit. & honest. cler. num. 4.* tum ex communi vsu loquendi, quod colligitur ex diuersis processibus per beneficiatos exhibitis, in quibus appellatione Cleri semper intellexerũt de Clero beneficiatorum. Tertio opponebatur de defectu mandati ex parte beneficiatorum; sed fuit responsum hoc negocium concernens vtilitatem beneficiatorũ ex generali mandato spectasse ad Protectores per ipsos deputatos. Quarto opponebatur falsò fuisse narratum, omnia statuta fuisse in viridi obseruãtia; sed tollitur obiectum referendo obseruantiam ad expressa, non autem ad non expressa, quorum confirmatio non petebatur. Quinto opponebatur non fuisse citatos Canonicos; sed
3 responsum fuit ✝ ex antiquitate temporis citationem præsumi, *vt latè per Doctores per informantes allegatos*, [b] præsertim cum concurrat enunciatio saltem generica rite & recte fuisse processum, etiam quòd de tertij præiudicio tractetur, *Cassad. decis. 3. de procurator. in princ.* nulla habita differẽtia an sententia sit lata inter præsentes vel absentes, stante temporis antiquita-
4 te, *Gabr. concl. 4. de senten. num. 34.* & ✝ ad hunc effectum satis est antiqua sententia,
5 quæ excedit quadraginta annos, ✝ Hoc enim est arbitrarium, *Menoch. de arbitrar. lib. 2. casu. 4.* etsi velimus hoc procedere, si adsint adminicula *iuxta decision. Achill. 3. de fid. instrument.* hic adest validum adminiculum; cum hæc confirmatio fuerit à Capitulo per cõpulsum producta, quæ res arguit eius scientiam. Sexto opponebatur fuisse renunciatum confirmationi; sed non releuat, non enim simpliciter fuit immutatum, sed in aliquibus tantum, & hoc de consensu beneficiatorum. Septimo & vltimo dicebatur non fuisse factam mentionem de lite, sed hoc nihil est, nam nulla tunc temporis super huiusmodi articulo pendebat lis, Et ideo fuit conclusum pro validitate; maximè ad hunc effectum, in quo nullum fit præiudicium Capitulo, quòd beneficiati interesse habentes participent in huiusmodi administratione.

[b] tradit Bald. in c. 1. col. 5. vers quæro si apparet, de mil. vassall. Aretin. conf. 36. sub nu. 8. Aym. de antiqu. temp. part. 2. in princ. sub n. 1. & n. 37. & facit text. in c. bonæ. § cõtra verb. de elect.

Romana Hæreditatis de Picchis.

Die Mercurij 13. Iunij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Voluntas testatoris in dubio pro perfecta haberi debet, etiam si in actu testandi post hæredis institutionem superueniat impedimentum; stantibus maximè coniecturis facti, & num. 3. & 8.*
2 *Vltima voluntatis mutatio non præsumitur.*
3 *Actus stipulationis testamenti denotat voluntatis perfectionem.*
4 *Voluntas testatoris ex arbitrio ipsius met viuentis eam propallantis colligitur.*
5 *Imperfectio testamenti resultans ex non publicatione illius iam ex parte testatoris perfecti, respicit notarium, non autem testatorem, & dicitur imperfectio solemnitatis.*
6 *Imperfectio solemnitatis testamenti non attenditur ad illud annullandum, vbi non agitur de probando testamento per scripturam, sed per testes, & est communis opinio.*
7 *Testamentum momento perficitur, quando vel ad extraneos actus diuertitur, vel licentiantur testes vel notarius, hæc tamen non sunt adeo necessaria ad illius perfectionem, vt si non fiant, testamentum pro imperfecto habeatur.*
9 *Voluntas testatoris, qui obmutuit, habetur pro imperfecta, si constet voluisse plures hæredes pronunciare, & non potuit.*
10 *Testator non disponens de sepultura, satis dicitur implicitè de ea declarasse per capella dotationem.*
11 *Frænesis superueniens testatori post sua voluntatis explicationem, non reddit eius voluntatem imperfectam.*
12 *Casus frænesis superuenientis testatori non differt à casu, quando testator obmutuit.*

DECISIO DLXXXI.

FVit dubitatum, an in casu, de quo agitur, Achilles testator habuerit voluntatem suam pro perfecta, & post iteratã causæ propositionem fuit per Dominos conclusum pro parte affirmatiua; regula enim
1 est, ✝ vt in dubio voluntas pro perfecta habeatur, *textus est in l. si is qui. & ibi Bald. in 3. notab. & Imol. in col. fi. de testam. Alex. in conf. 74. num. 3. lib. 1. & conf. 105. in fin. lib. 7. Ruin. conf. 1. post num. 22. lib. 2. Curt. iun. conf. 12. ante fin.* & procedit hæc regula etiam si in actu testandi post hæredis institutionem superueniat impedimentum,

præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 178. part. 2.

vt probatur ex eadem l. si is qui. & coadiuuatur hæc sententia ex coniecturis facti. Prima est, quia iam per notarium Achilles fuerat interrogatus de omnibus, quæ scripta fuerant & continebantur in nota extra eius cubiculū confecta, & omnia fuerant per ipsum approbata, nisi respectu dotationis Capellæ, quam dotari iussit, ex quo apparet eū
2 circa reliqua nihil immutare voluisse; † nō enim præsumitur voluntatis mutatio, *Bald. in l. quoties. §. 1. num. 3. de hered. inst. & ibi Imol. num. 5.* & hæc circumstantia per ipsummet notarium probatur in sua depositione ad nonum articulum, quæ coadiuuatur ex dictis aliorum testium de eadem re deponentium: Secunda est, quia per testes
3 probatur, † quòd in actu stipulationis testamenti superuenerat impedimentum infirmitatis, vt bene in facto deducitur, ex quo argui potest perfectio voluntatis, cum non soleat deueniri ad illū actum, nisi prius perfectè explorata voluntate. Tertia est,
4 quia † conformis est huiusmodi voluntas ei, quam prius propalauerat, nempe se velle hæredes suos instituere Dominicum & Franciscum de Piechis; voluntas enim testantium ex arbitrio viuentium colligitur, *l. quoniam. C. de natur. liber. Imol. in l. filio præterito. nu. 17. de iniust. rupt. & irrit. fact. testam. Calcan. cons. 48. nu. 4. Aym. cons. 48. in fin. & 155. num. 11.* Neq. obstant in con-
5 trarium primo loco deducta † respectu imperfectionis resultantis ex non publicatione testamenti; quia illa imperfectio respi-
6 cit notarium non testatorē, & dicitur † imperfectio solemnitatis, quæ non attenditur, vbi non agitur, de probando testamento per scripturam, sed per testes, *Ruin. in cons. 1. nu. 22. lib. 2. quicquid alibi ipse senserit, quia loquitur contra communem, vt liquet ex Didae. in c. relatum. il primo, col. pen. vers. tertia conclusio. de testam. & testatur nouissimè Zanch. in Respon. pro vxor. num. 504.* Secundo non obstant, quæ deducuntur *ex cons. Oldrad. 119. cum alijs per informantes congestis* *, quia in casu Oldradi clarū erat omnia per testatorem siue notario facta, fuisse præparatoria ad testandum, non quòd tunc actum testandi explicare voluerit; hic verò secus est, cum adesset notarius, qui interrogauit Achillem super sua voluntate, & iā fuerāt prius facta præparatoria media persona Domini Hieronymi de Piechis; & ideo hanc fuisse explicationem suæ voluntatis dicendum est. Neq. repugnat huic interpretationi notarius, qui dicit has interrogationes factas ad effectum explorandi, an scriptura dictata per D. Hieronymum esset iuxta voluntatem Achillis, quia loquitur de priori interrogatione, non autem de posteriore, sed & hic magis inspicienda est intentio testantis quàm notarij; non enim immutari potest ex tacita notarij voluntate.

* vbi in eo casu Oldradū sequūtur omnes Doctores Ioan. Andr. in Specul. de instr. edit. §. compēdiosè, n. 31. in Addit. magna post med. Alber. in l. hac cōsultissima. §. si quis an tē. vers quid si aliquis. C. de testa. Anchar in c. cū esses. nu. 22. de testam. licèt Ias. in cōs. 196. colu. 5. vol. 2. Idem Iatius atteftans de communi in cōs. 315. col. 2. vol. 4. & in

Tertio non obstant deducta *ex Bald. in d. l. si is qui. in princ. & ibi Castr. nu 6. & Cuman. ibid. Ias. in l. 1. num. 13. & Ruin. ibid.*
7 *num. 4. de legat. 1. cum alijs*, * quòd † testamentum momento perficitur, cum vel ad extraneos actus diuertitur, vel licentiantur testes vel notarius; quia licèt hæc arguant actus perfectionem, non tamen sunt omnino necessaria, ita vt si non fiant, actus habeatur pro imperfecto; quia si ita Doctorū dicta interpretemur, erunt contraria conclusioni
8 supra primo loco firmatæ, quòd † in dubio voluntas habetur pro perfecta, & esset contra textum apertum *in d. l. si is qui.* in quo
9 ex sententia Labeonis tunc † dicitur voluntas eius, qui obmutuit imperfecta, si constaret voluisse plures hæredes pronunciare; & bene faciūt pro hac parte *Castr. cons. 450.* in rationibus dubitandi, licèt postea propter circumstātias facti recedat ab ea parte, *Fulgos. in cons. 116. nu. 3. Simon. de Pret.*
10 *cons. 95. num. 8.* Quarto non obstat, † quòd non fuerit dispositum per Achillem de sepultura; quia neque constat concludenter, quòd de ea disponere voluerit, etsi voluit satis declarauit implicitè dotādo Capellam, prout fecit, *vt bene facit Purpurat. in cons. 35. col. pen. per informantes allegatus.* Vlti-
11 mo † quæ dicuntur de freneli non obstant, cum superuenerit post explicationem suæ
12 voluntatis, † & non differt casus iste à casu *d. l. si is qui.* in quo testator repente obmutuerat. Et ex his sublata videntur incontrarium deducta, & pro perfectione voluntatis conclusum.

hoc casu Dec. cōs. 159 col. 2. & seq & cons. 418. n. 11 & 12 Ruin. cons. 191. sub n. 8 vol 2 & cons. 7 nu. 7. & seq. & cōs. 11. n 8. vol. 3 vltimo loco decis. 62. nu. 13 cum alijs adductis per Couar. in c. relatum il 1. nu 9. de test. vbi attestatur de commun. & quod ab hac opinione nō sit in practica recedēdum. Idē per Clar. in §. testamentum. q. 7. num. 3.

* Adde Baldum. in l cōtractus. nu. 5. C. de fid. instr. quem allegat Ias. in supra per me allegato cōs. 196. col. 1. vol. 2. Abb. cons. 105. n. 2. vol. 2.

Spoletana Domus.
Die Lunæ 18. Iunij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Possessio pendente lite ab vna partium dimissa, ab alia apprehensa, dicitur attentata; secus est, si ille, qui eam apprehendit, sit tertius.*
2 *Tertius non attentat.*
3 *Tertius apprehendens possessionem dimissam pendente lite non incidit in vitium litigiosi, si eam non apprehendat de manu dimittentis, sed apprehendat repertam vacuam.*
4 *Dimissio possessionis tunc potest dici litigiosa, quando fit in certam personam; secus est, si fiat indistinctè fauore cuiuscunq. ius habentis.*
5 *Etiam prædo manuteneri debet, donec de bono iure cognoscatur.*
6 *Vbi præsuppositum non est verificatum, non habet locum dispositio.*

DECISIO DLXXXII.

Vbitaui, an possessio Scauri esset attentata, vel nulla ad effectum, de quo agitur; & quantum ad caput attentatorum
1 deducebatur, ex eo quòd † pendente lite coram Fabricæ iudicibus, societas contra quam agebatur, dimiserat possessionem, quam postea Scaurus apprehenderat, *Aegid. decis. 309. Achil. 3. de testib. & 6. de citatio. cum alijs per informantes deductis* *: sed
2 in contrarium fuit decisum; quia † tertius non attentat, *Rot. 2. vt lit. pend. in antiq. Mobedan. decis. 205. Achill. 6. de attentat. Pute. 74. lib. 2.* Non obstat, quod dicitur possessionem habitam à societate, quæ erat in lite, incidere in vitium litigiosi, *l. fin. C. de litigios.* quia hoc neque in facto neque in iure applicari potest; In facto non applicatur,
3 quia † Scaurus non accepit possessionem de manu societatis, sed vacuam apprehendit repertam: In iure non applicatur, quia omisso, an *per d. l. fin.* sit prohibitum dimittere possessionem rei, cum potius de alienationis prohibitione ibi agatur, *vt ex summario Doctorum liquet, & ex traditis ibid. per Bald. num. 7.* ex alio non conuenit, quia
4 † dimissio possessionis tunc fortè posset dici litigiosa, quando esset facta in certã personam, sed hic fit indistinctè fauore cuiuscumq. loci vel personæ ius habẽtis, ita quòd potest etiam intelligi facta ad fauorem fabricæ, quatenus sibi de iure cõpetat; & ideo potest quidem fabrica agere remedio adipiscendæ pro ea consequenda, *vt per Put. d.*
5 *decis. 74.* sed interim, † is qui est in possessione est manutenendus, cum in hoc iudicio etiam prædo manuteneri debeat, *Couar. & alij per Menoch. allegati. de retinend. remed. vlt. num. 18.* Quantum ad caput nullitatis, quod deducitur ex statutis, Domini dixerunt, statutorum dispositionem hic non applicari, & minus bannimentorum; quia statutum editum super apprehensione, quæ fit hæreditate nondum adita, cum loquatur etiam de apprehensione hæreditatis, ideo non applicatur, cum hic iam societas esset in possessione, & quando iam alius possidet, fuit per aliud statutũ specialiter prouisum, quod prohibet capi possessionem, nisi de voluntate & consensu possessoris, & hoc facit pro ista parte, stante dimissione societatis:
6 quare † cum præsupposita in casu isto non verificentur, minus locum habet dispositũ, *l. mancipia. & Doctor. ibid. de seru. fugit.* & eodem modo ad bannimenta respondetur, & ita in vtroque capite fuit ad fauorem Scauri conclusum.

* Nota quòd qui non habetur pro possessore non potest dici spoliatus, nec potest petere se restitui, cũ talis eius possessio nullũ habeat iuris adminiculũ, Rota. 7. de restit. spol. in antiq. Bisignet. decis. 4. eod. tit. de restit. spol. Cassad. 9 nu. 3. cum seq. de caus. poss. & propr. Aegid. decis. 700 Felin. c. cum olim nu. 31. de re iudic. & tenuit Rota, vt per Caputaque. decis. 986. lib. 1

Burgen. Maioricatus.
Die Lunæ 18. Iunij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Depositiones testium non extracta vigore cõpulsorialium facta recognitione manus notarij, & parte citata, prout requiritur, non dicuntur esse in forma probanti.*
2 *Examen factum extra terminum dilationum datarum est nullum.*
3 *Intimatio habet vim citationis.*

DECISIO DLXXXIII.

1 Vantum ad primam dubitationem, fuit per Dominos resolutum, † depositiones testium examinatorum aliàs pro parte Didaci de Saralia contra Ioannem de Frias non esse in forma probãti, cum non fuerint extractæ vigore compulsorialium, facta recognitione manus notarij, & parte citata, prout in similibus requiritur, *Rot. 1. de fid. instr. in nou.* Neque obstat intimatio facta 6. Februarij, quia est nimis vaga, & diu postea fuit extractio facta de mense Aprilis, quod si istud examen esset in forma probanti, tunc respondendo secundæ dubitationi fortè faceret fidem, cum sit probatio super statu personæ, *ad l. ingenuum. de stat. homin. l. quoties. C. de decur. lib. 10. cum alijs* *. Quantum ad tertiã dubitationẽ, an quatuor testes adducti pro
2 Ioanne sint nulliter examinati, † fuit dictũ esse nullum examen, cum fuerit extra terminum dilationum datarum, quæ siue valeant in vim prorogationis, siue noui termini dilatorij, semper sunt extra terminum, cum Iudex vltimam dilationem concesserit vsq. ad complementum octuaginta dierum; & ita intentionis ipsius fuit continuare hæc tempora dilationum, vt insimul excederent octuaginta dies. Quantum vero ad validitatem examinis testium Didaci, Domini non recesserunt à resolutis, * cum prorogatio etiam sustineri possit in vim noui termini, &
3 facta fuerit parti intimatio, † quæ hoc casu vim habet citationis.

* Abb. in c. penult. sub n. 20. circa med. de re iudic. ponens exemplum in eo, qui pronunciatur clericus vel laicus istius vel illius originis, & ibi Felin. num. 7. col. 9. Alex. loco in l saepe. n. 16. & sequentib. ff. de re iudic.

* sub die Lunæ 2. Aprilis præteriti nõpe, quod testes examinati infra terminum sunt bene, examinati, extra terminũ male, & terminus incipit currere à die decreti.

Perusina Fideicommissi seu nullitatis testamenti.
Die Lunæ 25. Iunij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Error in denominatione hæredis vti filij, qui non sit filius, vitiat testamentum.*
2 *Compendiosa substitutio licèt facta per verbum commune, non tamen continet vulgarem, si est restricta ad bona mobilia, & stabilia, quod non procedit, quando esset apposita dictio vniuersalis, vt num. 3. & per tot.*

Bono-

4 *Bonorum mobilium & immobilium appellatione non continentur iura & actiones; nisi secus sit ex intentione proferentis, & ex natura ipsius actus.*
5 *Iura & actiones nullo loco circumscribuntur.*
6 *Institutio in re certa trahitur ad totam hereditatem, nullo herede vniuersali instituto.*
7 *Verbum generale, bona, non restringitur per adiectionem specierum.*
8 *Dictio, dicta, repetitiua refert praecedentia cum omnibus suis qualitatibus.*
9 *Substitutio facta impuberi in omnibus bonis mobilibus & immobilibus, in qua non adsit dictio repetitiua, dicitur restricta, & non vniuersalis.*

DECISIO DLXXXIIII.

praesēs decisio habetur in impress. dinersi nouiss. 194 part. 2.

DOminicus Alfanus in suo testamento instituit suos hæredes Cæsarem & Paridem per hæc verba; In omnibus alijs meis bonis mobilibus & stabilibus, quæ de iure ad me spectare possent, constituo & reliquo meos heredes vniuersales Cæsarem & Paridem filios meos legitimos & naturales; Deinde paulo infra substitutionē fecit per hæc verba; Et in euentum, quòd Deus auertat, quòd dicti Cæsar & Paris decederēt siue filijs legitimis & naturalibus, dicta bona remaneant de vno in alium, & casu quo, quòd prohibeat Deus, ambo decederent sine filijs legitimis & naturalibus, dicta bona remaneant Dominæ Africæ filiæ meæ dictorum Cæsaris & Paridis sorori. Paris alter ex filijs ante patrem sine filijs decessit; Deinde obijt Dominicus testator, cui successit Cæsar qui & ipse obijt nullis relictis filijs, eiq. vigore fideicommissi successit Africa: Horatius Alfanus eiusdem Dominici filius, cui pater in testamento reliquerat pro legitima certam pecuniarum summam impugnare cæpit testamentum paternum ex varijs capitibus & inter cætera ex eo capite, quòd testamentum esset factum caducum, cum Paris viuente patre obierit, & † Cæsar institutus vti filius non esset filius testatoris, qui error vitiat testamentum, *l. si pater. C. de hered. inst. Dec. cons.* 342. nec sustineri posse ex
2 capite substitutionis, † nam quamuis compendiosa contineat vulgarem, & faciat testamentum incipere à secundo gradu; tamē quia cum dicta substitutio sit restricta ad bona stabilia & mobilia, & facta per verbum commune remaneat, non posse capere vulgarem directam, sed solū fideicommissariā, *Bart. in l. cogi. §. 1. ad Trebell. & in l. Centurio. n.* 18. *de vulg. & pup. Castr. in cons.* 16. *n.* 3. *& cons.* 45. *lib.* 2. *Corn. cons.* 322. *n.* 10. *lib.* 3. *Natt. cons.* 68. *num.* 4. Dubitaui itaq. sub die Veneris 8. Iunij, an ex huiusmodi substitu-
3 tione testamentum sustineri possit; † & fuit per Dominos conclusum sustineri; quia indubitatum est institutionem esse vniuersalem, quamuis dixerit testator in omnibus meis bonis mobilibus & stabilibus, nulla iurium facta mentione propter dictionem vniuersalem, quæ facit, vt ex intentione testatoris omnia bona contineantur siue in mobilibus, siue in immobilibus, siue in iuribus & actionibus consistant, *Fulgos. in l.* 1. *nu.* 3. *C. si aduers. transact. Paris. in cons.* 69.
4 *lib.* 2. & ratio est euidens, quia † licèt bonorum mobilium & immobilium appella-
5 tione non cōtineantur iura & actiones, † cū nullo loco circumscribantur, *l. fideicommissum. §. tractatum. de iudic. l. Caius. in princ. de legat.* 2. *Tiraq. de iur. primogen. q.* 49. *latè Pinel. in rubr. C. de bon mater. part.* 1. *n.* 24. *Gabr. de verb. sign. concl.* 7. tamen secus est, vbi ex intentione proferentis, & actus natura veniunt, *vt bene declarat Guid. pap. in cons.* 52. *num.* 2. ne testator dicatur pro parte testatus & pro parte intestatus *contra l.*
6 *ius nostrum. de reg. iur.* & hinc est, quòd † institutio in re certa trahitur ad totam hæreditatem nullo hærede vniuersali instituto, *l.* 1. *§. ex fundo. & l. quoties. §. si duo. de hered. instit.* & hanc sententiam confirmat *Pinel. d. part.* 1. *num.* 29. qui reddit bonam ratio-
7 nem, non enim est nouum, inquit, vt † verbū generale, bona, non restringatur per adiectionem specierum, *argum. textus vbi Bart. in l. quaesitum. §. fin. de fund. instr. Canonistae in c. sedes. de rescript. & ibi optime Dec. Corn. in cons.* 200. *num.* 6. *in* 3. *Ruin. cons.* 165. *n.* 4. *in* 3. *Paris. cons.* 92. *& cons.* 41. *lib.* 1. *Afflict. decis.* 106. *num.* 3. *faciunt notat per Paris. in cons.* 67. *nu.* 6. *lib.* 2. Ex his sequitur sequentem substitutionem, quæ fit per ista verba, dicta bona remaneant, esse intelligendam de omnibus bonis in vniuersum, prout intel-
8 ligebatur institutio, quia † ista est vis dictionis respectiuæ, dicta, quæ refert præcedentia cum omnibus suis qualitatibus. *l. à filio. §. testator. de alim. & cib. legat. Bart. in l. si quis seruum. §. fin. n.* 5. *de leg.* 2. Neq. obstat *Bald. cons.* 46. *quidam nomine Cōla. lib.* 2. vbi
9 videtur velle, quòd † substitutio facta impuberi in omnibus bonis mobilibus & immobilibus non sit vniuersalis; quia nulla adest dictio repetitiua in casu Baldi, per quam appareat factam substitutionem vniuersaliter in omnibus bonis mobilibus & immobilibus; & ideo restricta & non vniuersalis: vnde reliqua portio hæreditatis remanebat in hæreditate pupilli ad fauorem matris. Et ita fuit per Dominos conclusum iterata positione causæ die Lunæ 25. Iunij 1582.

Salamantina Iurisdictionis.
Die Mercurij 27. Iunij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Testes licèt nulliter examinati faciunt tamen aliquod adminiculum.*

2 *Immemorabilis consuetudo cognoscendi causas in praeiudicium Episcopi non comprebenditur sub decreto c. 20. sess. 24. de reform. Concilij Trident.*

DECISIO DLXXXV.

Fvit dictum Scholasticũ esse manutenẽdum in quasi possessione cognoscendi de causis matrimonialibus, beneficialibus, simoniae, & alijs similibus, nec nõ facultatis excommunicandi in casibus, in quibus habet iurisdictionem, & etiam exemptionis respectu suae personae: Nam quantũ ad causas attinet, testes bene deponunt in genere de omnibus causis ciuilibus & criminalibus, & in specie de matrimonialibus, nec solum de auditu sed etiam de visu; & ad hũc
1 effectum, de quo agitur, ✝ sumi potest adminiculum ex testibus examinatis in partibus, quamuis nullum sit examen. Neq. concludit responsio, quòd causa, de qua deponunt testes cuiusdam Medrani, esset super stupro, ex quo condemnatus fuit, vel ad ducendum, vel ad dotandum; quia huiusmodi condemnatio non solum propter stuprum, sed etiam propter promissionem de ducendo fieri potuit; nec potest restringi generalitas causarum ad eas, quae sunt iurisdictionis temporalis, cum ex priuilegijs constet datam iurisdictionem Conseruatoribus etiam in clericis, qui absolutè exempti sunt à iurisdictione laicorum, & testes dicunt esse locum praeuentioni inter Reu. Dominum Episcopum & Reu. Dominũ Scholasticum. Nec obstat *sacrum Concilium Trident. 24.*
2 *sess. c. 20. de reform. §. ad haec*, quia ✝ cum dictum decretum non tollat immemorabilẽ, *vt fuit decisum à sacra Congregatione in vna Palentina Archidiaconatus. 10. Martij* 1575. & possit doceri in progressu litis de immemorabili consuetudine, non est interim Scholasticus sua possessione spoliãdus: sed concludentius tollitur hoc obiectum; quia quod attinet ad priuilegia concessa Vniuersitatibus ratione iurisdictionis & deputationis consultorum, qui de omnibus causis cognoscant, idem Concilium semper praeseruat huiusmodi priuilegia illaesa & in suo robore, *prout in c. 5. de reform. 14. sess. & in c. 6. de reform. 25. sess.* in quo priuilegia concessa Vniuersitatibus in omnibus praeseruantur illaesa. Quantum ad facultatem excommunicandi, ea tanquam sequela huius iurisdictionis concedi debet, vtendo tamen moderatè iuxta decreta sacri Concilij. Quantum ad exemptionem omnis difficultas tollitur ex tenore priuilegij. Et ideo cõclusum pro manutentione.

Anconitana Vineae.
Die Mercurij 27. Iunij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Scientia excludit errorem.*

2 *Mulier administratrix bonorum confecto inuentario potest sibi soluere suam dotem, retinendo rem.*

DECISIO DLXXXVI.

Fvit inclinatum contra informantem; nã quod attinet ad primum caput erroris, ex quo deducitur nullitas; fuit pluries de hac re actum, & resolutum non adesse errorem, cum in ipsamet transactione fuerit fa-
1 cta mentio inuentarij, ✝ scientia autem errorem excludit. Quantum ad laesionem, quae deducitur ex eo, quòd in transactione fuit assignata vinea, quę erat in bonis patris Laurae filijs secundi matrimonij, quibus debebantur secundum praetensionem Laurae tantum scuta 94. quae habuerant ex pecunia redacta ex venditione domus sancti Primiani, quae tota vendita fuit pro scutis 190. & insuper habuerant vineam valoris scutorum 700. quia quantum ad quantitatem dotis, de cuius solutione dicitur non liquere, videtur dici posse, eam totam solutam fuisse, cum in inuentario totum debitum dotis
2 apponatur; & ✝ ideo potuit Diana administratrix, quae confecit inuentarium sibi soluere dotem, retinendo domum & vineã, quarum valor non probatur de tempore dationis in dotem secundo viro, quod est necessarium, vt doceatur de laesione, & potuit etiam secundus vir ob alimenta praestita filijs primi matrimonij, esse creditor notabilis quantitatis pecuniarum. Ex quibus videtur reddi turbida huiusmodi probatio; Ideo conclusum, vt melius informetur, & pars aduersa non negligat causam; quia nisi haec suffragentur, satis videtur adesse laesio ex deductis.

Placentina de Medelinis.
Die Mercurij 4. Iulij 1582.

SVMMARIVM.

1 *Bona militum aliunde prouenientia quàm ex redditibus militiarum non acquiruntur militijs in ijs militibus, qui verè & propriè non sunt religiosi, & qui in proprijs domibus cum vxoribus & filijs degunt; sed de eis ad libitum, tam inter viuos quàm in vltima voluntate disponere possunt, & in eis non habet locum dispositio Auth. ingressi. C. de sacrosan. eccl. vt num. 3.*

2 *Dictio, alio, est repetitiua eiusdem qualitatis.*

DECISIO DLXXXVII.

1 Fvit resolutum ✝ bona aliunde prouenientia, quàm ex redditibus militiarũ non acquiri militijs, stante quòd isti milites non sunt propriè & verè religiosi, cum in proprijs domibus vnà cum vxoribus & filijs habitent, & de eorum bonis ad libitum tam

inter

inter viuos, quàm in vltima voluntate disponant, *Sott. de iust. & iur. lib. 7. q. 5. artic. 3. & latè fuit deductum coram me in vna Tirasonen. pensionis. 11. Decembris 1570. Couaru. in Epitom. in 2. part. c. 3. §. 1. nu. 18.* & ista sunt de directo contra votum paupertatis. Neq. obstat, quòd in stabilimentis caueatur, quòd bona acquisita per milites sint religionis, quia ex principio dicti stabilimenti sub num. 4. apparet loqui de bonis acquisitis ex redditibus dicti ordinis, vel eius intuitu, & quamuis postea subdat vel alio quocunq. modo, intelligenda sunt illa verba restrictiuè ad quæsita occasione militiæ; tum † propter dictionem, alio, quæ est repetitiua eiusdem qualitatis; tum propter vsum & obseruantiam, quæ est optima legum interpres, *l. si de interpretatione. de legib.* & † ideo non habet locum in patrimonio ipsorum *dispositio Auth. ingressi. C. de sacrosan. Eccl.* & passim eis succeditur tam ab intestato quàm ex testamento. Neque obstat *decisio Putei 218. lib. 3.* quia vt ex themate constat, ibi non apparebat, quòd magnus Magister Calatrauæ habuerit alios redditus, quàm mensæ magistralis, quo casu non est inconueniēs, quòd talis pro paupere habeatur, cum teneatur illos redditus exponere pro tuitione fidei Christianæ contra infideles. Nec obstat, quod dicitur totam hanc disponendi facultatem prouenire ex concessione superioris; quia etiam quòd hoc concedamus, erit verum dicere, quòd ista bona ex superioris concessione non acquiruntur militiæ. Et ita fuit conclusum.

Placentina Bonorum.
Die Mercurij 20. Octobris 1582.

SVMMARIVM.

1 *Reuocato primo contractu censetur reuocatus secundus à primo dependens.*

DECISIO DLXXXVIII.

Fvit per Dominos resolutum fuisse per Illustriss. & Reuerendiss. D. Cardinalem satisfactum decreto Dominorum respectu pretij vtensilium; maximè stante noua cōmissione, & litteris datis in actis pro eius parte; ideo de his non esse amplius agendum. Quantum ad eam contrauentionem, quam prætendunt Puteobonelli respectu pretij aquarum à Pelagatto, quod volebant exigere secundum valorem præsentis temporis, Domini dixerunt huiusmodi decretum fuisse causa maturè discussa reuocatū in ea parte tanquam iniustum; & ideo non posse dici contrauentum. Quantum ad alias aquas Sancti Marzani, Domini dixerunt intentionem Rotæ fuisse, vt tunc temporis Puteobonelli iustificarent eas fuisse per ipsos acquisitas; & ideo in decreto fuisse apposita illa verba, vt asseritur; sed intentio fuit, postquam per eorum testes dicebantur acquisitæ ab ipsis, & ex hac acquisitione fuisse valde melioratas terras, earumq. ratione forsan de iure dabatur eis retentio; ad tollendas disputationes, & vt facilius deueniretur ad traditionē possessionis bonorum Illustriss. Domino Cardinali, vt solueretur eorum pretium cum decreto, quòd omnia intelligerentur sine præiudicio iurium vtriusq. partis; & ideo placuit Dominis, vt data per Puteobonellos idonea cautione hic in curia soluatur pretium dictarum aquarum, teneanturq. postea ijdem docere legitimè de earumdem acquisitione ad effectum, vt si eis non deberetur dictum pretium, illud restituatur Illustriss. Domino Cardinali. Quantum verò ad pretium terrarum, Domini dixerunt fuisse per Illustriss. D. Cardinalem paritum decreto per cessionem ab eo factam in actis: tamen quemadmodum in eius fauorem fuit retractatum decretum in ea parte, in qua continebatur, vt soluerentur aquæ Papiaghi ad rationem valoris præsentis temporis, qui ascendebat ad 12500. libras, eadem ratione videri retractandum decretum respectu cessionis
1 terrarum: Nam † quemadmodum iustum non erat, quòd restituerentur aquæ sed pecuniæ, cum Ecclesia pecunias & non aquas à contrahentibus recepisset, ita etiam iustū esse parti petēti, pecunias restitui, nō terras; cū nō terras sed pecunias dederint; ideo placet Dominis, vt soluatur pretium hoc: Neq. isto casu esse locum cautioni, cum non veniant restituendæ istæ pecuniæ, nisi in euentum quòd pars Illustrissimi Domini Cardinalis succumbat, quo casu satis ei est cautum per retētionem bonorum per eum possessorum. Neq. obstat, quòd remanebit creditor fructuum in magna quātitate; & ideo pro eius parte petatur, vt fiat compensatio; quia adhuc etiam pendet negocium liquidationis: & licèt in sententia in fauorem ipsius lata fiat hæc compensatio, tamen adhuc pendet reuisio; & in omnem euentum nondum liquidati sunt fructus neq. meliorامenta; hæc verò, quæ hactenus facta fuerunt, omnia contemplatione traditionis possessionis ita ordinata fuerunt. Ex quibus etiam nullum intelligunt Domini inferre veritati præiudicium.

Romana Domus de Manilijs.
Die Veneris 5. Nouembris 1582.

SVMMARIVM.

1 *Sufficit conditionem impletam fuisse, licèt implementum non duret.*
2 *In conditionibus attenditur cultus, & quod de facto euenit, etiam quòd sit sine effectu.*
3 *In conditionibus primum locum obtinet mens disponentis.*

In

4 *In inuestituris & concessionibus intentio partium est prouidere successoribus.*

5 *Vbi concessio fit pro certa & determinata causa non consumatur in primo actu, si durat adhuc causa concessionis, & nu. 7.*

6 *Vna pars contractus declarat aliam.*

8 *Paria sunt, & aquipollent, quòd quis nullum nominauerit, vel eum nominauerit, qui decessit, antequam fiat locus successioni.*

9 *In voluntarijs etiam sufficit, quòd conditio per aquipollens adimpleatur, quando solus consideratur effectus, secus quando non fuit consideratus certus & determinatus effectus, vt num. 11.*

10 *Facultas nominandi competens sicut per nominationem nullam non censetur consumpta, ita nec per nominationem, qua nullum sortita fuit effectum.*

DECISIO DLXXXIX.

COncessa fuerat domus à fratribus sancti Stephani Rotundi quondam Ioanni Antonio de Manilijs, & Susannę eius vxori sub his verbis, ad tertiam dictorum coniugum generationem; etsi fortè contigisset prædictos coniuges filios non habere, tunc in potestate sit dicti Ioannis Antonij alium ad sui libitum nominare; etsi fortè contigisset ipsum mori nullo aliter nominato, tunc Susanna prædicta vnam personam valeret ad suam voluntatem nominare, quæ in huiusmodi locatione & emphyteusi succederet: Euenit quòd Ioannes Antonius decessit nominato Marco Manilio, qui & ipse decessit ante obitum Susannæ; Deinde Susanna nominauit Ioannem Baptistam Maniliū. Dubitatum fuit, an ista nominatio esset validè facta, & difficultatem faciebat, quia in vnum casum tantum videbatur data facultas Susannæ nominandi, nempe si Ioannes Antonius nullo nominato decessisset; vnde cum ipse nominasset, cessare difficultatem, *l. 1. C. de cond. insert. cum congest. per Tiraq. in l. si vnquam. in verb. susceperit. nu. 190.*
1 *C. de reuoc. donat.* & sufficere, quòd † conditio semel adimpleta fuerit per nominationem factam per Io. Antonium, licèt non durauerit, *l. si quis haredem. & ibi Doctor. C. de instit. & subst. Bald. in l. precibus. nu. 6. in 3. oppos. C. de impub. & al. subst. Tiraq. loco supra citato nu. 187. & seqq.* & facit quod
2 dicitur, † in conditionibus attendi euentum, & quod de facto succedit etiam sine effectu, *vt per Cyn. d. l. 1. in fin. C. de cond. insert. & ibi Alberic. ante fi. Bart. in l. filiusfam §. cum quis. & ibi Bald. Paul. Ang. & Alber. de leg. 1. Corn. in cons. 180. nu. 5. lib. 4.* Contrarium tamen fuit per Dominos decisum, his potissimum rationibus; & primo,
3 quia † in conditionibus primum locum obtinet mens disponētis, *l. in conditionibus.*
4 *de cond. et demon.* & ideo † cum in huiusmodi materia intentio partium sit prouidere successoribus, verba illa, si contingat Ioannem Antonium mori nullo nominato, intelligenda esse, etiam si nominauerit aliquem, qui præmortuus fuerit, antequam casus no-
5 minationis aduenerit; nam † vbi concessio fit pro certa & determinata causa, non cōsumatur in primo actu, si durat adhuc causa concessionis, *vt per Bart. in l. 1. num. 5. ad leg. Iul. maiest. Abb. in c. 1. in fi. de Tregu. & pac. vbi Felin. in 4. & 5. limitat. Gabr. concl. 2. num. 39. de leg. & constitut.* causa autem concessionis & prouisionis huiusmodi fuit expressa in illis verbis, quòd Susanna prędicta vnam personam valeret nominare, quæ in huiusmodi emphyteusi succederet. Neq. obstat, quòd illa clausula fuerit opposita nominationi fiendæ per Susannam, quia nulla adest ratio diuersitatis, vt hoc casu nominatio debeat sortiri effectum, potius quàm nominatio facta à Ioanne Antonio, cui fratres plus iuris tribuere voluerunt; &
6 † vna pars contractus declarat aliam, *iuri-*
7 *bus vulgaribus*, Cum itaq. † non fuerit satisfactum causæ consideratæ à contrahentibus per nominationem à Ioanne Antonio factam, consequens est, vt intret facultas Susannæ, *Doctor. in l. si quis haredem. C. de inst. & subst. & ibi Butrig. & in l. cum vxore. C. quan. di. leg. ced. Ang. in cons. 34. & cons. 159. col. 2. vers. in contrarium. & nu. 4. vers. & ideo ex his. Aretin. in l. in substitutione. col. 3. num. 4. & ibi Imol. col. fin. de vulg. &*
8 *pup.* Secundo consideratum fuit † omnino æquipollere, quòd quis nullum nominauerit, vel eum nominauerit, qui decesserit, antequam fiat locus successioni; & ideo cū facultas data fuerit Susannæ nominandi, si Ioannes Antonius non nominauerit, vtique
9 hoc casu poterit nominare; cum † etiam in voluntarijs sufficiat conditionem adimpleri per æquipollens, quando est consideratus effectus, *vt per Socin. in l. Gallus. §. & quid si tantum. num. 6. vbi Galiaul. nu. 31. Socin. iun. num. 61. de lib. & posth. Ruin. in cons. 166. num. 7. & 24. lib. 3. & cons. 89. n. 5. lib. 4. Paris. cons. 20. num. 41. lib. 3. per text. in l. si mater. C. de inst. & subst. & in l. mulier. in princ. ad Trebel. Socin. iun. cons. 90. nu. 27. lib. 1.* & hinc sequitur per primam nominationem non fuisse consumptam facultatem nominandi, *ex Bart. in l. 1. nu. 5. ad leg. Iul.*
10 *maiest.* † Quemadmodum ex nominatione nulla non censetur consumpta, *vt per Bero. in cons. 106. num. 28. in fin. lib. 1.* Tertio facit, quia nominandi facultas subrogata fuit loco generationis deficientis; & ideo quemadmodum si Ioannes Antonius suscepisset liberos, qui ei prædecessissent, non ideo amisisset ius nominandi, ita & hoc casu dicendum. Non obstant dedu-
11 cta in contrarium; † quia procedunt, vbi non fuit consideratus certus & determina-

tus

tus effectus, *vt per Innoc. in c.in litteris. de off.delegat.Oldrad.in cons.295.nu.2.Bart.in l.2.§.1.nu.5.in fin.de opt. legat. Aret. in l.si serui alieni. col.3.vers.quarto adde. de legat. 1.cum alijs supra deductis in primo fundamento*. Non obstat, quòd nominatio videatur effectum habuisse, ex quo Marcus vendidit domũ vnà cum Susanna; quia ille actus & alij, si qui sunt, potuerunt fieri ratione spei, quam de præsenti radicatam habebat Et ex his conclusum pro validitate nominationis.

Gerunden. Anniuersariorum.
Die Lunæ 15. Nouembris 1582.

S V M M A R I V M.

1 *Episcopus & Capitulum possunt statuere circa ea, quæ tangunt vniuersum statum Ecclesiæ.*

2 *Qui potest condere statutum, potest & illud reuocare; secus est, si statutum conditum fuerit ad tollendas dissensiones, vel si concernat vtilitatem tertij, & n.4.& 5.*

3 *Statutum conditum ad tollendas dissensiones dicitur irreuocabile, & quasi in vim transactionis valere.*

5 *Statutum concernens ius tertij, & conditum super re ad ipsum tertium spectante, non potest reuocari.*

6 *Statutum, ex quo resultat priuilegium, tolli non potest, nec super illo dispensari.*

7 *Facilius admittitur dispensatio quàm abrogatio, cum minus afferat præiudicium.*

8 *Princeps potest tollere ius quæsitum subdito ex suo priuilegio.*

DECISIO DXC.

DVbitatum fuit strictè stante interesse
beneficiatorum, qui participant de
distributione Anniuersariorũ; An Dominus
Episcopus & Capitulum potuerint reuoca-
re statutum Bertrandi; & quamuis regula
1 sit contra Beneficiatos, quòd † Episcopus
& Capitulum possunt statuere circa ea,
quæ tangunt vniuersum statum Ecclesiæ *ad
glos.in c.2.§.cæterum.de verb. sign. in 6. Ol-
drad.in cons.181. Doctor.in c.cum omnes. de
2 constitut.* & qui † potest condere statutum,
potest etiam illud reuocare, *Bart.in l.omnes
populi.n.33.de iust.& iur.c.1.de reg. iur.* ta-
men pro Beneficiatis plures fuerunt consi-
deratæ limitationes, quarum duæ Dominis
placuerunt: Prima est, quòd hoc statutũ ex
suo prohemio apparet conditũ ad tollendas
dissensiones, quæ quidẽ esse non poterant ni
3 si super modo administrandi, & † ideo irre-
uocabiliter, & quasi in vim transactionis va-
lere debet, *c. fin. de pact. in 6. Abb. in c. at si
clerici.§. de adulterijs. n.10. quem refert &
sequitur Felin.in c.nouit.n.11.de Iudic.* ma-
ximè cũ tendat ad augmentum diuini cul-
tus, *vt per Innoc.in c.accedentibus, quod legi-
tur sub cap.cum olim.il 2.de priuileg.et Abb.
in c.cum accessissent.n.2. Felin.num.4.* licèt
re vera hoc vltimo casu isti Doctores lo-
quantur in statutis cõfirmatis. Neq. obstat,
quòd non appareat litem fuisse super reuo-
catione iuris administrandi; & ideo cum ad
tollendas dissensiones datus fuerit certus
modus & forma à Bertrando, iste est seruan-
dus; non enim potest tolli administratio Be-
neficiatis, quin tollatur etiam iste modus.
Altera limitatio, quã amplexi sunt Domini
4 est, quòd † cũ statutum concerneret vtilita-
tem tertij, nõ potest reuocari, *vt tradit Dec.
in d.c. cũ accessissent.n.3. de constitut.* nã aut
antiquitus beneficiati habebant hanc facul-
tatem administrandi, aut non; si habebant,
5 † cum statutũ hoc concernat ius tertij & sit
super re ad ipsum tertiũ spectante non po-
tuit reuocari, *vt per Gemin.in c.1.nu.19. de
constitu.in 6.* Aut non habebant hanc facul-
6 tatem, & † ex hoc statuto resultat priuile-
gium, *vt per Aretin. in l.non amplius. §.si
certum.in fin.de legat.1.& ibi Ias.n.13.* Ideo
neq. tolli neq. dispensari aduersus hoc statu-
tũ potuit, *Abb.post Ant.de Butr. in d.c. at si
clerici. §. de adulterijs. n.10. de iudic. & ibi
Felin.n.6.& in c.nouit.n.11.de iudic.Card.in
cons.156.Gemin.in c.licèt canon. in prin.n.8.
de elect.in 6. Ias.in cons.1.n.4.lib.1.* & quãuis
Aretinus ibi teneat, quòd ex causa ius sub-
diti tolli potest; tamen etiã hoc casu viden-
dum esset, an adsit iusta causa reuocãdi hoc
priuilegium. Neq. obstat, quòd multi ex su-
pra allegatis Doctoribus loquantur in di-
spensatione contra priuilegium, non autem
7 in reuocatione; quia † facilius admittitur
dispẽsatio quã abrogatio, quia minus affert
præiudicium, *Dec.in d.§.de adulterijs.n.11.*
Neq. obstat *cons.Alex.209.n.14.lib.2.* quòd
nõ sit hoc factum principaliter in fauorẽ be-
neficiatorum, & quòd fauor veniat in con-
sequentiam, quia contrarium est verius, cũ
explicitè disponatur in statuto, quod Bene-
ficiati nominentur, & bene applicatur *cons.
130.Card.* Nõ obstat, quòd ad futuros actus
reuocari possit, *vt per Abb. in c.nouit.n.26.
de iudic.cum alijs* *, quia loquuntur in Prin-
8 cipe, † qui potest tollere ius quæsitũ ex suo
priuilegio, subdito; tamen si sumus in primo
capite distinctionis, prout videtur ex hoc,
apparet Clauigerum ante statutũ admini-
strasse, & beneficiatos quoq. cessat igitur di-
sputatio, An adsit causa reuocãdi, & etiã ces
sat distinctio, quã facit excipiẽdo iurisdictio-
nalia. *Gemin.in d.c.1.n.19.in fi. de constitut.*

** Innoc. in c.in nostra. de iniur.Domin. in c. 2. de cõsuetud. in 6 Alex.ad Bart in l.omnes populi n.29.in verb. reuocari. ff. de iusti. & iur. Bal. in l.fi. in princ. ff de Senat.*

Romana Domus de Manilijs.
Die Veneris 19. Nouembris 1582.

S V M M A R I V M.

1 *Exceptio non implementi obstat agenti; cessante tamen dolo datur mora purgatio.*

2 *Possessio capta à Domino directo seruatis seruandis ob non solutionẽ canonis actione spolij impugnari non potest.*

Posses-

3 *Poßeßio capta per Dominum directum seruatis seruandis ab eo vendi poteß.*
4 *Sententia spoliatiua poßeßionis capta seruatis seruandis dicitur notoriè iniusta.*
5 *Spoliatus dicitur, qui poßeßione priuatur per sententiam nullam.*
6 *Spoliatus in odium spoliantis pro poßeßore haberi debet.*
7 *De iure Canonico purgatio moræ semper admittitur, vbicunq. ius alterius non est factum deterius; quod maximè procedit in terminis l. si quis maior. C. de transaction. de iure verò ciuili vsque ad litis contestationem admittitur.*
8 *Contractus nominatus non rescinditur ob non implementum, quod procedit quando implementum non respicit causam finalem contractus, vt num.10.*
9 *Contractus nō desinit esse nominatus per admixtionem contractus innominati.*
11 *Mora purgatio sicut admittitur contra cedentem, ita etiam contra cessionarium.*
12 *Quando fuit adimpletum pro maiori parte, indistinctè admittitur purgatio moræ secundum opinionem multorum.*

DECISIO DXCI.

DOmini circumscripto articulo, an in
casu isto locum habeat dispositio *leg.
si quis maior. C. de transaction.* de quo si pars
voluerit, particulariter dubitabitur; fuerūt
in sententia, quòd Manilij possint agere ad
recuperationem domus, de qua agitur, facto tamen per eos deposito residui pretij nō
soluti creditoribus Roberti, necnon facta
obligatione pro damnis & interesse, si quæ
1 adsint, † licèt enim actori obstet exceptio
non implementi, *vulgat. l. Iulianus. §. offerri.
de action. empt.* tamen hoc casu cessante dolo
2 dari purgationem moræ, † neq. rectè agi
potuisse actione spolij, cū Robertus ceciderit ob non solutionem canonis, & possessio
seruatis seruandis fuerit capta per dominū
3 directum, † qui postea vēdidit authori Ma-
4 niliorum; Ideoq. † videri sententias in spolio latas notoriè iniustas, & in cōsequentiā
5 † Manilios fuisse spoliatos, *vt per Felin. in
6 c. dilectus. circa princip. de rescript.* † & proinde haberi hoc casu pro possessoribus deberi in odium spoliantis, *Sarnens. regul. de
triennal. q.13. in princ. cum alijs allegatis* *:
tamen quia forma commissionis posset obstare restringentis se ad petitoriū, & re vera
ex facto apparet Manilios non persoluisse
totū pretium; Ideo omissis alijs, placuit Dominis transire ad aliam rationē purgatio-
7 nis moræ, quæ in eo fundatur, quia † siue inspiciamus ius Canonicū, purgatio moræ admittitur, vbicunq. ius alterius non est factū
deterius, *c. suam. de pœn. c. apud misericord. 32. q.1. & ibi glos. Bald. in l. qui crim. n.20.
C. qui accusar. nō poß. & licèt Alex. in l. si insulam. n.24. de verb. oblig. reprobet hanc opinionem, eam tamen tenet in d. l. si quis maior. circa fi. & ibi Ias. n.26. Iacobin. de S. Georg. n.43. Cagnol. n.152. cū seq. latè Parpal. in 23. notab. Dec. in cons. 138. n.7. Crot. in d. l. si insulam. n.78. vbi Rip. n.93. & 112. Lofred. cōs. 41. n.8. Ruin. cons. 123. n.16. lib. 3.* siue inspiciamus dispositionem iuris ciuilis, purgatio
admittitur vsq. ad litis contestationem, *vt
per Doctores omnes in d. l. si insulā.* ideo hoc
casu admittenda est, cum prius iudiciū fuerit super spolio, & nunc solum post vltimam
commissionem actum fuerit petitorio, pro-
8 cedit autē hæc opinio in isto casu, † in quo
ob non implementum non dabatur rescissio
9 contractus, † cum simus in contractu nominato, *l. ea venditione. C. de rescind. vend.*
Nec obst. quòd hoc casu videatur admixtus
contractus innominatus, *l. cum te. C. de pact.
inter empt. & vend.* quia non ideo desinit
esse contractus venditionis, *& in terminis
Fortun. Garz. in l. iurisgentium. §. quinti-
10 mo. nu.37. de pact.* † quod verissimum est,
quando pactum non continet causam finalē
contractus, *vt per Abbat. in c. verum. circa
medium, de cond. appos.* & hoc casu dici nō potest hanc fuisse causam finalem contractus,
quia nihil extraneum continetur à contractu; pretium enim fuit iustum, & dominus
directus retenta portione sua consensit reliquum solui creditoribus, quæ res non immutat naturam contractus; maximè, cum
non appareat creditoribus denegatam fuisse solutionem per Manilios. Neq. obstat rem
non esse integram propter cessionem factam
11 à domino directo Roberto; quia † si ipso agente potuit mora purgari, poterit etiam
agēte cessionario, cum nemo plus iuris, &c.
& actio transit cum sua causa, *Socin. iun. cōs. 74. n.5. cū seq. lib.3. Rim. cōs. 69. n.4. et 14. lib.1.*
& supradicta maximè procedunt circa moræ purgationem, cum adimpletum fuerit
pro maiori parte, quo casu multi Doctores
indistinctè admittunt purgationem, *per tex.
in c. suam. de pœn. Castr. in d. l. si insulā. n.3.
& ibi Alex. n.5.* quamuis Iason contra sentiat, *sed Aretin. in l. si ita quis. §. Seia. col.4. de
verb. obligat.* dicit clementius agi cum eo,
qui partem soluit, quàm cum eo, qui nihil
soluit. Et ita conclusum.

* Ruin. cōs. 38. n.9. lib.4. & fuit ita resolutum in vna Cōchen. Decanatus 8. Iunij 1575. coram R. P. D. Robusterio, quæ in impress. diuers. nouiss. est decisio po. part.4.

Romana seu Vercellen. Pecuniaria.
Die Lunæ 29. Nouembris 1582.

SVMMARIVM.

1 *Fructus spectantes ad Cameram Apostolicam vigore spoliorum de iure spectant ad successorem.*

DECISIO DXCII.

DOmini dixerunt causam esse restrigendam ad caput distinctionis solutionis
in Vrbe, An ex eo maximè stante confirmatione instrumēti locationis possint isti fructus cadere sub reseruatione fructuum benefi-

neficiatorum vacantium ; nam alia motiua non placuerunt : Id enim, quod deducitur ex Breui concessionis factæ, tollitur ex declaratione S. D. Nostri volentis eatenus istos fructus concedere Ill. Domino Fabio, quatenus pertinerent ad Cameram Apostolicam, non autem si pertinerent ad Illustrissimum D. Commendatarium ; ideo non est opus ingredi difficultatem illam, an fuerit necessaria derogatio regulæ de non toll. iure quæs. quam tamen aliqui ex Dominis necessariam putabant, ex decisionibus in alijs causis similibus in Rota
1 factis: Erit igitur videndum, † cum isti fructus de inre communi spectent ad successorem, an aliqua Constitutione possint dici reseruati Papæ ; nam alia via non possunt spectare ad Cameram, non quidem vti spolia, quia nunquam fuerunt in bonis bo. mem. Episcopi ; neq; vti vacantia, cum sint Ecclesiæ de iure communi : Itaq; partes super reseruata difficultate strictè informent.

Romana Dohanæ Salis.
Die Veneris. 10. Decembris. 1582.

SVMMARIVM.

1 *Facultas data capiendi pecunias ad interesse, quatenus opus sit, dicitur conditionalis, & indigentia capiendi probari debet.*

2 *Promissio indemnitatis ex sua natura habet hoc, quòd debeat apparere de damno, & quòd à principali debitore satisfieri non possit.*

3 *De damno passo ratione promissionis indemnitatis satis constare dicitur ex pecunijs ex causa talis promissionis ad censum & ad societatem acceptis, vel ex re propria vendita.*

4 *Pecunia in dubio dicitur soluentis ; nisi adsint coniecturæ in contrarium claræ.*

5 *De natura societatis est, vt ante omnia prius discutiendum sit negotium cum eo, qui administrauit, antequàm discutiatur inter socios.*

DECISIO DXCIII.

HAnc causam pluries proposui, & in præcedentibus positionibus Domini dubitauerunt, An ad effectum docendi de suo credito, Dominus Costa cogeretur vti libris Apaltus, vel sufficeret docere aliunde de suo credito: Dicebant enim, quòd aut ipse volebat venire ex facultate data institori capiendi pecunias ad interesse ; &
1 † cum illa facultas sit conditionalis, In euentum quòd negotium indigeret, necesse videtur, vt libris vtatur ad docendum de huiusmodi indigentia, cum aliunde doceri nequeat ad verificandam conditionem in facultate datam, *Bald. in l. cum testamēto. n. 6. C. de testam. manumiss.* Aut volebat venire ex promissione releuationis indēnitatis sibi vicissim à socijs factā, & tenetur docere negotium fuisse in damno, qui si non fuit in damno, ipse non est passus damnum,
2 & † promissio indemnitatis hoc ex natura sua habet, vt debeat apparere, quòd à principali debitore satisfieri non possit, aliàs non constat de damno *ex doctrina Bart. communiter recepta in l. 1. C. de conuenien. fisc. debitor. lib. 10. & in l. quæro. in princ. nu. 4. locat. Corn. in cons. 109. in fin. lib. 1. Roman. cons. 210. nu. 2. vbi bona additio, Gabr. de fideiuss. concl. 1. n. 31. Mars. in rubr. de fideiuss. nu. 23.* Postremo visis tandem instrumentis & computis per Dominum Costam productis & exhibitis, dummodo omnia ponantur in actis, Domini dixerunt,
3 † sufficienter constare ipsum fuisse passum damnum in hoc negocio: Et primo ex summa scutorum sexmillium habitorum ad censum ab Altouitis : Secundo ex summa duorum millium habita ad societatem officij à Triumpho: tertio ex summa duorum millium ex pecunijs venditionis sui secretariatus ; quas omnes pecunias apparet eum soluisse pro prædicto negotio: vnde satis apparet de damno. Nec obstare in contrarium deducta ; & primo, quòd Census adhuc vigeat, quòd si viget, ipse tenetur, & continuè soluit fructus ; ideo ab hoc damno est releuandus : obesse enim videtur id, in quo obligatus est, *l. si quis mandati. in fin. de negot. gest. & ita fuit resolutum aliàs in Roman. releuationis indemnitatis coram R. P. D. Lancellotto 20. Iunij 1558.* Non obstat, quòd ista partita assignetur etiam à Rotella, & sic non debet tota cedere in creditum Costæ: quia re vera apparet, quòd Costa censum imposuit, & ex computis eiusdem Rotellæ primi anni apparet, quòd negotium indigebat summa 5471. scutorum; & ideo constat censum ex necessitate impositum, & quia ex eiusdem libris apparet secūdo anno à mense Martij 1573. vsq; ad mensem Martij 1574. negotium indiguisse summa scutorum 5200. constat pecunias in societatem captas à Triumpho & Fuluio de Amodeis fuisse necessarias. Nec obstat, quod opponitur, non fuisse Triumpho satisfactum à Domino Costa ex proprijs pecunijs ; nam hoc non
4 probatur, & † in dubio pecunia dicitur soluentis, *l. 2. vbi Bart. & Bald. C. pro soc. Alex. in l. certi conditio. §. si numos. propè fin. si cert. pet.* & quamuis hoc limitetur. *per Aymon. in cons. 129. n. 2.* vt non procedat, quando adsunt coniecturæ in con-

contrarium; tamen hic nullæ adferuntur, quæ sint claræ. Nec obstat, quòd tertio anno negotium fuerit lucratū scuta 1563. & nihilominus dicitur Costam soluisse scuta 500. quæ non apparent versa in vtilitatem negotij; & idem de alia partita soluta de anno 1574. quia non constat, quòd tempore solutionum per ipsum factarum essent exactæ pecuniæ lucratæ per administratorem negotij, & tamen interim creditoribus Vrbis erat satisfaciendum. Ex his ergo censuerunt Domini liquere sufficienter de credito Domini
5 Camilli: Tamen vellent, vt videretur,† an ipse teneatur prius discutere negotium inter ipsum & sociū, qui administrauit, prout videtur esse de natura societatis, *Fulgos. in cons. 209. propè fin. Anchar. cons. 332. num. 6. glos. in l. creditor. §. duobus. in verb. pro solido. mandat. Bertrand. cons. 297. num. 2. lib. 4. Petr. de Vbald. de duob. fratr. in 12. par.*

Romana seu Vercellen. pecuniaria.
Die Mercurij 15. Decembris. 1582.

SVMMARIVM.

1 *Fructus beneficij vacantis destinati in Vrbe cadunt sub spolys, & spectant ad Cameram Apostolicam.*
2 *Destinatio solutionis facta in vno loco facit, quòd res dicatur esse eius loci, in quo est destinata, & n. 21. quod etiam procedit ratione fisci, vt n. 3.*
4 *Iura & actiones clerici defuncti veniunt sub spolys, declara, vt n. 16. & 17.*
5 *Fructus beneficiorū remanent Ecclesiæ, & non fiunt beneficiatorum, nec de eis disponere possunt; nisi in ea parte, quam in vsus proprios consumunt, & num. 8.*
6 *Distributiones quotidianæ defuncto beneficiato non remanent Ecclesiæ sed beneficiati, & ei ita acquiruntur, vt ad hæredes quoscumq; transmittantur secundum communem opinionem.*
7 *Beneficiarius in vita comparatur vsufructuario, in morte verò vsuario, & numer. 19.*
9 *Bona acquisita ex redditibus Ecclesiæ regulariter non sunt beneficiatorum, sed ad Ecclesiam pertinent, quod procedit etiam in fructibus simplicium beneficiorum, secundum magis communem opinionem.*
10 *Bulla Pij IIII. super spolijs fructuum beneficiatorum defunctorum quomodo intelligatur, & quos liget.*
11 *Materia reseruationis est strictè intelligenda.*
12 *Reseruatio, quæ ponitur in litteris Apostolicis deputationum Collectorum generalium spoliorum dicitur ius nouum.*
13 *Bulla Pauli IIII. super spolys quomodo intelligatur.*
14 *Bulla Iulij III. super fructibus beneficiorum inexactis declaratur, & num. 20.*
15 *Spolia sunt rerum ad beneficiatum spectantium, & quæ in eius peculio, & bonis tempore mortis reperiuntur.*
17 *Iura illa & actiones veniunt in spolijs, quæ in hæreditate clerici defuncti sunt remansura; secus est in illis iuribus & actionibus, quæ morte extinguuntur.*
18 *Fiscus non potest capere bona fideicommisso subiecta, quamuis essent in dominio defuncti.*
21 *Destinatio solutionis fructuum beneficij, quæ fit in vno loco, fit pro commoditate clerici, & ipso mortuo cessat eius effectus, & Ecclesia non tenetur, si nolit, vti tali commoditate.*
22 *In destinatione animus destinantis, inspici debet.*
23 *Destinatio solutionis in alio loco in fraudem Cameræ nihil operatur, idem est in fraudem Ecclesiæ.*
24 *Causa Ecclesiæ est fauorabilior, quàm causa fisci.*
25 *Fiscus est vltimus priuilegiatorum, & in dubio contra eum fit interpretatio.*
26 *Actiones loco non circumscribuntur sicut fructus.*

DECISIO DXCIV.

Proposui iterum causam super difficultate reseruata ratione destinationis solutionis hic in Vrbe, & nonnullis ex Do-
1 minis placebat,† huiusmodi destinationem facere, vt isti fructus caderent sub spolijs, *per regul. l. quaro. de solution. l. 3. in fin. de bon. auctor. Iud. poss. l. contraxisse. de iudic. l. ex facto. §. iterum. de hered. instit. Lap.*
2 *alleg. 91. n. 8. cum similib.* † facit enim destinatio, vt res dicatur esse eius loci, in quo est destinata, *& ita fuisse decisum in vna Roman. à Bordesia coram bo. me. Domino Oradino,* [a] *& in alia Romana de Soderinis* a 14. Martij 1574.
corā me, [b] & ita passim à Doctorib. tradi, b sub die 19. Nouembris 1577.
3 † quòd huiusmodi bona capiantur à fisco illius loci, in quo est facta destinatio, *Tiraquel. de iure primogen. q. 49.* & hanc
4 rationem confirmabant, ex eo quòd † cum in spolijs veniant iura & actiones clerici defuncti, *vt tradit Nauar. de spol. §. 1. numer. 3.* & licèt ad istos fructus recuperandos esset quæsita bon. memor. Cōmendatario defuncto actio, eā tamē cadere sub spolijs, attento quòd Reu. Dominus Thesaurarius generalis deputatus per totam Italiam Collector degit in Vrbe, &

& ibidem exigit intra Cameræ Apostolicæ.
Contrariam tamen sententiam septem ex
Dominis amplexi sunt; nempe quòd desti-
natio non faciat, vt isti fructus pertineant
ad Cameram Apostolicam: nam pro funda-
5 mento decisionis repetendum est, † fructus
beneficiatorum esse ipsius Ecclesiæ non au-
tem beneficiatorum; nisi in ea parte, quam
6 in vsus proprios consumunt, † exceptis ta-
men distributionibus quotidianis, quæ ijs
ita acquiruntur, vt ad hæredes quoscumq;
eas transmittant, *vt ex communi Doctorum*
sententia tradit Couar. in c. cũ in officij. nu.
4. de testam. & hac sententia probatur in
d. c. cum in officij. & in c. ad hac. de testam. c.
expedit. & ibi glos. 12. *q.* 1. *eamq; amplectun-*
7 *tur passim Doctor.* † beneficiarium compa-
rantes in vita vsufructuario, in morte ve-
rò vsuario, *vt ibid. tradit Couar. in princ.*
& glos. pragmat. tit. de annat. Item quid si
Ecclesia. in verb. acquisitos. Immo plures ex
Doctoribus absolutè comparant beneficia-
rios vsuarijs, quod licèt improbetur *per*
Couar. tamen in hoc consentiunt omnes,
vt in morte pro vsuarijs habeantur: vnde se-
8 quitur, † fructus non consumptos remane-
re in dominio Ecclesiæ, vnde fit, vt de eis
disponere non possint, *vt per glos. in c. præ-*
senti. de off. ordin. quam sequitur Rota apud
Pute. decis. 315. *Ioãnes Valdes lib.* 2. quod
9 adeo verum est, vt † neq; etiam bona ac-
quisita ex redditibus Ecclesiasticis regula-
riter sint ipsorum beneficiatorum, sed ad
Ecclesiam pertineant, *d. c. cum in officij. &*
ibi Couar. n. 6. extendit hanc conclusionem
etiam ad bona acquisita ex redditibus sim-
plicium beneficiorum, *contra opinionem*
glos. in c. præsenti. de off. ordin. lib. 6. *quam*
improbant Archid. Innoc. Abb. Imol. Do-
minic. Franc. & Bertrand. per eum relati,
& hanc magis communem opinionem testa-
tur. Ias. in cons. 75. *col. vlt. lib.* 3. Neq; ob-
stat, quòd multi Doctores *post d. glos. in c.*
expedit. 12. *q.* 1. dicunt dominium esse penes
Christum; quia præterquam quòd idem
resultat effectus respectu quæstionis, quam
tractamus, hoc dominium non impedit
dominium particulare ecclesiarũ; vt opti-
me animaduertit *Sarmient. in tractat. de*
reddit. eccles. par. 1. *c.* 1. *n.* 22. Hoc itaq; con-
stituto fundamento, aut Camera præten-
dit hos fructus vti reseruatos, & de huius-
modi reseruatione nullibi apparet; nam
10 † Bulla fel. re. Pij IV. sub die 27. Decem-
bris 1560. quam aliàs informantes ex ad-
uerso allegabant, est restricta ad Regnum
Neapolitanum, & eius prouincias, vl-
tra quòd reseruantur tantummodo in ea
fructus beneficiatorum reseruatorum, seu
affectorum à die vacationis eorum vsq; ad
diem captæ possessionis per prouisos, nulla
autem fit mentio decursorum in vita bene-
ficiati, & per eum non exactorum; Ideo
11 cum simus † in materia reseruationis, ea
12 est strictè intelligenda, & † huiusmodi re-
seruatio, quæ passim inseritur in litteris
Apostolicis, in quibus deputãtur Collecto-
res generales spoliorum per Italiam est ius
nouum, *vt tradit Nauar. dicto tractat. de*
spol. §. 6. *nu.* 7. Neq; etiam talis reserua-
tio continetur in Constitutione fel. re. Pau-
13 li IV. † nam in ea solum cauetur spolia
pertinere ad Cameram Apostolicam in
quibuscumq; Regnis ac dominijs existant,
non tamen explicat, quæ veniãt spoliorum
appellatione, & quamuis ea videatur tol-
lere eam differentiam, quæ fit inter loca,
in quibus solent deputari Collectores, &
alia, ad quæ Collectores non destinantur;
tamen huiusmodi dispositio numquam fuit
recepta in locis, in quibus non deputantur
Collectores: quia non solum consuetudo
optima legum interpres declarauit, sed
14 etiam † expressè cauit fel. rec. Iulius III.
in quadam sua declaratione Constitutionis
per eum editæ super fructibus non exactis,
publicata de anno 1551. 18. Iunij, & hanc
distinctionem etiam admittit *Nauar. in*
d. tractat. de spol. §. 10. *nu.* 3. *vers. ad quin-*
tum. & §. 14. *nu.* 7. sola ergo superest reser-
uatio, quæ ex huiusmodi declaratoria Iu-
lij III. colligi potest, dum declarat fructus
inexactos ex beneficijs sitos in locis, in
quibus deputantur Collectores, non com-
prehẽdi in Constitutione, quam prius edi-
derat & publicata fuerat 6. Iunij 1550. nam
in his vult reseruare consuetudines & par-
ticularia iura; consuetudines verò & par-
ticularia iura sunt, vt hæc tanquam spolia
à Camera Apostolica vindicentur, adeo
quòd tota hæc reseruatio pendet à consue-
tudine, quæ circumscribitur in his locis, in
quibus deputantur Collectores: & ideo nõ
extenditur vltra hæc loca: Aut Camera
prętendit fructus huiusmodi inexactos es-
se spolia, & hoc nulla ratione dici potest se-
15 cundum regulas iuris communis; † spolia
enim sunt rerum ad beneficiatos spectan-
tium, & quæ in eorum peculio reperiuntur;
vnde sequitur, cum Constitutione prædicta
Iulij III. caueatur, redditus inexactos ad
Ecclesiam pertinere, si proueniunt ex be-
neficijs sitis in locis, in quibus non solent
deputari Collectores, cum in his ius com-
mune seruari debeat, quòd isti fructus non
pertineant ad Cameram, cum nunquam
fuerint incorporati in peculio bon. mem.
Commendatarij defuncti inspecta disposi-
tione iuris communis, & ideo ex eius per-
sona non posse dici spolia, quæ non repe-
riuntur in eius bonis tempore mortis.
16 Neq; obstat, quòd † iura & actiones veniãt
in spolijs; hoc enim procedere potest in lo-
cis, in quibus adsunt Collectores propter
consuetudinẽ supradictã, sed vbi cessat hęc
17 cõsuetudo, secus est dicendũ; nã † hęc regu-

la procedit in iuribus & actionibus, quæ sunt remãsura in hæreditate defuncti;secus
18 si morte extinguantur; nam † neq; fiscus capit ea, quæ non remanent in hæreditate, veluti bona fideicommisso subiecta, quamuis essent in dominio defuncti, *latè Benedict. in repet. c. Raynntius. n. 280. cum seq. de testam.* Neq; obstat,quòd tempore mortis bo.me. Commendatarij isti fructus iam essent decursi, & per conductorem recollecti; & ideo videatur habere locum *tex. in l. defunnčta. de vsufr.* quia,vt supra dictum est,
19 † beneficiarius in morte comparatur vsuario, non autem vsufructuario; & ideo locũ non habet in eo textus *dictæ l. defunctæ*. quæ procedit in vsufructuario,sed seruandæ leges de vsuario loquẽtes, quę facultatẽ alteri locandi non concedunt,neq; quicquam ad compendium tribuunt, *l. plenũ. §. 1. & §. operas. de vsu & habitat.* sed omnem tollit difficultatem Constitutio Iulij III. de
20 qua supra facta est mentio, † quæ disertè disponit hos fructus ad Ecclesiam spectare, etiam quòd dies solutionis viuente beneficiario venerit, & per ipsum non steterit, quo minus illos exegerit; quinimmo pro eorum exactione necessariam diligentiam etiam iudicialiter agendo fecerit. Neque obstat, quòd respondendo huic Constitutioni dicebatur,hãc esse intelligendã ad exclusionem hæredum beneficiarij, de quibus fit mentio in prohemio Cõstitutionis:quia dispositio habet duo capita: Alterũ exclusiuum hærędũ:alterum verò inclusiuum Ecclesiæ, vbi disponitur hos fructus semper ipsarum Ecclesiarum, ac verè Ecclesiasticos esse & censeri debere. Quòd autem hęc dispositio excludat Cameram, non solũ ex eo colligi potest, quòd Camera & Ecclesia in successione huiusmodi se compati non possunt; sed etiam quòd in declaratoria apertè fit mentio iurium Cameræ Apostolicę debitorũ,& nihilominus statuitur Constitutionem locum tantum habere in locis, in quibus non adsunt Collectores;ergo stat dispositio non solum exclusiuè ad hæredes, sed etiam ad Cameram respectu fructuum ex istis beneficijs prouenientium. Vltimo non obstat destinatio;quia ea non facit, vt Ecclesia dominium amisisse dicatur; metiri enim debemus destinationis effectũ à destinantis facultate,quę cum non porrigatur vltra eius naturalem vitam, non potest facere,vt Ecclesia non sit domina,vbicumque
21 locorum reperiantur: Immo quia † destinatio non fit, nisi pro commoditate ipsius locatoris, mortuo ipso cessat eius effectus, nisi in quantum potest Ecclesia actione sibi per Commendatarium acquisita vti si ve-
22 lit; nam † in destinatione inspiciendus est animus destinantis, *l. ex facto. §. rerũ. ff. de hæred. inst.* qui fuit destinare solutionem Romæ, non vt huiusmodi fructus censerẽtur inter bona Vrbis, sed pro maiori com-
23 moditate exactionis; & † quemadmodum in fraudem Cameræ non operaretur destinatio solutionis in locis, in quibus non adsunt Collectores,non debet quoque hæc destinatio quicquam operari in fraudem Ec-
24 clesiæ, † cuius causa est fauorabilior, quã
25 causa fisci, † qui est vltimus priuilegiatorum, & contra quem in dubio fit interpretatio. *l. non puto. de iur. fisc.* Nec faciunt ad rem *decisiones factæ in causa Romana à Bordesia, & in Romana de Soderinis*; quã in vtroq; casu destinatio erat facta à dominis absolutis earum rerũ,quę post ipsorum obitum in eorum hæreditate erant permansuræ;hic verò secus est, vt supra demonstratũ fuit: Quod eo magis procedere videtur in casu,de quo agitur, ex quo tempore obitus bon.mem. Domini Commendatarij nondum cessarat dies solutionis; adeo quòd potius
26 de actione cõpetenti ei agimus, † quæ loco non circumscribitur, quàm de fructibus re vera tunc in Vrbe existentibus: quare cum hi fructus, neq; vti reseruati, neq; vti spolia capi possint, consequens est, vt in his nullũ ius prætendere possit Camera; & ideo neq; etiam in concessione Sanctissimi Domini Nostri veniant; tamen quia materia fuit cõtrouersa inter Reu. Dominos meos: placebat nonnullis etiam ex ijs,qui pro exclusione spoliorum stabant, vt particulariter videretur, An hi fructus possint appellatione spoliorum contineri.

Salamantina Iurisdictionis.
Die Veneris 17. Decembris 1582.

SVMMARIVM.

1 *Exemptio concernens tantum personam, quam quis repræsentat,non debet extendi contra iurisdictionem ordinariam Episcopi, sub qua subest ratione beneficij.*
2 *Quando allegatur priuilegium & præscriptio, manutenendus est is, qui priuilegium allegat.*
3 *Ius magis resistit possessioni præscriptæ, quã possessioni per priuilegium; quia per priuilegium non est adeo infecta; nec præsumptio aliqua contraria cadit propter iustificationem ex titulo priuilegij, sicut si possessio sola præscriptione nitatur.*
4 *Cognitio causarum criminalium, & matrimonialium, & aliarum de iure communi ad Episcopum, & non ad alium inferiorem pertinet; ex consuetudine tamen & præscriptione possunt etiam ad inferiorem pertinere.*
5 *Priuilegium recipit interpretationem ab vsu & consuetudine, & de iure communi manutenenri debet, qui illud obtinet.*

6 *Mon-*

6 *Mandatum de manutendo exercendi iuris-
dictionem ordinariam in cognitione
causarum, alio inferiore in possessione
eam per priuilegium exercendi existen-
te, Episcopo dari potest cumulatiuè.
7 *Exempti per priuilegium à Iurisdictione*
Ordinarij, si non sint immediatè Sedi
Apostolicæ subiecti, sed alijs inferioribus
possunt iurisdictionem Ordinarij proro-
gare, & ei se submittere, si non redundet
in præiudiciũ alicuius nisi prorogantis,
aliàs secus.

DECISIO DXCV.

FVit iterum proposita causa super manu-
tentione ob prætensiones Reu. Domini
Episcopi Salamantini impugnantis nonnul-
la capita decisionis aliàs factæ:* Et primo, [*sub die 17. Iunij proximè præteriti.]
quantum ad caput exemptionis R. Domini
Scholastici tanquam Canonici, & de iure
subditi Iurisdictioni ordinariæ Episcopi,
1 Domini censuerunt † eam exemptionem
concernere tantum eius personam in ijs,
quæ tangunt conseruatoriam non autem
extendi debere contra iurisdictionem ordi-
nariam Episcopi, sub qua subest ratione
beneficij, cum sit Canonicus seu dignitas
in Ecclesia Cathedrali *iuxta dispositionem*
textus in c. cum capella. de priuileg. innoua-
tam à Sacra Synodo Tridentin. in c. 11. de
reform. 24. sess. Quod maximè probari vi-
detur ex ratione exemptionis considerata
per Clementem VII. quia Rector & scho-
lares litterarum studia sępius pro rebus
suis in partibus remotis defendendis inter-
mittere cogebantur, quæ ratio non appli-
catur Scholastico Salamantino vti Canoni-
co in Ecclesia Cathedrali: Secundo, quan-
tum ad causas matrimoniales, circa quas
prætendit Episcopus priuilegium non esse
clarum, & Scholasticũ indigere præscriptio-
ne; & ideo interim se esse manutenendum,
cum habeat fundatam intentionem in iuris-
dictione ordinaria sibi competente; Domi-
ni censuerunt negotium decidi *per tex. ex*
aduerso allegatum in c. cum persona. de pri-
2 *uileg. in 6.* † Quando enim allegatur pri-
uilegium & præscriptio, tunc manutenen-
dus est ille, qui priuilegium allegat, quia
3 possessio tunc nõ est adeo infecta, † neq; ha-
bet tantam resistentiam iuris, neq; talem
præsumptionem contra se, cum iustificetur
ex titulo priuilegij, vt non sit habenda in
consideratione, quemadmodum si sola pre-
scriptione niteretur, & ita habet locum ibi
textus, vt distingunt omnes Doctores, *An-*
char. ibi in 12. notab. Gemin. in §. fin. nu. 3.
4 *& 4. & ibid. Franc. n. 2.* † licèt ergo de iu-
re communi cognitio harum causarum ad
Episcopum & non ad inferiorem, pertineat,
c. accedentibus. de excess. Prælat. Abb. in c. 1.
n. 11. *de consang. & affin. Couar. in epitom.*
in 2. part. c. 8. n. 12. tamen cum ex consuetu-
dine & pręscriptione possint ad inferiorem
pertinere, *glos. in d. c. 1. de cõsang. & affin. &*
ibid. Abb. n. 11. & hic concurrat priuilegiũ,
5 † quod recipit interpretationẽ ab vsu & cõ-
suetudine, manuteneri debet inferior de iu-
re cõmuni: & quòd allegatur *ex sess. 24. c. 20.*
de reform. iuncta resolutione Sacræ Congre-
gationis [a] potest pati difficultatem, quan- [a facta semel in causa huc gen. sub die 24. Septembris 1575. & iterũ in causa Palentina Archidiaconatus x. Martij eiusdem anni 1575.]
do allegatur immemorabilis iuncta cum
priuilegijs, quæ exhibentur; & potissimum,
quãdo agitur de priuilegijs Vniuersitatum,
neq; restringit se ad dispositionem illius ca-
nonis, sed vlterius procedendo dicit, quòd
Vninersitates omnino sint exemptæ, & esse
intelligantur, quod tamen relinquitur iu-
dicio Illustrissimorum Dominorum dictæ
Sacræ Congregationis. Quantum verò
ad aliam prætensionem Domini Episcopi
6 † circa easdem causas matrimoniales, vt
saltem detur ei manutẽtio, vt de his cumu-
latiuè cognoscere possit, attentis processi-
bus pro eius parte exhibitis & testibus exa-
minatis, qui bene probãt indistinctè respe-
ctu etiã laicorum, Episcopum de istis causis
cognouisse, Domini censebant vix denega-
ri posse manutentionem, sed tantum fuit
facta difficultas, quo pacto concedi debeat:
7 † Cum enim isti, qui per huiusmodi priuile-
gia eximuntur, non sint immediatè Sedi
Apostolicæ subiecti, sed Conseruatoribus,
possunt vtiq; prorogare iurisdictionem Or-
dinarij, & ei se submittere, *vt per Federic.*
de Sen. in cons. 14. Felin. in c. cum omnes. n. 8.
de constitut. Ias. in l. si vnus. §. pactus ne pe-
teret. n. 9. de pact. & hoc quando non redun-
dat in præiudicium alienius nisi prorogan-
tis, *Gemin. in cons. 83. num. 9. Corn. cons.*
214. n. 8. lib. 2. Ferret. cons. 102. n. 18. & tra-
dunt Doctores in c. si diligenti. de for. compet.
cum itaque fieri possit, vt istæ causæ, de qui-
bus in processibus, vt per testes Episcopi,
deductæ potuerint coram eo agitari de cõ-
sensu tacito vel expresso partiũ iurisdictio-
nem prorogantium, nec apparet, quòd
quando scholaris vult declinare iurisdictio-
nem, nihilominus trahatur inuitus coram
Episcopo; dixerunt Domini videndum
esse, quo pacto sit concipiendum huiusmo-
di mandatum de manutenendo. Quantum
ad alia capita decisionis aliàs factæ Do-
mini steterunt in decisis.

Meten. Decanatus.
Die Lunæ 20. Decembris. 1582.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum de immittendo conceditur gra-*
tiosè subrogato.
2 *Habens gratiosam subrogationem dicitur*
habere fundatam intentionem non solum
ad ius, sed etiam ad possessionem, & ad
litis prosequutionem.

3 *Subrogatus tenetur lite pendente iustificare ius sui authoris; quod tamen procedit ad effectum canonizatoria, & petitorij, non autem possessorij.*

4 *Subrogatio non datur in iure ad rem.*

5 *In iudicio adipiscenda admittuntur exceptiones defectus dominij incontinenti probandi.*

6 *Immissio proueniēs ex gratiosa subrogatione sapit naturam iudicij recuperanda.*

7 *In iudicio recuperanda non admittitur exceptio defectus dominij.*

DECISIO DXCVI.

DOmini dixerunt intrare subrogationē
1 Simonis; & † ideo dandum ei manda-
tum de immittendo, fundatam enim habet
intentionem super litteris gratiosæ subro-
2 gationis, † non solum ad ius sed etiam ad
possessionem, & prosequutionem litis, *Cas-
sad. decis. 1. vt lit. pend. Rot. decis. 5. eod. tit. in
nou. Mohedan. decis. 327. cum alijs allegatis*,
* & Papa in huiusmodi subrogatione plu-
res facit gratias, *vt per Bellamer. decis. 115.*
3 *col. pen.* Ideo † licèt subrogatus lite pendē-
te teneatur iustificare ius sui authoris, *vt
per Aegid. decis. 112.* quam esse in viridi ob-
seruantia tradit *Cassad. decis. 2. de caus. poss.
& propr.* hoc tamen procedit ad effectum
canonizatoriæ & petitorij, non autem
possessorij. *Pute. decis. 496. die 12. Nouem-
4 bris lib. 2.* Non obst. quòd † non detur sub-
rogatio in iure ad rem, *vt per Collect. in c.
accedentibus. de concess. praben. cum alijs
allegatis*; ª quia præterquam quòd hæc res
patitur difficultatem, *vt per Sarnen. q. 6. de
5 subrog. collit.* hoc respicit petitoriū, & † li-
cèt in iudicio adipiscendę admittantur ex-
ceptiones defectus dominij incontinenti
probandi, tamen de tali defectu non con-
6 stat in facto: præterea † ista immissio pro-
ueniens ex gratiosa subrogatione sapit na-
7 turam iudicij recuperandæ, † in quo non
admittitur exceptio defectus dominij, *vt
in simili tradit Tiraq. in tractat. le mort
saisit le vif. par. 6. declarat. 5. nu. 5.*

* Aegid. decis. 351 Paligott. 103. & 318. Put. decis. 484. lib. 2. incip. die 31 Nouembris. Bero. cons. 19. ad fin. lib. 1. Natt. cons. 379. in fin. lib 2.

ª Bonifa. de Vital. in Clemen. 1. n. 49. vt lit. pend. vbi etiā glos. in verb. collato, Franc. in c. quam sit § electus. sub n. 1 de elect. in 6. Rota decis. vlt. de elect. in nou. Rebuf in prax. benef. in regul. de subrog. collit. glos. 3.

Giennen. Prioratus.
Die Lunæ 20. Decembris 1582.

SVMMARIVM.

1 *Sententia lata post primum fatale non obtēto secundo, & sic deserta appellatione, est nulla.*

2 *Sententia lata nulla facta instātia per partem est nulla.*

3 *Finis litis imponitur per sententiam, & nō per conclusionem in causa.*

4 *Sententia lata à locumtenente Vicarij de cuius facultate seu delegatione non constat, est nulla.*

5 *Sententia respectu diuersarum personarum dicitur diuidua.*

6 *Defectus citationis ad sententiam sine die, reddit sententiam nullam de iure, de stylo autē quomodo procedat, vid. n. sequen.*

DECISIO DXCVII.

1 FVit conclusum † sententiam Metropo-
litani fuisse nullam, quia lata post pri-
mum fatale nō obtento secundo, & sic de-
serta appellatione, *Clem. si appellatum. de
appellat. Doctor. in c. ex ratione. de ap-
pellat.* Neq; obstat fuisse conclusum in
2 causa durante primo fatale; nam † oportet,
quòd fuerit facta instantia pro sententia,
quia *Clem. sicut. de appellat.* imponit finem
3 liti, † quæ per sententiam terminatur, & nō
per conclusionem in causa, *Bisignet. decis.
1. de appellat. Rot. 38. eod. tit. in antiq. Cas-
4 sad. 9. nu. 9. eod. tit.* Secundo, quia † lata à
Locumtenente Vicarij de cuius facultate
non constat, *c. clericos. de off. Vicar. c. 1. eod.
tit. in 6. vbi glos.* Neq; de delegatione cōstat,
iuxta glos. in d. c. 1. in verb. ipsius nullitas.
Quæ allegantur ex defectu mandati, non
multum placebant, quia sententia sustine-
tur respectu procuratoris Vniuersitatis, li-
5 cèt non respectu Fiscalis, & † dicitur sen-
tentia respectu diuersarum personarum di-
uidua *à Bald. in l. ordo. n. 17. C. de except.
rei iud. Alex. in l. iustè possidet. n. 12. de ac-
quir. poss. Socin. in l. certi conditio. §. quoniā.
n. 22. si cert. petat. Crot. in cons. 107. num. 19.
6 in 1.* † Defectus etiam citationis placebat,
nisi ex stylo saluari posset, quia est sine die,
7 † quæ licèt teneat quo ad effectum mulctā-
di non comparentem, quam primum po-
test, non tamen tenet quo ad effectum, vt
procedi possit ad actus iudiciales, *Franc.
in c. cum parati. nu. 22. de appellat. & Pra-
posit. ibid. n. 13. & fuit distinctio Imol. ibi-
dem. nu. 2.*

Vrgellen. Abbatiæ.
Die Veneris 14. Ianuarij. 1583.

SVMMARIVM.

1 *Præsentatus administrans ante institutionem incidit in pœnam cap. auaritia. de elect. in 6.*

2 *Confirmatio in beneficio facta non seruata forma cap. fin. de elect. in 6. non valet.*

3 *Possessio beneficij capta post confirmationē, in qua fuit appellatum iudicialiter, non tenet, cum talis confirmatio tunc habeat vim diffinitiua, & appellatio impedit exequutionem.*

4 *Quando captum fuit agi iudicialiter, omnia sequuta censentur iudicialiter acta.*

5 *Procurator semel comparens procuratorio nomine, si postea compareat, censetur eodē procuratorio nomine comparere.*

6 *Confirmatio facta post datum terminū ...ris est nulla, & eius effectus impedi...*

DE-

DECISIO DXCVIII.

FVit per Dominos resolutum possessionē Francisci esse sequestrandam, nam licèt controuertatur, de quo tempore fuerit capta; tamen dubitari non potest, quin fuerit capta post confirmatoriam seu institutionem; quia si antea capta, incideretur in
1 pœnam *c. auaritiæ. de elect. in 6.* † quod habet locum in præsentato administrante ante institutionem, *Sarnen. de infirm. q. 17. n. 5. & de Trien. q. 5. nu. 23.* & consequenter caderet ipso iure ab omni iure, *vt per Archidiac. in d. c. auaritiæ. in fin. Io. Andr. ibid. in fin. Gemin. n. 9. Franc. in fin.* Si itaque possessio fuit post confirmationem capta cōmuniter distinguitur à Doctoribus; aut appellatum fuit iudicialiter, aut extra-
2 iudicialiter, † aut confirmatio facta fuit omissa forma *c. fin. de elect. in 6.* & dicunt
3 omnes non valere; sed priori casu † quando fuit appellatum iudicialiter, concludunt Doctores confirmationem habere vim diffinitiuæ, & appellationem interpositam ab ea impedire exequutionem, *Archid. in d. c. auaritiæ. nu. 2. vers. & hoc fortè verum. Anchar. ibid. n. 6. vers. aut aliquo comparēte. Io. Andr. n. 3. vers. item facta in ordinario iudicio, Franc. n. 25. Gemin. n. 7. versic. Item quando*, & iste est casus noster, quia iudex processit iudicialiter, & appellatio fuit iudicialis, quod patet ex prima cita-
4 tione obtēta à Vicarijs, † ex quo enim exceptum fuerat agi iudicialiter omnia sequu-
5 ta censentur iudicialiter facta, vt † de procuratore semel comparente procuratorio nomine dicitur, quòd si postea compareat censetur eodem nomine comparere, *Bart. in l. si ita stipulatus. §. Chrisogonus. n. 8. de verb. oblig. Rimin. cons. 71. n. 24.* quod con-
6 firmatur ex eo, quòd † iudex dedit terminū iuris, & hinc etiam apparet supplantatum fuisse à Iudice Ioannem *contra formam d. c. fin. de elect. in 6.* & consequenter confirmationem etiam ex hoc capite esse nullam, & impediri eius effectum, *vt per Innocent. in c. pen. de caus. poss. & propr. n. 3. Butr. ibid. nu. 11. Abb. nu. 15. & ibi Franc. in c. constitutus. il 2. nu. 2. de appellat.* & proinde possessionem etiam esse nullam, *Bald. in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ. n. 3. de constit. Franc. in c. dilecto. n. 36. de appellat. Socin. in cons. 99. n. 14. & 15. lib. 3. Paris. cons. 103. nu. 15. lib. 1.* Ex quibus conclusum ex omni capite possessionem esse sequestrandam.

Romana Condictionis indebiti.
Die Mercurij 19. Ianuarij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Pactum propter vniformitatem præstationis, puta de soluendo annuatim tot scuta pro summa debita, dicitur vsurariū.*
2 *Non debet quis prætextu societatis participare de lucro ex aliena pecunia proueniente.*
3 *Vsura non cadit nisi in mutuo vero vel palliato.*
4 *Quilibet in donatione rei suæ potest, quam vult conditionem, apponere.*
5 *Inæqualitas in societate quomodo consideretur, & quomodo damnetur.*
6 *Nouatio vel reformatio contractus fit, quādo partes à priori conuentione recedunt, & in nouam rationem solutionis, et sisit residui, conueniunt.*

DECISIO DXCIX.

IN causa Romana condictionis indebiti inter Illustrissimos DD. Ludouicum & Valerium Vrsinos ex vna, & Ill. Dominam Magdalenam Strotiam de Anguillaria ex altera: Dubitatum fuit, an sententia in Capitolio lata esset confirmanda; Cum enim fuisset tradita nuptui Illustrissima Domina Lucretia filia Dominæ Magdalenę Illustrissimo quondam bo. mem. Domino Iordano Vrsino cum dote viginti millium scutorum monetæ, quorum decem millia soluenda erant tempore subarrhationis; pro solutione verò reliquorū d. Domina Magdalena promiserat eodem tempore se soluturam scuta octo millia, quorum octomillium, sexmillia deberent inuestiri in tot bonis stabilibus pro fundo dotali, quorum fructus per quatuor annos per dictū D. Iordanum percipiendi deberent constituere sortem principalem scutorum duorū millium pro solutione residui residui dotis viginti millium; post verò dictos quatuor annos teneretur Dominus Iordanus dare dictæ Dominæ Magdalenæ singulis annis scuta 360. durante eius vita naturali; eiq; depositata fuissent scuta 5250. auri in auro ex pecunijs proprijs dotalibus d. Dominæ Magdalenæ in banco Dominorum de Monteacutis, pro solutione dictorum scutorum sexmillium inuestiendorum, prædicti Dominus Iordanus, & Domina Magdalena deuenerunt ad huiusmodi conuentionem, nempe vt pecuniæ prædictæ depositatæ penes Monteacutos leuarētur de dicto banco & inuestirentur in emptione grani depositandi penes personas confidentes, & ex retractu venditionis dicti grani ptimo reponeretur sors principalis penes banchum, ex residuo verò Domino Iordano solueretur id, quod ei debeatur vsq; ad integralem summam sibi promissam nomine dotis, residuum verò diuideretur inter prædictas partes: Cumq; postea morte Domini Iordani dissolutum fuisset matrimonium, & veniret dos restituenda, & ex dicto grano factū esset notabile lucrū ascendens ad summā plusquam quatuor milliū scutorū anri, ex eis fuerunt per hæredes Domini Iordani so-

præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 397. part. 2.

buisse supellectilem, & id videtur apparere ex libris societatis, † qui inter socios
1 probant, *Socin. in cons. 243. num. 14. lib. 2. Aym. de antiq. temp. par. 1. nu. 226.* cum enim computum etiam conceptum fuerit (Massaritie di nostra casa deuono,) satis apparet ipsos dicere bona illa pertinere ad domum societatis, & sic ad ipsam societatem, & si in contrarium ponderaretur defalcatio, quæ fit in dicto computo ad rationem decem pro centenario singulo anno, quasi quòd superflua esset, si bona pertinerent ad societatem, quia si perirent, perirent omnibus socijs pro rata, pro qua participant in societate, & consequenter superfluum videtur huius rei computum ad rationem tenere, quod non est, quando pertinerent ad vnum ex socijs; quia tunc necessaria videtur prædicta defalcatio, alioquin breui tempore capitale illius socij, qui bona prædicta in societatem immisisset, cõsumaretur; Responderi potest id fieri à mercatoribus, vt sciant, quantum verè lucrarentur; nam in computo superlucratorum, quod ipsi appellant, (de Auanzi) apponuntur ea, quæ minuunt prædicta superlucrata, inter quæ est consumptio bonorum supellectilium; non enim diceretur superlucratum fuisse hoc anno bis mille, si deterioratio horum bonorum in societate existentium importarent puta quingenta. Neque videtur obstare, quòd in alio computo describatur particulariter debitor Andreas in ducatis 262. per conto di Massaritie di casa, quia aut illa verba debent intelligi ad computum supellectilis domus societatis, & hoc computum pertinet ad illud primum, de quo supra dictum est, & est totum vnum, & etiam fuit postea aptata illa partita: Aut intelligitur ad computum supellectilis domus propriæ Andreæ, puta pro vxore ipsius, vel quid simile, & tunc de vno ad aliud non infertur, & sic hoc non tollit, quin supellex, de qua sub nomine societatis est retentum computum, pertineat ad societatem: In hoc tamen capite bonum esset videre scripturam initæ societatis antiquæ, nam si hæc bona pertinerent ad aliquem ex socijs in particulari, vix fieri posset, quin aliquo pacto de eis fieret mentio in scriptura prædicta: Si autem nulla sit mentio de illis, videtur hoc satis manifestum signum, quòd omnino pertinerent in vniuersum ad societatem: Ad quam verò summã ascendant, quę est secũda difficultas, vnico verbo dici potest ascendere ad summam contentam in dicto computo; nisi in eo sint descriptæ aliquæ partitæ non pertinentes ad illud computum, quod posset particulariter videri; Prætendunt enim Domini duas partitas fuisse descriptas post obitum Andreæ in dicto computo, & id fieri non potuisse: Ex aduerso autem prætenditur fuisse descriptas viuente Andrea; & propterea de hoc esse particulariter docendum. Circa tertiam difficultatem, non videtur probari, quòd illa supellex omnis reperta in domo societatis tempore obitus Andreæ pertineret ad dictum Andream; solum enim scriptura nouæ societatis cantat de scutis 1500. quod non tollit, quin simul in istis bonis esset etiam commixta supellex rationis antiquæ: si enim illa conuersa fuisset in noua societate, & effecta propria d. Andreæ, fuisset computum supellectilis rationis antiquæ solidatum, & de reliqua summa fuisset in libris societatis antiquæ constitutus debitor Andreas nomine proprio, & in libris nouæ societatis fuisset constitutus creditor einsdem summæ, quod factum non reperitur: vnde cum bona vendita transcendant summam scutorum ferè quatuormillium, in hac summa adsunt & illa, 1500. quæ ab Andrea vti propria erant immittenda in noua societate, & summa etiam illorum 1700. quæ pertinebant ad antiquam rationem. Nec obstat, si replicaretur, quòd ob breuitatem temporis, quo durauit societas noua, scripturæ aptatæ non fuerant, quia omisso, quòd hæc in ipsis primis diebus fieri debebant, responderi potest, quòd scripturæ aptatæ fuissent, vel Andreas satisfecisset societati antiquæ de illa summa, si illa vti bona propria immittere in nouam societatem voluisset, vel immisisset propriam supellectilem pro summa scutorum mille quingentorum, iuxta formam conuentionis, quod sibi facile erat, cum vt euentus docet, haberet bona mobilia longe excedentia dictam summam, non enim tenebatur immittere supellectilem maioris valoris, quod apparet ex defalcatione facienda 150. scutorum quolibet anno ad rationem decem pro centenario; si enim pro maiori summa immittere debuisset, maiorem etiam voluisset sibi fieri defalcationem proportionabiliter ad summam immissam. Quo
2 ad quartam difficultatem, cum † in dubio nemo præsumatur iactare suum, vix fit verisimile, quòd Sangalettus voluerit sibi præiudicare; fieri enim potest, quòd non contradixerit, eo quia conuenisset cũ tutoribus, quòd ex pretio illorum bonorum mobilium vendendorum solidaretur computum supellectilis rationis antiquæ,
3 prout euenit, † obseruantia enim subsequuta declarat, quod actum fuerit, *l. sed & Iulianus. §. proinde. ad Macedon.* & quòd ista fuerit intentio tutorum, duæ suadent satis vrgentes coniecturæ; prima persona, cui mandarunt solui tutores, societati scilicet antiquæ iam extinctæ; secunda, summa soluta correspondens adamussim vsque ad medium bonorum

cum

cum summa debita, & dicto computo su-
4 pellectilis: ✝ cum igitur conueniat & persona creditoris & summa debita, ex hoc satis declaratur, qua de causa solutio hæc
5 facta fuerit, vt in simili dicimus, ✝ duas demonstrationes arguere identitatem rei, *ad Bart. in l. demonstratio. num. 16. de cond. & demon.* ex quibus tollitur quinta & sexta difficultas; iungendo enim omnia simul difficile videtur, quòd partita vti erronea potuerit à tutoribus, vt ipsi dicunt stornari, quia latis ex his constare videtur de voluntate ambarum partium.

Maioricen. Legati.
Die Veneris 4. Februarij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Pro sententia & decreto præsumitur; secus est, si sententia non sit de antiquo, & contra eam adsint probationes.*
2 *Subreptio gratiæ, præsertim in facto proprio, reddit gratiam nullam.*
3 *Clausula, si sibi legitimè constiterit, importat partis citationem.*

DECISIO DCI.

PRoposui bis causam; & Domini tenne-runt pro informante, non obstante
1 memoriali ex aduerso dato: nam ✝ quamuis præsumatur pro sententia & decreto *ad doctr. Abb. in cons. 41. lib. 1.* tamen quando sententia non est de antiquo, & contra eam adsunt probationes, secus est, *vt per Gabr. de senten. concl. 4.* prout in casu isto, in quo ex probationibus factis per Bouct-
2 tum ✝ apparet de subreptione gratiæ, & etiam in facto proprio, ex quo redditur gratia nulla, *Fab. decis. 17. Mobedan. 333.* Neque enim cum Collectore fuit controuersia super bonis relictis causæ piæ, vt ipsemet testatur, neq; esse poterat, cum non essent Episcopi: vnde resultat subreptio; Item ex eo quòd narrat impetrans vxorem suam fuisse neptem testatoris, quod satis redditur falsum, ex depositionibus primi, secundi, quinti, & vndecimi testium; Item ex sexto ex confessione Episcopi; octauo ex confessione matris, & nono ex confessione matris & filiæ: Adest enim vrgentissima præsumptio euitandi incestus, *Io. Andr. in c. fin. col. 1. de success. ab intest. Aym. cons. 6. num. 69. & 859. nu. 6.* Accedit, quòd non constat de consensu Ioannis & quòd non fuerunt citati exequu-
3 tores; & tamen aderat ✝ clausula, si sibi legitimè constiterit, quæ importat partis citationem, *Aegid. decis. 68.*

Anconitana Vineæ.
Die Veneris 4. Februarij. 1583.

SVMMARIVM.

1 *Præscriptio statutaria tollit omnem actionem.*
2 *Titulus transactionis virtualiter continet diuisionem.*
3 *Bona fides oritur ex præsentia iudicis & consanguineorum.*
4 *Bona fides in præscribente præsumitur.*
5 *Ad resarciendam læsionem competit officium iudicis.*
6 *Dolus in re constituit in mala fide.*
7 *Mala fides impedit præscriptionem.*
8 *Sublata actione per præscriptionem etiam statutariam, sublatum quoq; dicitur quodcumq; remedium, per quod iudicialiter vel extraiudicialiter quis inquietari possit.*
9 *Officium iudicis tollitur eodem modo & tempore, quo tollitur actio, quæ pro læsione competit, quando succedit loco actionis.*
10 *Vbi datur læsio, non semper est verum, quòd datur dolus re ipsa impediens præscriptionem.*
11 *Remedium l. 2. C. de rescind. vend. præscribitur spatio triginta annorum.*
12 *Transactionis titulus an & quando præbeat vsucapiendi conditionem.*
13 *Verbum, dederunt, denotat rem esse traditam, non autem dimissam penes illam habentem.*
14 *Ex transactione tribuitur titulus.*
15 *Mala fides in tutore nocet pupillis, secus in præscriptione, & n. 19.*
16 *Mala fides in Prælato nocet Ecclesiæ in præscribendo.*
17 *Mala fides non arguitur ob errorem circa valorem rei.*
18 *Ex eo quòd quis sit creditor, non arguitur mala fides, quæ præscriptionem impediat in re pro credito retenta.*
20 *Pater legitimus administrator nomine pupilli possidentis bona materna, in eis vsumfructum tantum habere potest.*

DECISIO DCII.

FVit resolutum Lauræ agenti obstare exceptionem præscriptionis statuta-
1 riæ, ✝ ex cuius dispositione omnis actio spatio viginti annorum tollitur; in casu enim, de quo agitur, adest sufficiens spatium temporis, nempe viginti duo anno-
2 rum, ✝ adest etiam titulus transactionis, quæ virtualiter continet diuisionem, *l. 1. C.*
3 *com. vtr. iud. cũ alijs allegatis*, * tum ✝ etiã possessio continuata & bona fides, quæ oritur ex præsentia iudicis, qui interfuit transactioni, & consanguineorum, *vt per Bart.*

* Scilicet in d. l. 1. nu. 4. & ibi etiam glo. C. com. vtr. iud.

Bart. in l. cum solum. nu. 1. de vsucapion.
4 *Ias. in l. pacta nouissima. C. de pact.* † & bo-
na fides in præscribente præsumitur, *glos.*
& communiter Doctor. in c. Sanctorũ. & in
c. si diligenti. & c. fin. de præscript. Couar.
in regul. possessor. in 2. part. §. 8. n. 2. Ex qui-
bus resultat fundamentum intentionis pro
parte mulierum de Clarotijs. Neq; obstat,
5 quòd ex aduerso opponitur † competere
officium iudicis ad resarciendam læsionem
6 *vt per Calcan. cons. 74. num. 37.* & id † ra-
tione doli in re ipsa, qui constituit in mala
7 fide, † quæ præscriptionem impedit, *c. fin.*
de præscript. nam cum statutum lapso illo
tempore prohibeat, ne possessor molestetur
8 aliqua occasione, modo vel causa, † dici-
tur nedum sublata actio, sed etiam quod-
cunq. remedium, per quod iudicialiter vel
extraiudicialiter inquietari quis possit,
Socin. iun. in cons. 113. num. 38. lib. 1. Ruin.
9 *cons. 77. nu. 6. & 7. lib. 2.* Præterea † offi-
cium iudicis tollitur eodem temporis spa-
tio, quo tollitur ipsa actio, quando succe-
dit loco actionis, *Balb. de præscript. quarta*
part. tertiæ quæst. principal. num. 101. Non
10 obstat, quod † vbi datur læsio, datur do-
lus re ipsa impediens præscriptionem; quia
11 contrarium verius est, † cum remedium
l. 2. C. de rescind. vend. præscribatur spa-
tio triginta annorum, *vt per Cagnol. ibi*
num. 194. Pinell. ibid. in 2. part. c. 1. num.
26. Neq; obstat, quòd cum statutum re-
12 quirat titulum transactionis, † titulus
non sit talis, qui præstare possit vsucapien-
di conditionem, quando per eum res non
traditur, sed dimittitur penes habentem
l. si pro fundo. C. de transact. quia hoc pro-
cedit, vbi transigitur super instrumento,
non autem quando transigitur super re ip-
sa; tunc enim tribuit titulum, *Bald. in l.*
si inter vos. C. comm. vtr. iud. Ias in d. l. si
pro fundo. C. de transact. & ibi Iacob
de S. Georg. in fin. & ex lectura ipsius
transactionis apparet de rei transactio-
ne, & quod nullus deinceps molestari
possit, *Corn. in cons. 16. num. 4. lib. 2.* quod
13 arguit etiam † verbum, dederunt, *§. sic*
itaq. Instit. de action. Ruin. cons. 187.
14 *num. 6. lib. 2.* & † quod ex transactione
tribuatur titulus, tradunt *Corn. d. cons. 16.*
nu. 5. & Alex. cons. 24. num. 19. lib. 5. Non
obstat, quòd Clarotius sciret vineam non
fuisse in bonis Lauræ; & ideo fuisse in mala
15 fide, † quæ in tutore nocet pupillis,
16 prout † in Prælato nocet Ecclesiæ, quia
cum data fuerit Clarotio in dotem, potuit
verisimiliter credere, fuisse post obitum
primi mariti consignatam Dianæ pro dotis
17 restitutione: Præterea † error est tantum
circa valorem; indubitatum enim est Dia-
18 nam fuisse creditricem dotis suæ; † &
ideo non arguitur talis mala fides, quæ im-
pediat præscriptionem, vt supra dictum
est, exemplo remedij competentis. *ex l. 2.*
19 *C. de rescind. vend.* Pręterea † mala fides
tutoris non nocet pupillo, *vt tradit Balb.*
de præscription. post Bald. quem allegat in
2. par. 3. part. principal. q. 16. Neque simile
de Prælato procedit, quia in pluribus dif-
ferunt, *vt per Bero. in c. 1. num. 36. de iudic.*
Neq; obstat quod dicitur pupillos tunc non
20 possedisse, quia † bona materna per patrē
legitimum administratorem nomine eo-
rum possidebantur, & ipse tantum vsum-
fructum habebat, *l. 1. & 2. C. de bon. matern.*
Et ex his conclusum habere locum præscri-
ptionem statutariam.

Firmana Bonorum.
Die Lunæ 7. Februarij. 1583.

SVMMARIVM.

1 *Sententia lata super restitutione spolij pro-*
uenientis à nullitate sententiæ, an dica-
tur continere mixturam.
2 *Res iudicata impedit exequutionem sen-*
tentiæ in petitorio si sit iusta, aliàs se-
cus.
3 *Decretum iudicis in datione tutoris testa-*
mentarij respicit tantum administra-
tionem, non autem dationem.
4 *Tutor potest nomine pupilli hæredis lega-*
tario tradere rem legatam sine decreto
iudicis.

DECISIO DCIII.

FVit per Dominos conclusum, senten-
tiam, de qua agitur, esse latam in me-
ro possessorio; & ideo exequendam iuxta
terminos Constitutionis Ægidianæ, dum-
modo sit iusta, quod erit particulariter vi-
1 dendum: nam quod obijcitur, † eam con-
tinere mixturam, cum sit lata super restitu-
tione spolij prouenientis à prætensa nulli-
tate sententiæ latæ in remedio *leg. fin. C. de*
edict. Diu. Adr. toll. hoc nihil est, nisi com-
plicatio explicitè contineatur in sententia,
& ita resolutum fuit coram R. P. D. meo Al-
dobrandino in causa Tiburtina Castri Sam-
2 *buci.*[a] Non obstat † res indicata in petito-
rio *l. Diffamari.*[b] quia bene obstabit, si erit
iusta, aliàs non. Vltimo non obstat nullitas
opposita ex defectu Iurisdictionis; quia non
fuit lata in causa appellationis super pos-
sessorio, sed tanquam in prima, & in com-
missione aderat clausula, necnon quam &
quas. Quæ faciunt difficultatem super
iustitia sententiæ hinc inde sunt ista; Pri-
mo, an constet de bono iure Montani in
petitorio respectu dispositionis Montani
senioris. Secundo an sententia prima sic
valida; quia licèt solemnia non impleue-
3 rit tutor, tamen † ex quo erat testamenta-
rius, decretum iudicis respicit tantum ad-
ministrationem non autem dationem,
vt per Angel. in §. fin. Auth. vt hi qui oblig.
Ter-

[a] sub die 1. Iulij 1577. in impress. diuers. nouiss. 263. par. 1.

[b] l. diffamari. C. de ingenuis. ma-

Tertio an dicta prima sententia sit iusta, cũ
licuerit Montano ante aditionem hæredita-
tis capere possessionem bonorum legato-
rum propria auctoritate, *ad glos. & Bart. in l.non est dubium.C.de legib.* maximè cum
Vulpatius esset tutor Isabellæ & Franciscæ,
4 † qui poterat, rem legatam tradere Mon-
tano sine decreto iudicis, *l. magis puto. §. si fundus. de rebus eorum.* Dubitabatur itaq;
An sententia Maceratensis sit iusta ad ef-
fectum, vt sit exequenda; ideo partes super
præmissis informent.

Ceruien. Bonorum.
Die Lunæ 7. Februarij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Masculinum in contractibus non concipit fœmininum, & quando illud concipit est potius ex quadam interpretatione siue extensione, quàm ex proprietate sermonis, vt est communis opinio.*
2 *Inuestitura cantans in nepotes an comprehendat neptes.*
3 *Stipulatio concepta tantum pro hæredibus & non pro filijs comprehendit etiam fœminas.*
4 *Verbum, hæres, est commune tam masculo quàm fœmina.*
5 *Stipulatio concepta pro filijs & hæredibus, an requirat vtrumq; copulatiuè.*
6 *Verbum, liberis, capit tam masculos quàm fœminas ex sui proprietate.*
7 *Appellatione liberorum veniunt nepotes, sed non filij filiarum; nisi quando filiæ sunt vocatæ, & hoc procedit, si fœmina sit, quæ stipulatur; secus si masculus sit stipulator.*
8 *Masculinum non concipit fœmininum in contractibus, quando apparet de mente disponentis, quòd noluerit comprehendere fœminas.*
9 *Inuestitura cantans in nepotes non comprehendit neptes, bene potest vigore facultatis in inuestitura data illas nominandi disponi, quòd habilitentur, & tunc non dicentur simpliciter comprehensæ, sed habilitatæ, vt nominari possint.*
10 *Emphyteusis concessa pluribus, vno deficiente aperitur Ecclesiæ nec est locus iuri accrescendi.*

DECISIO DCIV.

DVbitatum fuit, an Domina Lucretia
comprehensa sit in inuestituris, de
quibus agitur, & an saltem sit de nouo in-
uestienda, & circa primam partem dubij
pars D. Lucretiæ restringit se in effectũ ad
inuestiturã anni 1496. quæ recepta est à Do
minico Caranello filio Mauri pro se & pro
Mauro filio Petri, & pro Presbytero Andrea
Caranellis, & pro filijs filiabusq; & nepoti-
bus, hæredibus, circa quam duæ cadunt
inspectiones: Prima, an Domina Lucretia
sit comprehensa: secunda quomodo, an
scilicet per viam successionis vel potius per
viam nominationis. Quantum ad primam,
regula est contra Dominam Lucretiam,
1 quod † Masculinum in contractibus nõ cõ-
cipit fœmininum; & ratio est, quia quando
cõcipit fœmininũ, hoc nõ est ex proprietate
sermonis, sed ex quadam interpretatione
siue extensione, *l. inter stuprũ. in fin. de verb. sign. l. seruis legatis. in princ. de leg. 3. vbi tex. in l. cũ adoptiui. §. quæ in filio. C. de adoption. l. pen. in fin. C. de Præposit. sacr. cubic. lib. 12. l. qui duos. de leg. 3. l. pronunciatio. de verb. sign. l. 1. §. de eo. de pecul. quicquid ex aduerso dicat Rebuff. in l. 1. de verb. sign. fol. 9. vers. ego verò, quia loquitur contra cõmunẽ, de qua per Gabriel. de verb. sign. concl. 6. n. 39.* & ideo
2 † huiusmodi inuestitura, quæ cantat de ne-
potibus, non comprehendit neptes, *vt post Guid. de Suzar. tradit Archid. in c. si quis suadente. 17. q. 4. Tiraq. qui multos cumulat de retract. lignar. §. 1. glos. 9. n. 181. Clar. in §. emphyteusis. q. 32. in vers. sed quid. Gabr. de verb. sign. concl. 6. n. 87. & 89. Roland. qui plures cumulat in cons. 39. n. 17. lib. 2. Rip. in l. ex facto. §. si quis rogatus. n. 59. ad Trebell. Curt. iun. cõs. 321. n. 15. lib. 3. Marsil. sing. 199 Ias. in l. si quis id quod. n. 21. de iurisd. omn. iud.* Huic conclusioni ex aduerso dantur
nonnullæ limitationes; quarum prima est,
quòd nõ vocati sunt filij & nepotes simpli-
citer sed cum adiectione hæredis, quo casu
venire etiã fœminas, *Alex. in l. sed si hac. §. liberos. n. 3. de in ius vocand.* sed hæc limitatio
patitur magnã difficultatẽ; nam Doctores
3 eam tenentes, aut loquuntur, † vbi stipula-
tio est tantum concepta pro hæredibus &
non pro filijs; ideo nihil mirũ si comprehen-
4 duntur etiam filiæ, quia † iste terminus hæ-
res est communis tam fœminæ quàm mascu-
lo, *vt ibi dicit Alex. & ita loquitur Dec. in cons. 32. Bero. q. 18. & cons. 93. n. 26. lib. 1. Riminald. iun. cons. 44. n. 20. Socin. iun. cons. 79. n. 6. lib. 4.* & iste non est casus noster, aut lo-
quuntur retenta opinione *Bart. in l. Gal-*
5 *lus. §. & si parẽte. de lib. & posth.* quòd † quã-
do dicitur filijs & hæredibus, non requira-
tur vtrumq; copulatiuè, & ita loquitur
Alexand. in d. §. liberos. Ias. in d. l. si quis id quod. n. 25. Gozad. cons. 20. nu. 7. sed opinio
Bart. est communiter damnata, Ias. in l. 2. nu. 188. C. de iur. emphyt. Paris. qui de communi cons. 48. num. 10. lib. 4. Clar. in §. emphyteusis. q. 37. Vnde satis liquet eos con-
trarium sentire, si vtriusq; qualitatis con-
6 cursus requiratur in dictione, liberis, † quæ
capit ex sui proprietate masculos & fœ-
minas, & iste non est casus noster; & ita
procedunt dicta *Alexand. in cons. 61. & cons. 80. num. 14. lib. 1.* & præcipuè ra-
tione vitandi absurdi; nam † cum appel-
latione liberorum veniant nepotes, vtique
filij filiarum comprehenderentur, nõ autem
filiæ.

filiæ, quæ sunt proximiores, *contra l. si viua matre. C. de bon. mater. & ita procedunt consil. Ruin. allegata à Gabr. in d. conclus. 6. num. 95. nempe consil. 178. lib. 2. & 43. & 51. vol. 3. & ita etiam loquitur Dec. in consil. 223. num. 2. quicquid in contrarium senserit Menoch. d. cons. 111. num. 51.* vnde cum sint vocatæ filiæ, censeri appellatione nepotum comprehensas neptes; Sed neque ista limitatio placebat; quia illud procedit, quando fœmina stipulatur pro se & filijs ex eius coniecturata mente, *vt latè per Roland. in cons. 76. num. 6. lib. 3.* sed hic masculus est stipulator, qui quando voluit fœminas exprimere, id fecit, *Corn. in cons. 49. num. 2. & cons. 271. num. 19. lib. 4. Alex. cons. 45. num. 9. lib. 7. Gabr. d. concl. 6. num. 18.*
8 & ratio est, quia † apparet non esse mentem disponẽtis comprehendere fœmininum sub masculino, quod confirmatur ex alia clausula renouationis eodem modo concepta; & ideo frigida est responsio, quã adfert *Menoch. in d. cons. 111. num. 62.* Secunda inspectio, quomodo sint vocatæ filiæ, non tangitur per informantes; tamen videbatur Dominis causæ resolutionem esse faciliorem, & vocationẽ earum non esse absolutam, sed tantummodo datam facultatem nominandi, aliàs tota illa clausula, quæ incipit (hoc tamen acto) esset superflua: Præterea cum in euentum talis nominationis imponatur onus sumendi nouam inuestituram cum so-
9 lutione decem ducatorum auri, † apparet non esse comprehensas simpliciter in priori dispositione, sed habilitatas tantum, vt possint nominari, prout ille, qui nominaretur ex familia deficientibus omnibus alijs. Nec obstat, quòd detur facultas Andreæ presbytero substituendi sibi dictos Dominicum, & Maurum eorumque filios, & in euentum quòd non existerent in rerum natura, alium
10 de familia; hoc enim factum est, quia † ab initio ista emphyteusis fuerat pluribus concessa; & ideo vno deficiente aperiebatur Ecclesiæ, neque erat locus iuri accrescendi; *cap. 1. de duob. fratr. à Capit. inuestit. vbi Doctor. Bald. in cons. 280. num. 3. lib. 3.* Et ex his conclusum Lucretiam non comprehendi in dicta inuestitura. Quantum verò ad alias inuestituràs, quia eadem pars non insistit; & inuestitura anni 1549. non est in forma probanti, fuerunt omissæ. Quantum verò ad secundam partem dubij, an saltem sit de nouo inuestienda Domina Lucretia, Domini ordinarunt, vt particulariter audiatur, quia altera pars in hac positione super hoc capite non informat.

Placentina Decimarum.
Die Veneris 11. Februarij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Bona patrimonialia militum militiarum aliunde prouenientia, quàm ex militijs super exemptione decimarum concessis ab earum solutione non dicuntur exempta.*
2 *Priuilegia sunt strictè intelligenda; præsertim quando agitur de præiudicio tertij.*
3 *In priuilegijs verba non plus operantur, quàm ipsa sonent.*
4 *Priuilegium communicatiuum nihil plus tribuit, quàm contineatur in communicato.*
5 *Singula singulis congruè sunt referenda, quatenus capacitas & habilitas patiatur.*

DECISIO DCV.

1 FVit resolutũ, † bona patrimonialia militum de Alcantara, & aliunde quàm ex militia prouenientia non esse exempta vigore priuilegiorum allegatorum, à præsta-
2 tione decimarum; † cum enim hic agatur de præiudicio tertij, priuilegia sunt strictè intelligenda *c. ex tuarum. de auctor. & vs.*
3 *pal. Socin. cons. 266. num. 56. lib. 2.* & † in priuilegijs verba non plus operantur, quàm ipsa sonent, *c. porrò. de priuileg. Alex. cons. 86. num. 2. vers. nec obstat. lib. 1.* Præ-
4 terea † cum priuilegium hoc sit communicatiuum, nihil tribuere potest, plus quàm contineatur in communicato, quod indubitatum est non complecti bona patrimonialia, quæ non habent Cistercienses Monachi, sed religiones tantum *l. 1. de leg. 2. & ibi Doctor. Paris. cons. 22. num. 5. lib. 4.* Non obstat, quòd priuilegium redderetur inutile respectu militum, qui carent Commendis; quia plura continentur in priuilegijs, quibus gaudent omnes indistinctè, veluti sunt Indulgentiæ, exemptio, & similia. Quantum verò ad bona, hæc communica-
5 tio ita est intelligenda, † vt singula singulis congruè referantur, quatenus capacitas & & habilitas patiantur, vt in ijsdemmet priuilegijs *resolutum fuit in causa Caurien. iurisdictionis coram R. P. D. Cantuccio. 26. Nouembris 1576**. & ita censuerunt omnes Domini nullo prorsus reclamante.

* in impress. diuers. nouiss. dec. 14. p. 2.

Romana Pensionis,
Die Lunæ 14. Februarij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Constitutio generaliter loquens in princi-*

pio dispositiuæ, generaliter de omnibus est intelligenda, de quibus in dispositione narratum fuit.

2 *Declaratur Bulla Leonis X. reformationis Curiæ edita in Concilio Lateranensi.*

3 *Dictio, huiusmodi, est relatiua, seu repetitiua omnium præcedentium, & n. 14.*

4 *Relatio regulariter fit ad proximè præcedentia.*

5 *Appellatione Ecclesiarum veniunt Monasteria; maximè in materia fauorabili, secus est strictè, vt n. 8.*

Item secus est si ex principalis dispositionis narratiua aliud sit dicendum, vt nu. 15.

6 *Materia dicitur fauorabilis, quæ nos reducit ad iuris dispositionem.*

7 *Papa disponendo super Ecclesiis non intelligitur comprehendere Monasteria, nisi verbis expressis de illis disposuerit.*

9 *In materia stricta, stricta etiam & non larga retinenda est verbi significatio.*

10 *Dignitas Pontificalis dicitur culmen dignitatum, cum in Ecclesiastica Hierarchia non sit maior ordo Episcopali.*

11 *Papa vocat se Episcopum.*

12 *In Episcopali dignitate iura maximè abborrent mendicitatem.*

13 *Cathedrales non excedentes mille vigore sacri Concilij Tridentini pensione grauari non debent.*

16 *Lex disponit de ratione, non autem ratio de lege.*

17 *Consuetudo est optima legum interpres.*

DECISIO DCVI.

IN Bulla reformationis Curiæ edita per Leonem X. in Concilio Lateranensi adest huiusmodi decretum; Et quoniam Ecclesijs huiusmodi absque aliqua fructuum diminutione prouideri decet, vt tam dignitati præsidentium, quàm Ecclesiarum & ædificiorum necessitati consulatur; decernimus pariter ac statuimus, vt super earundem Ecclesiarum fructibus pensiones minimè reseruentur nisi ex resignationis causa, aut etiam alia, quæ in secreto nostro Consistorio iusta, probabilis, & honesta habita fuerit; Dubitatum fuit, An huiusmodi decreto solæ Ecclesiæ Cathedrales comprehendantur, vel etiam veniant sub eo Monasteria Consistoralia; Et pro parte affirmatiua plura deducebantur;
1 Et primo † Constitutionem generaliter in principio dispositiuæ loqui de Ecclesijs Patriarchalibus, Metropolitanis, & Cathe-
2 dralibus, & Monasterijs; † & ideo cum postea dicatur, & quoniam Ecclesijs huiusmodi, intelligendam esse hanc dispositionem de omnibus Ecclesijs supra recensitis; quod & secundo confirmabatur ex textu ipsius Constitutionis; nam *in §. quoniam ex commendis*, qui immediatè præcedit *§. quoniam Ecclesiis*. de cuius interpretatione agitur, tota dispositio versatur circa Monasteria, scilicet ne dentur in Commendam, & cum commendari contigerit, certa pars fructuum reseruetur pro instauratione fabricæ & alijs necessarijs, & quomodo litteræ super Commendis expediri debeant: Deinde sequitur *§. & quoniam Ecclesiis huiusmodi*. qui cum habeat relatio-
3 nem ad præcedentia, † dictio enim, huiusmodi, est relatiua omnium præcedentium, *vt per Paris. in cons. 40. num. 8. in 4.* si comprehendit Ecclesias Cathedrales, multo magis debet complecti etiam Monasteria, de quibus immediatè actum fue-
4 rat; † relatio enim regulariter fit ad proximè præcedentia. Tertio videbatur multum facere ratio illa, quòd huiusmodi Ecclesijs absque aliqua fructuum diminutione prouideri decet, quæ non solum Cathedralibus conuenit sed etiam Monasterijs, *tot. tit. vt Ecclesiast. benef. sin. dimin. confer. Aym. in cons. 227. num. 6.* Quarto suadebatur, ex quo cum identitate rationis con-
5 currit verborum proprietas; nam † appellatione Ecclesiarum veniunt Monasteria, *c. cum dilecta. de rescript. Domin. post Io. Andr. in c. 2. num. 6. de restit. in integr. in 6.* maximè in materia fauorabili, *vt per Card. in Clement. 2. q. 3. num. 11. de iudic.*
6 † materia autem fauorabilis dicitur, quæ reducit nos ad iuris dispositionem. Quinto confirmabatur ex vsu patrisfamilias; nam supra Leo appellatione Ecclesiarum comprehenderat etiam Monasteria, nempe in *§. statuimus*. in illis verbis, nisi ratione vtilitatis Ecclesiarum, quæ referuntur ad omnes Ecclesias, de quibus mentionem fecerat, inter quæ erant etiam Monasteria, & eodem modo etiam vsus est in sequentibus, veluti *in §. volumus. sub tit. de Cardinalibus*. & hoc pacto tam ex præcedentibus, quàm subsequentibus declarari potest, *l. si seruus plurium. §. fin. de leg. 1. Ruin. cons. 114. num. 3. lib. 3.* Postremo pro hac interpretatione facit auctoritas *Gigant. in tract. de pension. q. 4. nu. 3.* His tamen non obstantibus maior Dominorum pars amplexa est contrariam sententiam, propter auctoritatem Rotæ, quæ aliàs ita sensit, *prout refert Thomas de Tan. decis. 89. Concilium Lateranense*; & quamuis in ea sola auctoritas Rotæ antiquæ allegetur, non tamen visa est Dominis rationibus probabilibus destituta: Et pri-
7 mo ponderatum fuit, quòd † quando Leo voluit exprimere Monasteria, id fecit verbis expressis, idq. pluribus in locis, *vt in §. statuimus*. & maximè ibi Ecclesijs seu Monasterijs huiusmodi, & alio in loco in materia

ria indifferenti, nēpe *in §. quinimo.* vbi agitur de relatione, quæ fit à Cardinalibus in Consistorio, ibi Ecclesiæ seu Monasterij re-
8 latio &c. Secundo consideratum est ✝ appellatione Ecclesiarum strictè non venire Monasteria, *vt per Abb. in c. 2. num. 1. de*
9 *consuetud.* & ideo ✝ in materia stricta retinendam esse strictam & non largam verbi significationem, *Gemin. in c. grandi. sub nu. 11. col. 3. vbi Franc. num. 8. de suppl. negl. Prælat. in 6.* esse verò materiam strictam hanc, in qua agitur de restringenda potestate Papæ, ne extra Consistorium pensiones imponat. Tertio deductum fuit rationē Constitutionis in ea parte, in qua considerat dignitatem Præsidentium non tam conuenire Monasterijs quàm Cathedrali-
10 bus Ecclesijs, ✝ cum dignitas Pontificalis sit culmen dignitatum, *c. venerabilibus. de præben. glos. in c. 2. vers. dignitatum. de præben. in 6.* & in Ecclesiastica Hierarchia non est maior ordo Episcopali; & ideo
11 ✝ Papa vocat se Episcopum, *Bertrand. in*
12 *cons. 73. num. 10. in 2. prim.* & ideo ✝ in huiusmodi dignitate iura maximè abhorrent mendicitatem, ne serenitas Pontificalis obnubiletur dignitatis, vt inquit Papa *in Clem. in plerisque. de electiõ.* & ideo in Sacrosancto Concilio Tridentino *sess. 24.*
13 *c. 13. de reform.* ✝ prohibetur ne Cathedrales non excedentes mille grauentur pēsione, quod de Monasterijs sancitum non inuenitur, ex quo satis clarè demonstratur rationem Constitutionis magis conuenire Cathedralibus quàm Monasteriis. Quarto videbatur facere, quòd exprimitur inter causas Constitutionis, vt Ecclesiarum & ædificiorum necessitati consulatur; quæ res videtur otiosa, si Constitutionem respectu Monasteriorum intelligamus, ijs enim iam fuerat supra pro necessitatibus fabricæ prouisum, & ea pars iam erat subducta à reliquis fructibus, qui immunes & liberi supererant ab omni fabricæ onere, & quamuis dici possit prouisionem illam supra factam fuisse in euentum tantum, quòd Monasteria commendarentur, sed vbi dantur in titulum, non fuisse de necessitatibus fabricæ prouisum: tamen negari non potest, quòd huiusmodi dispositio non conuenit Monasterijs Commendatis, quale est Monasterium, de quo agitur: Vnde ne eadem res diuerso iure censeatur, rationi magis congruere videtur, vt simpliciter dicamus Monasteria hoc decreto non comprehendi.
14 Neque obstat, ✝ quòd dictio, huiusmodi, repetitiua sit præcedentium, quia animad-
15 uertendum est, ✝ quòd in principali dispositione appellatione Ecclesiarum non fuerunt comprehensa Monasteria, sed separatim de his facta fuit mentio, inquit enim Papa, statuimus, vt deinceps Patriarchalibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesijs, & Monasterijs &c. ecce quomodo distinxit Ecclesias à Monasterijs: Vnde consequens est, vt verba illa, Ecclesijs huiusmodi, posita in decreto, de quo agitur, intelligantur de Ecclesijs Patriarchalibus, Metropolitanis & Cathedralibus, non autem de Monasterijs, quæ eo loci noluit Ecclesiarum appellatione venire. Quod ex eo confirmari potest, quòd quando voluit repetere omnes prædictas Ecclesias & Monasteria *in d. §. statuimus. vers. etsi de minoribus*, dixit Ecclesijs & & Monasterijs huiusmodi, qua eloquntione vti potuisset in decreto isto, si etiam de Monasterijs loqui voluisset. Neque obstat, quòd ratio illa, vt sine diminutione conseruentur, conueniat etiam Monasterijs; tum quia non est sola ratio huius decreti; tum quia generalior est quàm decretum ipsum; conuenit enim omnibus etiam alijs benefi-
16 cijs; & tamen non fit extēsio ad alia, ✝ nam lex disponit de ratione non autem ratio de lege, *Corn. in cons. 121. num. 9. vol. 3.* Et ex his conclusum decisionem allegatam ratione probabili non carere, eamque nisi aliud concludentius deducatur, amplectendam esse; si tamen aliquid circa obseruantiam per partes deducetur, id ma-
17 gnopere Dominis placebit, ✝ optima enim legum interpres consuetudo est.

Fauentina Bonorum.

Die Mercurij 9. Martij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Testis non remouens sensum ab actu non concludit, & non probat negatiuam.*
2 *Testes deponentes de affirmatiua præferuntur in concursu.*

DECISIO DCVII.

DVbitatum fuit, an locus, de quo agitur, vocetur Monagura, & per Dominos conclusum fuit pro affirmatiua ex dictis Michaelis ad decimum tertium; Caroli Santoni ad idem & super primo; Cortesij Raudi ad nonum, & super primo additionali; Matthæi iuxta nonum, & decimumtertium; concurrunt etiam testes Canonicorum Ioannes Zagarolius, & Feragutius iuxta 52. & partitæ Catastorum, quæ ex planta bene verificantur; sed quia vis dubij stat in effectu, qui est, an ita iste fundus sit Monagura, vt excludat Madrariam; Domini censuerunt ex deductis non excludi, quin sit quoque fundus Madrariæ, quod probari dixerunt; Primo ex planta; Secundo ex testibus Communitatis, nempe Ioanne Thoma, Marco Guidone, &

Christophoro; prout in summario Canonicorum ex partibus, de quibus in numero 6. & 7. quamuis sint facti lite pendente: Tertio ex renouatione de anno 1545. Quarto ex instrumento, de quibus num. 10. & 11. de anno 1567. & 1575. & ex libro subsidij triennalis, quæ omnia simul iuncta visa sunt Dominis constituere sufficientem probationem; maximè cum testes Communitatis bene probent extra eam, & ex reliquis sunt adminiculati. Neque obstant scripturæ denominantes fundum Monaguræ vel arboris mali consilij, quæ inuicem se compatiuntur, & reuera Monagura, & Arbor mali consilij sunt nomina designantia potius nomen ab accidenti appositum, quàm nomen proprium ipsius fundi, & nomen Madrariæ fuit antiquius quàm Monaguræ: Neque testes Communitatis hoc excludunt ex depositione affirmatiua, quia fieri potest, vt quamuis dictus fuerit fundus Monaguræ, fuerit etiam dictus fundus Madrariæ. Neque obstat, quòd articulus, quem dicunt esse verum, habeat explicitam

1 negatiuam, quoniam † dictum testis non potest concludere, cum articulus non concludat, non enim remouet sensum ab actu, quia non dicit, quòd non potuisset dici Madraria, quia ipsi scirent, *Bald. in l. 1. num. 7. C. de bon. possess. secund. tab.*

2 & † in concursu testes deponentes de affirmatiua præferuntur, *glos. in l. diem proferre. §. si plures. de arbitr. Dec. in cons. 173. in fin. Paris. cons. 67. & 117. in 3. Ruin. cons. 12. num. 5. lib. 5.* si tamen super hac secunda parte Communitas velit audiri, quia informantes pro ea restrinxerunt se ad primam partem, audiatur: Item poterit particulariter discuti, quo pacto intelligendi sint fines descripti in instrumento concessionis factæ Vacolinis respectu Monaguræ, quam Communitas prætendit constituere quartum confine.

Romana Pecuniaria.

Die Lunæ 14. Martij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Camera succedit in locum Beneficiati, etiã in fructibus decursis in eius vita.*

2 *Nomen debitoris dicitur esse de loco, in quo adest creditor.*

3 *Vbi agitur de successione magis attenditur locus, in quo est creditor, quàm vbi fieri potest exactio.*

DECISIO DCVIII.

Iterum proposui causam, quæ de integro fuit votata, ex eo quòd Reuerendæ Cameræ Apostolicæ Commissarius pro eiusdem Reuerendæ Cameræ interesse comparuit, & informauit, tamen nihil fuit decisum: Aliqui enim ex Dominis defendebant pecunias, de quibus agitur cadere sub spolijs, sed ijsdem diuersis insistebant argumentis; quibus enim placebat has pecunias esse spolia adinstar reliquorum bonorum possessorum per Beneficiatos, quæ ex redditibus Ecclesiarum sitarum in locis, in quibus adsunt Collectores, in eis Camera succedit. Neque obstare bullas Iulij III. illas enim procedere respectu hæredum Beneficiati, non autem respectu Cameræ Apostolicæ: alijs placebat ideo has pecunias ad Cameram spectare, quia cum hic in Vrbe adsit Reuerendissimus Dominus Thesaurarius generalis Collector spoliorum, & istæ pecuniæ hic esse intelligantur, ex quo tam de iure quàm de facto exigi possunt, de ijs iudicandum vti de re sita in loco, in quo adsunt Collectores *iuxta textum in l. Titium & Mauium. §. tutores. de admin. tutor.* Alij in argumentum adducebant decisionem *aliàs coram me factam in causa Romana de Soderinis*, [a] in qua creditum, quod habebat bon. mem. Cardinalis Soderinus cum Francisco Primo Galliarum Rege fuerat iudicatum cadere sub spolijs;

a sub die 11. Nouembris 1577.

1 maximè † cum isti fructus essent temporis decursi in vita bon. mem. Domini Commendatarij, in cuius locum succedit Camera, *vt per Rot. tit. de præbend. in antiq.* Placebat etiam vni ex Dominis hoc creditum verè esse Vrbis Romæ, ex quo Summus Pontifex concurrit in dominio bonorum Ecclesiasticorum cum cæteris particularibus Ecclesijs; & ideo applicari sententiam Doctorum dicentium;

2 † nomen debitoris esse de eo loco, in quo adest creditor. Contrariam sententiam defendebant alij, & præcipuum fundamentum fiebat in eo, quòd neque istæ pecuniæ essent spolia, cum nunquam fuissent in peculio clerici; neque de his reperiretur aliqua reseruatio; & ideo tam ex iuris communis dispositione, quàm ex Constitutione Iulii, eas spectare ad Ecclesiam siue successorem. Neq. quòd hic exigi possint obstare, quia ex eiusdem Bullæ tenore spectandum sit, quo in loco situm sit beneficium, à quo proueniunt, non autem quo in loco isti fructus fuerint transportati; & ideo licèt verè hic in Vrbe adessent ipsi ijdem fructus collecti ex prædijs Ecclesiæ; non tamen ideo dominium Ecclesiæ cuius sunt, interuersum censeri, sed neque re vera tempore obitus bon. mem. Domini Commendatarij posse dici fuisse in Vrbe, cum nondum dies solutionis aduenisset, & etiam hoc

3 admisso; † Vbi agitur de successione magis spectandum locum, in quo est creditor, quàm vbi fieri potest exactio, *ex his, quæ tradit*

dit Alex. in cons. 31. lib. 1. & Tiraq. qui alios refert de primogen. q. 49. num. 9. & in fin. maximè cum exactio non solum Romæ, sed etiam in loco domicilij debitoris fieri possit, *l. 1. 2. & 3. ff. de eo quod cert. loc.* Neque obstare argumentum, quod de dominio Papæ deducitur, pro cuius solutione videatur *Nauar. tract. de spol. §. 4. per totum, & præcipuè num. 3. quod aliàs deduxi ex Reuerendiss. Sarmiento de redditib. Eccl. part. 1. c. 1. nu. 22.* Fuerunt etiam aliqui ex Dominis, qui dubitabant, an possent dici isti fructus reseruati per generalem reseruationem, quæ habetur in Bulla facultatis Reuerendissimi Thesaurarij, quod particulariter erit discutiendum. Hac igitur opinionum varietate, & diuersitate attenta pro habenda decisione causæ essent particulariter discutiendæ aliquæ ex istis rationibus, prout fieri solet in hoc Auditorio, quando opiniones sunt discordes; & ideo potest difficultas ad aliqua capita redigi, scilicet vt videamus, An ad effectum, vt locum habeat in isto casu declaratoria Iulij, inspiciendus sit locus beneficij, vel locus, in quo reperiuntur fructus ex beneficio prouenientes: Secundo, an dicta declaratoria locum habeat non solum respectu hæredum beneficiati, sed etiam Cameræ Apostolicæ: Tertio an aliquod ius prætendere possit Camera ex persona prædicti Commendatarij, ex eo quòd istæ pecuniæ erant soluendæ pro fructibus iam in vita sua decursis, quod pendet ex eo, an in morte Beneficiarius comparetur vsuario vel vsufructuario, & ex hac disputatione liquebit, an decisio facta in causa de Soderinis applicetur nec ne: Quarto videndum erit, an per Bullam facultatum Reuerendiss. Domini Thesaurarij isti fructus sint reseruati: Et ex his poterit Ill. Dominus Fabius eligere ea dubia, quæ sibi probabiliora videbuntur. Omitto ea, quæ obiter dicta fuerunt in facto à nonnullis, nempe de consuetudine status Mediolanensis circa successionem Beneficiati, & de obseruantia Cameræ circa huiusmodi genus bonorum, quia circa hæc nihil habeo, quod in facto pro certo & constanti statuere possim.

Firmana Bonorum.
Die Veneris 18. Martij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Iudex ritè & rectè procedens non spoliat.*
2 *Pupillus habet intentionem fundatam in testamento patris non abolito neque cancellato.*
3 *Confessio patris nōn præiudicat filijs in legitima.*
4 *Qui cœpit possessionem sine vitio, est legitimus contradictor; fallit si aliquid sit detrahendum.*
5 *Ex particularibus legatis legitima non detrabitur, quando extant alia bona.*
6 *Legitima de omnibus bonis debetur.*
7 *Qui dicit extare alia bona, ex quibus legitima detrahi possit, id probare tenetur.*

DECISIO DCIX.

PRopofui causam strictè super eo, An Montanus iunior in iudicio agitato coram Locumtenente Gubernatoris Firmani esset legitimus contradictor ad effectū iustitiæ sententiæ in possessorio ab eodem Locumtenente latæ: si enim iusta fuit sententia, non potuit postea ferri sententia in spo-
1 lio pro Montano; nam † Iudex ritè & rectè procedens non spoliat, *l. iustè possidet. de acquir. poss.* & fuit per Dominos dictum
2 † pupillos habere intentionem fundatam in testamento Iulij Cæsaris eorum patris non abolito neque cancellato *l. fin. C. de edict. diu. Adr.* ideo cum Montanus veniat ex fideicommisso Montani senioris approbato à Ioanne Paulo tenebatur docere clarè de iure suo; & licèt ex productione testamenti Ioannis Pauli prætendat docuisse: tamen multa in contrarium deduci possunt, ex quibus res redditur dubia; Et primo, aut prædicto testamento Ioannis Pauli Montanus vsus est ad probandum per ipsius confessionem, præexistentiam fideicommissi, &
3 † hæc confessio non poterat præiudicare alijs filijs, saltem respectu legitimæ, cum etiam ex his bonis deberetur legitima, *Speculat. de confess. §. nunc videndum, num. 11. Abb. in c. quamuis. nu. 33. de re iudic. Alex. in cons. 45. in fin. lib. 1. vbi Apostill.* Aut eo vtebatur ad probandam nouam dispositionem, *per l. si donatio. C. de donation.* & tunc cum deberetur legitima etiam de his bonis, sequitur, quòd aliquid erat detrahendum; & ideo non erat legitimus contradictor, quia
4 conclusio illa quæ habet, quòd † qui cœpit possessionem sine vitio, est legitimus contradictor, non procedit, quoties est aliquid detrahendum, *Ias. in l. non est dubium. in princ. C. de legib. Rip. l. 1. num. 24. quorum bonorum* * *cum alijs per informantes allegatis.*
5 ᵃ Neque obstat, quòd † ex particularibus legatis non sit detrahenda legitima, quia cum esset fundata intentio pupillarū, quòd
6 † de omnibus bonis debetur legitima,
7 † qui dicit extare alia bona, ex quibus detrahi possit, id probare tenetur, *vt fuit resolutum coram R.P.D. Brauo in vna Perusina de Herculanis 17. Maij 1581.* ᵇ Nec facit, quòd non esset primus fideicommissarius, quia hoc facit solum, vt non sit necessaria verbalis restitutio, sed non quòd sit, vel non sit legitimus contradictor; Itaq. cum hoc non fuerit deductum neque probatum, non posse dici constitisse de tali fideicommisso, quod impedire posset immissionem pupillarum.

* In informationibus habet, quorum legatorum, & non quorum bonorum.

ᵃ Natt. cons. 394. n. 3. qui plurimos citat Menoch. de adipisc. possess. remed. 4. n. 648

ᵇ quæ in impress. diuers. nouiss. est decis. 210. part. 2.

larum. Neque obseruantia multum facit hoc respectu; tum quia non versatur circa hanc detractionem faciendam; tum quòd Julius Cæsar erat minor tempore, quo per alios fuerunt possessa huiusmodi bona. Et ex hoc fundamento Domini tenebant hāc partem; nam reliqua pro mulieribus deducta non placebant, & vellent, quòd ipsæ deducerent, quicquid habent contra fideicommissum, quod videbatur Dominis satis clarum ad euitandas litium ambages & dispendia.

Ceruien. Bonorum.
Die Mercurij 23. Martij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Emphyteusi finita per generationem vel caducata, potest alius de familia renouationem petere, etiam si sit fœmina, & num. 6.*
Secus est, si in petitione inuestituræ renunciatum sit iuri in ea sibi competenti mediante pacto in ea apposito, vt num. 2.
Item secus est, si renouatio infra annum petita non fuerit, vt num. 7.
Item secus, si tempore petitionis inuestituræ res non sit integra, vt num. 9. Ista tamen limitatio non procedit; nisi quando aliqua negligentia imputari potest venienti post factam renouationem, ex quo eam non petijt in tempore, vt ibidem.
Item secus est, si petens inuestituram non sit de heredibus, & inuestitura sit hereditaria, vt num. 10.
Item secus, si non petatur inuestitura ijsdem conditionibus, quæ ab extraneo reperiuntur, & offeruntur, vt num. 11.
3 *Verba illa, & eo casu adueniente, restringunt dispositionem ad solum illius casus euentum.*
4 *Clausula in fine posita refertur ad omnia; secus est, quando venit continuatiuè, vel accessoriè ad dispositionem.*
5 *Clausula, quæ venit ad maiorem, & abundantiorem cautelam, non potest dici superflua.*
7 *Tempus anni competens ad petendum renouationem inuestituræ, non computatur nisi à die scientiæ.*
8 *Facultas petendi renouationem inuestituræ durat spatio triginta annorum, quando extraneus fuit ab Ecclesia intra annum inuestitus, secundum communem opinionem.*

DECISIO DCX.

presēs decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 191. part. 2.

FVit proposita causa super secunda parte dubij, An Lucretia saltem sit inuestienda de bonis, de quibus agitur, & Do-
1 mini dixerunt, † eam esse in casu regulæ, ex doctrina *Bart. in l. 1. §. permittitur. de aq. quotid. & æstiu.* vbi afferuntur plures li-
2 mitationes; † Prima est fundata super pacto, de quo in inuestitura anni 1496. quasi quòd in ea renunciatum sit prædicto iuri, *ad cons. Socin. iun. 9. num. 14. lib. 3.* Hanc limitationem Domini habuerunt pro vera in iure, sed in facto dixerunt non applicari, quia pactum non loquitur in casu generationis finitæ, sed in casu contrauentionis, vt apparet ex illis verbis, alioqui si contra-
3 uentum fuerit, & ibi † & eo casu adueniente, quæ restringunt dispositionem ad solum euentum contrauentionis. Neq. obstat,
4 quòd † clausula in fine posita referatur ad omnia, quia non procedit, quando ea venit continuatiuè ad aliquam dispositionē, vt in hoc casu, *Bart. in l. fin. de reb. dub.* venit enim accessoriè ad præcedens capitulum: Ideo non potest referri ad alia, *Dec. post alios in*
5 *c. secundo requiris. nu. 3. de appellat.* † Neque potest dici superflua, cū veniat ad maiorem & abundantiorem cautelam. Secun-
6 da limitatio est, quòd † ista, quæ petit renouationem est fœmina; sed huiusmodi limitatio reiecta fuit, *in causa Bononien. de Campegijs* * *coram R.P.D. meo Robusterio diebus præteritis*. Tertia limitatio est, quòd non fuerit petita renouatio infra annum, * aliàs Bononien. bonorū 10. Decemb. 1582. quæ in impress. nouiss. est 190. par. 2
7 sed † cum iste annus computetur à die scientiæ, *vt per Gabr. de iure emphyt. concl. 1. nu. 11.* & non constet, quòd habuerit notitiam huiusmodi rei per annū ante petitam renouationem, ista limitatio non placuit
8 Dominis; maximè, † quia iam intra annum alius extraneus fuerat per bo. me. Episcopum tunc temporis inuestitus; & ideo talis facultas datur spatio triginta annorum, vt ex communi sententia *tradit idem Gabr. loco supra citato nu. 12.* Quarta limitatio est,
9 † quòd non teneatur Episcopus inuestire, quia tempore petitionis res non erat integra, ᵃ *Roman. cons. 70. num 3. vol. 3. Alex. cons. 50. in fin. lib. 3. Ruin. cons. 5. in fin. lib. 1. Clar. in §. emphyteusis. quæst. 43. vers. sed pone. Gozad. cons. 39. num. 23. & 71. nu. 1.* sed hæc limitatio patitur magnam difficultatem; nam *idem Alex. in l. si mihi & Titio. nu. 20. de verb. oblig. reprobat hanc opinionem, & Ruin. in cons. 161. num. 36. lib. 1. Paris. cons. 28. lib. 1. Apostill. ad Roman. cons. 22. quinimmo Gozad. hanc dicit se putare falsam in cons. 86. num. 24. vers. non obstat.* & in euentum, quòd esset vera, dicit quod procederet vbi aliqua negligentia posset impingi venienti post inuestituram; sed quia multi relati *per Gabr. d. conclus. 1. n. 20.* tenent istam limitationem, & alij relati *per Rimin. iun. cons. 444. nu. 6. & nu. 50. cum seq.* videndum esset de ipsius veritate, quatenus super ea pars insistere vellet.
10 Quinta limitatio est, quòd † solis heredibus competat hoc ius, *Gabr. d. concl. 1. n. 18. & Ad-*

ᵃ pro ista cōclus. vide decis. in causa Lucana emphyteusis 6. Iunij 1567. corā R. P. D. Oradino vbi optima distinctio.

& *Addit. Roman. ad d. cons. 32. cum alijs allegatis*, [b] sed præter quam quòd prædicti Doctores videntur velle, quòd hoc procedat in emphyteusi hæreditaria, in casu isto Domina Lucretia est hæres patris ab intestato, vt per testes fuit probatum. Sexta limitatio
11 est, vt ✝ non teneatur Prælatus facere inuestituram, nisi ijsdem conditionibus, quæ ab extraneo reperiuntur, *Gabr. ibid. nu. 28.* & ideo Lucretiam non esse admittendam, cum non obtulerit eandem conditionem, quam Comes Pandulphus, qui scuta bis mille soluerat, sed hic videndum est, An Lucretia eius venditionis scientiam habuerit, & an possit hodie excusari, & moram purgare, ex quo à die motæ litis bo. me. Episcopus recusauit se velle eam inuestire, quod erit particulariter discutiendum. Item reseruatum fuit, vt videatur, An isto casu prouisio hominis, de qua in præfata inuestitura in facultate data de nominando vnum ea familia tollat prouisionem legis. Quæ de præcedenti inuestitura anni 1477. dicuntur, non faciunt ad rem, cum ista sit posterior, & in ista præsupponatur deuolutio, neque de alijs inuestituris fuit habita ratio in præsentia, cum adhuc non sint in forma probanti.

b Anchar. cōs. 333 Dec. cons. 78. col. fin. & cons. 331. n. 3. vers. 3. non obstat. Conrad. cons. 8. n. 51. & 96. nu. 23. Paris. cons. 23. nu. 143. lib. 3. & cons. 12. in fi. lib. 3. Alex. cons. 10. n. 21. lib. 3. Abb. in c. ad aures. n. 4. vlt. notab. de reb. Eccl. non alien. Rip. in l. 3. n. 33. de priuil. credit. & fuit resolutum in Bononien. de Pipinis 23. Maij 1578. coram Domino Cęsare de Grassis. in impress. 5. de reb. Eccl. nō alien.

Salamantina Capellaniæ siue legati pij.
Die Mercurij 23. Martij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Testator non censetur voluisse erigere beneficium Ecclesiasticum, quando erigendo Capellaniam, voluit quòd ad solos laicos prouisio spectet, & quòd Papa nec alius quispiam se in huiusmodi prouisione intromittat, aliàs reuocat legatum.*

2 *Beneficium Ecclesiasticum sine canonica institutione à quoquam obtineri non potest.*

3 *Non est præsumendum quòd testator elegerit viam, per quam eius voluntas impugnari possit.*

4 *Legatum pium seu Cappellania erecta cum ea conditione, quòd prouisio spectet ad solos laicos, potest vocari Capellania cum ijs qualitatibus.*

5 *Ille gratificādus est de beneficio, in quo plures concurrunt qualitates.*

6 *Ordinarius per testatorem prohibitus se intromittere in dispositione per eum facta de Cappellania laicali, non dicitur prohibitus se intromittere, quādo euenit casus omissus à testatore, quo casu saltem pro illa vice ius ad Ordinarium deuoluitur.*

7 *Ordinarius regulariter est exequutor vltimarum voluntatum ad piam causam.*

DECISIO DCXI.

Dubium habet duas inspectiones, quarum altera est, an testator voluerit erigere beneficium Ecclesiasticū; Altera quis nam sit præferendus, Hieronymus an Franciscus. Quantum ad priorem Domini in-
1 clinabant, quòd ✝ noluerit testator erigere beneficium ecclesiasticum, cum velit quòd huius Capellaniæ prouisio ad solos laicos spectet, qui obtinebunt maioricatum, quod fieri non potest, non enim loquitur de præsentatione; & manifestius, ex quo vult, quòd nec Papa, nec alius quispiam se intromittat in huiusmodi prouisione, ex quibus apparet
2 noluisse erigere beneficium, cum ✝ id sine canonica institutione à quoquam obtineri non possit, *c. beneficium. de reg. iur. in 6.* quod & confirmatur ex eo, quòd in euētum, quòd aliquis se intromiserit, reuocauit legatum, nam si esset beneficium, fieri non posset; &
3 ✝ non est præsumendum, quòd elegerit viā per quam voluntas ipsius impugnari possit, *l. 3. de milit. testam. Anchar. cons. 197. n. 7.*
4 *Rot. 10. de testam. in antiq.* ✝ & licèt vocet Capellaniam, tamen intelligendum est cum ijs qualitatibus, quod fieri potest, *vt per Sarnen. de annal. q. 20. & de valor. q. 4.* Quātum ad secundam inspectionem Domini dixerunt præferendum esse Hieronymū, quia eo instante, & iudicialiter agente Capellania ista fuit in esse deducta, & voluntas testatoris impleta, quam hæres erigi negligebat; ideo cum sit in pari gradu cum Francisco, & plus illo contulerit, & suspecta sit
5 collusio inter patrem & filium, & ✝ concurrant etiam aliæ qualitates in Hieronymo, esse ei gratificandū, *vt per Lambertin. artic. 16. 5. quæst. principal. 3. part. 2. libr.* Neque
6 obstat, quòd ✝ in his non possit se intromittere Ordinarius, quia est casus omissus à testatore, nempe propter negligentiam hæredis; quæ facit, vt saltem pro illa vice ius deuoluatur ad superiorem, *c. si verò. de iurepatr. gloss. in c. 1. de off. Custod. & c. ea quæ.*
7 *de off. Archid.* ✝ & regulariter Episcopus est exequutor vltimarum voluntatum ad piam causam, *Clem. 1. de testam. & in Concilio Tridentin. sess. 22. c. 8. de reformat.* Non obstat, quòd Franciscus sit pauper, quia habet patrem diuitem, qui eum alere tenetur; & ideo conclusum sententiam Ordinarij in hac parte esse confirmandam.

Tullen. Prioratus.
Die Lunæ 28. Martij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Hospitale Sancti Spiritus in Saxia de Vrbe habet priuilegia iuris conferendi pleno iure omnia Hospitalia, vbicunq. locorum sita sui ordinis.*

2 *Lex generalis non censetur derogare particularibus priuilegijs.*
3 *Clemens Papa VII. fuit schismaticus, electio vero Vrbani VI. fuit Canonica.*
4 *Acta Clementis Papa VII. nunquam fuerunt approbata, sed sunt nullius roboris, & num. 7.*
5 *In omnibus contractibus subintelligitur clausula, rebus sic stantibus.*
6 *Confirmatio seu approbatio litterarum Papæ schismatici non valet, cum neq. ipsæ litteræ valeant.*

DECISIO DCXII.

1 HOspitale Sancti Spiritus in Saxia de Vrbe habet amplissima priuilegia Sixti IIII. Pauli III. Pij IIII. & aliorum Pontificum, quibus conceditur Præceptori Hospitalis ius conferendi pleno iure omnia Hospitalia, vbicunq. locorum sita huius ordinis: Vacãte Prioratu Sancti Spiritus Tullensis Reuerendiss. Præceptor Vrbis contulit hunc Prioratum Domino Melchiori à Valle: sed Conuentus dicti Prioratus prætendens se habere ius eligendi, elegit Dominum Desiderium religiosum professum eiusdem Hospitalis; Dubitatum fuit, An de illo iure eligendi constaret sufficienter, & quidẽ pro parte Desiderij allegabatur Bulla Clementis VII. in sua obedientia de anno 1391. Secundo concordia quædam inter prædictum Hospitale & Præceptorem & Conuentum Sancti Spiritus in Saxia de Vrbe de anno 1413. Tertio approbatio Præceptoris Sancti Spiritus de Vrbe prædictorum priuilegiorum de anno 1421. Quarto bulla fel. recor. Iulij III. de anno 1550. in qua confirmantur omnia priuilegia, immunitates, libertates & alia indulta à Romanis Pontificibus concessa dicto Hospitali: Fuit tamen per Dominos conclusum Conuentum Tullensem non fundasse intentionem suam sufficienter stantibus bullis Sixti, & Pauli, quæ sunt claræ pro intentione Hospitalis Sancti Spiritus de Vrbe. Ne-
2 que obstare, quòd † lex generalis non censeatur derogare particularibus priuilegijs, quia immo in his bullis derogatur omnibus litteris Apostolicis eisdem religiosis, vel alijs personis concessis, quæ in aliquo præiudicent iuribus Domini Præceptoris, quas voluit haberi pro expressis, cum alijs amplissimis clausulis, non obstantibus quibuscunq. *ad c. qui ad agẽdum. de procurat. in 6.* in quibus non est dubitandum sublata esse omnia priuilegia, sed ex alio quoque tollitur
3 difficultas, nam † Clemens ille fuit schismaticus, cum electio Vrbani VI. fuisset canonica, *vt per Bald. in Extrauagan. de schismat. qui est ante tit. C. si quis alt. testar. pro-*
4 *hib.* † neque eius acta vnquam approbata fuerunt, quemadmodum fuerunt approbata acta Gregorij XII. in Concilio Constantiẽsi sess. 14. quinimmo in eodem Concilio reuocantur omnes exemptiones à tempore Gregorij XI. factas *in sess. 43. tit. de exempt.* Et ideo neque releuat approbatio facta per Præceptorem Sancti Spiritus de Vrbe de anno 1413. cum enim tunc temporis adhuc inter Christi fideles ambigeretur, quisnam
5 esset verus Petri successor, & † in omnibus contractibus subintelligatur clausula rebus sic stantibus, *vt per Tiraq. in l. si vnquam. num. 166. C. de reuoc. donat.* mirum non est Præceptorem approbasse priuilegium Clementis, quod facturus non fuisset post declarationem Concilij, quod incohatum fuit sequenti anno 1414. Neq. tenet illa approbatio in vim contractus, quia solutio census non potest esse correspectiua ad facultatem eligendi; esset enim simoniaca: sed potius est correspectiua ad exemptionem à superioritate, quam prætendebat Hospitale
6 Bisuntinum: † Approbatio verò facta per alium Præceptorem de anno 1421. non obstat, quia continet solam approbationem litterarum Clementis, quæ cum non obstẽt, neque hæc quoq. confirmatio Iulij obstat, quia confirmat priuilegia Romanorũ Pontificum, ex quorum Albo Clemens ille schismaticus deletus fuerat. Neq. potest dici
7 adesse duplex vinculum; † cum nullius essent roboris gesta per Clementem: Neque etiam ratione communis erroris saluari potest huiusmodi priuilegium, cùm quam plurimi sequuti fuerint Vrbanum, eumq. pro legitimo Ecclesiæ Pastore agnouerint. Reseruatum tamen fuit per Dominos, vt videatur de iure, quod ex quasi possessione prætendit Hospitale Tullen. *iuxta tradita in c. consultationibus. de iure patr.*

Ispalen. Iuris nominandi.
Die Veneris 22. Aprilis 1583.

SVMMARIVM.

1 *Dicta testium recipiunt interpretationem ab articulis.*

DECISIO DCXIII.

FVit per Dominos ordinatum, vt mandatum datum Beneficiatis declaretur in his capitibus: Primo circa præsentationem Capellanorum, aliorumq. seruitorum, vt illa fiat Prouisori Ispalensi non autem alio Iudici per eos electo, Secundo circa ius præsidendi & ordinandi, quòd non intelligatur priuatiuè ad Reu. Archiepiscopum, & eius Prouisorem respectu superioritatis ei competentis de iure communi. Quantum ad reliquas prætensiones Reu. Archiepiscopi fuerunt reiectæ; nam quòd mandatum nõ sit dandum in omnibus Ecclesijs, hoc non placuit,

1 placuit; † cum testium dicta sumant interpretationem ab articulis, & hæc sit probatio generica, *Anchar. cons. 277. n. 7.* Quantum ad præsidentiam Rectoris in absentiam beneficiatorum, hoc non petitur per Rectorem, & vnus testis deponit, quòd in absentia Beneficiati antiquioris præsidet suus Capellanus siue seruitor; & in hac materia vnicus testis sufficit, & testes etiam, dum loquuntur de præsidentia, non se restringunt ad Chorum tantum, sed dicunt in Ecclesijs & choris; ideo circa ista nihil esse innouandum.

Auximana Dotis.
Die Mercurij 27. Aprilis 1583.

S V M M A R I V M.

1 *Præscriptio statutaria non procedit, si adsit mala fides, & est communis opinio,*
2 *Debitor dicitur in mala fide, etiam quòd creditor non petat, quia scire debet se non soluisse.*
3 *Præscriptio statutaria succedit in locum præscriptionis triginta annorum.*
4 *Præscriptio actionis personalis cum mala fide etiam spatio triginta annorum non habet locum.*
5 *Confirmatio Apostolica statutorum, quæ habet clausulam restrictiuam, dummodo licita & honesta, non intelligitur confirmare præscriptionem cum mala fide.*

DECISIO DCXIV.

1 FVit resolutum † statutum non valere respectu eius præscriptionis, in qua adsit mala fides; nam communis opinio est contra Bart. *vt per Canon. in c. fin. de præscript. latissimè cumulant Doctores tenentes hanc sententiam, Modern. Mediolanen. in tract. de contractib. glos. 3. in ver. ex contractu. n. 84. Couar. in regul. possessor. 2. part. §. 11. n. 3. Balb. de præscript. in 2. part. 3. partis, q. 14. Appostill. ad Matthesilan. singul. 23.* Non
2 obstat. quòd † quandiu creditor non petit non solutum, debitor non est in mala fide; cum vtique scire debeat, se non soluisse, vt
3 per Couar. ibidem. Neq. obstat, quòd † hæc præscriptio statutaria successit in locum
4 præscriptionis triginta annorũ, quia † neque etiam hodie præscriptio actionis personalis procedit cum mala fide hoc spatio, vt per Doctores supra relatos, qui reijciunt quoque distinctionem *Castr. in l. sequitur. §. si viam. col. 2. de vsucap.* Non ob-
5 stat † confirmatio Apostolica, quia habet restrictiuam illam, dummodo sint licita & honesta. Neque facit resolutio facta *in Racanaten. 27. Iunij 1576. coram R. P. D. meo Robusterio*; quia ibi confirmatio erat sub alia forma, & cum clausula, quòd statuta haberentur pro insertis, ex quibus dixerunt Domini superfluum esse examinare secundam partem dubij.

Pampilonen. Iuris visitandi.
Die Mercurij 27. Aprilis 1583.

S V M M A R I V M.

1 *Omnimoda iurisdictio quæ dicatur.*
2 *Visitatio pendet ab Ordinaria iurisdictione.*
3 *Confirmatio electionis regulatur, sicut appellatio, quæ deuoluit ab inferiore ad superiorem.*
4 *Clausula, constito de præmissis, in commissione referenda est ad ea, quæ præbent causam concessioni, & hæc sola sufficit, licèt cætera narrata non sint vera.*
5 *Sententia sine processu non probat.*
6 *Pro sententia de recenti lata non præsumitur, etiam quòd sit lata partibus præsentibus & non appellantibus.*
7 *Non valet consuetudo vel præscriptio, quòd non liceat appellare ad Papam.*
8 *Confirmatio non extendit dispositionem, sed tantum confirmat, quod expressum est.*

DECISIO DCXV.

DVbitatum fuit; An inhibitio emanata vigore prioris commissionis sit moderanda iuxta formam reformatoriæ, vel denuo inhibendum vigore vltimæ commissionis: Et quantum ad priorem partem dubij, fuit dictum per Dominos pendere ex eo, An narrata in commissione reformatoria fuerint iustificata: narratur autem Præceptoriam, de cuius visitatione agitur, esse intra limites Iurisdictionis Prioratus Nauarræ, quòdq. vigore stabilimentorum omnimoda iurisdictio ordinaria ratione sui Prioratus Nauarræ competit Priori, tam circa visitationẽ dictæ Præceptoriæ & illius mẽbrorum, & personarum, quàm alias, Item quòd Cõsilium ordinarium deuenit ad sententiam præiudicialem dicto Priori, à qua fuit appellatum ad Consilium completum, & quòd Consilium completum seruatis seruandis declarauit dictum Priorem tãquam Ordinarium iuxta formam statutorum, debere visitare: Item quòd à Consilio completo non appellatur, nisi ad Capitulum generale, & quòd talis appellatio habet solum effectum deuolutiuum, & non suspensiuum, quòdq. exequutoriales relaxatæ fuerunt, & quòd aduersarij confouendo se in eorum licentiosa & scãdalosa vita præinsertam subreptitiè extorserunt. Quantum ad primum ex narratis, quòd Præceptoria sit intra limites Prioratus, satis videtur iustificatum, nec pars diffitetur. Quantum ad secundum, quòd omnimoda iurisdictio pertineat ad Priorem, hoc patitur difficultatem; nam pro verificatione deducitur stabilimentum, de quo in summario num. 4. quod licèt tri-
1 buat iurisdictionem Prioribus; † hæc tamen

Præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 196 part. 2.

men non tribuitur illis simpliciter, sed vnà cum Capitulo Prouinciali, & hoc non derogando iurisdictioni, quam habent Commendatarij in fratres Capellanos; ex quo colligitur hanc nõ esse omnimodam iurisdictionem, *de qua per glos.in Clem.1.in verb. omnimodam.de for.compet.* & hinc etiã sequitur Priorem sine Capitulo Prouinciali vigore huius stabilimenti visitare non posse,
2 † cum visitatio pendeat à iurisdictione ordinaria, *c.1.§.hanc autem.de censib.in 6. Socin.de visitat.n.4.ver.decimo quaro.* Neque etiam *c.7. eod.tit.* facit ad rem, cum loquatur tantum de iurisdictione, quam habent Priores in Capellanos degentes in suis Cõmendis, qualem habet Prior Ecclesiæ in Conuentu;tamen vigore stabilimenti secundi de visitatione, posset dici Priorem habere ius visitandi probata tamen subiectione, quæ ex eo argui videtur, quòd in hac Præceptoria Prior habet ius confirmandi ele-
3 ctionem, & † confirmatio huiusmodi procedit, prout appellatio, quæ ab inferiori ad superiorem datur, *vt per Hostien. de election.num.* 27. sed quia super hoc non informatur, posset quatenus in dubium reuocetur, particulariter dubitari. Sed hic insurgit alia difficultas; nam posito quòd verificetur iurisdictio Prioris respectu iuris visitandi, sed non respectu omnimodæ iurisdictionis, dubitari potest; an satis dicatur iustificata commissio, quæ habet clausulam, constito de præmissis, & Domini
4 censebant sufficere, † cum dicta clausula sit referenda ad ea, quæ præbent causam Papæ concedendi prædictam moderationem, & hæc sola sufficit ad eam obtinendam, licèt alia narrata non sint vera, *Ægid. decis.* 180. Item illud quod narratur sententiam latam fuisse à Consilio completo seruatis seruandis, non est iustificatum, cum non sit
5 productus processus, & † sentẽtia sine pro-
6 cessu non probat, *Mobed.decis.*148. & † pro sententia de recenti lata non præsumitur, etiam quòd esset lata partibus præsentibus, & non appellantibus, *Aym. de Antiq. temp. part.2.nu.26. & 27.* Quod etiam narratur, non dari appellationem à Consilio completo nisi ad Capitulum generale, & interim non suspendi exequutionem iuxta formam stabilimẽtorum, non videbatur quibusdam ex Dominis verificari; quia non adest taxatiua illa nisi in stabilimento;& ideo non potest argui, quòd non liceat appellare ad Sedem Apostolicam, esset enim argumentum à contrario sensu dicere, appellandum est à completo ad generale, ergo ad alium superiorem appellari non potest, quòd in hac materia non admittitur, *Rimin.sen.in cons.* 423.*nu.*14. *lib.* 3. cum potius debeamus interpretationem passiuam sumere à iure cõmuni, vt ad Papam appellare liceat, *c.dile-*
7 *cti.il 3.de appellat.* † Neq. admittitur consuetudo vel præscriptio in contrarium, *Franc.in d.c.dilecti.nu.*14.*de appellat.* Neq.
8 fieri potest fundamentum † in confirmatione, quia id tantum confirmat, quod expressum est, non autem extendit dispositionem. Quantum ad posteriorem partem dubij, Domini dixerunt non esse ad instantiam Præceptoris Sanctissimi Crucifixi inhibendum, cum adhuc de suo interesse non constet; & ideo tota hæc disputatio reducitur ad merita negocij principalis, quo examinato erit procedendum ad vlteriora.

Firmana Bonorum.
Die Veneris 29. Aprilis 1583.

SVMMARIVM.

1 *Tutor constitutus debet iurare iuxta formam §.fi.in Auth. vt ij qui oblig.se hab. perbib.qua tamen impleri potest per verba aquipollentia, & ibi qua sint verba aquipollentia.*
2 *Relatum continetur in referente.*
3 *Expressio per relationem non sufficit, vbi quid pro forma est exprimendum; nisi sit talis, qua per aquipollens impleri possit.*
4 *Expressio per generalem relationem est impropria specialiter, sed propria generaliter.*
5 *In expressione facta per relationem, quando agitur de actu sustinendo Rota admittit expressionem generalem per aquipollentiam.*
6 *Exequutio sententia, qua continet mixturã dicitur attentata, si mixtura clarè in sententia contineatur; aliàs secus.*
7 *Reiectio exceptionis est intelligenda respectu possessorij, non autem petitorij, quando verba sententia dispositiua sunt restricta ad possessorium.*
8 *Dans de notoria iniustitia debet eam euidentissimè probare, & talis iniustitia debet ex actis concludenter patere.*
9 *Ad tollendam notorietatem iniustitia sufficit qualis qualis offuscatio.*
10 *Cognitio causa validitatis vel inualiditatis legati non debet retardare immissionem in possessionem bonorum; nisi impediens immissionem habeat titulum talem, qui à iudice iudicetur paris titulus.*

DECISIO DCXVI.

ITerum proposui causam super eo, an sententia lata in remedio *l.fin. C. de edict. diu. Adr.* esset notoriè iniusta, itaut possit dici spoliatiua, & per Dominos fuit conclusum eam non esse notoriè iniustam, neq. ex ea potuisse dici spoliatum Mõtanum; Nam primo, quod opponebatur de defectu mandati, quia Vulpatius non erat legitimè con-
1 stitutus tutor, † ex quo non iurauerat iuxta formam *§. fin. in Auth. vt ij qui oblig. se hab.*

hab. perhib. non placebat Dominis propter
verba æquipollentia adhibita, *iuxta cons.*
Alex. 80. *num.* 14. *lib.* 5. *quod fuit à Rota*
approbatum 11. *Nouembris* 1581. *coram bo.*
me. Fabio, vt habetur lib. 2. *decis.* 18. ver-
ba autem æquipollentia sunt illa, obliga-
uit se ad omnia, ad quæ tenetur de iure &
2 ex forma statutorum, † relatum enim est in
referente, *l. asse toto. de hered. instit.* & licèt
3 † expressio per relationem non sufficiat, vbi
quid pro forma est exprimendum, *Tiraq. de*
leg. connub. glos. 7. *num.* 188. tamen id pro-
cedit, vbi data est forma, quæ per æqui-
pollēs impleri non possit, & quamuis *Ruin.*
4 *& alij per eum relati. num.* 194. velint, † ex-
pressionē per generalem relationē esse im-
propriè expressionē; tamē Aretinus, cui ipse
accedit, dicit esse propriè expressionē gene-
raliter, & impropriè specialiter: satis ergo
5 est, quòd † talis expressio facta fuerit per
hanc relationem, cum agatur de sustinendo
actu, & æquipollentiam Rota in hac mate-
6 ria admittit. Quod secundo dicitur † exe-
qutionem sententiæ fuisse attentatam;
quia sententia continebat mixturam, mi-
7 nus placuit; quia † reiectio exceptionis
Montani est intelligenda respectu possesso-
rij non autem respectu petitorij, cum verba
sententiæ clarè in dispositiua restricta sint
ad possessorium. Quantum ad id, quod de-
ducitur tertio loco, adesse plures coniectu-
ras, ex quibus colligi potest non fuisse lo-
cum detractioni legitimæ; coniecturæ visæ
8 sunt debiles adhunc effectum, cum † dans
de notoria iniustitia debeat eam euidentis-
9 simè probare; † sufficit enim qualis qualis
offuscatio ad tollendam hanc notorietatē,
& ex actis concludenter debet patere iniu-
stitia, *Aug. in l. si pars. in fin. de petit. hered.*
Dec. in c. quoniam contra. num. 36. *de proba-*
tion. Quantum ad dilema vltimo deductum
Domini censuerunt in eo contineri mate-
riam petitorij non autem possessorii, † ne-
que enim debebat retardare immissionem
in possessionem bonorum possessorum tem-
pore mortis à patre istarum puellarum co-
gnitio super validitate vel inualiditate
istius relicti. Neque obstat, quòd Monta-
nus haberet parem titulum; quia potuit iu-
dex non habere eum pro sufficienti, tam ra-
tione detractionis quàm ratione possessio-
nis per eum pòst aditam hæreditatem ca-
ptæ; Ideo ordinatum, vt causa expediatur
in possessorio, reseruato iure Montano in
petitorio.

Romana domus de Maniliis.
Die Mercurij 4. Maii 1583.

SVMMARIVM.

1 *Dispositio l. si quis maior. C. de transact. non habet locum, nisi concurrente dolo, qui debet plenè & concludenter, non præsumptiuè probari, vt num.* 7.
2 *Qui suscepit onus satisfaciendi creditoribus, debet hoc eis notificare.*
3 *Negans debitum, ad quod tenetur iuxta formam instrumenti iurati, dicitur esse in dolo.*
4 *Dolus arguitur ex mendatio.*
5 *Recusans soluere id, ad quod tenetur, præsumitur esse in dolo.*
6 *Pœna l. si quis maior. C. de transaction. est valde dura.*
8 *Præscriptio statutaria inducit præsumptionem solutionis, contra quam admittitur probatio in contrarium.*
9 *Dolus ex his colligi non potest, quæ iure permittente pro sua defensione in iudicio allegantur.*
10 *Partita iustificatur per verificationē aliarum plurium, maximè quando nunquam fuit petita.*
11 *Confessio mulieris etiam sine solemnitatibus statuti valet, quando est adminiculata.*
12 *Dolus non probatur ex eo, quòd quis non soluerit, quia creditor à principio non fuerit contentus conditione soluendi.*
13 *Residuum arguit solutionem partis, ad quam quis tenebatur.*

DECISIO DCXVII.

FVit dubitatum, an esset locus dispo-
sitioni *l. si quis maior C. de transaction.*
1 in casu de quo agitur, & quia † dispositio di-
ctæ legis non procedit nisi concurrente do-
lo, *vt per Doctor. ibidem, & fuit in pluribus*
causis resolutum. Pro parte Roberti dedu-
ctus fuit dolus Ioannis Manilij ex pluri-
2 bus: Primo, quòd † Manilius non notifica-
uerit creditoribus Roberti se suscepisse o-
nus satisfaciendi eis pro rata pretij domus
per ipsum cum hoc onere emptæ à Ioanne
Porcaccia cum consensu Ill. Domini Hiero-
nymi de Cupis directi Domini, tenebatur
enim eos certificare, & cum esset eiusdem
fori ad eos deferre summam debitam intra
tempus trium annorum datorum ad satis-
faciendum creditoribus, *vt post glos. tradit*
Bart. in l. item illa. num. 9. *de constit. pec.*
Aym. cons. 83. *num.* 3. *&* 115. *num.* 2. Se-
3 cundo, quia † Manilius negauit debitum,
ad quod tenebatur iuxta formam instru-
menti iurati, *Paris. cons.* 114. *num.* 2. *lib.* 3.
Corn. 128. *num.* 5. *lib.* 3. Tertio, quia litiga-
uit cum creditoribus Roberti, & calumnio-
sè allegauit Dominum Hieronymū & Por-
cacciam in authores, tanquam essent obli-
4 gati ipsum releuare, † quod tamen aliter se
habebat, ex quo manifestè dolus arguitur,
l. si quis affirmauerit. de dol. Bart. in l. pro-
curator qui pro euictione. in fin. de procura-
tor. Aym. cons. 2. *num.* 12. *Gabr. de acquir.*
poss. concl. 5. *vbi multa ad propositum facien-*
5 *tia per tot.* & in summa † recusans sol-
uere id, ad quod tenetur, præsumitur esse
in do-

in dolo, *Alex.in cons. 52. col.1. lib. 6: Aym.*
cons.6.num.96.cum alijs *, Verificari antem
in facto huiusmodi negationem ex actis iu-
dicialibus factis cum Angela de Consuli-
bus, & molestationibus illatis Roberto per
Iuliam de Cecchinis, de quibus deponit te-
stis vltimo examinatus, ob quas denegatio-
nes prætenditur Robertum fuisse carcera-
tum, & multa damna passum fuisse. His ta-
men non obstantibus conclusum fuit vnani-
6 miter per Dominos, † dispositionem dictæ
legis bic locum non habere; pœna enim,
quæ per eam irrogatur est valde dura, *vt
tradit Corn.in cons. 246. num.5. lib. 3.* Ideo
7 † deducens dolum debet non præsumptiuè,
sed plenè & concludenter illum probare,
l. quoties.§. qui dolo. de probat. tota vis igi-
tur consistit in verificatione eorum, quæ in
facto pro parte Roberti adducuntur: Et
primo, quòd Manilius non notificauerit
creditoribus se suscepisse onus eis satisfa-
ciendi, neque eis satisfecerit; satis tolli vi-
detur ex his, quæ pro Manilio deducuntur;
nam pro maiori parte apparet eum satisfe-
cisse creditoribus, & quamuis minus plenè
probetur satisfactio respectu aliquorum,
8 tamen concurrit † lapsus temporis & præ-
scriptio statutaria, quæ inducit præsum-
ptionem solutionis, contra quam licèt ad-
mittatur probatio; tamen adhuc ex dedu-
ctis aliqua probatio concludens non affer-
tur in contrarium. Quod secundo dicitur
Manilium negasse soluere debitum hoc, de-
ducunt informantes ex actis iudicialibus
factis cum Angela de Consulibus, & ex cen-
sibus exactis per Iuliam de Cecchinis agē-
tem contra fideiussorem Roberti; Quod at-
tinet ad Angelam non apparet ex actis,
quorum copia data fuit, quòd ipsa contra
Manilium egerit pro sorte principali, pro
qua ipse erat obligatus; immo claris &
apertis verbis in libello petit scuta centum
quadraginta pro censibus decursis & non
solutis, pro quibus ipse non tenebatur, nam
census super domo fuerat male impositus,
& contra formam solutionis factæ Rober-
to, prout habetur in narratiua instrumen-
ti emptionis factæ per Manilium de anno
1557. die 6. Nouembris: Iustè ergo Mani-
lius recusauit soluere, & allegauit suos au-
thores & bene, nam D. Hieronymus promi-
serat de euictione in eodem instrumento:
9 quare † non potest colligi dolus ex his, quæ
iure permittente pro sui defensione in iudi-
cio per Manilium allegata fuerunt: Nihil
verò deducitur ex quo appareat non fuisse
satisfactum Angelæ de sorte principali; im-
mo in contrarium, quòd ei fuerit satisfa-
ctum satis probabiliter colligitur ex arti-
culis datis per Ioannem Procacciam con-
tra Manilium, in quibus deducit summas
per eum solutas diuersis personis, inter
quas Ioanni Baptistæ Amodeo Marito An-

* Ad leg dolus. ff mandat. Aym. cons. 100 nu. 9 & 193. n.2. Decian.cons. 60 n.vlt. lib. 4. Corn.cons. 118.nu 5.

gelæ scuta octuagintaquatuor, quæ erat ra-
ta debita Angelæ per Manilium soluenda;
10 & † cum pleræq. dictarum solutionum ve-
rificentur, vtiq. præsumitur etiam pro ista
partita, *Aym.cons.198. num.6.* concurrente
maximè quòd nunquam ista sors fuit per
Angelam petita, neque super ea aliqua mo-
lestia Roberto, aut alij vnquam exhibita.
Quantum ad Iuliam de Cecchinis similiter
non apparet, quòd pro summa principali
quisquam molestatus fuerit; nam quod de-
ponit testis vltimus, examinatus est respe-
ctu censuum, ad quos non tenebatur Mani-
lius; & licèt non possint deberi census, si so-
luta fuisset sors principalis per Manilium;
tamen sufficit ad excludendum dolum, quòd
ipse antequam conueniretur per Robertum,
assumpsit in se onus soluendi cēsum nouem
scutorum, & insuper soluit sortem princi-
palem, prout in instrumento quietationis
desuper confecto, quod satis est ad moram
purgandam, *ad notat. per Doctor.in l. si in-
sulam.de verb.oblig.* Neque obstat, quòd fue-
rit lite pendente confecta, & contra inhi-
bitionem Curiæ Capitolinæ, quia ex dicto
eiusdē met testis ex aduerso examinati ap-
paret, quòd Manilius assumpserat iam in se
onus satisfaciendi Iuliæ de suo credito; &
ideo cum teneretur hoc facere, & eum fe-
cisse appareat ex quietātia, nihil factum est
contra inhibitionem, & non habet locum in
11 casu isto † dispositio statutaria loquens de
contractibus mulierum; maximè cum con-
fessio ista sit adminiculata ex dicto testis,
Afflict.decis. 1. de confess. & si quid prætēdere potest Robertus ad summum, est to-
tum id, quod docuerit soluisse pro censibus
decursis à die moræ Manilij in extinguen-
do censu Iuliæ pro rata sibi assignata, sed de
huiusmodi mora constare non potest con-
cludenter, nisi doceatur Iuliam à principio
noluisse acceptare illam conditionem in in-
strumento appositam faciendi quietatio-
nem generalem: fuit enim fortasse in cau-
sa, vt statim à principio non receperit sor-
12 ta tem principalem; & ideo † concludenter
non probatur dolus, nisi doceatur eam fuis-
se à principio contentam huiusmodi condi-
tione, & nihilominus Manilium soluere di-
stulisse. Quod tertio deducitur Manilium
litigasse cū creditoribus Roberti, & fuisse in
causa, vt Robertus fuerit carceratus, &
multa damna fuerit passus, tollitur ex supra
deductis, cum non appareat litigasse ad ef-
fectum denegandi sortem principalem, ad
quam tenebatur. Quòd verò culpa Mani-
lij non satisfacientis Robertus fuerit car-
ceratus non constat, cum adhuc non appa-
reat Robertum aliquid coactum fuisse sol-
uere alicui ex creditoribus assignatis Ma-
nilio pro ea parte, quæ ipsum tangebat; nam
13 † si pro residuo conuentus fuit, hoc potius
facit pro Manilio, arguit enim solutionem
partis,

partis, pro qua tenebatur *ad notat. per Bald. in l. ab Anastasio. C. mandat. circa fin.* Neque obstat, quòd teneretur facere Manilius, vt creditores facerent quietantiam generalem de toto credito, etiam diminuto pro rata pretij domus, quia neque hanc legem creditoribus imponere poterat Dominus Hieronymus, neque instrumentum ita disponit, sed tantum ad effectum, vt creditores liberarent omnino ab omni hypotheca prædictam domum, quæ hypotheca prætendebatur super melioramentis: quod arguitur ex illis verbis, ita quòd solum, & terrenum, & melioramenta remaneant libera, & empta absque aliqua hypotheca, quòd si aliter capiamus dictam obligationem, vtique facilius excusabitur à dolo Manilius, cum non constet creditores noluisse huiusmodi generalem quietantiam facere, quod coadiuuatur præsumptione *l. cum de indebito. de solution.* & etiam ex quietantijs exhibitis, in quibus reseruatur sibi ius agendi pro residuo. Quod de alijs molestationibus deducitur, non concludit, cũ vt supra deductum est, non faciāt ad rem, si sunt pro residuo crediti; nam si essent pro ipso credito per Manilium soluendo vtique releuarent, sed hoc hactenus probatum ex actis coram me exhibitis non apparet. Et ex his cessant omnia in contrarium pro Roberto allegata.

Romana Pecuniaria.
Die Mercurij 4. Maij 1583.

DECISIO DCXVIII.

Domini fuerunt concordes, quòd Massaritiæ, de quibus in partita, fuerint Domini Andreæ Arrigutij, non autem pertinuisse ad massaritias communes, hoc enim suadetur ex conuentione inita 1. Septembris 1579. in qua fuit conuentum, quòd d. Andreas immitteret in nouam societatem massaritias cum pactis & conuentionibus, de quibus in capitulis: vnde cum societas noua inciperet die 1. Decembris eiusdem anni, & massaritiæ fuerint emptæ à die 21. Octobris vsq. ad diem 24. Decembris, apparet, fuisse emptas pro societate noua, non pro ea, quæ finienda erat tunc tẽporis, suadetur quia d. Andreas fuit particulariter constitutus debitor pretij in emptionẽ erogati, non autem massaritiæ domus, prout in anterioribus computis massaritiarum, quod etiam confirmatur ex partita descripta in libro hæreditatis, in illis verbis (debitore miser Andrea proprio.) Non obstat quòd partita fuerit descripta in libris societatis antiquæ, quia factum fuit ex eo, quòd pecunijs dictæ societatis in hanc rem vsus fuerat, & verè erat debitor harum pecuniarum societati antiquæ. Neque facit, quòd non reperiatur creatus creditor in libris societatis nouæ, quia neq. etiam ostenditur repartitio & immissio capitalis ipsius, & reliquorum sociorum in dicta societate; Ideo deueniendum ad dubium datum super consensu Domini Fracisci, & videndũ, quid importet, & an releuet in casu, de quo agitur.

Placentina Bonorum.
Die Mercurij 11. Maij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Prosententia exequutorum præsumitur.*
2 *Probatio præsumptiua, quæ non concludit de tempore alienationis, sed ante, non concludit contra sententiam latam pro alienatione.*
3 *Probatio præsumptiua alia probatione præsumptiua tollitur, cum præsumptio præsumptione tollatur.*
4 *Probatio, quæ non est plena, verisimili coniectura diminuitur, & offuscatur.*
5 *Quando probationes actoris & rei non sunt inuicem contrariæ, licèt actor plenè probet, & reus semiplenè, ad offuscandam actoris intentionem sufficit, vide tamen num. 10.*
6 *Correspectiuitas gestorum facit, quòd omnia eodem tempore gesta censeantur.*
7 *Correspectiuitas colligitur ex his, quæ breui temporis interuallo fiunt.*
8 *Ad iudicandum, an actus sint correspectiui plurimum facit causa affectatiua circuitus gestorum.*
9 *Probatio plena non potest nisi per aliam plenam elidi.*
10 *In casu, in quo probationes non sunt contrariæ, probatio imperfecta non tollit aliã imperfectam; sed agitur de ea supplenda per delationem iuramenti.*

DECISIO DCXIX.

Quia pro parte Illustrissimi Domini Cardinalis fuerat oppositum de subreptione contra Dominos de Puteobonellis, ex quo in supplicatione porrecta Papæ pro obtinenda confirmatione alienationis bonorum, de quibus agitur, expositum fuerat, Commendatarium illius temporis non habere modum satisfaciendi aliunde debitis cum minori Ecclesiæ detrimento, quòd tamen ita se non habere dicebatur; cum per quindecim dies ante probaretur exactio sex millium librarum facta à Dominis de Bottis, & è contra multi testes examinati fuerunt pro Puteobonellis ad probandum debita per Commendatarium contracta, nec non multas meliorationes factas in bonis Ecclesiæ, quarum occasione ipse erat grauatus magno ære alieno: antequam examinetur, quid ex huiusmodi probatione resultet, dubitatum fuit, an ad tollendam probationem Illustriss. Cardinalis requiratur plena probatio, an verò sufficiat offuscatio, & pro

pro parte dominorũ de Puteobonellis duo
potissimum deducta fuerunt; Primo, quòd
cum ipsi habeant sententiam exequutorum
1 pro se; † pro qua in dubio præsumitur, &
in cõtrarium deducatur probatio præsum-
2 ptiua, † quæ non concludit de tempore a-
lienationis, sed percutit tempus præcedens
3 per quindecim dies, vtiq. † ad eam tollen-
dam sufficere debet alia probatio præsum-
ptiua, cum præsumptio præsumptione tol-
latur, *ad l. Diuus. de in integr. rest. c. litteras. de præsumpt. Alex. cons. 88. nu. 7. lib. 7. Natt. cons. 439. num.* 10. esse autem præsumpti-
uam illam probationem, quia præsumẽdum
est, quòd de tempore alienationis extarent
pecuniæ, quæ per quindecim dies, antequam
gratia impetraretur, exactæ fuerant, *vt per Aleiat. de præsumpt. regul. 2. præsumpt.* 21. *n.*
4 6. & ideo † probationem, quæ plena non est,
verisimili coniectura diminui, & offuscari,
Bart. in l. admonendi. n. 50. & 51. & ibi Rip. n. 211. de iureiur. Alex. in cõs. 183. n. 13. lib. 6. Bald. & Doctor. in l. 1. C. qui. & ad quos. n. 6.
5 Secundo deductum fuit, quòd † quando
probationes actoris & rei non sunt inuicem
contrariæ, licèt actor plenè probet, & reus
semiplenè, hoc sufficit ad offuscandam acto-
ris intentionẽ, *Alex. in cons. 134. n. 1. lib. 2. ex doctr. Bart. in d. l. admonendi. n. 49. Bal. in l. in bonæ fidei. num. 12. C. de reb. credit. Dec. in cons. 163. nu. 12. Paris. 104. nu. 11. lib. 4. & hanc esse receptam opinionem tradit Ias. in d. l. admonendi. n. 267. & Curt. num. 64. in fin.*
Has conclusiones non dubitarunt Domini,
quin sint veræ in iure, sed censuerunt pro-
posito casui non applicari; Nam quòd ad
priorem attinet, visa est probatio Illustriss.
Domini Cardinalis plena, considerata to-
tius facti serie, transactio enim cum Bottis
inita fuit sub die 20. Decembris 1541. & eo
tempore Dominus Commendatarius ha-
bebat conductas à Bottis vncias quatuor
aquarum, quas tenebatur conseruare con-
ductoribus bonorum, & eadem die ipse re-
nunciat illas vncias quatuor, & reconducit
vnciam cum dimidia, Eademq. die, & in eo-
dem instrumento Botti asserentes se non
habere alium modum satisfaciendi de libris
sexmillibus debitis Domino Commenda-
tario, vendunt vncias duas cum dimidia
Pellagatto, quas idem Pellagattus sub die
3. Aprilis 1542. vendit Commendatario,
qui soluit pretiũ ex pecunijs habitis à Pu-
teobonellis, quibus venditio facta fuerat
bonorum, de quibus agitur, sub die 5. Ianua-
rij eiusdem anni: Circuitus iste manifestè
detegit correspectiuitatem omnium gesto-
6 rum, † quæ faciunt, vt omnia eodem tem-
pore gesta censeantur ad effectum, de quo
agitur, non enim renunciasset Commenda-
tarius conductioni aquarum, quæ duratura
erat per plures annos; maximè cum eas cõ-
ductoribus conseruare teneretur, nisi sciret
se eas recuperaturum ex pecunijs redigen-
dis ex venditione terrarum à Puteobonel-
lis, quòd ex eo potissimum colligitur, quia
quicquid fecit Pellagattus, id fecit vti per-
sona à Commendatario supposita, cum li-
centia à Senatu habita triduo ante transa-
ctionem de huiusmodi aquis Pellagatto vẽ-
dẽdis contineat, vt ei liceat eas in quamcũ-
que personam etiam Ecclesiasticam trans-
ferre, ex quo apparet voluisse Commenda-
tarium directò accipere insolutum aquas
istas à Bottis suis debitoribus, quod facilè
licuisset facere, sed voluisse colorem quære-
re futuræ bonorum venditionis; quam præ
manibus iam habebat supposita persona
Pellagatti: & hęc omnia omnibus exactè re-
spondent; breuitas temporis inter transa-
ctionem & venditionem, quãtitas aquarum
conductarum, & postremo emptarum, quæ
simul constituunt vncias illas quatuor, quas
7 conductas prius habebat: † correspectiui-
tas autem colligitur ex his, quæ breui tem-
poris interuallo fiunt, *Anchar. in cons.* 434.
num. 3. *Aym.* 154. *n.* 8. Nec obstat, quòd spa-
tium quindecim dierum ita breue non vi-
deatur; quia concurrentibus ijs, quæ supra
deducta fuere, euidentissimè colligitur,
quicquid factum fuerit, fuisse factum ad ef-
fectum conuertendi istas pecunias in vsum
proprium, aliàs nulla suberat causa affecta-
8 tiua huius circuitus, † qui in iudicando an
actus sint correspectiui, plurimum facit, *vt per Pute. decis. 171. in vna Ispalen. lib. 2.* Præ-
terea à communiter accidentibus tractatus
vẽditionum semper per aliquot dies præce-
dunt contractum, & quod maximè verum
est hoc casu, cum probatum sit per Puteo-
bonellos propositas fuisse cedulas in locis
publicis, quibus significabatur Commenda-
tarium velle hæc bona in perpetuum alie-
nare. Et ex his cõclusum probationem Illu-
9 strissimi Cardinalis esse plenam; † & ideo
per aliam plenam elidendam esse, *ad trad. per Felin. & Dec. qui alios citant in c. in præsentia. vtrinq. sub num. 12. de probation. Bero. ibid. num.* 132. Quantum ad secundum
fundamentum Puteobonellorum Domini
dixerunt non applicari, duplici ratione. 1
Primo, quia hic agitur de probationibus di-
rectè contrarijs, scilicet, an extarẽt vel non
extarent pecuniæ tempore alienationis: Se-
10 cundo, quia etiam † in casu, in quo non
sunt contrariæ probationes, imperfecta non
tollit perfectam, sed agitur de ea supplen-
da per delationem iuramenti, *vt per Ias. in d. l. admonendi num. 263. Rip. ibid. num.* 210.
quod huic speciei applicari non potest: Vi-
dendum igitur superest, quæ probatio resul-
tet ex dictis testium pro Dominis de Puteo-
bonellis examinatorum.

Taurinen. Prioratus.
Die Veneris 20. Maij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Rota nõ exequitur sententias extra eam latas sine causa cognitione.*
2 *Rota repellendo aliquem à limine iudicij in vim sententiarum extra eam latarum diceretur illas exequutioni mandare.*
3 *Causa criminalis absorbet ciuilem, sed hoc procedit inspecto effectu, non ipso iure, cum necessaria sit sententia in ciuili.*
4 *Ex negatione possessionis non infertur ad negationem iuris.*
5 *Non potest quis niti actu per eum impugnato, quando in impugnatione obtinuit.*
6 *Negatio possessionis praeiudicat, si est facta praecedente interrogatione iudiciali; aliàs secus.*

DECISIO DCXX.

FVit resolutum Ramolinum esse audiendum in causa ciuili coram me pendente, de iurisdictione enim non dubitatur, quin sit penes Rotam ex forma rescriptorum præsentatorum, sed vis est in eo, quod deducitur pro parte Domini Tritonij fuisse per tres sententias conformes condemnatum Ramolinum de Simonia in iudicio criminali: sed hoc non obstare dictum est, quominus audiatur; licèt enim ex his sententiis detegatur non ius Ramolini, tamen illæ sunt producendæ ad fundandam exceptionem Tritonij, & cum sint extra Rotam latæ, Rota iuxta inueteratum stylum degustabit, an sint validę & iustæ, & pronunciabit pro Tri-
1 tonio, si tales erunt; † non enim sine cognitione causæ exequitur alienas sententias. Nec obstat, quod dicitur hic non agi de exequutione dictarum sententiarum, cum prætendatur eas iam fuisse mandatas exe-
2 quutioni, quia si earum prætextu repelleremus Ramolinum à limine iudicij, vtique hæc esset pars exequutionis; *& ita aliàs in simili fuit decisum in multis causis, & in specie in vna Meliten. praecedentia 5. Decembris* 1578. *coram me*. Non obstat, quod dicitur
3 † causam criminalem absorbere ciuilem, quia hoc verum est inspecto effectu, sed non ipso iure, quin sit necessarium ferre sententiam in ciuili. Quod secundo dicitur constare Ramolinum nullum habere interesse in hac causa, cum in partibus conuentus negarit se possidere; non concludit, quomi-
4 nus sit audiendus: nam † ex negatione possessionis non infertur ad negationem iuris, *l. permisceri. de acquir. poss.* Praeterea non obtinuit in illa possessionis negatione, cum dicatur iudices criminales condemnasse eum ad restitutionem fructuum vti posses-
5 sorem; ideo † non potest niti Tritonius actu per eum impugnato, cum in impugnatione
6 obtinuerit: Postremo † negatio possessionis tum demum præiudicat, si est facta præcedente interrogatione iudiciali, *glos. in c. pen. de iur. calum. Bart. in l. fin. de rei vendic. Guid. pap. in cons. 3. num. 2. quos refert & sequitur Gabr. de acquir. poss. concl. 5. nu. 3.* Ideo conclusum pro Ramolino.

Placentina Bonorum.
Die Lunæ 23. Maij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Plures contractus gesti ex eorum correspectiuitate vno & eodem tempore gesti dicuntur; quamuis confectio scripturae in aliud tempus dilata fuerit.*
2 *Probatio resultans ex actuum correspectiuitate dicitur clara & plena, & non praesumpta.*

DECISIO DCXXI.

DOmini perstiterunt in resolutis [a] probationem Illustrissimi Domini Car- præsens decisio habetur in
dinalis esse plenam; cum ex actuum cor- impress. diuers. nouiss.
respectiuitate probetur vno & eodem tem- 226. part. 2.
pore plures contractus fuisse conclusos; in- a sub die 12.
ter Bottos scilicet & Commendatarium proximè præ
contractum transactionis; inter Bottos & terito.
Pellagattum contractum venditionis aquarum; inter Pellagattum & Commendatariũ contractum venditionis earundem aquarum; inter Commendatarium & Puteobonellos contractum venditionis terrarum,
1 † ex qua connexitate actorum apparet vno & eodem tempore omnia gesta fuisse, quãuis confectio scripturæ in aliud tempus dilata fuerit: Ideoq. sequi, quòd tempore venditionis aderant illæ sexmillæ libræ debitæ Ecclesiæ, ex quibus dissolui poterat æs alie-
2 num, † & hanc esse claram & non præsumptiuam probationem; An verò pro alijs debitis potuerit illas pecunias retinere Commendatarius videndum erit, firmato prius, quid ex dictis testium & alijs prætensionibus Puteobonellorum colligatur.

Perusina Nullitatis testamenti.
Die Veneris 27. Maij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Institutio in omnibus bonis mobilibus & immobilibus an dicatur vniuersalis.*

DECISIO DCXXII.

DOmini steterũt in decisis; [a] quia quic- a sub die 28.
1 quid dicunt Domini informãtes, † in- Iunij 1584.
stitutio est vniuersalis non solum ratione illius dictionis vniuersalis, sed etiam ex quo dixit in omnibus bonis mobilibus & immobilibus, ex ijs quæ aliàs deducta fuerunt, quibus additur *Tiraq. de retract. lignar. §. 1. glos. 7. num. 20. & n. 28.* ponderando vniuersalitatem verborum iunctam cum verisimili mente & subiecta materia, quicquid dixerit *Alex. in cons. 45. n. 8. lib. 1. qui reprobatur ibi per addit. allegantem Alciat. in l. mouentium. de reg. iur. cui ad-*

di poteſt Rebuff. ibidem. verſ. primo limita. & verſ. quarto limita. Ad conſ. Bald. 46. lib. 2. reſpouſum fuit in alia deeiſione. *

* ſub die 25. Iunij anni praeſenti.

Romaua Hæreditatis de Piechis.
Die Mercurij 1. Iunij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Voluntas teſtatoris in dubio habetur pro perfecta, etiam quòd ſcriptura publicari non potuerit, non obſtante impedimento ſuperueniente in actu teſtandi & n. 9.*

2 *Depoſitio notarij dicentis teſtamentum publicatum non fuiſſe, quando teſtator plenè ſuam voluntatem dictauit, non elidit praſumptionẽ volũtatis perfecta, & n. 10.*

3 *Voluntas teſtatoris non dicitur perfecta, dum teſtator tractat de praparatione ſui teſtamenti, & non verſatur eirea actum ipſum teſtandi, nec ad actum ipſum deuenit, ſed ſolum voluntatem in praparatione declarauit.*

4 *Voluntas teſtatoris quando dicatur perfecta, & num. 8. & per tot.*

5 *Teſtamentum, quod à teſtatore dictatum fuit notario, qui illud non ſcripſit, poteſt probari teſtibus; licèt ſcriptura non probetur, & ita probatum valet, eum teſtamẽtum ſit in facto quo ad officium teſtandi, licèt eſſet in fieri quo ad officium notarij.*

6 *Teſtamentum nuncupatiuum non requirit ſcripturam, niſi ad faciliorem probationẽ, & nõ animo ſe reſtringendi ad illam.*

7 *Vbi partes adhibent notarium, quòd contractus ſine ſcriptura non valeat, eſt opinio reprobata.*

9 *Teſtator poſtquam ſuam voluntatem dictauit notario, licèt diuerterit ad actus extraneos, non ob id ſit, quòd voluntas non ſit habenda pro perfecta.*

11 *Praſumptio iuris per vnicum teſtem tolli non poteſt.*

12 *Depoſitio ſola notarij ſufficit in his, qua ad eius officium ſpectant; aliàs ſecus eſt.*

13 *Praſumptio præſumptione tollitur; ſecus in praſumptione iuris.*

DECISIO DCXXIII.

a ſub die 11. Iunij anni praeſenti.

QVia in vltima propoſitione huius eauſæ [a] inter cætera argumenta perfectæ voluntatis deducebatur præſumptio, quæ ſumitur *ex l. ſi is qui. & ibi Bald. & Imol. de teſtam. cum alijs tunc allegatis,*
1 quæ eſt, † voluntatem in dubio haberi pro perfecta: Dubitatum fuit, an hoc caſu intret huiuſmodi præſumptio perfectæ voluntatis, quod quidem dubium in effectu reincidit cum eo, quod prius propoſitum & reſolutum fuerat, & quidem tota vis eorum; quæ deducuntur eirea duo potiſſimum capita verſatur, quorum primum eſt, an ex eo quòd ſcriptura publicari non potuit, dici poſſit voluntas imperfecta. Al-
2 terum verò eſt, † an huiuſmodi præſumptio ex depoſitione notarij elidatur & tollatur, & in vtroque capite Domini cenſuerunt nõ eſſe recedendum à reſolutione facta 13. Iunij 1582. nam quantum ad priorem difficultatem Domini amplexi ſunt hãc diſtin-
3 ctionem; quod † aut teſtator tractat de præparatione ſui teſtamenti, non autem verſatur eirea actum ipſum teſtandi, & de rebus ſuis diſponendi, & hoc caſu ſi non deuenerit ad ipſum actũ teſtandi, voluntas illa in præparatione declarata, vt minus legitima nõ habetur pro perfecta, neq. iuris ſortitur effectum, & ita procedunt allegata *ex Oldrad. in conſ. 119. Dec. conſ. 159. Iaſ. 155. lib. 4. & hoc etiam caſu procedit conſ. Alex. 74. lib.* 1. ex quo teſtator dixerat, (Tenete coſì ſiu à domani) quæ res denotat tunc teſtatorem verſatum fuiſſe eirea præparatoria teſtamenti; nec voluiſſe diſpoſitiuè teſtari, niſi die craſtina, & iſte non eſt caſus noſter.
4 † Aut teſtator conſtitutus eſt in ipſo actu teſtandi & diſponendi adhibitis notario & teſtibus; nam ſub diſtinguendum eſt; Aut nõ apparet teſtatorem ſuſpendiſſe voluntatem in tempus publicationis, & tunc ſi voluntas per teſtes probetur, ea tenet, & eſt valida non ſolum inter liberos, ſed etiam omni reſpectu, licèt ſcriptura publicata non fuerit, & probatur hæc concluſio *ex textu d. l. ſi is qui. cum ibi tradit. de teſtam. & ex gloſ. in l. hac conſultiſſima. §. ſed quia. in verſ. octaue. C. qui teſtam. fac. poſſ.* vbi teſtamentũ perfectum ratione voluntatis probatur per ſeptem teſtes; licèt fuerit imperfectum ratione ſcripturæ, & eam gloſam communiter eſſe approbatam tradit *Didac. in c. relatum, il 1. n. 11. verſ. tertia concluſio. de teſtam.* hoc idem egregiè cõfirmatur ex Doctrina *Bald.*
5 *in l. Lucius. de teſtam. milit.* vbi † ſi teſtator dictauit teſtamentum notario, qui illud non ſcripſit, poteſt tamen probari teſtibus; licèt ſcriptura non probetur, & ſubdit acutam rationem, nempe in caſu dictæ legis, teſtamentum fuiſſe in facto quo ad officiũ teſtãdi, licèt eſſet in fieri quo ad officium notarij, & hanc ſentẽtiam tenet *Pariſ. in conſ. 28. n. 27. lib. 2. Ruin. conſ. 1. n. 21. lib. 2. Curt. iun. conſ. 303. & 304. n. 39. Calcan. conſ. 91. col. 1. & n. 4. & 7. Socin. iun. conſ. 144. nu. 58. lib. 2. Bertrand. conſ. 171. n. 14. in 2. 2.* nec ea-
6 ret optima ratione hæc opinio; † eum enim teſtamentum nuncupatiuũ nõ requirat ſcripturam, ſi ea adhibeatur, cenſetur adhibita ad faciliorem probationem, non autem animo ſeſe reſtringẽdi, reprobata enim eſt opi-
7 nio, quòd † vbi partes adhibent notarium, contractus ſine ſcriptura non valet, *et tradit Dec. in conſ. 340. Peregrin. deciſ. 34. lib. 1. Put. deciſ. 43. lib. 3.* & ex iſto diuiſionis membro deciditur caſus, de quo agitur: Apparet enim ex circumſtãtijs facti teſtatorẽ fuiſſe

fuisse in actu disponendi; maximè cũ iusserit vocari testes, *l. Pamphilo. §. propositum. de leg. 3. Ruin. cons. 15. nu. 10. lib. 2.*
8 + si verò appareret testatorem suspendisse voluntatem suam, tunc possent procedere allegata *ex Ruin. in cons. 1. lib. 3. Socin. Iun. cons. 71. num. 24. lib. 4. Bero. cons. 16. nu. 16. lib. 2.* Non obstat, quod dicitur præsumptionem perfectæ voluntatis non habere locum, nec procedere, quando quis poterat vlterius disponere, & non disposuit, *Alber. in d. l. si is qui.* quia hoc quidem verum est, sed non ideo valet argumentum à contrario sensu, nam esset directè contra text. *d. l. si is qui.*
9 + in qua non obstante impedimento superueniente in actu testandi voluntas pro perfecta habetur, & eodem modo respondetur ad id, quod dicitur testatorem diuertisse ad actus extraneos, quia hoc non est necessarium, vt voluntas pro perfecta sit habenda.
10 Ad secundam difficultatem, + An ex depositione Notarij tollatur difficultas & præsumptio, Domini dixerunt non tolli;
11 nam + præsumptio iuris per vnicum testem tolli non potest, *Aegid. decis. 336. circa fin.* Neque obstat, quod in contrarium dicitur *ex text. l. si quis Decurio, & ibi Bald. & Alberic. C. ad leg. Corn. de fals. & Alex. in cons. 33. nu. 9. lib. 3. Aretin. in l. 2. col. 2. de testam. Natt. in cons. 231. n. 1. Aym. cõs. 145. n. 2. Specul. de test. §. restat. nu. 8.* quia respectu No-
12 tarij, + vt solus fidem faciat, hoc procedit, vbi deponit de his, quæ ad eius officium spectant, & ita loquitur textus *in l. si quis Decurio. & ibi Bald. & colligi potest ex traditis ibi per Salicet. num. 4.* aliàs sicuti quando testis deponit solus, non facit fidem, *Aegid. decis. 61. in fin. Aym. cons. 171. num. 5. & hoc idem innuit Bald. in l. errore. num. 2. C. de*
13 *testib.* & quod dicitur + vnam præsumptionem alia præsumptione tolli, non procedit in iuris præsumptione, *vt per Aegid. d. decis. 336.* Et ita conclusum pro voluntatis perfectione, reseruato An per septẽ testes probetur huiusmodi voluntas, quod erit videndum.

Ispalen. Iuris nominandi.
Die Veneris 3. Iunij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Dicta testium ab articulis recipiunt interpretationem.*
2 *Dictio, huiusmodi, est relatiua.*
3 *Vbi agitur de probanda consuetudine generali, ea ex actibus particularibus colligitur, & probatur per testes etiam singulares.*
4 *Consuetudo præsumitur vniformis, vbi ratio diuersitatis non assignatur; maximè si adsit difficultas probationis.*
5 *Mandatum de manutenendo admittit leuiores probationes, & vnicus etiam testis sufficit.*

DECISIO DCXXIV.

FVit resolutum mandatum datum pro omnibus Ecclesijs totius Archiepiscopatus sustineri, quamuis testes explicitè non deponant de omnibus Ecclesijs; nam
1 + dicta testium recipiunt interpretationem ab articulis, in quibus fuit articulata huiusmodi cõsuetudo siue obseruantia in omnibus Ecclesijs dicti Archiepiscopatus, *Alex. in cons. 88. num. 26. lib. 5.* & testes
2 vtuntur + dictionibus relatiuis, veluti primus super quinto, ibi beneficiati parochialium huiusmodi, tertius super 16. ibi dictos beneficiatos huiusmodi Ciuitatis, & sic nõ est probatio indefinita sed vniuersitatis, vt in simili considerat *Dec. in cons. 100. n. 7.* Accedit, quòd secundus testis deponit de publica voce & fama super 13. & tertius su-
3 per 16. + Præterea agitur de probanda cõsuetudine generali, quæ ex actibus particularibus colligenda est, & probatur per testes etiam singulares, *vt tradit Anchar. in*
4 *cons. 233. num. 7. Aym. cons. 134. n. 9.* + præsumitur enim vniformis consuetudo, vbi ratio diuersitatis non assignatur; maximè stante difficultate probationis, & quasi impossibilitate, si requireremus probationem specificam omnium Ecclesiarum, quæ sunt in tota diœcesi, & hæc probatio confirmatur valde ex decimo articulo dato pro parte Archiepiscopi; & ideo cum simus in mã-
5 dato de manutenendo, + quod de sui natura admittit leuiores probationes, adeo quòd vnicus testis sufficiat, conclusum fuit pro beneficiatis.

Romana Pensionis.
Die Veneris 3. Iunij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Is dicitur inhabilis ad Clericatum absque dispensatione, qui habet oculum effossum vel erutum, licèt solum in pupilla, itaut oculo carere dicatur, eum prohibitus sit diuinis applicari ministerijs.*
2 *Ex corporis vitio cõtrahitur irregularitas.*
3 *Habens maculam in oculo, qua visum impediat, licèt non inducat magnam deformitatem, nec generet scandalum in populo, dispensatione tamen Episcopi indiget; secus est in mutilatione, qua requirit Papa dispensationem, & n. 5.*
4 *Arbitrarium est iudici, an vitium in clerico se promouente sit tale, quod inducat deformitatem, secus est in mutilatione.*
6 *Facilius permittitur dispensatio, vt in iam susceptis ordinibus quis ministret, quàm quòd ad ordines promoueatur.*
7 *Episcopus dispensando cum corpore vitiato*

debet hoc facere cum causæ cognitione.
8 *Papa scienter gratiam faciens inhabili censetur cum eo dispensare.*

DECISIO DCXXV.

DVbitatum fuit, An Dominus Pirrus esset inhabilis ad suscipiendum clericatum propter viciũ seu effossionem oculi: & quidem Domini, qui ipsum viderunt, iudicabant erutum esse oculum aut saltem eam partem, quę pupilla dicitur, per quam transfunditur spiritus visorius, omnino effossam esse, itaut non possit dici habere maculam in oculo, vt loquuntur summistæ, sed potius dicendum sit carere oculo, cum ea parte, in qua inest videndi facultas, careat. Quo
1 supposito fuit itum in eam sententiam † nõ potuisse sine dispensatione ad clericalem tonsuram promoueri, & adesse auctoritates in specie non solum de presbyteratu, sed etiam de clericatu loquentes, *Præpos. in c. fin. 55. distin. vers. oppono quòd immo. Gemin. & Turrecrem. ibid. & licet Bellamer. in c. de gradibus.* 35. *q.* 8. dicat, quòd iura loquentia de hac prohibitione loquuntur respectu præsbyteratus, & sacrorum ordinum, non autem respectu promotionis ad beneficia, tamen prohibitionem hanc generaliter inductam esse negare non possumus, nempe à Gelasio *in c. non confidat.* 50. *distin.* vbi vetat corpore vitiatos diuinis applicari ministerijs, & in confesso est, eũ, qui admittitur ad clericalem tonsuram, diuinis applicari ministerijs, & illum textum generaliter intelligunt *Præposit. Gemin. &*
2 *Turrecrem.* dicentes † ex huiusmodi corporis vitio contrahi irregularitatem, & hinc sequitur impedire non solum maiores ordines, sed etiam minores, & clericatum, *Summistæ in verb. irregularitas.* Præterea casus propositus per Bellameram est valde
3 diuersus à nostro, agit enim de eo, † qui habebat maculam in oculo, quæ visum impediebat, sed non inducebat magnam deformitatem, neque generabat scandalum in populo, & tamen etiam hoc casu requirit dispensationem Episcopi. Præterea quamuis Doctores communiter *in c. Thomas. de corpor. vitiat.* tradant, quòd vt vitium corporis repellat à promotione, requiritur, vt sit tale vitium, quòd scandalum generet in solemniter celebrante, vel in actu solemniter celebrandi, *vt post Butr. in c.* 1. *& in d. c. Thomas. tradit Petr. de Biaxio. in director. elect. c.* 19. *& Beatus Anton. in tractat. de irregular. c.* 5. tamen non videtur tutum in casu proposito dicere, quod vitium non sit tale, quod non inducat magnam deformitatem, & non sit aptum generare scandalũ; maximè cum Doctores passim hanc distinctionem adhibeant in quibusdam vitijs albaginum & macularum, non autem effossionis oculi vel mutilationis membri, vt videre est ex his, quæ tradunt prædicti Doctores, *& Panuin. de visitat. q.* 6. 2. *part. nu.*
4 21. † & in hoc casu versatur arbitrium iudicis, non autem in mutilatione, vt colligigitur ex tractat. *per Menoch. qui alios citat de arbitrar. cas.* 226. longè enim differunt huiusmodi vitia à mutilationibus, *l. & quãtum. cum sex vel septem sequentibus legibus*
5 *de edilit. edict.* Hinc inferebatur † necessariam fuisse hoc casu dispensationem Papæ, vt tradunt supradicti Doctores *in d. c. non confidat. & Bellamer. in d. c. de gradibus. col.* 1. *Speculat. de dispensat. §. iuxta. nu.* 3. *&* 61. cum simus in mutilatione, & facit *c.* 1. *de re iudic. in* 6. *& ibi Archidiac. Milis in verb. dispensare. Io. Andr. c.* 1. *de corpor. vitiat.* & secundum istam distinctionem sunt intelligendi moderni, qui tradunt in nonnullis vitijs & deformitatibus non requiri Papæ dispensationem; quia procedit in leuibus vitijs & debilitationibus, non autem in membrorum principalium mutilationibus, vel quando quis dispensatur, vt in iam
6 susceptis ordinibus ministret, † quod facilius permittitur, & ita procedunt textus *in c.* 1. *&* 2. *de corpor. vitiat. & c. quicunq.* 50. *distin.* Sed dato etiam, quòd in casu isto non requireretur dispensatio Papæ, sed sufficeret dispensatio Ordinarij, vtique clerica-
7 tus non potest sustineri, † quia non reperitur dispensatus cum causæ cognitione, pro-
8 ut requiritur in Episcopo, † speciale enim est in Papa, vt scienter gratiam faciens inhabili censeatur cum eo dispensare, *Speculat. de dispensat. §. qualiter. num.* 2. 3. *&* 4. *Abb. in c. cum in cunctis. §. inferiora. nu.* 8. *de election. & ibi Dec. num.* 8. & ita conclusum pro inualiditate clericatus.

Romana Scripturarum,
Die Veneris 10. Iunij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Scriptura dubia recipit interpretationem à scriptura clara.*
2 *Solutio facta pro arrenda anticipata solutione facit contractum vsurarium.*
3 *Contractus vsurarius in dubio non est dicendus.*
4 *Interpretatio in dubio facienda est contra producentem scripturam.*
5 *Probatio clara praualet coniecturali.*

DECISIO DCXXVI.

FVit resolutum solutionem pecuniarum, de quibus in apocha receptionis censeri factam ad computum pretij scripturarum, non autem ad computum fructuum arrendæ: Primo quia apocha clarè cantat ad cõputũ pretij scripturarũ, cui cõcordãt testes, & con-

præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss. 228. part.

& cōfirmatur optimè ex reductione fructuū,
quæ fieri non poterat nisi ratione huius so-
lutionis; maximè cum incipiat à mense
Februarij, & solutio præcesserat de mense
Ianuarij; sed quod potissimum vrget appa-
ret proportionatam esse reductionem ad
pretium; cum enim scuta 365. auri in auro
constituant ferè 313. ducatos de Camera,
quæ erat tertia pars totius pretij scriptura-
rum, diminuta fuit quoq; arrenda pro tertia
parte, nempe ad ducatos quinque cum prius
esset ducatorum septem cum dimidio; neq;
dicendum est ex alia causa reductionem fie-
ri potuisse, argueretur enim falsi vtraque
apocha, quæ cantat reductionem factam
fuisse ratione restantis summæ, & tamen
hac apocha, quæ in libello est descripta, vti-
tur Mossardus, & eam approbat; ideò ve-
risimilius est, vt quod in ea dicitur ad bonū
computum dictæ arrendæ, intelligi debeat
idest ad bonum computū partis pretij scri-
1 pturarum arrendatarum, quia † scriptura
dubia recipit interpretationem à scriptura
clara, & illa verba ad bonum computum
arrendæ non possunt recipere eam interpre-
2 tationem, vt † solutio facta fuisset pro ar-
renda anticipata solutione, esset enim con-
3 tractus vsurarius, † quod in dubio dicendū
non est *l. si pater; quæ in fraud. credit. l. meri-
tò. pro soc. Felin. in c. 1. nu. 13. de off. iud. deleg.*
4 & † cū scriptura producta per creditores sit
clara, scriptura verò producta per Mossardū
sit dubia, interpretatio fieri debet contra
producentem, *glos. in verb. dubium. & ibi*
5 *Doctor. in c. in præsentia. de probation.* † prę-
ualet autem probatio clara coniecturali; &
ideo cessant aliàs deducta in contrarium *in
resolutione coram me facta*, [a] *à qua fuit re-
cessum*.

[a] sub die 21. Maij anni præteriti, & resolutio est iuxta decis. prius factam sub die 12. Febr. 1582.

Placentina Bonorum.
Die Lunæ 13. Iunij. 1583.

SVMMARIVM.

1 *In contractu emphyteusis requiritur scri-
ptura, & tunc recipit perfectionem, quā-
do in instrumentum redigitur, vt nu. 2.*
3 *In emphyteusi ecclesiastica sufficit, quòd ad-
sit vtilitas tempore, quo contractus est in
scripturam redactus.*
4 *Correspectiuitas quid operetur in contracti-
bus.*
5 *Ea quæ fiunt post contractum in illius exe-
quutionem, ad diem contractus trahun-
tur, quando tamen contractus est abso-
lutus & perfectus.*
6 *In contractu, qui requirit scripturam, da-
tur locus pænitentiæ.*
7 *Data correspectiuitate contractus, lex pro-
cedit per viam fictionis.*
8 *Fictio non introducitur nisi quadam ra-
tione æquitatis.*
9 *Fictio cessat vbi cessat æquitas.*
10 *Interpretatio fieri debet, vt actus susti-
neatur.*
11 *In contractibus spectari debet initium, si
contractus sit in se perfectus.*
12 *Quando principium est illicitum, & finis li-
citus, magis inspiciendus est finis.*

DECISIO DCVII.

FVit dubitatū, An in probando quòd bo.
me. Commendatarius haberet pecu-
nias de tempore alienationis bonorum, de
quibus agitur, sit attendendum tempus cō-
clusionis contractuum vel tempus confe-
ctæ scripturæ dictæ alienationis, & Domini
1 cum præsupposito, quòd simus † in contra-
ctu emphyteutico requirente scripturam,
*vt per Ias. in l. 1. nu. 61. C. de iure emphyt.
Afflict. decis. 72. num. 7. cum alijs allegatis* [a],
censuerunt attendendum esse tempus cō-
fectæ scripturæ *per l. cōtractus. C. de fid. instr.*
2 † perfectio enim huius contractus tunc da-
tur, quando in instrumentum redigitur, &
3 ideo † sufficit verificari, quòd eo tempore
adfuerit euidens vtilitas, *c. 1. de reb. eccl. non
alien. in 6. c. fine exceptione. 12. q. 2. Extra-
uang. Ambitiosa. de reb. eccl. non alien.* & at-
tendi debet momentum, quo actus perfici-
tur, & secundum illud iudicari, *vt inquit
Bald. in l. si quis cum. §. si suo. in 3. notab. de
vulg. & pupill.* Accedit quòd hoc suadetur
ex tenore cōfirmationis habentis relationē
ad instrumentum, & ideo tempus illud spe-
4 ctandum videtur. Neq; obstat † correspe-
ctiuitas, ea enim facit, vt vnus contractus
alteri insit, sed non facit, vt spectandum sit
initium actus, quamuis inter partes conclu-
si, si eius est naturæ, vt post se expectet scri-
pturam ad sui perfectionem; illud enim
5 quod dicitur, † ea quæ fiunt post contractū
in illius exequutionem trahi ad diem con-
tractus, à quo necessariam consequentiam
habet, *vt per Tiraq. de retract. lignar. §. 1.
glos. 10. num. 112. & seq.* procedit, vbi con-
tractus est perfectus & absolutus, sed vbi
requiritur scriptura, non potest haberi pro
6 perfecto; & † ideo est locus pœnitentiæ *d.
l. contractus.* maximè verò vbi actus diuer-
so prorsus tempore fiunt cum notabili in-
teruallo, vt colligitur *ex notatis per Tiraq.
in l. si vnquam. in verb. donatione largitus.
n. 117. C. de reuoc. donat.* Neque obstat, quòd
7 † data correspectiuitate lex procedat per
viam fictionis *ex notat. eod. loco per Tiraq.
post Doctores in l. lecta. & ibi Aretin. in 3. no-
tab. & Cagn. n. 109. si cert. petat.* quia illud
procedit ad alium effectum, nempe vt pro
eo, quod inesse contractui dicatur, detur
actio ex contractu, & tunc dicitur contra-
ctus absolutus vno & eodem tempore, quod
hic fingi non potest, respectu temporis, nisi
conuerso ordine trahamus omnia præce-
dentia ad diem scripturæ, quod fieri non
potest, cum aliqua habeant suam subsisten-

[a] Alex. cons. 50 n. 4. lib. 5. Suarez inter communes, in verb. emphyteusis. n. 124. ibid. Villalob. in eod. vers. nu. 44. Ruin. cōs. 167 n. 22. lib. 1. Iacob. de S. Georg. in Auth. qui se. n. 1.. C. de sacrosanct. eccl. vbi Cagnol. n. 7. Pedemont. decis. 53. nu. 8. & Burlat in cons. 26. nu. 16. lib. 2.

tiam, quæ non dependet à validitate alie-
nationis, prout in hac eadem causa fuit re-
solutum respectu emptionis aquarum: quod
8 etiam confirmatur ex eo, quòd † fictio non
introducitur nisi ratione quadam æquita-
9 tis, & † vbi ea cessat, fictio quoq; cessat, *l.
postliminium. in princ. de capt. & postlim.
reuer. Bart. in l. si is qui pro emptore. n. 2. de
vsucap. cuius opinionem omnes sequuntur,
vt tradit ibi Crott. nu. 32. licèt ipse & Ias. n.
74. contrarium senserint*, æquitas autem nõ
subest, vt contractus alio tempore fingatur
celebratus ad effectum cum reddendi nullũ
10 contra omnes regulas, quæ volunt, † vt in-
terpretatio fiat, itaut actus sustineatur, *l.
quoties. de cond. & demonstr.* Et ex his etiã
11 tollitur, quod dicitur † in contractibus spe-
ctandum initium, *vt per Paris. in cons. 54.
n. 56. lib. 1. cum alijs*, [a] quia præterquam
quòd id procedit in contractibus in se per-
fectis, vt supra dictum est, considerandum
est, An principium necessario prædomine-
tur in subsequentia, *ad tradita per Bald. in
c. cum dilecti. nu. 6. de dol. & contum.* veluti
si quis metu contrahat, vel mutuas pecu-
nias accipiens venditionẽ simulet, hoc prin-
cipium trahit ad se sequentia, quibus præ-
dominatur, & quæ ab eo originem trahunt,
quod non ita se habet in proposito casu; li-
cèt enim adsit correspectiuitas, tamen sin-
guli contractus habent suam formam &
causam, nec mediante transactione fit ven-
ditio, sed mediante pretio, neq; actio oritur
pro omnibus ex codẽ fonte, sed ex vno quo-
que actu datur particularis actio, vt de eo
qui alieno mandato aliquid gerit, *tradit
Bald. in c. Imperatorem. §. illud. nu. 1. de pro-
hib. alien. feud. Tiraquel. in regul. cessante.
limitat. 20. nu. 15.* & æquior est hæc senten-
12 tia ex eo, quòd † quando principium est il-
licitum, & finis licitus, magis inspiciendus
est finis, *vt colligitur ex traditis per Bart. in
l. quod ait lex. de adulter.* Quod autem de-
ducebatur à Puteobonellis correspectiui-
tatis probationem esse præsumptiuam, ve-
rum quidem est, sed ad rem non facit, quia
quæ deducuntur ex eorum testibus, non eo
tendunt, vt tollant correspectiuitatem, quã
ipsi admittunt, sed ad probandum pecunias
eo tempore non extitisse, quod erit viden-
dum. Et ita per Dominos fuit conclusum,
circumscripto An hoc negotium hoc pacto
fuerit per Commendatarium spatio inter-
posito gestum fraudulenter ad extorquen-
dam faciliùs alienationis confirmationem.

[a] & per Cephal. in cõs. 71?. no. 28. cum seq.

Tullen. Peioratus.
Die Lunæ 13. Iunij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Quasi possessio eligendi non dicitur quæsita,
si non constet de confirmatione electio-
nis.*
2 *Ante confirmationem electionis non dicitur
constare de iure sed de non iure eligendi.*

DECISIO DCXXVIII.

FVit resolutum, non constare de tali qua-
si possessione eligendi, quæ suffragetur
1 Monasterio & Conuentui Tullen. † cum
enim nõ cõstet de confirmatione electionis,
nulla est quæsita quasi possessio, *Calderin.
cõs. 12. de iure patr. Imol. in c. 2. de restit. spol.*
Non obstat, quòd vigore priuilegij Clemen-
tis non requiratur confirmatio; quia cum
priuilegium non suffragetur, neque etiam
suffragabitur quasi possessio: cumq; constet
non solum de iure Domini Commendatarij,
2 † sed etiam de non iure Conuentus respe-
ctu prætensi iuris eligendi, intrant allegata
per Rip. in c. cum Ecclesia Sutrina. nu. 130.
præsertim cum simus ante confirmationem,
*Dec. in cons. 149. nu. 2. Roeb de iure patr. in
verb. competens. nu. 39. Lambertin. 1. par. 2.
lib. 6. art. 6. quæst. princip. nu. 4. cum alijs per
informantes allegatis*, [a] Siue igitur Deside-
rius alleget priuilegium Clementis, siue
non alleget, constat de non iure suo, & per
consequentiam non docet de aliqua quasi
possessione considerabili ad effectum, de
quo agitur; maximè cum neq; etiam ele-
ctiones factæ sint seruata forma prætensi
priuilegij.

[a] & per Abbat. in c. cõsultationibus. n. 9. vers. quod ego. de iurepatro. Paul de Cittadin. in 6 part. art 5. in 4 quæst. princip. 0 4. vers. tertius casus.

Anconitana Vineæ.
Die Veneris 17. Iunij. 1583.

SVMMARIVM.

1 *Ad effectum præscriptionis bona fides præ-
sumitur non solum in possidente cum titu-
lo, sed etiam sine titulo.*
2 *Ex scientia rei alienæ excluditur bona fi-
des.*
3 *Vt credulitas induceat bonam fidem, debet do-
ceri, quòd ex iusta causa motus sit ad
credendum.*

DECISIO DCXXIX.

1 PRo informante, † nam licèt bona fides
nedum in possidente cum titulo, sed
etiam sine titulo præsumatur ad effectum
præscriptionis, *glos. in c. si diligenti. & in
c. fin. de præscript. Couaru. in regul. possessor.
§. 8. nu. 2.* tamen in hoc casu videtur pro-
2 bari mala fides, † quæ insurgit ex scientia
rei alienæ, *l. fin. & ibi Bart. C. vnde vi. Ri-
min. cons. 78. num. 69 lib. 1.* sciebat autem
Clarotius Vineam fuisse emptam à Bonsi-
lio. Neq; obstat, quòd potuerit putare eam
fuisse solemniter insolutum datam Dianæ;
3 † quia docere debet, quòd ex causa iusta
motus ita existimauerit, *ad glos. in l. fin. pro
emptor. & ibi Bart. Alciat. in l. bona fidei.
de verb. sign.*

Cer-

Cernien. Bonorum.
Dic Veneris 17. Iunij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Tempus anni ad petendam renouationem inuestitura non incipit nisi à die scientia; nec eius lapsus obest, quando est inuestitus extraneus.*

2 *Tempus triginta annorum datum ad petendum inuestituram, quando extraneus est inuestitus, habet locum, licèt infra annũ non fuerit petita.*

3 *In commissione censetur omne ius deductũ.*

4 *An oblatio conditionum ab alijs repertarum, quam facere debet petens inuestituram, possit fieri post motum iudicium, & post litis contestationem.*

5 *Prosequutio actionum ex vno capite non tollit aliud.*

6 *Qui ommissa vna via agendi aliam agreditur, de stylo Rota non tenetur ad refectionem expensarum.*

DECISIO DCXXX.

FVit dubitatum, an Domina Lucretia
sit exclusa à petitione inuestituræ, ex
quo non obtulit eandem conditionem, quã
obtulerat Co. Pandulphus, & licèt dubita-
tio esset restricta ad oblationem; tamen in-
formantes pro hæredibus Pandulphi redie-
runt ad obiectionem aliàs factam, quòd pe-
titio non fuisset facta intra annum, quam
obiectionem aliàs Rota reiecit sub die 23.
Martij proximè præteriti: Et quod ad hanc
limitationem attinet, Domini dixerũt eam
non obstare; quamuis enim huiusmodi ter-
minus à lege præfigatur ad petendam inue-
stituram, vt habetur *in c. 1. §. Titius. si de*
feud. cont. sit inter dom. & agn. defun. & tra-
dit Alex. in Addit. ad Bart. in l. 1. §. permit-
titur. de aq. quotid. & astiu. Clar. in §. em-
phyteusis. q. 43. tamen præterquam quòd
1 † hoc tempus annnum incipit à die sciẽtiæ,
vt expresse habetur *in d. §. Titius.* sublimi-
tatur hæc conclusio, vt non procedat, quan-
do inuestitus est extraneus, *glos in d. §. Titius.*
communiter approbata, vt testatur Alex. in
cons. 15. lib. 10. n. 5. Ias. cons. 7. in fin. lib. 3.
plurimos cumulat Tiraq. de retract. lign. §. 1.
glos. 10. n. 8. Addit. ad Alex. d. cons. 15. Gabr.
de emphyt. concl. 1. n. 12. congerit ferè omnes
Addit. Moderni ad Iserniam. in d. §. Titius.
in vers. quod si consensit. Nec vera est sub-
2 limitatio, quòd † beneficium triginta an-
norum non detur nisi ei, qui infra annũ pe-
tierit; quia hac ratione nulla est differen-
tia inter alienationem factam in agnatum,
& eam quæ fit in extraneum, quando enim
facta est in agnatum, sufficit petitio & di-
ligentia de petendo, *Bero. cons. 107. nu. 47.*
lib. 1. Quantùm ad oblationem non factam,
cuius occasione particulariter fuit datum
3 dubium Domini dixerunt, † quòd cum à
principio censeatur per causæ commissio-
nem deductum omne ius per Dominam Lu-
cretiam, nec probetur scientia conditio-
num Ecclesiæ factarum per Com. Pandul-
phum, & per litis contestationem censeatur
4 denegata inuestitura, † potest Domina Lu-
cretia hodie offerre, & etiam sine huiusmo-
di oblatione potest iudex in sententia man-
dare, vt præstet easdem conditiones, quas
præstitit Paudulphus, *vt latissimè fuit de-*
ductũ, & conclusum in illa Roman. quinqua-
ginta millium. 6. Iunij 1575. coram R. P. D.
Aldobrandino. * Neq; obstat, quòd à prin- * in impress. diuers. nouis. 351. part. 1.
cipio intentatum fuerit remedium quorum
bonorum, & in eo succubuerit; quia vt di-
ctũ est, omne ius censetur deductũ à princi-
5 pio, † nec prosequutio ex vno capite tollit
aliud, & hac ratione † Rota passim obser-
nat, vt ille qui omissa vna via agreditur a-
liã, non teneatur ad refectionẽ expensarum,
quando à principio omne ius deductũ fuit:
vt etiam in hac eadem causa fuit resolutum.
Quod extra punctum deducitur ex alijs in-
uestituris indiget particulari discussione,
sed ante omnia producendæ erunt in forma
probanti.

Vrgellen. Abbatiæ.
Die Lunæ 20. Iunij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Committens causam nullitatis æquè principaliter, potest eam prosequi, etiam non docto de aliquo iure suo.*

2 *Actor tunc tenetur docere de iure suo, quando petit illud canonizari.*

DECISIO DCXXXI.

IOannem posse audiri super nullitate cõ-
1 firmationis electionis, quia † cum fuerit
causa nullitatis æquè principaliter com-
missa, & Ioannes sit professus illius monaste-
rij, potest eam causam prosequi, etiam non
docto de aliquo iure suo, cum isti sint diuer-
si & separati articuli, & fieri potest etiam,
quòd Ioannes ius non foueat in sua electio-
ne, & quòd pari modo neq. etiam Frãciscus
sit canonicè electus. Illud verò, quod dici-
2 tur † Ioannẽ cum sit actor, teneri docere
de iure suo, procedit, si ipse vellet canoniza-
re suã electionẽ; sed cum hactenus ipse non
prosequatur istam viam, sed tantummodo
petat declarari nullam electionẽ Francisci,
& de suo interesse satis constet, ex quo, vt di-
ctũ est, professus est in illo Monasterio, non
potest denegari ei audientia.

Auximana Dotis.
Die Mercurij 22. Iunij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Præscriptio statuti in actione personali cum mala fide non prodest debitori, siue*

vr-

verba statuti directa sint in ipsum, siue in creditorem, secundum communẽ, & magis receptam Doctorum sententiam, vt n.3. & hoc procedit etiam quòd statutum sit à Papa confirmatum. vt n.5.

2 *Sicut lex arctat creditorem ad petendum creditum infra certum tempus, si illud vult consequi, ita Deus & bona fides arctant debitorem indefinitè ad satisfaciendum creditori omni tempore.*

4 *Negligentia pæna in re propria à nemine exigitur.*

DECISIO DCXXXII.

FVit iterum causa proposita super eisdẽ, & pro parte Domini Guzzolini factum præcipuum fundamentum super opinione *Castrensis in l. sequitur. §. si viam. de vsucapion.*
1 † *quam asserit communem Gabr. de præscrip. concl.* 4. n. 4. qui distinguebat, an statutum dirigeret verba in debitorem, & non procederet præscriptio cum mala fide, aut in creditorem, & tunc procedat præscriptio, sed ista opinio quicquid dicat Gabr. non est communiter approbata; nam eam sequi videntur infrascripti tantum *Corn. in cons.* 176. *col.* 2. *vol.* 1. & *cons.* 206. *col.* 2. *vol.* 2. *Alex. in cons.* 170. *col.* 1. *in fin. lib.* 7. *Crot. in l. nemo potest n.* 79. *vers. quarto limita. de leg.* 1. *Barbat. cons.* 36. *lib.* 4. *Ferrat. cautel.* 38. *qui tamen eam non firmat, & sic in summa si istis addamus Bart. in d. §. si viam. erunt tantum septem Doctores hanc opinionem tenentes.* In contrarium verò tenet *Bart. in l. omnes populi. n.* 22. *de iust. & iur. & ibi Bolognet. nu.* 95. *Ant. de Butr. in c. fin. n.* 8. *de præscript. & ibi Imol. nu.* 24. *vers. item non videtur iusta causa.* qui dicunt hoc statutum esse nu-
2 tritiuum peccati, & † sicut lex arctat creditorem intra certum tempus ad petendũ debitum, si illud vult consequi, ita Deus & bona fides arctant indefinitè debitorem ad satisfaciendum creditori omni tempore; hanc eandem sententiam tenet *Roman. in d. §. si viam. num.* 7. *Corn. in cons.* 180. *nu.* 1. *lib.* 3. *Felin. in d. c. fin. nu.* 6. *de præscript. & ibi Paris. n.* 6. *vers. sexto limitatur.* Et cõprobatur optimè hæc opinio ex inductione textus *in l. omnes. C. de præscript. trigin. an.* qui dirigit verba in personam creditoris,
3 & † tamen Doctores communiter concludunt malam fidem impedire præscriptionẽ etiam in actionibus personalibus, ratio verò *Barbat. in d. cons.* 36. futilis est, dum reputat negligentiã esse peccatum, non enim peccare videtur, qui non vrget debitorem
4 suum ad soluendum, & † negligentiæ pęna in re propria à nemine exigitur, *l. quod Nerua. deposit.* & in summa Doctores communiter reprobant opinionem *Bart. in d. §. si viam. vt videre est ex congestis per Modern. Mediolanenses in tractat. de contract. glos.* 3. *nu.* 84. & eadem ratione tollitur limitatio *Bald. in c. debitores. in fin. de iureiur.* quem in specie reprobat *Felin. in d. c. fin. n.*
5 7. *vers. sextam ponit Bald.* † Quantum ad confirmationem, ea nihil facit, cum enim in statuto non exprimatur, vt procedat etiam, quòd quis esset in mala fide, ea non capit hunc casum, & ita interpretatur huiusmodi statutum *Corn. in d. cons.* 180. *n.* 2. & 3. *lib.* 3. maximè cum adsit restrictio illa, licita tamen & honesta, posita in fine, quæ ab eodem verbo regitur, & ita ad omnia statuta refertur, *Dec. in c. secundo requiris. de appellation. n.* 3. Et ex his conclusum non esse recedendum à resolutis.*

* sub die Mercurij 27. Aprilis proximè præteriti.

Burgen. Iurisdictionis Archidiaconatus.
Die Lunæ 27. Iunij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Episcopo existenti in possessione sua Ecclesiæ competit possessio respectu omnium membrorum iurisdictionis, non data particulari possessione alterius in aliquo mẽbro priuatiuè ad Episcopum.*

DECISIO DCXXXIII.

SI non constat de possessione dignitatũ, Reuerendiss. Archiepiscopum esse manutenendum iuxta formam supplicationis
1 & decreti sacræ Congregationis, quia † cũ ipse sit in possessione Archiepiscopatus, intrat sua possessio respectu omnium membrorum, non data possessione particulari aliorum: si verò constat de possessione dignitatum priuatiuè ad Archiepiscopum, neutrum esse manutenendum, non quidem dignitates; quia obstat decretum, neq; Archiepiscopum, cum non sit in possessione; tamen respectu D. Francisci Aluaradi, Domini non darent mandatum Reu. Archiepiscopo, donec sublatis molestiis ipse possit extrahere sua iura, ne reportet commodũ ex huiusmodi impedimentis minus legitimè præstitis.

Fauentina Bonorum.
Die Lunæ 27. Iunij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Qui commisit causam restitutionis in integrum, debet docere de læsione, & in hoc articulo sustinet partes actoris.*

2 *Ex responsionis quantitate arguitur quantitas rei concessæ.*

3 *Regula, quòd confessio procuratoris reuocari possit, etiam non docto de errore, quando non procedat.*

DECISIO DCXXXIV.

DVbitatum fuit, cui incumbat onus probandi Madrariam terminari in loco adnotato in planta, & an Monagura sit data

data pro quarto confine in instrumento anni 1288. & propter materiæ difficultatem; maximè quia magna pars Dominorũ nõ interfuit decisionibus aliàs coram D. Gropperio factis, causa fuit remissa ad Calendas; ideo partes tunc temporis curabũt deducère factũ, & decisiones factas clarè & perspicuè, vt possit haberi resolutio: Prima enim difficultas versatur in eo, an RR. Canonici sint actores vel rei: si causæ originem spectemus sunt actores; bona enim, de quibus agitur, possidebantur à Magnifica Cõmunitate Fauentiæ vel à priuatis ab ea causam habentibus: si verò progressũ causæ attendamus, sunt rei, prout fuit decisum coram D. Gropperio 13. Ianuarij 1570.
1 maximè † cum hodie fuerit commissa causa restitutionis in integrum pro parte Communitatis, vtique debet Communitas docere de læsione, & in isto articulo sustinet partes actoris: sed pro parte Fauentinorum fuit suscitata difficultas contra Canonicos ex duobus, quorum primum est, An legitimè fuerint immissi in possessionem post resolutiones factas in eorũ fauorẽ, ex quibus resultaret clara probatio eorũ intentionis, & quia Communitas asserebat exequtionẽ factam fuisse de mandato fel. rec. Pij V. per breue ab ipsis extraordinariè obtentum, quod tamẽ pro parte Canonicorum negatur, & de tali Breui in actis non constat; videtur tamen tolli difficultas ex decisionibus factis ad fauorem Canonicorum ante exequutionem, tum super validitate sentẽtiæ Cipelli 29. Nouembris 1565. tum super identitate bonorum 20. Nouembris 1546. & dominio Ecclesiæ 13. Februarij 1567. Secunda difficultas est, dato quòd Communitas sit actrix in hoc iudicio; quia tamen Fauentini prætendunt, quòd Canonici adminiculum deducant ex tertia parte concessa illis de Cotignola, terminari in dicto loco descripto in planta Viola, (che termina Madrara,) videntur in huiusmodi adminiculo actores; & ideo tanquam tales probare tenentur concludenter eorum intentionem; maximè quia difficultas augeri videtur ex lectura instrumentorum antiquorum, in quibus quartum confine fuit omissũ in albis, ex quo verisimile videtur, quòd si de illo tẽpore ignorabatur, vbi esset hoc quartum confine, etiam hodie ignoretur, &
2 etiam † ex quantitate responsionis videtur rem concessam non adeo magnam fuisse, vt *per Doctor. in l. si domus. §. fin. vbi Alex. num. 4. de legat. 1.* In contrarium tamẽ multum videtur vrgere acceptatio plantæ facta per Communitatem, & confessio ex huiusmodi approbatione resultans, & licèt confessio procuratoris etiam non docto de errore reuocari possit, hic tamen videntur esse in confessione eiusdem Communitatis, quæ non solum constituit procuratorẽ specialiter ad conficiendam plantam, sed illã iam confectam approbauit, & cum illa longo tempore disputatum fuit, & concurrũt testes eiusdem Communitatis, hoc idem probantes, adeo quòd non videtur sufficere simplex reuocatio, cum concurrant tot adminicula; Ideo super his partes bene informent, & si alia adsunt, quæ ad rem faciant, ea deducant.

Calaguritana Capellæ S. Laurentij.
Die Lunæ 27. Iunij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Ex cursu temporis quadraginta annorum præsumitur scientia, & consensus Episcopi in ijs, quæ concedere potest.*

2 *Episcopus, qui aliquid concessit, debet etiã defendere, ne in re concessa turbetur.*

DECISIO DCXXXV.

FVit dubitatum, an ex summario testium & iurium constet Capellaniam S. Laurentij pertinere ad Dominos de Alaua in casu & ad effectũ, de quo agitur; & fuit proposita causa vna tantum parte informante propter alterius partis siue contumaciam siue negligentiam; & fuit per Dominos cõclusum probari per testes, dictos Dominos de Alaua fuisse in possessione faciendi celebrare missam quotidianam in dicta Capella, & pro ea constitutam elemosynam super redditu quarundã domorum relictarum per Hieronymũ de Alaua, & in ea habuisse duas sepulturas, in quibus conditi sunt aliqui de dicta familia, & insuper adesse in ea, arma & insignia domus de Alaua, & in diebus festiuis solemnibus dictos de Alaua solitos dictam Capellam ornare tapetibus & sedibus, & fuisse possessam à dictis de Alaua vti propriam & particularem absque participatione aliarum personarum, ex qua proba-
1 tione, † quæ percutit tẽpus vltra quadraginta & quinquaginta annos, & ferè videtur immemorabilis, apparet de iure dictorum de Alaua, præsumitur hoc totum fa-
2 ctum de scientia & consensu Episcopi, † qui huiusmodi iura condere potest, & concessa debet defendere, ne quis in his turbetur, *ad Bart. in l. 2. §. fin. de oper. publ. Hostien. Io. Andr. Butr. Abb. & alij in c. abolendæ. de sepultur. cum alijs allegatis per informantes*, * Ideoq. sententiam ad fauorem dictorum de Alaua in istis ferri posse: Et ita conclusum.

præsens decis. fuit in parte reuocata sub die 16. Ianuarij proximi 1584.

* Roch. de Iurepatr. in verb. in eccles. num. 14. & 16. Lambert. lib. 1. part. 1. quæst. 11. artic. vlt.

Romana Releuationis indemnitatis.
Die Veneris 1. Iulij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Socius criminis non probat, sed tantum facit præsumptionem; secus est in criminibus occultis.*

2 *Te-*

2 *Testis inductus contra aliquem ad eum constituendum in culpa, ipso non citato non facit fidem.*

3 *Ad effectum constituendi aliquem in culpa probationes claræ, & concludentes requiruntur.*

DECISIO DCXXXVI.

Conclusum fuit probationem D. Iacobi Gherardi esse valde debilem ad effectum constituendi dominos Arrendatarios in culpa, nam Lelius Branca non probat,
1 † quia socius criminis, *l. quoniam. C. de testib.* sed tantummodo facit præsumptionem, *Dec. in cap. quoniam. in fin. de testib.* & licèt hoc nō procedat in criminibus ocultis, *Dec. in cons. 341. num. 3. Aym. cons. 128. num. 3.* tamen hic non versamur in probāda falsitate sed rumore illo & conquæstione Capitanei Francisci, & quòd eius noti-
2 tiam habuerit D. Iacobus: † Præterea fuit inductus non citatis Arrendatarijs; ideo nō facit fidē. *c. 2. de testib.* Quantum ad dictū Capitanei nō concludit neque respectu falsitatis, neq; quòd Io. Iacobus id intellexerit: Vltra quòd adsunt nonnullæ cōtrarietates, quas deducunt informantes, quæ reddunt
3 materiam magis dubiam, & † ad effectum constituendi aliquem in culpa, requiruntur probationes claræ & concludentes, *vt tradit Aym. post Alex. in cons. 8. num. 20.*

Pampilonen. Iuris visitandi.
Die Veneris 1. Iulij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Ius confirmandi electionem denotat subiectionem.*

2 *Sententia non potest dici lata seruatis seruandis non producto prius processu.*

3 *Processus sacri Officij Inquisitionis ad alia tribunalia non transportantur.*

4 *Ex pluribus narratis non sufficit vnum verificare, quando adest clausula, coniuncto de assertis.*

5 *Possessio priuatiuè ad alium non datur non probata acquiescentia.*

DECISIO DCXXXVII.

Quantum ad dubium super moderatione inhibitionis petitæ pro parte Reu. Domini Prioris Nauarræ, cuius resolutio pendet à verificatione narratorum in rescripto impetrato per ipsū, Domini dixerunt, quòd narratiua pertinentiæ omnimodæ iurisdictionis nō erat sufficienter verificata, non quidem ex stabilimentis, quia non datur simpliciter Prioribus, sed cum Concilio Prouinciali; neque ex dispositione priuilegiorum; quia habet relationem ad stabilimenta, & ita in hac parte steterunt in aliàs resolutis,* Quantum ad narratiuam prohibitæ appellationis, Domini eam habuerunt pro sufficiēter iustificata ex priuilegio, in quo continetur dispositio negatiuè eodem modo cōcepta, prout narratur; nec refert, quòd non includat personam loquentis, & sic Papam, quia satis est, narratiuam esse confirmatam priuilegio. Quantum ad ius visitandi, fuit habitum pro sufficienter verificato ex stabilimento, quod li-
1 cèt loquatur de locis subditis, tamen † ex quo ius confirmationis spectat ad Priorem Nauarræ, satis apparet de subiectione, *vt per Hostien. aliàs allegatum in sum. de election. num. 27. Butr. in cap. 1. num. 9. de translat. Prælat.* Quantum ad narratiuam,
2 quòd † sententia sit lata seruatis seruandis, dictum fuit non producto processu verificari non posse. Nec obstat *decis. Cassad. vnic.*
3 *de præsumpt.* † quia loquitur in processibus Sacri Officij Inquisitionis, qui non solēt vnquam extrahi, neq; ad alia tribunalia trāsportari. Quare cum aliqua sint verificata, aliqua non, dixerunt Domini melius esse, vt pars adeat Signaturā; licèt enim in alia positione* inclinatū esset, sufficere, quòd vnum verificaretur, *vt per Ægid. decis. 280.*
4 † tamen reuocatum fuit hoc in dubiū propter clausulam expressè appositam, cōstito de assertis, *ad cons. Paris. 41. num. 23. lib. 4.* Quantum ad dubium super manutentione petita per Priorem Sanctissimi Crucifixi, dictum fuit, dari posse mandatum de ma-
5 nutenendo ex depositionibus testium, † non tamen priuatiuè ad Priorem Nauarræ: licèt enim vnus testis dicat priuatiuè, tamē quia non probatur acquiescentia, non releuat *Rip. in c. cum Ecclesia Sutrina. num. 64. de caus. poss. & propr.*

* sub die Mercurij 27. Aprilis 1583.

* sub die 27. Aprilis proxime præteriti.

Anconitana Vineæ.
Die Veneris 1. Iulij 1583.

SVMMARIVM.

1 *Error excludit consensum.*

2 *Contra possidentem rem alienam per errorem datur actio spolij.*

3 *Ex contractu nullo transfertur possessio, secus est si nullitas proueniat ex defectu consensus.*

4 *Ad effectum rescindendæ transactionis læsio multum clarè probari debet.*

5 *Iura adeo fauent transactionibus, vt etiam prætextu instrumentorum de nouo repertorum nolint eas rescindi.*

6 *Calumnia ex parte rei non facit, quominus teneat ipso iure transactio.*

7 *Ad hoc vt transactio valeat, sufficit suspicio litis futuræ.*

8 *Tutor sine decreto Iudicis non potest sibi satisfacere in bonis stabilibus pupilli.*

9 *Ad statuendam læsionem in transactione considerari debet dubius litis euentus, quod est difficilis probationis.*

DE-

DECISIO DCXXXVIII.

FVit iterum per Dominos ordinatum, vt causa concordetur, quia materia nõ caret probabili difficultate contra vtramq; partem; & quidem contra Clarotios videtur multum facere euidentia facti, cum constet vineam fuisse in bonis prioris viri Dianæ; neq; constat, qua ratione remanserit penes Clarotios, nisi vigore transactionis, contra quam allegatur error facti, & læsio. In contrarium verò multa vrgent contra Lauram; nam respectu erroris vix est, vt possit allegari, cum in transactione fuerit facta mentio inuentarij, ex quo habebatur certa notitia vineam remansisse in hæreditate prioris viri Dianæ, & cũ iam Rota exclus erit Lauram ab actione spolij, non videtur posse deduci error, quia si hic adesset; vti-
1 que † cum error excludat consensum,
2 † daretur actio spolij, *Aebill.decis.15.de re-*
3 *stit.spol.* Quòd enim dicitur † ex contractu nullo transferri possessionem, non procedit, vbi nullitas prouenit ex defectu consensus.
4 Quantum ad læsionem † oportet de ea multum clarè docere ad effectum rescindendæ
5 transactionis; nam † iura adeo fauent transactionibus, vt etiam prætextu instrumentorũ de nouo repertorum, nolint eas rescindi,
6 *l. sub prætextu. C. de transaction.* & † calumnia ex parte rei, non facit, quominus teneat ipso iure transactio, *vt post glos. in d. l. sub*
7 *prætextu. tradit Ias. ibid. nu.*8. & † vt valeat, sufficit suspicio litis futuræ, *l.* 2. *vbi Bart. C. de transaction. Natt. in cons.* 465. *num.* 2. *Paris. cons.* 3. *n.* 24. *lib.* 4. *& cons.* 32. *num.* 18. *lib.* 1. & fieri potuit, vt filij secundi matrimonij possiderent, & Laura egerit, & occasione huius litis fuerit deuentum ad transactionem propter varias eorum prætensiones, tam circa dotem maternam, quàm alimenta præstita filijs prioris matrimo-
8 nij: Et ex his tollitur obiectum, quòd † tutor sine decreto iudicis non potuerit sibi satisfacere in bonis stabilibus, *vt per Bald. in l. cum ipse. num.* 7. *C. de contrab. empt. Affl. decis.* 13. *nu.* 14. potuerunt enim ex aduerso prætendere interuenisse decretum.
9 Quibus stantibus † ad statuendam læsionem considerandus est dubius litis euentus, *vt per Bart. in l. si quis cum aliter. num.* 5. *de verb. obligat. Natt. in cons.* 144. *nu.* 11. *Paris. cons.* 36. *num.* 59. *lib.* 1. & ideo difficilis est probatio huiusmodi læsionis; maximè cum inito calculo iuxta valorem vineæ, læsio non attingat medietatem; Quæ omnia si rectè perpendantur reddunt prætensionem Lauræ satis incertam; & ideo placeret Dominis, vt omnino causa concordaretur.

Ispalen. Iurisnominandi.
Die Lunæ 10. Octobris. 1583.

SVMMARIVM.

1 *Illud dicitur esse contra ius, quod est contra expressam legis dispositionem, vel contra legis rationem, nec sufficit, quòd sit contra communem opinionem.*
2 *Rector parochialis potest deputare Vicariũ ad modicum tempus, licèt regulariter inferior Episcopo non possit; nec valet consuetudo in contrarium.*
3 *Rector parochialis tenetur ipse per se residere.*
4 *In Ecclesiis non curatis Rector potest deputare Vicarium in sui locum.*
5 *Licèt de iure communi requiratur residentia in omnibus beneficijs, vniuersalis tamen consuetudo contrarium seruat.*
6 *Deputatio Sacristæ & Organistæ in inferioribus Ecclesiis non pertinet ad Episcopũ.*
7 *Episcopus in cunctis Ecclesiis est ordinator respectu iurisdictionis, & similium; secus tamen respectu seruitij diuini, quia etiam in propria Ecclesia Cathedrali, multa spectant ad ordinationem Archidiaconi & non Episcopi.*
8 *Præsidentia in choro secundum ius commune spectat ad antiquiorem in choro.*
9 *Ius mulctandi inobedientes in choro non competit ratione iurisdictionis, sed potius fraterna correctionis.*
10 *Vicarius Episcopi præfertur dignitatibus, si sit Vicarius generalis, qui faciat idem tribunal; secus est si sit simplex minister sacramentorum.*
11 *Consuetudo præter ius debet esse saltem decennalis, ad hoc vt releuet.*

DECISIO DCXXXIX.

FVit dubitatum, an consuetudo, quòd beneficiati Ecclesiarum parochialium totius Archiepiscopatus Ispalen. nominent seruitores in eorũ beneficijs Sacristas & Organistas in dictis Ecclesijs Domino Archiepiscopo vel eius Prouisori, & quòd præsideãt in choro, & ordinẽt necessaria in Ecclesijs, sit cõtra vel præter, vel secundum ius, & cui partium debeatur absolutoria: Et quantũ ad primũ caput nominandi seruitores, cũ Domini habeat hãc cõsuetudinẽ, vt potius ef-
1 fet secundũ ius quã contra ius, † Id cuim dicitur cõtra ius, quod est cõtra expressam legis dispositionẽ, vel contra legis rationẽ, *vt per glos. in c. vt litigantes. in verb. statuimus. de off. ordin. in* 6. *Felin. in c. statuimus. n.* 3. *de maior. et obed.* nõ enim sufficit, quòd sit cõtra communẽ opinionẽ, *vt per Put. decis.* 241. *in vna Cæsaraugustana lib.* 3. Nullibi autẽ cauetur, quòd vbi quis nõ tenetur per se residere, substitutum, qui pro eo deseruiat, constituere non possit; nam licèt inter *Docto-*

res in c. eum ex eo. §. porrò. de elect. in 6.
2 altereatum fuerit, † An Rector parochia-
lis poſſit deputare Vicariũ, vel potius mu-
nus deputandi ſpectet ad Epiſcopum, *&*
Rota decis. 14. de conſuetud. in antiq. quam
ſequitur Roman. in conſ. 356. nu. 6. teneat,
quòd non valeat conſuetudo, quòd inferior
Epiſcopo poſſit in Eccleſia curata inſtituere
Vicarium ad tempus, tamen id procedit ex
3 eo, quòd † Rector Parochialis tenetur ipſe
per ſe reſidere; vnde bene poteſt id facere
ad modicum tempus, *vt per Franc. poſt*
Io. Andr. in d. c. eum eo. nu. 2. verſ. quarto no-
4 *ta. de electio. in 6. latè Lap. Allegat. 5.* † ſed
in Eccleſijs non curatis ſecus eſt, *vt per Lap.*
ibid. num. 8. & Butr. in conſ. 3. num. 3. Pariſ.
conſ. 50. num. 6. lib. 4. Neq; obſtat, quòd
5 † de iure communi requiratur reſidentia
in omnibus beneficijs, quia conſuetudo vni-
uerſalis eſt in contrarium, & hic ex partis
confeſſione contrarium innuitur, eum præ-
tendatur hoc ius deputandi Vicariũ ſpecta-
re ad D. Archiepiſcopum, ergo ſupponit
6 reſidentiam non eſſe neceſſariam. † Quan-
tum ad caput Organiſtæ & Sacriſtæ, dictum
fuit nullibi reperiri, quòd in inferioribus Ec-
cleſijs deputatio pertineat ad Epiſcopum;
7 † licèt enim in cũctis ipſe ſit ordinator, *c. 1.*
25. diſtin. hoc eſt reſpectu iuriſdictionis &
ſimilium, ſed reſpectu ſeruitij diuini etiam
in ipſamet Eccleſia Cathedrali multa ſpe-
ctant ad ordinationẽ Archidiaconi, *tit. de*
offic. Archidiaco. per tot. & de offic. Sacriſt.
& de off. Cuſtod. per tot. Cum igitur benefi-
ciati habeant curam celebrationis diuino-
rum officiorũ, conſequens eſt, vt omnia ad
hoc ſpectantia ſint ſub eorum cura, & regi-
mine, & quod miniſtros neceſſarios depu-
8 tent. † Quantum ad caput Præſidentiæ in
choro, & mulctandi inobedientes, dictũ fuit
ſecundum ius eſſe, vt antiquior præſideat in
choro *c. 1. de maior. & obed. l. 1. C. de cenſib.*
lib. 11. Dec. in l. cum quid. n. 15. ſi cert. petat.
9 † reſpectu verò mulctæ illa irrogari poteſt,
nõ quidem ratione iuriſdictionis ſed potius
fraternæ correctionis, vt tradit *Bart. l. fin.*
n. 13. de Colleg. illicit. Nec obſtat, quòd ibi ad-
Vicarius deputatus ab Epiſcopo, quia iſta
deputatio reſpicit curã animarum, non au-
tem celebrationem & ordinationem officio-
10 rũ diuinorum, & † licèt Vicarius Epiſcopi
præferatur dignitatibus, *Abb. in conſ. 21. lib.*
1. tamẽ id eſt in Vicario generali ipſius Epi-
ſcopi, qui facit idem tribunal cũ Epiſcopo,
ſed iſte eſt ſimplex miniſter ſacramentorum,
& non ingerit ſe in ordinatione diuinorum
officiorum. An verò ſit danda abſolutoria
beneficiatis, vtiq. dixerunt Domini eſſe
11 dandam, † ſi eorum poſſeſſio eſt ſaltem
decennalis, ſi enim non eſſet decennalis non
releuaret; quo minus poſſet procedendo de
ſimilibus ad ſimilia, & ex Doctorũ auctori-
tate decidi hanc controuerſiã in his, in qui-
bus conſuetudo eſt præter ius, *vt per Felin.*
in c. ſtatuimus. n. 1. in fin. de maior. & obed.
Et ita concluſum.

Toletana Congruarum de Halia.
Die Veneris 14. Octobris. 1583.

SVMMARIVM.

1 *Sententia recipit declarationem à libello.*
2 *Vbi verba ſententiæ ſunt ſub obſcura, id,*
quod minus eſt, ſequi oportet.

DECISIO DCXL.

DVbitatũ fuit ſuper interpretatione ſen-
tentiæ, quæ adiudicat Rectori de Ha-
lia vltra ſeptimam partem fructuũ, quã vi-
gore diſmẽbrationis prius percipiebat, me-
dietatẽ omniũ primitiarum dicti beneficij
de Halia, cuius vigore prætendebat habere
prius ſeptimã partẽ primitiarũ, deinde me-
dietatem reſidui, & ſic in totum ex ſeptem
partibus quatuor, propter dictionem illam
vltra ſeptimam partem: Tamen Domini
fuerunt in contraria ſententia, quòd primi-
tiæ ſint æqualiter diuidendæ inter D. Recto-
rem & Hoſpitale: Moti fuerunt potiſſimum
ex eo, quòd adiudicatur medietas omnium
primitiarũ, ergo non eſt detrahenda ſepti-
ma, alioquin nõ erit medietas omniũ primi-
tiarũ, ſed medietas reſidui dempta ſeptima
parte. Confirmatur hæc interpretatio ex
verbis libelli, ſiue petitionis, quę continet
duo capita; In priore petitur tertia pars
omniũ fructuũ & annexorum dicti beneficij;
In poſteriore petuntur omnes primitiæ tan-
quam debitæ ratione adminiſtrationis ſa-
cramentorũ, & ſic clarè in petitione ſepa-
rantur primitiæ à fructibus & annexis: Vn-
1 de † cũ ſententia recipiat declarationẽ à li-
bello, verba illa, vltra ſeptimã partem om-
niũ fructuũ, ſunt intelligenda tã de alijs fru-
ctibus quã de primitijs, & ſic bene cõcorda-
bunt omnia inuicẽ, alioquin ſemper erit ne-
ceſſariũ, ſi cõtrariã ſentẽtiã amplecteremur,
impropriare generalitatẽ illam omniũ pri-
2 mitiarum, & † cũ verba ſententiæ ſint ſub
obſcura, id quod minus eſt, ſequi oportet,
l. ſemper in obſcuris. de reg. iur. quæ regula
procedit etiam in ſententijs, *l. ſi Præſes. de*
pœn. l. 1. c. ſi plur. vna ſenten. condem. ſunt.
*cum alijs per informantes allegatis.** * Gozad. conſ. 60. nu. 23. & Crauet. conſ. 127. nu. 12.

Romana Carlottæ.
Die Lunæ 24. Octobris 1583.

SVMMARIVM.

1 *Sententia iniuſta non poteſt exequutioni*
mandari, & dicitur iniuſta, quæ conti-
net errorem expreſſum.
2 *Sententia condemnans aliquem ob non im-*
plementum, quod in arbitrio condemnati
erat, non ſolum dicitur iniuſta, ſed &
nulla.

DE-

DECISIO DCXLI.

Dubitatum fuit de iustitia sententiæ Auditoris Cameræ, & an pro summa moderata veniret exequenda, & Domini fue-
1 runt concordes, † dictā sententiam esse iniustā, neq; exequi posse; sententia enim expressum errorem continet in duobus capitibus: Primo condemnat Zaccarellū pro incisione, cōbustione, & asportatione lignorū dictæ tenutæ durante sublocatione, quę durauit per nouennium, & tamen ex actis cōstat durasse tantum per quadriennū: Secūdo cōdemnat pro damno, quod patitur Comes Hieronymus ex locatione facta Odescalchis, ex quo tenuta non erat disboscata, cultiuata, & stirpata, vti tenebatur Pasquinus subconductor Iulij vigore instrumēti dictæ sublocationis ad nouennium, & tamē Pasquinus vigore dicti instrumenti non tenebatur cultiuare, hoc enim positū erat in arbitrio Zaccarelli, quamuis Iulius principalis conductor ad hoc expresse tenebatur, & ob non implementū in sententiis contra eū latis condemnatus nominatim fuit,
2 hinc ergo sequitur † sententiā nō solum iniustam, sed & nullam esse, *Dec. qui alios allegat. in l. 1. n. 11. C. de error. calcul. Affl. decis. 47. n. 3.* Neq; obstat, quòd Zaccarellus susceperit in se onera Buffalini, ex quo conduxit iuxta formam instrumenti locationis factæ Buffalino, quia hoc intelligendum est proportionabiliter, scilicet vt quemadmodum tenebatur Iulius primo anno disboscare, ita & teneretur Zaccarellus primo anno subconductionis, non autem primo anno primæ locationis, cum hoc esset impossibile: Item intelligendū est saluis pactis specialibus in cōtractu sublocationis appositis, à quibus per clausulam generalē non est discessum: Verum quia fortasse damnū totum quod ex non dismacchiatione considerat, prouenit ex non obseruantia Pasquini, qui si adimpleuisset annis, quibus fuit subconductor, fortasse nullū prætendere potuisset interesse Comes Hieronymus, etiam quòd excepta non fuisset dismacchiatio primo anno cōductionis Iulij; Ideo Domini censuerunt eligendos peritos, qui audito facto referant, quis dederit causam damni, & pro qua rata portione vnus quisq. veniat condemnandus: An verò sententia Auditoris Cameræ postea sit confirmanda in minori summa, vel potius reuocāda, & alia contra Pasquinum ferenda, non fuit discussum; sed de hac re agetur habita relatione peritorum.

Tirasonen. Iurispræsentandi.
Die Mercurij 26. Octobris 1583.

SVMMARIVM.

1 *Scriptura Archiuij contra non subditum non facit fidem.*
2 *Confessio semper interpretatur in fauorem confitentis.*
3 *Obseruantia facit præsumi iustificationem narratorum in confirmatione.*

DECISIO DCXLII.

Quia dubitatum fuit, an iura sint in forma probanti: Domini distinxerūt concordiā ab eius confirmatione, quā prætendit Capitulū Tirasonense habitam in iudicio contradictorio ab Auditore Cameræ, illā enim dixerunt esse in forma probanti, & de hoc dubitari non posse; hanc verò non esse, non obstantibus adminiculis pro Capitulo consideratis: Nā quod primo allegatur,
1 † repertam fuisse in Archiuio, nō facit, quia Archiuiū est ipsius Cathedralis, quod cōtra non subditum non facit fidē, *Doctor. in c. ad audientiā. de præscript. Put. decis. 187. lib. 3.* Secundo quòd dicitur scripturam carere vitio, non facit, quia hic non infertur eō scriptam fuisse à Notario Bucca, cuius manus recognoscenda esset. Tertio non obstat confessio partis, quia non concludit de confirmatione habita ab Auditore Cameræ de anno 1532. semel enim fuerat cōfirmata de
2 anno 1529. in forma gratiosa, & † cōfessionem semper interpretamur in fauorē confitentis, *l. si quis intentione ambigua. de iudic.* Quarto non facit, quòd concordia inserta fuerit in litteris Auditoris Cameræ, quia illa non negatur, sed scriptura, in qua inserta est. Quinto non verificatur in facto recognitio sigilli, cū nullus testis illud recognoscat. Sexto non est cōcludens argumētum, quòd reperiātur aliqua acta, cū sententia nō reperiatur, neq; probetur deperditio actorum. Septimo non refert, quòd fuerit producta in alia causa, nisi fuisset producta per Collegiatam; Octauo, quod dicitur de Innocētiana, non procedit hoc casu, cum nunquam in partibus fuerit reproducta, & semper pars opposuerit. Vltimo, quod deducitur de obseruantia, particulari indiget in-
3 spectione; nā † si de ea constaret, nō esset vlterius agendum de verificatione narratorū in confirmatione gratiosa, sed præsumeretur iustificata ex lapsu temporis, *vt fuit resolutum coram R. P. D. Aldobrandino in illa Lucana Decanatus.* * die 11. Maij 1572. in impress. diuers. nouiss. 514. par. 1.

Romana Pecuniaria de Sangalletis.
Die Mercurij 26. Octobris 1573.

SVMMARIVM.

1 *Fructuum nomine censetur id, quod superest deducta impensa.*
2 *Bona dicuntur, quæ supersunt deducto are alieno.*
3 *Dictio, principaliter, referri potest ad id, quod erat faciendum de reliquo.*
4 *In conuentionibus potius contrahentiū volunta-*

luntas spectari debet, quàm cortex verborum.

5 *Solutio præsumitur facta in eam causam cui summa soluta correspondet.*

6 *Solutio facta sub illis verbis pro debito (per l'adietro) designat debitum extinctum.*

DECISIO DCXLIII.

FVit dubitatum super intellectu conuentionis, An partes intellexerint, quòd prius solueretur debitum Massaritiarum descriptum in ratione Arrigutij & Sangalletti, deinde alia debita particularia Arrigutij, de quibus in dicta conuentione, pro cuius dubitationis resolutione, illud primo statuendũ fuit, an verba conuentionis sint ita clara, vt omnem respuant interpretationem, in quo Domini censuerunt non esse ita clara, vt interpretationem, quæ ex obseruantia oritur, non admittant, cũ enim in conuentione actum fuerit, vt ex retractu Massaritiarum soluantur prædicta debita Arrigutij, vox illa retractus non est ita clara, quin possit intelligi deducto eo, quod Massaritiæ debebant rationi, vt in simili
1 † fructuum nomine censetur id, quod superest deducta impensa *l.* 1. *C. de fruct. &*
2 *lit. expens.* & † bona dicuntur, quæ supersunt deducto ære alieno, *l. mulier bona. de iure dot.* & quamuis dicatur, quòd princi-
3 paliter soluatur Baldo Basso, † illa dictio, principaliter, referri potest ad id, quod erat faciendum de reliquo; principaliter enim satisfaciendũ erat creditoribus Andreę, & reliquæ pecuniæ ponendæ penes nummulariũ,
4 siue Campsorẽ, vt negotiarentur, & † in conuentionibus potius contrahentium voluntatem, quàm verborum corticem spectare oportet, *l. in conuentionibus. de verb. signif. & in l. fin. C. quæ res pign. oblig. poss. l. sed Celsus. §. si fundus. de contrah. empt. l. ita stipulatus. §. item si quis ita. de verb. oblig.* Tamen si particulariter super hac difficultate pars audiri velit, fuit ordinatum, vt audiatur. Ex ordine pro dubij resolutione sese offerebat videre, an appareat, quòd Domini Patritius & Ascanius voluerint prius soluere rationi debitum Massa-
5 ritiarum, & conclusum fuit † affirmatiuè, voluisse; Primo, ex eo quòd summa illa 1570. 77. cum dimidio soluta correspondet præcisè & adamussim summæ debitæ *Aymon. in cons.* 149. *nu.* 5. secundo
6 quia † solutio fuit facta Arrigutijs & Sangallettis (per l'adietro,) quæ verba designant societatem extinctam, quæ erat creditrix, & ita conueniunt duæ demonstrationes *ad doctrinam Bart. in l. demonstratio. de cond. & demon.* Tertio facit descriptio facta à Gondio in libro hæreditatis, qui cum ad id fuerit à tutoribus deputatus, verisimiliter erat informatus de eorum mente & voluntate. Neq; obstant, quæ ex aduerso pro tollenda huiusmodi obseruantia deducuntur; Et primo, quod dicitur solutam præcisè illam summam, quia præcisè hæc erat summa, quæ supererat, solutis illis debitis, de quibus erat conuentum, quoniam sæpius iterato calculo etiam iuxta rationem datam ab ipsamet parte non conuenit hæc summa cum retractu Massaritiarum & solutione debitorum: præterea dato quòd conueniret summa; nihilominus, cum esset conuentum, vt pecuniæ, quæ superessent satisfactis creditoribus, ponerentur in banco ad effectum eas cambiandi, si tutores voluissent obseruare id, quod in cõuentione continetur, secundum eorum intellectum, non soluissent eas Arrigutijs & Sangallettis, (per l'adietro,) cum illa ratio esset iam extincta, neq; amplius negotiaretur. Secundo non obstat, quòd calculus debiti Massaritiarum sit erroneus, quia tunc partes non habebant eũ pro erroneo, & credebant tantum, quantum erat descriptum deberi; & ideo hoc respectu magis attendi opinionem quàm veritatem, *l. is putat. de acquir. hæred. Aym. in cons.* 88. *nu.* 14. Ex his videtur resultare probatio obseruantiæ, quòd tutores prius voluerint satisfieri de debito massaritiarũ, quàm creditoribus Arrigutij, cum hoc debitum fuerit solutũ sub die 1. Aprilis, deinde die 3. eiusdem mensis fuit mandatum, vt solueretur Baldo Basso, sed præsupposito, quòd hoc factum fuerit eadem causa, quia Baldus Bassus erat absens, neq; poterat ei fieri solutio, quod cum pars se velle probare obtulerit, Domini haberi voluerunt hanc positionem pro probata, tamen adhuc superest alia solutio facta Benino sub die 21. eiusdem mensis, cui non vident, quid ex aduerso concludenter responderi possit, & ex huiusmodi obseruantia resultat interpretatio certior omnibus alijs, *l. sed & Iulianus. §. proinde. ad Macedonian. Ias. cons.* 128. *colum.* 2. *vers. quarto facit. lib.* 1. *Socin.* 145. *num.* 1. *&* 2. *lib.* 1. Non obstat retractatio illius partitæ facta per tutores, quia cum non appareat, qua die fuerit facta, potuit fieri post ortam controuersiam. Neque obstat, quòd hæc conuentio nihil operetur, si assumatur ista interpretatio, quia immo multum operatur, ex quo Sangallettus contentabatur postremum inter creditores locum obtinere. Ex his conclusum pro Sangallettis, sed si pars super aliquo capite velit audiri, audiatur; maximè quòd prætendit calculũ à se datum conuenire exactè summæ solutæ creditoribus, & residuo soluto Sangallettis, quod an ita se habeat & quid releuet, Domini iudicabunt.

Gerunden. Precedentiæ.
Die Veneris 4. Nouembris. 1583.

SVMMARIVM.

1 *Confessio est acceptanda cum sua qualitate. Fallit, quando habet contra se iuris præsumptionem, vt nu. 2.*
3 *Clausula, quam & quas, in commissione posita, quid operetur.*

DECISIO DCXLIV.

FVit conclusum constare de dispensatione Capituli facta nonnullis ex beneficiatis ex confessione Capituli, dum respondet, non credere dispensationem in personam Matthæi factam debere habere minus effectũ, quã aliæ factæ alijs beneficiatis, quæ est clara & aperta, & innititur etiam litis sustentatione, tã ex parte Capituli quàm ex parte dictorũ beneficiatorum. Non obstat, 1 quòd dicitur, † si beneficiati vti volunt dicta cõfessione, debere eam in totũ acceptare cũ suis qualitatibus, inter quas adest, quòd Capitulũ fecit de tempore immemorabili innumerabiles alias similes dispensationes, 2 † quia hęc qualitas diuidi potest, cũ factum ipsum habeat contra se iuris præsumptionẽ *ex doctr. Bart. in l. Aurelius. §. idẽ quæsyt. de liber. legat. Felin. in c. cum anastis. n. 8. de accusat. Abb. in c. bonæ. il 2. n. 29. de postul. Prælat.* Allegata verò in contrariũ ex decisione facta in illa Ispalen. professionis * procedũt, quãdo qualitas annullat actũ, & facit, vt quod actum videtur, actũ non fit, veluti metus, qui ex professione facit non professionẽ; *& ita fuit decisum coram Aldobrandino in Astoricen.* in casu verò de quo agitur præclara est iuris communis & statuti Gerundẽsis dispositio, quòd antiquiores præcedere debeant. Non obstat, quod deducitur de imperfectione processus, & dispositione Cõcilij Tridentini, quia immo acta facta per beneficiatos, & comparitiones omnes sunt productę. Nec facit, quòd dispensatio in scriptis redacta non fuerit producta, quia non constat, quòd fuerit facta in scriptis, neque quòd in partibus fuerit vnquã producta, immo ex facti serie de contrario apparet; reclamatũ enim fuit ad ipsum Capitulũ, non autẽ processum contra beneficiatos in figura iudicij, & cum ab omni grauamine liceat 3 appellare, & † commissio habeat clausulam, quã & quas, nulla superest difficultas, quin fuerit bene appellatio introducta. Cætera, quæ deducuntur pro Capitulo, partim in facto non verificantur, partim non releuant. Et ita conclusum.

* *sub die vltima Ianuarij 1567. coram Aldobrandino.*

Ispalen. Iurisnominandi.
Die Lunæ 7. Nouembris 1583.

SVMMARIVM.

1 *Consuetudo dicitur contra ius, quando est contra legem claram vel rationem expressam in lege.*
2 *Ecclesia vnita efficitur prædium illius Ecclesiæ, cui vnitur.*
3 *Concesso vno videtur probabiliter omnia cõcessa, quæ ad id exequẽdũ sunt necessaria.*
4 *Minister communis communi nomine est deputandus, & remouendus.*

DECISIO DCXLV.

PRoposita iterum fuit causa cum pręsuppositõ, quòd de iure communi Rectoribus incũbat administratio parochialiũ Ecclesiarum; & quamuis pars Reu. D. Archiepiscopi se restrinxit ad Organistas & sacristas, Domini quantũ attinet ad Organistam steterũt in resolutis,* cũ hæc cõsuetudo non 1 sit cõtra ius sed ad summũ pręter ius; nã † ad effectũ, vt cõsuetudo dicatur contra ius, necesse est ostendere legẽ clarã ita disponentẽ, vel rationẽ expressam in lege, ex qua ita sit decidendũ, *vt per Put. decis. 241. lib. 3.* quod quidẽ in casu, de quo agitur, non reperitur, nec præcisè neq; ex ratione legis decisum. Nec obstare, quòd ad Rectores cura & ad2 ministratio parochialium spectet, † quia præterquã quòd si istæ Ecclesiæ sunt vnitæ dignitati Archiepiscopali, effectæ sunt prædia, nõ reperitur textus nec ratio in aliquo textu expressa, quę disponat curã deputãdi tales ministros, ad eũ, qui ratione vnionis habet curã animarũ, spectare; & licèt ex probabilibus argumẽtis hoc ita decidi debere videatur, tamen nõ ideo cõsuetudo dici potest cõtra ius sed pręter ius; maximè cũ in casu isto cura administrationis diuinorũ officiorũ pertineat ad beneficiatos, ad quorũ decẽtẽ celebrationẽ adhibentur Organistæ; ideo 3 † etiã probabiliter cõcesso vno videtur cõcessa omnia, quæ ad id exequendum sunt necessaria, *l. 2. de iurisd. omn. iud.* Nec faciunt allegata *ex Federic. in cõs. 95. & Lambertin. lib. 3. art. 7. q. 5.* quia hoc tantum dicunt Rectorẽ posse ministros suos tẽporales deputare sine cõsensu patronorũ, & ita est casus diuersus ab eo, de quo agitur. Neque obstat, quòd salarium soluatur ex redditibus fabricarum illarũ Ecclesiarũ, quarũ administratio spectat ad Archiepiscopũ, quia dato quòd res ita se habeat, nõ tamẽ casus reperitur, quòd tales administratores debeãt deputare ministros, quibus salaria præstant ex redditibus fabricæ. Quantũ ad Sacristam deci4 sum fuit cum distinctione, † quòd aut est minister cõmunis Ecclesiæ, tã respectu beneficiatorũ, quã respectu Vicarij Episcopi, aut est minister beneficiatorũ tantũ, priore casu inclinabant Domini cũ deputandũ & remouendũ esse communi consensu, *iuxta tex. in c. 1. de off. Custod. & c. ad hæc. §. fin. de offi. Archidiacon.* quia quod omnes tangit, & c. posteriore casu idem esse in eo statuendum, quod in Organista. Et ita conclusum

* *sub die Lunæ 16. Octobris proxime.*

Romana Pecuniaria.
Die Lunæ 14. Nouembris. 1583.

SVMMARIVM.

1 *An in dubio præsumatur quis soluisse de pecunijs proprijs, vel eius, cuius bona administrauit, & quando, & per tot.*
2 *Pecunia in dubio præsumitur soluentis; fallit, si extat confessio vel præsumptiones in contrarium.*

DECISIO DCXLVI.

DVbium propositum fuit distinctum in duas difficultates, quarũ prior est circa verificationem crediti Ill. Dominæ Leonoræ; posterior verò circa id, quod prætenditur eam sibi per acceptationem portionis relictæ Archicõfraternitati Charitatis præiudicasse: Et quantum ad priorem fiebat difficultas contra prædictam D. Leonoram, ex eo quòd Alexandra mater ipsius erat administratrix bonorum per patrem relictorũ; & ideo + in dubio præsumendum potius,
1 quòd soluerit de bonis paternis, quæ admi-
2 nistrabat, quàm de proprijs pecunijs: + quãuis enim pecunia in dubio præsumatur soluentis esse, *ad Bart. in l. 2. C. pro soc. Roman. in cons. 3. & cons. 274. Tiraquel. de retract. conuention. §. fin. n. 87.* nihilominus cum ipsa consentiendo instrumento fateatur reliquũ prouenire ex hæreditate patris, videtur cõfessioni standum; maximè cum debitum huiusmodi non pertineret ad ipsam, *l. fin. C. de dot. promiss.* & hoc coadiuuatur alia præsumptione, cum ipsa Alexandra non habuerit nisi duos mille ducatos de Carlenis in dotem: vnde applicari possunt deducta *per Corn. in cons. 98. col. fin. lib. 4.* Et cum ipsa Alexandra esset administratrix, præsumitur facta solutio ex bonis filiæ, vt se liberaret ad obligatione redditionis administrationis, *vt tradit in simili Fulgos. in l. 2. n. 2. C. de dot. promiss. per tex. in l. vxorem. §. pater. de legat. 3.* & cum teneretur reddere rationem, *vt dicit Bald. cons. 53. nu. 3. lib. 1.* parum refert argumentari ex præsumptionibus; nam reddita ratione administrationis apparebit, vnde profectæ sint istæ pecuniæ: Quare his difficultatibus moti Domini ordinarunt, vt particulariter dubitetur, an sufficienter constet de credito Ill. Dominæ Leonoræ. * Quantum verò ad secundã difficultatem, quia pro parte Dominæ Leonoræ non fuit informatum, nihil fuit resolutum, licèt deducta pro Dominis hæredibus non viderentur carere probabili difficultate, sed de his suo loco particulariter erit agendum.

* super hoc puncto facta fuit resolutio sub die Lunæ 1. Aprilis 1585. hoc modo videlicet, non constare concludenter quòd Domina Alexandra suppleuerit de suo dotẽ Dominæ Leonoræ.

Vrgellen. Abbatiæ.
Die Mercurij 16. Nouembris 1583.

SVMMARIVM.

1 *Electio Abbatis, qui nõ est professus est nulla, & vigore Concilij Tridentini Abbat debet saltem per annum stetisse in probatione, antequam ad professionem admittatur.*
2 *Non debet admitti in Abbatem ille, qui monasticam regulam prius non didicit.*
3 *Electio Abbatis, qui non sit in Sacris ordinibus constitutus, non tenet.*
4 *Dispositio c. quia propter, de election. procedit etiam in Abbatijs.*

DECISIO DCXLVII.

1 FVit resolutum + pro nullitate electionis Francisci sine aliqua difficultate; Primo, quia non erat expressè professus, *c. nullus. de election. in 6.* quòd autem non esset professus probatur ex ipsomet instrumento electionis, & etiam ex eo, quòd die decima Iunij 1577. ipse petij sibi dari habitum regularem, qui fuit sibi traditus nulla tamen facta professione, & in omnem euentum etiã quod tunc fuisset professus, tamen cum iste actus præcedat electionem per sex tantum dies, non suffragatur *propter decretum sacri Concilij Tridentini 25. sess. c. 15. de regular.* vbi disponitur, quod suscipiens habitum stet in probatione per annum, antequam ad professionem admittatur, aliàs profes-
2 sio sit nulla, + & tales non debent admitti in Abbates, qui prius monasticam regulam non didicerint, *c. officij. & c. cum in magistrum. de election. Put. decis. 261. lib. 2.* Præ-
3 terea + non tenet electio, quia non erat in ordinibus sacris constitutus, *c. tuam. de ætat. & qual. vbi Ant. de Butr. n. 4. & Abb. ibid. in 5. notab.* Tertio ex alio non tenet electio,
4 quia + non fuit seruata forma *c. quia propter. de election.* quod procedit etiam in Abbatijs, *Abb. ibid. n. 7. & 8.* Et ex his conclusum pro nullitate electionis, semoto etiã articulo simoniæ, de qua in præsenti discussione non fuit habita ratio.

Placentina Bonorum.
Die Lunæ 28. Nouembris 1583.

DECISIO DCXLVIII.

DOmini in hac positione restrinxerunt se ad tres inspectiones; prima, an per testes probetur contracta fuisse debita ratione Ecclesiæ; secunda, ad quam summam ascenderent; tertia, de quo tempore probetur solutio. Quantum ad primam, dictum fuit probari saltem in genere fuisse contracta aliqua debita ratione Ecclesiæ, veluti pro soluendis decimis; sextus super sexto, septimus ad 206. & 219. nonus ad 195. Decimus ad 119. Item ratione melioramentorum & reparationum in bonis Abbatiæ; tertius ad 206. quintus ad 204. sextus ad 204. Item ratione Pallauicinæ secundus ad 200. septimus ad 207. 208. & 226. nonus ad 206. decimus ad 204. Quantum ad secundã

de

de quantitate, Domini dixerunt non posse ex dictis testium colligi, ad quam summam ascenderent huiusmodi debita. Quantum ad tempus solutionis aliqui probant de aliquibus solutionibus factis de anno 41. post receptas pecunias à Bottis, tertius ad 214. quartus ad 189. sextus ad 214. vndecimus ad 214. Quid autem ex hac probatione resultet, videbitur in propositione dubij super subreptione.

Palentina iuris conferendi.
Die Veneris 2. Decembris 1583.

SVMMARIVM.

1 *Regula, quòd nemo sine actione experiri possit, & non audiatur, cuius non interest, quando non procedat.*
2 *Nemo potest excipere de iure tertij, nisi domino volente.*
3 *Decretum reseruationis non impedit traditionem possessionis, sed eius effectum tantum.*
4 *In iudicio summarijssimo manutentionis sufficiunt leuiores probationes.*
5 *Possessio vnius alteri non prodest.*

DECISIO DCXLIX.

QVantum ad priorem partem dubij, An Capellani possint opponere, prout opponunt in præsenti iudicio, Decano non competere ius conferendi Capellanias, de quibus agitur, dictum fuit, quòd quamuis
1 regula sit, ✝ neminem sine actione experiri posse, *l. si pupilli. §. videamus. de negot. gest.* & quòd non est audiendus is, cuius non interest, *l. 1. de appellat. recipiend.* nihilominus Capellanos posse audiri, quia iudicium fuit cæptum cum ipsis, ex quo fuit eis mandatum, vt traderent possessionem prouiso à Decano, quod ipsi facere recusarunt; & ideo fuerunt excommunicati, & à sententia excommunicationis appellarunt, consequens est igitur, vt possint causas deducere, cur ad tradendam possessionem non tenerentur, cum ex hoc capite pẽdeat iustitia vel iniustitia excommunicationis: Non igitur ipsi agunt, sed excipiunt, & de interesse constat, ne teneantur ad traditionem possessionis, si de iure tradenda non est: Maior subesse posset difficultas, si ipsi non negarent ius conferendi spectare ad Decanum, sed exciperent de reseruatione, quia huiusmodi exce-
2 ptio est de iure tertij, ✝ de quo regulariter tertius dare non potest, nisi Domino volente, *ad notat. per Bart. in l. 2. de except. rei iudic. Pute. decis. 4. de re iudicat.* nec ratione traditionis possessionis potest dici constare
3 de ipsorum interesse, ✝ cum decretum reseruationis non impediat traditionem possessionis, sed eius effectum tantum, *vt inquit Bellam. decis. 66.* sed hoc si opus esset particulariter discuti posset. Quantum ad secundam partem, an Decanus sit manutenendus, conclusum fuit esse manutenendum simpliciter, cum per testes probetur quasi possessio ipsius conferendi Capellanias istas de numero, & ista probatio est adminiculata ex scripturis, quamuis non indigeat ad-
4 miniculo ✝ cum in hoc summarijssimo iudicio leuiores probationes sufficiant *, non tamen danda est manutentio in mensibus Apostolicis, quia hæc quasi possessio non probatur respectu Decani, quamuis proba-
5 tur respectu Thesaurarij, ✝ qui sunt diuersæ personæ, & vnius possessio non prodest alteri; tamen in mãdato hæc exceptio mensium Apostolicorum non est inserenda, sed tantum in decisione adnotanda.

* & fuit dictum in Gadicen. Administrationis decimarum 19. Aprilis 1577. sup. num. 1.

Romana Nullitatis contractus.
Die Veneris 13. Ianuarij 1584.

SVMMARIVM.

1 *Inductum fauore alicuius locum habet ipso volente.*

DECISIO DCL.

DOmini circumscripta læsione, de qua si opus erit, aliàs tractabitur, restrinxerunt caput inobseruantiæ contractus ad distractionem mercium factam pendente triennio dato in priore instrumento inito cum creditoribus ad eis satisfaciendum; nam etsi in eo adesset pactum resolutiuum, quod pro infecto haberetur, nisi infra men-
1 sem darentur fideiussores, tamen ✝ cum hæc resolutio tendat ad fauorem creditorum, debet intelligi ipsis volentibus, & sequens contractus videtur factus in exequutionem prioris, cum faciat mentionem triennij: tamen multum in contrarium vrgent clausulæ in secundo appositæ, in quibus datur amplissima facultas Dominis fideiussoribus disponendi de dictis mercibus; Ideo videndum particulariter, an secundus contractus factus fuerit in exequutionem prioris, itaut non licuerit pendente triennio distrahere merces, vel potius fuerit per secundum nouatus ad effectum, vt non possit prætendi in obseruantia. Reliquæ contranentiones Dominis non placebant.

Romana Exequutionis siue domus.
Die Lunæ 16. Ianuarij 1584.

DECISIO DCLI.

FVit vnanimiter per Dominos conclusum non constare de bono iure Ecclesiæ respectu domus possessæ per D. Petrũ Polletã; & præcipuum fundamentum fuit in pluralitate domorum, hæc enim, de qua agitur, non confinatur cum domo illorum de Bene inbene, prout requiritur pro verificatione instrumenti census, super quo fundatur in-

tentio Ecclesiæ: Nec dici potest domum hanc esse vnam & eandem cum domo, quam possidet Philippus de Picchis; quia tũ ex inspectione dixerunt cõstare de cõtrario; tum ex instrumẽto exaduerso producto apperitur me, in quo istæ enunciantur pluribus in locis pro duabus domibus. Neque obstat, quòd aliqua membra vnius sint intra corpus alterius, quia hoc non facit, quominus sint diuersæ domus ita arbitrio Domini vtriusq. distinctæ; quod confirmatur ex eo quòd etiam domus Polletæ habet quoddam cubiculum intra domum Alexandri Barbitonsoris, & tamen non dubitatur, quin illa esset ab ista, domus separata. Nec facit, quòd Albizus soluerit census, quia vtranq. possidebat: Quare conclusum, cum fines non conueniant, Ecclesiam non bene fundasse intentionem suam.

Calaguritana Capellæ.
Die Lunæ 16. Ianuarij 1584.

SVMMARIVM.

1 *Dominium Capellæ respectu vsus verificari potest.*

2 *Insignia familiæ in aliqua Capella existentia deleri non debent, & aliquo modo probant dominium.*

DECISIO DCLII.

Domini dixerunt reformandam esse sententiam in duobus, & primo respectu deputationis Capellanorum ad celebrandas missas, quia hæc facultas non probatur competere Dominis de Alaua, licèt enim probetur relictam elemosynam pro missis celebrandis; nõ tamen hinc sequitur Capellanos per eos esse deputandos, sed tantum curare debent, vt huiusmodi missæ à ministris Ecclesiæ celebrentur, cui debetur elemosyna pro sustinendo huiusmodi onere celebrandi missam. Nec facit, quòd testes dicant Capellam esse Dominorum de Alaua, quia cum neque probetur iuspatronatus, neque prætẽdatur pro hac parte, dominium illud non tribuit hanc facultatem deputandi Capellanum, nisi fortè vellent vltra elemosynam proprijs expensis ibi celebrari fa-
1 cere, † respectu enim vsus satis verificatur dominium Capellæ. Secundo reformanda est, vt facultas faciendi ibidem celebrari missas, & alia officia diuina non stet priuatiuè ad alios, ne diminuatur cultus diuinus: In ceteris verò dictum fuit sententiam esse
2 confirmandam; nam † neque licet insignia familiæ delere, *Roman. singul.* 480. & ea aliquo modo probant dominium, *Cassan. de glor. mund. part.* 1. *q.* 55. *Boer. in cons.* 6. *n.* 13. & ius exornandi Capellam Ipsis Dominis de Alaua competere probatur, quamuis & hoc Ecclesia facere non prohibeatur, si velit ius quoq. habendi propria sedilia, & in illis sedendi, necnon sepeliendi; & ad istos vsus concessam fuisse Capellam, & concedi de iure potuisse, stante temporis antiquitate & obseruantia non dubitatur etiam, quòd ab initio Capella vnà cum Ecclesia constructa fuisset, quod tamen ex aduerso non probatur, nec impeditur iste vsus ex eo, quòd ibi adsit porta, qua itur in sacristiam. Quod autem dicitur de mappis & ornamentis Ecclesiæ, non est inconueniens ratione oneris, quod habet celebrãdi missam, pro qua consequitur elemosynam.

Præsens decisio reuocat in parte decisionem factam sub die 27. Iunij anni præteriti.

Placentina Bonorum.
Die Lunæ 23. Ianuarij 1584.

SVMMARIVM.

1 *Indigentia Ecclesiæ, propter quam fuit facta alienatio, inspicitur de tempore contractus, & potest esse vera, dato quòd per prius per aliquot dies extitissent pecuniæ, cum inde sequatur tantum præsumptiua probatio vt num. 2.*

3 *Pecunia, quæ ad aliquem peruenit, facit, quòd ille censeatur factus locupletior, sed præsumptiuè.*

4 *Permissum ex causa necessitatis non comprehendit necessitatem, in quam quis sponte sese conycit, & quando non procedat.*

5 *Subreptio inducitur ex eis tantum, quæ expressa retraxissent principem à concedendo.*

6 *Relatio regulariter non debet fieri ad actus annullationem.*

DECISIO DCLIII.

Domini in hoc conuenerunt, quòd subreptio sit per Illustrissimum Dominum Cardinalẽ concludenter probata, licèt probatio non percutiat tempus contractus, sed ante cõtractum per aliquot dies, tamen maior pars Dominorum alijs contradicentibus tenebat hãc probationem oriri ex præsumptione, quia retenta decisione aliàs facta, a quam Informantes pro Illustrissimo Cardinali directè non impugnant, quòd
1 † indigentia Ecclesiæ, & carentia modi soluendi debet spectari de tempore cõtractus, sequitur quòd dato etiam, quòd prius per aliquos dies extitissent pecuniæ, vnde fieri poterat solutio debiti narrari Papæ, si tamen Papa intellexisset illas fuisse consumptas, & Ecclesiam adhuc indigere, contractumq. cessurum in vtilitatem, eodem pacto
2 concessurum fuisse; † Quòd autem existentia pecuniarum præcedens, si inspiciatur tempus contractus, faciat tantummodo præsumptiuam probationem colligi ex de-
3 ductis per informantes, & quòd † ex eo quòd pecunia ad aliquem peruenerit, is cẽseatur factus locupletior præsumptiuè, *tradit*

a sub die 19. Maij anni præteriti.

dit Niconit. in rubr. de oper. no. nunc. n. 176. Non obstant in contrarium deducta, quia ea pars, quæ tendit ad probandum adesse subreptionem admittitur, quatenus verò
4 dicitur, quòd † permissum ex causa necessitatis non comprehendit necessitatem, in quam quis sponte sese conijcit, procedit data consumptione tali, cuius ratio haberi nō debeat, & quæ in fraudem Ecclesiæ facta fuit, quod esset videndum, cum hactenus nō fuerit disputatum super fraude, sed reseruata tantum hæc inspectio. Non obstat, quòd
5 † subreptio etiam inducatur ex factis præteritis; quia licèt hoc verum sit, tamen non ex omnibus indistinctè, sed ex his tantum quæ retraherent à concessione; & ideo cum indigentia non fuerit retractura à concessione, si probetur de tempore contractus, licèt non adfuerit per aliquot dies ante illa copia pecuniarum præexistens, ex se non faceret subreptionem, si constaret de tempore contractus desijsse. Vltimo non obstat, quòd in contractu dictum fuerit, Commendatarium non habere, nec habuisse modum, & eius tenor habetur pro expresso, videturq. falsa narratio in facto proprio; quia
6 respondetur, † relationem regulariter non fieri ad actus annullationem; maximè cum non releuet, quòd habuerit, vel non habuerit modum, si tunc temporis non habebat, quando contractus in scriptis fuit redactus.

Mediolanen. Matrimonij.
Die Lunæ 20. Februarij 1584.

SVMMARIVM.

1 *Ex comparitione tollitur omnis defectus citationis.*
2 *Inhibitio Rotalis siue iusta siue iniusta semper est timenda.*
3 *Procurator habens mandatum generale, sponte comparendo in actis, dicitur deducere mandatum suum ad speciem.*
4 *Quando inchoatur iudicium contra procuratorem generalem, dantur dilationes ad partes pro consulendo principali; secus quando procurator generalis sponte comparet post citationem principalis, vt num. 5.*
6 *Per comparitionem Procuratoris generalis post citationem principalis præsumitur citatio peruenisse ad notitiam principalis.*

DECISIO DCLIV.

Domini sine difficultate fuerunt pro attentatis, stante commissione in Rota præsentata, cuius vigore decreta fuit citatio cum inhibitione, quæ fuit rite mandata executioni per affixionem iuxta formam in decreto traditam, & pars contraria com-
1 paruit in Rota producendo mandatum, † ex qua comparitione tollitur omnis defectus citationis, quatenus adesset. Neq. obstat, quod deducitur de subreptione commissio-
2 nis, quia † inhibitio Rotalis siue iusta siue iniusta est timenda, *Aebill. decis. 7. de attentat.* Quod deducitur de generalitate man-
3 dati, nihil est; cum † sponte procurator constitutus comparuerit in actis huius causæ, & ita deduxerit suum mandatum ad speciē,
4 & huiusmodi obiectio tunc procedit, † quādo quis vult inchoare litem contra procuratorem generalem trahendo eum inuitum in iudicium; tunc enim potest quidem cum eo iudicium inchoare, sed solent concedi dilationes ad partes ad consulendum principa-
5 lem; † secus quando procurator generalis sponte comparet post citationem principa-
6 lis: † tunc enim præsumitur citatio peruenisse ad notitiam principalis; Ideo conclusum, vt pars contraria omissis probationibus, quæ vitio attentatorum subiacent, vtatur tantum alijs, vel curet, vt isti testes repetantur.

Ispalen. Beneficij.
Die Veneris 24. Februarij 1584.

SVMMARIVM.

1 *Clausula parito Breui requirit paritionem etiam respectu fructuum.*
2 *Oblatio non sufficit, quando adest clausula, parito breui, licet sufficiat in purgatione spolij vel attentatorum, & ponitur ratio differentiæ, vt num. 3.*
4 *Practica Rotæ est, vt petens procedi ad vlteriora vigore Breuis habentis clausulā, parito breui, liquidet ipse fructus, vel impetretur commissio, quòd iudici præfigatur terminus ad liquidandum.*
5 *Oblatio, quæ non est pura, non admittitur, vbi aliàs admitteretur.*

DECISIO DCLV.

1 FVit conclusum † non constare de paritione ad effectum, vt procedi possit in causa stante clausula, parito Breui: quamuis enim pro parte Ioannis prætēdatur paritum respectu dimissionis possessionis, tamen respectu fructuum, apparet clarè de
2 non paritione; † oblatio enim hoc casu non sufficit, debet enim cum effectu fructus restituere, vt tollatur suspensio iurisdictionis, quod autem dicitur ex decisionibus allegatis, *Sarnen. 15. lib. 1. Ant. August. 5. de fruct. lib. in repertor.* procedit in alijs terminis,
3 puta † vbi agitur de purgatione spolij vel attentatorum, quo casu sufficit oblatio, *vt per Mohedan. decis. 311. incip. Cruciferorum fratrum.* ratio differentiæ illo casu est, quia iurisdictio non est conditionalis, quemadmodum

4 modũ in casu nostro, † & practica Rotæ est, vel quòd petens procedi ad vlteriora liquidet ipse fructus, vel impetretur commissio, quòd præfigatur Ordinario terminus ad liquidandum, quo elapso procedatur in negotio principali, quod fortasse cõcederetur, vbi constaret de calumnia liquidare negligentis: Præterea † oblatio non est pura, nec talis, quæ etiam, vbi admittitur, esset sufficiens; *ad notat. per Bald. in l. lite pendente. num. 1. C. de litigios.* vltra quòd etiam extraiudicialiter, & per scripturas informes Ximenes docuit de multis molestationibus, & vexationibus sibi per aduersarium in partibus illatis. Nec facit decretum Auditoris Cameræ, quia fuit ad alium finem, nempe absolutionis, in qua solemus esse procliuiores, & faciliores.

5

Fauentina Bonorum.
Die Veneris 2. Martij 1584.

S V M M A R I V M.

1 *Rota non solet transferre cognitionem causa in exequutores.*

DECISIO DCLVI.

Domini dixerunt ex hactenus deductis pro Magnifica Communitate constare de excessu, non quidem ea ratione, quòd exequutio fuerit facta in possessionibus, quæ non sunt intra confinia in mandato expressa, quia cum Rota prius cognouerit coram R. P. D. Gropperio* per quã plurimas disputationes de iustitia sententię Cipelli, & eam iustam esse, & exequendam censuerit, & exequutio fuerit facta in possessionibus in sententia cõprehensis, & specificatis; vtiq. tunc non excessum fuit in exequutione, & verba mandati stant demonstratiuè non limitatiuè, quia † Rota non solet transferre cognitionem causæ in exequutores; sed excessus prouenit ex iniustitia, quæ detecta est ex decisionibus coram me factis in causa restitutionis, & quas allegat Communitas, tamen quia fuerunt factæ circumscriptis iuribus Dominorum Canonicorum, videndum est, quid ex aduerso pro tollendis probationibus per Cõmunitatem factis, & iuribus deductis per eam pro parte Dominorum Canonicorum deducatur; & ideo Cõmunitas eligat, ex quo præcipuè capite velit sententiam impugnare, & videatur in concursu, quæ probationes & demonstrationes præualeant.

1

* & præsertim 16. Nouẽbris 1583.

Placentina Bonorum.
Die Veneris 2. Martij 1584.

S V M M A R I V M.

1 *Fraus ad effectum subreptionis interuenire potest, etiam quòd actus non sint illiciti, nec contra legis dispositionem.*

DECISIO DCLVII.

Dubitatum fuit, an constet de fraude ad effectum subreptionis, de qua agitur, & fuit per Dominos conclusum pro parte affirmatiua; nam ex serie facti, quæ bene per informantes deducitur, apparet, quòd de tempore tractatus venditionis Ecclesia erat creditrix in libris sexmille, quas à Bottis dominis aquarum, quas emit Pellagattus, consequi poterat recipiendo insolutum aquas recto tramite, & sine circuitu aliquo, sed non conducebat intentioni Commendatarij negotium hoc modo gerere; tum quia hoc pacto non poterat consequi has pecunias, quibus inhiabat; tum etiam quia emptio aquarum illo alio modo inseruiebat pro coloranda vtilitate euidenti resultante ex alienatione bonorum Ecclesiæ facta Dominis Puteobonellis; & ideo fuit electa via illa suppositionis Pellagatti, vt integra summa à Bottis debita ad manus ipsius Commendatarij perueniret, qui ex his, quæ in facto deducuntur, solitus erat satis male versari in administratione bonorum Ecclesiæ: Ex quibus omnibus apparet, qua intentione fuerit adhibitus iste circuitus; Nec releuat, quòd nihil ab eo, neque à Pellagatto gestum fuerit, quod prohibitum reperiatur, neque considerari posse fraudem ex aliquo actu illicito prouenientem, quia hic non agitur de ea fraudis specie, quæ fiat per actus illicitos, & contra legum dispositionem, sed de tali fraude & machinatione, quæ potuerit Papam retrahere à concessione licentiæ alienandi; nam ex his resultabant plura, quæ remouere potuissent Papam à concessione beneplaciti: Primum est exclusio necessitatis alienationis, cũ adessent pecuniæ, quas in extinctionem debiti erogare poterat Commendatarius: Secundum exclusio vtilitatis euidentis, cum aquas habere posset Abbas alia & commodiori via, quàm alienando bona Ecclesiæ: Tertium, quia neque his aquis de eo tempore indigebat, cum adhuc locatio duratura esset per multos annos, & debitum Puteobonellis non adeo in instanti vrgeret. Verum quia deducuntur pro Puteobonellis debita Commendatarii, ex quibus prætendunt, Papam, si ea sciuisset eodem modo concessurũ fuisse facultatem alienandi; Domini ordinarunt, vt videantur eorum probationes, quia ab illis pendet resolutio articuli subreptionis, & si prætendant Puteobonelli hanc subreptionem Commendatarij sibi obesse non debere, particulariter audiantur.

1

Romana Domorum.
Die Lunæ 5. Martij 1584.

SVMMARIVM.

1 *Consentiens alienationi rei sua cum clausula, sine praiudicio iurium suorum, censetur reseruasse sibi ius respectu pretij tantum, non autem respectu dominij, ad effectum liberandi spoliatorem à purgatione spolij, & num. 3.*

2 *In materia cessionum & renunciationum non fit extensio de vna re ad aliam.*

4 *Per cessionem intelligitur cessum omne id, quod requiritur, ad hoc vt quis rem cessam retinere possit.*

5 *Exequutio fieri debet contra eum & eius bona, qui ad pretij restitutionem tenetur.*

DECISIO DCLVIII.

CVm Francisca de Brandis obtinuisset
sententiam fauorabilem in spolio ab
Auditore Cameræ & eius adiuncto, contra
D. Paulum Hieronymum Barenghum super
duabus domunculis incorporatis domui
magnę emptę per ipsũ Barẽghũ à Crisolinis,
in quo iudicio comparuerat Crisolinus
pater & legitimus administrator Horatij,
vti necessarius defensor, iamque esset
decretum mandatum exequutiuum vigore
Aegidianæ: Non obstante appellatione interposita,
& cõmissione præsentata R.P.D.
Robusterio, Crisolinus ad euitandam exequutionem
deuenit ad quãdam transactionem
cum Francisca cum clausula, sine præiudicio
quorumcunq. iurium suorum, & filij
sui ac litis pendentiæ coram R.P.D. Robusterio,
quibus minimè præiudicari voluit;
sed metu mandati ad euitandam exequutionem,
vt soluto Franciscæ pretio, on dictæ
domus olim emptæ fuerant, ipsa fine
præiudicio tamen quorumcunque iurium
suorum, ac fructum decursorum ac expensarum,
consentiret venditioni factæ Barengho
cedendo ad eius fauorem omnia iura,
omnesq. actiones reales & personales &c.
sibi super dictis domibus competentes cum
clausula, Ad habendum &c. notario pro eo
absente stipulante, eumq. postmodum Domina
Statilia Franciscę hæres obtinuerit in
iudicio augmentum pretij dictarum domorum
contra Crisolinum vti procuratorem
Barenghi dominum litis effectum, & legitimum
administratorem Horatij filij sui respectiuè,
agereturq. de exequutione, dubitatum
fuit, an pro residuo dicti pretij possit
relaxari exequutio contra domum magnam
Barengho venditam, & alia dicti Barenghi
bona, & dubium faciebat renunciatio
per Franciscam in transactione ad fauorem
Barẽghi facta; videbatur enim propter
verborum prægnantiam renunciasse omnibus
iuribus sibi contra Barenghum ratione
dictæ domus competentibus: Neq. obstare
clausulam præseruatiuam iurium *propter
doctrinam Ias. in l. si fundum. num. 8. de legat. 1. & aliorum, quos refert Alciat. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 28. num. 5.* qui volunt
1 † consentientem alienationi rei suæ cum
clausula, sine præiudicio iurium suorum,
ne inducatur contrarietas, censeri reseruasse
sibi ius respectu pretij tantum, non
autem respectu dominij; & ideo Dominam
Statiliam ad pretium tantum agere posse
contra Crisolinum, *adcumulata per Tiraq. de retract. §. 1. glos. 9. nu. 135. cum sequentib.*
Quibus tamen non obstantibus contrarium
per Dominos conclusum fuit; moti fuerunt
2 Domini ex eo, quòd † in materia cessionũ,
& renunciationum non fit extensio de vna
re ad aliam, *Rot. decis. 3. de renunciation. in nou. Doctores in l. postquam liti. & ibi Bald. num. 11. C. de pact.* operabitur ergo hæc renunciatio,
vt amplius non possit impugnari
venditio, neq. ratione dominij domorum,
neque ratione spolij peti earundem restitutio,
sed respectu totalis purgationis spolij
fiendæ in pecunia nihil actum teneri, ex
quo Barenghus liberationem consequutus
fuerit, cum hæc facta fuerint Crisolino expressè
cauente, vt non intelligeretur præiudicatum
pendentiæ litis coram R.P.D.
Robusterio, & in effectu litem prosequutus
fit nomine Barenghi, & sententia prioris
confirmatoria contra eundem lata fuerit, &
ab ea eiusdem nomine appellatum, & causa
commissa bo. me. Domino Oradino, coram
quo ob non prosequutionem appellationis
transitum fecit in iudicatum, & demum
causa augmenti commissa R.P.D. Decano,
tam contra Barenghum & Crisolinum, quã
dictas domos, vt in commissione expressè
habetur, ex qua prosequutione clarè apparet,
3 † remissionem & cessionem non fuisse
factam ad effectum liberandi Barenghum
ab vlteriori purgatione spolij, hoc enim ius
præseruatum fuit per clausulam sine præiudicio,
Pute. decis. 34. Decima Octobris. lib. 2. Confirmatur, quia vno & eodem contextu
vltra iura præseruantur fructus decursi, &
expensæ, quæ omnia postea per Barenghum
partim soluta partim compensata fuerunt.
Neq. obstant allegata, *ex Ias. & Alciat.* quia
procedunt ratione contrarietatis, & incompatibilitatis;
si enim consentiente aliquo
alienationi rei suæ cum clausula, sine præiudicio,
ille intelligeretur præseruare sibi
dominium, protestatio esset directè contraria
facto, & videretur actus nugatorius, &
hoc casu procedunt tradita *per Bart. in l. 1. de liber. legat. & in l. si tibi homo. de legat. 1.*
4 *& ibi Alex. & Ias.* quia † id omne, quod requiritur
ad hoc, vt quis rem cessam retinere
possit, cessum intelligitur, non possit igitur
amplius Francisca, siue eius hæres domos

mos vendicare, neque vti spoliata sibi restitui petere; sed non ideo cẽsetur remissa spolij purgatio respectu valoris domorum, ad quem Barenghus conuentus & condemnatus fuerat, cum nulla intercesserit litis cessio, neque iudicij possessorij respectu purgationis eo modo, vt conuenerat in pecunia fiendæ: Nec vult *Ias. & Alciat.* quòd respectu pretij, ille cui domus vendita est, non teneatur, immo contrarium verum est. Nec obstat, pretium fuisse olim solutum Crisolino, quia ratione iudicij contra Barenghum
5 moti, ┼ ipse & non Crisolinus ad pretij restitutionem tenebatur, & cõtra eum, & eius bona debet fieri exequutio, *l. à diuo Pio. §. in venditione. & ibi Doctor. de re iudic. Specul. tit. de sentent. §. sequitur. nu. 2.* licet ipse habeat Crisolinum obligatum de euictione; & ideo non obstant allegata in contrarium. Et ita per Dominos conclusum.

Romana Prætensæ nullitatis contractus.
Die Mercurij 9. Martij 1584.

SVMMARIVM.

1 *Dilatio temporis adiecta solutioni in contractu venditionis respicit solutionem debiti, non autem venditionem, & n. 3.*
2 *Facultas disponendi liberè de aliqua re addita in secundo contractu, quæ prius per aliquod certum tempus non erat concessa in primo, induceit nouationem.*
4 *Per cessionem non transfertur dominium, quando debitor cedit bonis simpliciter; secus est in cessione conuentionali cum susceptione oneris soluendi alijs.*

DECISIO DCLIX.

FVit resolutum, quamuis secundus contractus possit dici factus in exequutionem primi, neq. inducat absolutè nouationem, nisi in aliquibus; tamen ex venditione facta pendente adhuc triennio, nullam per Dominos de Capponibus incursam contrauentionem, aut inobseruantiam, ob quam possit prætendi eos cecidisse à cõ-
1 modo cõtractus initi cum D. Iacoba; ┼ nam dilatio trium annorum concessa in priore contractu Ioanni Cornetro, & Ioanni Antonio Fascinæ respicit solutionem debiti, non autem venditionem mercium, & per consequens, quando in secundo contractu fit mentio dictorum trium annorum, hoc respicit tantummodo prouisionem, quæ tribus illis annis soluebatur iuxta formam nonæ conuentionis, non autem aliquam inducit promissionem de non vendendo merces
2 durante hoc triennio; ┼ immo in hac parte nouatio claré inducitur, tum ex eo quòd in hoc secundo instrumento ceduntur & transferuntur omnes merces & bona ipsorum in Dominos de Capponibus cum amplissimis clausulis, vt possint de ijs disponere liberè & absolutè, prout veri domini possunt, quæ cessio neq. priore instrumento continebatur, neque se compati potest cum prætensione; quòd non licuerit eas vendere; tum etiam ex eo quòd in capitulo vbi fit mentio triennij, dicitur claré, quòd conuentio illa eo vsq. duret, donec à detti Capponi parerà pigliarci altro espediente, & c. quæ verba innuunt fuisse relictum arbitrio ipsorum liberam dispositionem totius negotij, quæ res non continebatur in priore contractu, & cum illa dilatione respectu Capponorum non se compatitur, & ideo intrant allegata *ex Dec. cons. 464. nu. 5. Aym. 167. num. 5. & 9. Gabr. de nouation. concl. 1. num. 6.* Neque obstat, quòd Domina Iacoba videatur sese obligasse contemplatione il-
3 lius dilationis; quia ┼ cum dilatio, vt dictũ est, non respiceret venditionem, sed solutionem, eaq. remissa fuerit respectu Capponorum arbitrio ipsorum, non potest vllum effectum parere; maximè cum non fuerit deducta in obligationem, *l. cum in pluris. §. locator. & ibi Bart. locat.* Non obstat, quòd
4 ┼ per cessionem non fuerit translatum dominium, *ad textum in l. legis Iulia. C. qui bon. ced. poss. l. 3. de cession. bon. Capell. Tolosan. decis. 134.* quia præterquam quod id videtur procedere, quando debitor cedit bonis simpliciter, non autem in cessione conuentionali, cum susceptione oneris soluendi alijs, *l. facta. §. si hæres. ad Trebell. Aym. in cons. 191. col. 2. vers. quod agatur.* satis est ad effectũ, de quo agitur, quòd sit data per huiusmodi cessionem libera facultas distrahendi. Et ex his conclusum, quòd nisi probetur mala versatio & dolosa in huiusmodi venditione, ex ea non posse inferri ad aliquam contrauentionem & inobseruãtiam.

Placentina Bonorum.
Die Veneris 13. Aprilis 1584.

SVMMARIVM.

1 *Simulatio emptionis præsumitur ex eo, quòd supposita sit persona emptoris, quo casu causa suppositionis probatur, ex quo emẽs rem, neq. ipse indigeat, neq. pro se illam retinere velit.*
2 *Ex præcedentibus, & sequentibus detegitur rei veritas.*
3 *Ex coniecturis probantur simulationes contractuum.*
4 *Præsumptio simulationis ex instrumento resultans nihil operatur, quando simulatio est in personis, & veritas in actu.*
5 *Contractus, in quo simulatio est in personis, & veritas in actu, valet, & in eo acquiritur ius vera persona & non ficta.*
6 *Non est inconueniens, quòd contractus pro parte sit verus pro parte fictus diuersis respectibus.*

An

7 *An res dicatur fieri incontinenti vel ex interuallo ad inducendum correspectiuitatem, pendet à iudicis arbitrio.*

DECISIO DCLX.

FVit dubitatũ, an persona Pellagatti posfit dici supposita per Abbatem in contractu illo emptionis aquarum à Bottis, & Dominis sine cõtradictione visum fuit, suppositionem esse apertissimam ex pluribus; Primo ex petitione licentiæ à Senatu emendi aquas, easq. in quãcunq. personam etiam Ecclesiasticam transferendi, & in huiusmodi petitione supplicantes sunt Commendatarius, Botti, & Pellagattus, quæ res indicat negotium ab ipso initio pertinuisse ad Cõmendatarium. Secundo hoc idem demonstratur ex renũciatione locationis quatuor vnciarum aquæ, quam fecit Commendatarius eadẽ die & eisdem notarijs ex testibus, qui venditioni factæ Pellagatto interfuerũt; quæ tamen locatio duratura erat adhuc ad plures annos, & tenebatur Cõmendatarius conseruare illas quatuor vncias conductori bonorũ Abbatiæ; adeo quòd si non fuisset actũ à principio, vt ex illis duas vncias cum dimidia, quas emebat Pellagattus retrocederet vendẽdo illas Commendatario, prout factum fuit, vtiq. ipse nunquam illas cessurus fuisset in præiudicium suum, qui obligatus erat conductori bonorũ. Tertio hoc totũ confirmatur ex euentu sequuto, nã Pellagattus postea dictas aquas Commendatario védidit, & hinc data fuit occasio supplicandi Papæ, vt concederet alienationẽ bonorum venditorum Dominis Puteobonellis pro soluendo pretio dictarum aquarũ, quas si recta via ipse Commendatarius emisset à Bottis, quorum erat creditor in libris sexmille, vtiq. nulla suberat colorata causa alienandi bona Ecclesiæ, prout factum fuit,
1 † & hęc fuit causa huiusmodi suppositionis, quæ probatur satis ex eo, quòd Pellagattus, qui emebat istas aquas, neq. ipsis indigebat, neq. pro se retinere volebat ad *tradita, in l. si eum pater. & ibi Bal. C. ad Senatus cõs.*
2 *Velleian.* & † ex præcedentibus & sequentibus detegitur rei veritas, *Aym. in cons.*
3 *143. n. 9.* & † ex coniecturis probantur simulationes, *Bald. in l. emptione. C. plus valer. quod ag. Anchar. in cons. 257. Alex. cons. 197. col. fin. lib. 7. cum similibus.* Neq. obstant ex aduerso considerata; Nam quòd primo loco
4 deducitur † præsumptio ex instrumento resultans, ea nihil facit, nam, *vt optime tradit Bald. in l. cum precibus. C. de probation.* simulatio est multiplex, & inter alias species connumeratur illa, quæ maximè facit
5 ad casum nostrum, † quando simulatio est in personis & veritas in actu, puta quando vnus tacitè recipit instrumentum pro alio, & talis actus in se valet, quia verus, sed acquiritur ius veræ personæ non fictæ, *l. 4. §. si ab ignoto. de manumissionib. l. vxor marito. de donat. inter vir. & vxo. l. si non verum. & l. si filij tui. C. eod. tit.* quare ex cõtractus veritate non tollitur suppositio personæ, quæ ex validissimis præsumptionibus elicitur. Quod dicitur non solũ emptas fuisse aquas, sed & ius ducendi alias, non tollit, quin ra-
6 tione emptarum suppositio probetur; † non enim est inconueniens, vt contractus pro parte sit verus, pro parte fictus diuersis respectibus. Vltimo causa simulationis per se patet; quia res ita gesta præbebat occasionem alienandi terras, quas iam decreuerat Commendatarius alienare, neq. temporis interuallum contrarium arguit, cum & ad palliandum totum negotium necesse esset aliquid spatij interponere, & non poterat statim haberi beneplacitum Apostolicum, sine quo Puteobonelli non erant pecunias erogaturi, & aliàs resolutum fuit pro actuũ
7 correspectiuitate, [a] & † an res dicatur fieri incontinenti, vel ex interuallo pendet à iudicis arbitrio, *vt in hac materia tradit Menoch. qui cæteros citat de arbitr. iudi. lib. 2. cas. 13.* Reliqua non indigent responsione, & bene per Dominos informantes fuerunt sublata.

[a] sub die 11. & 21. Maij anni præteriti.

Romana Vineæ.
Die Veneris 27. Aprilis 1584.

SVMMARIVM.

1 *Hypotheca super re specialiter ante eius venditionem reseruata inducit prioritatem actionis creditori.*
2 *Apocha continens promissionem de vendendo, non autem venditionem non transfert dominium; maximè si postea sequatur instrumentum in exequutionem promissionis de vendendo, non autem ad probationem venditionis.*
3 *Constitutio hypotheca in re vendita ante venditionem valet, & præfertur.*

DECISIO DCLXI.

1 FVit resolutum † Dominos de Pinellis in hypotheca priores esse Domino Iacobillo, quia in limine contractus emptionis vineæ, & mutui contracti fuit reseruata hypotheca specialis super ipsa vinea, *l. licet. C. qui pot. in pign. hab. & l. priuilegia. de priuileg. cred. Negusant. de pignor. memb. 2. part. 5. n. 17. cum simil. lib.* [a] Neq. obstat, quod ex aduerso dicitur vineam prius fuisse Cardinali venditam, quia contrarium probatur ex lectura apochæ factæ inter Cardinalem
2 & venditores, † quæ clarè continet promissionem de vendendo, non autem venditionem; & ideo non fuit translatum dominium, *Aretin. in cons. 28. n. 1. Dec. cons. 502. Tiraq. de retract. conuent. ad fin. n. 42.* quòd autem illa apocha non contineret venditionem, apparet etiam ex eo, quòd vẽditio celebrata

[a] Bart. in l. interdum. n. 5. ff. qui potior. in pign. hab. cum alijs per Ripp in l. priuilegia. nu. 32. ff. de priuileg. cred.

lebrata fuit sub die 24. Ianuarij 1578. & sic per mensem post apocham, & fuit factũ instrumentum in exequutionem promissionis de vendendo, non autem ad probationem venditionis, quia appatet, quòd venditores noluerunt sequi idem Cardinalis respectu pretij conuenti, sed voluerunt habere cedulam in manibus in ipso actu venditionis. Nec obstat, quòd hypotheca fuerit constituta per diem ante emptionem, & sic tempore quo nundum Cardinalis erat Dominus,
3 † quia ad hunc effectum constitutio hypothecæ potest præcedere acquisitionem, *Cepol. cautel. 124. n. 1. vers. potes etiam ex prædictis. Negusant. de pignor. part. 5. membr. 2. n. 18.* Non obstat confessio Cardinalis, de qua in instrumento obligationis factæ Pinellia cum clausula constituti, quia apparet ex rei euidentia factam fuisse illam confessionem ratione imminentis venditionis, quæ propter præcedẽtem promissionem habebatur à Cardinali pro facta; & ideo vel ita interpretari eam oportet, vel fateri, erratũ fuisse: sed quia pro parte Iacobilli allegatur euictio vineæ, Domini ordinarunt, vt deducatur factum, & particulariter iste articulus discutiatur.

Burgen. Iurisdictionis.
Die Veneris 4. Maij 1584.

SVMMARIVM.

1 *Sequestrum factum super fructibus beneficij illius, qui pro defensione suæ Ecclesiæ abest, reuocari debet.*
2 *Absens à residentia pro defensione suæ Ecclesiæ habetur pro præsente ad effectum lucrandi fructus, & num. 3.*
4 *In materia iurisdictionis commisso vno articulo censetur etiam commissum id, sine quo ille articulus explicari non potest.*

DECISIO DCLXII.

QVia Dominus Franciscus Aluaradus Archidiaconus de Viruiesca, habens litem in curia cõtra Illustr. & Reuerendiss. Dominum Archiepiscopum Burgensem super iurisdictione, quam prætendit ratione Archidiaconatus; non residebat in sua Ecclesia, fuit factum sequestrum, siue inhibitio nomine dicti Domini Archiepiscopi colonia & Atrendatarijs fructuum dicti Archidiaconatus, ne responderẽt de dictis fructibus Domino Aluarado, qui habuit recursum ad Sanctiss. Dominum Nostrum, & obtinuit committi in Rota causam super reuocatione huiusmodi sequestri siue inhibitionis; Et ideo dubitaui, an esset reuocandum, & fundabatur intentio Reuerendissimi Domini Archiepiscopi in decreto *Sacri Concilij Tridentini sess. 24. c. 12. de reformat. & c. 1. sess. 23. cum alijs per informantes adductis,* * Quibus non obstantibus, Domini dixerunt † esse
1 reuocãdum sequestrum & inhibitionem;
2 eum ille † qui pro defensione Ecclesiæ est absens, habeatur pro præsente ad effectum lucrandi fructus, *c. ex parte. il 2. de cler. non resid. c. cum non deceat. de elect. in 6. & vtrobique Doctores, Hostien. in sum. eod. tit. n. 2. Afflict. decis. 289. nu. 35. cum alijs per informantes allegatis,* a Nec obstat, quòd D. Aluaradus sit actor, quia licèt à principio fuerit causa per Dignitates commissa, tamen nouissimè fuit per Archiepiscopum per specialem commissionem renouata, & licèt prætenderent dignitates se esse in possessione, tamẽ impetrata fuit declaratio à Sacra Congregatione, quòd sola immemorabilis suffragaretur, & interim Archiepiscopus exerceret iurisdictionem, quæ res multum excusat Dignitates, quæ posthabito iure antiquæ possessionis coguntur docere de immemorabili, neq. potest dici, quòd quæratur ansa non residendi, cum ortæ fuerint controuersiæ in partibus super extractione processus, quas posset ipsemet Archiepiscopus sedare producendo illum, si pars negligenter se gessit in productione. Non obstant decreta Concilij, quia non detrahunt quicquam dispositioni iuris communis, quinimmo *in c. 12. 24. sess.* remittit se ad Sacrorum Canonum constitutiones. Neq. placet, quod dicitur, *c. ex parte.* loqui respectu iuramenti tantum, quia *in c. cum non deceat.* expresse statuitur, † vt absentes causa Ecclesiæ lucrentur fructus suorum beneficiorum. Quod verò dicitur Rotam non habere iurisdictionem, non subsistit; cum data sit per commissionem in plena Signatura Sanctissimi intellecto toto negotio & causa sequestrationis;
4 & † in materia iurisdictionis mandato vno articulo censetur mandatum etiã id, sine quo ille articulus explicari non potest, *l. fin. §. fin. de off. eius cui mand. est iurisd.* Quòd deducitur de distributionibus quotidianis, est præter intentionem Aluaradi, qui eas nõ prætẽdit, An autem à suis Collegialibus indulgeri possit ratione vtilitatis Ecclesiæ, pro qua est absens, *iuxta glos. in c. vnic. in verb. suas. de cler. non residen. in 6. alterius est inspectionis.*

* & c. 1. sess. 23. & c. 1. sess. 6.

a Hostien. in d. c. ex parte. per illũ text. & ibi Io. Andr. Butr. Imol. & Abb. Rebuf. in prax. benef. tit. de dispensat. de non resid. n. 3. & idem videtur sentire sacr. Conc. Triden. in c. 1. sess. 23. in illis verbis, nam cũ Christiana chari. tas vrgens.

Romana Domorum.
Die Lunæ 7. Maij 1584.

SVMMARIVM.

1 *Clausula ad habendum latissimè extensa in instrumento dat & concedit facultatem liberam disponendi de re empta.*
2 *Idem est de clausula ponens.*
3 *Cessio rei cum clausula sine præiudicio iurium, licèt pregnans, & cum clausulis amplis in ea appositis, refertur tantummodo ad dominium, & actiones, qua pro ea competunt, seu competere possunt; Refer-*

Reseruatio verò iurium respicit pritium rei venditæ seu cessæ.

4 *Contraria non sunt, quòd res liberè vendatur, & nihilominus pro pretio tam res vendita, quàm alia bona emptoris remaneant hypothecata.*

5 *Verbum, liberè, in venditione operatur respectu translationis dominij pretio soluto.*

DECISIO DCLXIII.

CAusa iterum proposita fuit ad instantiam Domini Crisolini; nam cum fuisset constitutum fundamentum pro Domina Statilia super reseruatione iurium Franciscæ competentium, apposita in transactione, & fuisset dictum, nullam adesse incompatibilitatem inter hanc reseruationē, & consensum præstitum venditioni; ideoq., doctrinam *Ias. in l. si fundum. n.8. de legat.* 1. non facere in contrarium, sed potius pro hac parte induci posse; Iterum pro parte Crisolini instabatur super hac contrarietate, & incompatibilitate propter prægnantiam verborum cessionis, ibi cessit, & transtulit omnia iura, & actiones reales, & personales, directas, hypothecarias, & in rem scriptas, sibi quomodocunq. & qualitercunq. competentes, videri enim hæc inuicem repugnare, & quòd omnes istæ actiones cedantur, & quòd eædem reseruentur. Secundo ex alijs
1 verbis positis † in clausula ad habendum latissimè extensa, in qua datur facultas libera disponendi de dicta domo, ponderando dictionem, liberè, *prout per Alex. in cons. 12. n.2. & cons. 14 n.3. lib.2. Aym. cons. 122. nu. 6. cum alijs per informantes allegatis* *. Ter-
2 tio † ex clausula ponens, & ex facultate apprehendēdi possessionē dictæ domus liberè, quæ omnia tendunt ad eundem effectum. Vltimo ponderando verba posita in narratiua instrumenti, in quo dicitur deuentum fuisse ad transactionem, quia iudices recusabant tradere possessionem Franciscæ propter melioramēta facta in domibus; & ideo consensisse, vt exequutio fieret in pretio, quæ res arguit, quòd respectu domorum nihil voluerunt Franciscam consequi, sed tantum recuperare pretium, & reseruationem intelligendam esse respectu litis pendentiæ in Rota. His tamē non obstantibus Domi-
3 ni steterunt in resolutis * : † prægnantia enim cessionis & clausularum in ea appositarum tendit tantummodo ad cessionē dominij, & actionum, quæ pro eo competebāt, seu competere poterant, reseruatio verò iurium respicit pretium domuncularum, in quo pretio veniebat ex rei natura augmentum à tempore proueniens, & hoc augmentum erat pars pretij domorum, cui renunciare Francisca non intendebat, & pro eius consequutione volebat habere obligatum Barenghum, cum quo & cuius nomine tran-
4 sigebatur; ideo † nulla subest contrarietas, quòd res libera vendatur, & nihilominus pro pretio tam res vendita, quàm alia bona emptoris remaneant hypothecata, prout fieri aliquando solet, *vt per Bald. in l. fin. C. commodat. & in l. eam cui. C. de action. & oblig. Negusant. de pignor. 4. part. princip. n.*
5 *33. cum sequentib.* † Illud enim verbum, liberè, operatur respectu translationis dominij pretio soluto, quæ cessio & hypotheca si continerent contrarietatem cum translatione dominij, vtiq. non posset constitui priuatorum pactionibus: Et ex his tolluntur omnia ex aduerso deducta, & remanent inconcussæ aliæ rationes pro hac parte in alia positione ª deductæ.

* Curt. Iun. cons. 2. n. 5. Ias. cons. 14. col. 1 vers. inter. lib. 3. cū similib.

* sub die 5. Martij proximè præteriti.

ª sub d. die 5. Martij proximè præteriti.

Compostellana Pensionis.
Die Veneris 11. Maij 1584.

SVMMARIVM.

1 *Clausula, sine retardatione solutionis pensionis, in commissione operatur, quòd non possit in causa procedi, nisi prius solutis terminis decursis, & interim cesset iurisdictio.*

2 *Clausula, dummodo pensio medietatem fructuum non excedat, sufficit verificari solum in petitorio, licèt exceptio videatur resultare ex verbis reseruationis, & sic non operatur, nisi constet de reseruatione.*

3 *Reseruatio pensionis dicitur constare ex litteris etiam non iustificatis, & etiam non verificata conditione apposita, dummodo medietatem fructuum, &c.*

4 *Exceptio ex ventre reseruationis pensionis, tunc dicitur resultare, quando gratia est conditionalis.*

5 *A lege per commissionem Iudici præscripta discedere non licet.*

DECISIO DCLXIV.

1 COnclusum fuit † non posse in hac causa procedi, nisi prius solutis terminis decursis, stante clausula, sine retardatione solutionis pensionis, quæ facit, vt iurisdictio interim cesset, *Io. Paul. decis. 61. Pute. decis. 21. de pension. cum alijs* : * Neque obstat, quod allegatur, exceptionem resultare ex
2 ventre reseruationis, † propter clausulam, quòd pensio medietatem fructuum non excedat, quod nō fuit verificatum; quia ad effectum vt intret clausula, non est opus verificatione gratiæ, sed ea postea iustificatur in petitorio. Nec facit ad rem *Achill. decis. 3. de commissionib.* vbi habetur clausulā non operari, nisi constet de reseruatione, qui a
3 † satis constat de reseruatione ex litteris etiam non iustificatis ad hunc effectum, *Pute. decis. 224. fuit resolutum in vna Licien. lib. 1.* tunc enim Rota intelligit

* Sarnens. in cōpend. vtr. sign. num 14. Pute. decis. 14. lib. 1.

4 † exceptionem oriri ex ventre, quando gra-
tia esset conditionalis, puta postquam cle-
ricali caractere insignitus fuerit; conditio-
ne enim non verificata, non constat de re-
seruatione, & hoc casu procedit *d. decis.* 3.
Achillis; Dixerunt tamen ea, quæ in facto
contra pensionem deducuntur, esse talia, quę
forsan si adiretur Signatura Sanctissimi mo-
uerent Sãctissimum D.N. ad tollendam hu-
5 iusmodi clausulam, sed interim † nobis prę-
scripta est lex, à qua discedere nõ possumus.

Romana Palatii de Incoronatis,

Die Veneris 11. Maii 1584.

SVMMARIVM.

1 *Verus valor rei est, quantum communiter ipsa res vendi potest.*

2 *Modus probandi verum valorem rei per peritorum electionem est modus à iure approbatus, secundum communem opinionem; maximè si periti sint de consensu partium electi, & mediante iuramento referant, & num.4.*

3 *In peritis electis ad æstimationem valoris rei idem seruatur, quod in arbitris, vt duobus dissentientibus tertius eligatur.*

5 *Ad probandum valorem ad effectum læsionis probandum est pretium rei, quod communiter reperiri potest de tempore contractus.*

6 *In venditione attenditur rei communis æstimatio, quæ etiam per peritos fieri potest.*

7 *Nemo melius scire potest rei valorem secundum communem æstimationem quàm peritus; & ideo potius statur æstimationi factæ per peritos à iudice electos, quàm testibus.*

8 *Testis dicens rem nunquam vendi pro omni eo, quod æstimatur, non excludit, quin venditio possit fieri etiam per æstimationem peritorum à iudice deputatorum, sed tantum excludit, quòd pretium conueniat æstimationi.*

DECISIO DCLX

FVit dubitatum nonnullis relationibus
peritorum & testibus, & aliis præsup-
positis, an sit probatus verus valor pala-
tii, de quo agitur, & quidem post peritorum
per partes electorum & à iudice deputato-
rum, & demum tertii, qui propter aliorum
discordiam deputatus fuerat, relationes,
prætendebant Domini Doria non probari
1 verum valorem palatii, cum † verus valor
rei sit, quantum communiter res, de qua
agitur, vendi potest, & desuper examinarũt
testes ad probandum huiusmodi valorem:
Quibus in Rota discussis, Domini concor-
diter dixerunt verum valorem per Domi-
nos de Incoronatis probatum fuisse non ob-
2 stantibus testibus ex aduerso inductis; † iste
enim modus probandi per electionem peri-
torum est modus à iure approbatus, *l. hac
edictali. §. his illud. C. de secund. nupt. Bart. in
l. Theopompus. de dot. prælegat. Aretin. in cõs.
38. Doctores communiter in l. 2. C. de rescind.
vend. cum allegatis ibid. per Cagnol. qui de
3 communi testatur sub n.* 258. & † & in his
seruatur idem quod in arbitris scilicet, vt
duobus dissentientibus, eligatur tertius,
4 *l. item si vnus, §. fin. de recept. arbitr.* † quod
maximè dicendum, quando periti fuerunt
de consensu partium electi, vt in casu pro-
posito, *l. si irruptione. §. fin. fini. regund. Bart.
in l. 3. C. fini. regund. Abb. in c. proposuistis
n. 10. & Felin. ibid. n. 6. de probation. Cagnol.
in d. l. 2. n. 259. Pinell. ibid. in 3. part. c. vlt. n.*
4. & mediante iuramento retulerant *iuxta
d. l. hac edictali. §. his illud. Ias. in repet. l. ad-
monendi. n. 237. & ibid. Rip. n. 196.* [a] *cũ alys
per informantes deductis*, [a] Neq. obstant,
quæ ex aduerso deducuntur; Et primo, quòd
5 † ad effectum *l. 2. C. de rescind. vend.* proban-
dum sit pretium rei, quod communiter re-
periri potuisset de tempore contractus, *ad
Cagnol. in d. l. 2. n. 25. 169. & 228.* & quod
per testes probatur, quòd domus & palatia
vendantur iuxta pretium conuentum non
6 autem ad æstimationem; quia licèt † com-
munis æstimatio attendatur, tamen inter
alios modos probandi, quæ sit communis
7 æstimatio, est iste per peritos, † nullus enim
melius scire potest rei valorem secundum
communem æstimationem, quàm peritus; &
ideo *Bero. in cons. 102. n. 35. lib. 3.* dicit stan-
dum esse potius æstimationi factæ per peri-
tos à iudice electos quàm testibus. Neq. per
testes probatur hæc negatiua, quòd palatia
non vendantur iuxta æstimationem perito-
rum, quia quòd vendantur iuxta pretium
conuentum, non excludit, quominus pre-
tium conuentũ possit esse idem pretiũ, quod
ex relatione æstimatorum constitutum fue-
8 rit: † Et quamuis septimus iuxta vndecimũ
dicat (che mai i palazzi non si comprano
quello che sono stimati) non excludit, quòd
venditiones non fiant etiam isto modo, sed
tantum excludit, quòd pretium conueniat
æstimationi, quod quidem potest esse verũ,
si agatur de præcisa æstimatione domus seu
palatii, sed non est verum, quando ad effectũ
vendendi non fit præcisa æstimatio quanti-
tatis & qualitatis, & amplitudinis domus &
cæmentorum, sed cum temperamento quã-
titatis pensionum confundendo pretia, & ex
eo quod prouenit, pretium commune dedu-
cendo, prout factũ fuit in istis relationibus,
& hæc distinctio colligitur ex dictis eorun-
dem testium, nempe tertii, quinti, & septimi
iuxta decimumsextum interrogatorium.
Secundo non obstant, quæ deducũtur de pa-
cto de retrouendẽdo; Item quòd domus erat
ruinosa;

[a] ff. de instit. iur.

[a] facit text. in l. cõparationes. C. de fid. inst. Bart. in l. Theopõpus n. 3. ff. de dot. prçleg. Dec in c. 4. n. 13. de probat. Couar. var. resolu. lib. 2. c. 13. n. 4.

ruinosa; Item quòd æstimatio debuit fieri habito respectu temporis contractus, quia ista omnia tolluntur optimè ex deductis in facto, cum Rota habuerit rationem huius pacti in constituendo pretio, nec probetur istam domum fuisse ruinosam, & periti retulerint habito respectu ad tempus cõtractus, vt ex relationibus constat. Vltimo non obstat, quod de melioramẽtis deducitur; quia etiam eorum habita fuit ratio, itaut nihil prorsus deduci videatur: Et ideo conclusum pro concludenti probatione valoris pro parte Dominorum de Incoronatis.

Bononien. Fideicommissi.
Die Veneris 1. Iunij 1584.

SVMMARIVM.

1 *Augmentum dotis necessarium, fieri debet ad collocandas honestè filias, attenta qualitate personarum & temporum ex bonis fideicommisso subiectis, sicut ipsa dos, & num. 4.*

2 *Dos & eius augmentum à pari procedunt, immo augmentum pars dotis dicitur, & dispositum in vno locum habet in alio, non solum ex legis dispositione, sed etiam ex coniectura mente dotantis.*

3 *Dotans filias vel neptes censetur id animo paterno, & ex debito naturæ congruè facere, inspecta qualitate temporis dotationis, supponendo aliud facturus, si cogitasset de mutatione à temporis cursu proueniente.*

DECISIO DCLXVI.

PRoposita fuit causa super eo, an stante fideicommisso, de quo in testamento Ioannis Baptistæ, & statuto Bononien. quod vult filias à parentibus dotatas contentas esse dote ipsis data, fuerit licitũ alienare bona subiecta fideicõmisso pro augmento dotium, & licèt vna pars tantum informauerit, 1 ✝ tamen res Dominis visa est satis clara in iure pro parte affirmatiua, præsupponendo huiusmodi augmentum fuisse necessarium ad collocandas honestè puellas de eo tempore attenta qualitate personarum & temporũ, prout constat ex cõfessione Astorgij dotantis, & patris Dominorum de Lõbardis, qui veniunt ex aduerso in instrumẽtis constitutionis dotiũ Ludouicæ & Ioannæ, quæ coadiuuatur *ex cons. Laurent. à Pinu.* 109. qui scribens ad fauorem Dominorum de Lombardis in alia causa fatetur de eo tempore non potuisse minorem dotem congruam dari quàm mille ducatorum, & est probabilissimum, cum inter testamentum & constitutionem dotium intercesserit spatiũ viginti annorum & vltra, quo posito, 2 clara est iuris conclusio, ✝ quòd dos & eius augmentum à pari procedunt, immo ipsum augmentũ pars dotis est, *l. inter socerum. §. cum inter. de pact. dotal. Cyn. in l. si constitu-ta. C. de donat. ant. nupt. Io. Campeg. de dot. part. 5. q. 19.* & ideo dispositũ in vno locum habet in alio, non solũ ex legis dispositione, *l. si constante. cum ibi notat. C. de donat. propt. nupt.* sed etiam ex coniectura mente 3 dotẽ constituentis, ✝ qui cum constituerit dotes neptibus ex filio, censetur id animo paterno & ex debito naturæ congruè fecisse inspecta qualitate temporũ, quibus est testatus, aliud facturus, si cogitasset de mutatione à temporis cursu proueniente, *argumento l. tale pactum. §. fin. de pact. l. Titius. §. Lucius. de lib. & posth. & in propriis terminis Alciat. de præsumpt. regul.* 1. *præsumpt.* 2. maximè cum omnis dispositio intelligatur rebus sic stantibus *l. quod Seruius. & ibi Ias. de cond. caus. dat. Dec. cons.* 335. *Natt.* 525. *n.* 16. & in hoc statuto augmenti dotis in bonis fideicommisso subiectis consuluit *Aym. cons.* 291. *per tot. Marzar. de fideicom. q.* 48.

4 ✝ Neq. obstat fideicõmissum, quia eadẽ ratione, qua testator permisit pro dote cõstituta ab eo alienationẽ bonorũ, cẽsetur permisisse etiã pro augmento necessario ex causa constituẽdæ congruæ dotis, eũ hãc interpretationẽ lex admittat, quare & hominis quoq. dispositio eã admittere debet, *Bart. in l.* 1. *C. de his quib. vt indign. Aym. in d. cons.* 291. *n.* 5. Nõ obstat statutum, quia locũ habet, vbi contra voluntatẽ testatoris aliquid vltra dotẽ relictã petitur, sed hic ex coniectura mente fit interpretatio secundũ ipsius voluntatẽ: Præterea non sumus in casu petitionis, sed in casu retentionis dotis cõstitutæ ab hærede ex legitima causa, & sine aliqua fraude; neq. enim verisimile est, quòd voluerit propter fœminas præiudiciũ inferre masculis nulla præuia causa fraudãdi, cũ ergo simus extra casũ statuti, & agatur de sustinenda dote congrua iam constituta, & alienatione prædii ex ea causa facta, debemus amplecti dispositionẽ *Auth. res quæ. C. com. de legat.* in qua admittitur alienatio bonorũ fideicommisso subiectorũ etiã vltra legitimã, quando ex ea constitui non potest dos cõgrua, *vt per Bald. Nouell. in l.* 1. *n.* 125. *sol. matr.* quod maximè debet procedere in casu isto, in quo pro dotibus constituendis habemus expressam mentẽ testatoris permittentis in defectũ lucri capitalis artis sericæ dotes solui ex alijs bonis suis hæreditarijs, quæ tamẽ fideicõmisso subijciebantur, adeo quòd respectũ constitutionis dotiũ apparet voluisse rationem haberi fideicõmissi. Et ita sine difficultate pro hac parte conclusum.

Romana Tutelæ de Fabiis.
Die Lunæ 4. Iunij 1584.

SVMMARIVM.

1 *Sententia est stricti iuris, & ideo strictè intelligenda.*

2 *In exequutione sententiæ, non venit nisi id, in quo fuit facta condemnatio.*

DECISIO DCLXVII.

Propoſui dubium, an ſententiæ & res iudicata contra Illuſtr. Dominum Franciſcum Cincium veniant exequendæ non ſolum reſpectu adminiſtrationis Cinciorũ; ſed etiam reſpectu adminiſtrationis Ludouicæ, & omiſſo in præſentia articulo præſcriptionis, Domini inſpectis verbis ſententiæ, quæ ſunt iſta; Dicimus & declaramus Illuſtr. Dominum Franciſcum Cincium, vti hæredem & bonorum poſſeſſorem Domini Chriſtophori, & Rocchi teneri & obligatum eſſe ad reddendam Magnifico Domino Fabritio de Fabijs Lelij Filio, plenam & debitam rationem tutelæ, curæ & adminiſtrationis bonorum Domini Lelij eius patris, cuius Domini Lelij, dicti Chriſtophorus & Rocchus reſpectiuè teſtamentarij & confirmati tutores, tutelam curam & adminiſtrationem geſſerunt, & adminiſtrarunt: dixerunt ſententiam manifeſtè reſtringere ſe ad id, quod geſtum & adminiſtratum eſt à dictis Dominis Chriſtophoro & Roccho tutoribus teſtamentarijs & confirmatis, quæ confirmatio & adminiſtratio fuit de tempore tantum, poſtquam Ludouica Fabritij
1 mater tranſiuit ad ſecũda vota: Vnde ✝ cum ſententia ſit ſtricti iuris, eſt ſtrictè interpretanda, *Dec. in l. ius noſtrum. num. 11. de reg. iur. & conſ. 607. num. 7. Aym. conſ. 188. num. 6. Gozad. conſ. 50. num. 12. Tiraq. de retract. lign. §. 1. gloſ. 9. num.* 182. apparet ſolam condemnationem contineri eius temporis, quo adminiſtratum fuit per Do-
2 minos Cincios; ✝ ideo cum de exequutione agatur, non venire redditionem adminiſtrationis Ludouicæ, ſuper qua non reperitur facta condemnatio, quicquid ſit in puncto iuris in illo articulo, an teneantur de geſtis per Ludouicam, ex eo quòd non exegerunt ab ea rationem, & reliqua. Et ideo concluſum, quantum ad hanc partem, quòd ſententię pro tempore adminiſtrationis Ludouicæ non veniunt exequendæ.

Romana Iuriſpatronatus.
Die Veneris 8. Iunij 1584.

SVMMARIVM.

1 *Vſurpatio Iuriſpatronatus non præſumitur, niſi conſtet de doloſa occupatione.*
2 *Vbi non eſt delictum, ibi pœna non infligitur.*
3 *Delictum ibi non intelligitur, vbi non adeſt dolus.*
4 *Dolus ex quibus coniecturis & circumſtantijs excludatur.*
5 *Patronus inops de bonis iuriſpatronatus Eccleſiæ datis ali debet.*

DECISIO DCLXVIII.

Domini confirmarunt deciſiones aliàs factas coram R.P.D. Robuſterio * in hac cauſa, nempe ✝ non conſtare de tali vſurpatione bonorum Capellæ, de qua agitur, vt intret diſpoſitio *Concilij Tridentini ſeſſ. 22. c. 11. de reform.* totum enim quòd continetur in Concillari decreto intelligi-
2 tur de doloſa occupatione; nam ✝ vbi non adeſt delictum, ibi pœna nõ infligitur, *l. ſancimus. C. de pœn.* ✝ neque ibi delictum intelligitur, niſi vbi adeſt dolus, *l. 1. §. dictus. ad leg. Corn. de ſicar.* ✝ ex multis autem circumſtantijs facti & coniecturis, viſum fuit Dominis dolum excludi, quæ aliàs fuerunt deductæ, quæ in ſumma reducuntur ad infraſcriptas: Prima, conſideratio ætatis Eliſabethæ & eius paupertas ac infirmitas, ex quibus confeſſio, quæ deducitur ex aduerſo, probata per teſtes ſingulares, eneruatur: Secunda, quòd probationes, quæ afferuntur de identitate domus, ſunt ſatis debiles, & non tranſeunt ſine difficultate: Tertia, quòd ex eiſdem teſtibus Domini Iulij probari videtur Eliſabetham de hac re confeſſam abſolutionem obtinuiſſe, quod non eſt veriſimile, præſertim à viro perito & probo, niſi aliqua ſubſiſtente cauſa id fecerit: Quarto idem poteſt colligi ex bona fama & conſciẽtia Eliſabethæ, de qua deponunt teſtes, & coadiuuatur ex eius teſtamento, in quo legat domum Eccleſiæ: Quinto ſatis videtur conſtare ex depoſitionibus Domini Ferrantis, & Domini Hieronymi teſtium Ioãnis Baptiſtæ, & Domini Antonij teſtis Domini Iulii, quòd attenta paupertate Eliſabethæ Rectores patiebantur, vt ipſa habitaret in domo, quæ res tollit omnem difficul-
5 tatem; maximè ✝ cũ de iure patronus inops ſit alendus ex bonis datis Eccleſiæ. Neque obſtat, quod deducebatur de domo ſita in via Pontificum, quia adeſt titulus emphyteuticus excludens occupationem, vt alias viſum fuit. Quod autem nouiſſimè affertur ex alio inſtrumento, nihil concludit, quia Rota non fuit mota ex præſumptione ſola permutationis, ſed ex aliis ſupra deductis. Et ideo concluſum ſtandũ eſſe in reſolutis.

* & præſertim ſub die 27. Iunij anni præteriti.

Romana Domorum.
Die Veneris 15. Iunij 1584.

SVMMARIVM.

1 *Quando exceptiones non admittantur.*
2 *Exceptiones in iudicio, in quo latæ ſunt tres ſententiæ conformes non admittuntur, nec retardãt exequutionem rei iudicatæ.*
3 *Legitima, licèt ratione quota ſit certa, ratione tamen valoris patrimonij dicitur incerta.*
4 *Legatarij non tenentur ad æs alienum; niſi liquidò*

liquido constet hereditatem non esse soluendo.

5 *Producens inuentarium in parte & partibus, non dicitur in totum illud approbasse.*

6 *Masculinum non concipit fœmininum, vbi adest diuersa ratio.*

7 *Idem ius de iure communi non est in patre, quod est in matre respectu filiorum naturalium.*

DECISIO DCLXIX.

FVit resolutũ exceptiones Domini Crisolini in hoc iudicio non esse admittendas ex pluribus; Et primo, ✝ quia sumus in iudicio spolij *l. fin. in fin. C. de compensation. vbi Bald. n. 4. & Salicet. n. 1.* Secundo, quia ✝ super isto iudicio pro Domina Statilia latæ sunt tres sententiæ conformes, sed super prętensionibus Crisolini non fuit adhuc pronunciatum; ideo non debent retardare exequutionem rei iudicatę *d. l. fin. C. de compensation. Palæot. decis. 355. Romana pecuniaria.* Tertio, quia hæc exceptio opponitur ex persona tertij, cum iudicium & exequutio tendant aduersus Barenghum; exceptio verò proponatur ex iuribus Crisolini *Palæot. d. decis. 355.* Quarto, quia prætensiones Crisolini patiuntur multas difficultates; nam ratione legitimę subest difficultas ex eo, quòd in eam voluit testatrix imputari vsumfructum sibi debitum, quod quidem est de iure, vt debitum patri imputetur, *Bart. in l. in quartam. n. 10. Rip. ibid. nu. 185. ad leg. Falcid.* Præterea ✝ licèt ratione quotæ legitima sit certa, ea tamen est incerta ratione valoris patrimonij. Quantum verò ad bona mobilia res est adhuc magis inuoluta; nam Statilia habet regulam pro se; quia ✝ legatarij non tenentur ad æs alienum, *l. fin. §. fin verò. C. de iur. deliber.* & quòd hæreditas nõ fuerit soluendo, est replicatio Crisolini, quæ est illiquida, neq; adhuc super ea est pronunciatum. Quod verò dicitur ✝ Statiliã approbasse inuentariũ non aptatur in facto, cum productio fuerit limitata in parte & partibus, &c. Quantũ ad Statutum Romanum *c. 144. in nou.* illud est extra dubium, & respicit aliud iudiciũ, sed etiam potest pati difficultatem; tum quia non loquitur de matre, & ✝ masculinũ non concipit fœmininum, vbi adest diuersa ratio, nam ✝ de iure communi idem ius nõ est in matre, quod in patre respectu filiorum naturalium, *l. si qua illustris. §. fin. cum ibi notat. C. ad senat. Consf. Orficia.* tum quia sumus in auia non autẽ in matre, de qua nullũ prorsus verbum in statuto. Et ideo nemine discrepante conclusum, non esse prętextu harum exceptionum retardandam exequutionem.

Rauennaten. Bonorum.
Die Veneris 15. Iunij 1584.

SVMMARIVM.

1 *Allegans statutum ad probandum suam intentionẽ, quod est qualificatũ, eo vti nõ potest, nisi probata ipsius statuti qualitate.*

2 *Possidẽs non tenetur docere de iure sua possessionis, sed onus probandi non ius incũbit ei, qui non ius possidentis allegat.*

3 *Mater per statutum excusa à successione filij extantibus propinquis non dicitur exclusa absolutè, nisi respectu bonorum paternorum; secus in aliunde filio prouenientibus, licèt ab auia paterna.*

4 *Bona exclusi à statuto applicantur ei cuius contemplatione excluditur.*

DECISIO DCLXX.

DVbitatum fuit, an in casu de quo agitur, Statutum Rauennæ suffragetur Domino Ioachino: Casus est talis, Bartholomæa de Thomaijs nupsit Petro de Pignatis, ex quo suscepit filium Paulum, qui ex Lucretia de Bancherijs vxore suscepit Petrinam, quę superstite Lucretia matre obijt; Extat autem Statutum Rauennæ, vt possessiones, quæ sunt ex parte patris cuiuslibet decedentis ab intestato, deficientibus ascendentibus & descendentibus deueniant ad proximiores ex parte patris; quæ verò sunt ex parte matris deueniãt ad propinquiores ex parte matris; D. Ioachinus de Thomaijs prætendit ius successionis in quadam possessione, quæ fuit, vt præsupponitur Bartholomęæ auiæ paternæ ipsius Petrinæ ratione consanguinitatis cum dicta Bartholomęa, ea enim erat soror patris ipsius Domini Ioachini, & sic eius amita: vnde fit, vt sit coniunctus in quinto gradu consanguinitatis cum Petrina, & pro fundamento suæ intentionis deducit prædictum statutum: Causa per me proposita inclinatum fuit per Dominos contra D. Ioachinum ex pluribus, quæ poterũt particularius discuti suo tempore; Et primo, ✝ cum Dominus Ioachinus sit actor, & ad fundandam suam intentionem deducat Statutum, quod est qualificatum, non videtur eo vti posse, nisi probata qualitate; Statutum verò loquitur deficientibus ascendentibus, hic verò adest mater, ergo non potest habere locum dispositio, cum non verificetur præsuppositum *ad regul. traditam à glos. in l. mancipia. C. de seru. fugit. Roman. sing. 495.* Neq; videri obstare, quòd mater dicatur habere hoc prædium ex transactione non ex successione, quia ✝ cum possideat, non tenetur docere de iure suo, sed onus incumbit Domino Ioachino, vt ostendat sibi competere. Neq; etiam videri obstare, quòd ✝ matris non sit habenda ratio, cum ea excludatur ab alio statuto à successione filij extantibus pro-

pinquis vsq. ad quartum gradum, reseruata ei tantum legitima, & hic extare propinquum ex latere paterno in quarto gradu, qui eam excludit, quia aut volumus, quòd ipsa excludatur absolutè tam respectu bonorum prouenientium ex parte patris quàm etiam matris, & iste intellectus non potest applicari viua matre, nisi largè sumendo auiam pro matre, & hoc casu nihil pretendere posse videtur Dominus Ioachinus, cum ipse sit constitutus in quinto gradu, & eius respectu mater à statuto ex-
4 clusa non sit, + sed totum spectet ad eum, cuius contemplatione excluditur: Aut per statutum agnatus excludit matrem respectu tantum bonorum ex latere patris, & túc mater superstes in consideratione est habenda, cum à successione aliorum nō sit exclusa. Sed & facta fuit difficultas super præsupposito, an ista bona possint dici ex linea matris, cum proueniant ab auia paterna, cui coniuncta erat Petrina mediante persona patris; sed nihil fuit super hoc decisum, cum ita fuerit præsuppositum de partium consensu: tamen quia materia est satis subtilis, vidēdum erit particulariter, an hoc casu existentia matris faciat cessare dispositionem statuti per Dominum Ioachinum allegati, vel si malit Dominus Ioachinus, cū sit actor, videri poterit de veritate præsuppositi.

Anconitana de Gozzis.
Die Lunæ 25. Iunij. 1584.

SVMMARIVM.

1 *Beneplacitum Apostolicum per lapsum triginta vel quadraginta annorum præsumitur, & ita seruat Rota; secus est, si adsit præsumptio in contrarium, vt nu. 8.*
2 *Ex contractu etiam nullo possessio per lapsum triginta vel quadraginta annorum dicitur translata, quando tamen nullitas non sit ex capite defectus consensus.*
3 *Remedium recuperandæ, sicut non datur priuato, qui facto suo à possessione cecidit, ita nec datur Ecclesiæ.*
4 *Sententia lata contra aliquem lite tertio nō intimata, eum non afficit.*
5 *Obligatio de tradendo rem liberam etiā per lapsum triginta vel quadraginta annorum, quo non fuerit tradita, sed res in alios trāslata, facit, quòd semper agi possit actione primæua, vt res libera tradatur.*
6 *Vbi euicta est possessio, dici potest rem non fuisse liberè traditam.*
7 *In actione de tradendo rem liberam veniūt damna & interesse, si res non tradatur.*
9 *Litis intimatio non est necessaria, quando pars illius notitiam habuit in tempore.*
10 *Stante iustitia sententia potest is, contra quem lata fuit, eam acceptando bonam fidem agnoscere.*

DECISIO DCLXXI.

FVit dubitatum nonnullis præsuppositis, An Domina Zerbina possit agere contra Dominos Marinum & fratres de Gozzis, vt terras liberas tradant, vel damna & interesse præstent, itaut procedendum sit contra eosdem ad vlteriorem exequutionē, vel potius d. Domina Zerbina teneatur restituere scuta 1140. & alia centum vnà cum expensis, & pro parte dictorum Dominorū de Gozzis dicebatur, eam non posse agere ex eo, quòd possessio terrarum ab ipsa non iure sed culpa sua auocata fuerat, quod quidem deducebatur ex eo, quòd fratres Sancti Dominici, qui egerunt contra eam spolio, non fouebant in huiusmodi iudicio possessorio bonum ius, ex quo ipsi de anno 1518. capitulariter vēdiderant terras istas reseruato beneplacito Sedis Apostolicæ Cōmu-
1 nitati Pulueregij, quòd + cum ob lapsum triginta vel quadraginta annorum præsumatur, *Ancbar. in cons. 136. Gemin. cons. 87. col. fin. Dec. cons. 36. nu. 8.* quod & Rota ser-
2 uat, + vtiq; trāslata fuerat possessio etiam ex contractu nullo, quando nullitas non est ex capite defectus consensus *Achill. decis.*
3 329. & ideo + monasterio non competebat remedium recuperandę, quemadmodum nō datur priuato, qui facto suo cecidit, *vt per Socin. in l. rem quæ nobis. de acquir. poss. n. 8. Abb. in c. accedens. n. 19. vt lit. non contest. Lap. allegat. 52. Aegid. decis. 494.* ex quibus
4 sequitur + sententiam latam pro fratribus fuisse iniustam, & non afficere Dominos de Gozzis, quibus non fuerat intimata lis huiusmodi; *l. 1. C. de perit. & comm. rei vend. l. emptor. C. de euict. & fin. de empt. & vend.* Ex alio quoq; capite deducebatur culpa Dominæ Zerbinæ, quia cum fratres condemnati fuissent à Domino Frumento ad restitutionem pretij & melioramentorum vnà cum fructibus, & hanc sententiam ipsa acceptauerit, eiusq. exequutionem petierit, culpa eius factum fuisse, vt res ei libera amplius tradi non posset, *Dec. in cons. 74. nu. 5.* Contrarium tamen per Dominos fuit
5 resolutum, + Zerbinam posse agere actione primæua, vt res libera tradatur, *Bart. in l. ratio. n. t. de action. empt. Socin. in cons. 199. n. 8. lib. 2. Ias. in l. venditores. in fin. de verb.*
6 *oblig.* quia + vbi euicta est possessio, dici potest rem non fuisse liberè traditam, *Bart. in l. Aristo. §. Labeo. col. 1. vers. tertio. de donation. Ias. in l. Iulianus. §. qui fundum. nu. 6. de verb. oblig. Alex. in cons. 63. nu. 11. lib. 6.*
7 *Dec. cons. 102. circa fin.* & + in ista actione veniunt damna & interesse, *Ang. in l. 1. §. si haret. nu. 3. ad Trebell. Alex. d. cons. 63. n. 11.* & procedunt prædicta, etiam quando sola possessio euicta est, *Bald. & Salicet. in l. 1. C. de*

C. de peric. & com. rei vend. Riminal. cons. 490. nu. 30. lib. 3. Non obstant allegata in contrarium; quia ex decisionibus aliàs factis coram R. P. D. meo Blanchetto [a] sublata fuerunt; Et primo, quod dicitur ✝ beneplacitum præsumi [illegible] patio triginta annorū, id non procedit, vbi adest cōtraria præsumptio, quæ insurgit ex rescripto obtento de anno 1530. cuius exequutio nulla reperitur, & ab eo tempore vsq. ad tempus litis effluxerunt tantummodo 29. anni. Non ob-

[a] sub die 12. Decembris 1580. & 27. Ianuarij 10. & 21. Aprilis ac 3. Iulij 1581.

8

9 stat, quòd ✝ lis intimata non fuerit Dominis fratribus de Gozzis; quia satis est eos habuisse eius notitiam ante annum 1565. quo fuit facta à fratribus realis exequutio sententiarum ad eorum fauorem in possessorio latarum. Vltimo non obstat, quod dicitur fuisse acceptatam sententiam Frumenti per

10 Zerbinam, ✝ quia stantibus supra deductis, cum sententiæ pro fratribus essent iustæ, potuit ipsa agnoscere bonam fidem, *vt per eūdem Dec. ex aduerso allegatum in d. cons. 74. nu. 4.* Et ideo conclusum stantibus resolutionibus Dominam Zerbinam ad vlteriorem exequutionem admittendam esse.

Romana Pretij Vineæ.
Die Lunæ 25. Iunij 1584.

SVMMARIVM.

1 *Paria sunt, quòd quis possideat, vel quòd dolo aut lata culpa desierit possidere in remedio actionis hypothecariæ.*

2 *Qui cautionem pro euictione non exigit, quando competit, dolo carere non videtur, & ob id ab obligatione non liberatur.*

3 *In alienatione necessaria consensus Domini directi non requiritur, sicut in alienatione voluntaria.*

DECISIO DCLXXII.

FVit proposita causa super articulo exceptionis euictionis reseruato in propositione & decisione Dominorum sub die 27. Aprilis; & conclusum fuit hanc exceptionē

1 non tueri Dominum Iulium, nam ✝ in huiusmodi remedio hypothecariæ actionis paria sunt, quòd quis possideat, vel quòd dolo aut lata culpa desierit possidere, *l. 1. C. si vend. pign. agat. l. 1. de distract. pign. cum similibus*, cum autem per Dominos de Pinellis iā fuisset in iudicio deducta actio contra Dominum Iacobillum super pretio Vineæ, antequam per Dominos directos intentata esset iudicialiter actio super deuolutione; debebat Dominus Iacobillus cautionem exigere à Dominis directis, aliàs non fuit liberatus à priori actione, *l. is à quo. de rei vendic. l. cum idem. de petit. hered. & ibi*

2 *Bart. Ang. Castr. Fulgos. & alij*, ✝ qui enim cautionem huiusmodi non exigit, dolo carere non videtur, *l. dolo. ad leg. Falcid. Bart. in d. l. cum idem, & in d. l. is à quo. quem omnes sequuntur*, quæ eo maximè procedūt, quia in defensione vineæ aduersus D. directū Dominus Iacobillus negligenter se gessit, neq; defensiones proposuit, neq; à sententia appellauit, videtur autem sententia vel per imprudentiam iudicantis lata, *l. si per imprudentiam. de euiction.* vel propter contumaciam rei. *l. si ideo contra emptorem. eod. tit.* & vtroq; casu nemini nocere debet, hoc autem satis ostenditur ex sententiæ iniustitia, quæ neq; ex capite alienationis ferri pote-

3 rat, ✝ cū alienatio fuerit necessaria non voluntaria; & ideò consensus Domini directi non requirebatur, *Bald. in c. 1. n. 11. de prohibi. feud. alien. Ias. in l. fi. nu. 113. C. de iur. emphyt. Tiraq. de retract. lign. §. 1. glos. 14. n. 9. & seq. Grat. cons. 133. nu. 10. lib. 1.* neq; etiam ex capite non solutionis canonis, cū in vita Cardinalis non fuisset facta declaratio caducitatis: Accedit, quòd tempore, quo iudicium hoc pependit in Curia Capitolina nulla facta fuit intimatio Pinellis, qui si id sciuissent potuissent defendere causam. Ex quibus cōclusum Dominum Iacobillum non esse liberatum ab obligatione solutionis pretij ad omne mandatum Domini, stante prioritate seu potioritate Dominorum de Pinellis, prout fuit resolutum.

Romana Societatis scutorum centum.
Die Lunæ 9. Iulij 1584.

SVMMARIVM.

1 *Qui non præstitit fideiussiones promissas, nō potest lucrari pecunias per obitum eius, super cuius vita est societas.*

2 *Non potest quis eo instrumento se iuuare, quod pro parte sua non adimpleuit.*

DECISIO DCLXXIII.

FVit dictum hunc casum fuisse aliàs decisum in illa Romana duorum millium co-

1 ram me, [a] in qua fuit conclusum eum, ✝ qui non præstitit fideiussiones promissas non posse lucrari pecunias per obitum illius; su-

[a] sub die 18. Decembris 1573. & 19. Martij. 1574.

2 per cuius vita erat societas inita; ✝ non enim potest se quis iuuare eo instrumento, quod pro parte sua non obseruauit, *ad tradita per Dec. & alios in l. cum proponas. la seconda, C. de pactis.*

Compostellana Pensionis.
Die Veneris 12. Octobris 1584.

SVMMARIVM.

1 *Rota non declarat arbitrium in pensione, nisi degustata prius validitate pensionis.*

2 *Confessio procuratoris potest à principali tanquam erronea reuocari.*

3 *Obligatio Cameralis vulnerata per sententiam Auditoris Cameræ non habetur in consideratione.*

4 *Papa remittendo causam pensionis cū clausula, arbitrio Rota, in consequentiam videtur dedisse facultatem examinandi litterarum pensionis validitatem.*

DECISIO DCLXXIV.

1 Domini nolunt declarare arbitrium, nisi prius gustata validitate pensionis, & moti fuerūt ex eo, quòd licèt ea possit dici verificata ex confessione consentientis, qui fuit orator in eadem supplicatione, tamē manifestè apparet narratiuam vacationis non esse conceptam secundum facti veritatem; cum Antonius ante obitū Leonardi Gil esset in possessione beneficij, de quo agitur, & Ioannes Liz erat tunc temporis procurator Antonij, qui non poterat hoc
2 ignorare; ideo † confessio illa præstita per procuratorem tanquam erronea reuocari
3 potest: Præterea † obligatio Cameralis per sententiam Auditoris Cameræ est vulnerata; ideo ea non debet haberi in consideratione; litteræ verò Apostolicæ, ob quarum reuerentiam solet dari clausula, non obstant,
4 † ex quo Papa remittēdo arbitrio Rotæ, vt procedatur cum clausula, vel sine, videtur in consequentiam dedisse facultatem examinandi earum validitatē ad hunc effectum; & ideo volente Papa cessat offensio, quæ aliàs considerari posset: Dubitetur itaq. an ad effectum, de quo agitur, constet de validitate aut inualiditate pensionis.

Fauentina Bonorum.
Die Lunæ 5. Nouembris 1584.

SVMMARIVM.

1 *Testis non remouet sensum ab actu, dum dicit se nunquam vidisse vel audiuisse, quia fieri potest, quòd alij viderint, & audiuerint.*

DECISIO DCLXXV.

Circumscriptis exceptionibus testium; Articulus decimus probatur per primum testem de certa scientia à suo recordatu, qui attingit quadraginta annos; Item per secūdum vltra quadraginta annos, quia tamen refert se ad superius dicta, restringitur ad depositionem suam supra contētam, *Paris. in cons. 88. nu. 61. lib. 3.* Item per tertium de auditu à senioribus, Item per quintum, qui dicit articulum verum, & est ætatis annorum 78. Item per decimumseptimū annorum 68. iuxta 50. Item vigesimum annorum 67. iuxta 51. & super decimo de auditu simplici; Reliqui non attingunt tēpus quadraginta annorum, & nihil probant, quia partim sunt de simplici auditu, & non
1 reddunt rationem scientiæ, partim † non remouēt sensum ab actu, dum dicūt se nunquam vidisse vel audiuisse, quia fieri potest, quòd alij viderint & audiuerint: Articulus duodecimus non probatur nisi de auditu per primum, tertium, duodecimum, decimū tertium, decimumquintum, & vigesimum, quorum tamen primus, tertius, & vigesimus possunt attingere quadraginta annos; reliqui non probant etiam simpliciter, prout per quintum ætatis 78. annorū, qui dicit articulū verum: Articulus decimustertius non probatur nisi de auditu: solus octauus, duodecimus, & decimusnonus dicunt audiuisse à senioribus, sed isti duo vltimi non possunt attingere tempus quadraginta annorum; Verum quia multi ex istis testibus probant interrogatoria Ciuitatis nempe 44. 45. 46. & 47. quæ videntur contraria articulis supradictis, videndum erit; an ex his oriatur talis contrarietas, quæ tollat fidem istis testibus, quod quidem fuit omissum in præsenti propositione, ex eo quòd circumscriptæ fuerunt exceptiones.

Placentina Bonorum.
Die Lunæ 5. Nouembris. 1584.

SVMMARIVM.

1 *Vnicus testis regulariter fidem non facit, & ad hoc vt semiplenè probet, necesse est, vt sit sine vlla exceptione.*
2 *Vnico testi aliquando iudex credere potest, & debet; quando cum eius dicto concurrūt coniectura, & verisimilitudines, & in hoc versatur ipsius iudicis arbitrium.*
3 *Testis deponens de certa quantitate, qua superat summam, super qua deponi debet, non probat.*
4 *Testis ostentans prodigiosam memoriam deponendo vsq. ad minutias tam contractuū quàm aliorum, si circa tempus deficiat, in quo vis probationis consistit, suspectus redditur.*
5 *Testis familiaris & præsumens esse firma memoria, oblitus nominis illius, cuius est familiaris deprehenditur ex hoc minus verax.*
6 *Testis semel approbatus non potest postea reprobari; secus est si non fuerit approbatus respectu dicti.*

DECISIO DCLXXVI.

Fvit actum in hac propositione causæ, an dictum noni testis ex alijs testibus & ex instrumentis & circunstantijs sit ita adminiculatum, vt ei fides sit adhibenda circa probationem quātitatis debitorum, & causam, in qua fuerunt huiusmodi debita con-
1 tracta, & † regulare quidem est, vnicum testem fidem non facere, *l. iusiurandi. C. de testib. c. licèt vniuersis. extra. eod.* immo ad hoc vt semiplenè probet, necesse est, vt sit sine vlla exceptione, *vt tradit Ias. in l. ad-*
2 *monendi. n. 178. de iureiur.* † Aliquando tamen potest, & debet iudex ei credere, quando cum eius dicto concurrunt coniecturæ

ctur ç & verisimilitudines, *vt per Bart. in l. 1. §. idẽ Cornelio. de quaest. Socin. iun. in cõs. 56. nu. 5. lib. 4.* & in hoc versatur iudicis arbitrium, *Modern. de arbitr. iudic. cas. 99. in fin. centur.* 1. Examinarunt itaque Domini adminicula & circumstantias deductas pro Dominis Puteobonellis vnà cum exceptionibus ex aduerso animaduersis, & omnibus consideratis censuerunt huius testis dictum non esse adminiculatum, neq; respectu quãtitatis debitorum, neq; respectu causae; nã
3 † quod attinet ad quantitatem, licèt ipse deponat de certa summa, quam dicit se portasse Mediolanum; tamẽ cum effectus huius disputationis sit videre, an debita fuerint soluta ex pecunijs exactis à Bottis de tempore impetrationis gratiae, si in euidentem; vtiq; haec summa, de qua deponit, non solũ nõ conuenit cũ summa exacta à Bottis, sed & illam superat in notabili quantitate, vltra id quod alij testes deponunt, soluta fuisse alia debita contracta in locis Abbatiae ex ipsismet pecunijs. Neq; obstant ea, quae ex aduerso considerantur, Commendatarium illo tempore potuisse maiorem summam redegisse, tum ex pecunijs mutuo acceptis, à Balthasare de-Barzellis, & à Ludouico fratre, prout ex instrumentis apparet, tum etiam ex redditibus Abbatiae, quia quantum ad pecunias habitas à Barzellis, non est verisimile, quòd tunc temporis extarent, cum habitae fuissent 24. Februarij 1541. Quae verò mutuo habitae fuerunt à Ludouico fratre in eodem instrumento enũciantur expensae in fabricam Pallauicinae, quae fuit constructa post annum 1541. Quãtum ad redditus Abbatiae, si Puteobonelli volunt hos tales esse, quales praetendit pars aduersa ex instrumentis aliàs deductis, nihil potest concludentius adduci contra ipsos ad probandum nullam adfuisse necessitatem alienandi bona, de quibus agitur, poterant enim ex redditibus Abbatiae superesse pecuniae sufficientes ad satisfaciendum Puteobonellis in fine anni 1542. vt per informantes bene deducitur, sed & circa dictum huius testis respectu quantitatis considerata fuit à Dominis magna inuerisimilitudo, cum post quadraginta annos deponat ita praecisè de certa summa tam respectu sortis principalis, quàm respectu cam-
4 biorum, † itaut vsq; ad minutias ferè procedat, & tamen idem testis, qui prodigiosam memoriam ostentat, tam hoc respectu, quã respectu tot contractuum coram tot notarijs, quos specificè & disertè nominat, Initorum, non recordatur neq; de die, neq; de mense, neq; de anno solutionum huiusmodi factarum; quamuis ipse & pecunias Mediolanum exportauerit, & eo praesente nũmeratae sint creditoribus, & nihilominus si vera est haec solutio, vtique facta fuit circa festa Natalitia satis insignia & memorabi-

bilem

lia: Vnde cum circa tempus sit vis probationis, quamuis per relationem ad exactionem factam à Bottis attingat id, quod praetenditur à Puteobonellis, tamen satis suspectus redditur; maximè cum haec res multum conferat ad id, de quo agitur, *vt in simili considerat Hippol. in cons. 78. num. 30. Aym. cons. 115. num. 11. & 12. cum similib.* Praeterea de his tam magnis debitis & notabilibus nullus alius ex testibus, qui tot alia enumerant, loquitur, neq; vllae partitae exhibentur, ex quibus facilè tolli possit difficultas, & suspicio; Ad haec in multis deprehenditur minus verax, veluti quòd iuxta 144. interrogatorium deponit de aquaeductibus iam factis pro ducendis aquis emptis de anno 1541. cum tamẽ constet aquas
5 emptas fuisse de anno 1542. † Item tam familiaris Commendatarij, & tam firmae memoriae, oblitus est nominis illius, dicens ipsum vocatum fuisse Franciscum, cum vocaretur Paulus Franciscus; Item iuxta 137. negat post annum 1530. & 1531. inuentos fuisse cõductores bonorum Papiaghi, & Caliguaghi, & tamen ex instrumentis contrarium probatur, & licèt in quibusdam non durauerint locationes vsq. ad vltimum temporis conuenti, tamen ex eo non arguitur, quòd reliquo tempore non fuerint sortitae effectum, & potuerint ex concordia partes ab illis locationibus recedere, & alios substituere, vt in nonnullis instrumentis legitur. Alia praeter ista recensentur per informantes, quae breuitatis gratia omittuntur, ex quibus valde augetur suspicio contra istũ testem; itaut neq; etiam semiplenam probationem constituere possit, *iuxta doctrinam supra allegatam,* Accedit etiam, quòd materia, circa quam vertitur difficultas, est per se satis suspecta propter fraudem ex suppositione Pellagatti adhibitam, *vt fuit resolutum,* [a] nam si tot debita aderant, quorum contemplatione facilè erat rescriptum pro alienandis bonis à Papa impetrare, quare non fuerunt narrata, cum eorum probatio esset tam facilis, & in promptu, est autem verisimile eum, qui negotium bene ex rei veritate gerere potest, potius hanc viam initurum, quam eam per quam subuerti posset, *argum. l. 3. de milit. testam.* Quantũ ad aliud caput, ex qua causa contracta fuerint debita, militant eaedem obiectiones, & quamuis aliqua dicantur contracta ratione refectionum & constructionis Pallauicinae, tamen partim refelluntur ex instrumẽtis, ex quibus apparet quid actũ sit circa refectiones susceptas à conductoribus, partim non percutiũt tẽpus, de quo agitur. Neq; obstant ex aduer-
6 so considerata; Et primo, quòd † persona huius testis fuerit ab Illustriss. Card. approbata, quia nõ ideo cẽsetur approbata respectu dicti, *Doct. in l. si quis testib. C. de testib. vt latè coram me deductum fuit in causa Roma-*

na

[a] sub die 2. Martij & 23. Aprilis proxime praeteriti.

b sub die 14. Martij & 4. Maij 1576.

na prælationis. Secundo non obstat, quòd
ex alijs testibus vnà cum isto fuerit dictum
constare de debitis in genere, quia satis est,
quòd omnibus examinatis non potest hæc
generalitas deduci ad speciem ex deductis.
Tertio non obstant tot exequutiones factæ
tam contra ipsum Commendatarium, quàm
contra cōductores, quia præter quam quòd
non percutiunt tempus, & quod probatur
per eosdemmet testes, consideratum fuit,
non satis verisimile esse, quòd pro debitis
Commendatarij fieret exequutio in bonis
conductorum; & licèt fortè hoc admitti
posset ratione decimarum & impositionum
Cameralium, tamen hæ non poterant ad
tantam summam ascendere, vt pro his caperentur
tot animalia, prout deponunt testes. Quarto, quòd consideratur circa illorum
temporū bellicas calamitates, eneruatur per instrumenta locationum. Vltimo,
quæ deducuntur circa lacerationem libri rubri exhibiti, non faciunt ad præsentem
inspectionem, & ita conclusum. Reseruarūt
tamen Domini, vt si velint Domini Puteobonelli
denuo super his audiri, audiantur.

Compostellana Pensionis.
Die Mercurij 7. Nouembris 1584.

SVMMARIVM.

1 *Arbitrium Rotæ à iure regulari debet.*
2 *Beneficium potest esse, quod de facto vacet ex persona vnius, & de iure ex persona alterius.*
3 *Pensio non potest dici sine causa, ex eo quòd fuerit imposita pro eo, qui in beneficio ius habebat, quod pars aduersa magnifecit.*
4 *Subreptio illa non habetur in consideratione, quæ non est talis, quæ retrahat Papam à gratia concedenda.*
5 *Expressio valoris non potest dici falsa, quando in contrarium adest confessio partis in supplicatione.*
6 *Arrendamenta non probant valorem beneficij.*

DECISIO DCLXXVII.

FVit tentum non constare de inualiditate pensionis ad effectum, vt sit procedēdum
sine clausula, sine retardatione, quod
quidem cum fuerit remissum arbitrio Ro-
1 tæ, & † huiusmodi arbitrium sit à iure re-
gulandum, vtique nisi euidens sit nullitas,
non est recedendum à regula, & stylo Signaturæ
inueterato. Nullitates ex aduerso cōsideratæ
fundantur præcipuè in duobus.
Alterum est, quòd pensio sit sine causa, alterum,
quòd subreptum fuerit dupliciter Papæ.
Quantum ad priorem nullitatem, ca
non probatur; cum enim lis esset inter Ioānem
à Sancto Nicolao, & Leonardum Gil
super beneficio Sancti Michaelis, nec cōstet,
quis eorum de iure præferēdus esset, quamnis
Ioannes obtinuisset institutionem vnà
cū possessione dicti beneficij, incerti adhuc
sumus ex cuius persona vacauerit dictum
2 beneficium; † nā licèt de facto vacauerit ex
persona Ioannis, potuit tamen de iure vacare
ex persona Leonardi, *Cassador. decis. 5. n. 5. de priuileg.* Vnde cum Ioannes Liz per
obitum Leonardi se opposuerit concurren-
3 do ad huiusmodi beneficium, † potuit ius
ipsius esse bonum; & propterea, cum illud
Antonius magnificauerit, non potest dici
pensio imposita sine causa, *Crescent. decis. 166. Put. 2. de pensionibus*. Quantū ad subreptiones,
prior subreptio deducitur, quia
fuit narratum Papæ beneficium vacasse per
obitum Leonardi, & vtrumq; tam Antonium
quàm Ioannem Liz præsentatum fuisse
in discordia, quod est falsum; cum ante
obitū Leonardi Antonius fuisset præsenta-
4 tus, institutus, & possessionē adeptus, † sed
hæc subreptio non fuit habita in consideratione;
quia non est talis, quæ Papam retraxisset
à concedenda pensione, si intellexisset
litem præcessisse inter Leonardum, & Ioannem
de Sancto Nicolao, eaq. pendente Antonium
fuisse præsentatum & institutum,
& incertū adhuc esse, penes quem esset ius
beneficij, *Rota decis. 4. de rescript. in antiq. Cassad. 12. de præbend. in fin. cum similib.*
5 † Altera subreptio deducitur ex falsa ex-
pressione valoris, sed de hac falsitate nō
cōstat, quia in contrariū adest cōfessio Antonij
in eadem supplicatione, *Aegid. decis. 596. Guidobon. 141. cū alijs allegatis*,* Neq;
obstat, quòd Ioannes obtinuerit cōtra Antoniū
in partibus, vbi agebatur de fructibus
beneficij per Ioannem vti procuratorem
Antonij exactis, quia potuerūt iudices moueri
ex eo, quòd Ioannes nihil amplius exegisset.
Non obstant etiam arrendamenta,
6 † quia non probant valorem beneficij, *Ant. August. decis. 297. lib. 3.* Decisiones allegatæ
in contrarium a non faciunt, quia in illis
constabat pensiones sine causa fuisse impositas.
Et ex his conclusum contra Antonium.

* Adde Put. 2. decis. 371. lib. 1. nam in beneficialibus confessio vnius releuat alterum ab onere probandi. Gemin. in c. 1. n. 6 de eo qui mitt. in possess. Rota in antiq. decis. 24. Capel. Tholosan. 471.

a prout est decisio Cassad. 10 sub n. 8. Mohedan. 304. & 336. Fab. Accorambo. 27. lib. 1. Item decisio in causa Salamantina pension. 18. Aprilis 1573 coram bo. me. Card. Lancellotto & in Salamantina Canonicatus 4. Maij 1582. coram bo. me. Bubalo, & in Toletan. pensionis coram Com.

Romana seu Maceraten. Exequutionis, seu dotis.
Die Veneris 16. Nouembris.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium Auth. res quæ. C. com. de legat. competit, tam si aliquid supersit non tamen sufficiens, quàm si non supersit de legitima dotantis seu dotem restituentis, & nu. 7.*
2 *Priuilegium Auth. res quæ. non datur quando ratione confessionis dotis receptæ adest sola tacita hypotheca; Confunditur tamen n. 9. cum nulla constituatur differentia*

uentia in hac materia inter tacitam & expressam hypothecā; maximè si dotis confessionem praecedat promissio, vt nu. 10.

3 *Priuilegiū Auth. res qua, contra bona primi viri fideicōmisso subiecta non cōpetit filijs secundi matrimonij ratione praelationis; sed ratione bonorum competit hypotheca sicut haeredibus extraneis, & nu. 11.*

4 *Priuilegiū Auth. res qua, cessat per mortem mulieris, cui cōpetebat, cum esset ratio priuilegij; maximè si mulier viuens nunquā priuilegiū allegauerit; secus est, si omne ius à principio deductum fuerit in vniuersum, & non in vim priuilegij dictae Authenticae competentis, & nu. 12.*

5 *Priuilegiū seu dispositio Auth. res qua. procedit tam in dotis restitutione, quam in ipsius constitutione, etiam quòd dotis obligatio sit posterior fideicommisso, & ibi de communi opinione.*

6 *Declaratur textus in §. quamobrem. Auth. de restitution. ex quo desumpta est Auth. res qua. C. com. de legat. quomodo intelligitur procedere.*

8 *Bona fideicommisso subiecta non sunt obligata pro dote, nec constituenda nec restituenda, quando quis consumpta legitima vellet in dictis bonis nouā dotem, seu augmentum vel donationem propter nuptias opulentiorem in fraudem restitutionis bonorum constituere; secus est si non dolo vel culpa consumpta fuerit.*

10 *Promissio dotis praecedens confessionem viri de recepto, facit, quòd verè & nō simulatè dos dicatur soluta.*

11 *Priuilegium repetitionis dotis transit etiam in haeredes extraneos.*

DECISIO DCLXXVIII.

HÆredes Dominae Imperię quondā vxoris Domini Horatij Gabutij repetebāt à Dominis de Gabutijs dotem ipsius, & agebant ad quoddā prædiū fideicōmisso vt prætēditur subiectū, quod asserebant pro restitutione dotis esse obligatū nō obstante fideicōmisso: Ex aduerso pro parte Dominorū de Gabutijs allegabatur priuilegiū dotis non procedere aduersus huiusmodi fideicōmissum ex pluribus; Primo, quia dictus D. Horatius consumpserat legitimā & Trebel-
1 lianicā, † priuilegiū verò *Auth. res qua. C. com. de leg. qua desumpta est ex §. quāobrem. in Auth. de restitution.* tunc cōpetit, quando aliquid superest de legitima, & si illa nō sufficit, tūc suppletur ex bonis fideicōmisso subiectis, vt videtur clarè disponere textus, nō autē quādo nulla extat legitima, pōderādo verba illius textus, prout per informantes: Addebātur auctoritates *glosa in Auth. cōtra cū rogatus. §. ex causa. C. ad Trebell. & ibi Io. Faber. glos. 6. Alberic. n. 2. Bal. n. 7. Salic. n. 3. Ias. in d. Auth. res qua. 24. limitat. Socin. in l. Marcellus. §. res qua. n. 3. in ff. ad Trebell. Roman. cōs. 232. in princ. Paris. cōs. 63. n. 45. vol. 2. Alciat. cons. 96. lib. 9. tom. 3.* Secundo dedu-
2 cebatur isto casu † solā tacitā hypothecam adesse ratione cōfessionis dotis receptę; ideo ne multiplicentur priuilegia, & singularia, non esse dandū huic doti priuilegium illud *Auth. res qua. C. cōm. de legat. ad l. 1. C. de dot. promiss.* Tertio deducebatur istos hæredes
3 Imperiæ † cū sint filij secūdi matrimonij nō habere hoc priuilegiū, *ad notat. per Ias. in §. fuerat. n. 94. de action. Negusant. de pignor. in 4. membr. 2. par. n. 95. Alex. cōs. 58. n. 4. vol. 7.*
4 Quarto deducebatur † hoc priuilegiū mortua Imperia cessasse, cū cesset ratio priuilegij, *c. cū cessante. de appell. cū similibus.* Quinto & vltimo deducebatur Imperiā viuentē nunquā hoc priuilegiū allegasse; & ideo nō alleganti nō cōpetere, *l. inuito. cū similib. de reg. iur.* His tamē nō obstātibus, contrariū fuit cōclusum, nempe hoc prędiū licèt fideicōmisso subiectū, obligatum esse pro dotis
5 restitutione, † nam dispositio. *Auth. res qua.* procedit tā in restitutione dotis, quā in ipsius constitutione, *vt per glos. Bart. & alios in d. Auth. & Paris. cōs. 52. n. 53. vol. 2.* quæ sententia procedit etiam, quòd dotis obligatio sit posterior fideicommisso, *vt contra Angel. qui contrarium tenuit in Auth. de restitution. & Ias. qui eum sequitur in d. Auth. res qua. n. 29. vers. ex secunda habitis, cōmunis est opinio, hanc enim tenent Io. de Anan. in cons. 61. Socin. cons. 23. col. pen. lib. 3. Dec. cons. 376. & 519. Cur. iun. cons. 59. Gozad. cons. 97. quos omnes refert & sequitur Roland. à Vall. cons. 85. nu. 29. vsq; ad num. 33. lib. 1.* Non obstant, quæ in contrarium dedu-
6 cuntur; Et primo † ponderationes, quæ fiunt in verbis *Auth. de restitutionibus. §. quamobrem.* nam non restringunt dispositionem, sed ibi Imperator videtur adaptare legis dispositionem ad id, quod frequentius accidere solet, nempe quòd aliquid supersit ex legitima, non tamen sufficiens pro dotis restitutione; verum ratio ibi expressa, ne mulieres ignorantia fideicommissi
7 fraudentur, † pariter militat in vtroq; casu, siue aliquid, siue nihil ex legitima supersit; & ideo quicquid senserit *glos. in Auth. contra cū rogatus. & alij allegati*, illorū opinio
8 satis debili fundamēto innititur, nā † dispositio *§. super hoc igitur.* procedit in ijs, qui post dotem, vel eius augmentum aut donationē propter nuptias constitutā, volunt nouā dotē vel donationē opulentiorē in fraudem restitutionis cōstituere, & textus, quos allegat *Bald. in d. Auth. contra. nēpe tex. in l. pen. de iur. dot. & in l. fin. §. pen. qua in fraud. credit.* loquūtur in ijs, qui animo fraudādi aliquid gesserūt, & ideo prædicta opinio forsan procederet, si cōsūptio legitimę fuisset de industria facta ad euersionē fideicōmissi, alioqui si nō dolo vel culpa hoc acciderit, nō nocebit mulieri, *vt videtur ibidē sentire Bal. &*

in terminis nostris extat cons. 59. Curt. iun. qui latè defendit optimis rationibus hanc sententiã post Castren. in cõs. 13. secundũ antiquã impressionẽ, quod secundũ nouã est 15. lib. 1. & Dec. in cons. 376. col. fin. & 519. col. fin. & illud idẽ cons. Castren. sequitur Gozad. in cõs. 97. n. 10. & Rol. d. cons. 85. n. 44. & idẽ tenere videtur Io. Ant. Rub. Alex. in cons. 78. n. 1.

9 Secundo nõ obstat, † quod dicitur de tacitã hypotheca & concursu pluriũ specialiũ circa eandẽ rẽ, quia nulla adest specialitas respectu bonorũ fideicõmisso subiectorũ, quoties alia non sufficiunt pro dotis restitutione, ea enim censentur obligata saltẽ sub ista cõditione, si alia nõ sufficiant, *vt optime considerat Castr. in d. cõs. 15. n. 2. vers. nã dico.* & passim in hac materia, dũ eã Doctores tractant, nullã cõstituunt differentiam inter tacitã & expressam hypothecã; & licèt dicatur hanc obligationẽ oriri ex confessione viri; tamen Domini resoluerũt cõstare de dotis solutio-

10 one: Præterea † istam confessionem præcessit promissio, quo casu cẽsetur vera & nõ simulata, *Bal. in tract. de dot. par. 10. n. 18. Cãpeg. de dote. quæst. 52. post n. 4. & in terminis Roland. in d. cõs. 85. n. 37. vsq; ad 44.* Tertio nõ obstat, quòd isti sint filij Imperiæ ex alio

11 matrimonio, quia † quamuis ratione prælationis isti non gaudeãt hoc priuilegio, tamẽ ipsis competit hypotheca in istis bonis, quæ etiã cõpetit hæredibus extraneis, *vt post Bald. Paul. et alios tradit Gozad. in d. cõs. 97. n. 10. & Addit. ad Alex. in cons. 58. n. 4. lib. 7.* Ideo possunt agere ad ea cõsequenda, & non agitur de prælatione, cũ in istis nõ cõcurrant cum alijs creditoribus; Præterea doctrina *Alex. & Ias. & aliorũ*, procedit, vbi nondũ fuisset nata actio, & in iudiciũ deducta à matre, quia postquã fuit deducta in iudiciũ, trãsit ad quoscũq; hæredes, *l. 2. C. de heredit. action.* & iste est casus noster. Neq; obstat, quòd in specie nõ fuerit deductum hoc pri-

12 uilegiũ per Imperiam; quia † omne ius cẽsetur à principio deductũ in vniuersum, *vt resolutũ fuit in causa Romana quinquaginta milliũ corã R.P.D. Aldobrand.* * Et ita tollitur quintũ fundamentũ partis cõtrariæ. Vltimo, quod dicitur, quòd cessante causa priuilegij cessat priuilegium, non militat in casu isto, in quo habemus claras auctoritates

13 Doctorum dicentium † hoc ius transire etiam in hæredes extraneos. Et ita conclusum nemine discrepante.

* In congregationibus Rotæ sub die 23. & 30. Iulij 1574. quæ in impress. diuers. nouiss. sunt 351. & 356. par. 1.

Romana Montis Nouennalis.
Die Lunæ 19. Nouembris 1584.

S V M M A R I V M.

1 *Resignatio locorum montium per minorẽ facta sine iuris & statutorum solemnitate non valet, etiam quòd priuilegij verba multum sint ampla.*

2 *Loca Montis Nouennalis etiam in spurios, nothos, & incapaces per priuilegia ijsdem locis concessa resignari possunt tam per clericos, quàm per laicos.*

3 *Nothi & spurij sunt incapaces successionis, tam clericorum quàm laicorum.*

4 *Verba illa cuiuscũq. dignitatis status et gradus &c. capiunt etiã minores, dũmodo sint legitimæ ætatis; secus in pupillis, & nu. 6.*

5 *Verba vniuersalia prolata à lege restringuntur ad terminos habiles.*

7 *Solemnitates, quæ requiruntur in alienationibus minorum in actibus in eorum fauorem factis remissæ respectu tãtum personæ dicuntur, secus in eorum odium.*

D E C I S I O D C L X X I X.

1 FVit dubitatum, † an resignatio locorum Montis Nouẽnalis facta per minores sine aliqua iuris & statutorũ solẽnitate sustineatur, & pro parte emptorũ deducebantur priuilegia Sũmorum Pontificũ huic Mõti & alijs similibus cõcessa, ex quibus prætẽdebatur habilitari quascunq. personas etiã incapaces, & cuiuscũq. sexus, status, & cõditionis existãt, vt in quoscunq. eis placuerit in totũ vel in partẽ, testamento, codicillis, vẽditione, donatione, vel quocũq. alio titulo etiam per simplicẽ cedulã manu sua subscriptã sine cuiuscunq. licẽtia, seu auctoritate aut cõfirmatione de dictis Montibus disponere possint, sub qua verborũ generalitate & prægnãtia contendebant etiã minores contineri, eosq. habiles reddi ad disponendũ de huiusmodi locis montium, *& hoc fuisse aliàs corã me resolutũ affirmabãt in vna Romana Mõtiũ 8. Februarij 1574.* Quibus non obstantibus contrariũ resolutũ fuit, nẽpe talẽ alienationẽ nullam fuisse, nec de iure sustineri posse, cum careat tã iuris cõmunis quã statutorũ solẽnitatibus in similiũ rerũ minorũ distractione requisitis. Nec obstare priuilegia ex aduerso deducta; quia in illis non habetur, quòd qui nõ habent rerũ suarũ administrationem, possint de his locis disponere, nã licèt fiat mẽtio incapacitatis, & excipiãtur tantũ illi, qui ratione regularis professionis sunt inhabiles & incapaces; tamẽ ista inhabilitas respicit eos tantũ, qui facultatẽ disponendi de aliquo genere bonorum, vel in aliquod genus personarũ sine dispensatione

2 nõ habẽt, † quales sunt Clerici respectu bonorũ Ecclesiasticorũ, & tã clerici quam laici

3 ratione nothorũ & spuriorũ, † qui sunt successionis incapaces, qui oẽs indigebãt Principis Indulgẽtia, vt possent de prædictis bonis, & in prædictorum fauorem disponere, non autem respicit minores, qui cum tutoris vel curatoris auctoritate possunt ad libitum res suas, in quos volunt vsus conuertere, & ratio manifesta est, quia illi beneficio Principis indigent ad sic disponendum, isti verò non indigent, cum habeant formã à iure præscriptã, sub qua possunt de suis rebus

bus disponere, neq; est verisimile, quod Papa voluerit concedere facultatẽ minoribus sine solẽnitatibus res suas alienandi, cum hoc sit dare arbitriũ perdendi & dilapidandi, quod est absurdissimũ; & ideo verba illa excludentia alterius licẽtiam & consensum, respiciũt tantũ Papam, Camerã Apostolicã, & similes, ad quos pertinet dispensare super dispositione rerũ Ecclesiasticarũ vel ex Ecclesiarũ redditibus prouenientiũ, & habilitandi spurios, & alios incapaces. Neque
4 obstat, quòd † verba illa, cuiuscũq; dignitatis status & gradus &c. capiunt etiam minores, *vt per Bald. in cons. 67. lib. 1. Aym. 294. cũ alijs allegatis*,[*] nã prẹterquã quod † ver-
5 ba vniuersalia prolata à lege restringũtur ad habilitatẽ, *vt per Curt. iun. cõs. 1. n. 3. Roland. cõs. 61. n. 44. lib. 1. Natta in l. hac consultissima. §. ex imperfecto. n. 126. C. de testam.* in proprijs terminis actus per pupillos explicandi habemus *glos. in l. promittendo. de iur.*
6 *dot.* quòd † licẽt lex deceruat omnes vtriusq. sexus, & cuiusuis conditionis personas promittendo dotẽ, obligari, requiritur tamen inquit glosa, quòd sint legitimæ ætatis, *facit bene quod notat. Ias. in l. 2. §. Prætor ait. n. 3. qui satisd. cog. Iacob. de S. Georg. in d. l. promittendo.* quare soli pupilli sine tutore & curatore non cõprehenduntur in hac dispositione, quòd etiam apertissima ratione demonstratur, cũ enim isti Mõtes soleant erigi in necessitatibus Sanctæ Sedis Apostolicæ, & pro reperiendis cito pecunijs, soleant propositis huiusmodi priuilegijs Sũmi Pontifices inuitare, & allicere cuiuscũq; conditionis homines, vt in istis Montibus pecunias suas collocẽt, vtiq; si concessa esset facultas pupillis sine solemnitatibus iuris hos Montes alienare, multi patres familias potius ab emptione montiũ retraherentur, ne hac via liceret filijs impuberibus bona eis relicta dilapidare, & hoc pacto inducta ad vnũ finẽ contrariũ effectum parerent: nõ est ergo dicendũ de hac habilitatione Summos Pontifices sensisse. Postremo non obstat decisio corã me facta,[a] † illa enim remouet solã solemnitatẽ donationũ instrumentalẽ respectu personarũ, quæ aliàs de rebus suis disponere possunt, quę res fauorem donantis respicit; at in casu nostro solemnitas fauorem pupilli respicit, & eius remissio odium. Quare conclusum est nemine discrepante pro alienationis inualiditate.

[*] Rolãd. cõs. 61. n. 34. lib. 1. Put. decis. 304.

[a] In Romana Montium 8. Februar. 1584.

Auximana Molendini.
Die Mercurij 5. Decembris 1584.

SVMMARIVM.

1 *Ignoranti venditionẽ rei super qua competit oblatio, non currit tempus ad oblationem faciendam ad effectum prælationis, & sufficit oblatio de soluendo pretium ad omne mandatum domini.*

DECISIO DCLXXX.

DOmini dixerunt sententiam non esse nullã ex defectu iurisdictionis, cũ stante monitorio exequuto contra Raphaelem lis esset introducta corã Regente Cameræ; deinde omnes causæ ex speciali commissione fuerũt vnitæ, & demũ in Rota cõmissæ: Neq; etiã esse iniustã ex defectu oblationis, quia monitoriũ fuit decretũ non tanquam contra emptorẽ, sed tanquã cõtra detentorẽ, & in euentum quòd sit emptor, in eo fit oblatio soluendi pretiũ ad omne mandatũ
1 domini. Vnde † cum non probetur scientia venditionis, & ignorãti nõ currat tẽpus, potuit fieri oblatio, eo modo quo facta fuit. Neq; etiã potest dici iniusta, ex eo quòd non sit iustificata, quia ex articulis datis per eũdẽ Simonettã constat de vẽditione terrarũ, de quibus agitur, & etiã hodie posset iustificari sentẽtia, & exhibetur instrumentũ venditionis; & hæc maximè procedunt, cũ corã R. P. D. meo Robusterio[*] fuerit de istis oppositum, & non obstante huiusmodi oppositione processum ad exequutionem; Ideo nisi Simonetta deducat aliquid releuans super iniustitia prætensa, Domini has exceptiones habent pro non releuantibus.

[*] sub die 14. Octob. 1576. & 4. Nouẽbris 1578.

Romana Pecuniaria de Sangallettis.
Die Lunæ 10. Decembris. 1584.

SVMMARIVM.

1 *Non potest dici factum in fraudem litis, quod multo ante litem factum fuit.*

DECISIO DCLXXXI.

FVit per Dominos vnanimiter cõclusum, medietatẽ scutorũ duorummillium sub nomine Francisci Sangalletti in suo cõputo ad partẽ A. F. spectasse ad dominũ Andreã, quãuis in dicto cõputo ipse solus fuerit creatus credito totius summę, & hoc colligebãt ex principio, medio, & fine huius negotiationis, nã cũ sit indubitatũ, quòd scuta duomille habita in societatẽ ab Ill. Domino Latino Vrsino pertinebant ad vtrunq; eorũ, & fuerant soluta ex pecunijs rationis cõmunis inter ipsos, satis est verisimile, quòd voluerũt iterũ has pecunias capere ad societatem à DD. Naro & Martino, vt ratio bancaria nõ indigeret pecunijs pro suis negotijs in dies occurrẽtibus, quæ res vtrunq. ipsorũ æqualiter tãgebat; & ideo istæ pecuniæ fuerũt positæ in cõputo ad partẽ A. F. quæ indubitãter designãt vtrunq; nẽpe Andreã & Frãciscũ, vt aliàs fuit per Dominos firmatũ, & deinde mortuo Andrea partem suam Dominus Franciscus soluit ex proprijs pecunijs, pro reliqua verò soluti fuerunt fructus decurrentes sub nomine dicti Andreæ, & quãuis hoc factum fuerit post eius obitum, tamen præcessit multo interuallo litem, quæ nunc inter partes vertitur; & ideo cessat omnis suspicio fraudis; maximè stante sen-

tentia lata Florentiæ, in qua partita illa duorum millium posita in creditum Francisci, fuit, vt dicunt stornata pro mille spectantibus ad Andream, quæ res arguit manifestè constitisse iudicibus malè cōceptam fuisse partitam illā in personam solius Frācisci. Et ideo fuit conclusum onus soluendi dicta mille spectasse ad hæredes Andreæ, nō autē ad Sangallettum, iste enim erat effectus præsentis dubitationis. Et ita conclusū.

Mediolanen. Bonorum.
Die Lunæ 10. Decembris 1584.

DECISIO DCLXXXII.

FVit resolutum ex testibus in summario datis super tertio articulo probari hāc conclusionem, quòd de anno 1552. & 1553. bona, de quibus agitur, potuissent locari cōmuniter pro tribus libris, singulis annis, quę cōclusio recipit adminiculum ex instrumētis locationum, vt in facto deducitur, quibus consonant etiā alij testes, qui non fuerunt dati, ne nimia scripturarum mole Domini obruerentur. Ex aduerso deducitur probari ex testibus Dominæ Camillæ, tertio & quarto ad vigesimumquartū interrogatorium, quòd cōmuniter minus locantur bona ad liuellum perpetuum quā in simplici locatione, de qua testes Ecclesiæ deponunt; sed quia in contrariū opponūtur exceptiones, & alia, quæ discussione indigent; Domini contenti fuerunt in præsenti positione, vt firmaretur tantū conclusio supradicta pro Ecclesia, & reliqua reseruarunt videnda in cōcursu; maximè cū expectetur remissoria Dominæ Camillæ, & omnia diligenter discutientur.

Romana seu Vercellen. pecuniaria.
Die Veneris 14. Decembris 1584.

SVMMARIVM.

1 *In dubio contractus magis præsumitur personalis quàm realis.*

2 *Ex cassatione, quæ apparet in supplicatione, arguitur iuxta stylum Cancellariæ Apostolicæ denegatio petitorum.*

3 *Fructus beneficij licèt recollecti, si tamen adhuc sint in loco, in quo nascuntur, non debentur hæredi beneficiati iuxta Constitutionem Iulij III. sed ad successorem pertinent.*

DECISIO DCLXXXIII.

DOmini visis supplicationibus cōfirmationum resoluerunt cōtractum huiusmodi locationis per obitum bo. me. Commendatarij extinctum fuisse, quia præterquā
1 quòd † in dubio contractus magis præsumitur personalis quàm realis, *vt inquit Rota decis. 1. de locat. in nou.* ex textura supplicationis, & eius sumpto constat Papam noluisse hunc contractum transire ad successores, eosq; obligare, nam vetat, ne solutiones fiant anticipatè, & in euētum quòd melioramenta sint reficienda, mandat, quòd ea singulis annis ex affictu deducantur, ita quòd in sequentem annū nihil soluendum remaneat: Præterea ex Crucibus in dicto sumpto appositis apparet cassatas fuisse clausulas, quæ respiciebant obligationem successorum, quod tum ex stylo demonstratur; tū ex collatione huius supplicationis cum alia obtenta per eundem anno primo Pontificatus S. D. N. in qua cōtractus con-
2 firmabatur etiam respectu successorū; † & ex eiusmodi cassatione Rota sequendo stylum Cancellariæ Apostolicæ solet arguere petitorum denegationem. Nec confirmatio facit, vt semper successores teneantur; quia cum ea esset necessaria ratione temporis propter Constitutionem Paulinam, hunc tantum parit effectum, vt contractus hoc respectu teneat, in alijs verò nihil facit; maximè cum hoc concedere Papa noluerit: Hinc infertur ad effectum dubij, quòd cum tēpore adueniente solutionis Dominus Cōmendatarius esset iam mortuus, & contractus resolutus, resoluta quoq; erat destinatio, adeo quòd nullum parere potest præiudicium Ill. Domino Cardinali. Neq; obstat quòd ante obitum d. Domini Commenda-
3 tarij, † fructus iam essent recollecti, quia cū essent in loco, in quo nascuntur, locum sibi vendicat Constitutio fel. re. Iulij III. Prælato nihil iuris in eis ex huiusmodi separatione à solo quæsitū fuerat, vt in ea expressè cauetur, & ex hoc capite dixerunt Domini tolli omnem huius causæ difficultatem.

Romana Tutelæ de Fabijs.
Die Lunæ 14. Ianuarij 1585.

SVMMARIVM.

1 *Ratio administrationis præsumitur nō reddita ex eo, quòd absolutio à petitione eiusdem rationis non fuit obtenta nec procurata, præsertim in viro diligente, & in rebus proprijs valde accurato; maximè quòd si fuisset reddita, nō debuisset reticeri in compromisso inter partes facto.*

2 *Vna pars compromissi facit adminiculum respectu alterius partis.*

3 *Non est verisimile, quòd quis velit super negotio iam sopito compromittere.*

4 *Præsumptiones per alias contrarias vrgentiores excluduntur.*

5 *Liber computorū administrationis, postquā productus fuit, & pars eo viso per tantum tēporis spatiū, tacuerit, præsumitur, quòd fuerit fidelis, & administratio recta, & ex eo colligitur non stetisse per administratorem, quo minus administrationis ratio redderetur.*

6 *Pars tacens & differens petere rationem administrationis in vita administratoris, præ-*

præsumitur non habere bonum ius, & distulisse, vt postea conueniret hæredem non informatum.

7 *Maior est contumacia actoris in non petēdo condemnationem, quàm rei in non petendo absolutionem.*

8 *Sententia ex actis nō iustificata dicitur notoriè iniusta.*

DECISIO DCLXXXIV.

FVit proposita causa iuxta ordinem Do-
minorum super eo, An pro parte Do-
mini Fabricij adessent tales præsumptiones
& circumstantiæ facti, quæ excluderēt præ-
scriptionem statutariam, quam allegabat
Illustr. Dominus Franciscus Cincius ex eo,
quòd inter compromissum factum de anno
1543. & aliud de anno 1567. intercesserant
anni vigintiquatuor, & reperiebatur tēpo-
re prioris compromissi productus liber qui-
dā rationū, qui hodie nō reperitur, & quā-
uis ex aduerso deduceretur pro parte Domi-
ni Fabricij exceptio interruptionis præscri-
ptionis, & perpetuationis actionis; tamē his
reseruatis, actum fuit tantum de contrarijs
præsumptionibus, quæ ex serie facti elici po-
terant: Et primo pro ipsius parte deduce-
batur, quòd de anno 1567. fuit factum cō-
promissum super ijsdem litibus & contro-
uersijs, quæ fuerant compromissæ de anno
1543. Vnde arguebat eas non fuisse extin-
ctas neq; sopitas, aliàs non fuissent illæ ex-
1 dem controuersiæ. Secundo † non esse ve-
risimile, quòd si fuisset reddita ratio, Domi-
ni Cincij non procurassent obtinere ab ar-
bitris absolutionem à petitione redditionis
rationis computorū administrationis; maxi-
mè cum essent viri diligētes & in rebus pro-
prijs accuratissimi, *ad Bald. in l. si defun-
ctus. C. arbitr. tutel. Afflict. decis.* 13. *num.*
14. *Aym. cons.* 77. *nu.* 11. Tertio considera-
batur non fuisse in hoc vltimo compromisso
inter prætensiones Cinciorū allegatū reddi-
tam fuisse aliàs rationē, quod vtiq; si factum
fuisset, non debuissent reticere, *l. si quis fortè,
§. 1. de pœn. Aym. cons.* 28. *nu.* 6. Quarto pō-
derabant, quòd in huiusmodi compromisso
fuerant etiā compromissæ differentiæ super
quodā Casale conducto ab ipsis tutoribus,
& constat quòd respectu huius controuersiæ
nihil actum fuerat toto spatio dicti tempo-
ris annorum vigintiquatuor; Vnde verisi-
mile esse, neq; etiam aliquid actum fuisse re-
spectu alterius negotij tunc simul compro-
2 missi; quia † vna pars facit adminiculum
respectu alterius, *Socin. in cons.* 82. *num.* 2. *lib.*
3. *Natt. cons.* 581. *nu.* 11. Quinto addebant
3 † nō esse verisimile, quòd Dominus Franci-
scus voluisset super re & negotio sopito ite-
rum cōpromittere, & quia statutum *de præ-
scription.* 158. *in nou. lib.* 1. fundatur in præ-
sumptione, eam ex istis vti validioribus, &
magis concludentibus elidi, *vt fuit resolu-
tum in causa Romana Casalis Iuliani,* * & est * sub die 6. Iulij 573 & 23. Ianuarij 1574 coram bo. me. Cotta.
4 iuris explorati, † præsumptiones per alias
contrarias vrgentiores excludi *Castren. in
cons.* 162. *n.* 2. *lib.* 1. *Roman. cons.* 102. *Felin.
in c. fin. n.* 7. *de præscription. cum simılib.* His
tamen non obstantibus contrarium fuit re-
solutum: Et primo considerarunt Domini
non solum lapsum fuisse tempus annorum
sexdecim requisitum à statuto, sed etiā an-
norū 24. *vt in simili cōsiderat Cuman. in cōs.*
91. *n.* 4. *Castr. cōs.* 58. *n.* 4. *lib.* 2. *Alex. cōs.* 115.
5 *post n.* 4. *lib.* 7. *cum alys.* a Secundo, † cū fue- a Calcan. cōs. 23. col. 2. circa med Cranet. cōs. 148. in fin.
rit productus liber cōputorum, & postea per
tantū tēporis spatium pars tacuerit, verisi-
mile est eo viso cognouisse administrationē
fuisse fidelē, & saltē ex eo apparet per Cin-
cios non stetisse, quo minus administratio
6 redderetur. Tertio, † cum vsq; ad obitum
Cinciorum pars tacuerit, arguitur præsum-
ptio non boni iuris, cum videatur distulisse,
vt cōueniret hæredē nō informatum, *Alex.
cons.* 184. *n.* 17. *lib.* 1. & hæ coniecturæ coniū-
ctæ cum lapsu vigintiquatuor annorum, &
statuti dispositione præpōderare visæ sunt.
Neq; obstare, quòd iterum fuerint cōpro-
missæ eædē controuersiæ; quia quantum ad
causam petitionis erant illæmet, quæ aliàs
7 fuerant in arbitrium deductæ, † neq; esse mi-
rum si Cincij nō procurarunt absolutionem,
cum neq; etiā Fabij procurarint cōdemna-
tionē, & maior est contumacia actoris quā
rei. Quòd verò nō fuerit allegatum in vlti-
mo compromisso redditam fuisse rationem,
nō valdè vrgere, cum Dominus Franciscus
vti hæres potuerit tunc temporis non esse
informatus de his, quæ gesta fuerant in illo
negotio, neq. etiam concludentem esse cō-
sequentiam nihil in hoc negotio actum fuis-
se, cum neq; illud aliud negotiū conductio-
nis Casalis terminatum fuerit; diuersa enim
est ratio inter has controuersias, in hac enim
nihil gestum reperitur, in illa verò fuerat
productus liber rationum, ex quo poterat
haberi ratio administrationis, neq. etiā ex
quo vltimò factum est compromissum, licèt
de mandato Domini Francisci expressè non
constet, tamen eo etiā præsupposito nō esse
talē hanc præsumptionē, quæ alijs sit præfe-
renda, cum super hoc etiam oriri potuisset
dubitatio, an actioni tutelæ esset præscriptū;
maximè vt dictum est, cum Dominus Fran-
ciscus vti hæres non præsumatur habuisse
plenā notitiam gestorum. Neq; vltimo ob-
star, quòd hic agatur ad effectum notoriæ
8 iniustitiæ; quia † cum sententia respectu
huius exceptionis præscriptionis ex actis
non iustificetur, satis dicitur notoriè iniu-
sta, & ita seruat Rota, *vt per Put. decis. mihi*
396. *in causa Toletana in fin. die* 12. *Ia-
nuarÿ lib.* 1. nō enim ex actis deducitur ali-
qua concludens ratio, ex qua debuerint iu-
dices reijcere exceptionem huius præscri-
ptionis. Et ita per Dominos conclusum,

Placentina Saluiani interdicti.
Die Mercurij 23. Ianuarij 1585.

SVMMARIVM.

1 *Saluianum adhoc vt intentari possit, prius sunt probanda extrema requisita, de quibus per Aretin. in §. item Seruiana. Instit. de actionib.*

2 *Saluianum, quod competit pro toto debito, etiam pro consequendo residuo competit, maximè si pro tali residuo creditori fuerit ius reseruatum.*

DECISIO DCLXXXV.

1 Fvit resolutum ✝ competere Gropallis Saluianum interdictum contra Cogrossum saltem pro residuo summæ non solutæ; Primo enim extrema requisita in hoc iudicio sunt probata, de quibus *per Aretin. in §. item Seruiana. in fin. Instit. de action. cum alys per informantes allegatis* *. Secundo cum Bellonus esset sublocator Gropalli, & illi deberet soluere ratam suam, & reperiatur facta solutio à Gropallo, ea præsumitur facta de proprijs pecuniis; maximè quia vbi facta fuit de pecuniis Belloni, id expressit, & confessus est. Cum itaq. constet satisfactum fuisse primo locatori & Domino
2 bonorum per Gropallum, ✝ & non constet de integra satisfactione Belloni, vtique cōpetit Saluianum pro consequendo hoc residuo, pro quo etiam ius fuit reseruatū Gropallis in sententiis de partibus. Et ita conclusum nemine discrepante.

* Roland. consl. 14. n. 1. 6 & 13. Contard. de moment. poss. sess. limitat. 4. n. 12. & 14. Alex consl. 85. nu 4. vol. 6. Socin. cōs. 112. n. 6. vol. 4. & text. in l. 1. ff. de Saluian. interd.

Spoletana seu Fulginaten. Confinium.
Die Lunæ 28. Ianuarij 1585.

SVMMARIVM.

1 *Laudum interpretari debet, vt non comprehendat ea, quæ verisimiliter in controuersiam venire non poterant.*

2 *Mentio proprietatis non cadit nisi in priuatas personas.*

DECISIO DCLXXXVI.

Fvit dubitatum quæ pascua & loca comprehendantur sub vndecimo capitulo laudi; & post binas causæ propositiones, Domini tenuerunt comprehendi tantum ea loca, quæ sunt à terminis vsq. ad aquam, non autē quæ sunt à terminis supra versus Verchianum; Et ad hoc mouebantur pluribus argumentis; Primo, quia cum aqua esset naturalis finis, & distinctio territorii inter istas Communitates, vt ad oculum patet, & nihilominus arbitri voluerint extendere territorium Vrsani in cliuo Montis Puri, vsque ad terminos ibi collocatos, vtiq. non est verisimile, quòd voluerint reliquum Montem relinquere in communione pascendi & lignandi, cum nimis præiudiciale esset tam latè extēdere vltra fines naturales iura Vrsanensium. Secundo hoc videbatur ex verbis laudi colligi, cum dicitur in pascuis locorum diffinitorum citra aquā versus Verchianum, cum enim hæc loca per appositionem terminorum sint diffinita, adeo quòd huius diffinitionis ratione certa est tota illa portio diffinita à terminis vsq. ad aquam, dicendum est arbitros de his locis intra terminōs & aquam comprehensis sensisse, non de locis superioribus, cum sint sine vlla diffinitione, & sine vllis terminis, quòd si de illis sensissent arbitri potius dicendum fuisset in pascuis locorū controuersorum, vsque ad Verchianum, quàm in pascuis locorum diffinitorum. Tertio corroboratur ex alio; quia verisimiliter Vrsanenses potuerūt prętendere tantum eam partem montis ad ipsos spectare, quæ est à summitate Montis Puri versus Vrsanum, & vt vulgariter dicitur (quanto aqua pēde verso Vrsano,) & tamen arbitri noluerunt id totum adiudicare Vrsanensibus, sed à terminis tantum infra, qui termini longe intra summitatem cliui
1 sunt positi; ✝ si itaq. intelligeremus laudū, prout prætendunt Vrsanenses, ius pascendi & lignandi extenderetur longè vltra loca, quæ verisimiliter in controuersiam venire poterant. Quarto facit, quòd fuit aliàs in decisione Dominorum consideratum*, quòd in proximè præcedenti capitulo fuerat laudatum, quòd citra aquam versus Verchianum non liceret officialibus Vrsani procedere in damnis datis aliter quàm per viam accusationis, quæ res præsupponit iurisdictionem spectasse in dictis locis ad Vrsanēses, aliàs insulsum fuisset cauere, quòd extra eorum iurisdictionem non possent procedere nisi per viam accusationis, cum extra iurisdictionem eorum nullum aliud remediū de iure competeret, cum itaq. in illo Capitulo verba illa citra aquam versus Verchianum, non possint verificari, nisi intra terminos, conuenit quoque in sequenti capitulo eodem pacto ea intelligere; quia vna pars declaratur per aliam iuribus vulgaribus. Non obstat id, quod præcipuum est Vrsanensium fundamentum, quòd in hoc capitulo reseruantur iura proprietatis, & iurisdictionis vtriq. parti, quasi non possit hæc reseruatio ratione iurisdictionis verificari pro vtraq. parte, nisi intelligamus laudum loqui de toto Monte Puro, tam in ea parte, quæ ratione dominii & iurisdictionis est Verchianensium, quàm in ea, quæ est Vrsanensium, quia duobus modis respondetur; Et primo, prout aliàs in decisione ᵃ dictum fuit hanc reseruationem fuisse factam, ex eo quòd Verchianenses habebant prædia intra illos fines; & ideo ratione proprietatis ea pertinebant ad Verchianenses, ratione verò iurisdictionis ad Vrsanenses. Neque obstat, quod replicatur reseruationem esse intelli-

* sub die 11. Ianuar. 1585 coram bon. me. Domino Beano.

ᵃ supradicta coram bon me.

telligendam respectu iuris Communitatū, non autem particularium, quia in eodem laudo videmus multa capitula respicere priuatos homines, & bona priuatorum non autem Communitatum; & ideo non est inconueniens, quòd hic etiam fiat præseruatio ad eorum fauorem; hoc autem probatur ex capitulo quarto, quinto, & nono. Secundo responsum fuit reseruationem esse intelligēdam distributiuè, scilicet vt respectu proprietatis reseruentur iura Verchianensium, respectu verò iurisdictionis, Vrsanensium; & sic illa verba vtriq; parti, intelligantur respectiuè: quod suadetur maximè ex quo,
2 † cum fiat mentio proprietatis, ea verò non cadit nisi in priuatas personas, nam quamuis territorium & iurisdictio sit Principis & superiorum, proprietas tamen est particularium habentium ibi sua bona, & prædia. Et ex his conclusum per Dominos non esse recedendum ab aliàs decisis.

Fauentina Matrimonij.
Die Veneris 1. Februarij, 1585.

SVMMARIVM.

1 *Sententia super dissolutione matrimonij nō seruata forma cap. laudabilem. & c. fin. de frigid. & malef. hoc est vt coniuges ante dissolutionem matrimonij per triennium cohabitent, iniuncta per Ecclesiam salutari pœnitentia, reuocari debet.*

2 *Dispositio c. laudabilem, & c. fin. de frigid. & malef. non habet locum, quando per aliud genus probationis constat de frigiditate viri, quod procedit, quando vitium est tale, quod per visionem detegi possit, & quoties coniuges fatentur impotentiā, aliàs secus, vt num. 5.*

3 *Probatio per testes super frigiditate viri tā tempore matrimonij, quàm ante matrimonium admittitur, quādo ex eorum dictis probatur naturalis frigiditas perpetua, & impotentia; aliàs secus, vt nu. 6.*

4 *Quando vitiū frigiditatis & impotentiæ viri non est visibile, ita vt sensu oculorum percipi possit, & per alterum ex coniugibus talis impotentia negatur, tunc dispositio c. laudabilem, & c. fin. de frigid. & malef. est de solemnitate probatoria, & est seruanda.*

7 *In materia dirimendi matrimonij propter impotentiam viri, asseueratio coniugum non est vera probatio.*

DECISIO DCLXXXVII.

FVit dubitatum, an sententia in partibus lata sit confirmanda; & difficultatem
1 faciebat contra sententiam, † quòd non fuit seruata forma *c. laudabilem. & c. fin. de frigid. & malef.* in quibus disponitur, vt coniuges cohabitent per triennium iniūcta prius per Ecclesiam salutari pœnitentia: Ex ad-
2 uerso tamen prætendebatur † hoc non fuisse introductum de forma, quando per aliud genus probationis constat de frigiditate, vt videtur probari *in d. c. laudabilem. & ibi glos. & Innocent. in princ. Ancbar. nu. 2. Abb. num. 2. Collect. in c. 1. in princ. eod. tit. & ibi Card. & Abb. Specul. eod. tit. §. 1. num. 3. & ibi Io. Andr. in Addit. Angel. Claua. in verb. Matrimonium. impedim. 16. num. 10.* sed per testes huiusmodi frigiditas probari dicebatur non solum de tempore matrimonij, sed
3 etiam ante matrimonium, † quæ probatio in hac materia admittitur, *vt per Card. & alios in d. c. 1.* & ex eo tempus triennij, quod datur ad cognoscendum, an frigiditas sit perpetua, satis ex eorundem testium depositione colligi, & hanc probationem coadiuuari ex obstetricum inspectione deponentium, D. Victoriam non fuisse defloratā, cum tamen vir affirmet se eam cognouisse, & in hoc reperiatur mendax, *ad Ancbar. in d. c. 1. n. 4. ad fin.* & ideo bene fuisse sententiatum super separatione per Ordinarium Fauentinum. His tamen non obstantibus Domini vnanimiter censuerunt sententiam esse reuocandam, & præcipuum fundamen-
4 tum huius opinionis fuit, quòd † quando vitium frigiditatis & impotentiæ non est visibile, ita ut sensu oculorum percipi possit, & negatur per alterum ex coniugibus impotentia, tunc dispositio *c. laudabilem, & c. fin.* est de solemnitate probatoria, eamq. obseruare est necesse, cum fieri possit, vt tale impedimentum non sit naturale, sed temporale proueniens ex aliquo maleficio, & separari possit, quòd acta pœnitentia Deus misertus coniugum tale impedimētum sit sublaturus: Quòd autem impedimentum non sit visibile constat ex relatione medicorū; Vnde hoc casu statuendus erat terminus ab Ecclesia præfinitus, *vt tradit Diuus Thomas in summ. part. 3. q. 58. artic. 1. Syluestr. in verb. matrimonium. 8. nu. 16. Ang. in verb. matrimonium 3. num. 10. Pisanell. in verb. matrimonium, 15. Rosell. in verb. matrimonium. 15. n. 3. Summ. Confessor. lib. 4. tit. 16. q. 16. Tabien. in verb. impedimentum. 12. n. 2. Gofred. tit. de frig. & malef. nu. 10. Io. Andr. tit. de consang. & affin. num. 83. Turrecrem. 33. q. 1. c. 1. num. 7. & 9. Ancbar. d. c. laudabilem. num. 7. & ibi Abb. num. 5. & ferè omnes alij.* Non obstant deducta in contrarium; Et primo ad auctoritates allegatas,
5 quòd † possit probari frigiditas per aliud genus probationis, id verum est, quoties vitium est tale, quod per visionem detegi possit, & quoties coniuges fatentur impotentiam accedente septima manu propinquorum vel vicinorum bonæ famæ *d. c. laudabilem.* habent enim canones has probationes pro concludentibus, sed vbi vitium non est visibile, & maritus negat impedimētum, tunc seruanda est forma *supradict. c. laudabilem.*

6 *dabilem.& c.fi.*✝& ideo non sunt attendendi testes, cum ex eorum dictis non probetur naturalis perpetua frigiditas & impotentia; maximè cum ex aduerso adsint aliæ probationes per testes, quorum tamen in præsentia nulla fuit habita ratio. Non obstat, quòd obstetrices dicant eam non fuisse cognitam; quia & huiusmodi probatio adhuc est in incerto, neq. accessit septima manus, sed dato etiam quod probaretur concludēter, non ideo ob mendacium dirimendum est matrimonium, licèt de fide côiugis multum detrahatur ex hac causa; nam ✝ in hac
7 materia asseueratio coniugum non est vera probatio, *vt tradit Abb.in d.c.laudabilem num.5.* Quare ex his conclusum, quòd cum agatur de periculo animæ, & sacramenti direptione, neq. vitium directa probatione & & concludenti probari possit, seruandam fuisse temporis ab Ecclesia statuti præfinitionem, & hac ratione sententiam Ordinarij esse reuocandam.

Placentina Bonorum.
Die Veneris 8. Februarij 1585.

SVMMARIVM.

1 *Testes post didicita testificata non admittuntur super ijsdem vel directè contrarijs propter timorem subornationis; maximè in materia suspecta.*
2 *Stylus Rotæ allegatus, quòd solita sit admittere testes post visionem processus, cum sit exorbitans à iure communi, non est extēdendus, sed coarctandus.*
3 *Idem non iudicatur de summario processus quòd de originali.*
4 *Testes post didicita testificata, possunt ab vtraq. parte hinc inde ex pari indulgentia admitti.*

DECISIO DCLXXXVIII.

FVit resolutū pro maiori parte istos testes non esse examinandos ex regula,
1 quæ habet, quòd ✝ post didicita testificata testes non admittuntur super ijsdem vel directè contrarijs, *c. fraternitatis. de testib. Auth. at qui semel. C.de probation. Roman. singul. 785. cum similib.* & ratio est propter timorem subornationis, *vt tradūt Doctor. in d.c. fraternitatis. & ibi Parisi. num. 21.* quod eo magis Domini censuerunt obseruandum in casu isto, quia materia est satis ex se suspecta, siue inspiciamus originem, cum à principio in alienatione bonorum, de quibus agitur, fuerit facta suppositio Pellagatti fraudolenta, vt fuit resolutum, [a] siue inspiciamus processum causæ, cum fuerint aliàs articulatæ materiæ suspectæ circa ætatem Camilli, siue statum præsentem, cum magna suspicione laborent testes iam examinati, & demum nonus testis fuerit relictus arbitrio cum magna diminutione. Neque obstat, quod dicitur suppositionem Pellagatti fuisse factam à Commēdatario Pallauicino, quia tota illa negotiatio restitutionis aquarum, earum emptionis, & bonorum alienationis fuit correspectiua, vt aliàs fuit consideratum, [b] & ideo vix dici potest Dominos de Puteobonellis omnino immunes ab huiusmodi tractatu. Quæ verò deducuntur circa articulatam ætatem Camilli, licèt possent admitti, si ageremus ad effectum probationis vel ad effectum pœnæ, tamen ad effectum nostrum, non tollunt, quin ex illis aliqua probabilis suspicio non oria-
2 tur, ✝ Stylus verò Rotæ, ad quem confugiūt informantes allegando decisionem factam in causa Nullius Montis portij, [c] cum sit exorbitans à iure communi, non est extendendus sed coarctandus, Plerumq. enim Rota eo stylo vsa est, quando partes habuerūt solummodo summaria testium licèt extensa, & hoc ex prærogatiua quadam Curiæ Romanæ, in qua soliti sunt plures viri docti & probi exercere procurationis munus, de quibus ita confidere est solita, vt eis plerumq. permittatur à Dominis videre processus remissoriales, & ipsa originalia, sed in casu isto ipsemet Dominus principalis habuit processum originalem per plures mēses in manibus, & super istis testibus fuerunt factæ plures resolutiones, adeo quòd non perfunctoriè, sed plenè fuerunt didicita, & discussa dicta testium. Neque obstat, quòd summarium extensum habitum fuerit à procuratore Illustrissimi Cardinalis, quia
3 ✝ non idem iudicatur de summario, quod de originali, *Imol. in l. fin. quemadm. testam. aper.* & licèt aliquoties habuerit ipsummet originale, tamen cum non agatur de examinandis testibus pro hac parte, non releuat. Neque obstat decisio *in causa Nullius.* quia magna est diuersitas inter illum casum
4 & istum, ✝ fuerant enim in illa causa examinati testes hinc inde, & pari indulgentia didicita ab vtraq. parte testificata. Præterea solus procurator habuerat in manibus originale, neq. per tantum temporis spatium, & affirmabat se perfunctoriè tantum vidisse, & videbatur ex instrumentis coadiuuari in aliquibus fides testium; & in summa licèt fides aliquorum testium esset suspecta, tamē materia non carebat aliqua probabilitate & verisimilitudine: Fuit tamen ordinatum, quòd si Domini de Puteobonellis prætendunt ex aliqua limitatione se teneri, puta, vel quia Iudicis officio isti testes debeant examinari, vel quòd cum habeant genericam probationem debitorum debeant admitti ad specificam, in his particulariter audiantur.

[a] sub die 13. Aprilis anni præteriti.

[b] 1. Maij & 13. Iunij [?]

[c] sub die 10. Maij 1580. coram R.P.D. Beano.

Roma-

Romana Domus in Transtiberim.
Die Veneris 15. Februarij 1585.

S V M M A R I V M.

1 *Dictio, eius, est relatiua ad proximè nominatum.*

2 *Vbi habemus claram verborum dispositionem, ab ea non est recedendum; nisi certissimis argumentis constet de contraria mente contrahentium, vel de errore notarij.*

3 *Vbi dispositio est clara, non debemus vlterius inuestigare.*

4 *Locatio seu concessio potest fieri tam ad tertiam generationem venditoris seu concedentis, quàm emptoris, & idem met contractus dicitur, ac si fiat concessio ad generationem emptoris.*

DECISIO DCLXXXIX.

FVit resolutum, retenta decisione aliàs facta sub die 16. Aprilis 1584.* quòd ex verborum proprietate generatio, de qua fit mentio, est generatio ipsius vendentis non autem emptoris, propter dictionem, eius,
1 † quæ est relatiua ad generationem ipsius
2 venditoris proximè nominati; ideo † cum habeamus claram verborum dispositionē, non est aliter ab ea recedendum, nisi certissimis argumentis constet de contraria mente cōtrahentium, vel de errore notarij, *vulgat. l. non aliter. de legat. 3. l. ille aut ille. §.*
3 *cum in verbis. eod. tit.* & † vbi dispositio est clara, non debemus vlterius inuestigare, *Bald. in l. Gallus. §. si eius. in 2. notab. de lib. & posth. & ibid. Alex. Dec. in cons. 503. num. 4. & 693. num. 1.* Ea verò, quæ in contrarium pro coniecturis voluntatis allegantur, talia non sunt, quæ debeant inducere nos, vt recedamus à verborum dispositione clara, ea enim possunt simul stare cum isto contra-
4 ctu; † est enim idemmet contractus, ac si fuisset facta concessio ad tertiam generationem ipsius emptoris, qui si maluit habere durante tertia generatione venditoris quàm sua, non ideo minus requirebatur consensus Ecclesiæ saltem ad abundantiorem cautelam; & soluendum erat laudemium, & fieri poterat, vt venditoris generatio vtilior esset, & protenderetur vlterius quàm generatio emptoris, sunt enim aliquando familiæ aliquæ viuaciores alijs: Et ex his tolluntur omnes coniecturæ ex aduerso allegatæ, quibus etiam in specie bene per informantes fuit responsum. Et ita conclusum.

* quæ decisio non fuit extensa nisi in hæc verba formalia. Attentis verbis instrumenti attendēdam esse generationem Innocentij. An verò ex coniecturis sit aliud dicendum videatur.

Placentina Bonorum.
Die Lunæ 11. Martij 1585.

S V M M A R I V M.

1 *Noua admissio articulorum & examen testium denegari debet, quando sunt ijdem in effectu cum prioribus, quorum fuerunt dicta testificata, Idem est, licèt non sint ijdem, si tamen iurarunt super tota causa.*

2 *Articulus subcontrarius articulo remissoriæ non admittitur.*

3 *Put. decis. 219. lib. 2. declaratur.*

DECISIO DCXC.

EX pluribus capitibus Domini denegarunt admissionem articulorum, & exa-
1 men testium: Primo, † quia articuli in effectu sunt ijdem cum prioribus; Secundo, quia etiam si non essent ijdem, tamen testes iurarunt super tota causa, *Innocent. in c. fraternitatis. num. 2. de testib. Socin. ibid. artic. 7. num. 79. Ang. in l. per hanc. num. 11. C. de tempor. appell. Alex. cons. 61. n. 7. lib. 2.* & deposuerunt super constructione Pallauicinæ, & constructionis tempore; Tertio
2 quia † articulus super constructione Pallauicinæ videtur subcontrarius articulo remissoriæ respectu temporis. Neque obstat, quòd articulus remissoriæ non loquatur in specie de Pallauicina, quia generaliter est conceptus de tenuta Papiaghi, sub qua vti membrum continetur Pallauicina, licèt sit in loco separato: Neq. est verisimile, quòd de ea non senserint, cum hoc esset vnum ex notabilioribus melioramentis factis in rebus Ecclesiæ; & de hoc sensisse comprobatur ex dictis testium de Pallauicina in specie deponentium. Vltimo ad suspiciones aliàs deductas penes Dominos aliquid adiecisse videtur modus inducendi testes vltimò
3 nominatos. † Nec supradictis obstat decisio *Putei 219. lib. 2.* quia placuerunt responsiones deductę per informantes; & pręcipuè illa, quòd ibi plenè constabat de debito, & solum difficultas erat respectu quantitatis; hic verò omnia sunt satis incerta; maximè cum probatio debitorum in genere desumatur ex testibus; quorum fides visa est Dominis dubia. Et ita conclusum pro non admissione.

Compostellana Pensionis.
Die Veneris 15. Martij 1585.

S V M M A R I V M.

1 *Duo non possunt insolidum idem beneficium obtinere.*

2 *Subreptio circa assertionem narratam in supplicatione reseruationis pensionis super beneficio, quod asseritur vacasse per obitum alterius, præsumitur fraudulenta, & in excusabilis.*

DE-

DECISIO DCXCI.

Fvit conclusum satis concludenter constare de falsitate narratorum in supplicatione reseruationis pensionis; nam fuit narratum beneficium vacasse per obitum Leonardi Gii vltimi possessoris, quæ quidem assertio est manifestè falsa, cum Antonius adeptus fuisset possessionem de anno 1574. & sic per biennium ante, & Ioannes vti procurator Antonij deputabat Capellanum, qui in eodem beneficio deseruiret, & ei soluebat salarium, adeo quòd ignorare non poterat, Leonardum non obijsse in possessio-
1 ne; † cum duo non possint insolidum idem
2 beneficium possidere, & † hæc subreptio est clara in facto proprio, & præsumitur fraudulenta, *Aegid. decis. 4. Mohedan. 336. in eadem dispensatione*, & hæc visa est Dominis inexcusabilis: Adest etiam narratiua, quòd tam Antonius quàm Ioannes fuerunt in discordia patronorum præsentati, quod tamen est valde inuerisimile, cum Antonius prius fuisset per Ioannem præsentatus per obitum Ioãnis de S. Nicolao, & quòd Ioannes fuerit præsentatus non constat in actis, & augetur suspicio contra Ioannẽ, quia ex confessione ipsius constat ipsum transmisisse mandata ad Curiam, & cum in mandato Antonij, non adsint huiusmodi confessiones, satis constat eum, qui habuit curam expeditionis fuisse informatum ab ipso Ioanne non autem ab Antonio, quæ res facit, vt minus videatur obesse Antonio; quòd sit ipse quoque orator in eadem supplicatione, cum appareat negotium ad instãtiam Ioannis fuisse expeditum, immo in mandato Antonij ipse enunciat se Rectorem dictæ parochialis, quæ res implicat contradictionem cum contentis in supplicatione: Quare fuit conclusum pro sufficienti probatione subreptionis in facto proprio ad effectum, vt possit procedi sine clausula, sine retardatione solutionis pensionis; An autem sufficiat hæc probatio ad effectum nullitatis pensionis, erit postea videndum.

Romana Tutelæ de Fabijs.
Die Lunæ 18. Martij 1585.

SVMMARIVM.

1 *Eadem ratione, qua tollitur actio principalis per præscriptionem, tollitur quoq. hypothecaria ab ea dependens, & nu. 3.*
2 *Restitutio libri rationum administrationis dicitur pars ipsius redditionis administrationis.*
4 *Præscriptio statutaria à contraria præsumptione præponderante tollitur.*
5 *Liber rationum administrationis ab hærede hæredis administratoris peti non potest, si non constet, quòd vnquam apud eum fuerit, nec probetur, quòd is dolo desierit possidere.*
6 *Iuramento eius, qui dicit se nunquam habuisse penes se rem, seu librum rationum, non statur.*
7 *Amissio libri rationum non sufficit per iuramentum probari; secus est si exhibitio petita sit iure actionis, & non officio Iudicis, quia tunc sufficit iuramentum.*
8 *Item locum habet in eo, quem constat rem semel penes se habuisse.*
9 *Actio realis statuto non tollitur, quia cum sit rei persequutoria, non datur nisi contra possidentem.*
10 *Tutor tenetur librum rationum administrationis custodire; secus est in hærede tutoris.*
11 *Obligatio de reportando librum toties quoties non impedit præscriptionem.*

DECISIO DCXCII.

Fvit dubitatum, An Dominus Frãciscus teneatur exhibere librum rationum tutelarium, quẽ productum à Domino Roccho coram arbitris, idem Dominus Rocchus recuperauerat à notario cum promissione de reportando toties quoties opus fuerit; & fuit per Dominos sine difficultate resolutum D. Franciscum afferentem nunquam hunc librum penes se fuisse, quod & iuramento affirmare sese paratum offerebat; non teneri ad istius libri editionem, stante resolutione iam facta *, quòd per præscriptionem statutariam sublata erat actio, quã petebatur ratio administrationis tutelæ per Dominos Rocchum & Christo-
1 phorum gestæ, † eadem enim ratione, qua sublata est actio principalis per præscriptionem statutariam, sublatam quoque actionem ad exhibendum, & eam obligationem, qua tenebatur Rocchus ad librum reportandum, *per tex. in l. eos. & ibi Bald. C. de vsur. glos. in c. olim. in verb. adhærentes. & ibi Felin. ante num. 5. de accusation.* Maximè
2 † cum restitutio libri sit pars ipsius redditionis administrationis, *l. fin. §. inter cætera. de lib. legat. Roman. conf. 413. & Socin. conf.*
3 *190. lib. 2.* † & sic tollitur prætensa hypothecaria, quæ ratione administrationis cõpetit; nam ratione obligationis de reportando, si quæ competeret, sublata est per statutum; tamen in facto non adest in prædicta obligatione aliqua hypotheca. Neque
4 obstat, quod ex aduerso deducebatur † præscriptionem statutariam à contraria præsumptione præponderante tolli; quia hoc quidem verum est, sed ista præponderans præsumptio non adest, quod enim dicitur, ex inspectione actorum probari negatiuam, veluti vbi agitur de docendo non fuisse à sententia appellatum, procedit in actibus iudi-

* Sub dec. 10. Ianuar. proximè præced.

iudicialibus, qui fiunt apud acta; secus verò in casu isto, in quo liber potuit extraiudicialiter ipsi parti consignari, ueq. opus erat ad effectum consequendi liberationem, illum apud acta reportare: Confirmantur
5 prædicta, quia † enm non constet librum, de quo agitur, vnquam fuisse penes Dominum Franciscum, qui est hæres hæredis Domini Rocchi, nec probetur enm dolo desijsse possidere, vtique ab eo peti non potest, *l. eum ita. aliàs omnia. §. species. de legat. 2.*
6 † nec statur iuramento dicentis se nūquam habuisse, *vt post Bart. Ang. Castr. & alios in l. si quis ex argentarijs. §. fin. de edend. tradit Aretin. in cons. 120. vers. sed tamen his non obstantibus.* Quæ verò in contrarium alle-
7 gantur, quòd † nō sufficiat probare hoc eatu amissionem per iuramentum, quia exhibitio petitur non officio iudicis, sed iure actionis, stante Rocchi obligatione, *vt per*
8 *Bart. loco supra citato*, & † procedunt in eo, quem constat semel rem penes se habuisse, vt ibi bene distinguunt Doctores: Et ex hoc etiam tollitur, quod dicitur de reali
9 actione, † quæ statuto non tollitur, vt plerunque censuit Rota,[a] ea enim cum sit rei persequutoria, non datur nisi contra possidentem, *l. officium. de rei vind. cum simili-*
10 *bus.* Neque facit, quòd † tutor teneatur librum custodire, quia aliud ius est in tutore alind in tutoris hærede, *l. alio iure. C. de in*
11 *lit. iur.* † Neque tollitur præscriptio ex eo, quòd obligatio facta sit de reportando toties quoties, *vt bene per Tiraq. de retract. lign. §. 1. glos. 10. n. 34.* Neq. ex hac petitione offuscatur notoria iniustitia sententiarum latarum contra D. Franciscum, qui allegabat exceptionem præscriptionis, cum non minus iste articulus habeat certam iuris determinationem, quàm principalis articulus. Quod dicitur de præscriptionis interruptione est extra dubium; & fuit aliàs ordinatum, vt super hoc D. Fabricius particulariter audiretur.

[a] Præsertim in Roman. extinctionis census sub die 8. Octobris 1582. quæ in impress. nouiss. est decis. 717 part. 1. dubito tamen, quod sit malè & corruptè allegata, & quod velit dicere 9. Octobris 1581. coram Illustriss. Cardinali Blancherto, quia die 8. Octob. 1582. nō fuit Rotalis.

Romana seu Maceraten. dotis.
Die Veneris 22. Martij 1585.

SVMMARIVM.

1 *Legatum dotis, ex bonis fideicommisso subiectis ante debita detrahi, & omnibus creditoribus præferri debet, & ei per creditorum graduationem præiudicari non potest.*

2 *Dotis creditum, vt præferatur alijs creditoribus, sufficit præsumpta voluntas testatoris.*

3 *Graduatio creditorum locum habet solum in bonis fideicommisso non subiectis; aliàs esset iniusta & contra leges, quando allegatum & productum fuit fideicommissum.*

4 *Agnoscens & producens fideicommissum ad omnia onera se obligasse censetur.*

5 *In fideicommisso conditionali, pendente cōditione, bona possunt alienari & hypothecari, eueniente verò casu restitutionis omnia resoluuntur, perinde ac si nihil gestum fuisset.*

6 *Bona fideicommisso subiecta ad fideicommissarios & quoscunque transeunt cum sua causa.*

DECISIO DCXCIII.

Fvit per Dominos vnanimiter conclusum posse Dominos de Incasatis obtinere contra creditores Domini Horatij & eorum cessionarios, eisque præferendos es-
1 se in bonis fideicommisso subiectis, † detractis tamen prius prætensis legatis, quæ ante omnia sunt detrahenda: Cum enim Domina Imperia haberet intentionem suā fundatam in dispositione *Auth. res quæ. C. com. de legat.* vtiq. ea erat præferenda respectu istorum bonorum omnibus creditoribus
2 Horatij, & † in hoc etiam habet volūtatem præsumptam restatoris, *vt per Paul. de Castr. in d. Auth. res quæ. num. 10. & ibi Fulgos. num. 2. Ias. n. 25. Dec. in cons. 519. num. 3.* &c.
3 ideo nihil ei obest graduatio, † quia vel est intelligenda in bonis non subiectis fideicommisso, in quibus anteriores habentes hypothecam veniebant præferendi; vel si eam intelligamus factam respectu omnium bonorum etiam fideicommisso subiectorū, est notoriè iniusta, & contra casum legis, cum allegatum & productum fuisset fidei-
4 commissum per Dominos Gabutios, † qui ex hoc actu cēsentur illud agnouisse; & ideo sese ad omnia onera obligasse, *l. non enim. ad*
5 *S. C. Trebell.* Non obstat, quòd † cum pendente conditione bona subiecta fideicommisso possint alienari & hypothecari. *l. fin. §. sin autem. C. com. de legat.* tenere debeat hæc hypotheca in præiudiciū Dominæ Imperiæ, quia cum euenerit casus restitutionis, omnia resoluuntur, perinde ac si nihil gestum foret; & ideo tempore restitutionis dotis, omnes istæ hypothecæ resolutæ erant & euanuerant: Neque est verum, quòd resoluantur tantum fauore fideicommissario-
6 rum; † quia huiusmodi bona vnà cum sua causa ad fideicommissarios & quoscunque transeunt, *vt fuit resolutum in causa Anconitana de Rinaldinis coram R. P. D. meo Blanchetto sub die 5. Decembris 1584.* Conclusum itaque præferendos esse Incasatos, quibuscunq. etiam Dominis Gabutijs cessionarijs.

Mediolanen. Bonorum.
Die Mercurij 27. Martij 1585.

DECISIO DCXCIV.

FVerunt per Dominos firmatæ nonnullæ con-

conclusiones, circumscriptis tamen exceptionibns testium, de quibus si fuerit opus, particnlariter erit videndnm: Et primo, circa qualitatem bonorum probatur per testes super tertio & octauo articulo, & quadragesimoprimo, & quadragesimosecundo interrogatorijs, ea fuisse frigida, glatiosa, & leuia, & non habnisse sufficientes aquas; & prata vocabantur le pradesse propter eorũ sterilitatem. Secunda conclusio probatur, quòd de tempore alienationis in Castra, & partes existentes in dictis bonis erant marcida & putrida ac diruta, & in qnibus reficiendis Putius exposnit scnta ducentum, necnon ædificia ruinosa, vt per teltes processus si in euidentem, & ex visione, ac relatione iudicum. Tertia, quòd de annis 1551. 1552. 1553. ante & post dicta bona non potuissent communi iudicio omnium personarum habentium notitiam de eis, locari ad rationem simplicis locationis quolibet anno pro solidis vigintiocto vel triginta, & ad liuellum & fictum perpetuum pro solidis vigintiquinque vel vigintisex, testes ad quadragesimnmtertinm interrogatorium & super quarto articulo; & quòd nullns alius fecisset conditionem talem, qualem fecit Putius; teltes si in euidentem, & iudices in eorum decreto. Quarta quòd Ioannes de prata per quoddam canale ab eo factum irrigabat bona huiusmodi cum aqnis Commendæ; testes iuxta 41. & 42. & snper octauo articulo, & hinc iactnm fuisse, vt sublocarentur alijs personis per eundem pro maiori quantitate pecuniarum, & qnia etiam cum istis bonis sublocabar bona Commendæ. Qnid verò ex his inferatur in concursu probationum reseruatum fuit. Illud verò quòd de citationis defectu opponitur, non pertinet ad præsentem inspectionem.

Anconitana Vineæ.
Die Veneris 29. Martij 1585.

SVMMARIVM.

1 *Initium mala fidei oritur ex scientia rei aliena.*
2 *Ad purgandum malam fidem, qua oritur ex scientia rei aliena, non sufficit allegare credulitatem; sed necesse est illius causam probare, & quòd ex illa motus fuerit.*
3 *Transactio prastat bonam fidem, nisi à principio detur scientia rei aliena.*
4 *Prasumptio cedit veritati, cum non sit vera probatio.*
5 *In transactione potest etiam committi dolus.*
6 *Prasumptionum multiplicatio, nec fictionum in iure admittitur.*

DECISIO DCXCV.

DOmini steterunt in decisis, [a] cum enim Clarotius haberet notitiam, quòd Vi-

[a] Sub die 17. Iunij 1583.

nea fuerat in bonis Bonfilij, quod constat ex
solutione residui pretij sexaginta scntorum,
in qno remanserat debitor Bonfilius emptor
venditori, & ex notitia innentarij, euins in
transactione fit mentio; habemus certum &
1 indubitatum initium malæ fidei, † quæ ex
scientia rei alienæ oritur, *c. si virgo. 34. q. 2. c.*
2 *si diligenti. de prascript.* & ideo † ad hanc
purgandam non sufficit allegare credulitatem, sed necesse est illius causam probare,
& quòd ex illa motus fuerit, *l. fin. pro emptor. & ibi Bart. Corn. cons. 243. lib. 3. & 280.*
lib. 4. cum alijs, quos ad hanc rem cumulat
Gabr. de crimin. concl. 8. num. 63. Neqne ob-
3 stat, † qnòd transactio possit præstare bonam fidem, accedente presentia propinquorum & auctoritate iudicis; quia hoc procedere posset, si à principio non daretur scientia rei alienæ; sed ea præualet omnibns præsumptionibus, quæ ex transactione deduci
4 possent, nam † præsumptio cedit veritati,
cum præsumptio non sit vera probatio, &
5 † in transactione potest etiam cõmitti do-
lus, *Bald. c. 1. num. 3. de controuers. inter vassal. & al. de benef.* qui quodammodo detegitur, ex quo in ea transigitur de vinea, vti de re spectante ad Dianam. Non obstat, quòd præsumendum sit Dianam, quæ erat tutrix filiorum, & eadem creditrix suæ dotis, sibi satisfecerit, accipiendo vineam pro sua dote, nam hac ratione plures cumulantur præsumptionum præsnmptiones; nam præsnmendum est, quòd cautè hoc fecerit: Item quòd auctoritas iudicis interuenerit; Item quòd huins rei notitiam Clarotius habue-
6 rit, ex qna oriatur eius bona fides, † quæ
præsumptionum multiplicatio, quemadmodnm neq. fictionum in inre non admittitur, *l. 1. & ibi Doctor. C. de dot. promiss.* Cætera, quæ allegantur, possunt procedere in eansanda bona fide illins, quem non constat aliquando habuisse scientiam rei alienæ. Et ita conclusum standum esse in resolntis.

Burgen. Iurisdictionis.
Die Lunæ 8. Aprilis 1585.

SVMMARIVM.

1 *Qualibet interpretatio fieri debet, potius quã proprij iuris renunciatio inducatur.*
2 *Enunciationi Episcopi non statur, quòd in actu constet de consensu Capituli.*
3 *Actus agentium sumunt interpretationem ab obseruantia.*
4 *Concordia renunciari non potest per Capitulum, si à Papa fuit confirmata, licèt non ad instantiam Capituli confirmatio emanauerit.*

DECISIO DCXCVI.

FVit dnbitatum nonnullis præsuppositis, An Constitutiones anni 1533. dicantur ita contrauenire concordiæ, vt possit dici ei renun-

renunciatum in casu, & ad effectum, de quo agitur: Constitutiones prædictæ fuerunt cõpilatæ in Synodo mandante bo. me. Illustr. D. Innico Lopez perpetuo administratore Episcopatus Burgensis; & quia in eis circa mores, & delicta plura continentur diuersa à capitulis Concordiæ Alexandrinæ; maximè circa pœnas & earum applicationem, prætendebatur pro parte Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Archiepiscopi moderni per huiusmodi Constitutiones renunciatum fuisse Concordiæ, tanquam per actum contrarium, prout in facto latè pro eius parte deducitur. Contrarium tamen per Dominos fuit decisum ex multis; Et pri-
1 mo ex regula aliàs deducta, quod † qualibet interpretatio potius fieri debet, quàm renunciationis iuris sui, *ad Dec. in cons. 308. num. 8. Tiraq. de retract. lignar. §. 36. glos. 2. num. 50.* Secundò, deueniendo ad magis specialem & indiuiduam Constitutionum materiam, vtique licèt in eis aliqua diuersa contineantur à concordia; ea tamen contraria absolutè dici non possunt, *ad tradita per Bald. in l. prima. num. 13. de furt.* non enim de iisdem hic reperitur affirmatio & negatio, neque enim per Constitutiones prohibetur Capitulum habere cognitionem causarum, prout in concordia; licèt varietur modus pœnarum, & in omnem euentum hoc solum diceretur immutatum fuisse, non autem reliqua, *argumento l. præcipimus. C. de appellation.* facultas verò cognoscendi relicta eêsetur per cum, cui prius competebat, *Dec. in cons. 3. num. 3. vers. tertio hoc probatur. Bald. in l. contra iuris. §. si filius. de pact. cum aliis per informantes deductis**. Tertio ex abundanti considerata fuerunt qualitates harum Constitutionum, quarum prima est,
2 quòd non constet de consensu Capituli, † licèt per Episcopum enuncietur, cum huic enunciationi non stetur, *Innoc. in c. 1. nu. 6. de fid. instr. Anchar. in cons. 301. num. 2. cum simil.* secunda, quòd in ea fit mentio protestationum interpositarum, de quarum tenore non apparet, & quæ fortasse haberent clausulas præseruatiuas concordiæ, *Bald. in l. 1. in fin. C. de Episcop. & cler. Roman. in cons. 305. in vltimo dubio.* Tertia, quòd reperiuntur nonnulla folia conglutinata, in quibus apparet nonnulla fuisse sancita in præiudicium sedis Apostolicæ, ex quibus multum detrahitur de auctoritate horum statutorũ. Quarto prin-
3 cipaliter consideratum fuit, quòd † actus agentium sumunt interpretationem ab obseruantia, *Castr. cons. 314. ad fin. lib. 1. Roman. cons. 271. circa med. Aym. 101. n. 3.* Ideo cum post huiusmodi Constitutiones Synodales concordiam partes obseruarint, & Episcopus tunc temporis de anno 1560. obtinuerit, vt concordia seruaretur & datum fuit mandatum de manutenendo, vtique indubitatum redditur partes in illa Synodo noluisse à concordia discedere. Quinto hoc idem confirmatur; tum ex eo quòd in concordia adest decretum, vt semper in perpetuum seruetur, & quòd veniendo contra illam directè vel indirectè nihilominus maneat, & restet firma & valida in perpetuum, quæ quidem protestatio derogat omnibus sequentibus actibus contrariis, prout in hac eadem causa fuit dictum, [a] dum ageretur de alia protestatione per Capitu-
4 lum interposita; tum etiam, quia fortè † non potuisset Capitulum huic concordiæ renunciare, attento quòd confirmata fuerat à Papa etiam ad instantiam Portionariorum, *vt in simili dictum fuit coram me in vna Gerunden. Anniuersariorum*, [b] Non obstat, quòd Capitulum aliquando allegauerit omnimodam exemptionem, & etiam concordiam impugnauit, quia cum istæ prætensiones non fuerint per Episcopum acceptatæ, quinimmò impugnatæ, & in impugnatione ipse obtinuerit, non possunt præiudicare Capitulo, *ad notat. per Ias. in l. postquam liti. num. 1. & 2. C. de pact.* Et ex his patet responsio ad omnia ex aduerso considerata.

* Addi potest Iacob. Leonl inter consil. feudal. 157.

[a] coram R. P. D. de Rubeis sub die 27. Aprilis & 1. Iunij 1581.

[b] sub die 8. Iulij 1581.

Romana Tutelæ de Fabiis.
Die Veneris 24. Maij 1585.

SVMMARIVM.

1 *Per interpellationem coram arbitris factã, & litis contestationem actio perpetuatur; secus est, si interpellatio sit nulla, & non habeat vim litis contestationis, & nu. 10.*
2 *Arbiter iuris dicitur ille, cui fuit data limitata potestas decidendi de iure tantum.*
3 *Coram arbitris iuris contestatur lis, & habentur omnes iuris effectus, qui ex litis contestatione vera vel interpretatiua oriuntur.*
4 *Actus nulliter gesti coram arbitris non habent vim litis contestationis; sed habentur tanquam facti coram arbitratore.*
5 *Quæ sunt nulla, nullum pariunt iuris effectum.*
6 *Productio iurium facta coram arbitris iuris ante compromissi acceptationem est nulla.*
7 *Productio iurium facta coram vno arbitrorum iuris tantum est nulla; nisi fiat coram omnibus: potest tamen talis actus productionis conualidari, si pariter fiat coram aliis arbitris parte præsente; secus esset, si fieret parte absente & non citata, quia esset tunc nulla talis productio.*
8 *Per actum nullũ non inducitur ratificatio.*
9 *Per productionẽ iurium factam coram arbitris, ante actoris petitionem non inducitur litis contestatio.*

Mm DE-

DECISIO DCXCVII.

1 DVbitatum fuit, † an per interpellatio-
nem factam per Dominum Lelium
coram compromissarijs fuerit perpetuata
actio, in quo articulo prior inspectio Do-
minorum fuit videre, an isti Compromissa-
rij essent arbitri iuris tantum, vel etiam
arbitratores, & amicabiles compositores; &
2 censuerunt † esse arbitros iuris, ex quo da-
ta fuit eis limitata potestas in decidendo
de iure tantum, *per doctr. Bart. in l. si socie-
tatem. §. arbitrorum. num. 9. pro soc.* ex quo
3 sequitur, † litem coram eis contestari po-
tuisse, & haberi omnes iuris effectus, qui ex
litis contestatione vera vel interpretatiua
oriuntur, *vt per Specul. de lit. contest. §. nunc
tangamus. num. 2. Oldrad. cons. 176. Bart. in
l. cum antea. num. 7. & ibi Bald. num. 11. C.
de arbitr. cum alijs per informantes allega-
tis;* * Ideo deuenerunt Domini ad aliam
inspectionem, An ex actibus coram arbitris
factis possit dici inducta litis contestatio;
4 † & resolutum fuit non esse inductam; actus
enim nulliter gesti, non solum ostendunt
fuisse processum vti coram arbitratoribus,
non autem vti coram arbitris, *vt inquit
Roman. in rubr. de arbitr. n. 49.* sed etiam
ex tali processu nullam posse induci litis
5 contestationem; etenim † ea, quæ sunt nul-
la, nullum pariunt iuris effectum, *vt in pro-
prijs terminis nostris tradit glos. in l. si pater.
C. ne de stat. defunct. Balb. de præscript. 3.
part. 6. part. princip. q. 4. num. 25. & 35.* Nul-
litas autem actuum gestorum est manifesta;
nam quòd attinet ad primum actum produ-
6 ctionis libri tutelaris, cum † nondum es-
set acceptatum per ambos arbitros com-
promissum, ea fuit nulla, *vt per modern. de
comprom. q. 1. num. 34.* & ex alio etiam,
7 quia † facta coram vno tantum, *l. si in tres.
de arbitr. Alex. cons. 13. num. 9. lib. 1.* & licèt
allegetur *Gozad. cons. 100. num. 19.* qui vult
talem actum validari posse, si idem fiat per
alium arbitrum, tamen non procedit hoc
casu, dato etiam quòd talis opinio sit vera,
cum secundus actus productionis factæ co-
ram secundo fuerit absente parte, & ea non
8 citata; adeo quòd fuit penitus nulla, & † per
actum nullum non inducitur ratificatio, la-
borat etiam alio defectu hæc productio;
9 quia † cum emanarit ante actoris petitio-
nem, quæ sequuta est post quinque dies, per
eam non potuit induci litis contestatio, *vt
tradit Abb. in c. 1. n. 13. de lit. contest.* Vlti-
mus actus petitionis fuit quoq. nullus, fa-
ctus enim non coram arbitris, sed coram
notario, & sine partis citatione. Ex quibus
10 conclusum † ex prædictis actibus nullam
induci potuisse litis contestationem, & per
consequens non fuisse perpetuatã actionem.

* Balb. de præscrip. 3. part. 6. part. q. 4. num. 34. Abb. in c. illud. n. 14. de præscript.

In eadem Romana Tutelæ de Fabijs.
Die Veneris 14. Iunij 1585.

SVMMARIVM.

1 *Actio non perpetuatur per actus notoriè nullos coram Iudice vel arbitris factos.*

2 *Per actus licèt informes corã arbitris factos vigore clausularũ compromissi, prout per clausulam sine strepitu & figura iudicij, &c. dicitur solum remissus rigor iuris ciuilis, & attenditur sola solemnitas iuris gentium.*

3 *Aliud est, quòd processus sit summarius & de plano, aliud quòd sit nullus.*

4 *Quando processus est nullus, partes non possunt facere, vt producat iuris effectum, & quòd valeat tanquã actus iudiciarius.*

5 *Sententia nulla, siue laudũ nullũ, si acceptetur à partibus, nõ dicitur valere in vim sententiæ vel laudi, sed in vim pacti.*

6 *Ex clausulis compromissi facultatiuis non potest dici, quòd fuerit data facultas nulliter prorsus procedendi.*

7 *Per compromissum factum in duos, processus ab vno tantum factus altero non acceptante, etiam de iure ciuili non valet, cum sit contra expressam compromittentium voluntatem, & num. 11.*

8 *Litis contestatio neq. verè neq. interpretatiuè ex actibus illis oriri potest, qui nulla præcedente petitione, facti seu producti fuerunt.*

9 *Compromissum vim petitionis habet; sed intelligi debet post illius præsentationem iudicibus factam.*

10 *Arbitri non dicuntur iudices ante compromissi acceptationem.*

12 *Ex dispositione statutorum Vrbis ius ciuile inter Romanos est seruandum.*

DECISIO DCXCVIII.

DOmini steterũt in decisis per actus al-
1 legatos pro parte D. Fabricij † nõ fuis-
se perpetuatam actionem, stante notoria il-
lorum actuũ nullitate, *glos. aliàs citata in l. si
pater. C. ne de stat. defunct. glos. 2. in c. vt de-
bitus. de appellation.* Totũ fundamentũ, quod
fit ex aduerso, nititur in clausulis compro-
2 missi, nempe † in illa clausula sine strepitu
& figura iudicij, & sola facti veritate inspe-
cta, & quòd iura producta, & copiæ fidem fa-
ciant corã quibuscunq. iudicibus &c. & istos
actus licèt informes dici actus iudiciarios,
quãdo solum est remissa solemnitas rigoris
iuris ciuilis, & attẽditur sola solemnitas iu-
ris gẽtium, *Clem. sæpe. de verb. signif.* His ta-
3 men non obstantibus fuit dictum, † aliud es-
se quòd processus sit summarius & de plano,
4 aliud verò quòd sit nullus, nam † quãdo est
nullus, non possunt partes facere, vt produ-
cat iuris effectũ, & vt valeat tanquam actus
5 iudiciarius, & hinc est, quòd † sentẽtia nul-
la siue laudũ nullũ si acceptetur à partibus,
nõ dicitur valere in vim sententiæ vel laudi,

sed

sed in vim pacti, *glos. in l. 2. C. com. vtr. iud. Bart. in l. si expressim. de appellation.* Neque
6 obstant clausulæ allegatę, quia ✝ ex illis non potest colligi fuisse datam facultatē nulliter prorsus procedendi, *Bart. in l. 1. de milit. testam. & in Extrauagan. Ad reprimēdum. in*
7 *verb. videbitur*. immo ✝ cum in duos voluerit compromittere, non in vnum, implicaretur contrarietas, si processus factus ab vno tantum, altero non acceptante valere diceretur, esset enim cōtra expressam compromittentium voluntatem, & quòd noluerint procedi nulliter, apparet ex quo voluerint iura per principales, & eorum legitimos procuratores producta fidem vbique facere, quæ verba denotant eos noluisse remittere solemnitatem mandati, ergo multo minus citationis & iurisdictionis; ne legitimæ tollantur defensiones, *vt bene dicit Natt. in d. Clem. sæpe. §. quæ omnia. in quæst. post glos. num. 6. fol. mihi* 317. Præ-
8 terea ✝ litis contestatio, ex qua oritur iste iuris effectus neque verè neque interpretatiuè colligi potest ex istis actibus, cum nulla præcesserit petitio, *ad notat. per Abb. in c. vnic. num. 13. de lit. contest.* nam
9 quod dicunt informantes, ✝ compromissum petitionis vim habere, subsistere non potest ante præsentationem factam iudici-
10 bus, ✝ nec iudices dicuntur ante acceptationem, nulla autem præcedit petitio Domini Lelij, adeo quòd actus gesti per Dominum Rocchum possint habere vim responsionis & contradictionis; & ideo non applicatur *decis. penult. de lit. contest. in nou.* in ea namque præcedebat clara acto-
11 ris petitio, præterquam quòd ✝ etiam de iure ciuili actus isti debeant fieri coram vtroque arbitro, aliàs non teneant, *vt bene per Abb. in cons. 77. col. 3. vers. ad pri-*
12 *mum dico. lib. 2.* & ✝ ex dispositione statutorum Vrbis ius ciuile inter Romanos est seruandum, neque sanatur iste defectus ex clausulis, quæ cum respiciant facultatem vtriusque insimul & non separatim, nihil operantur in actibus separatim per ipsos factis: Sed hæc ex abundanti, nam præsupposita contraria sententia, quòd separatim potuisset procedi, adhuc militant rationes aliàs consideratæ. Neque obstat, quòd ista nullitas non possit allegari, quia non allegatur ad effectum impugnandi laudum, ad quem effectum fortasse procederent ex aduerso allegata, sed ad effectum declarandi voluntatem agentis, qui nulliter procedendo non potest dici habuisse in animo litem contestandi. Et ex his tolluntur ex aduerso deducta. Et ita firmatum.

Sorana Beneficij.
Die Lunæ 17. Iunij 1585.

SVMMARIVM.

1 *Actus possessorij merè instrumentales alio existente in possessione non sunt sufficientes ad illius acquisitionem.*

DECISIO DCXCIX.

FVit dubitatum, an constet de possessione Domini Honofrij, & illius bono iure; itaut possit deueniri ad declaratoriam contra Franciscum Coronatum: Et fuit per Dominos nemine discrepante conclusum non constare de bono iure, cum hactenus non fuerint deducta ea, quæ negotium principale tangunt, & ad canonizatoriam proferendam requiruntur; sed tantum actum sit de possessorio, sed neque etiam constare de possessione Domini Honofrij; cum indubitatum sit à principio possessionem fuisse penes Illustriss. & Reuerendiss. D. Cardinalem Caraffam; neque constat, quòd ipse vnquam eam dimiserit, nisi post resignationem factam in fauorem Reuerendissimi Domini Philonardi, ita
1 quòd ✝ omnes actus possessorij interim gesti per Dominum Honorium merè instrumentales, non sunt sufficientes ad acquisitionem possessionis. Non obstat resignatio, quæ allegatur & fundatur in asserto mandato de resignando; tum quia mandatum non est in forma probanti; tum quia quatenus habuerit effectum, quod tamen ex aduerso negatur, constat Coronatum cepisse possessionem 4. Octobris 1560. & possessio Domini Honofrij est 9. Decembris eiusdem anni, & sic posterior, & hoc probatur ex processu nuperrime per ipsum producto; ideo non releuat huiusmodi probatio; Neque huic possessioni obstat reseruatio, quia respicit petitorium non autem possessorium; neque vnquam Coronatus habuit se pro spoliato: Et hæc respectu Coronati; Respectu verò Reuerendissimi Domini Episcopi Aquinaten. res caret difficultate, esse ei dandam absolutoriam, cum sit possessor plusquam decennalis, & acta producta sint inter alios. Et ideo conclusum, quòd non est danda declaratoria contra Coronatum, cum sententia non solum non iustificetur ex actis, quinimmo detegatur iniusta.

Panormitana Cambiorum.
Die Lunæ 17. Iunij 1585.

SVMMARIVM.

1 *Suspicio antidatæ litterarum tollitur ex vniformitate totius negotij.*
2 *In recognitione litterarū priuatarum sufficit per testes dici se habere notam manum scribentis, ex quo in earum recognitione non solent adhiberi testes.*

DECISIO DCC.

FVit resolutum iura releuare, & esse in forma probanti; tota autem vis hu- ius

Ab ista decisione recessum fuit sub die 14. Martij 1586.

ius disputationis pendet ex facti intelligeutia, statuitur autem factum hoc pacto: Domini Foppæ, Arconati, & Lauizani mercatores Mediolanenses per eorum litteras cambij ex nundinis Placentiæ mensis Augusti 1580. mandarunt Dominis Scarlattis, & Magalottis de Panormo, vt soluerent quibusdam alijs mercatoribus diuersas summas pecuniarum, nempe Foppę scuta 2025. Arconati & Lauizani scuta 3670. & illas ponerent pro Carauaschinis de Vrbe, Scarlatti acceptarunt has litteras non quidem simpliciter, sed vt vulgo dicitur, sopra protesto, & scripserunt Carauaschinis sibi factas huiusmodi tractas, & se illas acceptasse sopra protesto; Et nisi ipsi dederint eorum ordinem, quod similiter soluent sopra protesto: Carauaschini agnoscentes Scarlattos & Magalottos nolle eorum fidem sequi, curarunt per eorum litteras de mense Nouembris, vt traherentur hæ summæ Neapoli Dominis de Bissolis, quòd si ante expeditionem litterarũ, quas vocãt, spatii di fiera, pecuniæ Neapoli forent solutæ, tũc scriberẽt cõmittentibus se pro Carauaschinis soluisse, & eorum fidem liberè sequutos fuisse: Sequuta est deinde Neapoli solutio tractarum, & denuo institerunt Carauaschini apud Scarlattos & Magalottos per litteras sub die 5. & 13. Ianuarii 1581. vt vellent stornare, vt dicitur partitas, Quæstio ergo est facti, An fuerint stornatæ istæ partitæ iuxta mandatum Carauaschinorum & has fuisse stornatas apparet ex litteris sub data 20. Ianuarij 1581. positis sub numeris 29. 30. 31. & 32. De potestate non dubitatur, stante ordine Dominorum de Carauaschinis: Difficultas est respondere ijs, quæ ex aduerso deducuntur; nam dicitur cõstare ex litteris Scarlattorum, & Magalottorum fuisse confectas litteras spatij, & factam tractam Bisuntij iuxta priorem acceptationem, sotto protesto, quod ostenditur per litteras, de quibus sub numeris 13. vsque ad 22. Ex quibus videtur probari nũquam fuisse stornatas partitas, & saldum computorum transmissum fuisse Dominis Carauaschinis, sub die 12. Februarij 1581. Cum itaque litteræ, ex quibus Scarlatti & Magalotti conantur probare fuisse stornatas partitas, sint sub die 20. Ianuarii 1581. & sic per multos dies ante litteras supra deductas, contrarium probantes, videbatur dictis litteris standum vltimo scriptis potius quàm alijs, de quarum fide & relenantia in præsentia agitur. His tamen non obstantibus, Domini contrarium censuerunt; nam pro responsione animaduersum fuit litteras spatii Bisuntini fuisse transmissas à Scarlattis & Magalottis Neapolim, itaut per eorum agentes in euentum quòd tracta facta Neapoli iuxta ordinem Carauaschinorum sortita fuisset suum effectum, accommodarentur litteræ spatii iuxta voluntatem Carauaschinorum, quod apparet ex litteris sub num. 19. quod factum fuisse apparet in litteris vltimo productis, & sic non obstant aliæ litteræ cum transmissione computorum; illæ enim fuerunt scriptæ, vt ex euentu declaratur eo tempore, quo nondum Panormi peruenerat notitia tractarũ acceptarum per Bissolos, quod claro argumento apparet, nam non solum fuit satisfactum partitæ Foppæ, sed etiam partitis Arconati & Lauizani omnium creditorum Carauaschinorum, & quemadmodum apparet stornatam fuisse partitam Arconati & Lauizani, neque super hoc vlla sit controuersia; & pars fatetur sibi satisfactum, ita etiam apparet idem factum de partita Foppæ, cum litteræ spatii vltimo productæ sint vniformes tam respectu Dominorum de Arconatis & Lauizanis quam Fopparum; Sicut ergo in spatiis Bisuntinis reperitur trãstornata partita Arconati, & Lauizani, & hoc Carauaschini non negant, nulla videtur subesse ratio, cur non eodem pacto fuerit transtornata partita Foppæ, cum hoc per eorundem litteras eodem tempore scriptas appareat; neque vlla adsit ratio diuersitatis; vtriusque enim partitæ onus spectabat ad Carauaschinos, & pro vtraque fuerat facta prouisio in Ciuitate Neapolitana, & omnes litteræ pro ambabus partibus hinc inde scriptæ fuerunt; Adeo quòd nisi pro parte Carauaschinorum probetur aliquis dolus, satis videtur concludens probatio, quæ in
1 medium affertur, & † omnis suspicio antidatarum ex litteris scriptis Arconatis tollitur ex vniformitate totius negotij; in recognitione verò litterarum priuatarum,
2 cum non soleant adhiberi testes, † sufficit, quòd testis dicat se habere notam manum, *& ita fuit aliàs coram me resolutum in vna Anconitana terrarum.* *

* sub die Lunæ 27. Nouembr. 1570. Et in alia Romana grani 24. Decemb. 1578.

Anximana Molendini.
Die Veneris 21. Iunii 1585.

SVMMARIVM.

1 *Error in nomine non vitiat sententiam, si constet de corpore.*
2 *Sententia licèt non contineat specificationẽ rei; si tamen petitio sit certa, per relationem, quæ fit rei, valet, & tenet.*
3 *Sententia, quæ ex actis non iustificatur, est iniusta & nulla; secus si postea iustificetur; maximè extra casus speciales, prout in Aegidiana & excommunicatione, quæ ex ijsdem actis iustificari debet.*
4 *Sententiæ validitas non debet stare in suspenso.*
5 *Conditio suspensiua vel resolutiua vitiat sententiam.*

D E-

DECISIO DCCI.

Domini resoluerunt rem iudicatam in fauorem Guarneriorum sustinendam esse, maximè post lapsum quadriennij causæ restitutionis; Non enim dubitatur sententiã in Rota latam expressis verbis cõtinere terras, quas Hebrei & Sinibaldus vendiderant Gabrieli, & licèt in sententia dicatur venditas Raphaeli, tamen cum hoc verificetur re-
1 spectu maioris partis terrarum, † error in nomine non vitiat, cum de corpore constet; maximè quòd Raphael est Gabrielis filius, & hæres, neque negari potest causam etiam super his terris fuisse introductam per monitorium, & coram alijs iudicibus, deinde omnes causas fuisse ab alijs auocatas, & in Rota commissas. Tota difficultas ex aduer-
2 so fit in eo, quòd † non fuit deuẽtum ad specificationem terrarum, sed cum petitio fuerit certa per relationem, cum petitæ fuerint terræ vicinæ & contiguæ terris ipsorum actorum per Raphaelem intrusum occupatæ, *l.4.§.si iudex.de re iudic.l.vbi autem.§.illud. de verb.obligat.l.si ita stipulatus à Seio de fideiussor.* licet specificatio non fuerit facta, nihilominus sententia valet, & apparet iusta ex his, quæ pro eius iustificatione deducta fuerunt; par enim ratio est in istis terris, quæ in alijs per Raphaelem emptis, & militant in omnibus decisiones in Rota fa-
3 ctæ*, Nec obstat, quòd † sententia, quæ ex actis non iustificatur, est iniusta & nulla, *Pute. decis.* 401. *in causa Toletana matrimonij. lib.* 1. quia hoc procedit, nisi iustificetur, vt ibidem tenuit Rota, non enim sumus in illis casibus specialibus, in quibus sententia ex eisdem est iustificanda, prout in Aegidiana, & in sententia excommunicationis, & ideo hæc iustificatio non facit, vt sententia prius iniusta efficiatur iusta ex nũc post iustificationem; sed facit, vt sententia, quæ ex tunc erat iusta, licèt non appareret, detegatur iusta; & ideo non impeditur quo minus transierit in iudicatum, & pos-
4 sit exequi: Absurdum enim esset, † quòd sententiæ validitas staret in suspẽso; & ideo *Abb. in c. in litteris. de off. deleg. num.* 4. di-
5 cit, † conditionem suspensiuam, vel resolutiuam vitiare sententiam. Quantum verò ad condemnationem in fructibus, poterit super hac re capi aliquod temperamentum in liquidatione.

* iam pluries corã R. P. D. Gropero quàm coram R. P. D. Robusterio, & coram eod Ill. D. Seraphin. sub die 30. April. anni præteriti, vbi dictũ fuit, Condare de lapsu quadriennij causæ restitutionis.

Placentina Parochialis.
Die Veneris 28. Iunij 1585.

SVMMARIVM.

1 *Prouisio Parochialis ab Ordinario intra sex menses fieri debet, aliàs Papa in conferendo præuenire potest, tam potestate ordinaria, quàm vigore bullæ Pij V. reseruantis beneficia, de quibus per Ordinarios collatores intra sex menses non fuit facta prouisio.*

2 *Obseruantia c.18.24. sess. de reform. in Concilio Tridentino fieri debet iuxta terminos bullæ Pij Quinti.*

DECISIO DCCII.

1 Fvit resolutum, † gratiam Domini Bartholomæi esse canonizandam, cum Papa in collatione huiusmodi parochialis præuenerit, cum enim vacasset 19. mensis Decembris, quo tempore Reu. Episcopus habebat litteras suæ promotionis ad Episcopatum in manibus, & habuerat notitiam vacationis huius parochialis 25. eiusdem mensis, vt ex eiusdem depositione constat, vtique sex menses dati in Bulla fel. rec. Pij Quinti ad faciendum concursum & prouidendum, etiam quòd præsupponamus eos incipere non à die vacationis, sed à die scientiæ, durabant vsque ad 25. Iunij 1582. Quare cum approbatio examinatorum fuerit 28. Iunij, & prouisio Episcopi 3. Iulij, vtrunque extra tempus, & post sex menses datos à Pio Quinto, intra quos vtrunque expediri debebat; intrat prouisio Bartholomæi sub die 1. Iulij, cum Papa tam potestate ordinaria præuenire possit *c. dudum.* & *c. si à sede. de præbend. in* 6. quàm vigore bullæ Pij V. reseruantis beneficia huiusmodi, de quibus non fuit facta prouisio intra sex menses. & hæc respectu subsequutæ prouisionis Episcopi potest diei præuentio iuncta reseruationi. Non obstat *dispositio Con-*
2 *cilij, sess.* 24. *cap.* 18. *de reform.* quia † eius obseruatio debet fieri iuxta terminos bullæ Pij Quinti, cuius dispositio est clara; & ideo non habet locum in casu isto, in quo lapsum erat tempus sex mensium. Quòd Episcopus nondum fuisset assequutus possessionem Episcopatus non releuat ex his, quæ deducta fuerunt coram Illustrissimo Lancellotto in causa Burgen. Canonicatus 28. Iunij 1583. maximè cum haberet per multos dies ante vacationem litteras suæ promotionis in manibus. Vltimo non obstat, quod deducitur de iure quæsito ex oppositione & examine, quia id procedit in terminis statutorum quarundam Ecclesiarum patrimonialium, non in casu isto, in quo ex dispositione bullæ supradictæ intra sex menses requiritur, quòd quis fuerit & examinatus & prouisus de beneficio, aliàs eius dispositio ad solum Papam spectat, Et ex his cessant omnia ex aduerso deducta.

Romana Domus in Transtiberim.
Die Lunæ 1. Iulij 1585.

SVMMARIVM.

1 *Emphyteusis ecclesiastica regulariter non transit*

transit ad heredes extraneos, & hoc est introductum fauore Ecclesiæ, quod procedit, quando formalis emphyteusis fuit constituta & creata in personam eius, cui fuit concessa; secus est, si non intersit Ecclesiæ, an ij, qui succedunt sint extranei vel de generatione, cum tunc æquior sit opinio, quòd transeat in quoscunque.

2 *Stipulatio concepta pro se, &c. extenditur pro quibuscunque successoribus.*

DECISIO DCCIII.

Fvit decisum domum spectare ad Thadæum hæredem institutum non autẽ ad
1 Magdalenã filiã Antoniæ, quia † licèt emphyteusis ecclesiastica regulariter non trãseat ad hæredes extraneos, *vt per Clar. in §. emphyteusis. q. 28. cũ alijs allegatis**, & in generatione, sub qua erat concessa Innocentio, comprehendantur filię, ideoque translato iure Innocentij in Antoniã videatur trãslatum cum ijsdem qualitatibus, & sic in fauorem Magdalenæ, licèt non sit hæres instituta; *Capic. decis. 64. Pute. 390. lib. 1. cum alijs*, ° tamen hoc procedit si formalis emphyteusis fuisset cõstituta & creata in personam Antonię & suam generationem, sed cum generatio Antoniæ iuxta decisiones factas non fuerit habita in consideratione sed generatio tantum Innocentij, vtiq. ex forma concessionis nullum ius fuit quæsitum Magdalenæ, nec generationi Antoniæ nisi vti hæredi; Ideo cum id, quod dicitur, emphyteusim non transire in extraneos, sit introductum fauore Ecclesiæ, non potest hoc applicari quæstioni nostræ, cum non intersit Ecclesiæ, an ij qui succedunt Antoniæ, sint extranei vel de ipsius generatione, quo casu æquior est opinio, quòd trãseat in quoscunque, *vt ibidem tradit Clar. vers. tertio modo*. Accedit, quòd ipsa est prima acquirens ex sua propria substantia, & in stipulatione non est specificè stipulata
2 pro filiis, sed pro se, &c, † quæ clausula extenditur pro quibuscunque successoribus; ideo succedunt tradita *per Doctores, quos refert idem Clar. q. 16. per tot. maximè num. 2.* & sic cessant, quę ex aduerso deducta fuerũt.

* de magis communi Socin. in cons. 121. nu. 18. vol. 4. Collegium Papiẽse inter consilia Cancellariæ latè cõs. 41. Rota apud Guidobon. in libro suarum resolut. resolut. 3. Caputaq. decis. 184. emphyteusis. lib. 1.

° Crescent. decis. 54. lib. 2. & fuit resolutum in Atien. feudi de anno 1583. coram bo. me. Illustriss. Lancellotto.

Fauentina Bonorum.
Die Lunæ 14. Octobris 1585.

SVMMARIVM.

1 *Testes nimis animosè deponentes redduntur suspecti, nisi cum eorum dictis concurrant adminicula.*

DECISIO DCCIV.

Fvit conclusum testes Cõmunitatis probare articulum decimumnonum circũscriptis exceptionibus, nempe quartum, quintum, sextum, nonum, vndecimum & penultimum, qui dicunt articulum verum; & duo nempe quartus, & penultimus percutiunt sexaginta, & quinquaginta annos, re-
1 liqui triginta, & triginta quinq. † & licèt obijciatur eos animosè deponere, tamen pro adminiculo considerantur circumstantiæ, nempe vicinitas monachariæ de Pomposia, instrumenta à Communitate producta, & quòd Madratia secundum Canonicos est in Plebatu Panigalis, hæc verò loca in Plebatu Cesatæ; tamen quia in contrariũ deducuntur alia iura & instrumenta; maximè inuestitura Pomposianorum facta Manfredis de anno 1295. & difficultas est super collocatione petiarum in ea contentarum, Domini ordinarunt, vt dubitetur, an dictæ petiæ possint collocari in loco, de quo agitur, vel si magis videtur Communitati, cui datur electio in hac disputatione; Videatur an probetur negatiua, quòd istæ petiæ non possint collocari iuxta flumen ex parte Cagazoli, Castellinæ, & Tumbarum, vel videantur exceptiones testium, prout magis expedire pro causæ directione videbitur.

Castren. Taxarum.
Die Mercurij 16. Octobris 1585.

SVMMARIVM.

1 *Error in transactione excludit consensum, maximè si versatur circa causam obligatoriam, sine qua quis non fuisset se obligaturus; & hoc procedit, etiam quòd in transactione adsint clausulæ prægnantes.*

2 *Exemptio concessa à solutione taxarum sine derogatione regulæ de iure quæsito non toll. non impedit eum, qui est in quasi possessione exigendi taxas, quin possit in exactione continuare pendente lite, & num. 4.*

3 *Error in transactione, quando non est certus & clarus, non impedit exequutionem obligationis Cameralis.*

5 *Error tunc dicitur non esse clarus, quando circà illum viget diuersitas sententiarum.*

DECISIO DCCV.

Dvbitaui an transactio inita inter Excellentiss. D. Ducẽ Parmæ & Reu. Collegium Dominorũ Secretariorum sit nulla, vel potius exequenda: Difficultas orta est ratione quarundã taxarum, quas olim Innocentius VIII. applicauerat Collegio dd. Dominorũ Secretariorum super quibusdam officijs in quodam quinterno descriptis cũ decreto, quòd si contingeret ipsa officia nõ extare, vel concedi alicui S.R.E. Cardinali, vel consanguineis, vel aliquo modo in parte vel in totum tolli & diminui; itaut taxę prędictæ commodè sine strepitu non decenti exigi non possent, Camera Apostolica teneatur soluere & satisfacere ipsis de omni summa, quã prædictis de causis amisissent: Deinde fel. re. Paulus III. Pontifex Maximus inuestiuit bon. mem. Excellentiss. D. Petrum Aloysiũ & eius filios, & successores de

de Ducatu Castri de anno 1537. Demum de anno 1539. concessit eidem nonnulla priuilegia, & inter extera exemptionem à solutione taxarum quibuscunq; debitarum, etiã Secretarijs Apostolicis occasione Ducatus Castrensis, & aliorum locorum ei concessorum, mandans Camerario, Decano, Præsidenti, & Cameræ Clericis, vt eisdem secretarijs pro huiusmodi taxis debitam & congruam recompensam tradant: De anno 1563. Domini Secretarij egerũt contra Excellentiss. D. Ducem Octauium pro consequutione istarum taxarum, quæ à quamplurimis annis citra nunquam solutæ fuerant, & demum deuentum fuit ad quandam trãsactionem, in qua dicitur, quòd cũ sit, quòd Officiales quorundam locorum ibi specificatorum soluere teneantur taxas, quas à quamplurimis annis citra non soluerunt; ideo volens d. Excellentiss. D. Dux illas imposterũ soluere ad euitandas lites &c. obligat se in futurum ad earum solutionem, & vice versa Domini Secretarij taxas præteritas & non solutas ei remittunt & condonãt: Agentibus modo prædictis DD. Secretarijs coram Illustrissimo D. Auditore Cameræ vigore dictæ transactionis ad consequutionem istarum taxarum, fuit ex aduerso per Agentes Excellentiss. Domini Ducis oppositum de nullitate transactionis; & de partium consensu propositum dubium prædictum in Rota, & pro parte eiusdem D. Ducis deducta fuit nullitas ex capite erroris, cum enim affirmatiuè dictum fuerit in trãsactione Officiales Domini Ducis teneri ad solutionem istarum taxorum, à quibus tamen per priuilegium exemptos fuisse constat, apparere de errore facti, cum Dominus Dux stante hoc præsupposito, quod falsum esse dignoscitur, sese obligauerit ad solutionem taxarum; Clari autem iuris esse,
1 † errorem excludere cõsensum, maximè vbi error versatur circa causam obligatoriam, sine qua quis non fuisset se obligaturus, *vt bene per Bart. Fulgos. Castr. in l. si cum te. de pact. latè fuit comprobatum coram me in causa Prænestina hereditatis de anno 1575.*[a] *& in vna Viterbien. coram R. P. D. de Grassis de anno 1574.*[b] Nec obstare, clausulas prægnantes transactionis, & quòd facta fuerit in ea mentio inuestituræ, nec non renunciatum omnibus rescriptis etiam in forma motusproprij impetratis & impetrandis; quia omnia ista fiunt sub eadem erronea expressione, quæ dedit causam huic transactioni; Et ideo cõcludebatur pro hac parte transactionem corruere, cum sit sine consensu, *l. 1. de pact. l. si per errorem. de iurisd. omn. iud. l. nihil consensui. de reg. iur. cũ similib.* In contrarium deducebatur, effe-
2 ctum dubij esse, † An impedienda esset exequutio; & non esse impediendam conclusum fuit, quia iste error non est adeo certus & clarus, vt reddatur euidenter nulla transactio, potissimum inspecta bulla fel. re. Clementis VII. in qua imponitur onus dominis & possessoribus Castrorum alienatorum, vt pro Ciuitatibus, Oppidis, & locis alienatis, vel oppigneratis, seu donatis soluant taxas Dominis Secretarijs debitas, cũ trãseant dicta loca in emptores & alios, cum onere suo, & cũ ex ista bulla fuerit ipsis iusquæsitum, non esse attendendum priuilegiũ Excellentiss. Ducis, cũ in eo non sit derogatum regulæ de non tollendo iure quæsito. Causa iterato proposita, Domini quantum ad negotium principale, nempe an transactio sit nulla, nõ fuerunt concordes; sed ad effectum exequutionis obligationis Came-
3 ralis dixerunt † errorem hunc non esse clarum, cum dubitari possit, an satis sit fundata intentio Excellentiss. Domini Ducis super priuilegio, stante bulla Clementis, in qua adest longa narratiua, in qua exponitur Papæ ob alienationem Castrorum & locorũ prædictorum esse diminutas taxas; & ideo Papa ad tollendas lites declarat ac constituit, vt in posterum pro Castris & locis alienatis possessores teneantur: Quamuis igitur demus, quòd ex concessione Innocentij ius tale non esset quæsitum Dominis Secretarijs, vt possent molestare possessores, sed tantummodo daretur eis recursus ad Cameram; tamen ex Constitutione Clementis videtur onus hoc translatum in possessores locorum & Castrorum; & Cameram tantũmodo teneri pro his, quæ occuparentur à Thesaurarijs, Dohanerijs, & alijs Cameræ
4 Apostolicæ officialibus; † ideoq. necessa-
5 riam videri regulæ derogationẽ, † & diuersitatem sentẽtiarum Dominorum satis præstare argumentum, quòd iste error non est clarus, & eo magis ad effectum, de quo agitur, releuare non videtur, cum præter obligationem Cameralem adsit quasi possessio exigẽdi, qua stante pẽdente causa super nullitate transactionis non debent Domini Secretarij priuari commodo quasi possessionis exigendi taxas. Ideo conclusum obligationem Cameralem esse exequendam; An verò transactio sit nulla, amplius deliberandũ.

[a] alias præne stina transactionis 28. Nouembris 1575.

[b] in Viterbien. transactionis 15 Ianuarij 1574. coram R. P. D. Cesar. de Grass. quæ in impress. est 2. tit de transaction.

Burgen. Iurisdictionis.
Die Veneris 25. Octobris 1585.

SVMMARIVM.

1 *Renunciatio iuris proprij magis sapit gratiam, quàm iustitiam.*

2 *Renunciatio, quæ reducit negotium ad dispositionem iuris communis, non potest dici propriè donatio; secus si renunciatio, quæ fit, sapiat potius gratiam quàm iustitiam.*

3 *Renunciatio actionis & concordia à Sede Apostolica confirmata, sapit donationem.*

4 *Statutum recipit interpretationem à iure communi passiuam.*

DECISIO DCCVI.

Fuit vnanimiter per omnes Dominos cõclusum statutum sub nu. 3. non intrare, nec releuare in casu & ad effectum, de quo agitur, nam Statutum prædictum non est vniuersale pro omnibus negotijs, sed restrictum ad Congregationes, quæ fiũt pro exequutione litterarum Apostolicarum & tractatus iustitiæ, quorum neutrum applicatur casui, de quo agitur, non quidem exequutioni litterarum Apostolicarum; quia illæ iam fuerunt vsu receptæ, & iuxta illarum formã solebant deputati iudices; Neq; tractatui iu-
1 stitiæ, cum † renunciatio iuris proprij magis gratiam quàm iustitiam sapiat, *Tiraq. in l. si vnquam. in verb. donatione largitus. post nu. 173. C. de reuoc. donat. cum alijs alle-*
2 *gat.* [a] Neq; facit ad rem, quòd † hæc renũciatio, quia reduxit negotium ad dispositionem iuris communis, non possit dici propriè donatio, quia præterquam quòd stante cõfirmatione Apostolica, hæc sententia non careret difficultate, per ea, quæ *fuerunt coram me deducta in Gerunden. Anniuersariorũ.* [a] satis est ad effectũ de quo agitur, quòd negotiũ huiusmodi nõ erat iustitiæ; nam quãuis ageretur de extinguenda & sopienda lite, tamen non sufficiebat renunciare liti & causæ, sed renunciandum erat actioni & cõ-
3 cordiæ à Sede Apostolica confirmatæ, † quæ res sapit donationẽ, *vt post alios tradit Ias. in l. si pro fundo. n. 10. C. de transaction.* & hoc est, quod prætenditur factum pro parte Reuerendiss. Archiepiscopi. Quòd autem statutum voluerit complecti omnes casus,
4 satis conuincitur ex statutis 16. & 17. † Vnde apparet, quòd recipere debet interpretationem passiuam à iure communi, itaut non habeat locum in materijs, in quibus requiritur omnium consensus, *vt in ista causa resolutum fuit,* [b] *per ea quæ notant Doctores in c. cum omnes. de constitut. Paris. cons. 90. nu. 18. lib. 4.* Neq; ex hac interpretatione redditur statutum superfluum, cum saltem aliquid addat, vel declaret respectu iuris communis in eo, quod mandat votari per fabas, *Abb. in c. Ecclesia vestra. n. 7. de election. Bero. cons. 150. n. 26. cum seq. lib. 1.* Au verò vltimi actus Capitulares pro parte Archiepiscopi allegati, fuerint de consensu omnium gesti, est alterius speculationis, & de hoc particulariter erit agendum.

[a] Adde Calcan. consi. 25.

[a] sub die mercurij 6. Iunij 1582.

[b] sub die 22. Iunij 1584. coram Domino de Rubeis.

Illerden. Augmenti.
Die Mercurij 30. Octobris 1585.

SVMMARIVM.

1 *Statutum per Canonicos factum in propriũ commodum, & præiudicium tertij, non tenet, cum nemo sibi ius dicere possit; maximè ius tertij diminuendo, & præsertim in iure quæsito & præscripto per immemorabilem: quod declaratur procedere, quando statuitur de re communi inter alios; secus est si de re solum ad Canonicos spectante, vt nu. 4. & seq. in fin.*

2 *Tempus vltra centum annos æquiparatur immemorabili præscriptioni, si concurrat bona fides.*

3 *In præscriptione immemorabili licet cuicunq; titulum allegare.*

4 *Capitulum potest statuere super his, quæ ad illud pertinent secundum indigentiam.*

5 *Habens meram administrationem in bonis alterius non habet ius contradicendi, si dominus super eisdem bonis ad sui vtilitatem aliquid statuere velit, etiam si administrator aliquid pro labore percipiat; secus tamen esset, si res esset communis inter dominum & administratorem.*

6 *Præscriptio etiam immemorabilis non habet locum de iure Canonico nisi cum bona fide.*

7 *Solutio pretij, quod loco alimentorum soluitur, immutato rerum pretio immutari potest; cum omnis dispositio intelligatur rebus sic stantibus.*

8 *Statutum ex iusta causa contra aliquem specialiter conditum in eius præiudicium tenet.*

DECISIO DCCVII.

Fuit dubitatum, an statutum editum à Canonicis & Capitulo Illerden. Anno 1579. valuerit in præiudicium Præpositorũ dictæ Ecclesiæ: Sciendum est pro intellectu dubij bona mensæ Capitularis Illerdensis Capituli fuisse Anno 1168. donata à Guglielmo tunc temporis Episcopo, & eorum administrationem datam duodecim Clericis, quos Præpositos appellari voluit, cum onere ipsis iniuncto præstãdi alimenta & victum Canonicis, itaut singuli eorum, singulis mensibus hæc alimenta subministrare tenerentur, fuitq. tunc temporis taxata quãtitas panis, vini, & carnium cuilibet Canonicorum, & alijs dignitatibus præstandorũ, & hæc omnia confirmata fuerunt per fe. re. Alexandrum V I. Procedente tempore fuit facta commutatio harum specierum in pecunia numerata; deinde cum auctis rerum venalium pretijs non sufficeret dicta pecunia ad comparandum victum, fuit per statutum Canonicorum aucta pecuniæ quantitas iuxta exigentiã: Postremo anno 1579. cum pretia rerum multũ aucta fuissent, per Capitulum & Canonicos fuit editum statutum, & aucta quantitas pecuniarum præstandarum per Præpositos, à quo statuto appellarũt Præpositi, & causam in Rota introduxerũt,
1 † prætendentes hoc statutum in eorum præiudicium non tenere, cum sibi ipsis & in proprium commodum Canonici nõ potuerint

rint ius dicere, & auctoritatem impartiri
statuto per eos condito, *Rota 3. de reb. Ec-
cles. non alien. Dec. in c. cum accessissent. de
constitut. nu. 54. & ibi Felin. nu. 22. cum
alijs*; * maximè ius aliorum imminuendo,
*Anchar. in cons. 298. n. 3. & fuit dictum in
causa Gerunden. Anniuersariorum coram
me 15. Nouembris 1582.* Præterea ab anno
1461. quo statutum augmenti fuit per Præ-
positos acceptatum, fuit semper facta vni-
formis solutio per tempus Annorum 124.
itaut videatur istud ius acquisitum, & præ-
2 scriptum *Aym. in cons. 111. n. 7. & 25.* † ma-
ximè cum hoc tempus æquiparetur imme-
3 morabili præscriptioni, † in qua licet quē-
cunq; titulum allegare, *vt per Gabr. concl.
1. n. 71. de præscript.* præsertim cum istæ Præ-
positurę redactæ fuerint ad titulum benefi-
cij etiam per Collatores Apostolicos. His //
tamen non obstantibus, Domini cum præ-
supposito, quòd statutum fuerit factum ex
iusta causa indigētiæ Capituli ob pretia re-
rum notabiliter aucta, censuerunt statutū
4 fuisse validum; nā explorati iuris est, † Ca-
pitulum posse statuere super his, quæ ad ip-
sum pertinent, *glos. in c. 2. in verb. statutum.
de verb. sign. lib. 6. quam referunt & sequun-
tur Ant. de Butr. & Imol. in c. cum omnes. de
constitut. & ibi Felin. n. 9. ad fin. & num. 10.
vers. quarto est aduertendum, & Abb. in c.
5 cum consuetudinis. de consuetud.* † Statutum
verò de quo agitur, est de bonis spectātibus
ad Capitulum, quorum meram administra-
tionem habent Præpositi ad vtilitatem Ca-
nonicorum; & ideo non habent ius confide-
rabile contradicendi, *glos. in l. pecunia. &
ibi Bart. de aliment. & cib. legat. Roman. in
cons. 227. nu. 12.* etiam si aliquid pro labore
percipiant, *Bald. in l. nulli. n. 2. C. de Episc.
& Cler.* quod etiam obseruatum fuit, cum
sæpius Canonici super istis redditibus con-
diderint statuta, quæ obseruata fuerunt, vt
in facto deducitur; Ideo non applicatur de-
cisio in causa Gerundensi; cum ibi ageretur
de re communi inter Capitulum & benefi-
ciatos. Neq; potest prætendi præscriptio
6 vllius temporis, † quæ de iure Canonico
nunquam habet locum nisi cùm bona fide;
habemus enim certum initium huius admi-
nistrationis, & plures reformationes factas
per Capitulum, & à Præpositis obseruatas,
& licèt continuo tempore 124. annorum, vt
asseritur, vniformis fuerit solutio; tamen
7 † ista solutio immutato rerum pretio im-
mutari iure potuit, cum omnis dispositio
intelligatur rebus sic stantibus, *vt in simili
materia præstationis alimentorum fuit dictū
corā me in vna Cæsaraugustana alimentorū*
* Nec debent conqueri Præpositi de huius-
modi augmento, cum etiam fuerint aucti
redditus Præpositurarum, & nihilominus
8 † statutum ex iusta causa contra aliquem
specialiter conditum tenet in eius præiudi-

cium, *vt dicit Ang. in l. impetrata. C. senten.
rescind. non poss. sequitur Felin. qui alios ci-
tat in d. c. cum omnes. n. 2. de constitut.* Et ita
pro validitate statuti conclusum.

Burgen. Iurisdictionis.
Die Veneris 15. Nouembris 1585.

SVMMARIVM.

1 *Protestatio facta ab vno ex Canonicis in
Capitulo sufficit, ad effectum quòd actus
non possit dici factus nemine contradi-
cente.*
2 *Exeuntes de Capitulo faciunt, quòd clarè
appareat de contradictione exeuntium.*
3 *Factum in Capitulo à maiore parte impe-
diri non potest, quòd non sit validum;
secus est in ijs, quæ sunt voluntaria, &
requirunt consensum omnium.*
4 *Vbi ad actum gerendum conuocati non con-
tradicunt, consentire videntur, sed hoc
procedit in dubio; secus si clara appareat
contradictio.*
5 *Tacens quando præsumatur consentire vel
dissentire ex circumstantijs facti & ex
coniecturis, potest iudex arbitrari.*

DECISIO DCCVIII.

FVit dubitatū, An actus Capitulares de-
ducti pro parte Reuerendiss. Archiepi-
scopi dicantur à toto Capitulo facti, vel à
maiori parte tantum ad effectum, de quo
agitur, qui est, vt per hos actus dicatur renū-
ciatum concordiæ Alexandrinæ. Et fuit per
Dominos nemine contradicente conclusum
non posse dici factos ab omnibus, sed à ma-
iori parte tantum; nam actus factus sub die
16. Iulij 1580. habuit sexdecim fabas pro
vna parte, & pro alia 19. adeo quòd apparet
manifesta contradictio: Vltra quòd adest
etiam expressa protestatio Canonici Ioānis
1 Clementis, † quæ sufficeret ad hunc effectū,
*Rub. Alexan. in l. non solum. §. morte. nu. 212.
& ibi Crott. n. 47. & 48. de nou. oper. nunc. cū
alijs deductis in resolutionibus factis* * *super
protestationibus Canonicorū, qui concordiam
Alexandrinam defendebant*. Neq; obstat,
quòd notarius in fine actus dicat, quibus
attentis remansit diffinitum & decretum,
quòd non prosequeretur dictum negotium
Iurisdictionis, & Iudices quatuor temporū
sese exonerauerint, quia non possunt hæc in-
telligi alio modo, quam eo, quo fuerat ne-
gotium per scrutinium determinatum, in
quo sexdecim Canonici erant in voto, quòd
differeretur totum negotium Iurisdictionis
vsq; ad aduentū noui Archiepiscopi; Cæteri
verò, quòd absolutè non deberent prosequi
hanc litem; adeo quòd verum est dicere, cō-
clusum fuisse, vt negotium non prosequere-
tūr, sed eo modo quo conclusum fuit. Neq;
potest hæc loquutio indefinita tollere facti
veritatem, quæ distinctè in ipso actu conti-
netur.

* Abb. in c. in genere nu. 2. de electio. Card. cons. 211. in princ. Oldrad. cōs. 271. sub nu. 14.

* sub die Sabbati 23. Ianuarij 1574.

* coram R. P. D. de Rubeis sub die 27. Aprilis & 3. Iunij 1585. vbi allegatur Bart. in l. de pupillo. §. si quis ipsi Prætori in terria oppos. de oper. nou. nūc. Pute. decis. 418. fuit dictum lib. 2. cum alijs vt in dicta decis. 3. Iunij.

netur. Neq; obstat, quòd Iudices quatuor temporum sese exonerauerint, nam si erat differendum negotium vsq; ad aduentum Archiepiscopi saltem ex omnium sententis, vtiq; non erat quicquam circa deputationē iudicum innouandum: Actus verò factus sub die 18. eiusdem mensis continet manifestam contradictionem Archidiaconi, & illi adhærentium, cum expressa protestatione Ioannis Clementis, & nihil in eo concluditur, sed tantum deputantur à Scholastico tres, qui respondeât petitioni Archidiaconi: Actus verò sub die 22. Iulij continet tantum responsionem deputatorū factam Archidiacono & adhærentibus, quā postea sub die 27. Iulij Archidiaconus denuo cum protestatione impugnat, & eo cum suis adhærentibus exeuntibus à Capitulo, reliqui approbarunt quidem responsionem datam Archidiacono & suis adhærentibus,
2 † sed clarè apparet de contradictione eorū,
3 qui exierunt, † qui quamuis in alia materia non possent impedire factum à maiori parte, in ista tamē, quæ est voluntaria, & requirit omnium consensum, reddit actum inualidum, vt iam fuit in hac causa conclusum, [a] & *tradit Barth. Brix. quæst. domin. 75. cum alijs per informantes allegatis*, [b] Vltra quòd numerus Canonicorum, qui remanserunt in Capitulo non constituit maiorem partem, vt ex alijs actibus colligere licet, *ad not. in l. nulli. quod cuiusq; vniuers. Puts. decis. 434. lib. 2. cum alijs*, [c] maximè cum tractatum fuerit, vt exirent Archidiaconus & sui adhærentes, neq; sponte exierint, *Bart. in l. omnes populi. nu. 17. de iust. & iur. & ibi Caccialup. n. 39. Abb. in c. cum omnes. nu. 7. Felin. n. 22. de constitut. cum alijs.* [d] Neque obstat, quod deducitur *ex doctrina Innocen. in c. 1. n. 4. de his quæ fi. à maio. part. Capit. & Abb. ibid. nu. 13. cum alijs congestis per In-*
4 *formantes*, [d] quod † vbi ad actum gerendum conuocati non contradicunt, consentire videntur; quia hoc procedit in dubio, non autem vbi clara apparet contradictio, vt in
5 actibus allegatis, & † ista materia tacentis, quando inducat præsumptionem consensus, declaratur ex circumstantijs facti, & coniecturis, ex quibus arbitrari potest iudex, an taciturnitas pro cōsensu vel pro dissensu sit habenda, *vt post alios quos allegat, tradit Felin. in c. nonne. nu. 6. de præsumpt.* quòd autem semper maior pars contradixerit apparet, quia in actu sub die 18. Ianuarij 1581. in quo iterato in Capitulo fuit propositum, An negotium Iurisdictionis esset prosequendum, fuit per vigintitres fabas albas conclusum, quod non, contradicentibus decem & septem nigris, Ex quibus liquidò apparet negotiū semper fuisse cōtrouersum, neq; posse dici de omnium consensu fuisse in istis actibus conclusum, vt Capitulum non prosequeretur litē super negotio iurisdictionis.

a sub die 4. Maij 1582. coram eod. Rubeo.

b Adde Lap. allegat. 85.

c Dec. post alios in c. cū omnes in 1. lectur. n. 35. de constitut. & ita in terminis sentit Abb. in c. cū nobis. post num. 10. de election. qui casum hunc decidit.

d & facit Bald. in l. 1. C. de monop. Doctores in l. si qua à filio. de leg. 2.

d Adde Felin. in c. nonne. de præsumpt.

In eadem Burgen. Iurisdictionis.
Die Mercurij 27. Nouembris 1585.

SVMMARIVM.

1 *Ex scientia superueniente vltimo tempore non potest deduci scientia de tempore præcedenti.*

2 *Rescriptum confirmationis concordiæ, in quo vtraq; pars est supplicans, non indiget verificatione.*

3 *Impugnatio, in qua quis succubuit allegata non suffragatur.*

DECISIO DCCIX.

QVia causa est grauis, proposui de ordine Dominorum memorialia data pro causæ expeditione loco causæ, & Dominis examinatis dubijs petitis pro parte Reu. Archiepiscopi censuerunt causam satis superq. discussam fuisse, & vt aliquando litium exitus inueniatur, expediendam esse. Non obstat primum dubium petitum super errore, cum prætendant informantes pro Archiepiscopo docere ex actibus vltimo loco coram me deductis, Capitulum nunquam per errorem à cōcordia resilijsse, immo certam habuisse notitiam, concordias confirmatas à Concilio non fuisse sublatas; & ideo prætextū erroris ei non potuisse suffragari; quia præterquam quòd nunquam Rota ex solo errore mota est ad ita iudicandum, sed ex multis alijs circunstantijs, quas videre est in copia decisionum, consideratum fuit
1 † ex scientia, quæ superuenit hoc vltimo tēpore non posse deduci scientiam de tempore præcedenti, cum multa fuerint facta aliàs decreta à Sacro Concilio Tridentino, & in hac Curia aliquando fuerit de hac re dubitatum, immo etiam per Sacram Congregationem declaratum omnes concordias sublatas fuisse: Vnde nil mirum, si res potuit esse apud Capitulum incerta; cum de ea in Curia Romana ambigeretur, non obstante Achillis decisione. Non obstat secundo dubium petitum super contrarietate statutorum; quia de hac re pluries actum, & tandē resolutum contra Archiepiscopum, & in omnem euentum si aliqua adesset contrarietas, ea nihil aliud potest operari quàm tacitam renunciationem, quæ eatenus sese porrigit, quatenus actus ipsi, ex quibus colligi prætenditur, sese extendunt: Vnde eū Capitulum non recuset, quo minus obseruētur statuta, nihil releuat huiusmodi oppositio. Non obstat tertio, quod deducitur, concordiam nunquam fuisse vsu receptam, immo semper fuisse à Capitulo oppugnatam, & ad eius verificationem Capitulum
2 teneri; quia cum † confirmatio concordiæ fuerit tam per Episcopum quàm per Capitulum de anno 1492. impetrata, non indiget

verificatione rescriptum, in quo vtraq; pars est supplicans, & deinde fuerunt lites per viginti & amplius annos: Quibus postea renouatis, ex quo Episcopus omnimodam iurisdictionem; Capitulum verò omnimodam exemptionem prætendebant, post multas altercationes & discussiones fuit tandem de anno 1563. vel 1564. datum à Rota mandatum de manutenendo Episcopo iuxta formam concordiæ Alexandrinæ, & Episcopus absolutus à prætensione Capituli omnimodam iurisdictionem allegantis: & hinc deducitur alia acceptatio con-
3 cordiæ vltra primam. Neq. obstat † Capituli impugnatio, cum in ea non obtinuerit, sed succubuerit, vt pluries fuit resolutum, [a] Neq; obstat, quòd lites fuissent antea per aliam concordiam ab Innocentio confirmatam ante quatuor annos sublatæ; quia ex hoc satis verificantur lites, cum postea dicta concordia fuerit per eundem reuocata, & omnia in pristinum statum restituta: vnde satis in re antiquissima, quatenus opus esset iustificatione, iustificatur lites ad fuisse, quod non inuerisimile est, si consideremus perpetuam ferè per centum annos contentionem inter Episcopum & Capitulum, demptis illis tantum viginti annis proximè concordiam Alexandrinam sequētibus. Ex quibus conclusum per Dominos causam esse expediendam.

[a] presertim coram cod. Illustriss. Seraphino in Taurinen. Proratus 20. Maij 1583.

Carthaginen. Iurisdictionis.
Die Mercurij 27. Nouembris 1585.

SVMMARIVM.

1 *In delictis leuibus Episcopus potest contra Capitulares de iure communi solus procedere; secus est vigore Sacri Concilij Tridentini c.6.sess.25. de reform. vbi cum adiunctis procedere debet tam in leuibus quàm in grauibus, vt n.4.*

2 *Episcopus in leuibus, in quibus non est opus tela iudiciaria, etiam ex officio procedere potest contra Capitulares.*

3 *An casus sit grauis vel leuis, à iudicantis arbitrio pendet.*

DECISIO DCCX.

Dubitatum fuit, an in causis leuibus teneatur Reu. Dominus Episcopus procedere cum adiunctis iuxta formam Concilij Tridentini *c.6.de reform.sess.25.* Et dif-
1 ficultatem faciebat, quòd † de iure communi in leuibus solus Episcopus posset procedere, *c. 1. c.licèt. & c.irrefragabili. §.excessus. de off.ordinar. Et Concilium in d. c.6.in fin.* præseruat Episcopis, si quam maiorem auctoritatem ex priuilegijs, constitutionibus, aut consuetudinibus, siue concordijs, seu quocunq; alio iure habent: Tamen hoc non obstante Domini conueniebant in hoc, quòd in omnibus casibus tam grauibus quā leuibus seruanda esset forma Concilij, propter illa verba generalia ibi, In omnibus autem casibus, quod etiam probari videtur ex eo, quòd considerat ibi Concilium diuersitatem qualitatum delictorum & personarū delinquentium: Item, quòd considerat Episcopum etiam ex officio procedere posse,
2 † quod in leuibus maximè procedit, in quibus non est opus tela iudiciaria, *Bart. & Alex. in l.leuia. de accusation. Signorol. in cons.88. nu.5.* & in istis etiam censuit Sacra Congregatio Concilij seruandam esse formam *d. c. 6. in vna Gadicen. Statutorum*, [a] Et hæc in casu, de quo agitur, facilius admittenda esse, cum vigeret consuetudo longissima, licèt non immemorabilis, vt in criminibus omnibus Capitularium extra Ecclesiam commissis, Episcopus cum adiuncto Capituli, in commissis verò intra Ecclesiam, Capitulum procederet ad correctionem sine Episcopo, & quamuis per sententiam Rotalem, hæc fuerint reuocata ad formam iuris communis, tamen illud fuit factum, ex quo tunc temporis extabat declaratio Sacræ Congregationis, quòd Concilium nō habebat locum, nisi in exemptis, sed postea à dicta declaratione fuit recessū, & conclusum habere locum, vbicunq. vigēt priuilegia, statuta, vel consuetudines derogantes dispositioni iuris communis. Neq; obstare preseruationem illam positam in fine decreti, quia non potest intelligi de iure competenti ex dispositione iuris Communis, quod vtiq; erat notum patribus, & absurdum fuisset talem dispositionem preseruare, sciuissent enim disponere, vt seruaretur ius commune, si voluissent, sed de alio iure esse intelligendam competente ex statutis, priuilegijs, consuetudinibus, & alijs similibus à iure communi exorbitantibus: Videntur autem Patres voluisse de medio tollere distinctionem grauium & leuium, quæ nihil aliud erat quàm seminarium di-
3 scordiarum, cum totum hoc, † An casus sit grauis vel leuis à iudicantis arbitrio pendeat, & posset facilè hac ratione ab Episcopis eludi decretum de admittendis adiunctis. Communicaui postea hanc Rotæ sententiam, cum Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino meo Caraffa, qui dixit Rotam optime sensisse, & Congregatio-
4 nem idem sentire, quòd † indistinctè tam in leuibus quàm in grauibus Episcopi teneantur procedere cum Adiunctis.

[a] sub die 17. Iunij 1580.

Racanaten. Bonorum.
Die Veneris 29. Nouembris 1585.

SVMMARIVM.

1 *Notoria iniustitia æquiparatur nullitati,* &

& facit quòd sententia non trãsit in rem iudicatam.

2 *Repudiata hæreditate à filijs primæ vxoris, in ea parte succedunt filij secundæ vxoris.*

3 *Transactio metu facta dici non potest propter existentem præsentiam iudicis seu Gubernatoris.*

4 *Hæres transigentis factum defuncti approbare tenetur.*

DECISIO DCCXI.

FVit conclusum constare de iniustitia sententiæ de partibus latæ contra D. Al-
1 phonsum; & ideo + cum notoria iniustitia æquiparetur nullitati, eam non fecisse trãsitum in rem iudicatam, *vt passim tenet Rota, Chisanen. decis. 178. cum alijs adductis per Informantes:* * Iniustitia autem deducitur ex eo, quòd ex transactione inita inter Hieronymum, & filios, tertia pars bonorum, in qua continentur bona, de quibus agitur, spectabat pleno iure ad Dominum Hieronymum, qui eum decesserit ab intestato relictis Honofrio & Ludouico ex prio-
2 ri vxore, & Alphonso ex secunda, & + præfati Honofrius & Ludouicus repudiarent hæreditatem, vtique ista bona spectabant de iure ad Alphonsum. Quæ in contrarium allegantur, non sunt releuantia, quia varijs respectibus potuit esse lis super istis bonis inter Hieronymum & filios, vt bene in fa-
3 cto deducitur: Neque probatur + transactionem fuisse meticulosam, cum tollatur metus suspicio per præsentiam Gubernatoris. Marchiæ: Læsio quoque non probatur; maximè cum Domini Guidobaldus, & An-
4 tonius, qui sunt in causa, + sint hæredes transigentium, quorum factum approbare tenentur, tam respectu transactionis quàm repudiationis, *l. cum à matre. C. de rei vend.* Ex quibus conclusum pro nullitate sententiæ, & in consequentiam eam non fecisse transitum in iudicatum.

* Innoc. in c. cum Bertoldus. nu. 4. de re iudic. Abb. in c. suborta. nu. 34. eod. tit. Felin. in c. inter cæteras. n. 10. eod. tit. Franc. in c. dilecto. q. 56. de appell. Curt. iun. cons. 172. n. 8. Rota in nouiss. decis. 34. vol. 2.

Burgen. Iurisdictionis Archidiaconatus de Viruiesca.
Die Lunæ 2. Decembris 1585.

SVMMARIVM.

1 *Sententia ante septuaginta annos lata dicitur in forma probanti, si appareat, quòd notarius de ea rogatus erat notarius publicus fidelis, & legalis, & pro tali tentus & habitus.*

2 *Præscriptio iurisdictionis contra Episcopum per vsum longissimi temporis dicitur priuatiua ad Episcopum.*

3 *Sententia cõtra Constitutionem Synodalem dicitur continere notoriam iniustitiam.*

4 *Præsumptio cedit probationi.*

5 *Concilium Tridentinum non tollit sententias & res iudicatas.*

DECISIO DCCXII.

FVit conclusum sententiam esse in forma probanti eum fuerit extracta citato Reuerendissimo Domino Archiepiscopo, & recognita per vnum testem, qui est quartus; nec non alij testes deponant, quòd
1 + notarius de ea rogatus erat notarius publicus, fidelis, & legalis, & pro tali tentus & habitus, quæ sufficere dixerunt in sententia lata ante septuaginta annos; *Pute. decis. 151. lib. 1. & 338. lib. 2.* quæ procedunt de plano iuncta obseruantia, de qua per testes Domini Archidiaconi, fuit item decisum sententiam continere iurisdictionem priua-
2 tiuam ad Episcopum, + ex eo quòd loquitur de iurisdictione acquisita mediante vsu longissimi temporis, & sic per præscriptionem, quæ dicitur priuatiua, *Calderin. de præscript. cons. 2. Felin. in c. Pastoralis. nu. 5. de off. Ordin. Balb. de præscript. part. 1. q. 5. princip. q. 11. num. 8. cum alys per informantes deductis,* * quod etiam admittitur per Dominos scribentes pro Archiepisco-
3 po. Non obstat, quod opponitur + de notoria iniustitia, ex eo quòd sit contra Constitutionem Synodalem, quia hoc respicit petitorium, neque hic potest habere locum præsumptio vsus & obseruantiæ Constitu-
4 tionis Synodalis, + cum præsumptio cedat probationi, quam habemus ex testibus. Non obstant sententiæ, quæ ex aduerso deducuntur latæ per Prouisores Episcopi ante Concilium Tridentinum, quia præterquam quòd non videntur in forma probanti, illæ sunt latæ extra districtum Archidiaconatus, & inter personas non subditas, & pro delictis alibi commissis, neque constat de aliqua scientia Archidiaconi: Quæ verò gesta fuerunt post Concilium non releuant, cum fuerint molestiæ illatæ prætextu decretorum Concilij, quæ dederunt causam huic liti. Quare stante decisione facta nuperimè *coram R. P. D. meo Blanchetto in causa Le-*
5 *gionen. Iurisdictionis*, [a] quod + Concilium non tollit sententias & res iudicatas [b] Domini vnanimiter concluserunt sententiam releuare ad effectum, de quo agitur, scilicet manutentionis; & ideo dixerunt dandum esse mandatum de manutenendo Domino Archidiacono.

* Innocent. in c. auditis. in fin. & ibi Abb. nu. 14. de præscript. Capic. decis. 9. num. 31.

[a] sub die 31. Nouembris proximè præteriti.

[b] & sic habes quod Concilium Tridentinum in casu huius decreti. 20. §. ad hæc sess. 24. non tollit sententias & res iudicatas, nam quemadmodum non derogat immemorabili, quia de ea non facit mentionem, sicut facit in alijs decretis, quando vult illi derogare prout in decreto c. 4. sess. 6. & c. 4. sess. 14. & c. 6. sess. 25. ita & eadem ratione non derogat sententijs & rei iudicatæ, ex quo de eis mentionem non facit, Ias. in l. causas vel lites. n. 4. & seq C. de transaction. Dec. cons. 296 nu 3 post Alex. cons 94. in princ. lib. 2. & Felin in c. super litteris. sub num. 14. stante maximè obseruantia, & exequutione diuturna rei iudicatæ, iuxta c. exposita de arbitr. & l. fin. C. sentent. rescin. non poss. Abb & alij in d. c. super litteris, vbi Felin. d. n. 14. de rescript. Alex. d. cons. 94. & Ias. d. l. causas. nu. 6.

Neapolitana Canonicatus.
Die Lunæ 9. Decembris 1585.

SVMMARIVM.

1 *Clericatus per litteras ordinantis probatur,* licèt

licèt ordinatio habita fuerit à non suo Episcopo, neq; de licentia constet, si tamen ex coniecturis præsumi possit.

2 *Quis non præsumitur tonsuratus in propria diœcesi sui Episcopi sine illius licentia.*

3 *Clericatus probari dicitur ex eo, quòd in sententia sui Ordinarij vocatur Clericus.*

4 *Remissio facta de Curia seculari ad Episcopalem probat Clericatum.*

5 *In materia præsumendi Clericatum leuiores probationes sufficiunt.*

6 *Episcopus ordinans in aliena diœcesi præsumitur de licentia Ordinarij facere, & sufficit licentia generalis.*

7 *Præsumptio licentia ordinandi in aliena diœcesi est præsumptio solemnitatis, non autem substantiæ actus.*

DECISIO DCCXIII.

Ab ista resolutione recessum fuit per decis. tandem sub die 21. Maij 1586.

1 FVit resolutum Clericatum Stephani esse sufficienter probatum, nam † de eo per litteras ordinantis constat: Neq; obstat, quòd fuerit ordinatus à non suo Episcopo, neq; constet de licentia, ea namq; ex multis coniecturis præsumitur; Et primo quia tonsuratus fuit in propria diœcesi sui
2 Ordinarij, † quod nõ est verisimile factũ fuisse sine eius licentia, vt corã me aliàs dictum fuit in vna Hispalen.* Secũdo quia incessit per longum tempus in habitu & tonsura, vt probant testes, sextus, & septimus super
3 tertio articulo: Tertio, quia † in sententia lata per Vicarium vocatur Clericus: Quar-
4 to & vltimo, † adest remissio facta à curia sęculari ad Curiam Archiepiscopalem de eo tanquam Clerico, quæ omnia sunt sufficientia ad inducendam præsumptionem
5 licentiæ, cum simus in materia, † in qua leuiores probationes sufficiunt, *Rota decis. vltim. de fil. presbyter. in nou.* & po-
6 tuit licentia separatim concedi, vt † verisimile est in ordinante in aliena diœcesi, tunc cum non particulares licentiæ dantur ijs, qui volunt suscipere ordines, sed sufficit generalis licentia, quæ datur ei qui ordines confert, quæ facilè præsumitur *Bell. in cons. 46. num. 4. Capit. decis. 4. num. 30.* Accedit etiam ordinantis auctoritas, quæ præsumptionem coadiuuat, *c. nisi essent. & ibi Abb. in primo notab. de praben. Oldrad. cons. 215. num. 9.* maximè accedente tempore satis longo, *glos. in c. peruenit. de empt. & vend. cum simil. bene facit Peregr. decis. 53. Dubitaui in causa*
7 *Astoricen. lib. 1.* & † quòd versamur in præsumptione solemnitatis, non autem substantiæ actus, *iuxta adducta per Aym. de antiq. tempor. part. 3. nu. 2. & 3.* Quantum ad ætatem; licèt ex testibus Ioannis Dominici videretur probari; tamen quia pars contraria super eo ex professo informauit, & cupit particulariter audiri, non fuit capta resolutio, & ob id iterum causam super hoc articulo proponam.

*In Hispalen. Iurisdictionis die 13. Februarij 1579.

Romana Fundaci.

Die Lunæ 9. Decembris 1585.

SVMMARIVM.

1 *Quòd quis solitus sit suas pecunias negotiari ad effectum probandi interesse lucri cessantis, probatur ex negotiatione præcedente earundem pecuniarum.*

2 *Ad probandum interesse lucri cessantis, quòd esset in potentia propinqua, sufficit protestatio cum fide notary, & depositiones proxenetarum in actis etiam parte non citata.*

3 *In actionibus bona fidei non debetur interesse lucri cessantis, quod intelligendum est respectu mora ante litem contestatam contracta; secus est in mora, in qua quis per litis contestationem constituitur.*

4 *Interesse lucri cessantis debetur etiam ad rationem officiorum vacabilium.*

DECISIO DCCXIV.

FVit resolutum satis verificatum esse interesse lucri cessantis pro parte Domini Iulij iuxta requisita *per Paul. de Castr. in l. 3. §. fin. de eo quod cert. loc. Mobedan. in decis. 208. cum alijs,* * nam
1 † quòd Iulius solitus esset negotiari, probatur ex negotiatione præcedente earundem pecuniarum; Item ex litteris patentibus aliorum montium per ipsum em-
2 ptorum: Quòd vellet negotiari, † & lucrum esset in potentia propinqua, probatur ex protestatione facta citato Domino Alexandro, & ex fide Notarij apparet vnà cum depositionibus duorum proxenetarum, quorum dicta etiam parte non citata ad hunc effectum sufficiunt, quia non inducuntur ad deponendum aliquid contra D. Alexandrum, sed ad verificationem damnorum & interesse, sed ad iustificationem tantum protestationis iudicialis, & eorum dicta satis concludunt; maximè attento quòd in istis venditionibus non solent nominari personæ, quæ vendere volunt: vnde benefaciunt *tradita per Aucbar. in cons. 150. Stysell. in l. diuortio. num. 19. solut. matr. Ruin. cons. 104. numer. 8. lib. 4. cum alijs:*

* Pute decis. 240. die 4. Ianuarij, lib. 1. Mohedan. decis. 202. Cagnol. in l. vnic. n. 4. de senten. quæ pro eo quod int.

alijs.[a] De mora nõ dubitatur, cũ agatur de ea,quæ contracta est post litem contestatam & factam protestationem. Quæ in contrarium allegantur facilè tolluntur ex deductis. Nec obstat, quòd fortasse Dominus Iulius non erat ex illis pecunijs empturus montes, quia cum præcesserit protestatio, per quam declarauit mentem suam, & docuit parata esse officia venalia, quæ empturus fuisset, vtiq; hæc sufficiunt,*vt per eüdem Castren. & Ias. in d.l.3.§. vltimo de eo quod cert.loc. Affl.decis.20.nu.2. cum alijs.*[b] Non
3 obstat,quòd † in actionibus bonæ fidei non debetur interesse lucri cessantis *l.si sterilis. §. cum per venditorem.de act.empt.Capic.decis.19. nu.7. cum alijs.* quia primo in facto negatur prætensa societas; & ita fuit resolutum respectu secundæ societatis. Secundo id, quod dicitur de actionibus bonæ fidei,procedit respectu moræ contractæ ante litem contestatam,& de huiusmodi interesse loquuntur omnia allegata, non autem de mora, in qua quis per litis contestationem constituitur: præterquam quòd illa opinio est satis controuersa, vt ea Doctoribus in contrarium allegatis apparet. Vltimo non obstat, quòd petitum fuerit plus debito; quia hoc in facto aliter se habet; nam defalcatio facta per vltimam sententiã Rotalem fuit ratione compensationis alterius prætensi debiti Iulij, non autem quòd tota summa petita non esset ex libris ipsius met partis aduersæ iustificata; & ideo con-
4 clusum † deberi interesse ad rationem officiorum vacabilium, nempe decem pro centenario. Reseruatum tamen fuit,vt videatur, an per receptionem pecuniarum in sententia contentarum, & quietationem de eis factam sibi præiudicauerit Dominus Iulius, itaut amplius non possit petere huiusmodi interesse.

a Barbat. cõs. 34.col.5.vol.3. 10. Lop. in tract. de vsur. commentar.2. §. 6.n.117.vers. priorem tamen & post alios Mascard. de probat. cõcl. 913. n.24.

b Ias.in l.cunctos populos. col.2.C. de Sum. Trinit & fid.Cathol. Pans.in cap cum venerabilis.nu. 32. de excep. cum alijs infinitis cumulatis per Mascard.d cõcl. 913 num 17. Pute. decis. 310 lib.1.Rolànd.cõs. 31. num.3.vol.3.

Comen. Præpositutæ.

Die Mercurij 12. Decembris 1585.

SVMMARIVM.

1 *Ex oblatione colligitur, quòd per oblatorem non steterit, quo minus seruaretur conditio.*

2 *Oblatio verbalis sufficit, quando creditor recusat acceptare solutionem; quod etiam procedit,quando non vnica fieri debet solutio, sed plures & diuersis temporibus vt nu. 3.*

DECISIO DCCXV.

TEr causa fuit proposita; & primo decisum fuit non esse locum purgationi moræ, quatenus ea adsuerit ex dedu-ctis per informantes pro Lupo, sed quia reuocatum fuit in dubium, An adesset huiusmodi mora; ideo in duabus sequentibus positionibus de hoc fuit actum, & præsertim an probetur mora de vltimo tempore litis pendentiæ in Rota, & Domini non fuerunt concordes: nonnulli enim amplectebantur decisionem *Capic.16. iunctis alijs decisionibus Rotalibus in hac causa factis*,* alij verò fundabant se in oblationibus factis

* de anno præterito coram R. P. D. Dubalo & de anno præsenti coram R.P.D. Cantuccio.

1 ante litem motam, † satis enim videbatur ea illis colligi posse,non stetitisse per Dralum, quin seruaretur conuentio facta cum Lupo, *vt per Achill. decis.1. de locat.* maxi-
2 mè, quòd † oblatio verbalis sufficit, quando creditor recusat acceptare solutionem, *vt post Fulgos. tenet Castr.in l.qui Romæ.in princ. & ibi Alex. num.2. cum alijs cumulatis per Tiraq. de retract. conuent. §. 4. glos.6.num. 21. & Gabr. de solution. concl. 8. in princ. Ruin. cons. 113. num. 1. lib. 1.* & ideo necesse est, vt Lupus ostendat hanc regulam non procedere in isto casu,
3 † in quo nõ vnica debet fieri solutio sed plures & diuersis tẽporibus, in quo satis videtur contra eum facere exemplum de eo, qui citatus respondit se nolle comparere, in quo se fundat *Castr. & Alexand. supra allegati in d. l. qui Romæ.* vel necesse est, vt ostendat hanc regulam non procedere in solutionibus, quæ fiunt causa conditionis implendæ,& nos versari in isto casu: Ideo amplius deliberandum.

Romana Præeminentiarum.

Die Lunæ 16. Decembris 1585.

SVMMARIVM.

1 *Dictio, alij, seu alijs, habet qualitatem respectiuam, & implicat. & numer. 11.*

2 *Vna & eadem res non debet diuerso iure censeri.*

3 *Clausula licèt non extendant dispositionem, ex eis tamen colligitur mens rescribentis.*

4 *De iure non valet consuetudo, quòd prius recepti præferantur postea receptis, si postea recepti sunt constituti in ordine maiori.*

5 *Irrationabilis est consuetudo, quòd non habens dignitatem præferatur illam habenti.*

6 *Correctoria non est dignitas Collegialis, & non præcedit Abbreuiatoribus.*

7 *Corrector tractat materias iustitiæ, Abbreuiator verò materias gratiæ expedit.*

8 *Collegium dici potest à collegando, siue colligando, siue à collegendo.*

9 *Dignitas tunc dicitur Collegialis, quando non*

non potest alijs conferri, quàm vni de Collegio.

10 *In facultatiuis nunquam currit præscriptio immemorabilis.*

11 *Immemorabilis consuetudo per scripturas probari non potest.*

12 *Corrector litterarum Iustitiæ habet locum digniorem in Parco, & est Prælatus.*

13 *Clausula derogatoria consuetudinis in gratijs pertinentibus ad materiam præcedentiæ solent apponi, etiam si multoties sint otiosæ, & sine effectu, non ob id tamen probant contrarium.*

14 *Aduocatus fisci & Aduocatus pauperum, non sunt dignitates Collegiales respectu Aduocatorum Consistorialium, licet semper vni ex ipsis conferri soleant.*

15 *Episcopus Auditor Rotæ sedet in suo loco secundum antiquitatem Auditoratus, nec habetur ratio dignitatis Episcopalis.*

16 *Cardinalis Vicecancellarius, vel Camerarius, vel Pœnitentiarius non sortitur aliquam prærogatiuam in ijs, quæ spectãt ad officium Cardinalium in eorum Collegio.*

17 *Corrector in Parco obtinet suam sedem, quã de consuetudine solet obtinere.*

18 *In materia præcedentiæ ante omnia seruatur consuetudo, à qua nõ est recedendum.*

DECISIO DCCXVI.

ORta est cõtrouersia inter R.P.D.Correctorem & RR. PP. DD. Abbreuiatores Parci Maioris super eo, quòd R. P. D. Corrector existens Abbreuiator de consuetudine, habet sedẽ in Parco in loco digniori post Reuerendiss. Dominum Regentem supra cæteros Dominos Abbreuiatores, licèt antiquiores in officio: Vnde prætẽdebat, quòd eodem modo in cęteris actibus, qui per Dominos Abbreuiatores explicantur in expeditione litterarum gratiæ, veluti in dando votum, & assistendo Illustr. & Reuerendiss. Domino Vicecancellario signante, & similibus deberetur ei prærogatiua, vti digniori: cũ ex aduerso Domini Abbreuiatores prętendant in his esse procedendum iuxta ordinem antiquitatis respectu officij Abbreuiatoriæ: Itaq; fuit per partes concordatũ, vt super hac re haberetur votũ vnius Auditoris Rotæ: Delata itaq; mihi fuit huius cõtrouersiæ cognitio, quam volui cum RR. PP. DD. meis Rotæ Auditoribus cõmunicare, & quia huius difficultatis resolutio pendebat ex eo, An Correctoria esset officium vel dignitas Collegialis ipsius Collegij Dominorum Abbreuiatorum, proposui hoc dubium in Rota, & pro parte R.P.D. Correctoris multa deducebantur signa, ex quibus videbatur colligi posse hanc esse dignitatem Collegialem: Primo, quia huiusmodi dignitas fuit longa temporum serie solita conferri vni ex RR. PP. DD. Abbreuiatoribus, vt ex bullis Summorum Pontificum à tempore Innocentij VIII. vsq; ad nostra tempora deducebatur, adeo quòd videbatur probari quædam immemorabilis consuetudo. Secundo ponderabatur, quòd in prædictis bullis Summi Pontifices rescribebant Correctori, & Abbreuiatoribus committẽdo eis modum receptionis Abbreuiatorum, & multa alia ad Collegium Abbreuiatorũ spectantia, & sæpe sub hac forma, *Dilectis filijs Correctori & alijs Parci Maioris Ab-*
1 *breuiatoribus*, ponderando † dictionẽ, alijs, quæ est qualitas respectiua, & insuper quòd videbatur nomen dignitatis hac in re conferre ad actum receptionis, & aliorũ actuũ, *vt per Felin. in c. ex litteris. in 1. notab. de probat. Put. decis. 105. in vna Meliten. lib. 3.* Tertio deducebatur signum ex loco, quem in Parco obtinet, qui est honorabilior, ex quod videbatur colligi, quòd quemadmodum ipse habet prærogatiuam loci, eodem pacto habere debeat in cæteris prærogatiuam absolutam; nisi enim ibi sederet vti obtinens dignitatẽ Collegialem, vtiq; sederet iuxta ordinem antiquitatis suo loco, prout faciunt alij Abbreuiatores obtinentes dignitates nõ Collegiales, puta Prothonota-
2 riatus, & similes; † non debere itaq; vnam & eandem rem diuerso iure censeri, *l. cum qui. de vsucapio. cum similibus.* Quarto deducebatur, quòd si quando visum est Summis Pontificibus conferre huiusmodi officium alicui extra Parcum, id factum fuit cũ clausulis derogatorijs consuetudinum amplissimis; ex quibus colligitur officium esse Collegiale, aliàs non opus esset derogatio-
3 ne, & † ex clausulis, licèt non extendant dispositionem, tamen colligitur mens rescribentis, *Bald. in l. eam quam. nu. 36. C. de fideicomm.* Quinto deducebatur constare ex bullis Pij II. Correctorem assistere Illustrissimo Vicecancellario in expeditione litterarum, quemadmodum alij Abbreuiatores: Vnde cum hæc assistentia non possit dici ratione litterarum Iustitiæ, quas ipse solet expedire sine Illustrissimo Vicecancellario, concludendum est hanc assistentiam Correctoris vtiq. dignitati collegiali competere ex identitate ministerij, quod colligitur etiam ex forma iuramenti: Ex his concludebatur, pro parte R.P.D. Correctoris sibi deberi in omnibus actibus Ccollegialibus prælationem tanquam digniori, *ad notat. per Io. Andr. Anton. Abbat. & alios in c. clerici. de Iudic. Cassan. de glor. Mund. part. 1. consideratione 78. cum alijs per Informantes deductis*; * maximè
4 cum † de iure non valeat consuetudo, quòd prius recepti præferantur postea receptis, si postea recepti sunt constituti in ordine maiori, *c. statuimus. de maior. &*
5 *obed. vbi Abb.* & † irrationabilis est *consuetudo, quòd non habens dignitatem*

* Dominic. post glos. in c. Isidorus. 96. distinct. Dec. in l. cũ quid. nu. 12. & 20. si cert. pet.

præferatur illam habenti, *Aretin. in conſ. 23. in fin. Dec. in l. cum quid. n. 24. ſi cert. pet.* His tamen nõ obſtantibus Domini contrarium cenſuerunt, nempe quòd † Correctoria nou ſit dignitas Collegialis; Et primo, quia hoc officium, neq. reſpectu materiarũ, neq; emolumentorum quicquam commune habet cum Abbreuiatoriç officio, quòd ex eo colligitur, quòd ſi quãdo quis extra Collegium aſſumitur ad hoc officium, is neq; etiam locum habet in Parco; is verò qui eſt Abbreuiator & Corrector ſimul non participat de emolumentis & diſtributionibus, niſi vti vnus ex Abbreuiatoribus, & materiæ, quas tractant ſunt prorſus diuerſæ;
7 nam † Corrector materias iuſtitiæ, Abbre-
8 uiatores materias gratiæ expediunt, † ſiue igitur Collegium dicatur à Colligando, ſiue à colligendo, ſiue etiam à collegendo, vtiq; vbi nulla prorſus adeſt communicatio, fieri non poteſt, vt ibi aliqua Collegialitas, vt ita dicam, conſiderari poſſit: ſigna enim Collegij omnia tendunt ad aliquam communionem, & communicationem onerum, & emolumentorum, *Io. Andr. in c. ſeum olim. de ſenten. & re iudic. & ibi Ancbar. Abb. Imol. & cæteri.* Secundo repetendo originem quatenus haberi poteſt horum officiorum ex quinterno Cancellariæ, apparet incipiẽdo de tempore Martini Quinti in reformatione quadam Officialium Curiæ per ipſum edita, multa fuiſſe ſtatuta ad Collegium Abbreuiatorum ſpectantia, & nihilominus nullam fieri mentionem Correctorum, quinimmo ſeparatim fit mẽtio eorum, ad quos ſpectat expeditio litterarum iuſtitiæ, quos vult eadem obſeruare, quæ præceperat in litteris gratiæ, & in multis alijs bullis aliorum Pontificum: & etiam Sixti IV. & Alexandri VI. tractatur de Collegio eorundem Abbreuiatorum, nulla facta mentione officij Correctoris, quæ res indicat nõ fuiſſe habitũ prędictũ officiũ pro officio Collegiali. Tertio ex antiquis bullis Martini & aliorum, nec non cæremonialibus apparet datum ordinem incedendi in proceſſionibus, & ſedendi in Capella, & tamen nunquam Corrector incedit cum Abbreuiatoribus: Vnde ſi hæc eſſet dignitas Collegialis, deberet vnà cum ſuo Collegio incedere, vt in omnibus alijs obſeruatur. Quarto in multis alijs bullis, quæ in informatione facti deductæ fuerunt committuntur negotia, dantur priuilegia, & concedũtur gratiæ Collegio Abbreuiatorum, non facta mentione Correctoris, & e contra. Quinto & vltimo hanc non eſſe dignitatem Collegialem apparet, quia aliquando fuit collata alijs perſonis extra Collegium, & tunc nullam habuerunt ſedem in Parco; & nihilominus præſtiterunt iuramentum iuxta formam ſolitam in manibus Viceconcellarij: Cum itaq; neq; ratione erectionis Collegij ant Correctoriæ appareat à principio de huiuſmodi qualitate, neq; aliquod priuilegium extet, ex quo poſſimus hãc colligere, & ſigna in contrarium præualeant, vtiq. cõcludendum eſt non eſſe dignitatem Collegialem; nam ſigna quæ deducuntur, non ſunt ſufficientia, & quantum ad primũ quòd per longam annorum ſeriem ſolita ſit conferri vni ex Abbreuiatoribus, non eſt argumentũ ſufficiens ad probandum, quòd ſit de Collegio, cum ſimus in officijs compatibilibus, & quorum collatio fit arbitrio ip-
9 ſius Principis, & tum † demum dicitur dignitas Collegialis, quando non poteſt alijs conferri, quàm vni de Collegio, & ita ſe declarat *Franc. qui ex aduerſo citatur in c. fin. de præben. in 6.* immo verba ipſa, quibus vtũtur Pontifices, dum dicunt (*quæ ſimul obtineri conſueuerunt*,) oſtendunt eſſe diuerſa & diſtincta, nam ſi eſſet Collegialis dignitas, non vterentur hac loquendi formula, ſed potius enunciarent dignitatem eſſe Collegialem. Neq; multum facit continuata multorum annorum ſeries, cum ſimus in
10 facultatiuis, † quæ nunquam præſcribun-
11 tur, † nec poteſt prætendi immemorabilis conſuetudo; tum quia ea non poteſt probari per ſcripturas, vt tenet Rota; tũ quia in antiquioribus ſcripturis reperiuntur iſta officia ſeparata, veluti in bulla ſupra allegata Martini V. Neq; obſtat, quòd in ea nominatim non fiat mentio de Correctore, quia ſatis eſt, quòd eius fiat mentio in genere, dum loquitur de expeditoribus litterarum Iuſtitiæ, & non poteſt dubitari, quòd tempore Martini adeſſet Corrector, quia ab eodem aſſiguatur ei locus in Capella. Secundo, non obſtant bullæ directæ Correctori & Abbreuiatoribus, quia tunc hæc demonſtratio concluderet, ſi Corrector non fuiſſet Abbreuiator, ſed cum eſſent Abbreuiatores illi, quibus reſcribebatur, non eſt inconueniens, quòd in demonſtratione apponeretur nomen dignitatis maioris, & tamen negotium cõmiſſum ſpectaret ad Correctorem vti Abbreuiatorẽ, vt videmus in reſcriptis directis Epiſc. Rotæ Locũtenentibus, in quibus nomen Epiſcopi eſt penitus alienum ab actu, qui geritur, & nihilominus apponitur ratione demonſtrationis, quæ ſolet ſumi à digniori: Et eodem pacto reſpondetur ponderationi dictionis, alij, ea enim conuenit optime, cum tam ipſe Corrector, quàm alij eſſent omnes Abbreuiatores; & ex ea colligitur, quòd Correctori iniungebatur tale onus vti Abbreuiatori, implicat enim quòd ipſe quoq; erat Abbreuiator: Præterea cum reperiantur aliæ bullæ, in quibus committuntur ſimilia Decano & Abbreuiatoribus Parci Maioris, vt etiã habetur huiuſmodi formula inter formulas Villareatis; vtiq. inuicem ſe collidunt, & conquaſſantur iſtæ enunciationes,

vt in similibus terminis aliàs dixit Rota in causa precedētię inter Canonicos Lateranēses & S.Petri corā R.P.D.Sarmiento. Tertio non obstat, quòd † Reu. Dominus Corrector habet locum digniorem in Parco, quia duplici ratione hoc fieri potuit; Prima est, quia ex eisdem litteris Martini apparet, quòd litterae Iustitiae tunc temporis expedicebātur in praesentia Vicecancellarij eodē modo, quo litterae gratiae: Vnde necesse erat dare Correctori locum, in quo posset assistere corā Vicecācellario, debebaturq; illi dignior locus, cum esset Praelatus, sed postquā materiae Iustitiae coeperunt expediri sine aliquo signo Vicecancellarij, nihilominus remansit ille locus, vt prius, Domino Correctori: Secunda est, quia cum illis temporibus Domini Abbreuiatores essent laici, & multi ex eis vxorati, decentiae gratia datus fuit dignior locus D. Correctori Praelato: Absurdum enim fuisset, eum sedere post laicos & vxoratos, quod si hoc idem non obseruatur hodie respectu Dominorū Prothonotariorum, qui sunt de Collegio, nihil mirum, cum hodie Domini Abbreuiatores sint ipsi quoq; Praelati. Quarto nō obstat, quòd in prouisionibus, quae fiunt de huiusmodi officio extra Collegium, apponantur clausulae

13 derogatoriae consuetudinis, † quia in omnibus gratijs solent apponi etiamsi multoties sint otiosae & sine effectu, & ideo non probāt contrarium, *vt per Io. Andr. in c. duobus. nu. 3. de rescript. in 6. cum similib.* Quinto non obstat, quòd probetur Dominum Correctorem assistere Vicecancellario; quia vt supra dictū fuit, temporibus antiquis litterę Iustitiae expediebantur eodem modo coram Vicecācellario, quemadmodum litterae gratiae, vt ex litteris Martini V. colligitur. Et ex his apparet, signa, quae deducuntur pro R.P. D.Correctore, non probare concludenter, quòd Correctoria sit dignitas Collegia-

14 lis, quemadmodum † neq; Aduocationes Fisci, & pauperum possunt dici Collegiales respectu Collegij Aduocatorum Consistorialium, licèt semper vni ex ipsis soleant conferri, quia hoc pendet à mera voluntatę Papae: Signum autem huius rei est manifestissimum, quia in Camera praecedit Dominus Aduocatus pauperum Dominum Aduocatum Fisci, licèt sit antiquior Aduocatus: Hinc infertur hanc maiorem dignitatem nihil facere, ad effectum, vt in actibus, qui explicantur per Dominos Abbreuiatores debeat Dominus Corrector vti aliqua praerogatiua, & quae deducuntur de maiori dignitate praeferenda minori *ex Cassan. de glor. Mund. part. 1. consid. 78. & alijs* locum habent, vbi de absoluta praecedentia, non autem vbi de Collegiali praecedentia agitur, nam dignitas nō Collegialis quantumuis magna nihil affert in Collegio praecipuū

15 supra alios, prout videmus, quòd † in Rota Episcopi sedent suo loco secundum antiqui-

16 tatem Auditoratus, * & † Cardinales, qui habent praecipua Curiae officia veluti Vicecancellarius, Camerarius, & Poenitentiarius non ideo sortiuntur aliquā praerogatiuam in ijs, quae spectant ad Collegium Cardinalium, *Boer. de author. magn. cons. n. 65.*

17 Haec autem intelligunt Domini † nihil officere R. P. D. Correctori respectu Sedis, quā hactenus obtinuit in Parco; † nam in hac materia primas partes obtinet consuetudo, à qua non est recedendum, *Ruin. in cōs. 155. nu. 4. lib. 4. & fuit latè deductum aliàs coram me in vna Meliten. praelationis*, [a] *& nuperime coram R. P. D. meo Blanchetto in vna Messanen. praeminentiarū.* [b] quare excepta sola digniori sede in cęteris Domini censuerūt R.P. D. Correctorē ordinē antiquitatis in negotijs Parci obseruare debere.

* Hoc idem seruauit & ipse Illustrissim. D. Seraphinus postquam de anno 1602. Patriarcha Alexandrinus creatus est, qui non solum in Rota suo loco sedit immo Decanatum reliquit.

a In Melisen. praecedentiae saepius, sed pręsertim 20. Iunij 1577.

b sub die 11. praesentis mensis.

Surrentina Abbatiae.
Die Veneris 24. Ianuarij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Ad effectum probationis summarijssimi possessorij sufficiunt aliqui actus possessorij facti.*

2 *Possidens ad effectum manutentionis pendēte lite non habet necesse probare titulum nec etiam coloratum.*

3 *Quilibet possessor pendente lite manuteneri debet.*

DECISIO DCCXVII.

DEtur mandatum de manutenendo Domino Fabricio; nisi Dominus Iulius renunciet gestis in partibus coram Iudicibus laicis, & promittat se amplius coram eis non molestaturum Fabricium; Et moti fuerunt Domini ex eo, quòd Dominus Iulius procuratori Domini Fabricij capienti possessionem acquieuit verbo & facto tra-

1 dendo claues: † Adsunt etiam aliqui actus possessorij postea gesti; ex quibus Domini dixerunt satis ad effectum huius summarijssimi possessorij probatam esse possessionem:

2 † Neq; requiritur titulus coloratus in hoc

3 iudicio, † cum quiuis possessor pendente lite sit in sua possessione manutenendus, etiā si iniusta sit possessio, vt quotidie practicatur, si verò postea Dominus Iulius melius docuerit de sua possessione, poterit hoc mādatum reuocari.

Romana Tutelae de Fabijs.
Die Lunae 27. Ianuarij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Iuramētū impedit praescriptionē statutariā si de eo aliunde constet, quàm per instrumentū, cui per statutum fides abrogatur*

2 *Quod nullum est, nullum parit effectum, quod etiam procedit in interruptione præscriptionis.*
3 *Statutum Vrbis post lapsum sexdecim annorum tollit fidem omnibus & quibuscunq. scripturis.*
4 *Tacita confessio habet relationem ad id, ex quo ea elicitur.*
5 *Interpellatio extraiudicialis non interrūpit præscriptionem etiam statutariam.*
6 *Post interruptam præscriptionem per interpellationē præscriptio de nouo inchoare potest.*
7 *Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.*
8 *Exceptio de dote non extenditur ad fructus dotis.*
9 *Compromissum factum post completam præscriptionem non parit effectum, neq. interruptionis neque renunciationis.*

DECISIO DCCXVIII.

DOmini fuerunt vnanimiter concordes,
quòd ex deductis pro parte Domini
Fabricij non tollitur præscriptio statutaria;
nam quantum ad primum, licèt admitta-
1 mus † iuramentum impedire præscriptio-
nem statutariam, si de eo aliunde constet,
quàm per instrumentum, cui fides per sta-
tutum abrogatur, *ex decisionibus Mobedan.*
Putei, & aliorum per informantes allegat. *
Tamen verum non est, quòd aliunde tale
iuramentum probetur, nam productio co-
piæ, quæ allegatur, hunc effectum parere
non potest: Primo, quia productio fuit nul-
2 la, † & quod nullum est, nullum parit effe-
ctum, vt in terminis interruptionis præscri-
ptionis *tradit glosa aliàs allegata in c. vt de-*
bitus. in verb. coram. de appellation. Secun-
3 do, quia † statutum *c.* 18. *lib.* 4. *in fin.* post
lapsum sexdecim annorum, tollit fidem
omnibus & quibuscunque scripturis: Vnde
cum post huiusmodi productionē lapsi sint
sexdecim anni & amplius, hæc scriptura ad
hunc effectum nullam fidem facit. Tertio &
vltimo, cum non reperiatur copia produ-
cta, neque de eius tenore constet, vtiq. non
potest dici probatum iuramentum, nam
hoc casu neque etiam circumscripto statu-
4 to faceret fidem; † nam tacita confessio ha-
bet relationem ad id, ex quo ea elicitur,
quod cum non appareat, neque etiam de
confessione constet, *ad notat. per Abb. in c.*
cum venerabilis. num. 32. *de exception. & ibi*
Felin. num. 27. *Roman. in conſ.* 294. *num.* 2.
Alex. conſ. 108. *nu.* 5. *lib.* 5. *Idem Roman. conſ.*
305. *num.* 7. Quantum ad secundum funda-
mentum deductum pro Domino Fabricio,
quòd Statutum *c.* 18. *lib.* 4. extendens Statu-
tum 101. *lib.* 1. quod loquebatur tantum de
actionibus personalibus, vt etiam habeat
locum in ijs, qui ius hypothecæ habent, ex-
tendat illud cum ista qualitate, dummodò
non fuerit facta aliqua extraiudicialis in-
terpellatio; Domini dixerunt extensionem
non fieri sub hac limitatione, sed eam respi-
cere ipsam præscriptionem, quam statuen-
tes noluerunt procedere, si fuerit facta in-
terpellatio etiam extraiudicialis, quod ius
est nouum, nam *vt inquit Imol. in l. si ser-*
uum. §. sequitur. de verb. obligat. quem ibi se-
5 *quitur Alex.* † nullibi reperitur, quòd ex-
traiudicialis interpellatio interrūpat præ-
scriptionem, *Bart. in l. naturaliter num.* 19.
& ibi Alex. in Appostill. de vsucapion. sed
6 non sustulerunt, † quòd post interpellatio-
nem de nouo nō possit inchoare. Quod ter-
tio loco dicebatur hunc casum reddendæ
rationis administrationis tutelaris ex idē-
titate rationis comprehendi inter casus ex-
ceptuatos in Statuto 101. *lib.* 1. non placuit,
7 quia † exceptio firmat regulam in casibus
non exceptis, & si voluissent hunc excipere,
8 exprimere potuissent; & † ideo Rota aliàs
noluit extendere exceptionem de dote ad
fructus dotis, *Pute. decis.* 93. *caueţur Statu-*
to. lib. 1. Vltimo neq. etiam placuit; quòd
deducebatur de compromisso facto à Do-
mino Euangelista; tum ex eo quòd de man-
9 dato eius non constat; tum etiam quia † fa-
ctum post completam præscriptionem non
poterat parere effectum neque interruptio-
nis, neque renunciationis. Et ex his con-
clusum præscriptionem obstare Domino
Fabricio.

* Mobedan. decis. 227. Put. 214. n. 2. lib. 1. & 512. lib. 2. & 216. de cōsti. Ant. Aug. de iureiur. nu. 13.

Auximana Iurispatronatus.
Die Veneris 9. Februarij 1586.

SVMMARIVM.

1 *In prouisione beneficij iurispatronatus quæsiti ex consuetudine vel præscriptione non requiritur derogatio, si sit simpliciter ex consuetudine vel præscriptione; secus si sit ex fundatione & dotatione, licèt fundatio proueniat ab alia familia, & n.* 2.
3 *Ex actu etiam nullo colligitur voluntas.*
4 *In prouisione iurispatronatus mixti, quod spectat ad clericum, & ad laicum simul, ratione qualitatis laicalis requiritur derogatio.*
5 *In impetratione requiritur mentio iurispatronatus, tam si patroni sint solū in quasi possessione præsentandi, quàm si sint veri patroni.*

DECISIO DCCXIX.

DIfficultas huius causæ restricta fuerat, vt videretur, An in casu, de quo agitur, sit necessaria derogatio iurispatronatus, ex quo licèt iuspatronatus sit ex dotatione & fundatione, ius tamen præsentandi videtur quæsitum ex præscriptione familiæ

miliæ de Honofrijs; & ideo videbatur cessare ratio illa, propter quam requiritur derogatio, scilicet ne laici retrahantur à fundãdo, vel dotando, *Cassad. de probation. decis. 4. & de iurepatr. decis. 4. & fin. num. 5.* & passim
1 tenent Canonistæ, † valere prouisionẽ Papæ sine derogatione iurispatronatus, quòd est ex consuetudine vel præscriptione, *vt tradit Card. in cons. 69. col. 2. vers. ad secundum. quem refert, & sequitur Staphile. sub tit. de mod. & form. impetr. §. quarto principaliter. num. 4. quicquid dicat Dec. cons. 126.*
2 *num. 3.* † Contrarium tamen conclusum fuit à Dominis nemine discrepante, intellexerunt enim prædictam doctrinam procedere, vbi absolutè iuspatronatus est ex consuetudine vel præscriptione, non autem ex fundatione & dotatione, quia semper respectu fundatoris militat ratio, quòd potuisset retrahi, si cogitasset Papam aliquando non habita ratione suæ fundationis collaturum fuisse; nam etiam quòd præscriptum sit ius præsentandi, tamen etiam per illud conseruatur memoria fundatoris; maximè in isto casu, in quo Domini de Honofrijs habent voluntatem fundatoris pro se, licèt fortasse
3 † nullam, cum † etiam ex actu nullo colligatur voluntas, & placebat simile *ex dictis Putei in decis. 392. lib. 2.* vbi licèt derogatio comprehenderet iuspatronatus ex priuilegio, non tamen comprehendebat iuspatronatus ex priuilegio obtento ratione fundationis, & dotationis, quod etiam comproba-
4 tur ex alio simili, † quando Iuspatronatus spectat ad clericum ratione Ecclesiæ, & ad laicum simul; nam ratione huius mixturæ præualet qualitas laicalis, & requiritur derogatio, *vt post alios tradit Felin. in tracta. quand. litter. Apost. num. 6. in 6. ampliatione.* Et ideo *Card. ex aduerso allegatus in dicto cons. 69. num. 4.* quo ad effectum præsentationis parificat istos casus, quòd quis sit patronus, vel sit in quasi possessione præsentandi, quoties constat de existentia iurispa-
5 tronatus; & ideo dicit, † necesse esse, vt fiat mentio in impetratione de huiusmodi iure præsentandi, sicut si essent veri patroni, *& Cardinalem sequitur Rota, vt per Pute. decis. 404. fuit dubitatum. lib. 2.* Nec
6 obstat, † quòd *Staphil. dicto §. 4. n. 6.* tradit, non requiri mentionem, si adsunt veri patroni, qui non sunt in quasi possessione præsentandi, sed alij, qui non sunt patroni, quia iste nõ est casus noster, cum nulli adsint veri patroni, qui prætendant sibi hoc ius competere, immò ex antiquitate temporis, & acquiescentia Capituli & obseruantia, præsumẽdum est, legatum quamuis adscriptum sibi ab eodem notario, legatario insinuatũ, & publicatum, & probatum fuisse per testes, quo casu cessat omnis suspicio fraudis, *vt per Salic. in l. 1. circa fin. vers. nisi notarius. C. de his qui sib. adscrips.* Cum itaq. huius iurispatronatus nulla fuerit facta mentio in gratia Apostolica Sanctis; nam clausulæ in ea appositæ respiciunt tantum ius præsentandi competens ex consuetudine, fuit conclusum huiusmodi gratiam non obesse Domino Quintiliano.

Burgen. Iurisdictionis.
Die Veneris 7. Februarij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Ex actuum multiplicatione & continuatione litis per multos annos per procuratorem satis dicitur constare de ratificatione principalis.*

DECISIO DCCXX.

De mandato S.D.N. referente Illustrissimo & Reuerendissimo Domino meo Cardin. Carraffa fuit dubitatum, An constet de obseruantia vel impugnatione Concordiæ Alexandrinæ, & omissa iuris disputatione super effectu obseruantiæ, vel impugnationis, de qua tamen actum fuit in nonnullis decisionibus: status huius causæ circa factum, quantum ex actis haberi potuit per Dominos, in hunc qui sequitur modum, firmatus fuit: Et primo constat vsque de anno 1488. fuisse varias controuersias & lites inter tũc temporis Episcopum Burgensem & Capitulum super exercitio Iurisdictionis; & tunc temporis fuerunt initæ nonnullæ concordiæ, & obtentæ confirmationes ab Innocentio VIII. Quibus non obstantibus cum nouæ semper pullularent discordiæ de anno 1492. Episcopus & Capitulum deuenerunt ad nouam concordiam, quę confirmata fuit ab Alexandro VI. sub data 1492. Tertio Kal. Octobr. & hæc est concordia, de qua nunc agitur, circa cuius obseruantiam, primo est animaduertendum, initam fuisse concordiam non solũ cum Decano & Canonicis Ecclesiæ Burgen. sed etiam cum alijs personis Ecclesiæ eiusdem, nempe dignitatibus, portionarijs, & beneficiatis. Porrò ab initio constat fuisse initam huiusmodi cõcordiam de communi omniũ consensu, nec non iuratam; & confirmationẽ vtraq. parte petente à Summo Põtifice petitam & obtentam, Ita quòd de acceptatione & obseruantia à principio dubitari non potest, & deinceps vsq. ad annum 1514. & sic per 22. annos probatur obseruantia tum verè tum præsumptiuè; Verè per actus factos de anno 1510. expressè in vim concordiæ, *prout fuit resolutum coram R.P.D. meo Decano* [a] *de anno* 1563. præsumptiuè, quia toto hoc tempore quietè & pacificè omnia processerunt sine aliqua lite; & quamuis pro parte Reu. Archiepiscopi prętendatur adesse hoc medio tempore nonnullos actus Ca-

[a] de Rubeis

pitulares contrarios concordiæ, tamen re vera non sunt contrarij; quia partim sunt facti in delictis leuibus, quorum cognitio ex forma concordiæ spectabat ad Capitulum; partim si aliqui casus videri possunt grauiores, non constat fuisse factos Episcopo in Ciuitate præsente: cum autem eo absente Capitulum ex forma dictæ Concordię etiã in grauibus procedere posset, vtique dicenti de inobseruantia, non satis est docere processum fuisse per Capitulum in grauibus, nisi etiam doceatur id factum præsente Episcopo: nam quòd allegatur quidam actus sub die 30. Ianuarij 1502. in quo delictum dicitur commissum existente in Capitulo Episcopo & in eius præsentia, vtiq; ex lectura eiusdem actus satis apparet delictum fuisse ex leuioribus, cum fuerit imposita pœna delinquenti ob verborum tantum excessiuitatem: Et similiter non obstant ea, quæ deducuntur facta de anno 1507. contra concordiam circa materiam visitationis; quia de hac re nihil in concordia cauetur; stat ergo obseruantia sine contradictione, & sine vlla lite vsque ad annum 1514. Hoc anno incipit impugnatio concordiæ per commissionem Capituli super omnimoda exemptione à iurisdictione Episcopi: Deinde anno 1516. impetratur pro parte Decani & Capituli & aliarum personarum Ecclesiæ Burgensis exemptio à Leone X. pendente lite sub narratiua, quòd ex priuilegio inuiolabiliter obseruato sunt exempti à iurisdictione, correctione, & Visitatione Episcopi, & continuarunt procuratores Capituli in curia obtinere Commissiones super exẽptione Capituli de anno 1517. & 1523. & de anno 1525. fuit impetrata confirmatio exemptionis lite durante concessæ à Leone X. & Clemente VII. cum eadem narratiua, & deinde de annis 1539. & 1548. fuerunt impetratæ quatuor aliæ commissiones super prædicta exemptione etiam à tempore immemorabili, & à fundatione, & de anno 1549. dati articuli super hac exemptione: Ex his actibus, quamuis nulla fiat specialis mentio Concordiæ; tamen quia re vera simul stare non potest totalis exemptio & concordia Alexandrina; Domini dixerunt constare de impugnatione concordiæ Alexandrinæ: Nec releuat, quod deducitur pro Capitulo, has commissiones fuisse per procuratores non habentes ad hoc sufficiens
1 mandatum impetratas; quia † ex actuum multiplicatione, & continuatione litis per tot annos satis apparet de ratificatione Capituli: Coadiuuatur hæc inobseruantia ex actibus iudicialibus factis per Capitulum in delictis grauioribus de annis 1539. 44. 46. 48. 49. 50. 51. 52. 55. & 1557. & quamuis prætendatur potuisse fieri in absentia Episcopi; tamen tum propter tot annorum cõtinuationem, tum propter claram inobseruantiam, quæ ex supra deductis colligitur, non potest hic præsumi absentia: Continuatur impugnatio de anno 1558. & 1559. vt ex protestationibus Capituli allegantis exemptionem apparet; & quamuis Capitulum dicat fuisse istos actus gestos per assertos procuratores, tamen hæc responsio tollitur ex supra deductis: Demum de anno 1563. cum Episcopus produxisset Concordiam Alexandrinam, Rota resoluit manutenendum esse tam Episcopum quàm Capitulum in quasi possessione iurisdictionis, iuxta formam d. Concordiæ, & iuxta resolutionem fuit per viam sententiæ datæ vtrique parti instanti manutentio, & vtraq. pars acquieuit in hoc iudicio possessorio. Successiuè de anno 1565. Capitulum congregatũ declarauit nunquam fuisse mentis suæ contrauenire Concordiæ Alexandrinæ, & quòd procurator id fecit contra eius voluntatem; & ideo reuocat omnia facta, & commissiones desuper factas & obtentas, & hoc eodem anno fuit lata sententia in petitorio ad fauorem Episcopi, per quam declaratur Capitulum non fuisse, neque esse exemptum omnimodè à iurisdictione Episcopi reseruato Capitulo iure super concordia: Ab hoc tẽpore citra nulla adest contradictio Capituli contra concordiam, sed bene adsunt altercationes inter Capitulum & Episcopum ratione decretorum sacri Concilij Tridentini; Adsunt etiam controuersiæ inter Capitulares super eo, An esset recedendũ à Concordia nec ne, super quibus quia factæ sunt resolutiones plenè materiam discutientes, nihil vlterius eis addi posse visum est, & satis est adnotasse Capitulum de anno 1580. prosequutum fuisse ius super concordia, & materia acerrimè disputata obtinuisse duas sententias in Rota.

Romana Fundaci.
Die Mercurij 26. Februarij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Ad petendum damnum & interesse lucri cessantis, lucrum probari debet in potentia propinqua iuxta requisita Castren. in l. 3. §. fin. num. 3. de eo quod cert. loc.*

2 *Testes nulliter examinati ex defectu citationis, non probant.*

3 *Vbi testes fuerunt inducti non ad probandum aliquid, sed ad iustificandum tantum protestationem iudicialem, tunc non requiritur citatio.*

4 *Ad petendum damna & interesse lucri cessantis, non est necessaria probatio soliti, stante protestatione & probatione potentiæ propinquæ.*

5 *Destinatio æquiparatur solito.*

DE-

DECISIO DCCXXI.

FVit iterum propoſita canſa ſuper eo, an
ſufficienter eſſent liquidata damna &
intereſſe Domini Iulij ad effectum, de quo
agitur, & contra deciſionem ª plura oppo- (a ſub die 9. Decembris anni præteriti factam.)
1 nebantur; Primo dicebatur, hic † non con-
currere requiſita *Paul. de Caſtr. in l. 3. §. fin.*
num. 3. de eo quod cert. loc. non enim probari
2 lucrum in potentia propinqua, † cum te-
ſtes ſint nulliter examinati ex defectu cita-
tionis, & propterea non probent, quòd ſi
habuiſſet pecunias erat omnino empturus,
ad notat. per Natt. in conſ. 450. & Rolan. cõſ.
35. num. 19. lib. 1. Hæc tamen obiectio non
placuit Dominis, nam quantum ad citatio-
nem, cum teſtes non fuerint inducti ad pro-
bandum aliquid contra D. Alexandrum, ne-
3 qne ad verificanda damna & intereſſe, † ſed
ad iuſtificandam tantum proteſtationem
iudicialem Iulij, tunc enim damna & inter-
eſſe nondum erant creata in rerum natura,
ea non fuit neceſſaria. Qnantum verò ad id
quòd teſtes non probent Iulium fuiſſe om-
nino empturum officia, id procedere poſſet,
niſi tria concurrerent in caſu noſtro; Vnum
quòd fuit facta iudicialis interpellatio &
proteſtatio, quæ cum ſit declaratoria volun-
tatis, niſi ei crederetur, nunquam afficeret;
Alterum quòd probatum fuit ſolitum ipſius
Iulij; Tertium quòd per teſtes bene proba-
tur, quòd habebant præ manibus officia ve-
nalia, neque refert, quòd non fuerint nomi-
nati venditores, id enim proxenetæ facere
recuſant, ne eis præripiatur lucrum, quod
inde facere ſolent, quæ cum non concurrant
in ſpeciebus propoſitis *à Natt. & Roland.*
ille auctoritates non faciunt ad caſum no-
ſtrum. Secundo opponebatur non probari
in facto Iulium ſolitum fuiſſe negotiari; ſed
neque hæc oppoſitio placuit, nam præter
aliàs deducta, quę ſatis cõcludere viſa ſunt,
4 Domini dixerunt, quòd † ſtante proteſta-
tione, & probatione potentiæ propinquæ
non requirebatur probatio ſoliti, *vt tradit*
Claud. de Seyſell. in l. diuortio. nu. 19. verſ.
puto tamen. ſolut. matr. Cagn. in l. vnic. nu.
44. C. de ſenten. quæ pro eo, quod inter. Ruin.
in conſ. 104. num. 7. circa med., lib. 4. vbi
5 † æquiparat deſtinationem ſolito, *Io. Bapt.*
Lup. in l. curabit. §. 6. num. 117. C. de actio.
empt. & videtur ſentire Couar. lib. 3. var.
reſol. cap. 1. num. 3. illation. 6. in fin. Non
obſtant in contrarium allegata, quia non
loquuntur in terminis noſtris, quando con-
ſtat, quem voluiſſe emere, & habuiſſe para-
tas merces. Reliqua, quæ deducuntur, fue-
runt aliàs ſublata; & ideò perſtiterunt Do-
mini in reſolutis, reſeruato capite quietan-
tiæ, an fuerit ita concepta, vt Iulius ſibi
præiudicauerit, quod erit videndum.

Fauentina Bonorum mobilium.
Die Veneris vltima Februarij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Remedium recuperandæ competit etiam pro rebus mobilibus, ſed condemnatio ad eorum valorem, & æſtimationem fieri non poteſt in poſſeſſorio, ſed tantum ad æſtimationem poſſeſſionis.*

2 *In omnibus interdictis poſſeſſorijs condemnatio fit tantum in id, quod intereſt.*

3 *Spoliatus poteſt agere ad intereſſe, & ad æſtimationem rei, hoc eſt poſſeſſionis rei in rebus mobilibus.*

4 *In ſententijs merè poſſeſſorijs pronunciatio, quæ fit, debet eſſe ſuper reſtitutione poſſeſſionis rei petita, non autem ſuper poſſeſſione rei.*

DECISIO DCCXXII.

FVit reſolutum non eſſe locum Aegidia-
næ, cum ſententia condemnet ad reſti-
tutionem bonorum mobilium, & ſe mouen-
tium, ſi extant, aliàs ad eorum valorem,
1 & ęſtimationem; nam † licèt etiam pro mo-
bilibus competat remedium recuperandæ,
vt per Socin. in l. rem quæ nobis. num. 13.
& Rip. in l. naturaliter. §. nihil commune.
num. 54. de acquir. poſſ. tamen non potuit
fieri condemnatio in poſſeſſorio ad eorum
valorem, & æſtimationem, ſed ad æſtima-
tionem tantum poſſeſſionis, *vt per Bald. in*
conſ. 319. num. 2. circa med. verſ. præterea.
lib. 3. vbi dicit ſententiam, quæ in poſſeſ-
ſorio condemnat ad veram æſtimationem,
2 pati vitium formæ, & hoc obſeruatur † in
omnibus interdictis poſſeſſorijs, vt condẽ-
natio fiat in id, quod intereſt, *l. in interdi-*
cto. de vi & vi armat. l. ſi duo. §. fin. &
ibi Bart. vti poſſid. benè Menoch. in remed.
3. retinend. num. 286. & Contard. de mo-
mentan. poſſeſſ. l. vnic. limitat. 19. num. 2.
facit optimè text. in l. ſi mulier. §. qui poſſeſ-
ſionem. de eo quod met. cauſ. Non obſtat,
quod pro validitate ſententiæ debeamus in-
terpretari illud ad reſtitutionem bonorum,
ideſt ad reſtitutionem poſſeſſionis, *vt per*
Afflict. deciſ. 77. num. 7. quia dato quòd
hoc admittamus, tamen adhuc reſtat alia
pars, quæ clarè cantat de eorum æſtima-
tione, & ideò ſaltem hæc forma eſt dubia,
& præbet iuſtam appellandi cauſam ratio-
ne incertitudinis: prout non obſtat dictum
Abb. in cap. conquerente. num. 13. de re-
ſtit. ſpol. quem ſequitur Bero. ibid. num. 18.
3 qnòd † ſpoliatus poteſt agere ad intereſſe,
& ad æſtimationem rei, quia eorum dictum
eſt intelligendum ſecundum terminos hu-
ius materię, ſcilicet ad intereſſe, & æſtima-
tionem poſſeſſionis illius rei, de qua agitur,
aliàs eſſet contra iura contrarium deter-
minantia, & quæ conſtituunt inter intereſ-

ſe ra-

ſe ratione poſſeſſionis, & æſtimationem rei differentiam; & ideo inualuit practica, vt
4 † in ſententijs merè poſſeſſorijs pronuncietur ſuper reſtitutione poſſeſſionis rei petitæ, non ſuper poſſeſſione rei, licèt aliquando admittatur interpretatio ex narratiua, quæ cantat in mero poſſeſſorio, quod fieri non poteſt in caſu iſto, ex quo non eſt reſtricta narratiua, cum habeat clauſulam, rebuſque alijs.

Regien. Bonorum.
Die Lunæ 3. Martij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Quis non cēſetur ceſſiſſe niſi ius, quod habet.*
2 *Conuentio, ſeu pactum, quòd in diuiſione inter fratres quiſque pro rata ſentiat dānum, & incommodum, dicitur conformis diſpoſitioni iuris communis, aliàs reſultaret iniquitas.*
3 *De euictione agi non poteſt, niſi ea prius ſequuta; ſecus eſt in actione ex ſtipulatu ratione contrauentionum, vt num. 9.*
4 *Promiſſio de non contraueniendo non impedit, quo minus promittens poſſit impetrare ius nouum, & ex illo petere rem ſemel renunciatam; ſecus eſt ſi in promiſſione contineatur aliud ius nouum, puta, caſus euictionis, & moleſtiarum ex capite contrauentionis, vt num. 11.*
5 *Bona capitaliter condemnati publicata, & fiſco incorporata, adepta per fiſcum poſſeſſione, in illum translata dicuntur cum omnibus iuribus actiuis, & paſſiuis.*
6 *Promiſſio, ſeu pactum de defendendo rem alienam diuiſam, & de non contraueniendo continet peccatum, & non ligat.*
7 *Vbi ſpecificè appoſita eſt obligatio de euictione, ſcientia rei alienæ nō obeſt emptori, ſed tantum vbi cautum non eſt de euictione.*
8 *Euictio rei venditæ, quæ fratri contigit in diuiſione facta cum pacto, quòd quiſque in diuiſione ſentiat damnum, & incommodum pro rata, caſu quo ſequeretur euictio, intelligi debet de ea, quæ euenit à tertio, & non à venditore.*
10 *Omnes actiones præter actionem euictionis, vt actio ob non implementum promiſſorum, exerceri poſſunt etiam ante caſum euictionis.*
11 *Renunciatio non ſe extendit ad ius nouum ſuperueniens.*
12 *Sententia criminalis ſine proceſſu in Rota non habetur in conſideratione.*
13. *Non agnita, ſeu non acceptata caducitate ab Eccleſia, remiſsio obtineri poteſt.*
14 *In immiſsione in poſſeſsionem per ſententiam in vim Saluiani ſeruatur hoc, quòd quis immittatur in poſſeſsionem maioris quantitatis bonorum, vt debitor tædio affectus ſoluat id, ad quod eſt obligatus, cum huiuſmodi iudicium non contineat adiudicationem rei, ſed ſolam detentationem.*
15 *Fructus, qui deducuntur ex re, in qua quis in vim Saluiani immiſſus fuit in poſſeſſionem, imputantur in deductionem ſortis principalis.*

DECISIO DCCXXIII.

FVit dubitatū ſuper confirmatione ſententiæ Rotalis cōtra Illuſtriſſimos Comites Camillum, & Alphonſum latæ, & cōtra eam plura deducebantur; Et primò videri iniuſtam ſententiam in ea parte, in qua pronunciatur D. Claudium immittendum eſſe in poſſeſſionem omnium bonorum Dominorum Comitum, retinendorum per eos quouſque Domini Comites ei aſſignauerint bona æquiualentia totidem bonis, in quibus Dominus Claudius à primogenito Comitis Alphonſi virtute ceſſionis Fabricæ moleſtatur: Verum cum dicti Domini Comites, nec non Comes Franciſcus pater Domini Claudij ſcirent ſe per diuiſionem factam de anno 1552. contraueniſſe diſpoſitioni Patriarchæ; & ideò bona fuiſſe deno-
1 luta ad Fabricam, † non cenſentur inuicem ceſſiſſe, niſi ius, quod habebant, *l. qui tabernas. de contrab. empt. Alexan. in conſ. 63. num. 10. lib. 6.* & ideò cum ius non haberent, & hoc ipſi ſcirent, non eſſe locum euictioni; *l. quod ſi in venditione. cum ſeq. de hæredit. vel actio. vendit. Alexan. in conſ. 93. num. 2. & 94. nu. 5. lib. 4.* Secundo deducitur contra ſententiam, quòd in eam euictionis dānum debebat eſſe commune, & ſic Dominos Comites condemnandos tantum ratione duarum tertiarum bonorum, de quibus agi-
2 tur, non autem in totum, † aliàs reſultaret etiam iniquitas in diuiſione: nam ſolus Comes Franciſcus haberet partem ſuam integram, & reliqui fratres diminutam, & de hoc damno, & incommodo, quòd debeat inter omnes fratres eſſe commune pro cuiuſque rata, expreſſam haberi in diuiſione anni 1577. conuentionem, & eſt conformis diſpoſitioni iuris communis, *l. ſi fratres. C. com. vtr. iudic. Bald. in l. ſi familia. in tertio notab. C. fam. erciſc.* Tertio deducitur non potuiſſe condemnari dictos Dominos Comites propter moleſtias illatas, à primogenito, cum per illos fuerit ſatisfactum promiſſionibus, & hypothecis contentis in inſtrumento, cum ſuſceperint in ſe litem; & præſtent expenſas pro ea neceſſarias, &
3 adhuc pendeat lis, † neque fuerint hactenus ex hac cauſa euicta bona, quo caſu non poteſt agi de euictione, *l. ſi poſt perfectam. C. de euiction. l. habere licere. ff. eodem tit. cum ſimilibus.* Quarto deducitur † promiſ-
4 ſionem de non contraueniendo non impedire,

dire, quominus renuncians non possit impetrare ius nouum, & ex illo petere rem semel renunciatam, *c. 1. cum glos. de renunciat. & ibi Butr. & Abb. Tiraq. in l. si vnquam. in*
5 *præfat. num.* 149. Quinto deducitur † D. Claudium fuisse capitaliter damnatum, & bona eius publicata, & fisco incorporata, qui eorum possessionem adeptus est; & ideò in fiscũ omnia iura actiua, & passiua trãslata, *ad cons. Roman.* 73. & ideò ei obstare exceptionem notorij non iuris. Sexto deducitur in diuisione anni 77. DD. Comites bo-
6 na Fabricæ, & sic † aliena diuisisse; & ideò pactiones de defendendo, & non contrauenendo continere peccatum, & non ligare, *ex doctrina Bald. in c. item sacramenta. nu.* 20. *de pact. iuram. firm. cum alys per informantes allegatis.* * Septimo sententiam cõtinere manifestum excessum, cum ratione molestiarum super tertia parte tantum detur immissio in omnibus bonis. His tamen non obstantibus Domini censuerunt sentẽtiam esse iustam, & confirmandam, cum per Rotam in pluribus decisionibus, maximè *sub die* 13. *Aprilis* 1584. 11. *February, & 1. Aprilis* 1585. fuerit conclusum constare de contrauentione Dominorum Comitum, & ex hoc capite semper egit Dominus Claudius, non autem ex capite euictionis: Quo fundamento stante, quæ in contrarium deducuntur; facilè euitari posse videntur; Et primo, quòd non fuerit in diuisione cessum nisi ius, quod partes habebant, non conuenit verbis diuisionis, in qua non solum verbotenus assignãtur ista bona Comiti Frãcisco, sed etiam actualiter ei fuerunt tradita, & per eum vigore diuisionis possessa, & si aliud sensissent contrahentes, non fuisset opus tot cautionibus, & promissionibus in euentum euictionis, & in euentum, quòd propter diuisionem, ratione alicuius contrauẽtionis acquireretur aliquod ius alieni personæ Communi, Collegio, vel Ecclesiæ.
7 † Nec scientia rei alienæ hoc casu obstat, quia fuit specificè apposita obligatio de euictione, quo casu scientia non obest emptori, sed tantum vbi cautũ non est de euictione, *l. si fundum. C. de euiction. l. si fratres. C. comm. vtr. iud. l. apud Celsum. §. item labeo. de dol. mal. & met. except. Natt. cons.* 181. *num.* 8. quod confirmatur ex suppositione, & subrogatione aliorum bonorum liberorum in locũ bonorum subiectorum voluntati, & dispositioni maiorum. Non obstat, quod secundo loco deducitur ex pacto in diuisione apposito, damnum ex euictione proueniens distribui debuisse in
8 tres partes; quia † pactum illud intelligendum est, quando euictio eueniret à tertio, cui non adessent, neque consentirẽt Domini cõtrahentes; nam quoties ab eodem met venditore mouetur controuersia, tunc statim per litis contestationem committitur stipulatio habere licere, vt habetur *per glos. in l. habere licere. & ibi Bald. & Ang. de euictionibus*. Neque obstat, quòd controuersia mota sit nomine primogeniti Comitis Alphonsi; quia præfati contrahentes obligarunt se non solũ de non inferenda lite, sed etiam promiserunt mouẽti, vel inferenti nõ consentire, *vt fuit ponderatum in decisione facta sub die* 13. *April.* 1584. alioquin facilè posset fieri fraus diuisioni; nam hoc pacto tertiam partem istorum bonorum assignatorum Com. Francisco auferent eius hæredi, quo casu posset rursus ad diuisionẽ prouocare ex capite læsionis, cum interim DD. Comites habeant suas portiones sine vlla diminutione, *vt consideratum fuit alias in illa Portuen. de Columna coram me de anno* 1581.[a] quæ nunc ex aduerso allegatur; sed facit in contrarium, cum nemo controuersiam super bonis possessis à DD. Comitibus mouerit; sed omnem tollit dubitationem, quòd in hac diuisione, in qua omnia pacta sunt correspectiua, Com. Franciscus consensit, quòd post obitum dictorum contrahentium omnia bona feudalia & iurisdictionalia sint præcipua primogeniti Comitis Alphonsi, quam sanè cessionem & renunciationem facturus non erat, nisi assignata sibi validè ea portione, cuius contemplatione ita contraxit, prout apertè colligitur ex ipsius testamento. Non obstat tertio loco susceptio litis, & solutio expensarum, quominus Dominus Claudius potuerit agere, & obtinere, etiam non sequuta euictione, quia
9 quæ allegantur, † procedunt in actione de euictione, non autem in actione ex stipulatu ratione contrauentionum: Illud enim pro-
10 prium est euictionis, † cæteræ verò actiones ob non implemẽtum promissorum exerceri possunt etiam ante casum euictionis, *vt fuit aliàs decisum coram Illustrissimo Aldobrandino in causa Volaterrana bonorum*. Quarto non obstat, quod deducitur *ex cap.* 2. *cum glos. de renunciat.* quòd potuit impetrari ius nouum, quia ista auctoritas non facit ad propositum, cum expressè ibi dicãt
11 Doctores allegati, quòd † renunciatio non se extendit ad illud ius nouum, sed promissio facta in diuisione capit hunc casum euictionis, & molestiarum, ex capite contrauentionis, cuius notitiam habuerunt, & ius nouum impetratum habuit originem ab illa testamentaria dispositione; qua non obstante voluerunt deuenire ad prædictam diuisionem, & vnumquemq; in ea defendere sub promissionibus & obligationibus, de quibus in instrumento. Quinto non obstat sententia criminalis, quæ nunc de nouo pro-
12 ducta fuit, † quia non est habenda in consideratione, cum sit sine processu, vt passim in similibus sententijs perpetuò fuit in Rota obseruatum, *& in specie in vna Mantuana de Pedocchis*, [b] & etiam quia adhuc pendet

* per tex. in c. non est obligatorium. de reg. iur. in 6. & c. quamuis. vbi Gemin. num. 7. Franc. col. 6. in fin. vers. glosa in verbo dispendiũ. Couar. par. 4. §. 6. n. 6. & 7. de pact. in 6. vbi dicit sufficere, quòd iuramentum contineat peccatum mortale, & in c. cum contingat. vbi Alciat. n. 14. & per totum. de iureiur.

a sub die 24. April. 1581.

b die 27. Nouembr 1579. corã bo. me. D. Sabelo.

det causa coram Iudicibus delegatis à Cæsarea Maiestate, cum clausula sine præiudicio cursus causarum ciuilium. Sexto non obstat, quod opponitur de inualiditate diuisionis, & conuentionum ratione interesse Fabricæ, cui iam fuerat ius quæsitum per
13 diuisionem anni 1552. † quia cum nondum fuisset per Fabricam agnita caducitas, poterunt sperare remissionem, prout etiam obtinuerunt, & in omnem euentum, cum fuerit prouisum in casum molestiarum & euictionis, præsuppositum fuit à contrahentibus bona posse aliquando euinci; & ideo cautiones in hunc euentum interpositæ nullam continent turpitudinem neq. peccatũ, immo sunt rationabiles, ne fraudaretur Comes Frãciscus, in cuius portione bona pars horum bonorum obueniebat. Septimo & vltimo non obstat oppositio excessus, cum videatur excedere interesse Domini Claudij; nam cum sententia sit lata in interdi-
14 cto Saluiano, † hæc forma seruatur in huiusmodi remedio, vt quis immittatur in possessionem maioris quantitatis bonorũ, vt tædio affectus debitor soluat id, ad quod est obligatus, non enim continet hoc iudicium adiudicationem rei, sed solam detentationem, ita quòd † fructus, qui interim
15 percipiuntur computantur in deductionem sortis principalis. Et ex his conclusum pro iustitia sententiæ.

Anconitana Prędij.
Die Lunæ 3. Martij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Donatio facta absenti non acceptata seu ratificata non acquirit sui donatario.*
2 *Donatio facta cum pactis & clausulis non alias nec alio modo dicitur conditionalis.*
3 *Actus conditionalis stat in suspenso, donec doceatur de implemento eorum, quæ in conuentionem deducta fuerunt.*
4 *Emptor, cui nec lis, nec quæstio mouetur super re empta, satis dicitur idoneè cautus per pretij inuestimentum in alia re, quæ remanet pro euictione obligata, quod procedit in casu, quo ageretur de euictione, secus si agatur ex empto, vt num. 12.*
5 *In venditione facta ab eo, qui scit rem à se alteri donatam vel obligatam fuisse, locũ habet actio de euictione, etiam antequam euincatur, iuxta dispositionem l. seruus quem. § fin. de action. empt.*
6 *Res donata loco religioso, seu religioni efficitur religiosa, & extra commercium, & fit inalienabilis.*
7 *Bona ecclesiastica, & bona militiarum religiosarum, & Confraternitatum laicalitũ, quo ad probibitionem alienationis non differunt.*
8 *Donatio facta pia causa parte absente, & nemine pro ea acceptante non valet; secus est, si aliquis pro pia causa stipuletur & acceptet, quisquis sit.*
9 *Per monachum Ecclesia acquiritur, cum in his, quæ sunt vtilia Ecclesiæ loco serui habeatur.*
10 *Donatio conditionalis, in qua conditiones veniunt implendæ post perfectam donationem, non suspenditur, licèt conditio possit operari effectum resolutiuum, sed habetur pro modo potius, quàm pro conditione.*
11 *In donatione conditionali ab ea recedere non licet pendente conditione.*

DECISIO DCCXXIV.

QVia Dominus Eques Ascanius de Ludouicis vendiderat Dominæ Camillæ Aquilinæ prædium quoddã, quòd compertum est postea per ipsum prius donatum fuisse sub certis modis & conditionibus Venerab. Religioni SS. Mauritij & Lazari, Domina Camilla agebat ad repetitionem pretij, & desuper obtinuerat sententiam ad sui fauorem à Domino Locumtenente Anconæ, de cuius confirmatione agebatur: Dubitatum fuit, An huiusmodi sententia esset confirmanda vel reuocanda; Et pro parte Domini Equitis prætendebatur eam esse reuocandam ex pluribus; Pri-
1 mo quia, † donatio fuit facta parte absente, neque constat de ratificatione religionis; & ideo non fuisse religioni acquisitam, *Alex. in l. quòd meo. num. 4. de acquir. poss. Ruin. in cons. 121. num. 4. & 174. nu. 5. lib. 1.* Secundo, cum hoc prædium fuerit venditum & traditum Dominæ Camillæ ante traditionem factam religioni, habere locum dispositionem *l. quoties. C. de rei vend.* Tertio,
2 quia † donatio fuit conditionalis, quia fuit facta cum quibusdam pactis, & adiectione clausulæ, non aliàs nec alio modo, quo casu dicitur conditionalis, *Ruin. in cons. 181. nu. 1. lib 1. Rolan. cons. 63. n. 29. lib. 4.* & hinc
3 † resultat suspensio actus, donec doceatur de implemento eorum, quæ in conuentionẽ deducta fuerunt, *vt per Grat. cons. 138. n. 12. lib. 1. Paris. cons. 19. num. 15. lib. 2. Bald. in l. si quidem. num. 5. C. de exception.* Quarto &
4 vltimo, † cum prędium fuerit traditum Dominæ Camillæ, & nulla contra eam moueatur super eo lis vel quæstio, sufficere, vt ei sit idoneè cautum, prout fuit in inuestitione pretij in tot census, qui remanent obligati pro euictione, *ad notat. per Castr. in l. seruus quem. § fin. de action. empt. Ruin. in cons. 141. n. 5. lib. 1. Pedemont. decis. 24. ex regul. l. qui rem. C. de euiction.* His tamen non obstantibus, Domini censuerunt sententiam esse
5 confirmandam, † cum huiusmodi venditio fuerit facta à Domino equite, qui sciebat huiusmodi prædium à se fuisse donatum religioni; ideo habere locum dispositionem

l. seruus quem. §. fin. de action. empt. l. si seruum. eod. tit. l. si hominem. de solutionibus. tradunt omnes, in l. qui rem. C. de euictlion. & fuit latè deductum coram me in vna Romana census. 15. *Martij* 1577. & eo
6 maximè cum † istud prædium effectum fuerit religiosum, & consequenter positum extra commercium & inalienabile, *vt per Fabiã. de monte. in tractat. de empt. & ven-*
7 *dit. q.* 3. *quart. quæst. princip.* & † in hoc nulla est differentia inter bona ecclesiastica & bona harum militiarum, & Confraternitatum laicalium, *vt tradit idem Fabian. quæst.* 11. *num.* 28. *quart. quæst. princip.* & adest particulare decretum prohibens alienationes bonorum religionis cum decreto irritanti, & sub excommũnicationis pœna latæ sententiæ in bulla fel. recor. Pij Quinti fol. 15. Non obstant, quæ in contrarium allegantur; & Primo quòd donatio facta fuerit parte absente; & ideo non teneat, quia in facto noñ est verum, fuit enim facta Camillo Simonetæ Equiti militi & receptori, quem talem esse negare non potest Dominus Ascanius, cum ab eo habitum de mandato Serenissimi Magni Magistri susceperit, & si prætendit cum non habere mandatum ad hoc sufficiens, deberet hoc ostendere, cum tamen contrarium
8 sit de iure verius: † quamuis enim donatio facta piæ causæ absente parte, & nemine pro ea acceptante non valeat, *vt per glos. in l. illud. in verb. alia causa. C. de sacrosanct. Eccles. cũ alijs, quos refert Tiraq. de priuileg pia caus. priuileg.* 115. Tamen vbi aliquis pro pia causa stipulatur, & acceptat, tenet donatio, quisquis tandem ille sit, *vt per Bald. in l. illud. num.* 2. *C. de sacrosan. Eccl. Ias. in l. qui Roma. §. Flauius. num.* 24. *de verbor. oblig. Alex. in l. stipulatio ista. §. si quis ita. num.* 3. *in fin. de verb. oblig. Aretin. in §. cum autem. Instit. de action. Io. de Imol. in d. l. stipulatio ista. §. fin. de verbor. oblig.* &
9 in terminis, † quòd Ecclesiæ acquiratur per monachum, *Innoc. in c. cum olim. il secondo. num.* 4. *vers. sed dices. de priuileg.* nam in his quæ sunt vtilia Ecclesiæ, habetur loco serui, *Bald. in l.* 1. *C. qui admitt. q.* 20. *Felin. in c. parochianos. nu.* 5. *de senten. excommun.* Non obstat secundo, quòd fuerit prius traditum prædium Dominæ Camillæ *per l. quoties. C. de rei vendicat.* quia non procedit, vbi prior contractus factus fuit in fauorem piæ causæ, *Tiraq. vbi supr. priuileg.* 107. Tertio non obstat, quòd donatio sit conditionalis, quia
10 † cum omnes conditiones & pacta apposita veniant implenda post perfectam donationem, ea non suspendunt actum, licèt possint operari effectum resolutiuum, & potius habentur pro modo, quàm pro conditione, *Aym. in cons.* 59. *num.* 1. & *probatur optime ex l. cum res. C. de donation. & in l.* 2. *§. fin. ff. eod. tit. Grat. in cons.* 102. *num.* 31. & *cons.* 108. *num.* 23. & 24. *lib.* 2. sed & dato quòd esset condi-
11 tionalis, † non licuit pendente conditione ab ea recedere, *l. necessario. §. si ita res. de peric. & com. rei vend. & ibi glos. & in l.* 1. *in princ. C. eod. tit. Bald. & Salicet. in l.* 2. *C. quand. lic. ab empt. disced. Afflict. decis.* 280. *num.* 3. & 4. *Tiraquel. de retract. lign. §.* 1. *glos.* 2. *num.* 26. & *glos.* 10. *num.* 43. Vltimo non obstat, quod dicitur
12 † prædium fuisse traditum Camillæ, & à nemine ei controuersiam moueri; ideo non posse agere, maximè cum ei sit cautum, quia prædicta procedunt si velit agere de euictione, non autem agendo ex empto, *vt aliàs dictum fuit in praallegata causa Romana census coram me, ex iuribus & rationibus ibi allegatis*; neque cautum est ei ex inuestitione pretij in tot censibus, quia ex eis tantum assecuratur pretium, non autem aliud interesse, quod multifariam considerari potest, *vt per Butrig. & alios in l. qui rem. C. de euiction.* Præterea *in iuribus allegatis & in decisione Pedemont.* 24. alienata fuerat res, cuius aliquo casu alienatio poterat sustineri, hic verò cum sustineri nequeat, cessant omnia in contrarium deducta; & licèt posset agere ad interesse, & ad quanto minoris, & ad omnia alia, quæ competunt ex remedio actionis ex empto, tamen satis vrbanè agere videtur Domina Camilla, postquam contentatur restitutione pretij & venditionis retractione, & ita nemine discrepante conclusum fuit.

Cremonen. Hospitalis.
Die Mercurij 5. Martij 1586.

SVMMARIVM.

1 *In donatione omnium & quorumcunque bonorum mobilium & immobilium iurium & actionum comprehenditur etiam Iuspatronatus, contra opin. Innocent. in c. ex litteris. num.* 2. *q.* 11. *de iurepatr. & sequacium, secundum communem opinion.*
2 *Appellatione bonorum in contractibus non venit vniuersitas bonorum.*
3 *Iuspatronatus venit appellatione iurium vniuersorum.*

DECISIO DCCXXV.

Controuersum fuit super donatione quadam facta ab Antonio Maria Pauesio Dominæ Lucretiæ vxori omnium & quorumcunque bonorum mobilium & immobilium, iurium & actionum vniuer-
1 sarum, † An scilicet in ea comprehen-

deretur iuspatronatus, quod idem Antonius Maria habebat ad quoddam Hospitale, & pro negatiua deducebatur *Innoc. in c. ex litteris. num. 2. & ibi Card. q. 11. de iurepatr. Dec. in c. sedes. num. 3. de rescript. Couar. var. resolut. lib. 3. c. 13. nu. 4. Lambertin. de iurepatr. lib. 1. part. 2. q. 5. artic. 14. per tot.* Sed contrarium censuerunt Domini, ex quo opinio Innocentij non est recepta, *vt animaduertit Abb. in d. c. ex litteris: num. 12. Et Dec. in c. sedes.* loquitur in iuribus ad certum locum restrictis, *& eodem modo Doctores relati à Couarruuia vbi supra.* Neque opinio Lambertini est vera, fundat enim se in restrictione, quæ inducitur ex particula illa, mea, quæ nihil facit, *vt animaduertit Rebuf. in l. bonorum. de verbor. signif. & contrarium tenuit Abb. vbi supr. Dec. in cons. 127. nu. 2. propè finem*, vbi de communi, *Pute. decis. 351. lib. 2. Ferret. cons. 179. num. 2.* Non obstat, quòd dictio, bonorum, sit restricta ad mobilia & immobilia; quia vlterius processum fuit ad iura & actiones vniuersas;
2 & ideo cessat obiectum, quòd sit, † appellatione bonorum in contractibus non venire vniuersitatem, *vt per Bald. in cons. 1. num. 4. lib. 3. Tiraq. de retract. lign. §. 1.*
3 *glos. 7. num. 5.* † venit enim iuspatronatus appellatione iurium vniuersorum, *Bald. in. cons. 32. num. 3. lib. 1.* transit enim cum vniuersitate *d. c. ex litteris; & c. cum saculum. de iurepatr. Bero. cons. 66. num. 29. & cons. 78. num. 2. lib. 3.* Quæ deducuntur contra validitatem donationis, & præsentationis reseruata fuerunt suo loco discutienda *.

* de isto puncto breuiter resolutū fuit sub die Veneris 27. Iunij proximi per hæc verba, videlicet, Pro validitate donationis vlums.

Syracusana Quartæ.
Die Mercurij 5. Martij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Quarta Episcopo non debetur in relictis factis pauperibus in genere.*
2 *Quarta Episcopalis non detrahitur de relictis personis; secus in relictis pauperibus certi loci; quia legatum videtur factum intuitu illius loci.*
3 *Quarta Episcopo non debetur de relictis pro restauratione Ecclesiæ Matricis, pro ædificatione & reparatione Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, & aliorum piorum locorum, quicquid verò sit, si Ecclesia non indigeat restauratione, cum sit opinio valde controuersa, attendi debet forma legati.*
4 *Quarta Episcopo non debetur de relictis pro subuentione Ecclesiæ respectu luminarium, ornamentorum, & aliorum ad cultum diuinum pertinentium; licèt secus sit, si indeterminatus sit vsus, & non destinatus perpetuò cultui diuino.*
5 *Quarta pro Episcopo non deducitur de relictis pro operibus pijs in genere, si legatum per exequutores distribuatur in fabricam, luminaria, & ornamenta Ecclesiæ vel in concernentia cultum diuinum; secus est si distribuatur in vsum non priuilegiatum locorum piorum.*
6 *Quarta Episcopo non debetur de relicto facto pro maritandis puellis singulis annis; quia si sint pauperes legatum dicitur factum personis non locis, si verò non sint pauperes legatum non dicitur pium.*

DECISIO DCCXXVI.

Circa propositum dubium plures consideratæ fuerunt difficultates; prima fuit, an Reuerendissimo Episcopo Syracusano debeatur quarta ex relictis pro maritandis seu monachandis puellis pauperibus, & pro pane præstando qualibet hebdomada pauperibus, & circa hunc articulum Domini dixerunt regulam esse, quòd
1 † de relictis pauperibus in genere, nulla debetur quarta, *glos. in c. 2. in verb. decreuit, & ibi Innocen. num. 1. Abb. num. 8. de sepultur. Bald. in l. id quod pauperibus. num. 30. vers. addo tertiam rationem. C. de Episc. & cler. Roman. in cons. 233. num. 2. vers. tertio fallit. Petr. de Vbald. de Can. Episc. cap. 5. num. 10. & 11. & cap. 7. num. 15. & 50.* & ratio est, quia quando relinquitur pauperibus in genere, relinquitur per-
2 sonis, non autem piis locis; † De relictis autem personis non detrahitur quarta Episcopalis, *iuxta text. in c. ex parte. il tertio de verb. sign. Imol. Abb. Petr. de Vbald. vbi supr.* fallit autem hæc regula in relicto facto pauperibus certi loci, quia tunc legatum videtur factum intuitu illius loci, & sic factum loco pio. *vt post Io. Andr. limitat Abb. in d. c. 2. nu. 8. & Petr. de Vbald. vbi*
3 *supra*; Secunda difficultas est, † an de relictis pro restauratione Ecclesiæ Matricis, ædificatione & reparatione Ecclesiarum, monasteriorum, Hospitalium, & aliorum locorum piorum debeatur quarta, & Domini censuerunt non deberi, *iuxta text. in c. vlt. ibi seu fabrica. de testam. & in d. c. ex parte. ibi vel ad fabricam. Roman. in cons. 233. in princ. Capic. decis. 23. num. 4.* sed circa hunc articulum insurgit alia difficultas, An hoc casu debeatur quarta, quando de præsenti non indigent restauratione; nam affirmatiuam tenuerunt *Hostien. Io. Andr. & Anchar. in d. c. vlt. de testament. vbi Couar. existimat esse magis communem opinionem*: contrarium verò tenent *Goffred. Card. Barbat. & ipse Couar. per tex. in c. nobis. 12. q. 2.* quia legatum, Ecclesia non indigente seruandum est in futuram Ecclesiæ refectionem, & restauratio-

nem;

nem; ideo in hoc conflictu attendenda est forma legati, si enim testator vult statim vel in singulos annos solui aliquid pro restauratione Ecclesiæ, quæ reparatione non indigeat, tunc seruari poterit communis sententia, si verò legat pro restauratione Ecclesiæ, quoties ea indigebit, tunc contraria sententia erit sequenda, & sub hoc
4 articulo cadunt etiam † relicta pro subuentione Ecclesiæ respectu luminarium, ornamentorum, & aliorum ad cultum diuinum pertinentium, ex his namque non debetur quarta, *d. c. fin.* si verò vsus est indeterminatus & non destinatus perpetuò, cultui diuino, tunc debetur quarta *d. c. ex parte. & c. requisisti. de testam.* Tertia
5 difficultas est, † an de relictis pro alijs operibus pijs in genere detrahatur quarta, & hæc pendet à futuro euentu, si enim exequutores distribuerint legatum in fabricam, luminaria, & ornamenta Ecclesiæ. vel in concernentia diuinum cultum, tunc quarta non deducitur, *d. c. fin. & d. c. ex parte. & Couar. in d. c. fin. num.* 7. quia distributio, quam facit exequutor, censetur facta ab ipso testatore, *l. vnum ex familia. §. 1. vbi Dyn. Bart. & Doctor. de legat.* 1. secus si exequutores distribuerent legatum in vsum non priuilegiatum locorū
6 piorum. Quarta difficultas versatur † circa legatum factum pro maritandis duabus puellis singulis annis, & pro vna puella consanguinea; & conclusum fuit neque etiam hoc casu deberi quartam, quia aut sunt pauperes, & non debetur quarta, vt supra dictum est, cum legatum sit factum personis & non locis: aut non sunt pauperes, & vltra prædictam rationem, militat alia ratio, quòd tale legatum non dicitur pium; & ideo ex eo quarta non debetur, *Tiraq. de priuileg. piæ caus. in princ.* Quare conclusum secundum legatorum differentias, & distinctiones supra deductas esse in hac causa pronunciandum.

Panormitana, seu Romana Cambiorum.
Die Veneris 14. Martij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Non licet, vt vulgo dicitur, stare à cauallo del fosso.*

DECISIO DCCXXVII.

Domini recesserunt à resolutis*; & moti fuerunt præcipuè ex eo, quòd transmissa fuerunt computa à Searlattis & Magalottis post habitam notitiam solutionis factæ Neapoli, per quæ nulla habetur ratio partitarum stornatarum, sed perinde stant prout à principio dixerant se facturos. Neque obstat, quòd prætendant se de eo tempore non habuisse notitiam, quòd agentes eorum Neapoli accommodassent litteras spatij, quia præter quam quòd ex interuallo temporis & ex certioratione solutionis factæ Neapoli hoc non est verisimile, concurrit alia coniectura valde vrgens, quòd sub littera 4. Februarij scribunt Searlatti, (subito che si sappia, come sia passato il negotio, vi si manderanno le partite salde,) quæ res ostendit, eos non prius transmisisse partiras, quàm habuerint notitiam gestorum Neapoli. Et ex his Domini dixerunt satis clarè constare, quòd Domini Searlatti volebant nimis cautè negotiari,
1 † & vt vulgo dicitur, stare à cauallo del fosso, quia Carranaschini sub 17. Nouembris scripserant ad Searlattos, quòd, (nel fidare intendiamo che sia sopra di voi) quod scripserant ea ratione, quia Searlatti noluerant ipsorum fidem sequi. Ex quibus conclusum cessare adminiculum, ex quo adhibebatur fides illis litteris vltimo productis, cum ex supradictis appareat Searlattos non habuisse aliquam rationem dello storno, sed ita partitas transmisisse, ac si non fuisset stornatum istud debitum Carranaschinorum.

* sub die 17. Iunij 1585.

Meten. Canonicatus.
Die Veneris 14. Martij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Nominatio ad beneficium, à Papa Principi concessa, cum clausula in indulto, quòd si persona sit nominata de aliquo beneficio prouisa fuerit, eius nominatio quoad alios Collatores facta ipso iure expiret, non est prohibita iterum fieri, & agitur de intellectu huius clausulæ.*

2 *Priuilegium fauorabile est latè interpretandum in his, in quibus nullum prorsus cuiquam fit præiudicium, nec quicquam respectu illius detrabitur iuris communis dispositioni.*

DECISIO DCCXXVIII.

Fvit actum de intellectu huius clausulæ appositæ in indulto primariarum precum concesso Sacr. Cæs. Maiestati, quæ ita
1 se habet; † Ita tamen quòd persona sic nominata de aliquo beneficio prouisa fuerit, eius nominatio quoad alios collatores & collatrices facta ipso iure expiret, quam quidem clausulam aliàs censuerant Domini hoc innuere, quòd vni personæ, quæ vigore primarium precum semel aliquod beneficium assequuta fuisset, non posset iterum aliud beneficium vigore aliarum precum conferri: Re tamen diligentius examinata & discussa ab omnibus in hanc sententiam itum est, quòd dicta clausula sit intelligenda de alijs precibus, quas eodem tempore quis ad diuersas Ecclesias, à

Cæsarea Maiestate impetrasset, quod fieri solet, non vt omnia illa beneficia impetranti concedantur, sed vt citius pluribus concessis eueniat alicuius vacatio, qua eueniente & subsequuta collatione omnes aliæ gratiæ cessant, ne præter intentionem concedentis, quis plura beneficia consequatur, cui rei per hanc clausulam prouisum est; sed non ideo sublatam esse facultatem iterum alias preces concedendi eidem personæ post prioris gratiæ consumptionem, neque hæc facultas cuiquam aliquod parit præiudicium; non quidem Sanctæ Sedi Apostolicæ, cum eius non intersit, cui fiat collatio; non Ordinarijs Collatoribus, quia semel tantum ratione vnius beneficij grauari possunt, non Ecclesijs, quia semel quoque quælibet Ecclesia grauari potest; non iuris dispositioni ratione pluralitatis beneficiorum, quia data incôpatibilitate per assequutionē vnius vacat alterū: & in summa nulla subest ratio, cur eidem personæ non possit Cæsarea Maiestas huiusmodi nominationem iterato concedere. Neque facit in contrarium *regula l. boues. §. hoc sermone. de verbor. sign.* quia respectu plurium precum eodem tempore concessarum locum habet; nam vna consumpta aliæ euanescunt, sed respectu aliarum precum successiuis temporibus emanatarum non potest applicari; maximè cum limitatio, de qua in prædicta clausula sit concepta per verba denotantia eas preces, quæ tempore consumptionis gratiæ, factæ reperiuntur, cum eas velit tunc temporis expirare, quòd necessario præsupponit earum præexistentiam, neque possunt hæc verba conuenire precibus postea superuenientibus: & licèt aliàs deduceretur eandem esse rationem factarum & fiendarum, tamen re melius considerata apparet longe aliter se habere; nam respectu factarum ratio est, ne quis præter intentionem concedentis plura simul consequatur beneficia, quæ ratio cessat in fiendis. Neque obstat, quòd in posterioribus precibus non fiat mentio priarum obtentarum, quia hoc obiectum cessat ex stylo cum omnes istæ gratiæ sub eodem tenore, nihil prorsus immutato nisi nomine collatoris & Ecclesiæ, concedantur sine aliqua expressione obtentarum, quòd videtur ita practicari ratione facultatis in eodem indulto concessæ nominandi personas, etiam duo vel tria seu plura beneficia cuiuscumque qualitatis & annui valoris obtinentes. Quòd verò aliquibus in locis indulti fiat mentio de singulis collationibus & singulis Ecclesijs, & singulis personis, id non eo tendit, vt limitetur dicta facultas, nisi respectu singularum collationum & beneficiorum in vna Ecclesia, prout hanc limitationem intelligit *Borr. in decis. 32. num. 8.* & hanc interpretationem iuris dispositioni consonam adiuuat etiam qualis qualis obseruantia ex testibus probata; maximè cum Indultum glo. mem. Maximiliani habeat

2 eandem limitationem, † & sumus in priuilegio fauorabili, & latè interpretando in his, in quibus, vt supra deductum fuit, nullum prorsus cuiquam fit præiudicium, neque quicquam hoc respectu detrahitur iuris communis dispositioni, & ex his concorditer Domini recesserunt à resolutis aliàs in hac causa, * & ita conclusum primarias preces, de quibus agitur, suffragari Domino Annibali. * sub 19 Decembr. 1585. coram R. P. D. Decano de Rubeis.

Auximana Iurispatronatus.
Die Lunæ 17. Martij 1586.

SVMMARIVM.

1 *In impetratione beneficij, quod est de iure patronatus, debet de eo fieri mentio ad effectum euitandæ subreptionis, & necessaria est derogatio, & attenditur status præsens beneficij, & de intrusione mentio fieri debet.*

2 *Ad effectum, vt in impetratione beneficij de iure patronatus, necessaria sit illius derogatio, sufficit quasi possessio, & titulus fundationis.*

DECISIO DCCXXIX.

Domini steterunt in decisis * non obstantibus in contrariū allegatis, quia * sub die 7. Febr. proximè præterit.

1 † in istis materijs ad effectum euitandæ subreptionis attēditur status præsens, adeo quòd etiam de intrusione debeat fieri mentio, cum autem hic status præsens sit laicalis, & fundatio facta à laico, vtique necessaria erat derogatio, neque fieri potest fundamentum in eo, quòd prius fuisset relictum iuspatronatus Ecclesiæ, quia tollitur ex codicillis, qui fuerunt obseruati per longissimum tempus nemine contradicente. 1 Neque est verum, quòd Honofrij allegent

2 præscriptionem; quia † illis sufficit quasi possessio, & titulus fundationis ad effectum, vt necessaria sit derogatio, *vt ex auctoritate Card. conf. 69. fuit aliàs deductum* *, Nec facit *Staphileus §. 4. num. 4. de mod. & form. impetr.* quia loquitur in casu metæ consuetudinis vel præscriptionis. * sub dicta die 7. Febr.

Romana Tutelæ de Fabijs.
Die Lunæ 17. Martij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Statutum Vrbis cap. 101. lib. 1. locum habet etiam in obligatione pro tutela.*

2 *Præscriptio statutaria opponi potest aduersus officium iudicis intentatum, ratio est vt num. 7.*

Appel-

3 *Appellatione contractus in statutis venit quasi contractus secundum magis communem opinionem, licèt contraria opinio etiam sit communis : Quod maximè procedit, vbi est eadem ratio, quia tunc venit id, quod comprehenditur sub lata significatione, vt num.4.*

5 *Ex communi vsu loquendi creditor dicitur etiam ille, cui aliquid ex quacunq. causa debetur.*

6 *Vsus, qui est notorius, non indiget probatione.*

DECISIO DCCXXX.

1 FVit dubitatum † an statutum Vrbis
cap. 101. *lib.*1. habeat locum in obli-
2 gatione tutelari, † & an aduersus Iudicis
officium intentatum possit opponi de præ-
scriptione statutaria, & in vtroque capite
Domini amplexi sunt partem affirmatiuam
nemine discrepante; nam licèt magna sit
3 controuersia inter Doctores, † An appel-
latione contractus in statutis veniant qua-
si contractus, de quo *per Bart. in l. apud Iu-
lianum. §. fin. ex quib. caus. in poss. eat. la-
tè Tiraq. de leg. connub. glos. 5. nu.* 119. *q.*
11. *& Ias. in l. possidere. de acquir. poss. di-
cat communem opinionem esse*, quòd non
veniant, tamen ex enumeratione Docto-
rum concludit Tiraquellus contrariam esse
magis communem, nihilominus ad euitan-
dam hanc controuersiam Domini amplexi
sunt conclusionem ab omnibus receptam,
4 quòd † vbi est eadem ratio, venit id, quod
comprehenditur sub lata significatione vo-
cabuli, *vt per eundem Tiraq. vbi supr. sub
num.* 128. 129. *&* 131. *Aretin. in l. mu-
tuum. num. 3. vers. possent tamen concordari.
de acquir. hared. & in l. quicquid adstrin-
genda. num. 6. de verb. oblig. Roman. in cons.*
129. *vers. secunda ratio. Alex. in cons.* 34. *nu.*
8. *lib.* 5. *Ias. in l. Gallus. in princ. num.* 62.
de lib. & posth. Gozad. cons. 103. *num.* 17.
Socin. cons. 129. *num.* 5. *lib.* 1. *Aym. de an-
tiq. temp. part.* 4. *§. transeo. nu.* 38. quòd
autem appellatione contractus largo mo-
do veniat quasi contractus, nemo dubitat,
*& plures text. allegat Tiraq. in loco supra
allegato*; maximè vbi adest nota vniuersa-
lis, velnti in statuto, vel alterius cuius-
cunque contractus, *Rebuff. in l. Labeo. de
verb. signif. fol.* 175. *vers. ad primum.* Præ-
terea si perpendantur verba statutorum,
vtique ex illis colligitur mentem statuen-
tium fuisse comprehendere omne debitum
ex quacunque causa præter exceptuatas,
nam in priore statuto addita est nota vni-
uersalis, cuiuscumque contractus, & in ex-
ceptione fit mentio debiti Tributorum,
ad quæ regulariter subditi tenentur, ra-
tione præcepti superioris, vel ex quasi con-
tractu, & sic exceptio declarat regulam: in
posteriore verò disponitur contra omnes
creditores, & affertur ratio, quæ vniuersali-
ter comprehendit casum tutelarem, *l. cre-
ditores. cum duabus sequent. de verb. sig. §.
actio. Instit. de action.* cum quibus concur-
5 rit † communis vsus loquendi, quo illum
creditorem dicimus, cui aliquid ex qua-
6 cunque causa debetur, & sic † vsus non in-
diget probatione, cum sit notorius, *Rip.
in l.* 1. *num.* 90. *si cert. petat. Cagnol. ibid.
num.* 241. *cum sequent.* Quantum ad offi-
cium iudicis, Dominis placuerunt deducta
per informantes. * Neq. obstat *cons. Calcan.*
75. *num.* 37. *& seq. & Grati.* 101. *num.* 56.
*lib.*2. † quia stante præsumptione solutionis
introducta à statuto cessat illa æquitas, su-
per qua fundatur iudicis officium; maximè
stante tanta negligentia, *vt per Corras. in
repet. §. nihil commune. num.* 125. Et ita
conclusum.

* nèpe quòd officium iudicis, quod competit ex mera prouisione legis non comprehendatur in statutis loquentibus de actione, & quando intentatum fuit officium iudicis, quod propriè deseruit vbi cessat obligatio hominis, siue vbi actio est per statuta ex præscriptione sublata, itaut non censeatur comprehensum sine speciali mentione.

Romana Scripturarum.
Die Mercurij 19. Martij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Concessio seu facultas per motum proprium concessa, per obitum concedentis expirat, si ante eiusdem Pontificis obitum non vtatur; secus est si talis facultas fuerit concessa per viam contractus, quia tunc durat etiam post obitum concedentis, vel si sit facta per viam legis perpetuò duratura.*

2 *Quis præsumitur vsus facultate sibi concessa, licèt non constet, quòd actum fecerit in vim huiusmodi facultatis, si aliàs actus redderetur inualidus.*

3 *Princeps præsumitur vsus sua absoluta potestate, quando actus factus ab eo aliter non valeret.*

4 *Facultas concessa donandi seu actum faciendi non seruata forma statutorum dicitur odiosa & restringenda.*

5 *Motus proprius habens verba denotantia liberum arbitrium, & omnimodam plenam ac liberam facultatem excludit solemnitates legis.*

DECISIO DCCXXXI.

QVia pro parte Lauinię & litis consor-
tium fuit oppositum de inualiditate
donationis, ex eo quòd non fuit seruata
forma statutorum Vrbis, Domini strictè cir-
ca hãc difficultatem dixerunt donationem
sustineri vigore Motus proprii fe. re. Pij IV.
concessi Collegio scriptorum Apostolicorũ.
Neq. obstare, quæ in contrarium deducũtur;
1 Et primo non obstat, quòd † Grellettus fa-
cultate donandi in dicto Motu proprio con-
cessa vsus non est, viuente Pio IV. ideo per
eius obitũ expirasse, *Couar. in c. cum in offi-
cijs. n.* 8. *de testam.* quia cum dicta facultas
fuerit concessa per viam cõtractus, ea durat
etiam post obitum concedentis, *Felin. post
Bald. in c. licèt vndiq. n.* 1. *vers. secundo casu.*

de off. dsleg. sed & apparet concessionē hanc
factam Collegio per viam legis perpetuò
duraturæ, ex quo disponit, quòd neque per
suos successores suspendi vel reuocari pos-
2 sit. Secundo non obstat, quòd † non con-
stet Grellettum donasse in vim facultatis
sibi concessæ; quia cum actus aliàs redda-
tur inualidus, dicendum est vsum facultate
3 sibi concessa; † sicuti dicitur de Principe,
qui præsumitur vsus absoluta potestate,
quādo actus aliter non valeret, *vt per Alex. in l. quanquam. C. de testam. milit. Aleiat. de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 34. num. 2. & facit l. similes. de testam. milit.* Tertio non ob-
stat, quòd in dicto Motuproprio non detur
facultas donandi non seruata forma statu-
torum, & licèt derogetur statutis intelligen-
dam derogationem respectu statutorum im-
pedientium donationes, & non requiren-
4 tium certas solemnitates, † cum facultas
talis sit odiosa, & restringenda, *Dec. in cons. 512. num.* 10. quia cum nulla adsint
statuta impedientia donationes, & deroga-
tio sit amplissima cum clausula, quorum
tenores, vtique de illis est intelligendum,
quæ dant formam donationibus, maximè
5 † cum in Motuproprio adsint verba deno-
tantia liberum arbitrium, ibi omnimodam,
plenam, & liberam facultatem, quæ qui-
dem verba excludunt solemnitates legis,
vt firmat Bald. de statut. in verb. arbitrium. vers. pen. num. 55. in fin. per l. 1. de milit. testam. Curt. sen. in l. si quis maior. nu. 23. vers. tertio modo. C. de transaction. Et ex
his conclusum pro validitate donationis;
quare necesse est, vt si Lauinia, & consortes
volunt in subsidium agere aduersus istas
scripturas, doceant non extare alia bona
Grelletti, *vt aliàs fuit decisum.* *

* præsertim die 16. Martij 1581. coram Illustriss. Card. Blanchetto.

Surrentina Abbatiæ.
Die Lunæ 24. Martij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Possessio capta vigore decreti nulli non priuat possessorem sua possessione.*

2 *Possessio instrumentalis alio existente in possessione nihil operatur.*

3 *Verba habentia relationem ad alia, quæ continent tacitam conditionem, eandem conditionem recipiunt.*

4 *Transmissio clauium habet vim translationis possessionis.*

5 *Possessio vitiosa est sequestranda, & possessor in ea manuteneri non debet.*

6 *Possessio capta cum præsentia iudicis & satellitum vigore sententiæ nullæ dicitur capta per vim expulsiuam, & eo casu datur interdictum vnde vi ex remedio l. meminerint C. vnde vi.*

DECISIO DCCXXII.

FVit resolutum possessionem esse seque-
strandam ex pluribus; Primo quia exe-
quutor deputatus in litteris nulliter pro-
cessit non seruata forma litterarum; & ideo
1 † possessio capta vigore decreti nulli non
priuat possessorem sua possessione, *l. fin. C. comminat. epistol. l. fin. C. si per vim vel ali. mo. Ruin. cons. 17. num 5. lib. 5.* præ-
sertim quòd hactenus probata est possessio
2 tantum instrumentalis, † quæ alio existen-
te in possessione nihil operatur, *l. clam possidere. §. qui ad nundinas. de acquir. poss.* Non obstat consensus Iulij, quem eli-
cere conantur informantes ex illis verbis,
(Voglio vbidire à mandati de Superiori,)
3 quia † cum hæc verba habeant relatio-
nem ad mandata superiorum, quæ conti-
nebant tacitam conditionem dummodo be-
neficium certo modo vacaret, illa verba
hanc quoque conditionem recipere de-
bent. Non obstat, quòd Iulius transmi-
4 serit claues, quæ transmissio videtur ha-
bere vim translationis possessionis, *vt per Butr. in c. fin. nu. 32. de caus. poss. & propr.*
quia visum est Dominis hanc transmissio-
nem non probari concludenter; nam pri-
mus testis super secundo dicit, quòd post
adeptionem possessionis Ecclesiæ Sancto-
rum Philippi & Iacobi, dum acciperetur
possessio habitationis clericorum vidit por-
tari claues à quodam incognito, qui illas
consignauit Lelio nomine Abbatis; Se-
cundus verò dicit, quod fuerunt consigna-
tæ à Vincentio Capellano dictæ Abbatiæ;
Tertius autem, quòd fuerunt consignatæ
à quodam laico, & omnes dicunt fuisse
consignatas die Lunæ 15. Aprilis; & ta-
men possessio fuit capta die Martis 16.
Aprilis: Vnde ex ista varietate & discre-
pantia cum instrumento, Domini non ha-
buerunt istud factum pro probato: Vl-
tra quòd aliqui etiam dubitabant de va-
5 liditate examinis; sed etiam ex alio † istam
possessionem esse sequestrandam, quia
vitiosa est; & ideo possessor non est ma-
nutenendus, *l. 1. vti possidetis.* videtur e-
6 nim violenta, quia † vigore sententiæ nul-
læ fuit capta possessio cum præsentia iudi-
cis & satellitum, quo casu dicitur capta
per vim expulsiuam, *vt declarat Rip. post alios quos allegat in l. naturaliter. §. nihil commune. num. 24. de acquirend. possess.*
& ideo competere interdictum, vnde vi ex
remedio *l. meminerint. C. vnde vi. vt per Bart. in l. fin. q. 2. C. si per vim vel alio mod. Affli. super consuet. Regn. lib. 1. rubr. 24. de violentijs circa possessiones. num. 32. & 33. cum alijs, quos citat Menoch. de recuper. poss. remed. 8. num. 19. & bene declarat Bologn. in l. iustè possides. num. 89. & seq. de acquir. poss.* Et ex his conclusum pro
sequestro.

Bur-

Burgen. Iurisdictionis.
Die Veneris 18. Aprilis 1586.

SVMMARIVM.

1 *Alleganti concordia inobseruantiam incumbit onus probandi concludenter.*

2 *Qua nam dicantur delicta grauia, & qua leuia pluribus modis declaratur.*

3 *Capitulum potest cognoscere de crimine haresis, quando Episcopus est absens, aliàs secus, nisi de eius mandato faciat.*

4 *Quod fit de communi consensu, non operatur concordia vel actus impugnationem.*

DECISIO DCCXXXIII.

QVia pars Reuerendiss. Archiepiscopi voluit iterum audiri super prætensa inobseruantia concordiæ ab Anno 1492. vsq; ad Annum 1514. proposui iterum dubium aliàs resolutum sub die 7. Februarij, & consideratis omnibus actibus deductis in summario vltimo loco dato pro parte Archiepiscopi; Domini censuerunt non esse
1 recedendum à resolutis, † cum enim prætendant informantes pro Archiepiscopo cõcordiam non fuisse obseruatam, ipsis incũbit onus probandi per actus concludentes, quod minimè ex hactenus deductis factum est: Et Primo actus, qui deducitur de Anno 1493. 13. Decembris, in quo Capitulũ cognouit de iniuria illata cum baculo non est contrarius concordiæ, quæ in specie
2 † dum loquitur de iniuria illata cum baculo, * requirit sanguinis effusionem, vt sit de spectantibus ad Episcopum vnà cum Capitulo, & hac eadem responsione tolluntur actus deducti de annis 1501. 16. Octobris, 20. Aprilis & 2. Iunij 1505. & 26. Iunij 1606. Secundo actus sub die 25. Nouembris 1494. in quo Capitulum cognouit de crimine blasfemiæ, non obstat; quia non simpliciter concordia loquitur de omni blasfemia, sed de illa, quæ committitur abnegando vel non credendo. Tertio actus de anno 1500. non continet cognitionem grauis delicti, sed leuis; vomitus enim in choro potuit procedere non solum ex crapula, sed etiam ex imbecillitate stomachi vel morbo: Eodem modo respondetur ad actum de anno 1502. mense Ianuarij, fuit enim verbalis quædam conquestio, quæ non potest dici graue delictum. Quarto actus factus die 18. Ianuarij eiusdem anni, in quo Capitulum cognouit de vulneribus illatis cuidam non obstat; non enim fuerunt vulnera illata per Capitulares, sed per Prouisorem cuiusdam Abbatis, & per Nepotem cuiusdam Canonici. Quinto processus factus de anno 1502. contra quendam Abbatem non est contra concordiam, quia iste casus non est de delictis comprehensis in Alexandrina. Sexto, quod deducitur de eodem anno Capitulum cognouisse de crimine Simoniæ, nõ facit ad rem, quia nullus fuit accusatus de Simonia, sed quidam proposuit querellam contra quendam, qui eum de simonia diffamauerat, & adest sola receptio querellæ. Septimo non obstat actus de anno 1507. in
3 quo Capitulum cognouit de crimine hæresis, tum quòd Episcopus erat absens; tum quòd hoc factum fuit de mandato & consensu ipsius. Octauo quod deducitur de eodẽ anno 28. Maij Capitulum cognouisse de causa furti, non obstat; quia non erat furtum manifestum, de quo loquitur Alexandrina. Nono actus de anno 1508. 21. Augusti, in quo Capitulum cognouit de vulnere, non obstat, quia vulnus fuit illatum per famulum Decani; neq; constat quòd Domini mandato id intulerit. Decimo, quòd de eodem anno 1508. Capitulum cognouerit de delicto lacerationis litterarum Vicarij, hoc non est delictum graue, neq; est de comprehensis in Alexandrina. Vndecimo quod de eodem anno Capitulum cognouerit de furto gallinarum, non est de delicto graui, sed leui, & non manifesto. Duodecimo quæ deducuntur contra actus anni 1510. ex quibus Rota resoluit de anno 1563. coram R. P. D. meo Decano, [a] non constare de obseruantia concordiæ, nullius sunt ponderis & bene fuit omnibus satisfactum in decisione; & ideo nulli adsunt actus contrarij concordiæ vsq. ad annum 1514. quo Capitulum commisit causam super omnimoda exemptione, sed tunc superuenerunt nouæ controuersiæ, quia Episcopus volebat solus procedere, vt in Summario, nu. 30. & ab inde citra continuauit impugnatio cõcordię, vsq; ad annum 1563. Episcopo tamen contradicente, & concordiam producente, cuius vigore mandatum de manutenendo obtinuit, & nisi superuenisset Concilium sopitæ erant lites, sed prætextu quòd Concilium renocasset omnes concordias etiam confirmatas, tentauit Episcopus ab ea recedere, prout ex decisionibus pluribus in hac causa factis [b] apparet, quas hic referre non est necesse. Non obstant testes pro Capitulo examinati, quia Rota visis processibus, & actibus in causa productis non habuit illam probationem pro concludenti, & præualuit probatio resultans ex scripturis productis, & tandem in articulo omnimodæ exemptionis Capitulum succubuit, & desuper fuit lata sententia, quæ tamen reseruat Capitulo Ius, si quod ei ex concordia competebat. Vltimo non obstat, quod prætenditur non fuisse obseruatam concordiam in eo, quod mandat deputari singulis annis iudices, qui cognoscant, an delicta sint grauia vel leuia, quia præterquam quòd de ista negatiua non constat, dato quòd ita se res haberet, non tamen esset contraueniendo in faciendo vel in omittendo, quæ vtraq; parte

* De iniuria illata cum baculo etiam sine sanguinis effusione quòd non sit de leuibus, sed de spectantibus ad Episcopum, contra hanc decisionem resolutũ fuit infra sub die 28. præsentis mensis Aprilis.

[a] coram R.P.D. de Rubeis sub die 21. Iunij 1563.

[b] coram eod. R. P. D. Decano de Rubeis de ann. 1582. 83. & 84.

4 acquiescente nullius est momenti, ✝ quod
enim fit de communi consensu, non opera-
tur concordię impugnationem. Et ita con-
clusum standum esse in resolutis.

Auximana Molendini.
Die Lunæ 21. Aprilis 1586.

SVMMARIVM.

1 *Confirmatio statutorum cum clausula, tantummodo licita & honesta, & hactenus laudabiliter obseruata, nõ comprehendit, nec confirmat ea, quæ sunt contra legum dispositionem.*

2 *Leges absolutè non reprobant consuetudinẽ retractus.*

3 *Fauorabilius est statutum in materia iuris congrui, quod loquitur de ijs, qui rẽ communem alienare volunt, quàm illud, quod compellit ad vendendum, cum sit exorbitans à iure communi.*

4 *In impetratione non est necessaria mentio sententiæ notoriè iniustæ.*

5 *Sententia ex actis non iustificata non habetur simpliciter pro notoriè iniusta, sed tunc si iustificari non potest.*

6 *De sententia ex actis non iustificata non est iudicandum, quemadmodum de sententia nulla, vel de ea, quæ absolutè est notoriè iniusta.*

7 *Subreptio circa id, quod si fuisset Papa specificatum, fuisset gratia denegata, vel saltem limitata, nocet impetranti, etiam si per simplicitatem vel ignorantiam, subreptio fuerit commissa.*

8 *Rescriptum contra sententiam de iure non valet.*

DECISIO DCCXXXIV.

FVit dubitatum, an in reductione con-
firmationis obtentæ à fe. re. Pio V. te-
neretur Raphael facere mentionem senten-
tiæ in Rota latæ, ad effectum de quo agitur,
Obtinuerant Guarnerij confirmari statuta
Auximana à fe. re. Pio Quinto, quam con-
firmationem Raphael obtinuit à fe. re. Gre-
gorio XIII. reduci ad terminos iuris, non
facta mẽtione quòd in Rota cõtra eum pro-
nunciatum fuerat ad fauorem Guarnerio-
rum; & ideo pro eorum parte allegata
fuit subreptio, ad quam euitandam deduce-
bat Raphael dictam sententiam fuisse nul-
lam, & notoriè iniustam; & ideo de ea men-
tionem facere non debuisse. Quantum ad
nullitatem, Domini dixerunt super ea fuisse
aliàs disputatum, & resolutum pro validi-
tate sententiæ, nempe sub die 26. Octobris
1576. & 30. Aprilis 1578.* quibus decisio-
nibus stare noluerunt, attento quòd eadem,
quę nunc deducuntur, tunc deducta fuerunt,
& per Dominos reiecta, & conclusum con-
tra Raphaelem, sententiam contra eum in
Rota latam transiuisse in iudicatum. [a] Quã-

* coram R. P. D. Robustecio.

a vt fuit resolutum supra sub die 21. Iunij anni præteriti.

tum ad notoriam iniustitiam, hanc Raphael
deducebat; primo ex eo quòd confirmatio
obtenta à Pio V. non videbatur suffragari,
1 ✝ cum confirmet tantummodo statuta lici-
ta & honesta, & hactenus laudabiliter ob-
seruata; hæc verò statuta iuris congrui esse
contra legum dispositionem *l. dudum. C. de
contrah. empt.* & fuisse declarata illicita ab
eodem Pio V. in Constitutione edita 6.
Aprilis 1571. in qua reuocat Constitutio-
nes Sixti, Leonis, & aliorum, editas in fa-
uorem fabricare volentium in Vrbe: Sed hæc
obiectio Dominis non placuit; fuit enim
aliàs deducta, & per Rotam reiecta in po-
sitionibus sub die 23. Februarij, & 29. Maij
1573. & 11. Maij 1579. [b] & merito cum
per Guarneriorum testes probata fuisset cõ-
2 suetudo retractus, ✝ quam non absolutè le-
ges reprobant, vt videre est *in c. constitu-
tus. de in integr. restit. & per Bald. & Sa-
licet. in l. 1. num. 1. C. com. diuid. idem
Bald. in l. dudum. num. 2. C. de contrah.
empt.* neq; fuit omnino damnata talis con-
suetudo per Pium Quintum, immo expressè
approbata in allegata Constitutione in qui-
3 busdam casibus, etiam ✝ in casu compulsio-
nis ad vendendum, qui est valde exorbi-
tans à iure communi, & statuta Auximana
loquuntur tantum in ijs, qui rem commu-
nem alienare volunt, & ita longè fauora-
biliora sunt. Secundo dicebatur confirma-
tionem Pij V. fuisse contra Constitutio-
nes Marchiæ, sed hoc quoq; aliàs deductum
fuit & reiectum. Tertio deducebatur ite-
rum nullitas ex defectu iurisdictionis, qua-
si super terris, de quibus agitur, non fuisset
data iurisdictio in Rota, sed hoc fuit in spe-
cie decisum coram me contra Raphaelem
sub die 5. Decembris 1584. & deberet ali-
quando pars tot decisionibus acquiescere.
Vltimo deducebatur idem fundamentum,
quod aliàs fuit deductum sub die 21. Iunij
1585. sententiam Rotalem tempore impe-
trationis reductionis non fuisse ex actis
4 iustificatam; ✝ & ideo notoriè iniustam,
quare de ea mentionem fieri non debuis-
se, *ad Felin. in c. ex tenore. numer. 3. de
rescript.* sed Domini perstiterunt in ea-
dem resolutione, ✝ non enim verum est,
5 sententiam non iustificatam ex actis habe-
ri simpliciter pro notoriè iniusta, sed tum
demum, si iustificari non potest, vt aliàs
dictum fuit, [c] nam quando iustificari po-
test habet implicitum statum validitatis,
*vt fuit dictum in simili in illa Calaguritana
Iurisdictionis coram R. P. D. meo Decano* [d] *8. Aprilis* 1585. & secundum natu-
ram est iusta, licèt ante iustificationem de
6 iustitia non constet, ex quo sequitur ✝ de
ea non esse iudicandum; quemadmodum
de sententia nulla, vel quæ absolutè est no-
toriè iniusta; eo maximè quòd eadem erat
causa defensionis respectu istarum terra-
rum,

b coram eodem R. P. D. Robustecio.

c in præallegata decis. sub die 21. Iunij 1585. & per ibi allegata.

d De Rubeis.

rum, quæ & respectu Molendini; idq. Raphael non poterat ignorare, cum iam de eotempore fuissent factæ resolutiones principales
7 in hac causa, † & dato quòd hęc subreptio fuisset commissa per simplicitatem vel ignorantiam; tamen adhuc nocet Raphaeli, quia est circa id, quod si fuisset specificatum Papæ, vtiq. denegasset reductionem, vel saltem limitasset, quatenus sententia & res indicata esset iniusta, *Felin. in c. super litteris. in 2. conclus. num. 6. vers. limita quinto. de rescript.*
8 † cum de iure rescriptū contra sententiam non valeat, *l. fin. C. senten. rescind. non poss.* Quare conclusum esse standum in resolutis, & cum pars eadem repetat, & inculcet, nihilq. noui deducat, debere aliquando resolutionibus toties iteratis acquiescere.

Burgen. Iurisdictionis.
Die Lunæ 28. Aprilis 1586.

DECISIO DCCXXXV.

PRo parte Reu. Archiepiscopi reclamatum fuit, quòd in decisione vltimo facta dictum fuerit cognitionem iniuriæ illatæ cum baculo sine sanguinis effusione spectare ad Capitulum ex forma concordię, cum prætendatur ex tali declaratione inferri perpetuum præiudicium prædicto Domino Archiepiscopo, & contrarium esse dicēdum stante quòd in prædicta concordia inter casus, quibus Capitulum cognoscit enumerātur iniuriæ illatæ sine armis & baculo; & ideo instatum pro declaratione; Domini attenta probabili ratione dubitandi dixerunt, vt adnotarem, quòd recedendo à prædicta declaratione, super qua poterant partes consulere iudices eligendos iuxta formam concordiæ, qui debeant indicare, qui casus sint graues, & qui leues, retenta fuit responsio in alia decisione* considerata, quòd non probatur tempore quo Capitulum de istis casibus cognouit, Episcopum fuisse præsentem in Ciuitate; & ideo ex his nullam posse elici contrauentionem concludentem ad effectum, de quo agitur.

*sub die 18. Aprilis proximè præteriti sed ad hoc videas sequentem decisionem factam sub die 9. Maij proxime post nu. 13. vbi distinguuntur tres casus.

Romana Pecuniaria.
Die Lunæ 28. Aprilis 1586.

SVMMARIVM.

1 *Instrumentum publicum obligationis Cameralis dicitur continere probationem probatam, & exequi debet.*
2 *Obligatio Cameralis licèt contracta per errorem non impedit exequutionem, si ad probandum errorem res requirat altiorem indaginem.*
3 *Rigor obligationis Cameralis vulnerata per Compromissum et laudū, non est attendēdus, ex quo inducunt nouam conuentionē.*

DECISIO DCCXXXVI.

FVit resolutum, constare de credito claro & liquido Dominorum de Antinoris &
1 Alemanis † per instrumentum publicum obligationis Cameralis, quod dicitur continere probationem probatam, *Aym. in cōs. 317. nu. 1.* & ideo locum esse exequutioni dicti instrumenti non obstantibus ex aduerso
2 deductis: nam quod deducitur † obligationem Cameralem contractam fuisse per errorem, non bene probatur, & res requirit altiorem indaginem; quia multa deducuntur, ex quibus ille error redditur inuerisimilis & dubius; maximè quia causa in tot locis fuit agitata.
3 Non obstat, quòd † rigor obligationis Cameralis nō est attendendus, ex quo fuit vulnerata per compromissum, & laudū quæ inducunt nouam conuentionem, *Alex. in cons. 22. n. 3. vol. 1. cum alijs.** quia licèt nō constet quòd Domini de Sangallettis illud acceptauerint; tamen Domini intelligunt, quòd procedatur ad exequutionem obligationis Cameralis iuxta terminos & moderationem in laudo contentam; & ideo ordinarunt, vt laudum producatur, & iuxta contenta in eo ad exequutionem procedatur.

*Idem Alex. cons. 81. ad fin. volum. 7. Dec. cōs. 610. n. 1 & multo magis in cōpromissum fit factum in quam in amicabilem cōpositorem, ex quo praecluditur via redeūdi ad iudicium pro petenda exequutione obligationis Franc. in c. ex ratione nu. 33. de appellat. Blanch. in tractat. de arbitr. par. 6. nu. 3. Socin. cons. 39. n. 47. vol. 4.

Racanaten. Bonorum.
Die Veneris 2. Maij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Narratiua litis in transactione est verificanda per eum, qui transactionem allegat, cum lis sit de substantia transactionis, & ob id verba enunciatiua litis non sufficiunt; secus tamen est, quando partes non se restringunt ad litem iudicialem; quia sufficit, quòd talis narratiua litis in lite extraiudiciali verificetur.*
2 *Mentio causarum, quæstionum & differentiarum in transactione non intelligitur de lite iudiciali, sed de extraiudiciali; maximè si subiecta materia nō repugnet.*
3 *Ad effectū transactionis sufficit timor litis.*
4 *Ad sustinendum actum verba largè sumi debent.*
5 *Lis extraiudicialis vel timor litis iudicialis ex coniecturis et verisimilitudinibus probatur ad effectum transactionis, & pro illis est præsumendum.*
6 *Pro decreto iudicis præsumitur.*
7 *Transactio, etiam non probata aliqua lite sustineri potest, si in ea adsint verba conuentionem, transactionem, & pactum, quia si non sustinebitur in vim transactionis, poterit sustineri in vim pacti; maximè, si adsit iuramentum.*

DE-

DECISIO DCCXXVII.

1 QVamuis traditũ sit pro regula, quòd † narratiua litis in transactione est
verificanda per illum, qui transactionem al-
legat, cum lis sit de substantia transactionis;
& ideo verba enunciatiua litis non sufficiãt,
*Bart. in l. si fortè. n. 4. de castr. pecul. Dec. cõs.
351. n. 3. Alex. in l. si causa cognita. n. 9. C. de
transaction. & fuit dictum coram R. P. D.
meo Bubalo in vna Anconitana bonorum 4.
Februarij* 1579. tamen quando partes non
se restringunt ad iudicialem, sufficit quòd
verificetur narratiua litis in lite extraiudi-
ciali, *Abb. in c. ex parte. de verb. sign. Dec.
in c. sæpe. n. 7. de appell. Alciat. in l. litis nomẽ.*
2 *de verb. sign.* & hic apparet † partes ad litẽ
iudicialẽ se non restrinxisse ex illis verbis,
quæstiones, causæ, & differentiæ, quæ intel-
ligenda sunt de lite extraiudiciali, *vt per
Corn. cons. 267. nu. 18. lib. 4.* præsertim cum
3 subiecta materia non repugnet, & † sufficiat
timor litis, *l. 2. vbi Doctores. C. de trãsaction.*
4 & † ad sustinendum actum verba largè su-
5 menda sunt, *Aym. in cons. 222. nu. 8.* † lis
autem extraiudicialis, vel saltem timor li-
tis ex coniecturis & verisimilitudine pro-
batur, *vt per Dec. cons. 202. nu. 6. Aym. cons.
275. n. 9.* & has cõiecturas & verisimilitudi-
nes optime deducunt informantes in facto,
6 pro quibus est præsumendum, † stante de-
creto Iudicis Marchiæ desuper interposito,
pro quo præsumitur, *Gabr. de senten. concl. 5.*
7 Prætereà † etiã quòd nulla lis probaretur,
hæc tamen transactio sustinetur in vim pa-
cti, stantibus illis verbis, conuentionem,
transactionem, & pactum, *Bart. in l. si cau-
sa cognita. n. 6. in fin. C. de transaction. Pede-
mont. decis. 91. in fin.* maxime stante Iura-
mento *Curt. iun. testans de communi in d. l. 2.
n. 7. C. de transaction. Paris. cons. 10. n. 98. lib.
1.* Et ex his conclusum pro validitate
transactionis.

Burgen. Iurisdictionis.

Die Veneris 9. Maij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Concordia de communi consensu inita & iurata, & ad partium instantiam à Papa confirmata, præsumitur fuisse obseruata, præsertim si de acceptatione partiũ constet, & nu. 6.*

2 *Non potest quis se fundare in actibus impugnatis.*

3 *Sententia ex actis declaratur.*

4 *Concilium Tridentinũ licet non tollat exẽptiones Capitulorum, non tamen aufert Episcopis facultatem illa visitandi, vti Sedis Apostolicæ delegatis.*

5 *Probatio inobseruantiæ ad eum pertinet, qui contra se habet iuris præsumptiones.*

7 *Concordia obseruantia in principio & in fine litis probata in medio quoq. probata præsumitur.*

8 *Qui vtitur dispositione qualificata, eam probare tenetur cum sua qualitate.*

9 *Probatio contrauentionis est rei, quæ sonat in delictum.*

10 *Ad effectum probandi contrauentionem sufficit præsumptiua probatio præsentiæ.*

11 *Probatis extremis non admittitur præsumptio medij.*

12 *Contrauentio pro actu sustinendo præsumitur sequuta de licentia eius, qui est præsens, & non contradixit in actu.*

13 *Taciturnitas & non contradictio in actibus, in quibus ex dispositione iuris communis ignorantia dari non potest, ad effectum excludendi delictum, & periurium, facit quòd præsumatur consensus.*

14 *Casus dubius an contineatur in concordia excusat ab inobseruantia concordiæ.*

DECISIO DCCXXVIII.

QVia pro parte Reu. Archiepiscopi
fuerunt data satis prolixa memoria-
lia, in quibus totis viribus conantur infor-
mãtes subuertere decisiones factas sub die-
bus 7. Februarij. 18. Aprilis, & 28. eiusdem
mensis præsentis anni, placuit Dominis
ea diligenter discutere, & in effectum hæc
in medium proponebantur. Primo, quòd
non est præsumenda obseruantia concor-
diæ. Secundo, quòd præsumenda esset præ-
sentia Episcopi, vbi non probatur absentia.
Tertio, quòd offensio cum baculo sine san-
guinis effusione est casus, qui spectabat vi-
gore concordiæ ad cognitionem Episcopi
non autem Capituli. Vltimo, quòd in
multis processit Capitulum, quæ spectabant
ad Episcopum, & sic contra formam Con-
1 cordiæ. Quantum ad primum, † cum ne-
gari non possit Concordiam fuisse de com-
muni consensu initam & iuratam, & peti-
tam confirmationem Apostolicam; & ideo
præsumi fuisse obseruatam, *vt per Crescent.
decis. 79. Mohedan.* 290. Conantur Infor-
mantes hanc præsumptionem elidere ex cõ-
tradictionibus Capituli, in quibus inci-
piendo ab anno 1524. vsque ad annum
1563. Canonici, & Capitulum sustinue-
runt litem, & perpetuo conati sunt proba-
re se omnino esse exemptos, & super hu-
iusmodi exemptione plures commissiones
obtinuerunt, articulos dederunt, & testes
examinarunt: Sed Domini dixerunt hoc
non obstare, *cum pluries fuerit resolu-
tum,*

* præsertim sub die 27. Nouembris anni præter.

2 *tum*, * † Episcopum non posse fundare se
in actibus impugnatis, *l. alia causa. C. de*
bis quib. vt indign. l. Papinianus. §. memi-
nisse. de inoff. testam. c. cum olim. & ibi Abb.
& alij de censib. Bart. in l. post legatum. in
princ. num. 6. de his, quib. vt indign. Ias. in
l. postquam liti. num. 2. C. de pact. quæ tan-
to magis procedunt in casu isto, in quo Epi-
scopus obtinuit, & Capitulum succubuit;
Capitulum verò etiam ab huiusmodi im-
pugnatione recessit: vnde succedit disposi-
tio *d. l. alia. & quod dicit Bart. in loco præ-*
allegato, Nec obstant testes à Capitulo in-
ducti & examinati, quia si ex eorum dictis
resultaret concludens probatio exemptio-
nis, Rota non pronunciasset, prout fecit
contra Capitulum, nam quod dicitur senten-
tiam latam fuisse ex capite Concilij Tri-
dentini, id nullo pacto sustineri potest, cum
in sententia dicatur Capitulum non fuisse
3 nec esse exemptum, † & venit declaranda
ex actis, *vt per glos. in c. dudum. in fi. de de-*
cim. Crescent. decis. 135. Commissiones au-
tem Capituli erant super omnimoda Iu-
risdictione, & si in vim Concilij fuisset la-
ta, non autem ex eo quòd non constabat
de exemptione, non erat pronunciandum
Capitulum non fuisse neq; esse exemptum,
4 cum † per Concilium non tollantur exem-
ptiones, sed eis non obstantibus detur fa-
cultas visitandi Episcopis, vti Sedis Apo-
stolicæ delegatis, *vt sess. 7. c. 8. & 24. c. 10.*
5 † Hinc infertur bene per Dominos conclu-
sum fuisse onus probãdi inobseruantiam in-
cumbere Archiepiscopo, idq; clarissimis,
& concludentissimis probationibus, tum ex
quo habet contra se multas iuris præsum-
6 ptiones; nempe quòd † obseruantia Con-
cordiæ præsumitur, & quòd de consensu
tam Episcopi quàm Capituli super eius ac-
7 ceptatione constat † à principio, quando
fuit celebrata, & in fine litis, quando fuit
datum vtriq; parti mandatum de manute-
nendo: vnde media quoq; præsumuntur *c.*
inter dilectos, & ibi Doctor. de fid. instr. Al-
ciat. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 22. vltra
quòd etiam huius rei certam & veram
probationem habemus per actus anni 1510.
vt fuit resolutum, tum etiam quòd hodie
Archiepiscopus vult venire contra id, quod
in contradictorio iudicio per eius antecessorem
nomine dignitatis in tribunali Rotæ
obtentum fuit, causa maturè & per plures
annos discussa, *contra l. 3. quod quisq; iur.*
Quantum ad secundum; An præsumen-
da sit præsentia Episcopi, Domini dixe-
8 runt, † eum qui vtitur dispositione quali-
ficata, eam probare debere vnà cum sua
qualitate, *Bart. in l. 1. de condit. ex leg.*
Bald. in l. si quis non dicam rapere C. de
Episc. & Cler. Socin. cons. 27. num. 14. &
9 *65. num. 4. in 4. cum simil.* † Ad ef-
fectum autem probandi contrauentionem,
10 quæ res sonat in delictum, † sufficit pre-
sumptiua probatio præsentiæ, *per Achill.*
decis. 1. de probation. maximè quia in con-
trarium militat fortior præsumptio pro
validitate actus, *l. quoties. de reb. dub.*
11 adeo quòd, † neq; etiam probatis extre-
mis duobus hoc casu admittatur præsum-
ptio medij temporis, vt de forensi *tra-*
dit Alciat. dicta præsumpt. 22. in fin. &
Rota coram me in proprijs terminis præsen-
tiæ tenuit in vna Romana de Gaddis 24.
Octobris 1578. *& bene per Alexand. in*
cons. 80. num. 13. cum allegat. in Addit.
& cons. 94. in fin. lib. 5. quod eo facilius
12 procedit, quia † in actibus, ex quibus pre-
tenditur contrauentum, ex quo non proba-
tur absentia Episcopi; aut Episcopus erat
absens, & res est clara pro Capitulo; aut
erat præsens, & tunc ex quo non contra-
dixit, præsumuntur facti de eius licentia
pro sustinendo actu. Neque obstat, quod
dicitur Episcopum ignorasse concordiam,
13 quia † cum illi actus etiam ex dispositione
iuris communis, cuius ignorantia dari non
potest, sustineri non possent, vtique Epi-
scopi taciturnitas, & non contradictio fa-
cit præsumi eius consensum, ad effectum
excludendi delictum, & periurium, & hoc
solum sufficere posset ad tollendas omnes
contrauentiones ex aduerso allegatas.
Quantum ad tertium, An iniuria illata cum
baculo sine sanguinis effusione spectet ad
cognitionem Episcopi, Domini in hac
positione remiserant hanc diffinitionem
iudicibus iuxta formam Concordiæ eli-
gendis, cum res videatur dubia; Duo enim
sunt casus clari; vnus est, quòd iniuria cum
baculo & sanguinis effusione spectat ad
Episcopum, alter verò est, quòd iniuria
sine armis & baculo & sanguinis effusio-
ne spectat ad Capitulum, sed tertius ca-
sus non est expressè diffinitus in concor-
dia, quando cum baculo sine sanguinis
14 effusione illata est iniuria; † & ideo sal-
tem hæc dubietas excusat ab inobseruan-
tia, *l. igitur. §. potest. de liber. caus. glos. in*
l. vnic. §. fin. si quis iusdic. non obtemp. &
ibi Alexand. Socin. Ias. quos refert Cagnol.
ibid. num. 21. Vnde ad hunc effectum non
potest dici constare de contrauentione &
inobseruantia, vltra alias solutiones in alijs
positionibus per Dominos deductas. Quan-
tum ad actus allegatos, ex quibus præ-
tenditur contrauentio, Domini persiste-
runt in solutionibus aliàs datis, quia par-
tim non constat de præsentia Episcopi, par-
tim sunt de ijs, quæ non pertinent ad Epi-
scopum, & quia in alijs decisionibus hæc
fuerunt deducta in specie respondendo ad
omnes obiectiones, ideo non repetun-
tur. Et ita conclusum standum esse in re-
solutis.

Tiburtina Compromissi.
Die Veneris 9. Maij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Bona quæ erant patris possessa per patruum pluribus remedijs de iure communi recuperari possunt, prout per tit. de petit. hæredit. & quor. bonor.*
2 *Pactum in diuisione inter fratres positum, quod in euentum, quòd appareat alterum non esse participem, nisi de tanta parte & non de maiori, non impedit iuris sui prosequutionem in re ad eum tangente, quæ per alterum possidetur.*
3 *Verbum, liceat, est potestatiuum non necessitatiuum.*
4 *Diuisio facta de aliquibus bonis non debet extendi ad alia bona neq; ad alias causas.*
5 *In dubio nunquam quis censetur renūciasse iuri suo.*
6 *Pactum super bonis hæreditarijs non trahitur ad non hæreditaria.*
7 *In his, quæ pendent ex animo, magis inspicitur opinio, quàm veritas.*

DECISIO DCCXXXIX.

DOmini sine aliqua difficultate censuerunt Antonium potuisse agere contra
Benedictum patruum, tam inspecto iure
communi, quàm verbis instrumenti diuisio-
1 nis; nam † de iure communi, si bona pos-
sessa per Benedictum erant Ioannis Petri
patris Antonij & fratrum, potuit Antonius
cōtra eum pluribus remedijs agere, de qui-
bus in titulis de petitione hæreditatis, &
quorum bonorum; Inspectis verò verbis di-
uisionis, ea non obstant Antonio, quominus
potuerit agere ex pluribus: Primo, quia
2 præsupponunt vnum casum tantum, † nem-
pe in euentum, quòd appareret Benedictū
patruum participem esse de tertia tantum
parte bonorum, & non de dimidia, prout ip-
se asserebat, liceat Antonio agere ad eius
ratam portionem; ideo sublato præsupposi-
to, si apparet, neq; etiam pro tertia parti-
cipasse, hoc pactum non facit ad rem, neq;
impedit iuris sui prosequutionem, *l. mancipia. & ibi Butrigar. Saliect. & Fulgos. C. de*
3 *seru. fugiti.* Secundo quia loquitur † per
verbum, liceat, quod est potestatiuum non
necessitatiuum, *l. sæpe audiui. de off. Præsid. Pute. decis.* 8. *lib.* 2. *Accbill.* 1. *de priuileg.*
4 Tertio quia † diuisio facta de aliquibus
bonis non debet extendi ad alia bona,
neque ad alias causas, *vt bene per Bertrand. in cons.* 178. *in* 2. *par. lib.* 2. Quar-
5 to, quia † in dubio nunquam censetur renū-
ciatum iuri suo; maximè cum nullum ne-
gotium gestum fuerit cum Benedicto, neq;
aliquis pro eo stipulatus fuerit, *Bart. in l. stipulatio ista. §. si stipuler. n.* 3. *de verb. oblig. Alex. in cons.* 131. *num.* 8. *lib.* 4. *cum alijs.* *
6 Non obstat † pactum adiectnm, quòd resi-
duum bonorum hæreditariorum remaneat
penes fratres, quia intelligitnr sub eodem
præsupposito, quòd Benedictus haberet me-
dietatem, prout asserebat, dictorum bono-
rum, quo stante hæc non potest trahi ad di-
ctam medietatem, quæ stante præsupposito
non erat hæreditaria, & de qua non est ve-
risimile voluisse paciscentes disponere, cum
7 putarent ad se non spectare, & † in his quæ
pendent ex animo, magis inspicitur opi-
nio, quàm veritas, *iuribus vulgarib.* Quare conclusum pro Antonio nemine discrepante.

* Saliect. in l. si certis. in fin. in verb. interdum ps etiestar. C. de pact. Alex. in l. rescriptum §. plerunque vers. quemadmodum ff. de pact. Idem Alex. de cōmuni cons. 131 lib.

Anconitana Vineæ.
Die Mercnrij 2t. Maij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Præscriptio tam de iure communi quàm vigore statuti non habet locum non concurrente bona fide, & initium præscriptionis propter malā fidem dicitur vitiosum.*
2 *Mala fides tutoris in præscriptione nocet pupillo, & nu. seq.*
3 *Bona fides contrahentis spectanda est, tam si contrahat nomine proprio quàm si alieno; quod maximè locum habet in inchoanda præscriptione; secus fortè posset esse in iam inchoata vel à patre, vel à pupillo cū bona fide, si in tutore adsit mala fides.*
4 *Possidens naturaliter & vti vsufructuarius cum principio medio & fine vitioso, hoc est cum mala fide, non præscribit, aliàs secus.*

DECISIO DCCXXXX.

FVit resolutum præscriptionem statuta-
1 riam non obstare Lauræ, † cum enim
non possit habere locum præscriptio tam
ex dispositione iuris cōmunis, quā statuti, de
quo agitur, nisi concurrente bona fide, certū
est initiū præscriptionis esse vitiosū propter
malā fidē merā Clarotij. Neq; obstat, quòd
contractus nō substantietur in personā Cla-
rotij, cum contraxerit nomine alieno, *l. t. §. per procuratorem. de acquir. possess. cū alijs;*
2 † & ideo mala fides tutoris non noceat pu-
pillo, * vt videtur innuere *Bal. in Auth. ad hæc n.* 12. *C. de vsur. quē refert Io. de Imol. in c. fin. n.* 33. *de præscript. Balb. in tract. de præscription. in* 2. *part.* 3. *partis principal. q.* 16.
quia respectu acquisitionis, cuius initiū est
spectandū, non est aliqua differentia, An cō-
tractus fiat nomine proprio vel alieno, nam
text. in l. cum qui. §. in hac actione. de public.
3 tradit regulam generalem, quòd † bona fi-
des cōtrahentis spectanda sit, *concordat textus in l. huiusmodi. de contrahen. empt. & l. hæres eius. §.* 1. *de vsucapion.* & differentia, quæ
datur inter eum, qui contrahit nomine pro-
prio, vel eum qui nomine alieno, tollitur

* & fuit dictum supra in hac causa sub die 4. Februarij 1586. in fine decisionis.

por

per textum in l. cum mancipium. de edil. edict. in illis verbis vbi loquitur de seruo, qui emit, cum nihil intersit, peculiari an domini nomine emerit. Nec obstat *doctrina Bald. allegata*, quia non declarat, quo casu loquatur, & procedere potest in præscriptione inchoata, vel à patre vel à pupillo bona fide, quo casu scientiam tutoris ei non nocere satis est probabile, sed in inchoanda præscriptione hoc videtur iniquissimum, & contra iura allegata, maximè in casu isto
4 in quo † pater naturaliter semper possedit vti vsufructuarius, *l. naturaliter. de acquiren. possess.* & ideo hæc possessio naturalis, quæ sola præscriptionem parit, erat penes patrem non penes filios, & post eorum mortem semper penes eum remansit, adeo quòd principium, medium, & finis huius possessionis sunt vitiosa. Quod verò dicitur de mala fide Clarotij, quòd non sit vera sed præsumpta, tollitur ex decisionibus factis, & etiam procedit respectu continuationis, non autem acquisitionis, cum statutum requirat positiuè bonam fidem, & in hoc concordat cum iuris communis dispositione. Et ideo conclusum hanc præscriptionis exceptionem non obesse Lauræ agenti.

Neapolitana Canonicatus.
Die Mercurij 21. Maij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Clericatus collatus à non suo Episcopo non est legitimè collatus, non facta mentione licentiæ tanquam solemnitatis extrinsecæ.*

2 *Clericatus vbi probatur ex communi reputatione, sufficit probatio, quòd ipsemet incedat in habitu clericali, nisi constet de malo initio.*

3 *Non rite promotus ad ordines in sui præiudicium dicitur clericus sed ordo caret exequutione.*

4 *Possunt simul stare, quòd quis sit clericus, & tamen non sit rite ordinatus.*

5 *Iudex laicus in dubio debet remittere eum, qui asserit se clericum, suo Episcopo, vt cognoscat, an sit clericus.*

DECISIO DCCXLII.

Domini recesserunt à resolutis, * & ex pluribus dixerunt non constare legitimè de clericatu Stephani Prouenzalis, nam concesso quòd scriptura clericatus sit in forma probanti, & testes rite examinati:
1 tamen adhuc obstat, † quòd collatus fuit à non suo Episcopo sine licentia, de qua nulla fit mentio, & priuatim, non autem publicè in aliena diœcesi, in qua aderat Archiepiscopus Surrentinus, qui conferebat ordines, & alia administrabat vice Illustr. Archiepiscopi Neapolitani, quæ multum eneruant fidem huius clericatus; solet enim Episcopi, qui non subditum promouent, facere mentionem licentiæ, tanquam solemnitatis extrinsecæ, *Afflict. decis. 107. num. 5. Achill. de decret. decis. 2. Puteus 359. lib. 1.* Adest præterea confessio dicti Stephani, qui interrogatus medio iuramento dixit, se non esse clericum, & prius de anno 1568. tanquã laicus fuerat captus à Curia laicali, & inquisitus, neque tunc allegauit se esse clericum: Coadiuuatur suspicio, tum ex eo quòd non reperiuntur aliæ ordinationes eiusdem Episcopi Bouinen. in Ciuitate Neapolitana; tum quòd adest in Curia Archiepiscopali Constitutio anni 1549. quòd nemo possit adnotare ordinationes, nisi notarius ordinarius illius Curiæ, aliàs habeantur pro falsis. Neque obstant ea, quæ in contrarium aliàs fuerunt
2 deducta; Et Primo, quòd † per testes probetur, quòd ipsemet incedebat in habitu clericali; quia hæc probatio est alicuius considerationis, quando probatur clericatus ex communi reputatione, non autem
3 vbi constat de malo initio: nam † talis promotus non rite in sui præiudicium est clericus, sed ordo caret exequutione, *vt per Caputaquen. decis. 126. lib. 1. in impress.* sed etiam hæc præsumptiua probatio eliditur per alios testes rite examinatos, qui deponunt, quòd incedebat in habitu laicali, & quòd erat descriptus in numero militum; ideo ista præsumptio parum facit; maximè cum per se sit satis debilis, *Alciat. de præsumption. reg. 2. præsumpt. 4.* Secundo non obstat remissio facta tanquam de clerico ad curiam Episcopalem, & approbatio Ordinarij eum
4 clericum vocantis, quia † possunt hæc simul stare, vt supradictum est, vt sit clericus, & tamen non sit rite ordinatus: sed & consideratum fuit hæc fuisse gesta lite jam introducta; & ideo non obesse
5 Capitulo; Vltra quòd † Iudex laicus in dubio debet remittere eum, qui asserit se clericum, suo Episcopo, vt cognoscat, an sit clericus, *Bellamer. in consil. 10. num. 3. in fin.* Non obstat *decisio in causa Ispalen.* * quia ibi in publico auditorio procedebatur, hic verò ordo intra priuatos parietes collatus fuit, adeo quod ex notorietate non recipit aliquod adminiculum; Et ideo conclusum præualere probationem contrariam.

* sub die Lunæ 9. Decembris anni præteriti.

* Ispalen. Iudicis præsentandi. 13. Febr. 1579.

Racanaten. Bonorum.
Die Mercurij 28. Maij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Ad sustinendam transactionem vltra narratiuam partium sufficit adfuisse proba-*

bilem timorem litis futuræ.

2 *In transactione, quæ fit inter patrem & filium, non requiritur solemnitas statuti adhibendi consanguineos.*

Idem si fiat extra domicilium transigentium, quo casu arbitrarium est iudici huiusmodi solemnitate omissa, suam interponere auctoritatem.

3 *Minor factus maior post transactum tempus datum ad reclamandum, transactionem impugnare non potest.*

4 *Insinuatio ex cursu triginta annorum ante litem præsumitur, cum præsumantur omnes solemnitates à iure requisitæ interuenisse, stante maximè non reclamatione.*

5 *Transactio facta non verificata aliqua lite potest etiam sustineri in vim pacti.*

DECISIO DCCXLII.

Causa iterum proposita Domini steterunt in decisis * pro validitate transactionis; nam quod primo loco deducitur, partes restrinxisse se ad litem iudicialem, propter illa verba, de quibus in actis & processu causæ; aduertendum est illa verba non respicere differentias, quæ erant inter Hieronymum patrem & eius filios Honophrium & Ludouicum, sed quæ erant inter patrem & filios ex vna, & Antonium Franciscum ex altera, inter quos de eodem anno intercesserat alia quædam transactio, ex qua satis iustificatur lis iudicialis, quæ tamen non est necessaria hoc casu, cum agatur de validitate transactionis inter pa-
1 trem & filios, † pro qua sustinenda vltra narratiuam partium, sufficit adfuisse probabilem timorem futuræ litis, stantibus prætensionibus in transactione deductis, *l. 1. de transactionib. & l. 2. C. eod. Roman. in consil. 244. num. 2. Dec. consil. 532. num. 10. cum alijs per informantes allegatis.* * Secundo, quod deducitur non fuisse seruatam formam Constitutionis Marchiæ, omisso in
2 præsentia † an requireretur aliqua solemnitas in transactione, quæ fit inter patrem & filios, in qua re adest *cons. Dec. 180. lib. 1. & ibi Addit. & de communi testatur Gabr. de statut. concl. 2. num. 1.* Et omisso etiam, an Constitutio fit veteris editionis, vel ex Additionalibus Carpensis, fuit consideratum, quod cum iste contractus celebraretur extra domicilium contrahentium, non fuisse facile adhibere istos consanguineos, quorum interuentus requiritur in Constitutione; & ideo arbitrarium fuisse iudici illis etiam omissis interponere suam auctoritatem, *vt post Corn. & alios tradit Menoch. de arbitr. iud. cas. 212.* quæ verisimilitudo iuuatur ex lapsu tanti temporis, & non contradictione filiorum, cum superuixerit Hieronymus ab anno 1543. quo fuit facta transactio vsque ad annum
3 1567. & sic † fuit transactum tempus, quod datur minoribus ad reclamandum, *l. fin. C. si maior. fact. alienat. fact. sine decr. rat. hab.*
4 Tertio, † quod dicitur de insinuatione tollitur, ex cursu triginta annorum ante litem, ex quo præsumuntur omnes solemnitates à iure requisitæ interuenisse; maximè stante silentio & non reclamatione filiorum, *per d. l. fin.* Ex quo bene infertur,
5 nihil obstare, quominus † hæc transactio etiam in vim pacti teneat, prout in alia positione [b] fuit deductum. Quæ autem de læsione dicuntur, ex inspectione transactionis tolluntur, cum partes, quæ assignantur filijs dentur ipsis liberè & pleno iure & cum plena facultate de illis ad libitum disponendi, & ita cessauit in illis vsusfructus paternus; Et præterea renunciauit alijs prætensionibus, quarum in æstimatione litis habendus esset respectus ratione futuri euentus. Et ita conclusum.

* Sub die 2. Maij proximè præteriti.

a Dec in rubr. C. de transac. Rimin. consil. 102. num. 2. vol. 1. Parif. consil. 18 n. 3. vol. 1. & 130. num. 7 vol. 4. Tib. Decian. consil. 64 n 3. vol. 3 Mohed. decis. 3.

b Sub dicta die 2. Maij præteriti.

Rauennaten. Bonorum.
Die Veneris 30. Maij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Textus in l. si pater. C. de instit. & subst. secundum magis communem opinionem dicitur correctus per l. quoniam in prioribus. C. de inoff. testamen. cum argumentis tam pro affirmatiua quàm negatiua, & num. 16.*

2 *Magis interest filiorum testamentum esse nullum, quàm conditiones in eo appositas circa legitimam reijci.*

3 *Vbi fit mentio de conditionibus in dispositione fauorabili, non est facienda restrictio ad potestatiuas.*

4 *Dilationes vt plurimum non sunt potestatiuæ.*

5 *Onera & grauamina repugnant naturæ conditionum potestatiuarum.*

6 *Onera & grauamina adiecta legitimæ, quæ reijciuntur, intelliguntur tam de his, quæ proueniunt à conditionibus potestatiuis, quam à casualibus & mixtis, cum æquè per omnes onus heredi impositum dicatur.*

7 *Dilationi plerunque inest conditio.*

8 *Onus conditionum casualium & mixtarum maius & grauius est onere potestatiuarum.*

9 *Per conditiones potestatiuas nullum testamentum subuerti potest.*

10 *Institutio sub conditione potestatiua, & relictum legitimæ sub eadem conditione potestatiua differunt secundum Socin. sed hoc nullo iure probatur.*

11 *Per querellam inofficiosi, non semper testamentum subuertitur.*

12 *Non est inconueniens, quòd lex, quæ venit ad-*

addendo aliquid legi præcedenti corrigat in ijs, in quibus addit priori dispositioni, immo necesse est, vt sit correctoria.

13 *Non est inconueniens, & nouum, quòd sub aliquo titulo ponantur etiam ea, quæ aliquam affinitatem cum illo habent, licèt fortasse magis propriè ad alium titulum pertinerent.*

14 *Exceptio casus dicitur etiam ampliare regulam, quando aliàs exceptio non esset de regula.*

15 *Licèt Iustinianus profiteatur in iure nihil correctum, nihil contrarium, nihil repetitum esse, pluribus tamen in locis reperiuntur leges correctæ & contrariæ, de quibus hic afferuntur quamplurima exempla.*

DECISIO DCCXLIII.

DVbitatum fuit, an doctrina *Bart. in l. si pater. num. 2. vers. ego tamen sic in contursu &c. C. de institut. & subst.* sit magis com-
1 munis & vera, † nempe quòd textus *in d. l. si pater.* sit correctus *per leg. quoniam in prioribus. & l. scimus. §. cum autem. C. de inoff. testam.* multi enim ex Doctoribus Bartolo antiquioribus, & eius æqualibus senserunt non esse correctam, sed adhuc vigere distinctionem inter conditiones potestatiuas & casuales siue mixtas, itaut illæ reijciantur ad effectum, vt filius consequi possit purè & simpliciter portionem legitimam; hę verò testamentum reddunt ipso iure nullum, nisi etiam filius eodem testamento exhæredetur *iuxta text. in l. suus. de hered. instit. & in d. l. si pater.* Bartolus verò refert, cum aliquando sequutus esset illorum opinionem, & postea casus de facto occurrisset, se melius & subtilius considerando adhæsisse opinioni *glosæ in d. l. si pater.* quòd hæc iura correcta fuerint; Ideo operę pretium erit prius discutere veritatem huius opinionis, deinde ad auctoritates deueniemus. Igitur pro antiquorum sententia negatiua, plura deducuntur, quæ & diffusè & subtiliter congesta fuere *per Barthol. Socin. in cons. 97. lib. 3.* Ea verò omnia tendunt ad euitandam correctionem, quæ sumitur ex allegata *l. quoniam in prioribus. & l. scimus. §. cum autem.* nam *in l. quoniam.* disponit Iustinianus, vt si conditionibus quibusdam vel dilationibus, aut aliqua dispositione moram vel modum vel aliud grauamen introducatur, ex quibus imminuta iura filiorum videantur, ipsa conditio, vel dilatio vel alia dispositio moram, vel quodcunque onus introducens tollatur & pro non addita habeatur; *At in §. cum autem.* proponitur facti facies, in qua; pater hærede extraneo instituto iusserat restituere filio suo hæreditatem, cum moreretur, vel in certum tempus disposuerat, & sanciuit Iustinianus, vt iuxta suam Constitutionem, qua omnem dilationem, omnemq. moram censuit esse subtrahendam, quarta portio statim filio restituatur, & hunc textum tanti fecit Bartolus, vt eo motus à priori sententia discesserit, & in certamen disputationis Raynerium Forolijuiensem præceptorem suum prouocarit, prout referunt multi Doctores, & postremo *Socin. in allegato consil. 97.* Itàque ad euadendas huiusmodi auctoritates plura comminiscuntur; Et primo *d. l. quoniam in prioribus.* retinere eosdem terminos, qui supponuntur *in l. omnimodo.* & tantum supplere illius legis dispositionem, quæ prospexerat in casu, in quo aliquid minus legitima filijs testamento relinquebatur, in hac verò prospici, si relictum non sit purum, vel aliqua dilatione aut onere grauatum: retinendo itaque terminos *l. omnimodo.* quæ non innouat iura antiqua respectu filiorum præteritorum, vt probatur in vers. sin vero vel præterierint, & filij instituti sub conditione casuali vel mixta, iure antiquo pro præteritis habeantur, *d. l. si pater.* in consequentiam videri *tex. in l. quoniam in prioribus.* licèt loquatur indistinctè de conditionibus, intelligendum esse potestatiuis, non autem de ijs, ex quibus oritur præteritio. Secundò cum *l. omnimodo.* loquatur in casu, in quo testamentum est validum, sed per querellam subuertebatur, quod suadet titulus, sub quo est collata, debemus etiam interpretari *l. quoniam.* retinendo eosdem terminos validitatis testamenti, quòd si interpretemur id, quod dicitur de conditionibus, vt etiam comprehendat casuales & mixtas, vtique deducemus illius legis dispositionem ad casum, in quo testamentum ex alio capite nempe præteritionis est nullum, quod repugnat materiæ tituli, sub quo est collocata, & themati *l. omnimodo.* quod in hac retentum fuit, & etiam
2 vtilitati filiorum, † quorum magis interest, vt testamentum sit nullum, quàm quòd reijciantur conditiones. Tertio intelligunt in specie *§. cum autem.* præsupponendam esse validitatem testamenti, puta vel quia filius exhæredatus fuerat, vel quòd aliqua alia ratione sustineretur, alioquin frustra agi de querella, vbi testamentum ipso iure nullum est: Alios etiam intellectus afferunt, quos latè prosequitur *Socin. in d. consil. 97.* Quarto recentiores vrgent alia ratione non contemnenda, dicunt enim *l. quoniam in prioribus.* esse ex Constitutionibus prioris, nō autem posterioris editionis Iustinianei Codicis, quod ex Cronologis ostendūt, & est verum; Absurdum ergo videri in priori editione positas fuisse sub eodem titulo duas leges, quarum vna per alterā est correcta & abrogata contra attestationem Iustiniani *in l. 1. §. quibus. C. de non. Cod. fac. §. tollendis. de Iustinian. Codic. confir. l. 3. §. su-*

pradicti. C. de emendat. Codic. Postremo pro
hac parte citaur multas Doctorum anti-
quorum & recentiorum auctoritates, de
quibus postea examinãdo, quęnam sit ma-
gis communis opiuio, agetur. His tamen
non obstantibus, magna Dominorum con-
sensione in Bartoli sententiam itum est,
vti in æquiorem & veriorem, pro cuius cō-
firmatione hæc potissimum deducta fuere:
Primo in allegatis Constitutionibus men-
tem Iustiniani fuisse vna & eadem opera
prospicere filijs, ne portione eis iure natu-
ræ debita fraudarentur, & consulere te-
stantium voluntatibus, ne facilè subuerte-
rentur, & retractarentur, quod colligitur
ex præfatione *d. l. omnimodo. & ex l. qua
nuper. in princip. & l. quoniam. ibi ne occa-
sione minoris quantitatis testamentum rescin-
datur. & ex §. cum autem. in fin.* Itaque in
tam fauorabili dispositione, verba indistin-
ctè prolata indistinctè esse intelligenda,
3 & † cum de conditionibus fiat mentio, ne-
que restringat se ad potestatiuas, de om-
nibus Constitutionem esse intelligendam.
Secundo confirmatur ex eo, quòd non so-
lum fit mentio conditionum, sed etiam di-
lationum, ex quibus mora vel modus aut
aliud grauamen introducitur, vt igitur vna
4 pars alternatiuæ aliam declaret, † cum
dilationes, vt plurimum non sint potestati-
5 uæ, † & onera & grauamina repugnent na-
turæ conditionum potestatiuarum, *l. non-
6 nunquam. de condit. & demonstrat.* † certè di-
cendum est Iustinianum de omnibus con-
ditionibus sensisse, aliàs nulla potest dari
concludens ratio, cur potius has reijciat
quàm illas, æquè enim omnibus istis casi-
bus dicitur onus hæredi impositum, &
7 † etiam plerunque dilationi inest conditio,
l. hac conditio. de condit. & demonstrat. Ter-
tio vrgent verba Constitutionis, dum in ea
dicitur, ipsa conditio vel dilatio, vel alia
dispositio moram vel quodcunque onus in-
troducens tollatur; si enim tollenda est cō-
ditio quodcunque onus introducens, quo
pacto dici potest sublatas non esse condi-
8 tiones casuales & mixtas, † quarum onus
maius & grauius est quàm potestatiuarum,
hoc certè repugnat rationi naturali & in-
tellectui hominis sanæ mentis, vt voluerit
Iustinianus tollere id, quod minus præiudi-
cium inferebat, id verò quod grauius erat,
reliquerit incorrectum. Quarto cum ema-
narit hęc Constitutio, vt supradictum est, ad
conseruandas testatorum voluntates, quid
opus erat conditiones potestatiuas de me-
9 dio tollere, † propter quas nullum legitur
testamentum subuersum fuisse, immo iure
antiquo etiam institutionibus filiorũ suo-
rum hæredum addi poterant *d. l. suus. de hæ-
red. instit. l. fin. de cond. instit.* nam quod com-
miniscitur *Socin. num. 2. versic. respondeo du-
10 pliciter*, † constituendo differentiam inter
institutionem sub conditione potestatiua
& relictum legitimæ sub eadem conditio-
ne, vt illo casu non dicatur relictum minus
legitima, hoc verò secus, nullo iure proba-
tur; Altera verò solutio, cum ait quòd *lex
11 quoniam*, non dicit † quòd per querellam
testamentum semper subuertatur in illis
casibus, contrariatur verbis eiusdem tex-
tus, in quo ita disponitur, ne occasione
minoris quantitatis testamentum subuer-
tatur, quæ verba innuunt huic rei Iusti-
nianum prospicere voluisse, & non facile
admittendum est, vt vetera iura sine aliqua
necessitate corrigantur, quod secus esset
in casu proposito. Quinto pro hac opinio-
ne allegatur *text. in d. §. cum autem. inducen-
do, vt per Bart. & Doctores in d. l. si pater.*
Alia argumenta desumi possunt à Doctori-
bus hanc partem defendentibus, & præ-
cipuè *Alexand. in d. l. si pater. num. 8. circa
med. versic. in eadem. ad fin. glos. qua. tas ibid.
num. 18. & sequen. Suarez in l. quoniam. in
1. ampliat.* Non obstant in contrarium de-
ducta; & Primo quod dicitur *l. omnimodo.*
retinere ius antiquum respectu præterito-
rum; quales sunt ij, quibus sub conditio-
ne nō potestatiua aliquid relinquitur; quia
ex verbis eiusdem legis tollitur obiectum;
loquitur enim de ijs præteritis, quibus ni-
hil penitus relictum est, quod dici non po-
test de ijs, quibus sub quauis conditione
aliquid relinquitur; & quamuis *Socin. in
allegat. consil. 97.* dicat duplicem casum ibi
considerari, vnum præteritionis, nulla fa-
cta mentione filij; alterum, vbi eius fit mē-
tio, sed nihil relinquitur; tamen confundi-
tur hæc distinctio per legem sequentem, in
qua ponitur eadem exceptio sub istis ver-
bis, exceptis illis, quibus nihil in testa-
mento derelictum est, & sic apparet diffe-
rentiam illorum casuum nullius esse mo-
menti: Præterea etiam quod *lex quoniam*,
retineat terminos *legis omnimodo*, cum ve-
12 niat addendo, † non est inconueniens, im-
mo necesse est, vt antiqua iura corrigat in
ijs, in quibus addit priori dispositioni. Se-
cundo non obstat, quòd tam ratione tituli,
sub quo positæ sunt istæ leges, quàm ratio-
ne retentionis eiusdem thematis præsup-
ponenda sit validitas testamenti in disposi-
tione *legis quoniam*; quia *in l. omnimodo.*
non se restrinxit Iustinianus ad cō eruatio-
nem testamētorum ratione solius querellæ,
sed etiam prospicere voluit alijs modis,
quibus subuerti poterant, vt probatur in
illis verbis, vel alio modo subuertendis:
13 † Neque nouum est sub aliquo titulo etiam
ea poni, quæ aliquam affinitatem cum illo
habent, licèt fortasse magis propriè ad aliũ
titulum pertinerent, veluti in hoc eo-
dem titulo *l. si filiam. & l. testamenti*, quæ
magis ad exhæredationis materiam quàm
inofficiosi testamenti pertinent, quod con-

firmatur ex eo, quòd excipit præteritas, quæ quidem exceptio demonstrat eum loquutum esse etiam in casibus nullitatis te-
14 stamenti, † ne exceptio non sit de regula, quo casu etiam ampliat regulam, *vt per Euerard. in loco ab exceptione ad regulam.* Tertio quod deducitur super intellectu §. *dum autem.* non obstat, cum non in eo solum fundetur opinio Bartholi; licèt ab eo magnum deducatur argumentum, & responsiones ex aduerso datæ omnes sunt diuinatoriæ, & facilè confutari possunt, vt videre est apud Doctores supra citatos. Quarto non obstat recentiorum consideratio, quòd *l. quoniam.* sit primæ editionis; & ideo non esse ferendum, vt sit cor-
15 rectoria *l. si pater.* quia quòd † Iustinianus pluribus in locis profitetur, nihil correctũ, nihil contrarium, nihil repetitum in iure reperiri, id non præstiterunt præcisè, qui iura eius mandato compilarunt, vt sexcentis exemplis doceri potest, & est in confesso ferè apud omnes, quòd euidenter *in hoc eodem titulo de inoffic. testamen.* demonstratur, in quo *l. conqueritur.* pertinet ad ius antiquum, quod testatur *ibi gloss. in fin.* eodem pacto *l. parentibus. in fin.* correcta est, cum neque etiam si filij testamentum patris in ea specie non approbarint, possint instituere querellam, cum obstet *l. omnimodo.* Quare nihil est, quòd timeamus admittere interpretationem glosæ & Bartholi metu correctionis. Vltimo superest videre, quænam opinio sit magis communis; & licèt hæc inspectio non sit necessaria in conflictu tot Doctorum, qui fortasse reddunt rem obscuram, quænam sit magis communis, *vt tradit Neuizan. in Sylu. nupt. lib. 5. num. 74. Dec. in cap. 1. in 1. lectur. nu. 32. de constitut. Rip. respons. 1. de substitut. num. 10.* Tamen quia contra Bart. sententiam allegatur *decis. Aegid. Bellamer. 26.* non erit inutile videre, qui Doctores pro hac opinione contra Bartholũ allegari possint; itaut eorum ratio haberi possit: Et primo, quantum attinet *ad decis. Aegid.* vix ea potest censeri decisio indubitata Rotæ, nisi Aegidium accusare velimus, quòd parum tribuerit auctoritati Rotæ, & malè de ea sit meritus, cum in fine post recitata consilia dicat elige, quam vis, quod certè dicturus non fuisset, si Rota eam sententiam pro vera & inconcussa habuisset. Neque etiam inter assertores huius sententiæ connumerandi sunt interpretes, qui *dictam l. si pater.* impliciter explicant, nulla facta huius controuersiæ mentione, *ad notat. per Abbat. in cap. bona. il 2. num. 30. de postulat. Prælat. Calcan. in consil. 29. num. 9. Alciat. de præsumpt. reg. 1. præsumpt. 51. num. 4. cum alijs.* Nec etiam connumerandi sunt illi, qui simpliciter referunt opiniones, & eas indiscussas relinquunt transeuntes ad alia fundamenta. Illi quoque qui sibi ipsis contrarij fuerunt, non sunt connumerandi, nisi aliquando dicant se alteram vti veriorem amplecti, prout fecit Bartholus in hac quæstione. Doctores quoque qui aliorum consilijs subscribunt, non merentur allegari, nisi pro eo, de quo principaliter agitur, non pro eo quod perfunctoriè dictum est: Praeterea illi non sunt connumerandi in casu isto, qui disputant quæstionem de substituto, an pro instituto haberi debeat, quia hæc quæstio est diuersa valde ab ea, quam tractamus; & ideo istis de medio sublatis, di-
16 xerunt Domini liquidè apparere, † magis communem opinionem stare pro Bart. quẽadmodum & plures de ea attestantes recensentur à Domino Arigono, * qui cum diligentissimè huic inspectioni satisfecerit, non est abutendum otio in repetendis ijs, quæ optime per eum congesta in hoc articulo fuere. Et ita conclusum.

* Pompeo Arigono tunc Aduoc. Cõsistor. qui postea fuit sanctæ R. E. Cardinalis.

Comen. Præposituræ.
Die Veneris 6. Iunij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Oblatio non dicitur conditionalis, ex eo quòd testis, qui de ea deponit, refert se ad conuentiones, si in conuentionibus nõ appareat de aliqua conditione.*

DECISIO DCCXLIV.

ISTæ oblationes secundum sententiã plurium ex Dominis non sunt conditionales, saltem ad effectum denegandi remissoriam; nam aliqui testes veluti Vannosinus deponit simpliciter, alij verò licèt videantur habere relationem ad conuentiones,
1 † tamen cum ex lectura conuentionum non appareat de aliqua conditione; ista relatio non facit oblationem conditionalem. Neque obstat, quòd testes videantur dicere, quòd fecerunt istas oblationes, vt Lupus desisteret à lite, quia licèt hæc fuerit intentio testium, tamen ista intentio non influit in oblationem, nisi fuisset in ea specificè hoc dictum, vt recederetur à lite, & pro hac oblatione considerati fuerunt primus testis, Antonius Maria Carabellus; Secundus Marchio Horatij Pallauicinus; Tertius Alexander Roissus; Septimus Turnanus.

Illerden. Augmenti.
Die Veneris 6. Iunij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Aucto valore, seu pretio rerum, pro quibus soluitur pecunia pro alimentis, augetur etiam obligatio, quod procedit etiam si statutum sit, quòd cõmutatio prius facta in pecuniam perpetuò obseruaretur.*

2 *Statutum, quod conuentum fuit, vt perpetuò obseruetur, intelligi debet rebus sic stantibus.*

DECISIO DCCXLV.

FVit dubitatum, an constet statutum cõditum de anno 1579. fuisse iustum vel
iniustum, & censuerunt Domini fuisse iustũ,
1 nam † aucto valore augetur etiam obligatio *l. si quis. de solutionib.* De augméto verò
pretij rerum constat ex testibus datis in summario pro Capitulo, & ex taxa per eosdem deducta, in qua videntur potius Canonici moderatè circa augmentum se gessisse, nec releuat, quod dicitur fuisse conuẽtum, quando commutatio fuit facta ciba-
2 riorum in pecuniam numeratam, † vt statutum illud perpetuò obseruaretur, quia in alia decisione * responsum fuit, id locum habere rebus sic stantibus, *l. quod Seruius. de cond. ob caus. l. quaro. §. inter locatorem. locati. Tiraq. in l. si vnquam, in præfation. num. 168. C. de reuoc. donat.* Et ita resolutum in causa Cæsaraugustana alimentorum. * Quare conclusum pro iustitia statuti.

*sub die 10. Octob. 1581. num. 7.

* coram eod. Illustr. Seraphin. sub die 12. Decemb. 1572. & 22. Ianuar. 1574.

Romana Donationis de Cincijs.
Die Veneris 13. Iunij 1586.

SVMMARIVM.

1 *In ratificatione donationis eadem solemnitates requiruntur, quæ per statutum in ea contrahenda imponuntur.*

2 *Ex forma statutorum Vrbis maior viginti annis habetur, ac si esset maior vigintiquinque.*

3 *Statutum domicilij contrahentis habilitans personam ad aliquem actum trahitur etiam extra territorium, maximè si res, super qua disponitur, sita sit in territorio statuti.*

4 *Solemnitas statuti Vrbis non requiritur in actu, qui fit in alia ciuitate.*

5 *Donatio iurata non indiget insinuatione, cum iuramentum defectum insinuationis suppleat, etiam si statutũ requirat, quòd donatio insinuetur; quod maximè procedit, quando per donantem fuit statuto renunciatam, vt num. 7.*

6 *Statutum simpliciter loquens de insinuatione adhibenda non trahitur ad donationes & contractus, in quibus adest iuramẽtũ.*

8 *Ad renunciationem statuti sufficit generalis renunciatio.*

9 *Clausula, cum solitis clausulis, renunciationibus, & cautellis iuxta stylum Curiæ extendendis, posita in donatione extenditur etiam ad renunciationem statuti, & alterius, quæ donationi obstare possent.*

DECISIO DCCXLVI.

DOminus Vincentius Cincius maior viginti annis & minor vigintiquinq; existens Perusiæ, ratificauit, & de nouo fecit donationem omnium suorum bonorum præsentium cum quibusdam reseruationibus Domino Cęsari Cincio fratri germano, de cuius validitate cõtingit dubitari: Et cõtra hanc ratificationem opponebatur eam
1 non valere; † cum enim in ea requirãtur eędem solemnitates, quæ in ipsa donatione contrahenda requirerentur, *ad notat. per Innoc. in cap. cum dilectis. circa med. de empt. & vend. Bald. in margarit. in verb. ratificari. num.* 1. debebat saltem adhiberi solemnitas statuti Perusini, requirentis certã solemnitatem in alienationibus bonorum minorum: vnde cum neque adhibiti fuerint curator & fideiussor facultatibus idoneis iuxta formam statuti, neque insinuata fuerit donatio intra tempus à statuto pręfixũ, videbatur insurgere duplex nullitas. Quibus tamẽ non obstantibus Domini concorditer pro validitate donationis steterunt; nam quantum attinet ad priorem obiectionem, cum Dominus Vincentius esset maior
2 viginti duobus annis, & † ex forma statutorum Vrbis *lib.* 1. *c.* 47. maior viginti habeatur, ac si maior esset vigintiquinq; vtiq; nulla opus erat solemnitate adhiberi soli-
3 ta in contractibus minorum; nam † statutum habilitans personam trahitur etiam extra territorium; maximè quando res, de qua agitur, sita est in territorio statuentiũ, *Bald. in l. cunctos populos. num. 13. C. de Sum. Trin. & fid. Cath. Castr. in cons. 226. lib. 2. Socin. cons. 239. num. 2. lib. 2. Put.*
4 *decis. 365. lib. 3. Aebill. 2. de constit.* & † cũ actus fieret Perusiæ, non requirebantur solemnitates Vrbis, *Cuman. in cons. 72. Si-*
5 *gnorol. 166. Aym. 695. in princ.* † Quantum verò ad defectum insinuationis oppositum, fuit dictum non obstare, cum simus in donatione iurata, & iuramentum supplet defectum insinuationis, *latè Gabr. qui alios citat in concl. 1. num. 66. de donation.* Neque obstat, quòd statutum requirat, vt intra certum tempus donatio insinuetur *ad cons. Feder. 281. Curt. iun. 141. n. 21. cum*
6 *alijs** quia † statutũ simpliciter loquens nõ trahitur ad donationes & contractus iuratos, *Alex. cons. 27. col. vlt. & cons. 125. num. 12. lib. 1. Bauer. de virtut. iuram. versic. 23. Socin. iun. cons. 32. num. 19. lib. 3.*
7 *Bero. cons. 180. num 10. lib. 1.* † Præterea *cons. Federic.* non procedit vbi renunciatum est statutis, vt ipsemet tradit, *& fuit decisum per Dominos meos in vna Vrbeuetana hæreditatis coram me 15. Iunij 1580.* vbi
8 in specie fuit dictum, † sufficere generalem renunciationem *per cons. Corn. 186. num.*
9 18. *lib.* 1. Hic autem † adest clausula, cum so-

* Gabr. de donat. concl. 67 Alciat. cõs. 107. num. 18. Addit ad Ias. in cons. 31 in littera E & in fin. & hoc nõ videl habere contradictionẽ iuxta opin. Butr. Imol. Socin. Bald. & Frãcisci Aretin. relat. p Curt. iun. in cons. 142. vbi de commun.

solitis clausulis, renunciationibus & cautellis iuxta stylū Curiæ Romanæ extendēdis, quæ sine vlla difficultate extenditur ad quæcunque statuta & alia, quæ obstare huic donationi possent: Quæ tanto magis admittitur in casu isto, in quo constitutus fuit procurator ad insinuandum in eodem instrumento, & in præsentia iudicis fuit insinuata, quod sufficit, vt ex stylo dato comprobatur; quod tamen dictum fuit ex abundanti, cum supra deducta satis superq. tollant omnem difficultatem.

Tiburtina Bonorum, seu Compromissi.
Die Lunæ 23. Iunij 1586.

SVMMARIVM.

1 *De diuisione inter fratres & separatione à communione bonorum satis dicitur cōstare, ex quo frater se contulit ad habitandum in aliam Ciuitatem.*

2 *Diuisione semel sequuta, pratendens iterum contractam fuisse bonorum societatem, debet eam probare vel per conuentionem expressam, vel per actus tales, qui citra ius & nomen societatis fieri non possint.*

3 *Actus quamplures, negotiatio, administratio, & alia gesta nomine proprio arguunt diuisionem inter fratres non probata societate vel communione.*

4 *Sequuta semel diuisione inter fratres, si in alia re adsit societas seu participatio, ex ea non infertur ad vniuersalem communionem & societatem bonorum.*

DECISIO DCCXLVII.

FVit resolutum non constare de vniuersali societate bonorum inter Io. Petrum
1 & Benedictum fratres; † eum enim de anno 1543. deuentum fuisset in eos & alios fratres superstites ad diuisionem omnium bonorum, post quam diuisionem Benedictus se contulit ad Ciuitatem Veliternam, vt deponit Sebastianus frater & testis Benedicti, vtique cōstat de claro initio diuisionis & separationis à communione bonorum: Vnde
2 † si Benedictus, vel ius ab eo habentes, prætendunt iterum contractam societatē vniuersalem fuisse, vtique debent eam probare vel per conuentionem expressam, de qua nullibi constat, vel per actus tales, qui citra ius & nomen societatis fieri non possint, *Ang. in consil. 31. col. fin. Dec. consil. 21. colum. 2. Paris. cons. 86. num. 3. lib. 1. & fuit conclusum in Romana de Crusiarijs de anno*
3 *1568. coram Illustriss. Lancellotto.* * † Actus verò, qui reperiuntur probati in processu pro parte Antonij filij & hæredis Io. Petri, maximè coadiuuant exclusionem huius societatis; nam de anno 1546. fuit latum laudum inter Io. Petrum & Benedictum super quibusdam pecunijs Benedicti, quæ remanserant in apotheca penes Io. Petrum & earum fructibus, & deinde sequenti tempore Io. Petrus Apothecam vti propriam administrauit, bona plura tam mobilia quàm immobilia nomine proprio emit, nomineq. proprio negotiatus est, bona empta nomine suo describi fecit in Catasto Communitatis, & pro illis onera & collectas nomine proprio soluit, & postmodum cōuentus negauit se post diuisionem bona sua communicasse cum Benedicto, quæ denegatio est alicuius momenti, cum per testes Benedicti approbetur Io. Petrus vti vir probus, & veridicus: Vnde bene ad singulos istos actus applicātur deducta per Dominos informātes pro Antonio, & præcipuè *ex Cephal. cōsil. 340.* Neque prætendi potest, quòd hæc gesta fuerint inscio Benedicto, cum ipse per plures annos steterit in apotheca, & penes se libros Io. Petri retinuerit, in quibus supradicta omnia descripta apparent, *vt fuit dictum in illa * artis Aromatariæ de anno*
4 *præterito coram R.P.D. meo Bubalo.* † Quæ verò deducuntur pro parte Benedicti non inferunt ad vniuersalem communionem & societatem bonorum, sed ad aliquam societatem siue participationem in apotheca, nam quantum ad dimissionem capitalis in apotheca, ex ea non infertur ad renouationem societatis, *vt per Castren. in cons. 415. num. 2. lib. 1. Crott. cons. 15. num. 15. lib. 1. & alios quos congerit Menoch. cons. 121. num. 82. cum seq.* & licèt adsint aliquæ partitæ, ex quibus deducitur exclusio societatis apothecæ, veluti illa, in qua fit mentio de salario, & aliæ, in quibus describitur Benedictus debitor, quod non reperitur factū de Io. Petro: tamen Domini inclinarunt adesse aliquam participationem, quæ tamen qualis, & quanta sit erit videndum, nam super hoc non fuit discussio facta, quia dubiū propositum versabatur circa societatem vniuersalem, quam ex prædictis excludi censuerunt.

* in Roman. bonorum de Cruciarijs sub die 20. Februar. quæ in impress. diuersor nouiss. est decis. 169. par. 2.

* in illa Romanæ societatis Aromatariæ sub de 12 Maij 1585

Burgen. Iurisdictionis.
Die Veneris 27. Iunij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Non potest quis se fundare in eo, quod non fuit obseruatum, quinimmo impugnatū.*

2 *Concilium Tridentinū verisimiliter nō censetur voluisse praseruare cōcordias, qua tūc temporis non erant in viridi obseruantia, & qua habebant contrarium vsum.*

3 *Concordia illa non censetur praseruata per Concilium Tridentinum, à qua de communi partium consensu recessum fuit.*

4 *Praseruatio iuris partis nihil de nouo inducit.*

5 *Communis consensus ex pratensionibus omnino contradictorijs & incompatibilibus elisi non potest.*

4 *In institutione conditionali ante conditionis implementum non defertur hereditas, & deficiente conditione, is cui datur hereditas, non dicitur substitutus sed institutus.*

5 *Mater vocata in casu, quo vxor fuit instituta sub conditione si vitam vidualem & castam seruauerit, eueniente casu non dicitur substituta sed instituta; secus est si cum nominatione vxoris concurrat hereditatis delatio, quia tunc mater dicitur substituta non instituta.*

6 *Si duo sub contrarijs conditionibus instituantur, secundo nominatus non dicitur substitutus, sed institutus.*

7 *In successione seu institutione fallax est argumentum desumptum à mente testatoris, quòd voluerit ab ordine scripturæ, vt primo loco nominatus dicatur institutus, & secundo loco substitutus.*

8 *Mater vnà cum vxore instituta concurrit in hereditate filij respectu legitima vno & eodem tempore.*

9 *Dictio, perdat, in institutione, potest propriè & impropriè diuersis respectibus sumi.*

10 *Verbum, constituo, non potest importare institutionem & substitutionem, vbi adest diuersa ratio euentuum.*

11 *Institutio sicut potest esse directa & fideicommissaria, ita verificari potest modo in institutione, modo in substitutione.*

12 *Testator non potest dici testatus fuisse in scriptis, si adhibuerit notarium & testes.*

13 *Clausula in testamento apposita seu in codicillis, quòd dispositio valeat eo modo & forma, prout magis & melius valere potest, & omni meliori modo operatur, quòd testator noluerit se restringere ad testamentum in scriptis.*

DECISIO DCCXLIX.

QVia instatum fuit pro parte Ill. Dominorum de Zampeschis, vt discuterentur duo articuli aliàs resoluti [a], quorum prior est, an mater esset instituta vel substituta; Alter an Dominus Brunorus testatus fuerit in scriptis; ideo has difficultates proposui de ordine Dominorum, & ijs discussis, quantum ad priorem quæstionem Domini censuerunt non esse recedendum à sæpius resolutis, nam pro basi & fundamento est præsupponendum nos versari † in institutione vxoris conditionali, quod non solum ex eo colligitur, quòd instituta est sub verbis ex sui natura importantibus cõditionem, his nempe, (facendo però vita casta honesta, & vedouile) sed etiam quia sub contraria conditione adempta est hæreditas; itaut etiam sub conditione data censeatur, *l. aliquando. de cond. & demon. Ruin. cons. 170. num. 5. & 6. lib. 3.* Item præsupponendum est † conditionem illam castitatis & viduitatis non solum respicere tempus post aditam, sed etiam ante aditam

[a] coram R. P. D. Decano de Rubeis in pluribus decisionibus & præsertim sub die 15. Ian. & 14. Martij 1561.

3 hæreditatem, † itaut sit necessaria cautio Mutiana ante legati consequutionem, vel hæreditatis aditionem, *§. quæ verò. Auth. de nupt.* Vnde fit, quòd cum hæc sit conditio successiua, & initium respiciat tempus ante aditionem, & per consequens priuatio relata ad initium impediat hæreditatis acquisitionem, vt eo casu non possit dari substitutio neque directa neque fideicommissa-

4 ria; non directa, quia † ante conditionis implementum in conditionalibus non defertur hæreditas, *l. is qui heres. de acquir. hered.* & ideo defecta conditione, is, cui datur hæreditas non dicitur substitutus, sed institutus, *vt doctè tradit Cuiac. ad Affric. tractat. 2. in enarratione. l. si mater. §. si filius. de vulg. subst.* non fideicommissaria, quia ea præsupponit aditionem, *Castr. cons. 77. n. 1. vers. in contrarium facit. lib. 1.* His suppositis facilè tolluntur ea, quæ in contrarium deducũtur: Quod enim dicitur ex ordine scripturæ prius vxorem deinde matrem vocatam fuisse, & ideo substitutam videri, *l. vlti-*

5 *ma C. de hered. instit.* † tunc locum habet, quando cum nominatione concurrit hæreditatis delatio, aliàs solus ordo hunc effectum non parit, quod manifestè demonstratur *ex doctr. Fabr. & Ang. aliàs allegata, In-*

6 *stit. de vulg. subst.* [a] vbi † duobus sub contrarijs conditionibus institutis, secundo nominatus non dicitur substitutus sed institu-

[a] in principio.

7 tus. Neque obstat, quòd † cum ordine scripturæ videatur concurrere mens testatoris, volentis vxorem primo loco, & in illius defectum matrem sequenti loco succedere; quia fallax est huius argumenti conclusio: non enim simpliciter verum est testatorem primo loco vxorem prætulisse, sed cum hac adiectione, (facendo però vita casta, honesta, & vedouile,) Vnde sequitur, quòd (nõ facẽdo vita casta & vedouile,) matrem vxori prætulerit, & sic hoc casu ex mẽte testatoris ea primum locũ obtinet. Neq. obstat *doctr. Bart. in l. 3. §. filius. n. 3. de lib. & posth.* quia necesse est intelligere eam, vt procedat in institutionibus puris, non autem in conditionalibus, vt non destruatur doctr. *Fabr. & Ang. supr. relata*: Præterea non applicatur casui nostro; nã ex legis dispositione reijcientis omnem conditionem, *l. quoniam in prioribus. C. de inoff. testam.*

8 † concurrit respectu legitimæ mater vnà cũ vxore vno & eodem tempore. Non obstat,

9 ponderatio illius † dictionis, perdat, quia aliàs optimè fuit responsum [b] posse propriè & impropriè diuersis respectibus sumi. Ne-

10 que etiam obstat, quòd † verbum, constituo, non possit importare institutionem, & substitutionem; nam habita ratione diuersorũ

11 euentuum, † quemadmodum eadem substitutio potest esse directa & fideicommissaria;

[b] coram R. P. D. de Rubeis sub die 10. Decembr. 1563. in hac eadem causa.

ria; ita & institutio potest verificari modo in institutione, modo in substitutione, textus est apertus *in l. Titius & Seius. cum seq. de hæred. instit.* Non obstat nouum fundamentum sumptum *ex Dec. in cons. 273. nu. 2. & 3.* quòd mater nō possit dici primo gradu vocata, ex quo si obijsset vxor ante maritum institutio pœnalis matris euanesceret, quia non bene arguitur, non fit locus institutioni, ergo primo loco vocata non est; nam hac ratione omnes institutiones conditionales defecta conditione dicendæ essent substitutiones, & non institutiones, quòd est absurdissimum. Præterea hoc casu non applicatur *cons. Decij*, cum simus in persona, quæ præteriri non potest; & ideo etiam defecta conditione institutionis admitteretur, cum conditio pro non apposita habeatur. Quæ deducuntur contra *cons. Bald. 84. lib. 4. & decis. Gabd. pap. 456.* fuerūt aliàs sublata; [a] & ideo non est opus alia responsione. Quòd verò instatur super alio fundamento, non posse reijci hanc cōditionem pœnalem ab institutione, *per ea quæ tradit Ang. & Imol. in l. suus quoque. de hæred. instit. Ias. in l. quoniam in prioribus. in fin. Rip. in l. 1. nu. 6. de vulg.* non applicatur; loquuntur enim, vbi remota conditione tollerētur essentialia dispositionis, quod nunquam verificabitur in proposita specie; conditio enim illa, si vxor non seruauerit viduitatem non influit in substantialia institutionis matris, quemadmodum in terminis Doctorum allegatorum viduitas influit in legatum vestimentorum vidualium.

a sub die 14. Martij 1586.

12 Quantum ad alium articulum, † An Dominus Benuorus testatus fuerit in scriptis, res est visa carere omni prorsus dubitatione inspecto modo testandi, cum ipse adhibuerit notarium, qui coram septem testibus de eo rogatus fuit, *Rimnal. in l. publicati. col. 2. vers. nam & testamentum. C. de testam.* Neque obstat, quòd in codicillis notarius dicat testamentum conditum fuisse in scriptis, quia subdit manu propria, quod idem importat, ac si dixisset scriptum ma-
13 nu propria, † sed & testatorem noluisse restringere se ad testamentum in scriptis, apparet ex clausula apposita in fine codicillorum, vbi approbando dictum testamentum vult, quod dispositio sua valeat eo modo, & forma, prout magis & melius valere potest, & omni meliori modo. Nec obstat, quòd hæres non fuerit nuncupatus ore proprio, quia ex facto tollitur obiectum inspectis verbis testamenti. Cætera, quæ deducuntur de manu testatoris, & aperitione testamenti cessant, ex quo instrumentum originale fuit allatum ad curiam, & visum omni prorsus carere suspicione. Quare conclusum nullam superesse difficultatem, quæ per resolutiones factas non fuerit sufficienter euacuata; & ideo causā expediēdā.

Aretina Commendæ.
Die Mercurij 9. Iulij 1586.

S V M M A R I V M.

1 *Non potest quis illud impugnare, ex quo ius suum deducit.*

D E C I S I O DCCL.

Domini censuerunt causam esse expediendam, & moti sunt ex eo, quòd vltimus status istarum Commendarum reperitur tanquam de vnitis, quod ex solutionibus onerum & ex dismembratione facta ad instantiam Ven. linguæ Italiæ liquidissimè probatur. Non obstant iura ex aduerso allegata & producta; quia ea respiciunt anterius tempus, non autem tempus de quo agitur. Neque hic tractandum est de vnione formali & iustificata; quia de hoc non est controuersia, & satis est dari statum talem, super quo fuerit habitus respectus à fe. re. Pio V. in impositione pensionis ad fauorem Ill. & Reu. D. Sangalletti, *prout fuit resolutum coram R. P. D. meo Robustero.* [a]

a sub die 14. Martij 1586.

1 † Neque potest Ill. & Reu. D. Eques Rondinellus impugnare concessionem Ven. linguæ Italiæ, cum ex tali concessione contenta in dismembratione deducatur ius ipsius, & hoc ius hodie est penes ipsum, & eo vtitur. Verba autem expressa in consensu Equitis Guccij sunt ita clara, vt nullam patiantur difficultatem. Quare cum nihil nouum deducatur, & non agatur de canonizatione gratiæ Guccij, sed de declarando dismembrationem, & cessionē Guccii nullam fuisse, & simus in prima instantia, conclusum causam posse expediri.

Romana Donationis de Cintijs.
Die Mercurij 9. Iulij 1586.

S V M M A R I V M.

1 *Statutum habilitans minorem ad contrahendum, non procedit in contractu alienationis; secus est, si verba statuti sint generaliter concepta ad omnia negotia.*
2 *Per statutum Vrbis maiores viginti annis habentur pro maioribus absolutè etiam ad effectum donandi.*
3 *Generalis renunciatio in donatione licèt non tollat defectum insinuationis, quæ per statutum fieri debet intra certum tempus; operatur tamen respectu ipsius insinuationis fienda intra certum tempus, si de ea non fuerit in specie per statutum prouisum.*
4 *Cautio de insinuanda donatione intelligi debet, quatenus opus sit.*

DE-

DECISIO DCCLI.

Fuit actum de expeditione huius causæ instante Domino Cæsare Donatario, sed pro parte Domini Vincentij plura opponuntur, super quibus petebat particula-
1 riter audiri; Et primo, quòd † statutum habilitans personam minoris ad contrahendum non procederet in contractu alienationis, *Socin. in conf.* 130. *nu.* 2. *lib.* 1. *Curt. sen. conf.* 43. *num.* 29. *Tiraq. de nobilit. c.* 20. *num.* 42. Hæc obiectio non placuit Dominis; nam præterquam quòd hæc opinio est controuersa, vt videre est *ex Bald. nouell. tract. de dot. in 7. part. priuileg.* 63. hoc non procedit, vbi verba statuti sunt generaliter concepta ad omnia negotia, prout statutum de quo agitur, *Dec. conf.* 527. *in fin.* sed difficultas tollitur ex alio statuto *c.* 151. in quo datur forma, quæ seruanda est in donatio-
2 nibus minorum viginti annis, † quod satis indicat maiores viginti annis haberi pro maioribus absolutè, etiam ad effectum donandi, & comprehendi sub alio statuto. Secundo deductum fuit, quòd licet iuramentum suppleat defectum insinuationis, tamen hic non potest supplere, cum statutum Perusinum tollat fidem instrumentis donationum non insinuatarum; sed hoc non placuit, tum quòd in facto non adest tale statutum tollens fidem scripturis; tum etiã quòd si adesset, non potest intelligi de illis donationibus, quæ sunt iuratæ, vt in decisione dictum fuit [a]; tum vltimo quia hæc donatio fuit insinuata. Tertio oppositum
3 fuit † generalem renunciationem non tollere defectum insinuationis, quæ per statutum fieri debebat infra certum tempus, ex quo talis renunciatio non trahitur ad id, de quo fuit in specie prouisum, & in hac donatione fuerat expressè prouisum, vt insinuaretur; & ideo non applicari decisionem allegatam in causa Vrbeuetana, [a] sed responsum fuit renunciationem operari respectu insinuationis fiendæ intra certum tempus cum de hac non fuerit in specie prouisum; & ideo cessare argumentum quod ex tali
4 statuto petebatur: Præterea † illa cautio de insinuanda donatione intelligi debet, quatenus opus sit, quod satis demonstrant illa verba, vt insinuari debeat Perusij vel Romæ, vbi erit necessaria; si enim neque Perusii, neque Romæ propter iuramentum erat necessaria; vtique non est dicendum partes voluisse fieri, itant eius omissio actũ vitiet, tamen vt supra dictum est, facta est insinuatio, & seruata forma data in contractu eum decreto iudicis ad id adhibiti iuxta formam statuti Perusini, quod tollit omnem difficultatẽ, neq. in ea requiritur aliqua solẽnitas prẽter adhibitionem duorũ testiũ, vt in statuto 18. *lib.* 5. [b] Quare cõclusũ vt causa expediatur, maximè cũ sit inter fratres.

[a] supra sub die 28. Iunij proximè præterit.

[a] in Vrbeuetana hæreditatis 15. Iunij 1580. in fin. coram eod.

[b] in antiquis

Romana Pecuniaria.
Die Mercurij 23. Iulij 1586.

SVMMARIVM.

1 *Non potest quis vti beneficio laudi, quin & cogatur ad omnia implenda iuxta eius formam, reiecta omni exceptione iniustitiæ & eius discussione.*

DECISIO DCCLII.

Domini ordinarunt, vt detur executio instrumenti obligationis Cameralis pro residuo Dominis de Antinoris & Alamanis, quòd si Domini de Sangallettis velint vti beneficio laudi, vt excomputentur illæ partitæ, de quibus in eo, censuerũt, vt hoc admittatur, dummodo sciant, quòd cum istæ partitæ ex arbitri sententia claris verbis expressa sint correspectiuæ ad alia in
1 laudo contenta, † eos non posse vti in hac parte beneficio laudi, quin & cogantur ad cætera omnia implenda iuxta eius formam, reiecta omni exceptione iniustitiæ & eius discussione, & præsertim ea, quæ deducitur ex conuentione inita super cessatione cambiorum, quam intelligebant respectu tantum partitarum spectantium ad Dominos Sangallettos nomine proprio: Placebat tamen, quòd si vellent nunc cum effectu, prout obtinuerunt verbo informando singulos ex Dominis, soluere sortem principalem omnium partitarum in laudo contentarum; quòd respectu cambiorum causa differatur terminanda in primis Rotis Octobris.

Romana Domus.
Die Lunæ 27. Octobris 1586.

SVMMARIVM.

1 *Impugnatio testamenti; quando quis ab ea destitit, non præiudicat.*

DECISIO DCCLIII.

Domini vnanimiter censuerũt esse sufficienter legitimatam personam Dominorum de Soderinis ad effectum iudicij per eos intentati: Quantum enim attinet ad personam Domini Pauli Antonij, constat Petrum, qui est author Io. Vincentij Palmerij, ex cuius iure veniunt hæredes bo. mem. quondam Cardinalis Saraceni, in suo testamento de anno 1522. instituisse hæredem pro medietate quondam Episcopum Xantonensem, qui tanquam hęres Petri concordauit cum d. Io. Vincentio, dictus antè Episcopus Xantonensis obiit institutis Paulo Antonio, Francisco, & Alexandro fratribus, nepotibus suis, & solus Franciscus adiuit hæreditatem, cui successit Paulus Antonius, vt ex testamentis, & testibus liquet, & aliàs in Rota deductum fuit in alijs causis.

* & in specie in Vrbeuetana fideicommissi, 31. Ianuar 1575. coram Illust. Card. Lancellotto, qua in impress. diuers. nouiss. est decis. 188. part. 2.

sis*. Ex eodem testamento Petri probatur Io. Victorium iuniorem & Alexădrum fratres de Soderinis fuisse hæredes Petri pro alia medietate mediante persona Io. Victorij senioris eorum aui hæredis instituti pro alia medietate, qui decedens reliquit Thomam eius filium, patrem Io. Victorij iunioris & Alexandri, qui respectiuè dictas hæ-
1 reditates adiuerunt. † Neque obstat, quod ex aduerso deducitur Dominum Frăciscum impugnasse testamentum Petri conditum de anno 1522. & produxisse aliud testamentum prius conditum de anno 1512. in quo non fuerat institutus Dominus Episcopus Xantonensis; quia postmodum ipse destitit ab hac impugnatione, & continuauit litem cum Dominis de Gaddis, tanquam hæres Petri, & obtinuit pro sua rata sententiam in sui fauorem, & exegit vti talis pensiones, & continuauit alias lites super iure congrui, prout notum est Dominis senioribus, qui has lites viderunt in Rota agitari; Et eodem testamento vsi fuerunt idem Franciscus & Paulus Antonius in alia causa Romana domus propè plateam Columnæ, in qua pro ipsis fuit iudicatum à fe. re. Gregorio XIII. tunc in minoribus constituto: Præterea dato quòd deberet attendi testamentum conditũ de anno 1512. ex eo quoque legitimantur personæ istorum Dominorum, nam quantum ad Io. Victorium, & Alexandrum idem est, cum in eodem testamento fuerit institutus Io. Victorius senior eorum auus. Quantum verò ad Paulum Antonium, licèt non fuerit institutus D. Episcopus, tamen instituti fuerunt Thomas, Io. Baptista, & Petrus Iunior fratres dicti Episcopi: Thomæ successit Paulus Antonius eius filius; Ioanni Baptistæ & Petro successit idem Episcopus Xantonensis, cui vt supra dictum est, successit idem Paulus Antonius mediante persona Francisci, & sic ex omni capite apparet de successione istorum Dominorum de Soderinis actorum; & quia plures causæ istorum Dominorum agitatæ fuerunt in Rota, in quibus istæ descendentiæ probatæ fuerunt, res visa est Dominis omni prorsus carere difficultate, Et ita conclusum.

Burgen. Iurisdictionis.
Die Mercurij 29. Octobris 1586.

SVMMARIVM.

1 *In incorporalibus, in quibus sola patientia requiritur, sufficit verbalis paritio.*
2 *Protestatio non operatur in his, quæ sunt iuris, & quæ à voluntate nostra non dependent.*
3 *Protestatio adiecta paritioni, si sit contraria facto nihil operatur; si verò potest stare simul cum facto & paritione, non impedit, quominus sit sufficienter paritum.*

DECISIO DCCLIV.

FVit resolutum fuisse sufficiĕter paritum litteris exequutorialibus per Reuerendissimum Dominum Archiepiscopum, cum
1 † in his, quæ sunt incorporalia, in quibus sola patientia requiritur, verbalis paritio sufficiat, *Pute. decis.* 250. *in vna Oueten. lib.* 1. & 281. *in vna Ispalen. lib.* 2. Non obstat
2 † protestatio huic paritioni adiecta, quia præterquam quòd non operatur in his, quæ sunt iuris, neque à voluntate nostra dependent; *vt per Bart. in l. non solum. §. morte.*
3 *num.* 31. *de oper. nou. nunc.* † Aut est contraria facto, & non operatur, *Bart. ibid. nu.* 17. Aut potest stare simul cum facto & paritione, & non præstat impedimentum, quominus censeatur sufficienter paritum. Quantum ad expensas pendet appellatio. Itaque conclusum non esse locum declaratoriæ.

Aretina Commendæ.
Die Veneris 7. Nouembris 1586.

SVMMARIVM.

1 *Clericatus per attestationem notarij probatur, & eius attestationi statur.*
2 *Reseruatio beneficij verificatur ex ratione familiaritatis attestata per fidem Officialis Palatini.*
3 *Fides in curia facit fidem propter facilitatem habendi veritatem.*
4 *Clausula, dummodo eius dispositio ad nos hac vice pertineat, in prouisione beneficij reseruati, non ponitur ratione reseruationis expressæ in litteris, sed ratione clausulæ generalis, siue præmisso, siue alio quouis modo.*
5 *Priuilegijs religionis per Papam derogari potest.*

DECISIO DCCLV.

DVbitatum fuit, an gratia Equitis Guccij sit iustificata: Tria autem potissimum deducebantur, quæ verificationem requirere videbantur, Clericatus, susceptio habitus cũ professionis emissione, & quòd Commenda esset reseruata: Et quidem sine difficultate Domini dixerunt gratiam esse iustificatam; nam quantum ad Clericatum
1 attinet, † constat per attestationem notarij fuisse collatum clericatum à Reu. bo. me. Mapheo tunc Datario de ordine & commissione fe. re. Pij Quinti Pont. Max. cui attestationi statur, cum sit modici præiudicij, *Put. decis.* 359. *lib.* 1. *Peregr. decis.* 53. *lib.* 1. *Crescent.* 118. præsertim cum emanarit à viro honestissimo Officiali Papæ, & in oculis eiusdem Papæ, nempe hic in curia, *Gabr. qui alios citat de probat. concl.* 3. *num.* 20. Susceptio quoque habitus, & professionis emissio probantur per instrumentum publi-

publicum, in quo continetur expressa votorum emissio cum habitus susceptione. Quantum verò ad reseruationem,
2 † ea satis verificatur ratione familiaritatis, de qua constat per attestationem Computatoris Pala-
3 tini, & † fides in curia facit fidem propter facilitatem habendi veritatem per inspectionem librorum ex quibus extrahitur. Neq; obstat, quòd per Expeditores in litte-
4 ris fuerit addita † clausula, dummodo eius dispositio ad nos hac vice pertineat, quia hæc clausula non ponitur ratione reseruationis expressæ in litteris, sed ratione clausulæ generalis, siue præmisso siue alio quouis modo, *prout tradit practic. Cancellar. in notabilibus super vacantib. reseruat.* Non
5 obstant priuilegia religionis, † quia fuit illis plenissimè derogatum, quod fieri potuit per Papam, *c. dudum. de præbend. in 6.* Reliqua, quæ deducuntur de expectatiua, & de concordia inita cum Riccio, sunt extra propositam dubitationem.

Militen. Beneficij Sancti Fantini.
Die Lunæ 10. Nouembris 1586.

SVMMARIVM.

1 *Relaxans possessionem beneficij in manibus Nuncij acceptantis nomine Cameræ, ad illam non restituitur, cum facto suo ab ea ceciderit, quod procedit absq; vitio spolij, vt nu. 6.*
2 *Clausula præseruationis iurium suorum recipit interpretationem à iure, vt non comprehendat ea, in quibus quis sibi expressè præiudicat.*
3 *Sequestrum necessarium non facit, quòd iudicis intentio sit auferre possessionem; secus est, quando sequestrum est voluntarium, cum per illud amittatur possessio.*
4 *In possessione beneficij capta nomine Cameræ ob reseruationem, intentio Cameræ est illam acquirere ad effectum tradendi ei, cui à Papa facta fuerit prouisio.*
5 *Decisio Putei 158. lib. 3. declaratur.*

DECISIO DCCLVI.

1 FVit resolutum Ill. Dominum Philippũ † non esse restituendum ad possessionem beneficij, de quo agitur; cum enim ipse relaxauerit possessionem in manibus Nuncij eam acceptantis nomine Cameræ Apostolicæ, & ita facto suo à possessione ceciderit, non est restituendus, iuxta ea quæ tradunt *Doctor. in c. sæpe. de restit. spol. vbi Rip. n. 27. Socin. in l. rem quæ nobis. nu. 8. de acquir. poss. Paris. cons. 1. n. 154. in 1. cum alijs per Gabr. de restit. spol. concl. 5. nu. 26.* Neq; releuat, quòd hæc relaxatio facta fuerit propter iussum Pontificis; quia cum non præcederet aliqua vis, neq; præcisa, neq; compulsiua, quæ adigeret eum ad hunc actum dimissionis faciendum, non est habenda consideratio prætensi metus & reuerentiæ ad hunc effectum, cum posset sine tali spontanea dimissione solam prẹstare patiẽtiam, vt nomine Cameræ caperetur possessio; ideo non est opus reducere id, quod à Doctoribus passim traditum est, eum qui vi cõpulsiua tradidit possessionem nõ esse restituendum, *Natt. in cons. 386. in 2. cæteros cumulat Menoch. remed. 1. recuperandæ n. 102. cum se-*
2 *quent.* Neq; releuat, quòd † in relaxatione possessionis adsit præseruatio suorum iuriũ quorumcunq;; quia hæc clausula recipit à iure interpretationem, vt non comprehendat ea, in quibus quis sibi expressè præiudicat, *Oldrad. cons. 330. in fin. Paris. 70. n. 11. lib. 1. Sarnen. de non toll. iurequas. q. 1. in fin. Castr. cons. 472. lib. 1. cum alijs adductis per Informantes:* Præterea hanc reseruationem fecit sub conditione, (in quanto così ne resterà seruita S. Beatitudine) quæ clausula facit, vt nihil præseruatum videatur circa possessorium, si verum est præcessisse præcisum iussum Pontificis respectu dimissionis possessionis; aliàs si hoc negatur excluditur prætensa vis compulsiua ex aduerso allegata: Non obstat, quod dicitur de sequestro, non enim applicatur ad hunc casum; nam
3 † quando apponitur sequestrum necessariũ, iudicis intentio non est auferre possessionẽ, quòd si sequestrum esset voluntarium, tunc amissa cẽsetur possessio, quod conuenit magis propositæ dubitationi: Clarum autem
4 est, † quando ob reseruationes capitur possessio nomine Cameræ, intentionem Cameræ esse acquirere possessionem ad effectum eam tradendi ei, cui facta est prouisio à Pa-
5 pa. † Neq; obstat *decisio Put. 158. lib. 3.* quia loquitur in renunciante, qui incumbit possessioni post renunciationem, & spoliatur à tertio; is enim secundum antiquorum veram opinionem agit remedio restitutorio, sed Ill. D. Philippus nõ incumbebat possessioni, immo illam dimiserat in manibus
6 Nuncij: Vnde † nulla ratione prætendere potest se fuisse spoliatum, sed neq; Camera ab Illustriss. Cardinali fuit spoliata, cum ei prouiso à Papa sponte possessionem tradiderit. Ex quibus conclusum Ill. Domino Philippo nullum competere remedium possessorium restitutorium.

Viterbien. Bonorum.
Die Lunæ 17. Nouembris 1586.

SVMMARIVM.

1 *Saluianum interdictum, quod aliàs competeret, non competit, vbi datur exceptio dominij incontinenti probandi.*
2 *Alienatio & omnis pignoratio facta contra expressam prohibitionem testatoris de bonis fideicommisso subiectis est nulla.*
3 *In bonis fideicommisso subiectis, & expressè alienari prohibitis non potest hypotheca*

nec tacita nec expreſſa conſtitui, quod
procedit etiam ſi tempore cõſtitutionis hy-
pothecæ non eſſet purificata conditio, nec
factus locus fideicommiſſo, vt num. 4.
5 *Expreſſa prohibitio alienationis bonorum*
annullat contractum impoſitionis cenſus,
& eueniente conditione reſoluitur ius re-
cipientis, reſoluto iure dantis.

DECISIO DCCLVII.

FVit reſolutum non competere Saluianũ
interdictum in caſu, de quo agitur, li-
cèt enim ea, quæ requirũtur pro parte acto-
ris, videantur probata, nempe creditum,
hypotheca & poſſeſsio de tempore obliga-
tionis, *ad notat. per Roland. in conſ. 14. n. 13.*
lib. 1. Menoch. de adipiſc. remed. 3. num. 160.
1 † Tamẽ in iſto iudicio admittitur exceptio
dominij incontinenti probãdi, *vt per Pute.*
deciſ. 55. fuit reſolutum in vna Segnina
lib. 2. & 233. die 27. Martij lib. 3. * Conſtat
autem ex teſtamento quondam Dominici
de Petrucijs, & ex ſententijs deſuper latis
& exequutioni mandatis, iſta bona de Val-
gambara fuiſſe de bonis ſubiectis fideicom-
miſſo cum expreſſa prohibitione alienandi
2 & pignorandi, † quo caſu omnis pignora-
tio & alienatio contra expreſſam prohibi-
tionem eſt nulla, vt declarat *Caſtr. in l. fin.*
§. fin. de legat. 2. Rip. in l. filiusfam. §. Diui. n.
3 *11 de legat. 1.* & ideo † neq. etiam conſtitui
potuit hypotheca nec tacita nec expreſsa,
Neguſant. de pignor. in 4. membr. ſecunda
part. principal. nu. 152. Tiraquel. de retract.
conuent. §. 1. gloſ. 7. ſub nu. 10. Foller. in prax.
crimin. fol. 309. Iaſ. in §. item Seruiana. nu.
4 *85. Inſtit. de action.* Non obſtat, quòd † de
tempore impoſitionis cenſus non eſſet pu-
rificata conditio, neq. factus locus fideicõ-
5 miſſo; quia vltra quòd † prohibitio expreſ-
ſa alienationis annullat hunc contractum,
ſatis eſt, quòd eueniente conditione reſolui-
tur hoc ius recipientis reſoluto iure dantis,
vt notatur in Auth. res quæ. C. comm de legat.
Alex. in conſ. 61. lib 5. Guid. Pap. deciſ. 611.
Tiraq. & Foller. locis ſupra allegat. Neque
obſtant exceptiones, quæ ex aduerſo dantur
contra teſtamentum, & quòd non fuerit fa-
ctus locus deuolutioni; quia iſta omnia fue-
runt aliàs in Rota deducta, & nihilominus
fuit data exequutio per Rotam in fauorem
fratrum, ex quo fit, vt exceptio fratrum nõ
ſit turbida, neque requirat altiorem inda-
ginem, ſed potius replicatio Marotij *Pute.*
deciſ. 243. die 8. Aprilis. lib. 3. & ita con-
cluſum pro fratribus.

* & per eundem Put in deciſ. 199. il luſtriſs. Aloyſia n. 3. lib 1. & 909. per obitum. n. 2. lib 1.

Romana Penſionis.

Die Veneris 28. Nouembris 1586.

SVMMARIVM.

1 *Facultas retinendi penſiones pro tanta ſum-*
ma vigore militiarum Equitum Piorum,
per venditionem ipſarum militiarum nõ
expirat, ſi ante venditionem penſiones
obtenta fuerint.
2 *Facultas retinendi penſiones vigore priuile-*
giorum alicuius religionis militaris, per
conceſſionem alterius facultatis pro certa
alia ſumma in vim militiarum emptarũ
non extinguitur, ſed omnes facultates re-
tinendi, ſimul coaceruantur.
3 *Diſpenſatus ad duo beneficia ſi de facto poſ-*
ſeſſionem tertij obtinet, amittit beneficium
diſpenſationis.
4 *Mentio illius rei non eſt neceſſaria, quæ Pa-*
pam retrahere non poterat à conceſſione
facienda.
5 *Retentio ſola præſupponit præexiſtentiam*
eius, quod quis retinere vult, vt eſt in re-
tentione penſionis.

DECISIO DCCLVIII.

FVit reſolutum priuilegium ſiue diſpenſa-
tionem fe. re. Gregorij ſuffragari Do-
mino Rutilio in caſu & ad effectum de quo
agitur: Cõſtituerunt enim Domini pro fun-
damento reſolutionis, quod vigore priui-
legiorum militum Sancti Stephani Domi-
nus Rutilius habebat facultatem retinendi
penſiones vſq. ad ſummam ducentum du-
catorum auri de Camera; Item vigore
duarum militiarum Equitum Piorum, quas
emerat, poterat retinere penſiones vſq. ad
ſummam quingentorum ducatorum auri de
Camera; adeo quòd cum penſio quingen-
torum ſcutorum, quam obtinebat ſuper
Epiſcopatu Cremonenſi vnà cum penſione
vigintiquatuor ducatorum, de qua agitur,
& alia duodecim ducatorum, non excedereñt
ſummam quingentorum ducatorum de Ca-
mera, nulla cadit difficultas, quin legitimè
omnes iſtas penſiones retinere & exigere
poſſet ante venditionem dictorum duorum
1 officiorum Equitum Piorum: † Hæc autem
facultas per venditionem dictarum militia-
rum non expirauit, ſtante priuilegio Grego-
rij, in quo diſponitur, quòd etiam poſt di-
miſſionem & reſignationem dictorum duo-
rum officiorum pẽſionem centum quinqua-
ginta ducatorũ pro ſingulo officio, vt prius
quoad vixerit, percipere, exigere, & leuare
in omnibus & per omnia, ac ſi dicta officia
non dimiſiſſet, ſeu non reſignaſſet liberè &
licitè valeat: Adeo quòd hoc priuilegium
facit, vt per venditionem non ceſset facul-
tas, quæ prius ei competebat vigore officio-
rum, & videtur quodammodo ſubrogari in
locum dictæ facultatis ſine aliqua immuta-
tione præteriti ſtatus exigendi penſiones,
quas prius obtinebat, & bene facit *deciſio*
Put. 174. lib. 3. Nec obſtat, quòd cum in di-
cto priuilegio D. Rutilius non fecerit men-
tionem niſi penſionis quingentorum, videã-
tur cæteræ penſiones vacare vltra ſummam
2 trecentorum ducatorum, † quia hoc eſſet
re-

verum, si non adesset alia facultas vigore privilegiorum Sancti Stephani, sed hæc per concessionem Gregorij non est extincta; nam aliàs privilegium retorqueretur in odium, quod est absurdissimum: Neq. est
3 bona æquiparatio, quæ fit de eo, † qui est dispensatus ad duo beneficia, si de facto possessionem tertij obtinet, quòd tunc amittat beneficium dispensationis, *c. Ordinarij. §. in conferendis, & ibi Doctor. de off. Ordin.* non enim de facto retinet pensionem, qui vigore privilegiorum officijs concessorum eam retinet; immo in istia datur multiplicatio retentionum, ex quo datur facultas vni personæ plura emendi ad effectum, vt maior summa retineri possit, prout & quotidie practicatur. Neq; obstat, quòd in dispensationibus debeat fieri mentio omnium, quæ retrahere possent concedentem, & etiam aliarum dispensationum prius côcessarum, quia si hoc respectu alterius facultatis retinendi pensionea intelligimus, vtiq. illius sufficiens facta est mentio, cum narretur eum suscepisse habitum, & emisisse professionem militiæ Sancti Stephani: si verò respectu mentionis faciendæ aliarum pensionum, hoc non releuat; quia istæ facultates dum conceduntur, non præsupponunt, quòd quis obtineat, sed quòd quis obtinere pos-
4 sit. † Neq. est necessarium facere mentionem eius rei, quæ non poterat retrahere Papam à concessione facienda, cum agere-
5 tur de retentione sola, † quæ præsupponit præexistentiam eius, quod quis retinere vult, & satis est, vt non excedatur illa quantitas, vsq. ad quam Papa intellexit dispensare. Vltimo non obstat, si arguendo ab ordine constitutionis pensionum dicatur iam facultatem competentem vigore privilegiorum Sancti Stephani fuisse oneratam prioribus pensionibus, adeo quòd hæc pensio vigintiquatuor ducatorum cadebat super officijs pijs, in quorum locum subrogatur privilegium Gregorij, quod non potest præservare hanc pensionem, cum fuerit obtentum pro pensione Cremonensi; quia fuit dictum istas facultates non esse huic potius quàm illi pensioni adiectas, sed in vniversum omnes summas côprehendere; & ideo, neq; etiam privilegium Gregorij restringit se ad pensionem Cremonensem, sed in genere dat facultatem retinendi centum quinquaginta ducatos pro quolibet officio prout antea. Et ita de omnium Dominorum concordi sententia conclusum.

Romana Pecuniaria.
Die Lunæ 1. Decembris 1586.

SVMMARIVM.

1 *Mercatores non solum tenentur pro partitis rationis bancharia per eos exactis, sed etiam pro exactis ab eorum substitutis, licèt mercator à principali creditore fuerit constitutus procurator cum facultate substituendi.*
2 *Substitutus vigore mandati dicitur à domino constitutus, quod procedit, si substitutio facta sit à constituto cum facultate data substituendi certam personam; secus si facultas data sit indistinctè.*
3 *Procurator constitutus ad exigendum à quibusuis personis tenetur exigere etiam à suis substitutis; nec excusari potest, nisi ostendat diligentiam factam pro exigendo.*

DECISIO DCCLIX.

FVit resolutum Dominos de Bandinis teneri Illustr. Dominæ Claudiæ Rangonæ pro substitutis ab eorum Institoribus: nã inspecto principio huius negotij Illustr. Domina Claudia constituit suos procuratores Magnificos Dominum PetrumAntonium Baudinũ, Alphonsum & Laurentiũ de Strozzis mercatores Neapoli negotiantes, & Dominos Mattheum Morelli, & Robertum Titium Florentinos eorum institores, & complementum habentes, absentes; quod negari non potest factum contemplatione prædicti Domini *Petri* Antonij, cum aliorum notitiam aut cognitionem non haberet Domina Claudia, & nominatim Mattheus Morelli & Robertus Titius vti Institores, & complementum habentes, quæ enunciatio videtur innuere fuisse habitam considerationem rationis bancharia, aliàs esset omnino impertinens & extra propositum negotium; quod apparet, quia partitæ per eos exactæ descriptæ fuerunt in li-
1 bris societatis; hincq. sequitur, † vt non solum pro exactis per eos teneantur quatenus ipsi exegissent, *l. si procurator. mandati. Capic. decis. 180. nu. 3. cum alijs,* * sed etiã pro exactis ab eorum substitutis, *l. si quis. mandato Titij. de negot. gest. notat. in c. 1. de procurat.* Non obstat, quod dicitur datam fuisse in mandato facultatem substituendi;
2 & ideo † substitutum dici cõstitutum à domino, & substituentem non teneri eo casu, *vt per Saliect. in l. quod quis. nu. 13. C. de procurat.* quia id procedit, vbi data fuit facultas substituendi certã aliquã personam, sed vbi facultas est indistinctè data, tunc mala electio culpæ adscribitur, *vt optime ibi di-*
3 *stinguit idem Saliect.* Præterea † cum mandatum datum fuerit ad exigendum à quibusuis personis, tenebantur exigere etiam ab eorum substitutis, quod cum factum non fuerit, vt re ipsa apparet, neq; aliqua ostendatur diligentia, ex qua possit elici iusta excusatio, vtiq. tenetur *l. in re mandata. C. mandati. l. à procuratore. C. de procurat.* Hic accedunt aliquæ coniecturæ, quæ multum faciunt contra prædictos Dominos; nam & exactio fieri cœpta est, & à substitutis plures

* Et pro eo quod à principali procuratore exactum fuit, faciunt l. si remunerandi. ff. mandat. Socin. cons. 113. col. 6. vol. 3. Roland. cõs. 40. n. 4. vol. 1. & pro eo quod ab Institore & complementario exactum fuit tenentur in solidum, tam principalis procurator, quam Institor & complementarius, ad quod faciunt l. habebat §. fi. ff. de Institor. Capic. in allegata decis. 180. nu. 3. Paris. cons. 93. n. 3. & 94. nu. 7. vol. 1. Roncegal. in l. eandem. nu.

pecuniarum summæ post eorum decoctionẽ exactæ fuerunt, & de decoctione & alijs nõ fuit per eos certiorata Domina Claudia; & ideo vix potest prætendi aliqua excusatio saltem negligentiæ. Accedit vltimo loco, quòd in quadam partita Domina Claudia creatur debitrix pro prouisione ad rationẽ duorum pro centenario in scutis 120. *Bart. in l. eum qui. §. si epistola. de furt. Corn. in cons. 142. nu. 11. lib. 1.* Tamen super hoc vltimo Domini non valde institerunt, cum controuertatur, An ea sit prouisio exactionis vel transmissionis, sed priores rationes satis superq. sufficere visæ sunt ad dubij decisionem.

164. de duob. reis. Pro eo etiam, quod à substitutis exactũ fuit, quòd principalis procurator teneatur faciunt l. si quis mandato Titij. ff. de negot. gest. & notãt Doctor. in c. 1. de procur. in 6. vbi Archid. in fin. Franc. in §. procurator post princ. Gemin. nu 2. Anchar nu. 3. in fin. qui citat duo bona iura, l solet. in fin. de testam. tutel. & l. si procurator. §. si tutores. ibi non sunt igitur excusandi. ff. mandati.

Romana Dotium de Zappis.
Die Veneris 12. Decembris 1586.

SVMMARIVM.

1 *Ex re subiecta fideicommisso & probibita alienari, non potest detrahi legitima, nisi in subsidium.*

DECISIO DCCLX.

NOn placuit Dominis causam terminari *ex doctrina Bart. in Auth. sed cum testator. allegata in vltima decisione coram bo. me. Domino Lauretano* * propter difficultatem & varietatem intellectuum, sed ex alio capite dixerunt decisionem sustineri
1 posse, nempe † quia ista domus erat subiecta fideicommisso, & prohibita alienari; ideo non poterat ex ea detrahi legitima, nisi in subsidium: Reseruarunt autem videndum, cui incumbat onus probandi adfuisse vel non ad fuisse alia bona. Circumscriptum etiam fuit caput alienationis permissæ ex dispositione *Auth. res quæ. C. commun. de legat.*

* aliàs coram R.P.D. Cantuccio sub die 19. Ianuarij 1583.

Aretina Commendæ.
Die Lunæ 15. Decembris 1586.

SVMMARIVM.

1 *Gratia ex defectu intentionis corruit, si Papa non habuit notitiam iuris alteri quæsiti, & quando non est derogatum regulæ de iure quæsito non toll. & nu. 9.*
2 *Expectatiua inferioris non potest ligare manus superioris.*
3 *Clausula, sublata, & quòd non possit dari de obreptione, subreptione, vel defectu intentionis, facit, quòd non possit aliqua nullitas deduci, nisi aperto prius ore.*
4 *Expectatiua concessa ad fauorem alicuius non potest ad impugnationem gratiæ alterius allegari ab alio, quàm ab eo, ad cuius fauorem concessa fuit.*
5 *Expectatiua eatenus suffragatur & operatur, quatenus expectans acceptare intendit, & interim gratia valet.*
6 *Expectatiuæ non solent concedi super certo corpore beneficij post obitum obtinẽtis, ne inducatur votum captandæ mortis, vigore tamen priuilegiorum concedi possunt.*
7 *Expectatiua, quæ aliàs concedebantur in forma pauperum, requirebant acceptationem infra mensem, & processum exequutoris, aliàs non tribuebant aliquod ius nec in re nec ad rem.*
8 *Per expectatiuam concessam ex nunc prout ex tunc confertur beneficium, & conceditur ius quæsitum, nec requiritur processus nec alia collatio.*

DECISIO DCCLXI.

FVit dubitatum, An expectatiua concessa fratri Rodulpho per bo. me. Ioannem de Valleta Magnum Magistrum releuet, & suffragetur Ill. Fratri Ioanni Baptistæ Rondinello in casu & ad effectum, de quo agitur: effectus est, quia prætenditur gratiam Equitis Guccij fuisse inualidam, ex eo quòd tempore datæ dictæ gratiæ ius fuerat quæsitum fratri Rodulpho vigore dictæ expectatiuæ, maximè stante confirmatione
1 Apostolica; & ideo † cum Papa non habuerit scientiam iuris alteri quæsiti gratiam ex defectu intentionis corruere, & consequenter decretum illud, super quo Reu. D. Sangallettus fundat intentionem suam: Fuit ergo per Dominos causa diligenter discussa; sed non potuit haberi resolutio, * nam quibusdam placebat dictam expectatiuam
2 non suffragari ex pluribus; Primo quia † expectatiua inferioris non potest ligare manus superioris, *c. cum inferior. de maior. & obed. Doctor. in c. si postquam. de prabend. in 6. cum alijs allegat.* [a] Secundo, quia in gratia fratris Guccij adest clausula, seu si aliqui super prouisionibus &c. per quam censetur illi derogatum, *vt per Fab. decis.*
3 *26. lib. 2. Guidobon. decis. 27.* Tertio † propter clausulam, sublata, & quòd non possit dari de obreptione, subreptione vel de defectu intẽtionis, quæ facit vt nõ possit huiusmodi nullitas deduci, nisi aperto ore, vt in pluribus causis fuit decisum. [b] Quarto quia
4 † cum expectatiua fuerit concessa ad fauorem fratris Rodulphi, non potest quisquam alius præter eũ allegare hãc expectatiuã ad impugnationẽ alterius gratiæ; maximè cum ipse hac expectatiua vsus non fuerit; immo ius suum ad fauorẽ Domini Guccij cesserit, *l. filio præterito. de iniust. rupt. & irr. test. Bal. in l. & eleganter. n. 3. de dol.* [c] *Soc. Ruin. & alij per informantes allegati*, Quod ma-
5 ximè procedere debet in expectatiuis, † quæ eatenus suffragantur, & operantur, quatenus expectans acceptare intendit, & interim gratia valet, *vt per Cassad. decis. 1. & 2. de decret. Caputaq. decis. 337. p. 1. in impress.*

* capta fuit resolutio sub die 19. Ianuarij 1587. quã ibi videas.

a Nec impedire potest collationem Papæ, Io. Andræ. in c. si postquã col. 1. post mediũ vers. & propterea videtur. & ibi Gemin. n. 6. vers. in glosa fin. Franc. nu. 6. vers. quod tamẽ limita de præben. in 6. & facit text. in c. dilectus. il 2. vbi Abb. nu. 3. & 4. & 13. de præben. & c. si soli. & c 1. de præbend. in 6.

b præsertim supra in Portuen. bonorũ 27. Nouembris 1577. ad fin.

c Socin. in cõs. 13. n. 24. vol. 2. Ruin. cons. 85. n. 6. vol. 3. Crot. cons. 119. n. 7. Cephal. cons. 415. num. 27. vol. 4. & ita etiã pluries fuit dictũ in causa Portuẽ. bonorum de Colũna præsertim 10. Iunij 1577. n. 7. coram eod. Illustriss. Seraphino.

press. Aliqui verò ex Dominis contrarium sentiebant data validitate expectatiuæ, dc
6 qua non potest dubitari ✝ licèt enim concedi non soleant super certo corpore beneficij post obitum obtinentis, quia inducit votum captandæ mortis, *c. constitutus. de conces. praben. Imol. in c.nulla .num.1.eod. tit.* tamen vigore priuilegiorum poterat concedi; maximè cum adsit confirmatio Apostolica, & hæc expectatiua est diuersæ
7 naturæ ab ijs ✝ quæ concedebantur in formis pauperum, in quibus requirebatur acceptatio infra mensem, & processus exequutoris, aliàs nullum ius tribuebant nec in re nec ad rem, *vt per Aegid.decis.358.& 667. Sarnen.super regul.de impetran. benef. vin.*
8 *q.4.* sed ✝ in hac expectatiua ex nunc prout ex tunc confertur beneficium, & conceditur ius quæsitum, nec requiritur processus exequutoris neque alia collatio, sed poterat frater Rodulphus propria auctoritate capere possessionem, prout fecisse dicitur: Vnde sequitur, quòd non poterat amplius dimittere illud ius propria auctoritate, sed in
9 manibus superioris tantum; & ✝ ideo huius iuris ignoratio reddit gratiam nullam ex defectu intentionis, & necessarium erat derogare regulæ de iure quæsito non tollēd. Nec releuare cessionem postea per fratrem Rodulphum ad fauorem Guccij factā; quia Guccius hoc pacto habet Commendam ex posteriori, & non ex priori gratia, & cum semel expectatiua sortita fuerit effectum, ex eo oriri nullitatem, quæ amplius non potest dici pẽdere à voluntate Rodulphi, postquam semel eam acceptauit. Quare stante hac opinionum diuersitate placuit Dominis, vt restringatur difficultas ad clausulas, scilicet an per eas possit dici sufficienter derogatum: Et An Domino Equiti Rondinello obstet clausula sublata, & decretum irritans: Tertia etiam adesse potest difficultas, an per sacrum Concilium Tridentinum censeatur sublata vis huius expectatiuæ.

Nullius de Stippa.
Die Veneris 19. Decembris 1586.

SVMMARIVM.

1. *Vbi verba sunt clara non est opus alia interpretatione.*
2. *In valore rei æstimando inspicitur tempus gratiæ.*
3. *In æstimatione facienda inspicitur tempus contractus; nisi aliter sit cautum.*
4. *Regula de iure quæsito non tollen. non habet locum in gratijs, quæ de sui natura sunt præiudiciales.*
5. *Item nec in ijs quæ fiunt ratione publicæ vtilitatis.*

DECISIO DCCLXII.

FVit dubitatum, an in æstimatione bonorum dismembratorum inspiciendum sit tempus anni 1529. vel anni 1559. & habeat locum in isto casu regula de iure quæsito non tollendo: Et fuit per Dominos conclusum, quantum ad priorem dubitationem esse attendendum tempus anni 1529. Habemus enim in hoc claram Clemētis dispositionem, qui vult, quòd æstimatio fiat iuxta taxationem & computationem cõtractuum celebratorum ab arrendatoribus seu conductoribus, qui de præsenti aut quinq. proximis annis bona huiusmodi arrendarunt, quæ verba fuerunt per Clementem apposita ad tollendum dubium, vt ibidem exprimitur, quod oriri poterat tempore succedente, An æstimatio bonorum dismembratorum esset maioris vel minoris valoris, ex quibus verbis satis manifestè apparet cogitatum fuisse de tractu temporis, quod intercedere poterat ante exequutionem dismembrationis, & nihilominus dispositum, vt tempus illius quinquennij attenderetur;
1 & ✝ vbi verba sunt clara, non opus est alia interpretatione, & ita tollitur consideratio, quæ fit ex aduerso, quòd Clemens intellexerit, quòd dismembratio eodem quoq. tempore fieri deberet; quia si hoc esset verum, inepta fuisset dubitatio super maiori vel minori valore attendẽdo. Neq. obstat, quòd loquatur de bonis dismẽbratis, & sic vtatur participio præteriti temporis; quia cum principalis dispositio referatur ad dubium futuri temporis, participium illud dismembratorum significat, cum dismembrata fuerint in futurum, & ista interpretatio connenit etiam dispositioni iuris communis, cum
2 ✝ in valore rei æstimando inspiciatur tempus gratiæ, *Cassad.decis.19. in fin. super regul.Alex.cons.72. num.13. lib.1. Felin. in c. ad aures. num.17. de rescript.* Nec potest dici hæc interpretatio tendere in damnum militiæ, cum enim statim competeret facultas exequendi gratiam à Papa concessam; vtique si tunc fuisset exequutioni mandata nulla subesset difficultas, quin sequens tempus non esset habendum in consideratione: Mora itaque in exequendo nullum inferre Militiæ præiudicium, immo potius emolumentum, cum interim medij temporis fru-
3 ctus cõsequuta fuerit; Et quod dicitur ✝ inspiciendum esse tempus contractus, id procedit, nisi aliter cautum reperiatur, prout in casu isto; maximè inspecta fe. re. Pauli III. confirmatione. Quantum ad secundam partem dubij, Domini dixerunt ex pluribus non habere locum regulam de iure quæsito non toll. in casu isto; Primo, quia attendenda est regula Clementis, quæ non loquitur in gratijs, quæ extra litem concedun-
4 duntur. Secundo, quia ✝ non habet locum

in gratijs, quæ de sui natura sunt præiudiciales, vt in exemptione à decimis, *Cassad. decis. 1. de priuileg. Corn. in cons. 83. num. 16.*
5 *in 4.* Tertio, & vltimo, quia † non habet locum in ijs, quæ fiunt ratione publicæ vtilitatis, *vt fuit resolutum in vna Salamantina priuilegiorum* * *coram R.P.D. Archiepiscopo Mediolanen.* & ita conclusum.

* sub die 14. Nouembris 1583. & in vna Granaten. Hospitalis 26. Maij 1583. coram R.P.D. Bravo

Veneta Illegitimitatis.
Die Lunæ 19. Ianuarij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium in faciem Ecclesiæ rite contractum dirimi non potest, nisi præcedente concludente metus probatione.*
2 *Probatio metus in matrimonio debet fieri per testes, qui non sint suspecti, nec consanguinei, nec viles.*
3 *Minæ, quæ solum tendunt ad cessationem lucri, non autem ad illationem damni in bonis, non sufficiunt ad probationem matrimonij per metum contracti.*
4 *Metus redditur inuerisimilis ex eo, quòd mulier habitauit cum viro, & filios suscepit, & cum potuerit effugere, non effugit.*
5 *Collusio in matrimonio inesse dicitur, quando maritus, qui per plures annos in eo permansit, petit postea committi causam nullitatis matrimonij.*
6 *Rescriptum auocatorium subreptitium non tribuit iurisdictionem.*
7 *Ex acceptatione sententiæ omissis defensionibus manifesta detegitur litis collusio.*
8 *In materia difficilis probationis leues probationes sufficiunt.*
9 *Collusio reddit sententiam nullam.*
10 *Qui patitur se vinci, cum habeat probationes bonas & veras pro sui defensione, is manifestè colludit.*
11 *In materia collusionis probationes sunt arbitrariæ iudicis.*

DECISIO DCCLXIII.

FVit dubitatum de validitate & iniustitia sententiæ Vicarij Patauini ad effectum legitimitatis vel illegitimitatis filiorum D. Bernardi, & Iacobinæ: Et inspecta tota serie huius facti fuit conclusum pro nullitate & iniustitia dictæ sententiæ ex capite collu-
1 sionis; † Cum enim constet à principio de matrimonio contracto inter Iacobinam & Ioan. Mariam in faciem Ecclesiæ, non potuit dirimi huiusmodi matrimonium, nisi præcedente concludente metus pro-
2 batione, † quæ quidem probatio tunc non fuit facta nisi per testes valde suspectos, vtpotè consanguineos & viles; sed quod magis vrget; neque etiam in eorum dictis probant sufficientem metum; non quidem ratione verberum, quia hoc non probatur; neque etiam ratione minarum, quia tendũt ad hoc, quòd nisi ipsa contentaretur contrahere cũ Io. Maria, nobilis ille eius amasius non erat ei quicquam dotis nomine da-
3 turus; sed † hæ minæ tendunt ad cessationem lucri, non autem ad illationem damni in maiori parte bonorum suorum, prout requiritur, *vt per Angel. in sum. in verb. metus. nu. 3. & passim tradunt cæteri summi-*
4 *stæ:* Præterea † cohabitauit vltra annum cum Io. Maria & ex eo suscepit filiam, quæ res reddit multum inuerisimilem hunc prætextum illati metus, cum posset statim aufugere, & non aufugerit, habebat enim liberum aditum ad matrem. Sed deueniendo ad
5 argumenta propinquiora † collusionis; primo apparet, quòd postquam effecta fuit cõcubina Domini Bernardi, non statim commisit causam nullitatis matrimonij, sed post sex vel septem annos in circa, quo tempore iam susceperat filios ex Bernardo, & tunc fuit causa nullitatis matrimonij commissa coram Vicario Patriarchæ, coram quo, cũ iam causa fuisset instructa, & partes ter monitæ ad sententiam, subodorantes Vicarium non esse dissoluturum hoc matrimonium, procurarunt causam per rescriptum Apostolicum auocari à dicto Vicario Patriarchæ, & committi Vicario Patauini, sub falsa causæ expressione, quòd Vicarius Patriarchæ nollet causam expedire, quod ex trina illa monitione facta detegitur falsum:
6 & ideo ex hoc capite sententia est nulla, † cũ rescriptum auocatorium subreptitium non
7 tribuat iurisdictionem. Deinde † apparet fuisse à Io. Maria omissas defensiones, & per suum procuratorem acceptata sententia, quæ res manifestam detegit collusionem, *vt in simili fuit dictum alias coram bo: me. Cotta, & coram Illustrissimo Domino meo Cardinali Aldobrandino in vna Bononien. de Bucchis* probatur etiam per testes, qui bene deducuntur in informatione facti, D. Bernardum non solum habuisse scientiã litis, sed etiam soluisse expensas, & conuenisse cum Io. Maria pro dissoluendo huiusmodi matrimonio, quæ res etiam manifestius demonstratur, ex quo dos illa, quæ prætenditur causa tanti timoris, nunquam fuit petita neque recuperata à Io. Maria, qui videtur illam retinuisse pro pretio suæ dissi-
8 mulationis. Quare † cum simus in materia difficilis probationis, visæ fuerunt Dominis omnes istæ probationes satis superq. sufficientes, *ad notat. per Abb. in c. de his. n. 8. de accusation. l. quia autem. §. non simpliciter. si quis omiss. cau. testam. Gig. de pension.*
9 *q. 42. num. 2. & 4.* † & in consequentiam sententia est nulla, *l. 1. & toto tit. ff. & C. de*
10 *collusion.* Accedit, quòd † qui patitur se vinci, cum habeat probationes bonas & veras pro sui defensione, id manifestè colludit, *Natt. in cons. 537. num. 32.* Quæ ex aduerso deducuntur, non tollunt prædictam probationem.

1 1 tionem, † quæ penes iudicem est arbitraria, *vt per Menoch. ex aduerso allegatum lib. 2. casu 35 num. 3.* Nam primo diuersitas illa in data non arguit nisi diuersitatem datæ inter Breue & supplicationem introclusam, prout est de stylo, & etiam enunciatur in processu. Secundo antiquitas non adest, quia sententia est de anno 1551. initium verò litis de anno 1572. & tantisper fuit cessatum donec per obitum Bernardi obtulit se occasio litis. Quod dicitur de metu illato per matrem, & verberibus, de quibus deponunt testes examinati de anno 1573. non concludit, & magis detegit inuerisimilitudinem prætensi metus illati ex causa amissionis dotis. Alia multa, quæ deducuntur, bene per informantes euacuantur; Et ideo conclusum pro inualiditate sententiæ Patanini, & iustitia sententiæ Ordinarij.

Aretina Commendæ.
Die Lunæ 19. Ianuarij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Clausula, sublata & decretum irritans, faciunt quòd non possit de intentionis Papa defectu dici; nisi obtenta per signaturam Sanctissimi oris aperitione.*

2 *Clausula, dummodo dispositio ad nos hac vice pertineat, non refertur ad vacationem narratam, sed ad clausulas generales ex stylo Cancellariæ.*

3 *Quando in gratia non potest dari de defectu intentionis, propter clausulam, sublata, & alias clausulas, minus est necessaria derogatio regulæ de iure quæsito &c. quæ fundata est super ipso intentionis defectu.*

4 *Impetrans potest se iuuare decretis in supplicatione contētis, postquam littera fuerunt expeditæ, non obstante regula de non iudicando iuxta formam supplicationum.*

5 *Regula de non iudicando &c. non habet locum, postquam facta fuit expeditio; maximè si ipsa expeditio facta sit eiusdem supplicationis.*

DECISIO DCCLXIV.

1 FVit resolutum † clausulas & decretum irritans appositum in gratia Domini Equitis Guecij obstare Illust. D. Equiti Rōdinello opponenti de gratia expectatiuæ fratris Rodulphi, cum enim huiusmodi oppositio tendat ad annullandam gratiam Equitis Guccij ex capite defectus intentionis, directè venit contra prædictum decretum, in quo habetur, quòd de huiusmodi defectu dici non possit, prout in similibus infinitis casibus pluries in Rota fuit dictum, & ordinatum, vt adiretur Signatura Sanctissimi pro obtinenda oris aperitione. Nō obstat, quòd dicta gratia habeat in ventre

2 conditionem, † dummodo dispositio ad nos hac vice pertineat, quia iam fuit resolutū * hanc clausulam non referri ad vacationem narratam, sed ad clausulas generales ex stylo Cancellariæ, cuius fidem facit Paulus Barchinonensis Corrector. Non obstat,

* die 7. Nouembr. anni præteriti.

3 † quòd non fuit derogatum regulæ de non tollendo iure quæsit. quia illa fundata est super intentionis defectu, de quo dari non potest. Non obstat, quòd hoc decretum non reperiatur in litteris, sed in supplicatione

4 tantum, † quia, cum litteræ sint expeditæ, potest iuuare se pars decretis contentis in supplicatione, non obstante regula de non

5 iudicando &c. † quæ tunc nō habet locum, quando facta est expeditio, vt pluries fuit resolutum; maximè quando expeditio est facta eiusdem supplicationis, prout in casu isto. Quæ deducuntur ad demonstrandam inualiditatem gratiæ, non faciunt ad propositum, quia de hoc non agitur nunc. Neq. vltimo obstat, quòd Eques Guccius renunciauerit, & cesserit in manibus Magni Magistri, quia hodie causa agitatur ad instantiam Reu. D. Sangalletti, cui hæc cessio obesse non potest; & ideo potest ipse pro suo interesse opponere de huiusmodi decretis. Et ita conclusum, vt Ill. D. Eques Rondinellus adeat Signaturam.

Montis Regalis Matrimonij.
Die Veneris 23. Ianuarij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Nuncius non habet facultatem cognoscendi de causis matrimonialibus in prima instantia; nisi sit ibi iudex Ordinarius, aut habeat potestatem Legati de latere, vt num. 3.*

2 *Citatio ad sententiam non continens certam diem reddit sententiam nullam, & per decreta subsequuta circumducitur.*

4 *Delegatus ad vniuersitatem causarum habetur loco Ordinarij.*

5 *De mandato substituti à procuratore non est ambigendum, si ipse substitutus solus appellationem interposuerit à sententia, & causam appellationis commiserit, quia censetur approbata persona.*

DECISIO DCCLXV.

FVit dubitatum, an sententiæ latæ in fauorem D. Ludouici essent confirmandæ: Difficultas fiebat respectu nullitatum ex aduerso allegatarum; Primo enim deducebatur, sententiam Illustrissimi & Reuerendissimi pro tempore Nuncij fuisse nul-

1 lam ex defectu Iurisdictionis, † cum non haberet facultatem cognoscendi de causis matrimonialibus in prima instantia, *l. 1. C. si à non compet. iud. cum similib.* Secundo contra sententiam Ill. & Ren. Archiepiscopi de-

2 ducebatur † eā esse nullam ex defectu citationis, cum citatio ad sentētiam exequu-

ta sub die 5. Octobris non contineret certā diem; & ideo sententiam postea latam 20. Nouembr. esse nullam; maximè cum inter illam citationem & sententiæ prolationem nempe die 9. Nouembr. idem Ill. Archiepiscopus interloquendo mandauerit de nouo Ludouleum subijci medicorum inspectioni, ad explorandum an esset frigidus & impotens, vt ex aduerso prætendebatur; Ideo citationem illam ad sententiam fuisse circumductā. His tamen non obstantibus, DD. cēsuerunt sententias esse validas; nam quantum ad priorem attinet Illustris. Nuncius
3 † præterquam quòd erat etiam Episcopus Montis Regalis, & sic iudex ordinarius habebat potestatem Legati de latere, prout in pluribus & diuersis precibus & petitionibus, quæ habētur in processu pars aduersa fatetur; & ideo potuit adiri vti Ordinarius, *c. 1. de off. legat. cum alijs traditis per Gambar. de off. Lega. lib. 8. n. 6. cum sequentib.* sed etiam vti delegatus potuit adiri,
4 † quia erat delegatus ad vniuersitatē causarum, *glos. fi. in l. 1. C. de iurisdict. Felin. in c. P. & G. n. 6. de off. delega.* isti enim habētur loco Ordinariorum. Quantum ad posteriorem sententiam Ill. Archiepiscopi, ea sustinetur ex præsentia substituti D. Besſæ procuratoris D. Paulæ, & sic lata parte præsente. † Neq. est ambigendū, an constet de mādato & substitutione istius substituti, quia cum ipse & nullus alius interposuerit appellationem à dicta sententia, & causam huius appellationis ita interpositæ cōmiserit D. Paula, ipsi expressè inhærendo, satis constat, quòd approbauit eius personam pro legitima, & sic verificatur assertio notarij, qui eum vocat substitutum D. Besſę. Et ita conclusum pro sententiarum validitate.

Aretina Commendæ.
Die Veneris 30. Ianuarij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Clausula & sic iudicari debere, virtualiter continetur in clausula, sublata, & comprehendit tam litteras præsentes cōfectas, quàm desuper conficiendas, non autem quòd secundum supplicationem sit iudicandum, nisi tamen littera & supplicatio contineant inter se discrepantiam, itaut non se compatiantur, quia tunc remittuntur ad corrigendum.*

DECISIO DCCLXVI.

Domini non obstantibus ijs, quæ deducuntur, steterunt in decisis*, nam quod dicitur clausulam, sublata, respicere gratiam D. Sangalletti, non autem gratiam D. Guccij, tollitur ex lectura supplicationis in illis verbis, necnon præsentes, & desuper conficiendas litteras, & non secundum supplicationem esse iudicandum; Primo quia

* sub die 10. præcitis mē-[illegible]

1 † negari nō potest clausulā prędictam fuisse omissam, cū virtualiter cōtineatur in clausula, & sic iudicari debere &c. sed dato quòd esset omissa, tamen potest ea vti D. Sāgallettus ad interpretationem clausulæ, & sic iudicari &c. Neq. applicantur huic casui decisiones *Achillis & Caputaquensis allegata*, quia procedunt vbi datur discrepantia inter supplicationem & litteras, itaut se inuicem non compatiantur, & hoc casu remittuntur ad corrigendum, alias non; necessarium enim est docere de errore & mala expeditione, & ita practicatur in Rota, neq. dicuntur litteræ minus continere, nisi respectu gratiæ principalis nō autem clausularum necessariarum solitarū, quæ quandocunq. possunt in litteris apponi non obstante prima expeditione. Non obstat, quòd Guccius renunciauerit, quia hoc non induceit renunciationem suæ gratiæ, immo potius acceptationem, cum priuatio præsupponat habitum: Præterea nunc agitur de interesse Domini Sangalletti, qui non renunciauit. Non obstat commissio causæ in Rota; quia non est super validitate vel inualiditate gratiæ, sed super nullitate dismembrationis. Nō obstat, quòd Cancellaria multa soleat denegare, quia istę clausulæ non solum non solent denegari, quinimmo solent apponi in gratijs, quæ fiunt motuproprio, prout est ista, & vt dictum est, fuit etiam virtualiter apposita. Alia multa deducuntur, quæ non faciunt ad propositum dubium; & ideo in illis non est insistendum.

Calaguritana Beneficij.
Die Veneris 20. Februarij 1587.

SVMMARIVM.

1 *In concursu ad beneficium, ille, qui habet habilitates requisitas, & qui nullum obtinet beneficium, præferri debet obtinenti, & num. 5.*
2 *Ille dicitur magis idoneus in pari concursu, qui dispensatione non indiget.*
3 *Vbi requiritur seruitium personale, habilior iudicatur ille, qui vnicum tantum habet beneficiū, quā is qui plura obtinet.*
4 *Pactum initum cū beneficiatis de releuando eos indemnes ab omni damno, & interesse ob receptionem de se ipso faciendam ad alterius exclusionem, est à iure reprobatum, & simoniacum.*

DECISIO DCCLXVII.

Fuit resolutū, beneficium, de quo agitur, esse adiudicandum Petro Gran, ex ea potissimum ratione, quia cum ipse vsq. de anno 1559. probauerit suas habilitates coram beneficiatis loci de Ansèyo, & ab eis fuerit admissus tanquā filius naturalis loci, & cantauerit Epistolam, & immissus fuerit in posses-

possessionem talis admissionis, neq. hactenus fuerit prouisus de aliquo beneficio, vtiq. in hoc concursu præferendus est Petro Merino aduersario, qui licèt habeat qualitates requisitas, & prius fuerit admissus ad decantandam epistolam, tamen obtinet beneficium seruitorium, ex quo percipit congruam sustentationem, vt per testes probatur: Regula enim in hac materia est, quòd non habens beneficium præferendus est ei, qui habet, *per c. is cui. de præbend. in 6. Rota decis. 26. n. 2. eod. tit. in nou. Hostien. in c. tuā. & ibi Butr. de ætat. & qual. Rock. de iurepat. in verb. honorificum. q. 15. Lambertin. lib. 2. part. 3. q. 5. art. 13. in princ.* Accedit, quòd post Concil. Trid. non fuerūt admissi in huiusmodi Ecclesia ad plura beneficia, nisi illi, qui obtinuerunt dispensationem, vt pro-
2 batur per testes; vnde fit, vt † is habeatur pro magis idoneo, qui dispēsatione nō eget, *Dec. in cons. 542. n. 14. cum alijs*: Præterea
3 † vbi requiritur seruitium personale, habilior iudicatur ille, qui vnicum tantum habet beneficium, quàm is, qui plura obtinet, *vt fuit resolutum in vna Calaguritana de Illardaccia coram R. P. D. meo Robusterio. Rebuff. in concord. tit. de elect. in glos. idoneorum. propè fi.* sed & ex alio videtur Merinus
4 se indignum reddidisse, nempe † ob pactum initum cum beneficiatis de releuando eos indemnes ab omni damno & interesse ob receptionem de eo faciendam, quod est omnino reprobatum à iure, & simoniacum, *vt fuit resolutum corā dicto Robusterio in vna Astoricen. de Villarin,* * *& coram D. Vicecomite in vna Salamantina portionis* * *Lambertin. de iurepat. part. 1. lib. 2. q. 9. artic. 21.* Non obstat, quòd per testes Merini probetur consuetudo admittendi etiam eos, qui sunt beneficiati in illa Ecclesia; quia dato quòd hoc fieri possit; tamen in cōcursu præferendus est ille, qui caret beneficio, cū singulis personis conferenda sint singula beneficia; maximè post sacrum Concil. Trident. Nō obstat, quòd Merinus fuerit primo prouisus à beneficiatis; quia cū fuerit iste actus attentatus contra prohibitionem Episcopi, de eo nulla est habenda ratio. Vltimo non obstat noua prouisio, quæ allegatur, cū neq. sit producta, neq. sint litteræ expeditæ; & ideo non possumus super ea aliquod fundamentū facere; maximè stante noua regula S. D. N. de non iudicādo iuxta formam supplicationum. Reliqua bene in memorialibus euacuantur. Et ita conclusum.

* 20. Octobr. 1582.

* de anno 1579.

Romana Frumenti.
Die Veneris 20. Februarij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Testis, qui fuit famulus eius, pro quo deponit, reseruatur arbitrio iudicis cum diminutione; maximè si sit pauper & vilis quòd est in causa, vt ei de fide diminuatur.*
2 *Testis interessatus in totum reijcitur.*

DECISIO DCCLXVIII.

Fvit dubitatum præsupposito, quòd testes probent traditionem frumenti, de quo agitur, an patiantur tales exceptiones, quæ
1 ipsos repellant, & causa proposita, † primus testis fuit reseruatus arbitrio cum diminutione, ex eo quòd tempore examinis ipse erat famulus Pauli Cincij, à quo prætendit D. Cæsar se emisse frumentum, & etiam est pauper & vilis, quæ exceptione faciunt, vt ei de fide diminuatur, *ad notat. per Doctores in c. cū litteris. de test. & in l. etiā. & ibi Castr. C. eod. Gabr. de testib. concl. 10. n. 1. cum seq.* Idem fuit dictum de tertio teste ratione contrarietatum ponderatarum in informatione facti; prius enim negauit se alloquutū fuisse Paulum, deinde fatetur non solum alloquutum fuisse, sed etiā dormiuisse in eius domo, & in summa tota eius depositio vacillat. Quantum ad secūdum testem, Domi-
2 ni eum in totum reiecerunt; tum † quia interessatus est, cum sit fideiussor Pauli; tum quia litigauit, & litigat cum Ioanne Caccia super omni ferè substantia, *Alex. & alij in l. 3. de testib.*

Romana Domus.
Die Veneris 6. Martij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Possessio per decennium & vltra cum titulo inter præsentes iuncta patientia domini directi, facit, quòd intret præscriptio, inter absentes verò requiruntur viginti anni, & num. 4.*
2 *Per præscriptionem omnis ciuilis possessio, quæ penes dominum directum erat, amittitur.*
3 *Negans soluere canonem, dicitur domini possessionem interuertere.*
5 *Ad præscriptionem possessionis ciuilis, quæ non innititur naturali, non sufficit decennium, cum ad præscriptionem naturalis requiratur in primis decennium, & eo elapso pro præscriptione ciuilis requiratur aliud decenniū; secus est, quando possessio ciuilis innititur naturali, vt in ea, quæ mediante colono detinetur.*
6 *Præscriptio non habet locū, nisi adsit animus præscribendi, & alia requisita.*
7 *Per interpellationem cum ostensione instrumentorum, iurium, & scripturarū, præscribens constituitur in mala fide, & interrumpitur præscriptio.*

DECISIO DCCLXIX.

Fvit dubitatū, an in casu de quo agitur, intraret præscriptio contra D. de Sode-
1 rinis; & † pro affirmatiua deducebatur possessio

fessio per decennium & vltra, cum titulo inter præsentes innǫta patientia directi domini, qui possessionem occupatam recuperare non curauit; & ideo videtur suspicatus se
2 posse repelli, † & sic omnē etiam possessionē ciuilem, quæ penes eum erat, amisit, *l. cū possidere. §. qui ad nundinas. cum l. seq. de acquir. poss. Bart. in l. si de eo. §. si fortè. eod. tit. Felin. in c. vigilanti. n. 7. de præscript.* Acce-
3 dit, quòd bo. me. Card. Saracenus † requisitus, vt canonem solueret, denegauit, adeò quòd videtur interuertisse possessionem domini directi, & eam sibi acquisiuisse, *Salicet. post Cyn. in l. cōpetit. n. 3. C. de præscript. trig. vel quadrag. an. Ias. cons. 37. iuxta fin. lib. 1. Bero. cons. 114. n. 25. lib. 1.* Contrariū tamen fuit per Dominos vnanimiter conclusum; nam quantū ad medietatem domus spectantem ad Io. Victorium & Alexandrum, nulla
4 cadit difficultas, † cum commorati semper fuerint Florentiæ; & sic requirebātur viginti anni vltra alia requisita, quæ hic non interceſſerunt. Quantū verò ad aliam partem
5 spectantē ad D. Paulum Antonium, † cū ipse possideret ciuiliter, neq. sua possessio ciuilis inniteretur super naturali Palmerij, cui domus fuerat concessa in emphyteusim, & habebat dominiū vtile, & sibi non autē domino directo possidebat, vtiq. nō potuit durante decennio præscribi aduersus D. Paulum Antoniū, licèt Palmerius amiserit suā naturalē possessionē; sed demum lapso decennio incipit currere præscriptio contra eū, postquam ciuilis, quæ erat penès eū per lapsum decennij euanuit; quia hoc casu non potest considerari negligentia illa in domino directo, qui putat emphyteutam vtilem dominū ius proprium defensurum, quæ consideratur in eo, qui non rem suam alteri non concessam patitur vsucapi, *ita in terminis Ant. de Butr. in c. olim. il primo. n. 32. in fin. de rest. spol. & latius Aym. de antiq. temp. part. 4. §. absolutis. n. 29.* & ideo allegata ex Bart. & Felin. nō procedunt hoc casu, sed tūc locū habent, quando quis possidet ipse naturaliter & ciuiliter per se ipsum, vel ciuiliter per se, & naturaliter per aliū, veluti colonū, qui non sibi sed domino possidet, itaut ciuilis possessio domini innitatur naturali, quæ mediante colono detinetur, *iuxta vulg. doctr. Bart. & Doctor. in l. 1. de acquir. poss.* Secundo consideratum fuit Cardinalē nunquā vti voluisse remedio præscriptionis, cū in responsione iurata dixerit se nolle præiudicare iuribus Dominorū de Soderinis. Præterea fecit se successorē Palmerij, prout bene in facto deducitur, & petita fuit restitutio in integrum aduersus caducitatem; &
6 sic apparet, † neque adfuisse præscribendi animum, neq. alia requisita. Tertio faciunt
7 † interpellationes, quæ bene per testes probatæ fuerunt cum illa qualitate ostensionis instrumentorum, iurium, & scripturarum, ex quibus clarè apparebat de dominio Soderinorum, & constituebantur aduersarij in mala fide, quæ huiusmodi præscriptionem omnino cessare facit, *iuribus vulgar.* Et in summa tam ex facto quàm ex iure omnis videtur cessare difficultas.

Romana Damnorum & interesse.
Die Veneris 6. Martij 1587.

SVMMARIVM.

1 *In materia taxationis interesse lucri cessantis plurimum defertur arbitrio iudicis.*
2 *Interesse lucri cessantis per Rotam taxatur ad rationem septem cum dimidio pro centenario, quando prætendens interesse non habebat in promptu negotiationem magis officiorum vacabilium quàm non vacabilium.*
3 *Interesse non ita taxatur, quòd est in sola potentia, prout taxaretur si re vera in actu existeret.*

DECISIO DCCLXX.

1 CVm in hac materia taxationis interesse lucri cessantis versetur præcipuè arbitrium iudicis, *ut probatur in l. 1. & ibi Bar. C. de colo. Illiric. lib. 11. Aret. in l. diuortio. §. id si meses. solut. matr. Rebuf. in l. vnic. n. 526. C. de senten. quæ pro eo quod int. Ias. in l. 3. §. vlt. de eo quod cert. loc. cum alijs, quos citat Menoch. de arbitr. cas. 119. lib. 2.*
2 † Domini arbitrati fuerunt deberi Domino Iulio interesse ad rationem septem cum dimidio pro centenario, eligendo mediā quandā viā inter redditus officiorū & montiū vacabiliū & non vacabilium, huius antē arbitrij ratio fundata fuit in protestatione Iulij, quæ non figit pedes in emptione montiū & officiorum vacabilium, sed etiam facit mentionem non vacabilium, eaq. se habere in promptu confitetur; ideo cum non esset ipsemet certus, quæ nam officia vel montes erat em-
3 pturus, † non est ita taxandum interesse, quod est in sola potentia, quemadmodum si re vera actu existeret, *ut optimè tradit D. Thomas secund. secundæ quæst. 62. art. 4. quem refert Sylua. in cons. 10. n. 19. & 48.* Nec obstat, quòd addnxerit tantummodo probationem, quòd habebat parata officia & mōtes vacabiles, quia in sui præiudicium etiam sine probatione statur eius cōfessioni, quòd habuerit etiam in promptu montes non vacabiles, & ideo non esse opus alia probatione, *l. 1. C. de confess.*

Nicien. Matrimonij.
Die Veneris 6. Martij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Metus de sui natura est difficilis probationis.*
2 *Metus coniecturis & indicijs probari potest.*

test maximè in puella, quæ nondum pubertatis annos attigit.

3 *Ex persona qualitate metus à iudice iustus probari solet.*

4 *Ratione sexus & ætatis metus etiam minor sufficit ad actum annullandum.*

5 *Matrimonium tractatum mediantibus fauoribus Principis, & minis, & cum conuentione soluendi aliquam summam, & sic via inusitata, & non recta arguit tractatum mala fide captum.*

6 *Præceptum Principis comminatorium & exequutioni mandatum facit, quòd matrimonium per vim & metum contractum dicatur.*

7 *Præceptum Principis sub pœna confiscationis omnium bonorum sufficit ad metum inferendum.*

8 *Durante causa metus semper præsumitur durare metus; maximè non data aliqua vnquam libertate.*

9 *Minæ prouenientes à persona cui debetur reuerentia sufficiunt ad metum incutiendum, & præsertim in puella; & maximè attenta qualitate minarum.*

10 *Possunt simul stare, & quòd mulier fuerit cognita, & quòd non fuerit consentiens nisi per metum.*

11 *Inspectio mulieris, an sit cognita, nõ admittitur per leges Canonicas fieri per medicos, sed per matronas.*

12 *Metus purgatio non potest argui ex eo, quòd quis sit in loco, à quo aufugere potuerit, & non aufugit, maximè in puella.*

13 *Periurium non incurritur per puellam, quæ non est doli capax, nec ligatur iuramento, præsertim præstito in tempore, quo non erat in plena libertate.*

14 *Iuramentum non obligat iurantem, quando in eo apparet de dolo.*

DECISIO DCCLXXI.

FVit dubitatum, an ex his, quæ proponũtur iunctis his, quæ noniter pro parte Marci Antonij deducuntur sit recedendum à resolutionibus in hac causa factis*, & fuit per Dominos vnanimiter conclusum nõ esse recedendum; probationem enim, quæ affertur pro parte Ludouicæ videri concludentem, & multis fulcitam adminiculis, quæ rem reddunt satis claram & indubitatam;
1 hic enim agitur de probatione metus, † qui sui natura est difficilis probationis, *vt censuit Paris. in cons. 53. n. 61. & cons. 60. n. 21. lib. 3. Menoch. de arbitr. cas. 116. n. 17. lib. 2.* hic autem difficilior est eius probatio, ex quo agitur de metu illato puellæ, quæ à suorum consanguineorũ educatione iussu Principis abducta, sub perpetua personarũ, quæ à nutu Principis pendebant custodia, habita fuit, itaut non esset ei facultas colloquendi neq. quicquã tractandi liberè cum aliqua persona, nisi cũ ijs, quos suspectos fautores viri non habebant: Quare succedit, vt si vnquã aliàs habuerit, hic habeat locũ conclusio illa cõmuniter recepta *in l. metũ. C. quod*
2 *met. caus.* † metum coniecturis ac indicijs probari posse, quam conclusionem sexcẽtis auctoritatibus comprobant *moderni de probationibus conclus.* 1052. *quos ideo cito, ne hic necesse sit eas omnes auctoritates congerere*: Accedat etiã, quòd hoc casu agitur de probando metu illato puellæ, quæ nondum pu-
3 bertatis annos attigerat, quo casu † iustũ metum arbitrari solent iudices ex personarum qualitate, *Innoc. in c. dilectus. quod met. caus. Dec. in l. in omnibus, de reg. iur. cum alijs citatis per Menoch. de arbitr. casu 135.*
4 *n. 4.* Ideo † minor metus sufficit in casu isto, cum hic concurrant duæ qualitates, in quibus minor metus sufficit, nẽpe sexus & ætatis, *Aretin. in cons. 34. col. 2. Socin. cons. 263. n. 5. lib. 2. Alba cons. 77. n. 4. Menoch. 161. n. 4. & 5.* Deducendo igitur probationes Ludo-
5 uicæ: Primo † sese offert initium huius negotij quod pẽdet à tractatu inito inter patrem M. Antonij & alios de procurando matrimonio mediãtibus fauoribus, quibus pollebat apud bo. me. Sereniss. Ducẽ Subaudiæ, & conuentione soluendi certam pecuniarũ summã, qui tractatus cum multum ab vsitata & recta via tractandi matrimonia recedere videatur, vtiq. arguit nõ bona fide cæptum fuisse hoc negotiũ, *vt in simili tradũt, Bart. Bald. Salic. & alij citati per Aym. in cons. 115. n. 5. & 6.* in exequutionẽ verò præ-
6 cedentis tractatus † habemus præceptum Ducis factũ tutoribus sub grauibus pœnis; vt puella à Ciuitate Niciæ, vbi cum suis cõsanguineis morabatur, adducatur Turinũ, & consignetur Prothomedico, quod præceptũ non obstante tutorum & propinquorũ reclamatione exequutioni demandatũ fuit sub cõminatione etiã confiscationis omniũ bonorũ, & adeo rigorosè fuit paritum huic præcepto, vt iudex, qui illã trãsmisit, ob maximos fletus puellæ de ipsius vita dubitauerit, & postquam Prothomedico tradita fuit, ex præcepto Ducis fuit ei denegata facultas alloquẽdi suos consanguineos, & hæc omnia per scripturas probantur, neq. opus est aliquo adminiculo ad fundandum initiũ violentũ & meticulosum, cum processerit à præceptis potẽtis, *vt per Bellam. cõs. 9. Aym. cons. 49. quos refert Menoch. cas. 136. in fin.*
7 † quæ præcepta cum pœna confiscationis omniũ bonorũ, cum sufficiãt ad inferẽdum metũ propinquis & tutoribus, multo magis sufficient ad inferendum metũ puellæ impuberi, & cui erat interdictũ cum suis propinquis colloquiũ, *Dec. cons. 219. & in d. l. in omnibus causis. de reg. iur.* Neq. euitari potest hæc probatio sub prætextu, quòd hæc præcepta emanarint propter litem, quæ vertebatur

* sub diebus 27 Ianuar. 1. Martij 29. April. 12. Maij & 4 Iul. 1586 cor. bo. me. Gypsio.

batur inter consanguineos ratione tutelæ
& loci; in quo educari deberet puella; nam si
solius litis contemplatione emanassent, cur
fuisset tradita Prothomedico, & ablata ei
facultas alloquendi suos consanguineos; eo
maximè quòd Senatus iam decreuerat de
partium consensu, vt deputaretur matrona,
penes quã deberet educari; & ideo nõ erat
opus eam renitentem & eiulantẽ Taurinum
traducere. Cõstituto hoc initio meticuloso,
non obstãt actus postea subsequuti, per quos
prætendunt informãtes probare liberã vo-
luntatem Ludouicæ in contractu matrimo-
8 nii, quia † durãte causa metus semper præ-
sumitur durate metus, *vt per Bart. in l. pe-
nult. de cond. ob turp. caus. & passim Doctor.
in l. 2. C. quod met. caus. Abb. in c. consulta-
tioni. de sponsal. Alex. in cons. 98. nu. 7. lib. 3.
Dec. cons. 219. n. 4. cũ infinitis alijs, qui addu-
ci possent*; & ideo sufficeret Ludouicæ hæc
probatio, cum ex aduerso nõ doceatur eam
vnquã fuisse in plena libertate, *vt aliàs fuit
resolutum in vna Cremonen. raptus coram
R. P. D. meo Decano*, sed ad maiorem su-
pradictorum corroborationem adsunt te-
stes deponentes de minis, & obiurgationi-
bus, quibus vexabatur puella à Comitissa
Stroppianæ & Marchionissa Estẽsi, vt indu-
cerent eam ad contrahẽdum cum M. Anto-
9 nio. † quæ minæ vti prouenientes à persona,
cui debetur reuerentia sufficiunt; maximè in
puella tã teneræ ætatis, *Ruin. in cons. 121.
n. 6. lib. 4. Aym. d. cons. 49. n. 2.* Considerãda
est etiã qualitas minarum, in quibus conti-
nebatur Ducem indignatũ ablaturũ ei om-
nia bona, *Ruin. ibid. n. 8. Bellamer. & Aym.
supr. citati*. Neq. etiam potest dici cessasse
causam metus per obitum Ducis, quia adest
etiam præceptum Sereniss. successoris, quo
prohibentur consanguinei alloqui Ludoui-
cam. Neq. etiam purgatio metus colligi po-
test ex responsione Ludouicæ dicẽtis se cõ-
sensisse propter pulchras res, quę ei donabã-
tur; nã subdit & propter minas & verbera.
Non obstãt attestationes vltimo productæ,
quia præterquã quòd factæ lite pendente &
parte non citata, sunt valde inuerisimiles,
cũ habeant in contrarium tot declaratio-
nes Ludouicæ, & litteras eiusdem postquam
fuit in libertate; Id verò, de quo deponunt
testes, percutit tempus, quo non erat in ple-
na libertate, de quo tempore etiam si inter-
uenisset iuramentum non arguitur libera
voluntas, cum duraret causa metus, *Natt.
cons. 451. n. 3. Couaru. in epit. 4. decret. part. 2.
c. 3. §. 5. n. 1. Boer. decis. 100. n. 14. Roland. cons.
2. n. 76. lib. 1.* Attestatio quoque matronæ,
quæ interuenit in inspectione non facit ad
10 rem, quia † simul stare possunt, quòd fuerit
cognita, & quòd non fuerit consentiens sed
propter metum, *Paris. cons. 53. lib. 3. supra
11 allegatus*: † Attestatio quoque medicorum
est valde temeraria, est enim contrà textus
apertos, qui inspectionem admittunt, *in c.
proposuisti. & c. causam matrimonij. de pro-
bation.* Attestatio Comitissæ non est haben-
da in consideratione, quia præstitit auxi-
lium Prothomedico, & in eius domo fuit il-
12 latus metus: † Attestatio eorum penes
quos aliquando morata est Ludouica in
quodam oppidulo; vnde dicunt eam, si vo-
luisset potuisse aufugere, nullius sunt mo-
menti inspecta ætate, & qualitate puellæ,
quæ sola nunquam ausa fuisset talem fugam,
ne animo quidem concipere, cum esset ab
omnibus destituta, & à familia Prothome-
dici custodita: Attestationes de confessio-
ne Ludouicæ sunt contrariæ depositionibus
iuratis, & etiam percutiunt tempus, quo ip-
sa non erat in plena libertate; ideo non ob-
stant, vt supra deductum fuit. Quantum ve-
rò ad exceptiones, quæ deducuntur contra
testes, eæ visæ sunt leues Dominis, pręsertim
cum probatio Ludouicæ non sit fundata su-
per dicto Caisottorum, sed super alijs, qui
etiam potius considerati fuerunt pro faciẽ-
do adminiculo, quàm quòd super illis con-
sistat probatio, quæ ex scripturis principa-
liter deducitur: Quia tamen pars instat
multum super nullitate examinis; Do-
mini mandarunt, vt super hoc particula-
riter dubitetur. Vltimo non obstat exce-
ptio periurij ex pluribus, quia † si deduci-
tur periurium ratione iuramenti pręstiti in
contractu sponsalium de futuro, id non ob-
stat, cum tunc temporis vix excederet no-
num suæ ætatis annum, & non esset doli ca-
pax immo circumuenta tot vexationibus;
quare non ligat, & potuit absque incursu
periurij contrauenire, *c. paruuli. 22. q. 5. l.
qui iurasse. de iure iur. Calderin. in cons. 8.
de iure iur.* Si verò prætenditur periurium
ratione iuramenti præstiti in contractu so-
lutionis dotis, & pactionis lucri in euen-
tum mortis, hoc non obstat; quia nunc non
agitur nisi super declaratione validitatis
vel inualiditatis matrimonij: Præterea cum
14 ex supra deductis † appareat de dolo, non
solum re ipsa, sed etiam ex proposito, iu-
ramentum non obligat, *Butr. & Abb. in c.
cum contingat. in tertio notab. de iure iuran.
Couar. in c. quamuis. in 3. part. §. 4. num.
2. de pact. in 6. cum alijs per Dominum Ari-
gonum* [b] *allegatis*, [c] *quæ huic difficultati
plenè satisfaciunt*.

[b] Pompeius Arigonius Aduocatus, postea Rotæ Auditor, & deinde Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis.

[c] Alciatus, qui de communi attestatur in d. c. cum contingat in 3. nota. de iureiur. Dec. in cons. 180. num. 6. nam interueniente dolo deficit consensus & voluntas l. 3. de dol. & iuramentum non supplet defectum consensus & voluntatis, vt per Couar. citat. num. 5. versic. decimaquinta conclusio.

Areti-

Aretina Commendæ.
Die Veneris 13. Martij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium seu facultas dismembrandi Commendas vel beneficia concessum religioni intelligitur limitatè, quãdo scilicet beneficia pro tempore vacauerint, non autem non data vacatione.*

2 *Facultas tributa in priuilegio cõtinente facultates limitatas, non extenditur vltra concessa.*

3 *Facultates data Legato de latere augent & restringunt potestatem, secundum quod ei de iure communi competit.*

4 *Quando ordinaria potestate proceditur in distractione & dismembratione bonorũ Ecclesiæ, obseruanda sunt ea, quæ de iure communi requiruntur.*

5 *Ad hoc, vt beneficium possit dici vacare, sufficit consensus eius, ad quem beneficium spectat, dummodo consensus non sit nullus ex causa decreti irritantis.*

6 *In prouisione facta à Papa de Commenda religionis, non potest Magnus Magister se intromittere, nec prouisum remouere, aut aliud in eius præiudicium facere, etiam quod prouisus à Papa esset ad nutum amouibilis.*

DECISIO DCCLXXII.

FVit dubitatum de ordine S. D. Nostri, An Magnus Magister potuerit dismẽbrare membrum Sancti Iacobi de Aretio à Commenda Sancti Sepulchri vigore facultatum, in casu, & ad effectum, de quo agitur; Et quidem pro parte Ill. D. Equitis Rondinelli deducebãtur facultates ex quatuor potissimum capitibus, nempe ex priuilegijs, ex stabilimentis, ex potestate ordinaria, & ex obseruantia. Quantum ad priuilegia allegabatur in ijs contineri facultatem vniendi & dismembrandi liberè Commendas religionis, & de illis disponendi, vt legitur in bulla fe. re. Pij Quarti. Verum hoc fundamentum non placuit Dominis,
1 sed vnanimiter censuerunt † hanc facultatem esse datam limitatè de disponendo, & cætera faciendo, quando beneficia pro tempore vacauerint, & ita expresse continetur in priuilegijs, nam clausula illa, pro tempore vacantia, qualificat totam illã sequentẽ clausulam, & tã Magno Magistro quàm Conuentui &c. quæ loquitur de prouisione facienda, quæ non potest fieri, nisi data vacatione, fuit autem intellecta generaliter dispositio illa non solum de beneficijs iuxta stabilimentum decimumquintum de verb. sign. sed de quibusuis Prioratibus, Præceptorijs & Cõmendis, tam ratione signi vniuersalis, quęcumq. *ad notat. per glos. in Clem. 2. §. dignitatum. in verb. quodcumq; de vit. & honest. cler. cum alijs*, [a] quàm etiam quòd fit mentio in eadem clausula antianitatum, quæ non cadunt in beneficijs sed in Commendis religionis: Accedit, quòd vbiq. in dicto priuilegio, vbi fit mentio beneficiorũ, intelligitur de Commendis, prout in illa parte, in qua auocantur causæ pendentes super quibusuis hospitalibus, & beneficijs, quæ habet relationem ad prædecessorum priuilegia, quæ generaliter loquuntur, vt videre est in bullæ principio, nec litteræ Apostolicę sunt subijciendæ interpretationi stabilimentorum, quæ loquuntur tantum de litteris ipsius religionis, & quæ ab ipsa emanant, sed vt dictum est tota ista facultas est de vacantibus pro tempore non autem de beneficijs plenis. Quantum ad stabilimẽta deducebatur *c. 35. sub tit. de Commend.* in quo datur facultas vniendi ad inuicem duas Commendas parui valoris & tenui redditus, sed ex duobus dictum fuit hoc stabilimentum non applicari casui proposito; Primo, quia in facto non constat de hac valoris paruitate & tenuitate, immo potius contrarium verius est: Præterea datur forma, vt huiusmodi vniones non statim sed tum demum effectum sortiantur, quandocumque à die vnionis administratore caruerint; hęc autem dismembratio, de qua agitur, fuit facta ex tunc, & sic contra dispositionem illius capituli. Quantũ ad ordinariam potestatem tributam in priuilegijs à Magno Magistro, ex duobus dictum fuit non rele-
2 uare; Primo, † quia est tributa in eodem priuilegio limitatas facultates habente; & ideo non extendendam vltra concessa,
3 prout † de facultatibus datis Legato de latere dici solet inspecto tenore litterarum, quæ augent vel restringunt eam potestatem, quæ ipsi de iure communi competit. Secun-
3 do, quia, † quando ordinaria potestate proceditur, tunc sunt obseruanda ea, quæ de iure cõmuni requirũtur, *vt per Rot. decis. vnic. de his quæ fiunt à Prælat. & fuit decisum corã me in vna Tolet. beneficij* 12. *Octob.* 1579. & erant vocandi interesse habentes, inter quos erat R. D. Sangallettus propter decretum in litteris suis appositum. Quantum verò ad obseruantiam, ea fuit circumscripta, cum sit extra dubium restrictum ad facultates; dictum tamen obiter fuit, vix eam vnquam probari posse in indiuiduo respectu casus propositi, nempe quòd Magnus Magister & Cõuentus soliti sint dismembrare Commendas plenas, prout ex tunc non expectata quantum ad effectum vacatione
5 beneficij. Neque obstat † consensus Guccij, quem prætendunt informantes facere, vt beneficium posset dici vacare, *ad glos. in c. beneficium. in verb. assensus. de regular.* quia iam fuit resolutum, [a] illum consensum propter decretum irritans fuisse nullum, neque potest pars aduersa hodie quicquam

[a] Cassial. de pension. q. 30 n. 2. & eius 30 c pollutas st. col. . 5. vers. quarta declaratio. de rescript. Lom. cos 62. no. 2. ad fin. lib. 3.

[a] sub die 19. & 30 Ianuarij proximè præteriti.

contra huiusmodi decretũ opponere, cũ habeat os clausum: Placebat etiam nonnullis ex Dominis ratio illa per informantes con-
6 siderata, quòd † cum Guccius obtinuisset hanc Commendam à Papa, non poterat Magnus Magister remouere eum, neq; aliquid in eius præiudicium facere, dato quòd aliter esset ad nutum amouibilis, *vt ex Paul. de Elezar. & Archidiacon. tradit Gemin. in c. præsenti. n. 9. de off. Ordin. lib. 6. Lap. allegat. 9. nu. 4 & Felin. in c. per tuas. nu. 4. de maior. & obed. cum alijs hic per D. Pompeum Arigonum deductis.* [b] Et ex his conclusum Magnum Magistrum non potuisse hanc Commendam eo modo, quo fecit, dismembrare.

[b] Innoc. Butr. Cal. Ier. Bald. Io. de Anan. & alij in d. c. per tuas.

Militen. Beneficij Sancti Fantini.
Die Veneris 13. Martij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Renuncians possessionem beneficij in manibus Nuncij nomine Cameræ acceptantis, non potest amplius prætendere possessionem naturalem nec ciuilem penes se remansisse, itaut ei competere possit remedium restitutorium & num. 8. & 18.*

2 *Possessio non simpliciter cessa, sed ad fauorem non abdicat ius à cedente, nisi probetur fuisse captam ab eo, ad cuius fauorem cessa fuit; sed hoc locum habet si cedens post cessionem adhuc corporaliter incumbat possessioni; aliàs secus, vt n. 12.*

3 *Possessio nuda voluntate sine traditione non transfertur, cum requiratur aliquis actus apprehensionis.*

4 *Tertius occupans possessionem, quam detinet is, qui in alterius fauorem cessit, dicitur spoliare, & contra eum actio spolij competit.*

5 *Protestatio præcedens in dimissione possessionis declarat mentem dimittentis non esse eam dimittere, nec sibi in aliquo iure quomodocunq; competenti præiudicare; contrarium tamen, vt num. 19.*

6 *Renunciatio intelligi debet, vt minus præiudicet renuncianti; maximè si non sit facta animo amittendi possessionem; secus est, si renuncians dixerit se velle conformare cum intentione Papæ mandantis, quòd renunciet, vt n. 10. & 20.*

7 *Per sequestrum super beneficij possessione, à iudice appositum, non dicitur possessor amittere suam possessionem.*

9 *Protestatio præseruationis quorumcunque iurium non potest referri ad id quod expressè renunciatur propter contradictionem manifestam.*

10 *Reseruatio iurium suorum facta sub beneplacito Papæ non valet; si Papa rem seu beneficium alteri concesserit.*

11 *Stare possunt simul in cessione beneficij ad fauorem Cameræ, quòd Camera non apprehendat possessionem, & quòd nulla detentio cedenti competat, sed possessio medio tempore dicatur vacans.*

13 *Amissa possessione iuris, dicitur etiam amissa possessio facti, nisi de facto retineatur, cum solo animo amittatur.*

14 *Allegans possessionem de facto fuisse retentam, cum sit quid facti, probare debet.*

15 *Cessio beneficij liberè & simpliciter facta operatur facultatem & licentiam ingrediendi propria auctoritate.*

16 *Sigillum Nuncij probat mandatum, seu deputationem vel subdelegationem in re, in qua est appositum.*

17 *Metus & vis compulsiua non præsumitur in Papa, quem verisimile est habere iustã intentionẽ, & qualis de iure esse debet.*

18 *In casu metus & vis compulsiua non datur remedium restitutorium, sed agitur ad rescissionem.*

DECISIO DCCLXXIII.

FVit dubitatum nonnullis præsuppositis,
1 † an possessio ciuilis & naturalis, quæ
erat penes Ill. D. Philippum fuerit translata in Reu. Cameram Apostolicam, vel potius ipse remanserit in aliqua possessione, quæ ei suffragetur in casu, & ad effectum, de quo agitur: effectus verò est videre, an ei cõpetat aliquod remedium restitutoriũ, quod in alia positione causæ dictũ fuit [*] nõ cõpetere, cũ facto suo videatur cecidisse cedẽdo possessionẽ in manibus Nuncij ad fauorẽ Cameræ Apostolicæ. Et pro parte Ill. Do-
2 mini Philippi primo deducebatur † cessionẽ possessionis non fuisse simplicẽ, sed ad fauorem Cameræ; & ideo ab eo nõ fuisse abdicatã, nisi probetur per Cameram fuisse captã, *Achill. de restit. spol. decis. 10. per tex. in l. nec vtilem. ix quib. caus. maio. in integr. restit.* neq; enim simplex renũciatio facit, vt is, cui est renunciata possessio, eam acqui-
3 rat; † non enim sine traditione trãsferri potest nuda voluntate, *Natt. in cõs. 398. n. 13. & 14.* & requiritur aliquis actus apprehẽsionis *l. cũ heredes. in princ. & l. quemadmodum. de acquir. poss.* Secundo cum cessio nõ fuerit ad fauorẽ Ill. Domini Cardinalis, sed ad fauorẽ Cameræ, quæ nõ apprehẽdit actualẽ possessionẽ, ita quòd Ill. D. Philippus erat adhuc in detẽtione beneficij, de quo agitur, nõ potuit Ill. D. Cardinalis capere posses-
4 sionem sine vitio spolij; † nam tertius occupans possessionem, quam detinet is, qui in alterius fauorẽ cessit, dicitur spoliare, & cõtra eum cõpetit actio spolij, *Cassad. decis. 4. nu. 4. de restit. spol. Rot. decis. 1. de restit. spol. in non. Pute. decis. 158. in 3.* quod maximè debet habere locum in casu isto, in quo prætenditur cessio facta non sponte & voluntariè, sed per vim compulsiuam, & ob Summi Pontificis metum reuerentialem, prout in cessione expressè continetur.

[*] sub die 10. Nouembris anni proximè præteriti

Ter-

5 Tertio † non videri amissam possessionem stante protestatione præcedente nuper exhibita, per quam declaratur voluntas ipsius Domini Philippi non fuisse dimittere possessionem ipsius beneficij, neq. sibi in aliquo iure quomodocunq. competenti præiudicare: Vnde sequitur, quòd remota voluntate ab actu non fuit amissa possessio, quæ erat penes ipsum, *per ea quæ tradunt Dyn. Bald. & alij in l. qui in aliena. §. fin. de acquir. hæred. Ruin. cons. 121. nu. 15. lib. 4. Boer. decis. 100. nu. 10. cum alijs.* [a] Vltimo
6 † cum renunciatio intelligi debeat, vt minus præiudicet renuncianti, *Calder. in cons. 5. de præben. in fin. Dec. in l. postquam liti. nu. 15. C. de pact. Grãmat. decis.* 101. *nu.* 12. prout etiam dici solet de confessione, *l. qui intentione. de iudic. Alex. cons.* 183. *nu.* 7. *lib.* 5. *Pute. decis.* 30. *lib.* 3. *cum alijs.* [b] Consequens est, vt dicamus hanc renunciationẽ non fuisse factam animo amittendi possessionem, sed potius vt Camera possideret pro eo, ad quem spectabat de iure beneficiũ, interim dum de eo cognoscebatur, prout
7 solet fieri, † quando apponitur à iudice sequestrum, per quod non dicitur possessor amisisse possessionem, *Bertrand. cons.* 198. *nu.* 5. *lib.* 8. *Mohedan. decis.* 198. His tamẽ non obstantibus contraria opinio Dominis placuit ad effectum maximè, de quo agitur, hic enim non tam est agendum, An possessio fuerit acquisita per Cameram, quàm an eã
8 D. Philippus facto suo amiserit; nam † vt excludebatur ab actione restitutoria hoc vnum sufficit, per ea quæ in alia decisione deducta fuerunt, [c] dimissio autem possessionis, in manibus Nuncij acceptantis clara est, neque aliqua tergiuersatione euitari
9 ri potest; † & licèt in ea adsit præseruatio quorumcunque iurium, tamen referri non potest ad id, quod expressè renunciatur propter contradictionem manifestam;
10 sed & † illa reseruatio fit sub beneplacito suæ Sanctitatis, ideo non valet, *Bisignet. decis. vlt. de renunciat. Felin. in c. cum contingat. col. pen. vers. tertia conclusio. de offic. deleg.* præsertim cum intentio Papæ & Cameræ in simili materia sit, vt possessio per suos ministros acquiratur, & conseruetur ad vtilitatem & commodum prouisi Apostolici: Quòd si Ill. D. Philippus vult intẽtionem suam fundare in aliqua detentione sua post prædictam renunciationem, vtiq; debet ipse eam concludenter probare, cum ex ea resultet probatio primi extremi, quod est plenè & concludenter proban-
11 dum. Nec facit, quòd † non constet de apprehensione possessionis per Cameram, quia simul stare possunt, & quod Camera non apprehenderit possessionem, & quòd D. Philippus nullam habuerit detentationem, sed fuerit possessio medio tempore vacans; ideo non releuat huiusmodi exceptio. Non obstat, quod dicitur pri-
12 mo loco, † cessionem fuisse factam ad fauorem; & ideo nisi queratur ei, cuius contemplatione facta est, eam non abdicari à cedente, quia respondetur id procedere, quando post cessionem cedens incumbit possessioni corporaliter, & ita loquitur *decisio prima de renunciat. in nou. & omnes aliæ decisiones, quæ in hac materia alle-*
13 *gantur*; nam † cum per talem renunciationem amittatur possessio iuris, vt clarè
14 ibi deciditur, † consequens est etiam, vt amittatur possessio facti, nisi de facto retineatur, cum solo animo possessio amittatur, sed illud quod de facto fuerit retenta possessio, cum sit facti, est probandum, per eum qui allegat: Præterea etiam si proba-
15 retur detentam, tamen † cessio illa operatur facultatem & licentiam ingrediendi propria auctoritate, *l. 2. de acquir. poss. Roman. cons.* 309. *num.* 23. & ideo licitum erat Cameræ Apostolicæ capere possessionem, non solum vigore facultatum Nuncij, quæ cum sint notoriæ, non indigent productione, sed etiam vigore dictæ cessionis; ergo idem ius competijt etiam Illustrissimo Domino Cardinali cessionario Cameræ, quem hac ratione constat non esse tertium, *vt bene declarat Pute. limitando suam decisionem in decis.* 175. *Franciscus Pesquera lib.* 3. Nec obstat, quod opponitur non constare de mandato Auditoris, qui mandauit consignari possessionem procuratori
16 Illustrissimi Cardinalis; † cum in hac commissione adsit sigillum Nuncij, ex quo probatur ipsa deputatio & subdelegatio, *Gemin. in c. si à delegato. num.* 5. *de off. deleg. in* 6. *Card. in Clem.* 1. *in princ. de procurat. Dec. in c. post cessionem. num.* 10. *de probatio.* Et hoc pacto tollitur etiam secundum argumentum ex aduerso deductum, cum clarè appareat Illustrissimum Cardinalem non esse tertium. Neq; obstat consideratio illa metus & vis compulsiuæ, quia nulla præcessit compulsio ad talem cessionem fa-
17 ciendam, vt aliàs fuit dictum, [d] † neq; est præsumenda in Papa, quem verisimile est habere iustam intentionem, & qualis de iure esse debet, vt informantes ex aduerso
18 fatentur: † Præterea non competeret remedium restitutorium in casu metus & compulsionis, sed esset agendum ad rescissionem, *vt voluit Rota decis. 5. de renun-*
19 *ciat. in nou.* Tertio † non obstat protestatio præcedens, quia cum hoc negotium cum alio ageretur, & esset contraria facto, habent locum ea, quæ tradunt *Doctores & post eos Rip. in c. cũ M. Ferrariensis. n. 85. de cõstit. et fuit resolutũ in illa Tusculana donationis 28. Aprilis 1586. corã R. P. D. meo Orano.* Vlti-
20 mo nõ obstat, † quod dicitur de intentione renunciantis, quia cũ voluerit se cõformare cũ intentione Papæ, vtiq. non est dubiũ Ca-

a Adde Rubein. iun. in cons. 15. nu. 66. vol. 1.

b facit decis. Capuanæ. 189 part. 1. in impress.

c sub dicta. die 10. Nouembris anni præteriti.

d in d. decis. sub 6. Nouembris.

merâ acquirere voluisse possessioné pro prouiso Apostolico, vt ex vsu patrisfamilias arguere possumus, similes enim possessiones ad hunc effectum fuerunt introductæ in reseruatis, sed etsi verum esset, quod prætenditur, non tamen posset Ill. D. Philippus agere ad restitutionem, nisi prius discusso & terminato negotio principali in petitorio, à quo pendet iustitia vel iniustitia partium; ptout etiam, quando sequestrum apponitur, fieri solet; sed omnem causæ difficultatem tollere videtur, quòd non solum D. Philipphus facto suo cecidit à possessione, sed etiã ea fuit per Cameram apprehensa, Ptimo per bo. me. Dominum Laurentium Campegiũ cum fructuũ perceptione, vt fatetur ipse met Dominus Philippus in sua cessione; Deinde & secundo in illo actu, quando in re præsente fuit immissus procurator Ill. Cardinalis in necessarium antecedens *l. si auia. vbi Ias. C. de iur. delib.* aut saltem actus ille habuit vim cessionis eiusdem facultatis apprehendendi possessionem propria anctoritate. *Aym. cõs. 665. Put. d. decis. 175. lib. 3. Aebill. decis. 12. de restit. spol.* Quæ quidem dicta sunt ex abundanti. Et ita conclusum.

Cæsaraugustana Capellaniæ.
Die Lunæ 16. Martij 1587.

SVMMARIVM.

1 *In prouisione Iurispatronatus forma contenta in fundatione, & conditiones in ea apposita, seruari debent.*

2 *Beneficium obtentum non facit incompatibilitatem respectu adeptionis, sed tantum respectu retentionis, iuxta resolutionem Sacræ Congregationis Concilij.*

3 *Non beneficiatus beneficiato præferri debet, sed hoc procedit in electione, seu admissione ad beneficium, in quo nulla est certa forma & conditio in fundatione apposita; secus est in beneficijs iurispatronatus, in quibus forma fundationis est seruanda.*

DECISIO DCCLXXIV.

FVit resolutum, sententias de partibus esse reuocandas, cum adiudicent Capel-
1 laniam Bartholomæo ✝ contra formam cõtentam in fundatione Iurispatronatus, in qua fundator voluit, quòd præsentaretur vnus ex consanguineis descendentibus ex cognatione sua, *c. decernimus. 16. q. 6. c. illud, in fin. & ibi Abb. & alij de iurepatr. Mohedan. decis. 368. Putc. decis. 10. & 13. de iurepatr.* & conditiones in fundatione appositæ sunt seruandæ, *Socin. cons. 30. num. 4. lib. 3. Roch. de iurepatr. in verb. pro eo. q. 12. Lambertin. lib. 1. part. 1. q. 9. in fin. num. 109. & lib. 3. in 3. part. q. 5. artic. 5. in fin.* Non obstat, quòd Bernardus obtineret, aliud benefi-
2 cium, ✝ quia iam fuit resolutum per Illustrissimos Dominos Cardinales Congregationis Concilij non facere incompatibilitatem respectu adeptionis, sed respectu tantum retentionis, *& ita fuit in alijs causis in Rota receptum*, vltra quòd hæc incompatibilitas videtur tolli ex forma fundationum.
3 Non obstat, quòd ✝ non beneficiatus præferendus sit beneficiato; quia hoc procedit in electione, seu admissione, quæ fit ad beneficia, in quibus nulla adest certa forma & conditio in fundatione apposita; secus verò in beneficijs iurispatronatus, in quibus forma illa ante omnia est attendenda, alioquin is, qui non habet qualitates requisitas in fundatione, & qui non est præsentatus, neq; etiam præsentari potuit, præferetur ijs, qnos fundator prius admitti voluit, quod est absurdissimum. Quare apparet manifestè sententias fuisse iniustas; & ideo reuocandas.

Calciaten. Iurisdictionis.
Die Lunæ 13. Aprilis 1587.

SVMMARIVM.

1 *Clausula seu conditio, dummodo licita & honesta posita in concordia, cum non respiciat tempus futurum, non est suspensiua gratiæ; secus tamen est ratione futuræ expeditionis, quando expeditio fit in forma commissaria, & non in forma gratiosa, vt num. 7. & quòd immo dicta clausula simpliciter habeat vim suspensiuam vid. nu. 4.*

2 *Expeditio litterarum non requiritur ad gratiæ perfectionem, sed tantum ad probationem.*

3 *Regula de non iudicando iuxta formã supplicationum tunc locum habet, quando agitur de canonizanda gratia, sed secus est ad alium finem.*

5 *Clausula, si ita est, non reddit rescriptum cõditionale, quando gratia valet de præsenti; Idem est etiam quòd non adsit dicta clausula, sed si subintelligatur.*

6 *Confirmatio concordiæ in forma communi dupliciter expediri potest; nam si in ea inseritur totus tenor concordiæ, expeditio tunc datur in forma gratiosa, si vero non inseritur, non potest dari in forma gratiosa, sed datur in forma commissaria.*

8 *Concilium non præseruat confirmationes concordiarum, quæ sunt in forma communi.*

DECISIO DCCLXXV.

FVerat inita concordia inter tunc temporis Episcopũ Calciatensem & Capitulũ super quibusdã cõtrouersijs inter eos ratione iurisdictionis & correctionis ortis, & expedita fuerat supplicatio cõfirmationis in forma cõmissaria, & cũ clausula, licita tamẽ

&

& honesta, & sacris canonibus nõ contraria,
neq; super ea fuerant expeditæ litteræ; Ideo
fuit dubitatum, An ex eo quòd super con-
firmatione prædicta non fuerant expeditæ
litteræ, antequam Concilium superueniret,
ea censeretur reuocata, vel potius satis sit,
quòd contenta in concordia fuerint honesta
& licita, ad effectum dictam concordiam
sustinendi, & recedendi à decisione facta co-
ram R. P. D. meo Decano * super causæ expe-
ditione, difficultatẽ faciebat, quòd Rota an-
tiqua interpretata fuerat Concilij decretũ
sess. 6. c. 4. de reform. vt non comprehenderet
concordias à Sede Apostolica confirmatas
propter vinculi multiplicitatem: Accede-
bat relatio Illustris. & Reuerendiss. Domini
mei Cardinalis Sanctæ Crucij, qui attesta-
batur mentem S. D. Nostri esse, vt ex con-
cordiæ, quæ sunt licitæ & honestæ & Sacris
canonibus non contrariæ, omnino obseruẽ-
tur: Hincq; inferebatur pro parte Capitu-
li satis esse, quòd de eo tempore, quo emana-
uit gratia confirmationis contenta in con-
cordia, fuerint licita & honesta, etiam si de-
super non fuerint expeditæ litteræ, quia
1 † cum illa conditio, dummodo licita &c.
non respiciat tempus futurum, ea nõ est sus-
pensiua gratiæ *l. cum ad præsens fieret. per.
Crotconf. 242. n. 13. lib. 1.* & ideo iustificato
quòd contenta in concordia erant licita,
censetur confirmatio ab initio effectum
suum sortita etiam sine expeditione littera-
2 rum, † quæ non requiritur ad gratiæ perfe-
3 ctionẽ, sed ad probationẽ tantum: † Neque
obstare regulam de nõ iudicando iuxta for-
mam supplicationis, quia ea tunc locum si-
bi vendicat, quando agitur de canonizanda
gratia, vt in sexcẽtis decisionibus fuit à Ro-
ta obseruatum; hic verò agitur ad effectum
tantum obtinendi absolutoriam à præten-
sionibus R. Domini Episcopi: Præterea non
obstare, quod in rescriptis si in euidentem
respiciẽdum sit tempus præsentis rescripti,
& cognitionis desuper adhibitæ, quia hoc
prouenit ex ipsius forma, nam in ea non
statim, & de præsenti Papa confirmat alie-
nationes, sed mãdat iudicibus delegatis, vt
constito quòd alienatio cedat in euidentem
vtilitatẽ, eã confirmet; At in casu isto secus
est: Papa enim cõfirmat de præsenti, cũ clau-
sula illa, quatenus licita & honesta &c. quæ
per naturã iam erat certa, licèt adhuc non
fuerit adhibita causæ cognitio; & ideo non
facit confirmationem stare in suspenso, sed
aut statim valet, si res ita se habet, aut sta-
tim est ipso iure nulla, cum Princeps non
fundet se in causæ cognitione, sed in cau-
sæ veritate, *vt in simili Bald. in l. præscri-
ptione; nu. 11. vers. ego dico. C. si contr. ius vel
vtil. publ.* His verò non obstantibus, Do-
mini contrariam opinionem sequuti sunt,
nempe ad verificationem clausulæ, quate-
nus licita & honesta &c. esse habendam
rationem status præsentis, & decretorum
Concilij, non autem temporis, quo impe-
trata fuit gratia; nam secundum aliquos ex
4 Dominis, & pro maiori parte † ista clau-
sula habet in se conditionem, *vt per glos.
fin. in c. examinata. & glos. pen. in c. venera-
bilis. de confir. vtil. vel inutil.* & huiusmodi
conditio inspecto vsu patrisfamilias habet
vim suspensiuam, nam licèt in alijs gratijs,
5 in quibus vel apponitur expressè † clausu-
la, si ita est, vel subintelligitur ex iuris dis-
positione, dicta clausula non reddat rescri-
ptum conditionale, *vt voluit Lap. allegat.
60. num. 2. & Card. in Clem. 1. num. 17. de
off. deleg.* hoc procedit, quia huiusmodi gra-
tiæ nullam requirunt in expeditione causæ
cognitionem, sed eas Domini expeditores
sine alio examine expediunt in forma
gratiosa, si supplicatio sub illa forma con-
cepta fuit, at in expeditione confirmatio-
num in forma communi, qualem hanc es-
se informantes pro Capitulo fatentur,
6 duplex est via expediendi; † nam aut inseri-
tur totus tenor concordiæ examinatus per
Officiales Cancellariæ, & tunc datur ex-
peditio in forma gratiosa, aut non inse-
ritur, & tunc non potest dari in forma gra-
tiosa, sed committitur, prout de hoc stylo
constat *ex notabili Cancellariæ alias alle-
gato, quod est tertium in meo libro sub tit.
clausularum.* Hincq; apparet huiusmodi
rescripta non esse eiusdem naturæ, cuius
sunt alia gratiosa, sed expectare post se
vel expeditionem in forma gratiosa, vel
expeditionem in forma communi quæ fit
causa cognita, & si hoc factum fuisset,
confirmatio diceretur ex vera certa scien-
tia; Aut suspenditur gratia vigore expe-
ditionis in forma commissaria, quæ tunc
in nullo differt à formula rescriptorum, si
euidentem in quantum ad hunc effectum,
vt inspiciatur tempus adhibitæ causæ co-
gnitionis; & ideo imputet Capitulum
totum hoc præiudicium suæ negligentiæ,
cum distulerit adhibere hanc cognitionem
in tempus, quo ea, quæ in concordia con-
tinentur, sunt contraria Sacris canonibus
Concilij Tridentini: Ex hoc vsu itaq. ap-
7 paret, † quænam sit vera interpretatio ha-
rum confirmationum, & quam vim ha-
beat clausula illa, quatenus licita, &c. quæ
licèt sonet in conditionem de præsenti, quæ
aliàs non suspendit, tamen ratione futuræ
expeditionis, quam post se expectat, resol-
uitur in suspensiuam, si expeditio non fiat
in forma gratiosa: Nec obstant deci-
siones Rotæ antiquæ, quia dato quod per
decreta Concilij non fuerit reuocata
hæc confirmatio; Tamen ex eo corruit,
quod non potest iustificari, cum sit con-
traria Sacris canonibus: Non obstat de-
claratio S. D. Nostri, quia recipit eandem
interpretationem, scilicet quòd si hodie

* sub die 13. Febr. proximi præteriti corã D. Decano de Rubeis.

reperiantur confirmationes in forma communi, quæ sint iustæ, honestæ, & sacris canonibus non aduersentur, inspecto statu præsenti esse censeantur præseruatæ. Et hæc fuerunt ex sententia nonnullorum ex Dominis deducta, sed stante declaratione nuper emanata à Sacra Congregatione Con-
8 cilij, quòd † Concilium non præseruet cōfirmationes in forma communi, omnes cōueniebant totam hanc disputationem omni prorsus carere difficultate, quod etiam informantes pro Capitulo ingenuè fatentur. Et ideo conclusum pro inualiditate confirmationis, & decisionis coram R. P. D. meo Decano factæ pro confirmatione.

Romana Hæreditatis.
Die Lunæ 13. Aprilis 1587.

SVMMARIVM.

1 *In omni materia quantumuis stricta, & etiam in sententijs valet argumentum à necessario antecedenti.*
2 *Quod nullum est, nullum parit effectum.*

DECISIO DCCLXXVI.

CONclusum fuit declaratoriam Lapani esse talem, vt ei sit standum in præiudicium suum, & Domini Vincentij Rentij non obstantibus prętensis nullitatibus, quas hodie prætendit M. Antonius deducere posse contra præfatum examen: Nam cum molestaretur Fabricius Galletus ob amissionē examinis testiū examinatorū pro parte Iuliæ, & suspicio esset vehemens cōtra M. Antonium, quòd huiusmodi examen subtraxisset; ipse volens liberare Galletum à molestijs, fecit huiusmodi declarationem, in qua vult, quòd articuli habeantur pro probatis, atq. procedi possit, ac si reperirentur examina testiū, & deponerent articulos esse veros, reseruata sibi facultate excipiendi cōtra personam dictorū testiū, & dicendi de subornatione, & quòd falsum deposuerint, & quod dicta acceptatio intelligatur facta omni meliori modo, quo fieri potest ad fauorem prædicti Domini Fabricij, & alterius prætendentis interesse: Ex quibus verbis Domini dixerūt fuisse renunciatum ijs exceptionibus, quæ tolli possent ex productione siue exhibitione prædicti examinis: cum enim vt etiam informantes ex aduerso confitentur, hæc acceptatio fuerit facta ad exonerationem Galleti, & cum clausula omni meliori modo, non potest censeri præseruata exceptio illa, quæ per exhibitionem tolli potest, & sic non esset verè liberatus à molestijs Galletus, neque satisfactum causæ, propter quam fiebat talis declaratio, *iuxta allegata per Aym. in cons. 242. ex aduerso allegatum*. Confirmatur ex reseruatione aliarum exceptionum subornationis & falsitatis, quæ & si non restringunt, declarant saltem acceptationem, quomodo sit intelligenda; nam huiusmodi exceptiones sunt eius naturæ, vt non tollantur regulariter ex inspectione actorum, sed requi-
1 runt alias probationes: Præterea † in omni materia quantumuis stricta, & etiam in sententijs valet argumentum à necessario antecedenti, *vt per Euerard. in loco ab antecedentibus, & tenuit Rota in pluribus causis, & nuperrimè in vna Romana liquidationis fructuum coram R.P.D. meo Blanchetto. 16. Martij proximè præteriti*: Cum igitur M. Antonius acceptet articulos pro probatis, omni meliori modo, in necessariū antecedens videtur fateri examen esse validum, cum nullo existente examine, nulla
2 ex eo resultet probatio; nam † quod nullum est, nullū parit effectum, *c. non præstat. de reg. iur. in 6.* Accedit quòd ex exhibitione examinis posset tolli exceptio nullitatis, vt bene in facto deducitur, & sic huiusmodi exceptio pendet ab eadem causa subtractionis; nam qui vult dicere de nullitate, & non exhibet omnia acta & processum integrum, non potest eam sufficienter probare, *vt tradit Corn. cons. 210. lib. 4. Aym. 112. n. 7.* Quod verò dicitur de præiudicio D. Vincentij non fuit habitum in consideratione, cum ius ipsius super istis bonis pendeat ex veritate & validitate testamenti; & sic non nititur aliquo iure certo, quod esset in rerū natura super istis bonis, antequam intentata esset lis super eis. Et ideo conclusum pro confirmatione sententiæ.

Romana Vineæ.
Die Veneris 17. Aprilis 1587.

SVMMARIVM.

1 *Iudex iniustè & nulliter procedendo dicitur spoliare.*
2 *Forma statuti non seruata ante exequutionem sententia attentatur, Item si fiat exequutio pendente causa restitutionis in integrum.*
3 *Spoliatus per sententiam non potest restitui non probato primo extremo ex eius persona.*
4 *Protestans, vt alter debeat citari tanquam possessor, censetur ab omni commodo possessionis, si quam habebat, facto suo ac voluntate sua cecidisse.*
5 *Colonus non sibi sed domino possidet.*
6 *Quis non est restituendus ad statum, qui nō est considerabilis, sicuti si iam lapsum sit tempus conductionis.*
7 *Non habens nisi nudum nomen in re non potest agere spolio.*
8 *Spolium excluditur per non ius agentis.*
9 *De non iure agentis per confessionem notoriè constare dicitur.*

10 *Actio*

10 *Actio spolij non venit in cessione, quod tamen videtur procedere in beneficialibus.*
11 *Deserta appellatione attentata non reuocantur.*
12 *Non omnis restitutio in integrum petita impedit exequutionem sententiæ, nã si exequutio petita fuerit ante petitam restitutionem, ea non retardatur.*

DECISIO DCCLXXVII.

INtentatum fuit iudicium spolij & attentatorum per D. Numam Pompiliũ Condopulum super quadam vinea possessa per D. Franciscum Gimnasium; spolium deducebatur ex iniustitia sententiæ Capitolinæ,
1 cum Iudex iniustè & nulliter procedendo dicatur spoliare, *Felin. in c. dilectus. col. 1. de rescript. Cyn. & Alberic. in l. 2. C. si per vim. Rip. in l. naturaliter. §. nihil commune. de acquir. poss. n. 59. Aym. cons. 302. num. 4. cum similib.* Iniustitia verò ex eo prætendebatur, quia Carolus in cuius fauorem fuit lata, fuerat bannitus in pœnam vltimi supplicij, & confiscationis bonorum, neq. fuerat restitutus nisi limitatè, scilicet prætérquam quòd ad Vrbem, & ad bona fisco in-
2 corporata: ✝ Attentata verò, tum ex eo, quòd nõ fuerat ante exequutionem seruata forma statuti Vrbis *lib. 1. c. 87.* tũ quòd fuerat facta exequutio pẽdẽte causa restitutionis in integrum. His tamen non obstanti-
3 bus Domini cẽsuerunt ✝ D. Numam Pompilium non posse vti spoliatum restitui, cum non probetur eius primum extremum ex persona sua, nam in iudicio illo Capitolino fassus est se esse simplicem colonum, & detentorem nomine Syluestri Sauarelli, qui prædictam vineam locauerat Ioanni Petro
4 patri suo, ✝ & protestatus est, vt citaretur D. Syluester; & ideo censetur ab omni commodo possessionis, si quam habebat, facto suo, ac voluntate sua cecidisse, *l. sed hoc. §. quod autem. de re iudic. Bart. in l. fin. de rei vendic.* neq. status ille coloniæ est considerabilis, ad effectum de quo agitur, tum ex eo quòd vinea non erat ei locata, sed patri
5 suo: Præterea ✝ colonus non sibi sed domino possidet, *glos. in l. 1. §. deijcitur. in verb. si colonus. de vi & vi armat. Bertrand. in cons. 210. lib. 2. par. 1.* & licèt Rota soleat ad
6 statum restituere, ✝ tamen hoc casu non est status considerabilis, quia iam lapsum est tempus conductionis, *vt in simili resolutum fuit per Rotam coram R. P. D. meo Decano* * *in vna Placentina vsurarum de anno 1584. Paris. cons. 98. n. 2.* Ex persona verò Syluestri restitui non potest D. Numa Pompilius vigore cessionis per hæredes Syluestri in eius fraudem factæ; tum ex eo quòd in cessione ipsi fatentur se non esse dominos,
7 ✝ nec Syluestrum quicquam habuisse in ista
8 vinea præter nudum nomen: & ✝ spolium
9 excluditur per non ius agentis, ✝ de quo notoriè constare dicitur per confessionem, *Rota decis. 3. de restit. spol. in nou.* tum etiam quia in cessione non fuit cessa actio spolij; sed fortè hoc non releuaret, quia
10 ✝ id videtur procedere tantum in beneficialibus, *Pute. decis. 176. in fin. lib. 2.* quòd si cessio sustineri posset, tũc esset videndum, an sententia Capitolina, sit ita notoriè iniusta, vt possit dici iudicem spoliasse, quod quidem ex hactenus deductis non probatur; nam non solum non constat de confiscatione & incorporatione in fiscum prædictæ vineæ, quin potius constet de contrario, cum eam Cæsar post Caroli exilium possederit, neq; de iure confiscari poterat, cum dominium directum esset penes Ill. Dominam Helenam Vrsinam & concessio esset limitata ad vitam certarum personarum; ideo opus est vt D. Numa Pompilius clarius deducat hoc caput notoriæ iniustitiæ. Quantum verò ad nullitatem & attentata, Domini dixerunt ex pluribus hæc cessare; Primo quia statutum ex aduerso allegatum non irritat actum, si forma ibi data non seruetur, & hæc non est nullitas, ex his quæ Rota ex Constitutione fe. re. Pij Quarti atten-
11 dere solet; Secundo, quia ✝ deserta appellatione attentata non reuocantur, *Rota decis. 1. de appellat. in nou. & decis. 76. eod. tit.*
12 *in antiq.* Tertio quia ✝ non omnis restitutio in integrum petita impedit exequutionem, nam si ante restitutionem petitam, fuerit petita exequutio, ea non retardatur, *vt ex Alex. & Ripa auctoritate tradit Pute. decis. 285. die prima Iulij lib. 2.* Et ex his conclusum nullam competere actionem restitutoriam Domino Numæ Pompilio.

* coram Domino de Rubeis & in eadem prius 9. Decemb. 1583. vt in impress. diuers. nouiss. 224. par. 2. in fin.

Placentina Bonorum.
Die Lunæ 20. Aprilis 1587.

SVMMARIVM.

1 *Quando locum habeat doctr. Ias. in l. à Diuo Pio. §. si super rebus. n. 10. de re iudic.*

DECISIO DCCLXXVIII.

SAtis constare de possessione Episcopi ad effectum, vt non sit pro nunc moderan-
1 da inhibitio; ✝ quia de hac possessione constat etiam ante tempus litis super secundo prætenso spolio, & ita habet locum *doctrina Ias. in l. à Diuo Pio. §. si super rebus. nu. 10. de re iudic.* Quæ verò deducuntur pro parte Ill. Domini Marchionis, non respiciunt exactam discussionem totius negotij principalis, quod in hoc iudicio præparatorio non venit discutiendum, sed suo loco procedetur ad disputationem dubiorum.

Romana Dotium de Zappis.
Die Lunæ 20. Aprilis 1587.

SVMMARIVM.

1 *Promissio dotis intrat in locum bonorum maternorum, declara tamen vt hic.*

DECISIO DCCLXXIX.

FVit resolutum ex deductis constare Dominas de Alexijs consequutas fuisse dotes maternas super Casale Montis Merli vigore immissionis ex interdicto Saluiano obtentæ in Curia Capitolina: Nec releuat,
1 quod dicitur † promissionem dotium duorum millium successisse loco bonorum maternorum, *ad Bart. in l. in his rebus. §. si vir. solut. matr.* quia dato quòd hoc sit verum, non ideo sequitur, vt potuerint simul consequi immissionem ex Saluiano ex vna parte, & ex alia agere super domo ad consequutionem dotium, nam stante earum renunciatione debebant altero horum esse contentæ. Neq. obstat, quòd non fuerit eis adiudicatum Casale pro earum credito; quia satis est, quòd fuerint immissæ in possessionem detinendam, donec & quousq. eis esset satisfactum: Vnde sibi imputent, si elegerunt hanc viam, *vt fuit dictum in illa Romana vinea de Brunis diebus præteritis coram R. P. D. meo Blanchetto.* Non obstat, quòd stante renunciatione esset iniusta sententia Capitolina, quia non possunt allegare hanc iniustitiam ad earum commodum, cum huic fratres acquiescant, & contenti sint, vt eis in illis bonis satisfiat, postquam illam viam elegerunt, etiam contradicentibus & succumbentibus ipsis fratribus: Ex his itaque sequitur, cum ante exequutionem factam super domo subiecta fideicommisso istę dominę iam consequutæ fuissent dotes maternas, eas non potuisse agere contra domum pro earum dotibus: Et ideo subhastationem & deliberationem domus fuisse nullam.

Toletana Primitiarum.
Die Mercurij 22. Aprilis 1587.

SVMMARIVM.

1 *Attestationi visitatoris statur tanquam persona ad id deputatæ.*
2 *Assertio visitatoris præstat maximum argumentum rem ita se habere.*
3 *Numerus testium supplet defectus, si qui in eis sint.*
4 *Qui de primitijs participant, de onere etiam administrationis sacramentorum participare tenentur, nam propter officium datur beneficium.*
5 *Constitutio Synodalis præsumitur vsu recepta, nisi contrarium doceatur.*
6 *Probatio spontanei seruitij non dicitur contraria obligationi, nam quis etiam dicatur sponte facere id, ad quod tenetur.*
7 *Depositio testis contra iuris communis dispositionem, nec non iuris præsumptionem dicitur inuerisimilis.*

DECISIO DCCLXXX.

FVit conclusum per Dominos constare de quasi possessione beneficiatorum leuandi primitias, & de necessitate adiuuandi Rectorem in administratione sacramentorum; nam prior illa conclusio, quòd beneficiati leuarent primitias: Primo probatur per attestationem Visitatoris de anno 1519. expressè affirmantis se reperisse, quòd beneficiati non solum leuabant grossam beneficij, sed etiam maiorem partem primi-
1 tiarum; † cui attestationi, tanquam personæ ad hoc deputatæ statur, *l. apparitores. vbi Ioan. de Platea. C. de exaction. lib. 10. Bart. & alij in §. quidam. §. numularios. de edend. Aym. de antiq. temp. par. 1. §. quarto limitatur. n. 61.* Secundo probatur ex testibus, qui in dictis eorum concludunt de visu & vltra quadraginta annos, vt bene deducitur in facto; & ex duobus cessant obiectiones, quæ contra eos afferuntur; primo ex prædicta
2 assertione Visitatoris, † quæ maximū præstat argumentum rem ita se habere; Secun-
3 do ex numero, † qui supplet defectus, si qui adsunt in aliquibus eorum. Quantum verò ad posteriorem dubij partem, quòd tenerentur adiuuare Rectorem in administratione, dictum fuit hoc quoq; probari, siue inspiciamus ius commune, siue specialem Constitutionem Synodalem; nam quantum
4 ad ius commune, † cum primitiæ percipiantur ratione administrationis Sacramētorum, & ex inter presbyteros, diaconos, & alios clericos *ex sententia Clement. in Can. Apostol.* diuidantur, vtiq. de onere participare teneotur, qui de illis participant, *c. qui sentit. & c. rationi de reg. iur. in 6.* nam propter officium, vt dici solet, datur beneficiū, & ad hoc faciunt multa in prioribus positionibus pro hac parte ex Diuo Thoma, Sotto, & alijs deducta: Præter ius commu-
5 ne † adest etiam Constitutio Synodalis iniungētis onus ministerij beneficiatis participantibus de primitijs, quæ præsumitur vsu recepta, nisi ex aduerso contrarium doceatur; maximè cum sit rationi & iuri consona. Neq; huic rei obstant testes ex ad-
6 uerso allegati: nam † non est contraria obligationi probatio spontanei seruitij, nam etiam sponte id dicitur quis facere, ad quod tenetur, *vt probatur ex Aristotel. 3. ethicorum, c. 1.* sed etiam si secundum vulgarem sensum interpretari velimus eorum dicta, vtiq. non probant, nam aut referuntur ad ius, & non probant, nisi etiam non interrogati rationem reddant, aut referuntur ad factum, & nullam circunstantiam probant,

ex

præsens decisio confirmata fuit sub die 1. Iulij proxime.

ex qua colligatur eos cogi non potuisse, *contra doctr. Bald. in l. solam. col. 1. C. de*
7 *testib.* & † est eorum inuerisimilis depositio, cum sit contra Constitutionem Synodalem, & iuris communis dispositionem, nec non iuris præsumptionem, *ad tradita per Felin. in c. cum M. Ferrariensis. nu. 21. Dec. ibid. num. 34. de constitution, Aym. in cons. 106. n. 8. cum alijs.** Ad alia, quæ deducuntur ex aduerso bene respondetur in memoriali Domini Bennetti, ex quo peti poterunt particulares responsiones ad omnia in contrarium deducta.

* Adde Rip. in d. c. cum M. Ferrariensis nu. 10.

Nicien. Matrimonij.
Die Lunæ 27. Aprilis 1587.

SVMMARIVM.

1 *Citatio ad videndum iurare testes non dicitur vaga, quæ est restricta ad aliquos paucos dies, & ita sequatur.*
2 *Examen testium factum sub prorogatione termini partibus præsentibus concessa, valet.*
3 *Examen testium, licèt non omnes fuerint vniformiter interrogati, valet, quia potuit fieri de consensu partium, vt sæpe fit.*
4 *Examen testium non rite factum, non ob id causat nullitatem examinis, sed solum dat occasionem repetitionis faciendæ.*
5 *Examen testium demandari non potest non existenti in dignitate ecclesiastica; secus est, si demandetur tantum nudum ministerium, etiam quòd sit data potestas citandi, dummodo non sit data facultas cogendi.*
6 *Causa in prima instantia coram Ordinario non est de necessitate tractanda, quando fuit allegatus suspectus.*
7 *Vbi potest esse dubium de fide testium, si testes sint in magno numero, & principale fundamentum probationis consistat magis in scripturis, quàm in testibus, tollitur dubium.*

DECISIO DCCLXXXI.

FVit resolutum testes Ludouicæ esse rite examinatos, & illis fidem esse adhibendam, non obstantibus in contrarium allegatis; Nam primo quod dicitur de defectu citationis, id tollitur ex partium præsentia, quibus fuit à Nuncio præfixus terminus ad probandum vsq. ad diem 28. Octobris, & fuit procurator M. Antonij citatus pro die 23. & successiuè pro singulis alijs diebus & horis ad videndum iurare testes; & ideo iuramenta eo termino durante præstita sunt
1 valida, † neq; potest dici citatio vaga, quia est restricta ad certos paucos dies, & ita pas-
2 sim obseruatur; Pari modo † sustinetur examen factum post diem 28. Octobris, vsq; ad diem 20. Nouembris ratione prorogationis termini concessæ partibus præsentibus. Se-
3 cundo non obstat omissio interrogatoriorum; tum quòd in facto non constat, quòd interrogatoria data fuerint; tum quòd reperiuntur super nonnullis interrogati; & licèt non sint vniformiter omnes interrogati, tamen hoc potuit fieri de consensu partium, vt sæpe fieri solet; Tertio, quia eadē interrogandi forma obseruata fuit in examinandis testibus alterius partis, & in om-
4 nem euentum † ex hoc non causatur nullitas examinis, sed tantum occasio repetitionis faciendæ. Tertio non obstat oppositio
5 defectus iurisdictionis, † ex eo quod commissum fuerit examen Trotto non existenti in dignitate ecclesiastica, *c. statutum. de rescript. Rota decis. 27. de probation. in antiq.* quia fuit ei demandatum nudum ministerium, quod fieri potest,* *& ita fuit alias resolutum coram Illustris. Domino meo Lancellotto in vna Lucana Castri Franchi,* a *qua allegatur.* Nec in contrarium facit potestas ei data citandi, cum non sit data facultas cogendi *Specul. tit. de testib. §. qualiter sint prod. test. nu. 12. Doctor. in c. fin. §. cæterum. de off. deleg. vbi Innoc. nu. 19.* Quarto defectus iurisdictionis Nuncij non obstat;
6 quia † ideo non fuit tractata in prima instantia, causa coram Ordinario; quia fuerat allegatus suspectus, & satis visa est impertinens hæc allegatio, cum ex ea resultet
7 nullitas sententiæ ex aduerso obtentæ: † Fidem autem his testibus adhibendam esse non dubitarunt Domini, tum propter numerum, tum ex eo, quòd principale fundamentum probationis consistit in scripturis, vt fuit aliàs consideratum. Ideo conclusum pro validitate, & causæ expeditione.

* & tale ministeriū etiā simplici notario demandari potest, vt fuit dictum in Ispalen. decimarum 28. Ianuar. 1570. coram R. P. D. Vicecomite 10 impress. diuers. nouiss. est 610. par. 1.

a sub diebus 27. Maij & 13. Iun. 1571

Romana Donationis.
Die Lunæ 27. Aprilis 1587.

SVMMARIVM.

1 *Maior viginti annis ex statuto Vrbis habetur in omni negotio pro maiori vigintiquinque.*
2 *Statutum habilitans personam non extendit habilitationem ad bona extra territorium statuti.*
3 *Donatio facta à minore vigintiquinq; annis sustinetur propter iuramentum in ea appositum.*
4 *Iuramentum in contractibus interpositum die dominico est seruandum, quando sine dispendio salutis æternæ seruari potest.*
5 *In extraiudicialibus iuramētum etiam die dominico interpositum valet, & contrarium tenentes potius loquuntur de consilio quàm de præcepto.*
6 *Contractus die dominico facti tenent, licèt fieri prohibeantur.*
7 *Iuramentum extra causam necessitatis præstitum est seruandum, licèt extra dictam causam prohibeatur.*

8 *In-*

8 *Iuramentum in iudicialibus de precepto est prohibitum, in extraiudicialibus verò de consilio secundum Summistas, & de consuetudine non obseruatur.*

DECISIO DCCLXXXII.

ILlustrissimus Dominus Valerius Vrsinus donauit oīa bona sua filijs D. Ludouici Vrsini fratris, & donationis instrumentum celebratū fuit in Castro Collis Veteris intra districtum Vrbis, cumq; tempore donationis ipse esset maior viginti sed minor vigintiquinque annis orta fuit controuersia inter eum & Illustrissimam D. Iuliam Sabellam matrem dictorum filiorum super validitate huiusmodi donationis respectu bonorum sitorum in Ciuitate Firmi; quia licèt statutum Vrbis *lib.*1. *cap.*47. disponat,
1 quòd † maiores viginti annis habeantur in omni negotio pro maioribus vigintiquinq; annis, tamen deducebatur hoc statutum nō operari respectu bonorum sitorū extra territorium Vrbis, super quo articulo proposui causam die Lunæ 2. Martij proximè præteriti, & fuit per Dominos vnanimiter cō-
2 clusum, † statutum habilitans personam nō extendi ad bona sita extra territorium, *ad doctrinam Bart. in l. cunctos populos. nu.*40. *C. de Sum. Trin. & fid. Cath. & ibi Bald. nu.* 17. *Alex. cōs.*16. *n.*1. *& ibi Addit. lib.*1. *Curt. iun. cons.*108. *n.*31. *Corn. cons.*85. *nu.*8. *lib.* 3. *Gozad. cons.*49. *nu.*8. *Socin. cons.*239. *n.*2. *in* 2. *Brun. in tractat. stant. mascul. artic.*8. *q.* 25. *Castr. cons.* 32. *nu.*1. *lib.*2. *Tiraq. de iure primogen. q.* 46. *nu.*27. *Lap. allegat.*91. *nu.*7. *& ibi Addit. Rimin. iun. cons.*5. *nu.*207. *lib.* 1. *& cons.*437. *nu.* 63. *cum seq. lib.*4. *cum pluribus alijs per informantes deductis*, *
3 Quare fuit ex aduerso allegatum, † donationem sustineri propter iuramentum in contractu donationis appositum *ex dispositione Constitutionis, sacramenta puberum. vbi glos. Bart. Paul. Ias. & alij. C. de si aduers. vendit.* sed super hac replicatione, orta fuit controuersia, ex eo quòd huiusmodi iuramentum fuit interpositum die dominico & ideo nulliter, *& contra tex. in c.* 1. *de fer. & ibi Doctor. Lanfranc. in c. quoniā contra. de probation. in fin. princ. Thom. Ferratius cautel.*4. *Plot. in l. si quando. C. vnde vi. nu.*755. *Moderni Mediolanens. in tract. de contract. lib. min. q.* 15. *n.*66. *Modern. Cremonens. cons.* 59. Vnde fuit super hoc parti-
4 culariter dubitatum, & per Dominos † cōclusum pro validitate Iuramenti ex dispositione *cap. cum contingat. de iure iur. c. quāuis. de pact. in* 6. Vbicunq; enim iuramentū sine dispendio salutis æternæ seruari potest, tunc est seruandum, & licèt iurando pecet, non ideo debet concedi aliud peccatum nēpe periurium, & hinc est, quòd *Hostien. In-*
5 *noc. Abb. & alij in d. c.*1. tenent † in extraiudicialibus valere iuramentum, & textum illum potius procedere de consilio quàm de præcepto, quia vbi Papa voluit actum annullare prout in iudicialibus, id fecit, *c. fi. eod. tit. de fer.* & licèt demus prohibitionē illam esse generalem tam in extraiudicialibus, quam in iudicialibus; & ideo contrauenientem peccare; tamen hinc non bene
6 infertur ad inualiditatem, † nam pari modo prohibentur eodem textu contractus, & nihilominus facti tenent, & omnes actus extraiudiciales, *vt post specul. de ferijs. §. sequitur. nu.*5. *tenet Doctores, quos citant dicti mo-*
7 *derni Cremonen. nu.*2. *&* 3. † Prohibitum etiam est iurare nisi ex causa necessitatis, *c. & si Christus. de iureiur.* nihilominus iuramentum extra casum necessitatis præstitum est seruandum: Absurdum est enim, vt pro vno vitando duo incurrantur peccata, alterum in iurando, alterum in periurá-
8 do: Præterea Summistæ omnes *Armilla, Gaetana, Angellita, Tabiena, & Syluestrina in locis per dictum modern. allegatis*, intelligunt illum textum esse de præcepto in iudicialibus, & de consilio in extraiudicialibus, & ferè omnes *post Hostien.* dicunt de consuetudine non obseruari, *vt tradit etiā Summ. Confessor. tit. de ferijs, quæ est* 12. *q.*7. quod etiam obseruari videmus in conspectu Summi Pontificis, qui admittit ad iuramentum Officiales Vrbis die vlt. anni, quæ plerunq; incidit in diem dominicum, & ideo fortiora, & probabiliora visa sunt argumēta pro hac parte deducta, ab illo moderno, quàm ea quæ deducit pro contraria sententia, *nam glos. in Clem.* 1. *de iud. deleg.* loquitur in iuramento iudiciali, & præter Lanfrancum cæteri per eum allegati, sunt recentiores, & non conferendi cum auctoritate tot veterum Canonistarum, & Summistarum, quibus potius in dubio standum est. Quæ verò deducuntur per D. Quintilium in suo memoriali in secundo fundamēto, sunt extra dubium, & poterit videri præsupposita validitate Iuramenti, An donatio respectu dictorum bonorum valeat.

* Ias. in l. re coniuncti. n. 215. deleg. 1. Alex. cons. 228. col 1. cū duabus seqq. vol. 1. Ruin. cons. 48. nu 1. lib 3. & in terminis istius statuti tradit Socin. in alleg cons. 239. & hanc opin. esse magis com. testantur Alex. in d. cons. 16. Curt iun 110. pro habenda veritate n. 7. lib. 4. Paris. cons. 68. n. 9. lib. 2. Soc. cōs. 238. num. 2. vol. 4.

a immo est cautel. 3.

Fauentina Bonorum.
Die Lunæ 4. Maij 1587.

DECISIO DCCLXXXIII.

FVit per Dominos dictum strictè ad intellectum instrumenti anni 1295. magis ei conuenire interpretationem, quæ datur pro parte RR. Canonicorum, quòd primæ decē petiæ sint sitæ in prata, reliquæ verò in Fossula, arguendo primo ex eo, quòd in eo dicitur, quòd istæ possessiones sunt in prata Fantina & Fossula: Vnde cum decem primæ omnes collocentur in eodem loco, & in vndecima petia dicatur eam sitam esse in fundo Fossulæ, & deinde omnes aliæ sequentes in dicto loco, videtur dicendum priores fuisse

fuisse in Prata, vt verificetur enunciatio illa, quòd sint in Prata & in Fossula, quod secundo loco comprobari videtur ex ordine scripturæ; prius enim nominatur Prata deinde Fossula. Tertio facit, quòd ex prioribus decem petijs nonnullæ sunt indubitanter sitæ in Prata, cum sint iuxta Monachariam, quæ est in Prata: Vnde cum omnes dicantur esse in eodem loco, consequens est vt sint in Prata. Nec obstat, quod dicitur eas esse in eodem loco respectu Pomposiæ, quia hoc respectu non erat opus distinguere Pratam à Fossula, cũ vtraque fundus sit Pomposiæ. Non obstat quòd aliàs fuerit decisum * Pratam non peruenire ad flumen; tum quia non fuit hoc probatum de tempore instrumenti, sed à sexaginta annis citra; tum etiam quia resolutio fuit facta circumscriptis iuribus Canonicorum: Præterea ex instrumentis antiquis videtur probari contrarium: Verum quia veritas istius rei pẽdet potissimum ex hoc articulo, An probetur de illo tempore Pratam peruenisse ad flumen, ordinatum fuit, vt præsuppositis antiquis instrumentis, de hoc particulariter dubitetur.

* sub die 27. Aprilis 1575. coram eodẽ.

Barchinonen. Beneficij Sancti Michaelis.
Die Lunæ 11. Maij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Ius præsentandi competens patronis dicitur competere vti singulis, non vt vniuersis, & hoc procedit in priuatis, in quibus nõ est opus, vt simul conueniant ad præsentandum.*

DECISIO DCCLXXXIV.

Fuit resolutum adhæsionẽ, de qua agitur, sustineri non posse, ex eo quòd variatio totius non debet admitti, *ex notat. in c. cum autem. & ibi glos. Card. & Abb. de iurepatr. Calder. de iurepatr. cons. 21. Dec. cons. 209. n. 5.* Neq. obstat, quòd prætendantur priores præsentationes nullæ, ex eo quòd patroni simul non conuenerant ad præsentandum, 1 quia † in priuatis ius dicitur competere vt singulis, non vt vniuersis, *vt per Doctor. in c. 3. de iurepatr.* Quod verò prætenditur nõ posse sustineri in vim adhæsionis, non procedit in præiudicium eius, qui prius fuerat præsentatus, & sic Io. Viuis, *per ea qua tradit Lambertin. 23. artic. 7. q. principal. 2. par. 2. libr. nu. 8. fol. mihi 185. in noua impress.* Et ita conclusum.

Romana Saluiani Interdicti.
Die Veneris 15. Maij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Census impositio in re prohibita alienari propter expressam prohibitionem à principio est nulla, & licèt nulli fructus censui currant, damna tamen & interesse prætendi possunt & n. 7.*

2 *Contractu ab initio existente nullo, omnes promissiones in eo facta tanquam accessoria sunt nulla.*

3 *Venditio liberi hominis tenet ad hoc vt emptor possit damna et interesse consequi.*

4 *Venditio rei sacra, vel publica licèt non teneat, cum priuatorum dominio non subijciatur, tenet tamen ad effectum consequendi id, quod interest emptoris.*

5 *Emptor rei prohibita alienari licèt dicatur deceptus, non tamen sequitur, quòd dicatur deceptus dolo venditoris, cum decipi dicat tam is, qui ignorantia, quàm qui eiusdem calliditate decipitur.*

6 *Venditio seu alienatio ignoranti facta de re subiecta fideicommisso conditionali, non tamen expressè prohibita alienari, tenet, sicut etiam tenet translatio dominij, licèt sequuta conditione postea resoluatur; secus de re expressè prohibita alienari, in qua non transfertur dominium, sed alienatio est à principio nulla.*

7 *Alienans rem expressè prohibitam alienari cum promissione de euictione, & cum asseueratione, quòd sit libera ab omni fideicommisso, ex tali pacto conuento tenetur ad damna & interesse, & n. 9.*

8 *Emens scienter rem alienam, nõ habet actionem de euictione; secus est, si in specie stipulatus fuerit de euictione.*

10 *Actio quanti minoris nunquam exercetur, nisi quando res, qua est deterior & vitiosa aliquo vitio latente, quod emptor ignorauit, est penes emptorem, ad hoc vt eius damnum resarciatur; quod non procedit, quando res in totum emptori perit, vel quando ab eo euincitur.*

11 *Res feudales à lege prohibentur alienari, & pretium repeti potest.*

12 *Prohibitio legis æquiparatur prohibitioni hominis.*

DECISIO DCCLXXXV.

Decisum fuit coram bo. me. Domino Cãtuccio * Dominum Alexandrum Peregrinum, qui emerat censum super quadam 1 domo Dominorum de Alexijs, † nullos fructus census impositi, nullaque damna & interesse consequi posse, ex quo impositio fuit ab initio nulla ipso iure propter expressam alienationis dictæ domus prohibitionem factam in testamento Pauli de Alexis, *ad doctr. Bart. in l. filius famil. §. Diui. nu. 6. & ibi Castren. nu. 7. & alij in d. decis. allegati. de* 2 *legat. 1.* Vnde succedit, quòd † omnes promissiones in d. contractu factæ tanquam accessoriæ sint nullæ, *vt per Grat. in cons. 91. n. 20. & 21. lib. 1.* Ex aduerso prætendebat Dominus Alexander consequi posse damna & interesse tum ex natura contractus, tum ex eo quòd in contractu venditor asseuerauerat

* sub die 19. Martij 159[illegible].

rat dictam domum esse liberam, & nulli fi-
deicommisso subiectam, promiseratq. face-
re consentire omnes, & de euictione, & du-
plo sub hypotheca omnium bonorũ, ideoq.
agebat Saluiano interdicto cõtra Dominos
de Alexijs: Dubitaui itaque, an receden-
dum esset necne à dicta resolutione; Et can-
sa diligenter examinata, Domini ex non-
nullis dubitarunt de veritate prædictæ de-
cisionis; Et primo, an sit vera illa conclusio,
quòd alienatio prędicta sit à principio nul-
la ipso iure ad effectũ, de quo agitur; nã licèt
ad effectũ translationis dominij rei venditæ
sit vera prædicta conclusio, tamen ad effe-
ctum vt teneat venditio in præiudiciũ ven-
ditoris, secus esse videtur, *l. & liberi homi-*
3 *nis. de contrah. empt.* † tenet enim venditio
liberi hominis, ad hoc vt possit emptor cõ-
sequi damna & interesse, *l. empti actio. C. de*
4 *euiction.* † similiter certum est res sacras &
publicas priuatorum dominio subiici non
posse, & nihilominus eorum venditio tenet
ad effectum consequendi id, quod interest
emptoris. *§. fin. Instit. de empt. & vend.*
5 † & licèt ibi dicatur emptorem deceptum,
non tamen statim sequitur, quòd fuerit de
ceptus dolo venditoris, nam & decipi dici-
tur, tam is qui ignorantia venditoris, quã
qui eiusdem calliditate decipitur, *l. 2. §. cau-*
sa. de edili. edict. Quare non ad hunc effectũ
traditum videtur à Doctoribus talem alie-
6 nationem à principio nullam esse, † sed ad
constituendam differẽtiam inter alienatio-
nem factam ignoranti rei subiectę fideicom-
misso conditionali, nõ tamen expresè pro-
hibitæ alienari, & rei expresè prohibitæ
alienari, scilicet vt priori casu teneat ven-
ditio & translatio dominii, quæ postmo-
dum sequuta conditione resoluitur, poste-
riore verò nunquam transferatur dominiũ,
& à principio sit nulla, *l. fi. §. fin auth. C. com.*
de legat. & bene per Ruin. cons. 76. n. 3. lib. 2.
7 Secundo † cum expressè fuerit promissum
de euictione, & quòd faceret consentire om-
nes; cum asseueratione, quòd domus erat
libera ab omni fideicommisso, videtur, quòd
ex pacto conuento debeantur damna & in-
teresse, *vt fuit dictum in causa Senogallien.*
coram R. P. D. meo Bubalo. [a] Nec obstat
quod dicitur de nullitate à principio, quia
id iam sublatum est, non enim respicit
hunc effectum illa nullitas, neque impedit
obligationem venditoris, prout videmus,
8 quòd † si quis sciens emit rem alienam, non
habet actionem de euictione, si tamen in
specie de euictione stipulatus fuerit, com-
petit ei talis actio, *l. si fundum. C. de eui-*
ction. & ibi glos. quæ allegat l. si fratres. C.
com. vtr. iudic. Castr. in l. fin. §. sed quia.
9 *n. 9. C. com. de legat.* † & hoc maximè locum
videtur habere ratione asseuerationis, quòd
domus erat libera, *per text. in l. Iulianus. in*
fin. princ. de action. empti. Nam quod respõ-
detur ex aduerso nõ dari eo casu nisi actio-
10 nem quanto minoris, non est verum; † ea
enim actio nunquam exercetur, nisi quan-
do res, quæ est deterior, & vitiosa aliquo
latenti vitio, quòd emptor ignorauit, est
penes emptorem, vt resarciatur eius dam-
num, non autem quando res in totum ei pe-
rit, vt puta, quia ab eo euincitur; non enim
locus est tunc actioni quanto minoris, sed
actioni de euictione, & quod dicit *Bart. ibi-*
dem. venditorem non teneri ad totale inter-
esse, loquitur, quando res deterior remanet
penes emptorem, vt ex textu, quem inter-
pretatur, apparet; non enim in eo agitur
de re euicta, sed de rei venditæ vitio, quod
emptor ignorauit. Tertio ad idem facit,
11 quòd † res feudales à lege prohibitæ sunt
alienari, *c. 1. de prohib. feud. alien. per Lo-*
thar. & c. 1. de prohibit. feud. alien. per Frider.
& tamen potest pretium repeti, *vt ibi ha-*
betur, & per Dec. in cons. 185. nu. 7. qui alle-
gat. l. si tibi. C. de euiction. & distinguit effe-
ctus istius nullitatis, sed & consequitur em-
ptor per actionem ex empto, quod sua inte-
rest, *vt tradit glos. in verb. ex empto. in d. Con-*
stitut. Frider. & tamẽ in hac materia, adest
12 legis prohibitio, † quæ æquiparatur prohi-
bitioni hominis, *per Grat. in allegato cõs. 91.*
n. 18. 19. & 20. Ex his itaq; reuocata fuit
in dubium prædicta decisio: Videant igitur,
qui decisionem tueri volunt, quanam ratio-
ne his obiectis satisfieri possit, vt postmo-
dum in causæ propositione possit haberi re-
solutio. [b]

[a] Senogallis prædij sub die 24. Octobris 1586.

[b] resolutio habita fuit sub die 9. Iunij proximi.

Romana Pecuniaria.
Die Veneris 29. Maii 1587.

SVMMARIVM.

1 *Mercator constitutus procurator ad exigen-*
dum tenetur etiam pro eius substitutis, nõ
solum de dolo, sed etiam de culpa; nisi
doceatur per ipsum, seu per substitutos
fuisse adhibitam omnem diligentiam pro
exigendo pecunias, quæ exigi tamen non
potuerint.

DECISIO DCCLXXXVI.

DOmini perstiterunt in resolutis * Dominos de Bandinis teneri pro eorum substitutis, cum teneantur post acceptatum mandatum non solum de dolo, sed etiam de culpa, *l. à procuratore. C. mandat.* & ideo teneutur præstare diligentiam in exigendo, nec releuat, eos siue eorum Institorem iuxta facultatem, quam habebãt, substituisse personas tunc temporis idoneas, & pro talibus communiter reputatas, *ad doctr. Salic. in l. quod quis. num. 13. C. de procurat.* quia non ideo ab omni cura & solicitudine censentur exonerati, cum in mandatis haberẽt facultatem exigendi à quibuscunque personis &

* sub die 6 Decembris 1586.

pu-

publicis mercatoribus & bancherijs, quæ verba non possunt esse apposita nisi ad effectum, vt pecuniæ, quæ exigendę erant à Cõmunitate Montis Leonis mediantibus mercatoribus eorum correspondentibus deuenirent tandem ad ipsorum Dominorum de Bandinis manus hic Romæ, vt eas ab ipsis recipere posset; & ideo cum non doceatur fuisse per ipsos adhibitam omnem diligentiam pro dictis pecunijs recuperandis & exigendis, locum habere allegatam *decisionem Ianuen.* 160. & non applicari *doctr. Salicet.* quæ non loquitur in casu, in quo constituitur procurator sub hac forma; dato enim quòd in cæteris satisfactum per eos fuerit, in hoc tamen defecerunt, neq. de aliqua diligentia docuerunt; immo potius ex temporis lapsu aliquid colligitur, quod culpæ adscribi eis possit, cum statim non certiorarint Ill. Dominam Claudiam, substitutos ab ipsis foro cessisse. Ideo conclusum esse standum in decisis.

Romana Saluiani interdicti.
Die Lunæ 1. Iunij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Qui in contractu expressè se obligauit ad damna & interesse in casu, etiam quo aliàs ex natura actionis non teneretur, propter pactū expressum tenetur, & n. 10.*

2 *Contractus ex conuentione partium legem accipiunt.*

3 *Venditor non excusatur ab obligatione dānorum & interesse, in quibus per pactum expressum se obligauit, prætextu ignorātiæ probibitionis alienationis.*

4 *Venditor etiam ignorans probibitionē alienationis tenetur de euictione, & ad damna & interesse, & hoc ex natura actionis ex empto.*

5 *Restitutio pretij & interesse intrinsecum emptoris in venditione rei alienæ à pari procedunt; siue in venditore adsit ignorantia, siue non.*

6 *Venditor promittens de euictione in alienatione nulla, licèt non teneatur ad duplū vel triplum, sed ad simplum tantum, non ob id est liberatus ab obligatione damnorum & interesse respectu illius simpli.*

7 *Vassallus ignorās rem venditam esse feudalem tenetur ad interesse.*

8 *Dictio, saltem, est implicatiua, non autem limitatiua.*

9 *Venditor ignorans probibitionem alienationis non tenetur ad interesse extrinsecum, sed tantum ad intrinsecum circa rem; & hoc siue scienter siue ignoranter alienauerit.*

11 *Contractu venditionis nullo existente, accessoria quoq. veluti fideiussoria obligatio corruit; sed hoc procedit, quando contractus annullatur propter defectum formæ; secus si propter defectū materiæ, vt n. 15. Item hoc procedit, quando militat eadem ratio in accessorijs, quæ in principali, aliàs secus, vt num. 17.*

12 *Vendens rem probibitam alienari, non tenetur præcisè dominium rei venditæ in emptorem transferre, sed tantum ad interesse tenetur.*

13 *Venditione non transfertur dominium, sed rei traditione.*

14 *Probibitio alienationis expressa est illa, quæ reddit actum ipso iure nullum à principio; secus est in tacita.*

16 *Vbi alienatio est probibita fauore alterius quàm alienantis, prout est fauore vocatorum ad fideicommissum, quo attinet ad præiudicium alienantis, tenet alienatio, nec est probibita.*

DECISIO DCCLXXXVII.

Discussis responsionibus datis per Do-
minum Gasparem Galbiatū ad obie-
ctiones & dubitationes Dominorum exci-
tatas contra Decisionem aliàs factam co-
ram bo.me.Reu.Domino Cantuccio [*] fuit
vnanimiter discessum ab ea decisione, & cō-
clusum omnia bona Domini Iacobi de Ale- [*] Sub die 29. Martij 1585.
xijs esse obligata pro censibus decursis, de
quibus agitur: potissimum fundamentum
decisionis sumitur ex instrumento vēditio-
nis census, in quo Iacobus disertis verbis se
1 se obligat ad dāna & interesse: Vnde † cum
habeamus expressum pactum & contractus
sit iuratus, non videtur ambigendum de hu-
2 iusmodi obligatione, cum † contractus ex
cōuentione partiū legē accipiat, *l. cōtractus.*
3 *de reg. iur.* Nec obstat, quòd † ratione igno-
rantiæ prohibitionis venditor excusetur à
præstatione damnorum & interesse, *ex doctr.*
Abb. post Hostien. in c. Ecclesia sancta Ma-
ria. num. 10. vt lit. pend. & ibi Imol. num. 4.
cum alijs allegatis, [a] vbi alienans rem liti-
giosam ignoranter, non incurrit pœnas im- [a] Boss. tit. de pœn. n. 41. cū alijs cōgestis per Bar. in cons. 89. n. 7. vbi exemplificant in hærede succedente in ius alterius, & adducit tex. in c. 2. de cō. stit. & moder. de attentat. fol. 83. nu. 45 1. cum sequent.
sitas scienter alienantibus; quia distin-
guendi sunt casus non solum ratione diuer-
sitatis facti, sed etiam ratione diuersitatis
ipsius interesse; nam pro regula statui po-
4 test, quòd † venditor etiam ignorans tene-
tur de euictione & ad damna & interesse, &
hoc probāt textus in discursu allegati, [b] hoc
enim est ex natura ipsius actionis ex empto,
l. contractus. C. de fid. instr. nempe vel vt im-
pleatur contractus, vel præstetur interesse,
& in hoc nulla fit distinctio inter vēditorem
scientem vel ignorantem, quia ex ignoran- [b] vt supra sub die 15. Maij proximi.
tia eius non diminuitur interesse emptoris;
& ideo propter ignorantiam rei alienæ non
excusatur venditor ab obligatione euictio-
5 nis, *toto tit. de euiction.* & † à pari proce-
dunt restitutio pretii, & præstatio interesse
intrinseci, *vt optime declarat Affl. post Isern.*
tit. de probib. feud. alien. per Frider. in nota.
13. num. 7. vers. quærit tamen hic Andr. et cō-

firmatur egregiè ex decisione Rotæ facta in
causa Volaterran.terrarũ coram R.P.D.meo
Blanchetto 18. *Aprilis* 1586. in qua fuit di-
ctum, quòd *text. in l.si procurator.de iure fi-*
6 *sci*. quamuis dicat † procuratorem fisci,
qui rem aliquam vendidit, & duplum vel
triplum pro euictione promisit, non teneri
nisi ad simplum, non tamen excludit obli-
gationem ad damna & interesse respectu il-
lius simpli, *& fuit eadem decisio confirmata*
sub die 28. *Maij eiusdem anni*, & pro huius
cõclusionis confirmatione, textus est aper-
tus in proprio casu nullitatis alienationis,
in c.si vassallus feudum.& ibi Affli.si de feud.
7 *defun.cont.inter domi.&c.*vbi† Vassallus,qui
ignorans feudum vendidit, tenetur ad in-
teresse: quod verò deducitur *ex Abb.*habet
locum in pœna, quæ extrinsecus venit, &
quæ non præstatur ab ignorante,non autem
in interesse, quod venit ex natura ipsius a-
ctionis,& quamuis *Bart. in l. cum lex.n.*1.*de*
fideicom. videatur distinguere inter vendi-
torem scientem & ignorantem, vt ignorans
saltem teneatur ad restitutionem pretij, &
ita videatur sentire, quòd non teneatur ad
8 aliud; tamen re vera hoc non dicit, † dictio
enim,saltem,est implicatiua, non autem li-
mitatiua, & licèt *Areti .& Ias.in Addit. ad*
Porc.in §.fin.Inst.de empt.& vend. videan-
tur eandem distinctionem sequi, tamẽ *Ang.*
*in d.l.cum lex. nu.*2. hanc distinctionem re-
probat, & duobus casibus ait venditorem
teneri ad interesse,vel cum vterq. tam ven-
ditor quàm emptor est ignorans, vel cum
emptor saltem, & allegat *l. & liberi. cum*
*glos.de contrah.empt.*eandem sententiam la-
tius & optimis fundamentis defendit *Cu-*
*man.ibid.num.*5.*&* 6. *Castr. ibid. circa fin.*
*& Imol.n.*4.*Fabi.de Mõte de empt. & vend.*
in 4.*q.princ.nu.* 5.*vers.tertio quæro.* Nec ob-
stat,quòd aliqui Doctores dicant venditorẽ
ignorantem non teneri ad totale interesse,
prout inquit Bart.in l.Iulianus. in fi. princ.
de acti.empt. & Ias.in d.Addit. ad Porc. in
*§.fin.Inst.de empt.& vẽd.Cepol.in l.*1.*§.cau-*
*sa.nu.*14.*de Edil.edict.cum alijs* [c], quia non
9 faciunt ad rem, † Nos enim loquimur de
interesse intrinseco circa rem, ad quod siue
sciens siue ignorans venditor tenetur, non
autem de interesse extrinseco *iuxta termi-*
nos d.l. Iulianus. in princ. iunct.l.si sterilis.
§. cum per venditorem.eod. tit. nam ab eius
præstatione propter ignorantiam excusa-
tur venditor. Neque ab his discrepat *Ant.*
*Gomez de empt.tom.*2.*cap.*2.*n.*50. *vers.adde*
tamen, quia non agit de eo casu, in quo v-
terque tam vẽditor quàm emptor est igno-
rans,sed tantum quãdo emptor scit & emit
ab ignorante vel quando ignorat & emit à
sciẽte, sed etiam si demus distinctionẽ inter
scientem & ignorantem iure probari,tamen
10 non applicatur ad hunc casum, † in quo
specialiter fuerunt promissa damna & in-
teresse, vt dictum est; & ideo etiam quòd ex
natura actionis venditor hoc casu propter
ignorantiam non teneretur, tenetur tamen
propter pactum specialiter appositum, in
hac enim materia specialis prouisio atten-
ditur, *l. si fundum. C. de euiction.* maximè
cum contractus fuerit iuratus,qui est casus,
quem excipit *Ang. in d. l. cum lex.sub n.*1.
Gabr.de clausul. conclus. 10. *nu.*4. Neq. ob-
stat id,quod ex aduerso principaliter dedu-
11 citur, † cum huiusmodi venditio ab initio
fuerit nulla propter expressam prohibitio-
nem alienationis, de qua in testamẽto Pau-
li, omnes quoque clausulas accessorias esse
nullas, *vt voluit Grat. in allegat. cons.* 91.
*num.*20.*lib.*1.*Gabr.in d. concl.*10. nam plu-
ribus modis respondetur; Primo, quòd as-
sumptum est falsum, nempe venditionem
absolutè fuisse nullam à principio,fuit enim
nulla respectu alienationis, non autem re-
spectu præiudicij venditoris; nam si inspi-
12 ciamus naturam huius contractus, † non
tenetur præcisè venditor dominium rei in
emptorem transferre,sed tãtum ad interes-
13 se tenetur,*l.contractus.C.de fid.instr.* † ne-
que venditione transfertur dominium sed
traditione,*l. qui sibi. C.de his qui à non dom.*
man.sunt. vnde cum fuerit prohibita alie-
natio, hæc prohibitio non expressè resistit
venditioni, sed alienationi, idest vt inquit
Bart.in d.l.cum lex.nu. 1. translationi do-
minij, & ideo obligationi personali potest
accedere fideiussor; & licèt in quandam cõ-
sequentiam censeatur prohibita venditio,
quia per eam deueniri nõ potest ad id,quod
prohibitum est, tamen ea prohibitio est ta-
cita, vt inquit *ibidem Bart. sub num.* 10. &
14 † prohibitio expressa est illa, quæ reddit
actum ipso iurè nullum à principio,non au-
tem tacita *l.fin.§.fin.C.com.de legat. Et ideo*
Doctor. qui cautius loquuti sunt in l. filiusf-
fam.§.Diui.de legat. 2. agentes de hac pro-
hibitione dicunt alienationem nullam non
autem venditionem, *Bart.ibid.nu.*6. *Castr.*
*num.*7.*Rip. num.*48. *& cæteri.* Secundo re-
spondetur *ex doctr.Ang. in d.l. cum lex.n.*1.
15 quòd † tunc contractu nullo existente, ac-
cessoria quoq. veluti fideiussoria obligatio
corruũt, quãdo contractus annullatur pro-
pter defectum formæ; secus si propter de-
fectum materiæ, quæ doctrina optimè casui
nostro conuenit; peccat enim contractus in
sola materia,quia res vendita erat prohibi-
ta alienari, & hanc distinctionẽ in effectu li-
cèt diuersis verbis sensit *Castr.ibid.num.*2.
16 *vers.aliquando.* vbi ait, quòd † si alienatio
est prohibita fauore alterius quàm alienan-
tis, qui est casus noster, nã prohibitio hæc
facta est fauore vocatorum ad fideicommis-
sum,tunc quod attinet ad eius præiudiciũ,
contractus tenet, neque censetur prohibi-
17 tus. Tertio potest responderi, quòd † vbi
non militat eadem ratio in clausula acces-

[c] Bald. & alij in allegata l. Iulianus. cũ cęteris adductis per Franc. Dec. cõs.104. n.11. cum sequentib. videndum.

soria

soria, quæ militat in principali, non tolluntur clausulæ accessoriæ sublato principali contractu, vel si talis clausula potest de perse stare, prout vtramq; limitationem multis auctoritatibus probat *Gabr. in d. concl.* 10. *num.* 9. *&* 10. hic autem adest diuersa ratio, nam prohibitio respicit tantum effectum alienationis ex contractu resultantem; quare in cæteris sustineri potest cōtractus ex sua propria natura, quæ, vt dictum est, non obligat præcisè venditorē ad translationem dominij: & quæ allegantur in contrarium *ex Tiraq. de Constit. in* 7. *limit. nu.* 28. *& Gabr. & alijs*, sunt intelligenda secundum distinctiones supra deductas, non obstante *cons. Grati.* cuius auctoritas nōn est tanti, vt debeamus, à receptissimis conclusionibus recedere, & bene faciunt deducta *per addit. ad decis. Affli.* 278. *num.* 4. Ex his tolluntur omnia, quæ contra considerationes factas in discursu fuerunt per D. Gasparem deducta. Et ideo Domini censuerunt à dicta resolutione recedendum.

Burgen. Iurisdictionis.
Die Lunæ 8. Iunij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Appellatione presbyterorum & beneficiatorum Ecclesiæ comprehenduntur etiam Capellani.*

2 *Interpretationi, quæ conuenit proprietati verborum, & obseruantiæ standum est.*

DECISIO DCCLXXXVIII.

FVit resolutum cōstare de contrauentione in casu, de quo agitur, ex eo quòd post exequutoriales præsentatas Ren. Archiepiscopo & eius Prouisori; nihilominus per vim fuit cognitum de quodam excessu leui commisso per quendam Capellanum de numero, nempe de impulsione cum manu duntaxat aduersus quandam mulierem, prout in instrumento. Nec; obstare, quod ex aduerso prætenditur concordiam nō cōtinere cognitionem, quando Capellani delinquunt, sed tantum quādo delictum committitur à Capitularibus, quoniam contrarium innuunt verba concordiæ, ibi inter clericos seu presbyteros perpetuos beneficia-
1 tos eiusdem Ecclesiæ, † quæ comprehendunt omnes beneficiatos etiam Capella-
2 nos,* & huiusmodi interpretatio † præterquam quòd proprietati verborum conuenit, *glos. in Clem.* 2. *in verb. beneficiorum. de decim. Selua. de benef. par.* 1. *q.* 3. *num.* 29. *Belonem. de charitat. subsi. q.* 73. *nu.* 1. *&* 2. *cum alijs*, a conuenit etiam obseruantiæ & possessioni subsequutæ, prout ex actibus qui dantur, apparet, ideo ei standum *iuxta cons. Roma.* 271. *Crauet.* 101. *num.* 3. *Bald. cons.* 245. *num.* 2. *lib.* 3. *Natt. cons.* 406. *nu.* 28. *cum alijs per informantes deductis*; &

* Capellani enim habent annexā spiritualitatem, & dicuntur perpetua beneficia, vt per Io. de Selua allegatum in tract. de benef. par. 1. q. 2 nu 4. & ita isti Capellani cōprehenduntur sub verbis concordiæ, maximè si in concordia adsint verba pregnātia apta cōprehendere singulas personas existētes in illa Ecclesia, Bal in l. si cui §. si à filio de leg. 2. Alex cons. 87 n. 3. lib 1. Ruin. cons. 157. n 6 lib. 2. & cōs. 103. n. 11. lib. 4.

a post alios facit Ioseph de Ludouic. in concl. 98. vers. infertur 2.

& ita intellexit Rota, quando aliàs decreuit mandatum de manutenendo ad instantiam Capituli, in illis verbis puniendi delicta & excessus, quæ per omnes & singulas personas, quæ in dicta Ecclesia Canonicatus præbendas, & portiones ac alia quæcumque beneficia obtinent. Neque obstat, quòd concordia inita sit inter Episcopum & Capitulum tantum, non autem cum Capellanis, quia iurisdictio, de qua controuertebatur, ad Episcopum & Capitulum tantum, non item ad Capellanos & alios spectare potest; & ideo cum eis nihil erat transigendum, *c. irrefragabili. §. excessus. de off. Ordin. glos. in c.* 2. 9. *cæterum. in verb. statutum. de verb. sign. lib.* 6. & quamuis interuenerint dignitates & portionarij, hoc non fuit ex necessitate; aut etiam fortasse fuit, ex quo in certis casibus prætendunt habere ius votandi. Quod autem dicitur de obseruantia, nullibi probatur, & est de directo contra manda tum de manutenendo: Et & his facilè cætera tolluntur. Quare conclusum, vt detur declaratoria sub conditione nisi intra quindecim reuocauerint, & exequutorialibus paruerint.

Romana Muri.
Die Lunæ 8. Iunij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Seruitus in muro vicini præscripta propter translationem dominij in alium possessorem non extinguitur, sed vel debet pariter communicari, vel æstimatio præstari, & num.* 5.

2 *Impositio seruitutis, quæ fit per Vassallum vel emphyteutam, siue vigore contractus, siue præscriptionis non nocet domino directo, sed euanescit, vbi res reuertitur ad dominum.*

3 *Resoluto iure dantis resoluitur ius accipientis,*

4 *Consolidatio dominij fit iure prælationis, vel commissi, vel finita generationis.*

6 *Fundus transiens in singularem successorem non dicitur consolidari, & seruitus in eo præscripta non extinguitur, quando causa transitus in singularem successorem nō est necessaria, sed voluntaria; & ideo transit cum eodem onere seruitutis præscriptæ.*

7 *Seruitus præscripta in fundo non extinguitur consolidatione, nisi consolidatio fiat ex natura contractus veluti emphyteusis.*

DECISIO DCCLXXXIX.

REu. D. Petrus Vittrinus volens insigne ædificiū extruere coegit vigore Bullæ Gregorianæ viciniū quendā, nomine Sanctū vendere ei domū suam, quam obtinebat ad

tertiam generationem à Capitulo Sancti
Petri, & eodem tempore coram ijsdem te-
stibus, & in eodem instrumento RR. Domi-
ni Canonici Sancti Petri, & dictus Magi-
ster Sanctus vendiderunt ei dictam domum
habita ab eo recompensa partim in pecu-
nia, & partim in alia domo, quam ipse as-
signauit dicto Magistro Sancto, pro suo iu-
re ad tertiam generationem duraturo, su-
bijciendo eam directo dominio Ecclesiæ,
subrogando eam loco primæ iuxta formam
dictæ bullæ Gregorianæ, & ita consolida-
tum fuit in eius persona per huiusmodi ac-
quisitionem vtrunq; dominium directũ sci-
1 licet & vtile: † Verum cum prædictæ do-
mui imposita fuisset per legitimam præscri-
ptionẽ, vt præsupponitur, seruitus quædam
hauriendi aquam ex puteo sito in area dictæ
domus per fenestram quandam domus cõ-
tiguæ, prætendebat D. Petrus per dominij
consolidationẽ extinctam fuisse seruitutem
2 illam, quia † impositio seruitutis, quæ fit
per vassallum vel emphyteutam siue vigore
contractus, siue præscriptionis non nocet
domino directo, sed euanescit, vbi res re-
uertitur ad dominum *l. lex vectigali. & ibi
Bald. & Ang. de pignorib. c. 1. §. quid si pre-
tio. & ibi Bal. Aluar. & Alex. de inuestitur.
3 de re alien. fact.* quia † resoluto iure dantis,
resoluitur ius accipientis, *l. si res. quib. mod.
pign. vel hypoth. sol. cũ alijs, quos citat Boer.
decis.* 181. *n.* 3. In contrarium Dominus vi-
cinæ domus, cui debebatur seruitus prætẽ-
debat in cõmunicatione parietis habendã
esse rationẽ huius seruitutis, & vel eã ei adi
mi nõ posse, vel eius æstimationẽ ei præstã-
dam, ex eo, quòd prætendebat domũ, quæ
seruiebat, peruenisse ad D. Petrũ tanquam
priuatũ, & singularẽ successorem, cũ emerit
dictã domũ à Magistro Sancto, & directum
4 dominiũ ab Ecclesia, & ita † cõsolidatio nõ
fiebat ex illis causis, ex quibus de iure fieri
solet, puta iure prælationis, vel commissi,
vel finitæ generationis; Et ideo locum sibi
vendicare ea, quæ *ex Petr. de Bellapert. Iaco-
bin. à S. Georg. Guid. pap. & alijs tradit ibi-
dẽ Boer. n.* 7. Difficultate huiusmodi per me
in Rotæ auditorio de partiũ consensu pro-
5 posita, Domini in eã sententiã iuerũt, † Do-
minũ vicinæ domus obligatũ esse ad muri
siue parietis cõmunicationem: & quia hæc
seruitus hauriendi aquã erat impedimento
cõstructioni nouæ Domini Petri, eã esse de
medio tollendã, sed eius æstimationem esse
6 præstandã, & soluendã per D. Petrũ, † non
enim extinctã fuisse huiusmodi seruitutem,
cum causa nõ fuerit necessaria ex parte Do-
mini Petri, sed voluntaria; & ideo habẽdum
esse pro particulari successore, apud quem
res transit cum eodẽ onere, *vt per Boer. loco
suprà allegato.* Et hanc opinionẽ æquiorem
videri, quia verisimile etiã est ob huiusmo-
di seruitutem domum emptam à D. Petro
7 fuisse minoris æstimatam; † neq; consolida-
tione extingui hoc ius, nisi quando ex na-
tura emphyteusis fit consolidatio, *vt ex au-
ctoritatibus supra allegat. colligi potest,* alias
si fuisset ex pacto quæsita seruitus ab em-
phyteuta, posset vendendo domũ directo
domino præiudicari emptori, in quem prius
trãslatum fuerat ius pro toto tempore, quo
duratura erat emphyteusis, quod est ab-
surdum. Et ita per Dominos conclusum.

Parmen. Bonorum.
Die Mercurij 10. Iunij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Mulier extra territoriũ nupta per Statu-
tum à successione exclusa, an exclusa di-
catur à successione materna, vide re-
missiue.*
2 *Verba illa, se nubat, in statuto posita ad
exclusionẽ mulieris nubentis extra terri-
torium, an comprehendant mulierẽ, quæ
à parentibus nuptui collocata fuit extra
territorium statuti, vid. remissiuè.*

DECISIO DCCXC.

EX his, quæ in facto pro parte Domino-
rũ de Valentibus deducta fuerunt, Do-
mini recesserunt ab ea sententia, quòd ma-
ter Lucinæ esset forensis, * & quòd ideo ces-
saret statutũ: sed ordinarunt, vt pro parte
Dominorum de Valentibus informetur su-
per duabus alijs difficultatibus: Altera est
1 † an huiusmodi statutum excludat filiam
ab hæreditate materna a, de qua videndus
2 *Plotus in cons.* 19. *n.* 75. Altera est † An illa
verba, se nubat, cõprehendant eas, quæ nup-
tui collocatæ sunt à parẽtibus, in qua re sunt
cõsilia cõtraria *nẽpe Bal.* 357. *nulla mulier.
lib.* 1. *& Tiber. Decian.* 33. *nu.* 4. *lib.* 1.

* vt fuit resolutum die Lunæ 11 Maij proximè præteriti in hæc verba videlicet, statutum nõ comprehendere Lucinam, cum ea successerit matri, quæ erat forensis & non subdita statuto.

a Resolutionem illarum difficultatũ habes infra sub die mercurij 13. Ianuarij 1588.

Romana Donationis.
Die Lunæ 15. Iunij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Statutum fauorabile minoribus benigna
interpretatione est adiuuandum, ne mi-
nores facilè circumueniantur.*
2 *Statutum perscribẽs solemnitates adhiben-
das in donationibus minorum imperfe-
ctæ ætatis, & mulierum, intelligi debet se-
cundum dispositionem eiusdem statuti,
non autem iuris communis, scilicet de
minoribus 20. annis.*
3 *Donatio respectu minoris ætatis de iure cõ-
muni ex iuramento sustinetur absq; ali-
qua statuti solemnitate.*
4 *Vbi agitur de forma contractus, & solem-
nitatibus in eo adhibendis, attendi debet
statutum contrahentis, & non statutum
loci, vbi sita est res, super qua fit contra-
ctus; secus tamen est dicendum in sta-
tutis inhabilitantibus personas.*

DE-

DECISIO DCCXCI.

FVit dubitatum, an in donatione, de qua agitur, respectu bonorum Firmi necessaria fuerit solemnitas à statuto Vrbis requisita *in antiq. lib. 4. cap. 23. & in nou. lib. 1. cap. 151.* Occasionem dubitandi præbuit, quòd cum Illustr. Donator esset minor vigintiquinque annis, maior tamen viginti, qui licèt ex forma statuti Vrbis haberetur pro maiori; tamen cum bona essent sita extra territorium Vrbis, videlicet in territorio Firmi, & fuerit coram me resolutum * habilitationē personę non extēdi extra territorium statuentiū, prętendebatur pro eius parte fuisse necessaria in donatione solemnia requisita in alienationibus minorum ex forma statuti Vrbis, in cuius districtu fa-
1 cta est donatio, & † adiuuandū statutū benigna interpretatione, cum sit fauorabile, nempe factum ad obueniendum, ne facilè minores circumueniantur, *Dec. in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ. n. 27. de constit. cū alijs* a
Sed his nō obstantibus, fuit resolutū cōtra-
2 riū; † Statutū enim, de quo agitur, vbi perscribit solēnitates adhibendas in donationibus masculorū puberū imperfectæ ætatis, & mulierum, intelligi debet secundum dispositionem eorundē Statutorum Vrbis, nō autem Iuris communis, scilicet, vt loquantur de minoribus viginti annis, cum maiores viginti ad omnes contractus habilitentur, *Ancharan. in cons. 422. viso puncto. nu. 3. ad fin. Dec. cons. 65. nu. 4. Paris. cons. 97. n. 16. in 3.* & ideo illæ solemnitates non requirebantur in maiore viginti, *Castren. cōs. 306. nu. 1. & 2. Dec. cons. 364. nu. 4.* Ex quo sequitur non obstare, quòd ratione bonorū
3 Firmi esset minor, quia satis est, quòd † donatio eorum respectu de iure communi sustineatur ex iuramento in ea apposito, *vt fuit resolutum*, b neq; necessaria est ad hūc effectum solemnitas statuti, cum ea habilitas, quæ ratione loci contractus requiritur, iam esset in eo ratione ætatis viginti annorum, Neq; facit ad rem statutum Firmi vltimo deductum de alienatione rerum mi-
4 norum; etenim, † cum hic agatur de forma contractus, & solemnitatibus in eo adhibēdis, attendi debet Statutū Romanum, non autem Firmanum, *vt per Bart. in l. cunctos populos. n. 14. & 37. C. de Sum. Trin. & fid. Cath.* Et quæ allegantur *ex eodem Bart sub nu. 32.* non loquuntur in casu isto, sed in statutis inhabilitantibus personas, non autem in concernentibus solemnitates contractuum, prout est statutum ex aduerso allegatum. Et ita fuit conclusum.

* sub die 27. Aprilis proximè præterit.

a Felin. in c. de quarta n. 13. in fi. vers. etsi est alioqn de præscript. Capunqu- decis. 213. num. 8. lib. 6.

b sub dicta die 27. Aprilis sub n. 3.

Romana Casalis de Picchis.
Die Lunæ 15. Iunij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Beneplacitum Apostolicum ex cursu longi temporis præsumitur interuenisse, vt est comm. opin. dummodo non sit cursus decem tantum annorum.*
2 *Et præsertim præsumitur si cum cursu temporis concurrant coniecturæ vrgentes.*
3 *Officiali attestanti in spectantibus ad eius officium creditur.*
4 *Expeditio facta etiam per solum diem ante contractum non ob id reddit inuerisimile rescriptum expeditū super alienatione.*
5 *Præsumptio beneplaciti Apostolici ex cursu temporis resultans, non interrumpitur per interpellationē factā hæredi, qui verisimiliter factum ignorat; si post interpellationem effluxerint tot anni, qui sufficiant ad præsumptionem inducendam.*
6 *In alienatione bonorum, in quibus Ecclesia non habet directum dominium, illius est habenda ratio deducendo æstimationem.*

DECISIO DCCXCII.

FVit dubitatum, An alienatio Casalis facta per Reuerendos Monachos Sanctæ Mariæ nouæ Domino Ludouico Piccho de anno 1524. possit sustineri in casu & ad effectum, de quo agitur: Ex duobus autem capitibus ea alienatio impugnabatur; Primū est ex defectu solemnitatis, cum non fuerit expeditū beneplacitum; Secundum est ex defectu causæ, quia non cesserit in euidentē vtilitatem Ecclesiæ. Contrarium tamen fuit per Dominos vnanimiter resolutū, nēpe alienationem sustineri; Nam quod dicitur non fuisse expeditum beneplacitum, nō videtur obstare propter cursum tot annorum, nempe sexaginta trium annorum,
1 † propter quem præsumitur interuenisse, *Alexand. in l. qui in aliena. num. 11. de acquir. hæred. idem cons. 17. num. 8. lib. 4. & 179. num. 9. lib. 7. & Apostill. ad Alex. cons. 219. num. 13. lib. 1. & hæc est communis opinio, quicquid senserit in contrarium Felin. in c. sicut. num. 32. vers. bene fateor. & bene fuit animaduersum per Rotam referente Mohedan. in decis. 52. transactio fuit facta. in fin. vbi refert opinionem Felin. procedere in tempore decem annorum, & in pluribus causis hæc sententia in Rota obtinuit, non obstante Decisio-*
2 *ne facta in causa de Gozzis*, * † quod maximè procedit, vbi cum lapsu temporis cōcurrunt aliquæ coniecturæ, prout in hoc casu, in quo duæ adsunt valde vrgentes; Altera est, quæ sumitur ex attestatione Arcangeli Mandosij Officialis publici, qui attestatur se in rubricellis supplicationum primi Anni Clementis VII. nempe anno 1524. 4. Iulij reperijsse, fuisse expeditum rescriptum si in euidentem pro Abbate & Priore Conuentus Sanctæ Mariæ Nouæ, & registratum per Dominum Andream registratorem lib. 25. quintern. 3. anni

* In causa Anconitan. terrarum de Gozzis. 27. Ianuar. 1581. coram Card. Blanchetto.

3 primi, qui liber est deperditus, & † huic Officiali creditur in spectantibus ad officium, c. *ad audientiam. cum ibi notat. de praescri-*
4 *ptione.* Nec obstat quòd † haec expeditio per diem praecesserit contractum initum sub die 5. Iulij; & ideo non sit verisimile, quod rescriptum illud iam expeditum esset super illa alienatione; quia cum non appareat de alia, pluralitas non praesumitur. Nec obstat, quòd Picehus promittat expedire beneplacitum, & sic videatur fateri nō esse expeditum, quia procedit vlterius, nempe facere expedire commissionem si in euidentem, Bullas & alia omnia desuper opportuna & necessaria: Certum autem est non sufficere solam supplicationis expeditionem, sed requiri praesentationem, & processum Iudicis delegati, nec non alienationis confirmationem, quae tunc non erant adhuc expedita, nec mirum est, si non reperiuntur propter Vrbis direptionem tempore Clementis, & fluminis inundationes, in quibus multae scripturae & alia deperdita fuerunt: Altera coniectura vrgentissima est, quòd in banco Domini Iacobi de Venturis ad instantiam monachorum fuerunt pecuniae depositatae pro satisfaciendo creditoribus monasterij habito prius beneplacito Apostolico, quae cum solutae reperiantur, vtiq. dicendum est expeditum fuisse beneplacitum, aliàs pecuniae non fuissent solutae, cum ita conuentum
5 esset. † Nec obstat huic praesumptioni, quae ex cursu temporis deducitur, id, quod dicitur de interpellatione facta de anno 1550. per Dominum Hieronymum de permutādo canonem, cui fuit oppositum de non expeditione rescripti si in euidentem; quia cum ipse esset filius & successor Ludouici, & verisimiliter ignoraret factum, licèt posset diei interrupta illa praesumptio, *vt dictum est coram me in vna Tudertina bonorum 23. Maij 1569.* tamen ab illa interpellatione vsque ad litem motam denuo effluxerunt plusquam triginta Anni; & ideo locum habet dicta praesumptio. Quantum ad euidentem vtilitatem, Domini dixerunt satis de ea constare ex praecedenti locatione tēporali, cum locatio perpetua soleat fieri pro maiori pretio, & tamen hic reperitur aucta pensio: Neq. fides valoris frumenti facit in contrarium; nam Anni communes, quibus granum aestimabatur 32. Iulijs, non probāt hanc laesionem, si consideremus singulis annis agros non seri, & deducamus impensas; respectus verò haberi non debet ad allos Annos calamitosos propter bella, & depredationem Vrbis, quia in hac materia communis cursus attenditur, non antè tempus sterilitatis vndecumq. prouenien-
6 tis, † sed & illud habitum est in consideratione, quòd Monachi in hoc casale habebāt tantummodo ius seminandi: Vnde ratio est habenda directi dominij, deducendo eius aestimationem. Quare ex vtroq. capite conclusum pro validitate alienationis.

Placentina Bonorum.
Die Veneris 19. Iunij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Tertius veniens ad impediendum causam restitutionis in spolio pendentem debet clarè docere de iure suo, aliàs non potest impedire restitutionem.*

2 *Possessio quae est tantum ciuilis praetensi dominij, & non naturalis non impedit restitutionem possessionis naturalis in spolio.*

DECISIO DCCXCIII.

Dubitatum fuit, An constet de tali possessione Reuerendiss. Domini Episcopi Bobiensis, vt onus probandi dominium bonorum, de quibus agitur, non incumbat ipsi Episcopo, sed potius Dominis Marchionibus de Maluicinis in casu & ad effectum de quo agitur: Orta est dubitatio ex eo, quòd cum Domini Marchiones egerint in partibus spolio, pro recuperatione bonorum, de quibus agitur, contra Dominos Comites del Verme, coram Iudicibus laicis, Reuerendiss. Dominus Episcopus Bobiēsis comparuit, & admissus fuit in illo iudicio pro suo interesse, & opposuit de dominio directo Ecclesiae, deinde obtinuit cōmitti causam iactationis, & iactationum Reuerendiss. Domino Episcopo Cremonensi contra Marchiones de Maluicinis; & ideo Marchiones habuerunt recursum ad Signaturam Sanctissimi, in qua obtentum fuit rescriptum sub hac forma, quòd si magis placet, committatur vni ex Rotae Auditoribus, qui praefixo aliquo breui termino arbitrio suo moderando, cui de iure, ad docendum summariè bona huiusmodi esse vel nō esse de directo dominio Ecclesiae Bobiensis, quo elapso & non docto inhibitionem Episcopi Cremonensis moderetur, & causam spolij ad suos iudices laicos remittat; vbi verò de eo doctum fuerit, causam pro iustitia terminet, & decidat &c. Quare cum in vim dicti rescripti Marchiones instarēt pro moderatione inhibitionis, oppositum fuit pro parte Episcopi non esse moderandam, cum de iure ipsius constet ex possessione, de qua Rota in alia positione constare dixit sub die Lunae 20. Aprilis praesentis anni; sed quia in contrarium deducebatur non constare de tali possessione, per quam releuaretur Episcopus ab onere probandi dominiū bonorum, de quibus agitur, ad effectum impediendi moderationem inhibitionis; Ideo emanauit dubium supradictum, quod fuit discussum per Dominos, & inclinatum cō-
1 tra Dominum Episcopum; nam † cum ipse vti

se vti tertius veniat ad impediendum causam restitutionis in spolio pendentem corā Iudicibus laicis, vtiq. debet clarè docere de iure suo, aliàs non potest impedire restitutionem per ea, quæ tradit *Gabr. de restit. spol. concl. 1. num. 45. & fuit in multis causis dictū, & præcipuè in causa Nullius Castrorum coram Illustriss. Lancellotto*: ius autem quod deducitur per Reuerendiss. Dominū Episcopum fundatur super possessione, quæ patitur multas difficultates; Prima est, quia ex deductis in facto multum redditur turbida, cum neq; clarum sit eius initium respectu inuestiturarum, de quarum interpretatione controuertitur, neq. respectu realis recognitionis ante spolium, de quo agitur, cum bona non probentur tūc temporis possessa ab alijs, qui inuestiti fuerunt cum expressione Ronchalearū; Recognitiones verò factæ post spolium non sunt habendæ in consideratione. Secunda difficultas est, quia ius hoc ex tali possessione proueniens videtur coniunctum cum iure spoliantis; Ideo possunt deduci ea, quæ tradit *idem Gab. in d. concl. nu. 47.* Tertia, quæ magis
2 videtur vrgere, est, † quòd ista possessio nō est possessio naturalis istorum bonorū, quæ non probatur vnquam fuisse penes Ecclesiam, sed tantum possessio quædam ciuilis prætensi directi dominij, quæ non debet impedire restitutionem possessionis naturalis, de qua agitur, inter Marchiones, & Comites, Et quod aliàs allegabatur *ex Ias. in l. à Diuo Pio. §. si super rebus. num. 20. de re iudicat.* procedit vbi tertius docet de actuali, & naturali possessione sua, & hoc casu potest Episcopo per cautionem prouideri de indemnitate, quatenus ius aliquod ei competat ratione directi dominij, & sic cessat omne interesse ipsius respectu litis, quæ coram laicis agitatur super spolio: Tamen in præsentia Domini noluerunt capi resolutionem, sed remiserūt causam ad Calendas, vt interim possit Reuerendiss. Dominus Episcopus deducere id omne, quod habet pro iurium suorum defensione.

Romana Casalis Marciliani.
Die Veneris 19. Iunij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Contractus non est iudicandus aliter, quàm contrahentes nominarunt, cum contrahentium voluntas nō præsumatur à verbis aliena, denominatio tamen contrahentium non immutat naturam contractus, vt num. 6.*
2 *Contractus talis præsumitur in sui essentia, qualis apparet in sui figura.*
3 *Pensio magna, quæ correspondet fructibus, facit quòd contractus dicatur potius locationis, quàm emphyteusis.*
4 *In emphyteusi soluitur quid minimum pro recognitione directi dominij.*
5 *Verus modus discernendi locationem ab emphyteusi, est, an soluatur quid minimū, vel potius pensio, quæ correspondeat fructibus.*
7 *Impositio census non continet totalem trāslationem iurium, prout continet alienatio, cum per impositionem huiusmodi solum constituatur ius quoddam distinctū & separatum ab ipsa re & à dominio.*
8 *Clausula, ad habendum, restringitur ad ea, quæ solita sunt contineri in contractu, cui apponitur, & intelligitur secundum naturam contractus.*
9 *Obligatio seu hypotheca rei emphyteuticæ de iure communi non est prohibita, cum non sit propriè alienatio, nisi adsit expressa lex à contrahentibus constituta per pactum expressum de non alienando, neque obligando sine consensu domini, cum adiectione pænæ caducitatis, cum numero sequen.*
11 *In census impositi venditione, facta cum pacto de redimendo super re emphyteutica, venditor excusatur à caducitate, licèt adsit pactum, quod propter alienationem pæna caducitatis incurratur, si census fuerit redemptus ante caducitatis acceptationem, & nu. 16.*
12 *Ignorantia pacti deuolutiui excusat à caducitate, & quæ ignorantia excuset.*
13 *Scientia est difficilis probationis, & ideo probatur etiam per coniecturas.*
14 *Alienans rem emphyteuticam expressè alienari prohibitam sine consensu domini sub pæna caducitatis, ratione æquitatis excusatur.*
15 *Ecclesia, quæ est cultrix pietatis, & quæ cū alicuia iactura locupletari nō debet, quoties eius conditio non est effecta deterior, æquitatem seruare tenetur.*
16 *Celeris redemptio rei emphyteuticæ alienatæ excusat à caducitate, quando nondum fuit acceptata caducitas, cum per redemptionem, non possit dici ius Ecclesiæ factum deterius.*
17 *Decoctus habetur tanquam si in humanis esse desierit.*
18 *Ex impositione census non incurritur caducitas tam in locatione quàm in emphyteusi de iure communi, quod propter clausulam, ad habendum, potest aliquam pati difficultatem.*
19 *Ad damnum euitandum error iuris excusat.*
20 *Causa dubitabilis habens originem ab instrumento non bene claro excusat à caducitate.*
21 *Emphyteuta potest etiam irrequisito domino sua melioramenta hypothecare.*
22 *Resoluto contractu emphyteusis, licèt controuersum sit, an hypotheca ratione causæ antiquioris, cui res erat affecta ante*

Sſ 4 obli-

obligationem & hypothecam, sint resoluta, non esse tamen resolutas pro benignori parte tenere debet Ecclesia.

23 *Deuolutio, quæ non venit ex natura contractus, sed ex pacto dicitur merè conuentionalis & pœnalis.*

24 *De iure communi Ecclesia non potest petere pœnas conuentionales, nisi quatenus sua intersit.*

25 *Idem est etiam ex dispositione statuti à Papa confirmati.*

26 *Statuta à Papa confirmata dicuntur Papalia, & ligant etiam clericos.*

27 *Per impositionem census in re emphyteutica per pactum alienari prohibita sub pœna caducitatis, excusatur caducitas, si longè plus fuerit melioratum, quàm importet census impositio.*

DECISIO DCCXCIV.

REuerendi fratres sancti Marcelli de Vrbe de anno 1543. locauerant in emphyteusim perpetuam Dominis de Carusijs Casale Marciliani ad habendum, tenendum, possidendum, vtendum, fruendum, & fructificandum, vendendum, donandum & alienandum, & de dicto Casale seu tenuta faciendum, & disponendum pro ipsorum, & successorum libito, & voluntate, & prout de similibus rebus in emphyteusim perpetuam locatis fieri solet ac debet, & de iure permittitur etc. cum pactis expressis, quòd non possent alienare iura sua irrequisito Capitulo, & quòd non possent locare Casale huiusmodi Baronibus, Cardinalibus, nec Prælatis, minusq. alijs personis Magnatibus ad longum tempus, Itemq. quòd non posset dictum Casale vendi, alienari, obligari, neque hypothecari, etiam pro dote sine consensu fratrum: Et postremo quòd dicti conductores teneantur præmissa omnia ad vnguem seruare & obseruare, & in euentum non obseruationis vel contrauentionis, quòd Casale eo ipso deuoluatur vnà cum melioramentis, & liceat auctoritate propria accipere possessionem: Hoc Casale prius deuenerat titulo emptionis de Fratrũ consensu ad quondam D. Stephanum de Bubalis cum ijsdem pactis, & conuentionibus; deinde ex testamentaria dispositione eiusdem ad Dominum Stephanum Lampadium, qui vltimo illud vẽdidit Domino Annibali Ceulo ementi sub ijsdem conditionibus & pactis, quibus fuerat ab initio venditum Carusijs, & huic venditioni accessit cõsensus Fratrum: Post huiusmodi acquisitionem idem Ceulus de anno 1580. de mense Septembris imposuit censum super dicto Casale scutorum 42. pro pretio scutorum sexcentorum, deinde de anno 1583. cessit foro, & creditores eius immissi in possessionẽ cœperunt agere ad discussionem bonorum: De mense Aprilis eiusdem anni fratres declarauerũt deuolutionem ob pacta non seruata, & census impositionem, & petierunt mandatũ de associando. Dubitatũ fuit coram R. P. D. Tanario Iudice deputato, An per huiusmodi census impositionem Casale Marciliani sit deuolutum vnà cum meliotamentis etiam in præiudiciũ creditorũ Annibalis: & quia causa erat grauis, & multi creditores habebãt in hac re interesse, cõuenerunt partes, vt dubiũ proponeretur in Rota: Itaque me proponente fuerunt plures excitatæ difficultates: & Primo non inutile visum est statuere, an iste contractus esset emphyteusis vel locationis; & pro parte fratrũ
1 dicebatur † non esse iudicandum de eo aliter, quàm iudicarant contrahentes, qui hũc contractum emphyteusis appellauerunt, *vt per Bart. in l. cotem. §. qui maximos. q. 5. de public. Oldrad. in cons. 159. Ang. cons. 2. Aretin. cons. 55. Dec. cons. 32.* contrahentium enim voluntas non præsumitur à verbis aliena, *l. Labeo. §. id Tubero. de supell.*
2 *leg. c. vlt. de verb. signif.* & † talis præsumitur contractus in sui essentia qualis apparet in sui figura. *Bald. in l. rogasti. §. si tibi. si cert. pet. & in Rubr. C. de iur. emphyt.*
3 Contrarium tamen cẽsuerunt Domini † inspecta pensione, quæ est magna, & correspondet fructibus; maximè inspecto tempore primæ alienationis, quod abhorret à natura
4 emphyteusis, † in qua soluitur quid minimum pro recognitione directi dominij, *vt per Doctor. in l. 2. C. de rescind. vend. Ioan. Andr. in Addit. ad Specul. de empt. & vend. §. nunc dicendum & de locat. §. 6. versic. 4.*
5 & † istum esse verum modum discernendi locationem ab emphyteusi *tradit Bart. in l. 1. num. 4. & ibi Ias. num. 35. C. de iur. emphyt. Doctor. communiter in c. potuit. de locat. Aretin. in consil. 55. num. 4. Bellon. in consil. 21. num. 18. Natta qui de communi consil. 49. num. 7. Cagnol. in l. 2. num. 202. C. de rescind. vendit. Iul. Clar. in §. emphyteusis. quæst. 1. prope fin. & ita decisum fuit coram me in Romana de Maximis. 16. Nouembris 1575. quam Decisionem Rota in plu-*
6 *ribus alijs causis sequuta est.* † Non obstat nominatio partium, quia *vt inquit Bald. in l. 2. C. commod.* verba magis deseruiunt naturæ contractus, quàm natura verbis; & ideo denominatio partium non immutat naturam contractus, *Dec. in cons. 164. n. 3.* Secundo sese obtulit quæstio, an stantibus pactis, quæ subcontraria videntur, possit dici absolutè prohibita omnia alienatio & obligatio sine consensu Fratrum, itaut locũ habeat deuolutio, & pro creditoribus adducebatur clausula illa, ad habendum, tenendum etc. propter quam prætendebant ad euitandam contrarietatẽ alienationis prohibitionem intelligẽdam esse de ea, quæ fieret in Barones, Magnates, Cardinales, & Prælatos, de quibus immediate fuerat actũ,

vel

vel de alienatione, quæ contineret totalem
7 translationem iurium suorum, † non autem
de census impositione, per quam constitui-
tur ius quoddam super re distinctum & se-
paratum ab ipsa re, & à dominio, *vt per*
Aym. cons. 217. num. 4. Couar. var. lib. 3.
cap. 7. num. 6. Sed hæc interpretatio non
placuit Dominis, quia pactum illud de non
alienando, obligando, &c. sine consensu Fra
trum est distinctum & separatum ab alijs, &
est clarum, adeo quòd non potest ex alio ha-
8 bente restrictionem tolli: † nam prior illa
clausula ad habendum, habet restrictionem
illam, & prout de similibus rebus in emphy-
teusim locatis fieri solet, & de iure debet; &
iuris dispositionem habemus *in l. 2. C. de*
9 *iur. emphyt.* Et quamuis † de iure commu-
ni non sit prohibita obligatio seu hypotheca
rei emphyteuticæ, quia non est propriè alie-
natio, *vt per Clar. in §. emphyteusis. q. 18.*
& 21. Grat. consil. 54. num. 5. lib. 1. Ruin.
consil. 150. num. 14. lib. 3. Capell. Tolos. de-
cis. 462. tamen hic habemus expressam le-
gem constitutam à contrahentibus, quam
infitiari non possumus. Neque obstat, quòd
aliàs *Rota in eadem Romana de Maximis,*
sub die 4. Decembris 1577. propter similem
clausulam excusauerit D. Horatium de Ma-
ximis à caducitate propter alienationem,
10 quoniam † in illo casu non aderat pactum
expressum de non alienando neque obligan-
do sine consensu fratrum cum adiectione pœ-
næ caducitatis; & ideo non bene applica-
tur huic casui Decisio illa; Neque omnino
contrariatur clausula illa pacto, de quo agi-
tur; quia tota potest intelligi de consensu,
& ita interpretari debemus ad euitandam
contrarietatem, etsi redderetur superflua,
Gemin. in c. si Papa. de priuileg. in 6. Ale-
xand. cons. 33. num. 5. lib. 1. Neque in con-
trarium faciunt allegata *ex Dec. consil. 164.*
num. 3. Emanuel Suarez in communib. opi-
nion. in uerb. emphyteusis. num. 81. & Clar.
q. 13. sub fin. quia loquuntur in casu, in quo
simpliciter datur facultas à principio alie-
nandi, prout per clausulam, & quibus de-
derit, sine aliqua limitatione, aut contraria
pactione, prout in casu isto; Et ideo conclu-
sum nos esse in casu deuolutionis. Quare
tertio loco sese offert quæstio, An hic possit
habere locum aliqua ex excusationibus, quæ
deducuntur pro parte creditorum: sunt au-
11 tem plures; Prima quòd † excusandus sit
Annibal, ex quo vendidit censum cum pa-
cto de redimendo, & postea fuit per credi-
tores redemptus, *iuxta ea qua tradit Ca-*
gnol. in l. 2. nu. 174. C. de pact. inter empt.
& vend. Ista excusatio patitur difficulta-
tem, quia ante redemptionem fuerat per
fratres acceptata caducitas, *Aluar. quem*
sequitur Dec. in consil. 160. in fin. Tiraquel.
12 *de retract. lign. §. 8. glos. 7. num. 26.* † Se-
cunda affertur excusatio ex capite ignoran-
tiæ pacti illius deuolutiui appositi in con-
tractu inito cum Carusijs, hæc excusatio fuit
omnino reiecta per Dominos, nam in in-
strumento venditionis factæ Annibali habe-
tur relatio ad illud instrumentum; & ideo
locum habet *doctrina Bart. in l. qui Roma.*
§. duo fratres. num. 17. & ibi Ias. num. 66.
Rip. num. 53. cum alijs de verb. obligat. *
Præterea ista ignorantia non solum est in-
uerisimilis, sed etiam saperet fatuitatem,
si præsumendum esset Annibalem emisse Ca
sale sub pactis & conditionibus per eum
prius nec visis nec consideratis, *ad l. lata*
13 *culpa. de verb. signif.* & cum scientia, † quæ
est difficilis probationis, probetur per conie-
cturas, vtique hæc coniectura est tanti mo-
menti, vt ex ea probetur nō solum præsum-
pta, sed etiam vera scientia, quod maximè
est dicendum, cum huiusmodi instrumentū
fuerit in iudicio productum per procurato-
rem Annibalis contra Creditores Stephani
Lampadij de mense Iunij 1580. prout in
præsupposito sexto & septimo, & sic ante
impositionem census, quæ facta est de codē
anno mense Septembris, *Dec. in consil. 328.*
Aretin. cons. 15. in fin. Abb. cons. 18. Ne-
que obstant decisiones *Putei 147. lib. 1. &*
Caputaquen. 110. lib. 2. quia loquuntur de
scientia præsumpta, quæ oritur ex publica
14 voce & fama. † Tertia affertur excusatio,
quæ placuit omnibus Dominis ratione æ-
15 quitatis, † quam seruare tenetur Ecclesia,
quæ est pietatis cultrix, & quæ non debet
locupletari cum aliena iactura, quoties con-
ditio eius non est facta deterior, *prout tra-*
dit Butr. in consil. 34. num. 2. quod Butrij
consilium sequuta est Rota coram me in vna
Zamoren. Castri. 10. Decembris 1576. Nam
quòd non sit factum deterius ius Ecclesiæ
16 † apparet ex celeri redemptione census fa-
cta, antequam fuisset facta intimatio credi-
toribus acceptationis deuolutionis; nam li-
cèt acceptatio deuolutionis facta fuisset
contra Annibalem; tamen quia foro cesse-
rat, agebatur tunc principaliter de præiu-
17 dicio creditorum; † ipse verò habebatur
tanquam si in humanis esse desijsset propter
decoctionem; & ideo celeri recuperatione
videntur sibi creditores prouidere potuisse
ad effectum damni euitandi, *vt per Bero. in*
cap. potuit. num. 164. de locat. vbi in fin. te-
statur in emphyteusi Ecclesiastica seruandā
esse æquitatem. Secundo iuuatur ea ratione
18 quòd in isto contractu † sine sit locationis
siue emphyteusis, de iure communi non in-
currebatur caducitas ex huiusmodi imposi-
tione census, *vt supra ex Claro & alijs de-*
ductum est; ex pacto verò poterat dubita-
tio oriri propter clausulam in principio ap-
positam, & supra ponderatam ad habendū
&c. Vnde ad excusationem satis probabi-
19 lis videtur error iste, cum etiam † ad dam-
num euitādum iuris error excuset, *l. Labeo.*

* Bologne. in d. §. duo fratres. n. 7. Bald. in l. 1. n. 5 de tēpor. appell. Alex. cons. 19. n. 6. lib. 2. Paris. cons. 46 n. 16. lib 2. Crauet. cons. 191 n. 7. Bero cōs. 130 nu 16. lib. 2. Rolan. cons. 81. n. 41. lib. 4.

& ibi

*& ibi Bart. de aqu. pluu. arcen. l. iuris. la
2. & l. error. in fin. de iur. & fact. ign. Ca-
stren. consf. 412. Visis punctis seu casibus. n. 4.*
20 *lib. 2.* & † causa dubitabilis habens originē
ab instrumento non bene claro excusat à ca
ducitate, *Put. decis. 248. & 401. lib. 3.*
Tertio coadiuuatur hęc ęquitas ex eo, quòd
21 † cum Annibal posset sua melioramenta
hypothecare, etiam non requisito domino,
& isti creditores sint anteriores respectu
deuolutionis, potuerint pro eorum interes-
se celeri recuperatione purgare moram,
prout fecerunt, extinguendo censum: Neq;
est, quòd illis imputetur, si prius non fece-
rint, quia in eis cadit iusta ignorātia, & pro
conseruatione eorum iuris ex æquitate etiā
essent restituendi, *vt voluit Alex. in consil.
45. num. 3. & 4. lib. 5.* & licèt hæc quæstio,
22 † an resoluto contractu ex aliqua causa re-
soluantur hypothecæ ratione causæ anti-
quioris, cui res erat affecta ante obligatio-
nem & hypothecam, sit controuersa, nam
pro affirmatiua tenet *Bald. Salicet. Pantal.
de Crem. & Alex. citati per modern. Parisi.
in consuet. Paris. §. 22. quæst. 45.* tamen ne-
gatiuam tenet *Io. Andr. Bart. Petr. de An-
char. & idem Alex. ibidem citati,* adeo quòd
in re adeo controuersa benigniorem partem
amplecti debet Ecclesia. Quarto facit,
quia cum simus in contractu locationis non
autem emphyteusis, vt supra fuit deductum,
23 apparet † hanc deuolutionem non esse ex
natura contractus, sed merè conuentiona-
lem, & etiam pœnalem, cum apposita sit
in casum contrauentionis, *l. 2. & ibi glos. 1.
& 2. de his quæ pœn. nomin. Aretin. in l. 4.
§. Cato. in 1. notab. & num. 22. & ibi Ias.*
24 *n. 3. Butigell. n. 13. de verb. oblig.* sed † ne-
que de iure communi Ecclesia potest petere
pœnas conuentionales, nisi quatenus inter-
sit, *vt per Corn. cons. 344. num. 3. lib. 1. Ho-
stien. in cap. dilecti. §. quia tamen. & ibi Do-
ctor. de arbitr. Grammat. cons. ciuil. 66. n. 76.
Gabriel. tit. de malef. conclus. 34. n. 4. & 10.
& hanc sententiam tenuit Rota in vna Ro-
man. contrauentionis coram bon. mem. Ora-*
25 *dino. 3. Martij 1570.* * † Neque etiam in-
spectis Statutis Vrbis *lib. 2. cap. 148. & lib.
5. cap. 26. in antiq. & lib. 1. cap. 163. in*
26 *nou.* † Quæ statuta cum sint confirmata à
Papa, immo & condita de mandato Papæ
dicuntur Papalia, & ligant etiam clericos,
*vt fuit resolutum in causa Portuen. Plani
Vboni coram R. P. D. meo Robusterio, & in
vna de Comitibus 21. Iunij 1577. coram Il-
lustrissimo D. meo Aldobrandino,* * sed om-
nem iuris rigorem de medio tollere potest,
si id in facto verificatur, quod per informan-
res deducitur, Annibalem in hoc Casali fe-
cisse notabilia melioramenta, & quæ longo
interuallo superant valorem census desuper
27 impositi; nam † hoc solo respectu quòd tam
bene se gessit in meliorando bona Ecclesiæ

* & in Bononien. vigintimillium 2. Decembris 1577. coram Cardin. Aldobrandino. in impress. diuers. nouiss. 171. num. 3. part. 1.

* quæ in impress. diuers. nouissim. est 412. part. 1.

dignus est omni excusatione: Vnde cum Ec-
clesiæ conditio non sit effecta deterior, & fa-
cta sint tam notabilia melioramenta, & cē-
sus fuerit extinctus, & agatur de maximo
præiudicio plurium creditorū, inter quos e-
tiā sunt miserabiles personę, & Ecclesia non
debeat locupletari cum aliena iactura, con-
clusum fuit per Dominos, excusandum esse
Annibalem à deuolutione, non obstante,
quòd asseruerit Casale ad se spectare, quia
hoc non simpliciter asseruit, sed alternatiuè
pleno iure dominij vel quasi, quod verifica-
ri potest in emphyteuta, *vt per Bart. in l. si
mater. §. eandem. num. 4. de except. rei iu-
dic. Ias. in l. 1. in princ. num. 60. vbi Socin.
iun. num. 268. de acquir. poss. Idem Socin.
in l. naturaliter. §. nihil commune. num. 20.
eod. tit.*

Tullen. Reseruationis fructuum.
Die Lunæ 22. Iunij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Confessio de recepto probat in præiudicium cuiuscunque præcedente promissione, sicut confessio mariti de dote præcedente promissione.*
2 *Simulatio excluditur per continuationem plurium annorum in possessionem.*
3 *Notorietas non iuris ex confessione deducta debet esse multum clara & concludens, ita ut tergiuersari non possit.*

DECISIO DCCXCV.

FVit conclusum probari primum extre-
mum Francisci, eumq. esse restituendū;
nam de eo constat ex instrumentis locatio-
num & quietantijs ab anno 1566. vsque ad
annum 1579. viuente Alberico eius fratre
titulari, & à morte ipsius vsq; ad annū 1582.
1 possidente Prioratum Andrea; † Cum enim
præcesserit promissio in contractu locatio-
nis, confessio de recepto probat in præiudi-
cium cuiuscunque vt de confessione mariti,
tradit *Afflict. decis. 402.* si qua suspicio ori-
ri potest ex eo, quòd Franciscus erat frater
Alberici, ea tollitur per exactiones factas
possidente Andrea, qui licèt esset intrusus,
tamen cum possederit beneficium, nō pote-
rat Franciscus, cuius non intererat euitare,
quominus negotium locationis cum eo tra-
ctaretur, & de communi consensu perficc-
retur. Neque obstat, quòd de hoc tempo-
re nō extent quietantiæ, cum ex apocha per
Claudium recognita constet cum has quie-
tantias habuisse à conductore; & ideo habē-
tur pro productis contra eum *l. si de posses-
sione. C. de probation. Felin. in c. cum Vene-
rabilis. num. 21. de except.* & ideo restituē-
dus est Franciscus etiam cōtra successorem
in beneficio, denegantem soluere, *Guid. pap.
decis. 629. Put. 152. Dubitaui. lib. 3.* Ne-
que obstat allegatio simulationis, nisi pro-

betur

2 betur, † sed eam excludit tot annorum
continuatio. Non obstat, quod dicitur notoriè
constare de nõ iure ob malam expres-
3 sionem valoris; quia, † vt ex confessione
deducatur notorietas nõ iuris, ea debet esse
multum clara & concludens, itaut tergiuersari
non possit, sed ex instrumentis locationum
hoc deduci non potest; ideo non est
habenda talis confessio in consideratione
ad hunc effectum. Et ita conclusum.

Militen. Beneficij S. Fantini.
Die Veneris 26. Iunij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Est differentia inter cessionem iurium in beneficialibus, traditionem possessionis, iussum de possidendo idest mandatum seu licentiam capiendi possessionem, & dimissionem possessionis.*

2 *Cessio beneficij in fauorem certæ personæ non potest fieri nisi tantum in manibus Papæ.*

3 *Per cessionem factam in fauorem certæ personæ amittitur possessio iuris & facti, admissa tamen per Papam resignatione, & possessio acquiritur resignatario; secus est, si probetur, quòd resignans facta resignatione adhuc incubuerit possessioni, quia si interim spolietur, datur ei in hoc casu restitutio.*

4 *Per renunciationem beneficij simpliciter in manibus Papæ vel Ordinarij factã, amittitur omnis possessio, & si renuncians spolietur, non potest agere spolio, cum careat omni titulo; nisi fortè doceatur de nullitate renunciationis.*

5 *In traditione possessionis quæ fit in præsentia rei, & ea quæ fit extra præsentiam rei, quando amittatur possessio & competat spolium & quid in ea quæ fit per simplicem dimissionem in manibus superioris absque aliqua conditione vide n. 7. & 8.*

6 *Traditio possessionis, quæ fit ex aliqua causa obligatoria præcedente, non censetur fieri nisi in extinctionem obligationis, quæ extinctio, si non sequatur, possessio non amittitur.*

DECISIO DCCXCVI.

Causa iterum proposita super eo an Illust. D. Philippus ceciderit à possessione
beneficij, de quo agitur, facto suo, ita
vt excludatur ab omni remedio restitutorio;
Domini censuerunt cecidisse, & excludi
huiusmodi actione, & remedio; Nam pro
distinctione & concordia eorum, quæ hinc
1 inde allegantur, dixerunt † esse constituendam
differentiam inter cessionem iurium in
beneficialibus, traditionem possessionis, iussum
de possidendo, idest mandatum seu licẽtiam
capiendi possessionem, & dimissionem
2 possessionis: In cessione beneficij † si ea
fit in fauorem certæ personæ, quòd in mani-
3 bus Papæ tantum fieri potest; † amittitur
possessio iuris & facti, admissa per Papam
resignatione; ita vt ius quæratur resignatario,
nam tali renunciationi inest tacita conditio,
dummodo resignatario acquiratur,
*l. si me in vacuam. de acquir. poss. vt per Rot.
decis.* 1. *de renunciat. in nou.* nisi probetur,
quòd post renunciationem renũcians incubuerit
possessioni, *vt ibi tradit Apostil. n.*
8. si tamẽ à tertio spolietur, dum possessioni
adhuc incumbit, datur ei restitutio, quia
non prorsus caret titulo; qui fuit sub conditione
dimissus, nempe si alteri quæratur, &
iste est casus decisionis *Putei aliàs citata*
4 158. *lib.* 3. † si verò renunciatum fuerit simpliciter
in manibus Ordinarij, aut Papæ,
tunc amittitur omnis possessio; & licèt spolietur,
non potest agere spolio, cum careat
titulo; nisi fortè doceret de nullitate renũciationis:
& hæc non pertinent ad præsen-
5 tem dubitationem. † In traditione possessionis
ea fit, aut in rei præsentia, aut extra
rei præsentiam, si in rei præsentia statim
amittitur possessio, siue acquiratur ei, cui
traditur, siue non acquiratur, *l. quod meo.
§. si à furioso. de acquir. poss.* dum enim tradens
existimat se transferre, statim amittit,
*vt inquit textus, & ita sumatur à Bart.
Paul. Alex. & cæteris,* & licèt videatur in
contrarium textus *in l. si me in vacuam. eod.
tit.* tamen Doctores diuersimode conantur
conciliare illam antimoniam, nam *glosa in
d. si me in vacuam.* ait ibi esse errorem in re,
at *in §. si à furioso*, errorem esse in persona
accipientis; Alij *vt Bart. & Alex.* dicunt in
traditione possessionis inesse tacitam conditionem,
si accipiens nõ dissenserit; & ideo
furioso traditam amitti, quia non dissentit;
erranti verò traditam non amitti, quia dis-
6 sentit: † Aliam affert solutionem *Angel.* vt
illa lex procedat, quãdo traditio fit ex causa
obligatoria præcedente; tunc enim non
censetur fieri traditio nisi in extinctionem
obligationis, quòd si hæc non sequitur, neque
etiam possessionem amitti, *Cuman.* autem
putat eam legem loqui non de traditione,
sed de licentia ingrediendi possessionem,
& allegat *l. qui absenti. eod. tit. & l.
cum fundum. de vi & vi armat.* cuius opinio
non videtur carere probabili ratione,
ponderando illa verba, Ego putem me in
Sempronianum missum, & in Cornelianum
iero, quæ videntur denotare missionem in
rem præsentem factam non fuisse, sed quicquid
sit, hæc tota controuersia est extra dubitationem
propositam: Neque applicari
potest, cum hic non adsit error neque dissensus,
siue rem siue personam spectemus;
7 † Si verò traditio non fiat rei præsentis, tũc
aut versamur in tertio casu iussus siue licẽtiæ
ingrediendi possessionem, & tunc locũ
habet dispositio *tex. in l. cum fundum. de
vi & vi armat.* non enim censetur is, qui

dat

dat licentiam ingrediendi possessionem, eam prius dimittere, quàm ille, cui data est licentia, eam apprehenderit, *argumento l. qui absenti. de acquir. possess.* & iste quoque non est casus noster: Aut versamur in quarto
8 membro distinctionis, † nempe dimissionis possessionis, qualis est ista, cum enim in hac dimissione Illust. D. Philippus narret, (hauer inteso per lettere del suo agente in Roma, che sua Santità à bocca le haueua ordinato, che esso non comparente lasciasse la possessione di detti beneficij in mano della Camera) ipse in exequutionem huius ordinis relaxat possessionem, quam tenuit, & tenet in manibus & posse Reuer. Cameræ Apostolicæ, & nomine ipsius Reuerendiss. Nũcio, quem certum est in his representare Reuer. Cameram; nam circa administrationẽ, recuperationem, & recollectionem iurium Cameræ in toto Regno Neapolitano præcipuè versatur eius officium; Et in hac dimissione habet locum *tex. in l. 3. §. in amittenda. & in l. si quis cũ. §. differentia. de acquir. possess.* facta namque fuit hæc dimissio simpliciter, & non in fauorem alterius in manibus superioris Cameram repræsentantis, & dimissionem hanc acceptantis: quare hoc casu, neque vlla inest tacita conditio, neque inhabilitas impediens possessionis amissionem; & hoc casu faciunt optime deducta per informantes. Non obstat text. *in l. nec vtilem. ex quibus caus. maior.* quia non loquitur de possessione, sed de dominio, quòd volenti aufertur per præscriptionem; & ideo nihil facit ad præsentem disputationem, & hoc pacto distinguendo concilientur omnia pro & cõtra per informantes deducta. Quod autem deducitur ex protestatione fuit in alia decisione* per Dominos sublatum. Illud præterea quod dicitur de continuatione possessionis post dimissionẽ, non est hactenus probatum; & ideo conclusum, standum esse in decisis, non competere, Illust. D. Philippo remedium restitutoriũ.

* sub die Veneris 13. Martij proximè præteriti.

Zamoren. Beneficij de Morales.
Die Veneris 26. Iunij 1587.

SVMMMARIVM.

1 *Sententia lata deserta appellatione, non reuocatur vti attentata.*
2 *Fatalia non currunt, quando datum fuit de attentatis.*
3 *Lite finita, nulla possunt adesse attentata; secus si lis ex vno tantum capite sit finita, sed ex alio adhuc pendeat.*
4 *Lite super iurepatronatus coram iudice laico finita, potest tamen esse, quòd coram Ecclesiastico adhuc sit indecisa.*
5 *Præsentatio fieri non potest, nisi lite prius coram Ecclesiastico super iurepatronatus finita.*
6 *Iudex laicus potest esse competens in lite super prædio iurispatronatus; secus super iurepatronatus proprio, in quo caret iurisdictione.*
7 *In attentatis sequestrum conceditur ex officio.*

DECISIO DCCXCVII.

FVit dubitatum super validitate sententiæ Rotalis reuocantis sententiam de partibus ex capite nullitatis & attentatorum, & contra eam opponebantur plura:
1 Primo, quòd † fuerat lata deserta appellatione, quo casu non solent reuocari attentata, *Crescent. decis.* 140. sed hæc obiectio non placuit; tum ex eo, quòd verum non est desertam fuisse appellationem habita ratione decem dierum prætermissorum in reformatione Gregoriana anni 1582. quorum habenda est ratio, vt in bulla eiusdem Grego-
2 rij habetur; tum etiam † ex eo, quòd intra annum fuerat datum de attentatis; & ideo non currebant interim fatalia appellationis, *vt pluries fuit resolutum, & in specie coram bon. mem. Domino Oradino referente Modern. de attentat. cap. 12. ampliat. 1. nu. 18. & extat Rot. decis. 15. de appellat. in nou.*
3 Secundo opponebatur, † nulla adfuisse attentata, cum lis super iurepatronatus fuisset finita; & ideo licebat Ludouico præsentare alium in locum Antonij mortui lite pendente, ex quo sequitur sententiam Ordinarij fuisse iustam. Sed neque huiusmodi
4 oppositio placuit; nam † licèt lis super prædio cuius ratione prætendebat Ludouicus sibi competere iuspatronatus, fuisset per sententiã iudicum laicorum finita, tamen adhuc pendebat lis super iurepatronatus
5 indecisa coram iudice Ecclesiastico; & † ideo non poterat interim Ludouicus præsentare alium in locum Antonij, *cap. 1. vt lit. penden. in 6. Guidobon. decis.* 104. Neque ob-
6 stat, quod † ius patronorum penderet à lite super prædio; quia licèt illa sententia sit præiudicialis causæ iurispatronatus; tamen expectanda est super eo sententia à iudice Ecclesiastico; cum hoc respectu iudex laicus carueri iurisdictione. Tertio opponebatur contra sequestrum decretum in sententia, fuisse nulliter decretum & exequutum, sed hæc obiectio sublata fuit, ex quo
7 † in attentatis conceditur sequestrum ex officio, *Palæott. decis.* 101 Maximè cum postea sententia Rotalis transiuerit in iudicatum. Quare ex omni parte dictum, sententiã Rotalem esse validam & iustam, & reuocari non debere.

Toletana Primitiarum.
Die Mercurij 1. Iulij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Testes deponentes à tanto tempore citra, licèt non deponant cum copula, &, tamen si appa-*

appareat eos sentire de tempore continuato subden tes, quòd nunquam viderint obseruari contrarium, & si fuisset obseruatum vidissent, optime probant.

2 *Pro decreto Visitatoris præsumitur; maximè si non sit factum per viam attestationis, sed declarationis, & adiudicationis.*

3 *Decretum extractum ex libro actorum, & productum parte citata dicitur in forma probanti.*

DECISIO DCCXCVIII.

*sub die 22. Aprilis proximè præteriti.

DOmini steterunt in decisis;* nam quantum ad probationem beneficiatorum
1 attinet, † adsunt testes deponentes à quinquaginta annis citra beneficiatos participasse de huiusmodi primitijs, & licèt non deponant cum copula, & citra, *iuxta sententiam Bart. à Rota receptam*, tamen apparet eos sentire de tempore continuato, ex quo subdunt, quòd nunquam viderunt obseruari contrarium, & quòd immo si fuisset aliquid in contrarium actum, illud vidissent, & sciuissent, vt videre est in tertio & quarto teste beneficiatorum, & alijs, & hanc fidem
2 testium maximè adiuuat † decretum Visitatoris, quod non est factum per viam attestationis, sed declarationis & adiudicationis; & ideo intrant allegata; maximè cum præsumatur pro decreto, *vt latè per Gabr. de senten. conclus. 5. per totam*. Neque ob-
3 stat, quòd non sit in forma probanti, † quia immo contrarium est verius, cum fuerit extractum ex libro Visitationum, & productũ parte citata, *Pute. decis. 28. de fid. instrum.* & proptereà habet locum Innocentiana. Neque obstat, quod opponitur non constare de scientia Rectoris, quia vltra quòd est inuerisimile, cum teneatur residere, istud non est necessarium, quando de consuetudine & nõ de præscriptione agitur, *Couar. in reg. possessor. part. 2. col. pen. versic. qui verò.* Quòd autem simus in consuetudine, videtur probari ex aliàs allegatis, & ex Constitutione Synodali, ex quibus constat ius non resistere beneficiatis inseruientibus, & cooperantibus Rectori in cura animarum; immo etiam ex dicta Constitutione probatur obligatio inseruiendi, nõ obstante, quòd beneficiati in eorum depositionibus videãtur velle se ab onere huiusmodi eximere, sed hoc non possunt. Cætera ex aduerso considerata visa fuerunt benè sublata per informantes; Et ideo conclusum standum esse in decisis.

Asculana Prioratus.

Die Mercurij 1. Iulij 1587.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus de iure habet fundatam intentionem in collatione beneficij intra fines suæ diœcesis constituti; maximè si constet de quasi possessione illud conferendi, & collationes suum fuerint effectum sortitæ.*

2 *Testes de auditu in re antiqua satis probãt.*

3 *Prouisiones Apostolicæ non immutant statum beneficij.*

4 *Ex vnico actu etiam quis constituitur in quasi possessione.*

5 *Validitas prouisionis metitur ex quasi possessione conferendi illius, qui contulit.*

6 *Collatio facta in vim quasi possessionis conferendi tenet interim, dum disputatur ad quem spectet collatio.*

DECISIO DCCXCIX.

DOmini ex nouiter deductis recesserunt à resolutis in alia instantia,* moti fue- *coram Illustriss. Card. Blanchetto sub diebus 24. Octob. & 20. Nouemb. anni præteriti, sed ex nouiter deductis coram Illustriss. meo separatim ab huiusmodi resolutione recessum fuit sub die 14. Feb. 1588 quæ ita loquitur, Ex his quæ nouiter pro parte Caroli deducuntur fuit recessum ab vltima resolutione.
1 runt ex eo, quòd præter quam quòd † Prioratus, de quo agitur, est situs intra fines Asculanæ diœcesis, vt bene per testes probatur: Vnde Episcopus habet fundatam intentionem de iure, *cap. omnes Basilicæ. 16. q. 7.* ex iuribus & testibus nouiter productis cõstat de quasi possessione dignitatis Episcopalis conferendi huiusmodi Prioratum, tam ex prouisione facta Matthæo Pascutio de anno 1529. quàm ex alia prouisione facta Bernardino Zanuetto de anno 1565. quæ probãtur effectuatę per testes, & ex eo quòd postea per obitum Bernardini fuit facta collatio Hieronymo Salutio, quæ res optimè probat effectuationem posterioris collationis, *vt in pluribus causis fuit dictum, & in specie coram me in vna Reatina sancti Ange-*
2 *li.** Neque obstat, quòd † testes aliqui sint *sub die 17. Iunij anni 1577.
de auditu; quia respectu illius prioris collationis, cum simus in re antiqua, satis probant, *Gabr. de testib. conclus. 3. Pute. decis.*
3 *78. lib. 1.* Non obstant † prouisiones Apostolicæ, quia non mutant statum beneficij, *Aegyd. decis. 107. Achill. de stat. benefic. decis. 1.* Et ex his remanet vltimus status
4 ad fauorem Episcopi, † qui etiam ex vnico actu constituitur in quasi possessione, *Rot. de præscript. decis. 2. in nou. Rip. in c. cum Ecclesia. num. 49. de caus. possess. & propriet.* Vnde resultat validitas prouisionis Episco-
5 pi, † quam metimur ex quasi possessione illius, qui contulit, *Rot. decis. 7. de rescript. in antiq. & 14. de iurepatron. in antiq. cap. consultationibus. de iurepatron.* Non obstat, quòd ex decisionibus in hac causa factis constet pertinẽtiam collationis spectare ad Ab-
6 batem, quia † potuit Abbas prosequi ius suũ respectu futurarũ collationũ, sed interim tenet collatio facta ab eo, qui est in quasi possessione conferendi, quod maximè dicendũ, cũ Passerus sit reus & possessor. Et ita conclusum.

Perusina Hæreditatis.

Die Veneris 30. Octobris 1587.

SVMMARIVM.

1 *Examen factum in partibus contra formã*

remissorialium petitam & per decretum interpositum obtentam, dicitur nullum; secus est si decretum interpositum nõ fuerit factum secundum formam petitionis, sed destinatus sit simpliciter iudex ad examinandum testes omni meliori modo.

2 *Clausula, omni meliori modo, est maximi ponderis pro actus sustentatione.*

3 *Per comparitionem principalis factam absque clausula, citra &c. censetur reuocatũ mandatum procuratoris; secus est si cõpareat vnà cũ procuratore vel curatore.*

DECISIO DCCC.

FVit iterum proposita causa coram me super opposita nullitate examinis, & Domini concorditer censuerunt standum esse in resolutis ex deductis in decisione 1 facta coram R. P. D. meo Decano, * sed & particulariter fuit responsum duabus nullitatibus, ad quas se restrinxerunt Domini informantes pro Curtio; nam quantum ad priorem, quæ deducitur, quòd pro parte Francisci petitum fuerat sibi dari litteras pro examinandis testibus inhabilibus & impeditis, & ad Curiam Perusij accedere non valentibus, & Dominus Locumtenens petitionem admisit si & in quantum, & postmodum fuerũt examinati multi testes iuuenes,
1 & non impediti, † ex quo prætenditur nullum esse hoc examen, quasi factum contra formam petitionis, & decreti desuper interpositi, quod censetur conforme petitioni, *vt per Alex. in consil.* 207. *num.* 7. *&* 8. *lib.* 7. *l. si defensor. §. qui interrogatus. de interrogat. act. Bald. in cap. inter dilectos. num.* 18. *de fid. instrum. Dec. in consil.* 175. *n.* 6. *circa fin. Paris. cons.* 19. *num.* 28. *lib.* 1. *cum alijs*, quia fuit dictum per Dominos decretum interpositum nõ fuisse factum secundum formam petitionis; nam petitio facta erat de litteris remissorialibus, & iudex in decreto destinauit vnum ex Rotæ Auditoribus Perusinis pro examinandis testibus in Castro Rusanellæ omni meliori modo; Adeo quòd allegata non procedunt hoc casu, sed quando simplex est responsio ad petita, *vt in locis allegatis, & declarat Ias. in l.* 1. *num.* 6. *C. de diuers. rescript.* & multum interest inter vtrunque casum; nã certum est Locumtenentem magis cõfidisse de persona insigni & nota, quàm fecisset de aliquo iudice deputando in loco examinis;
2 Adest etiam † clausula, omni meliori modo &c. quæ est maximi ponderis in similibus actibus pro eorum sustentatione, *Pute. decis.* 230. *Sebastianus Martini. lib.* 2. Sed & omnem scrupulum tollit, quòd non fuit oppositum de hoc defectu, immo pro parte Curtij fuerunt data interrogatoria. Quantum ad alteram nullitatem examinis, quæ deducitur ex eo, quòd processum fuerit cũ curatore Curtij, qui nulliter erat deputatus, si Curtius erat maior vigintiquinque annis, dictum fuit examen sustineri ex capite mandati, cum eum Curtius procuratorẽ suum cõstruisset, & quòd acceptauerit huiusmodi mandatum constat ex processu fol. 23. & 24. vbi Curtius comparet vnà cum Philippo Iacuello causidico Perusino eius procuratore citra &c. & exhibuit fidẽ subdelegationis, & pro tali etiam se gessit dictus Philippus etiam post delatam curam, vt fol. 48. à tergo, vbi allegat nullitatem actorum, neque agnoscit se curatorem. Non
3 obstat, quòd † per comparitionem factam per Curtium absque clausula, citra &c. cẽseatur reuocatum mandatum; quia id procedit, si solus comparuisset, sed cum comparuerit vnà cum Philippo, & vterque institerit pro exequutione cuiusdam licentiæ, vtique tantum abest, vt hoc inducat reuocationem, quin potius inducit confirmationem constitutionis per eum factæ: quod ex eo confirmatur, quia postea Curtius in alijs comparitionibus vtitur clausula, citra &c. Neque Philippus vnquam se restrinxerit in comparendo vti curator, sed semper cum clausula, nomine quo supra; & licet mandatum non esset in actis; tamen satis est, quòd comparuerit cũ Curtio vti procurator ipsius. Et ex his tollitur hæc nullitas, super qua potissimum constituebatur fundamentũ pro Curtio. Quare conclusum standum esse in resolutis.

* coram D. de Rubeis sub die 25. Maij præsentis anni.

Spoletana Bonorum.
Die Veneris 6. Nouembris 1587.

SVMMARIVM.

1 *Habens titulum à testatore, & possessionem post eius obitum captam dicitur legitimus contradictor, vt est communis Doctorum conclusio.*

2 *In donatione facta absenti nullum ius dicitur quæsitum donatario ante ratificationem, sed stante stipulatione notarij quãdocunque ratificari potest etiam post obitum donantis, & num. 4.*

3 *Ex donatione non insinuata nullũ ius quæritur donatario; secus est, si adsit iuramentum, quod plures defectus sanare potest, & num. 5.*

6 *Ad probandum falsitatem instrumenti per coniecturas, debent coniectura esse tales, vt ex eis pronunciari possit instrumentum esse falsum.*

7 *Filius, cui pater fecit donationem omnium bonorum, potest, si vult, succedere tam ab intestato quàm in vim donationis.*

8 *Filius legitimatus, si excludatur ab hæreditate patris, de legitima prouideri debet. Item & de alimentis & expensis litis.*

9 *Donatio inofficiosa vsque ad concurrentem quantitatem legitimæ rescindi potest.*

DE-

DECISIO DCCCI.

Simon filius legitimatus & hæres insti-
tutus in testamento Andreæ eius pa-
tris, petijt se immitti in possessionem bono-
rum, in quorum detentione obijt Andreas
pater, opposuerunt se filiæ Andreæ præten-
dentes se habere titulum donationis istorũ
bonorum à patre, in qua donatione reser-
uat sibi Andreas vsumfructum vita sua na-
turali durante, & constituit nomine illarũ
se possidere, datq. licentiam ingrediendi
possessionem propria auctoritate, & repe-
riuntur istæ filiæ in possessionem istorum
bonorum immissæ à Reuer. Domino Vica-
rio Spoletano post obitum Andreæ, vti hæ-
redes ab intestato ipsius Andreæ defuncti
sine filijs masculis legitimis & naturalibus:
Dubitatum fuit, an Simon sit immittendus
in possessionem bonorum ex remedio *leg. fi-
nal. C. de edict. diu. Adr. tollen.* & causa
in Rota proposita Domini censuerunt Si-
monem non esse immittendum, nisi discus-
sis prius iuribus filiarum, quæ ad hunc effe-
1 ctum † reputatæ fuerunt legitimæ contra-
dictrices, stante titulo habito à testatore,
& possessione post eius obitum capta, *vt est
communis conclusio Doctorum in d. l. fin. vt
per Zuccard. num. 390. Menoch. qui alios
refert remed. 4. adipisc. num. 609. & seq.*
De titulo constat per instrumentum publi-
cum: De possessione verò constat ex actis.
Neque visa fuerunt ea, quæ in contrarium
deducuntur aduersus hanc donationem, &
possessionem captam ita clara, vt sine di-
scussione reijcienda sit huiusmodi donatio.
2 Quæ opponũtur sunt ferè huiusmodi, † eam
fuisse factam filiabus absentibus; & ideo nul
lum fuisse eis quæsitum ius ante ratifica-
3 tionem: Secundo † non fuisse insinuatam:
Tertio fuisse factam à patre filiabus: Quar-
to suspectam esse de falso ex quibusdam cõ-
iecturis, quæ in facto deducuntur: Quinto
Notarium non esse descriptum in matricu-
la, & ideo ex Statuti Spoletani dispositione
instrumentum non facere fidem. Sed do-
minis placuit hæc non obstare ad effectum,
de quo agitur; Nam primum obiectum tol-
4 litur ex eo, quòd † quandocunque potest
ratificari, etiam post obitum, stante stipula-
tione Notarij; neque hac in re discrepant
Doctores, sed tantum in eo, an ante accep-
tationem reuocari possit. Quantum ad se-
cundum & tertium obiectum, dictum fuit
5 non obstare † stante iuramento, quod secũ-
dum opinionem, *quam aliàs sequuta est Ro-
ta referente Ant. August. decis. 688. lib. 3.*
potest plures defectus sanare.* Quantum
6 ad quartum, † coniecturas, quæ ad probã-
dam falsitatem instrumenti deducuntur, nõ
esse tales, vt ex eis pronunciari possit fal-
sum instrumentum. Quintum obiectum
tollitur ex fide descriptionis notarij in ma-
tricula mihi exhibita, quæ poterit formiter
extrahi vnà cum legalitate, cum propè ab-
sit Spoletum ab Vrbe, & paucis diebus pos-
sint isti defectus sanari. Quæ verò dedu-
cuntur contra possessionem, pari modo sub-
lata fuerunt per Dominos; nam quòd fue-
rit nulliter capta ratione statuti non est ad-
modum clarum; nam statutum in prima
parte mandat, ne possessio apprehendatur
propria auctoritate, sed de licentia alicu-
ius ex iudicibus Ciuitatis Spoleti, & in ea
parte fuit statuto satisfactum, cum fuerit
aditus Vicarius, cuius auctoritate capta
fuit possessio: In alia verò parte statuti, in
qua mandatur, vt certi contradictores ci-
tentur nulla adest pœna nullitatis; Ideo
relinquendo rem in terminis iuris commu-
nis, poterant istæ mulieres propria aucto-
ritate capere possessionem ex expressa licẽ-
7 tia data eis in præfata donatione. † Non
obstat secundo, quòd cœperint possessionem
ex alia causa, nempe successionis ab inte-
stato, quia nihil obstat, quominus sibi po-
tuerint mutare causam possessionis habita
notitia donationis. Et cum omnia deducta
pro Simone patiantur multas difficultates
prouenientes ex sua replicatione, potius
quàm ex rearum exceptione, Ideo conclu-
sum immissionem pro nunc his plenè non
8 discussis dari non posse: Tamen † cum Si-
mon sit filius legitimatus, cui de iure de-
betur legitima, partes R. P. D. mei Iudicis
huius causæ erunt, quatenus ex commissio-
ne sibi de sufficienti iurisdictione constet,
prouidere huic adolescenti de alimentis &
9 expensis litis; vel curare, † vt ei consigne-
tur legitima, cum donatio huiusmodi sit
inofficiosa, & possit vsque ad concurrentem
quantitatem legitimæ rescindi, ne interim
mendicare cogatur. Et ita conclusum.

* Iuramentũ valeat an plures defectus supplere possit, habes inf. in Rauennaten. donationis, 29. Aprilis 1596.

Toletana Decimarum.
Die Veneris 20. Nouembris 1587.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus de iure communi non potest deci-
mas prædiales percipere, quæ ad Rectores
Ecclesiarum parochialium pertinent, &
spectant; nisi ei assistat vel immemora-
bilis præscriptio vel quadragenaria cum
titulo.*

2 *Ad hoc vt dispositio dicatur contra ius, suf-
ficit, vel quod sit contra legem scriptam
vel contra rationem ipsius legis siue ex-
pressam siue desumptam ex mente.*

3 *Vbi controuersia super decimis est inter pa-
rochiales attenditur consuetudo.*

4 *Iuris resistentia & non assistentia in ma-
teria perceptionis decimarum à pari pro-
cedunt.*

5 *Consuetudo non habet locum nisi in ijs casi-
bus, in quibus ius clarè non disponit, sed
ad eam se remittit.*

6 *Præscriptio non potest extẽdi de re ad rem, nec de prædio ad prædium.*
7 *Paria sunt, quòd quis habeat contra se ius commune vel præsumptionem iuris.*
8 *Maior non potest dari iuris præsumptio, quàm ea quæ ex iuris dispositione clarè oritur.*
9 *Quòd penes Episcopum cura totius diœcesis esse dicatur, quomodo intelligatur.*
10 *Ratione curæ Rectoribus debentur decimæ.*

DECISIO DCCCII.

Illustrissimus & Reuerendissimus D. Archiepiscopus Toletanus Dominus in
tẽporalibus & spiritualibus Oppidi de Yepes, & qui percipit omnes decimas spirituales dicti Oppidi, prætendit sibi deberi
Decimas prædiales bonorum & possessionũ
existentium in terminis Ecclesiarum parochialium de Oceagna, si quando contingit
dicta bona & possessiones transferri aliquo
titulo puta emptionis in dominium incolarum de Yepes, & probatum fuit, cũ ex quibusdam possessionibus sitis intra limites de
Occagna percipere & percepisse decimas à
tempore antiquo, & vocant eas possessiones terminum della Matilla, qui tamen
non est aliquis terminus certis finibus circumscriptus, sed sunt diuersa prædia in locis diuersis sita, quæ sunt sub dominio incolarum de Yepes, & ad earum instar contendit percipere decimas aliorum prædiorum,
quotiescunque emuntur ab incolis de Yepes, quod quidem vergit in præiudicium
Rectorum de Oceagna, qui semper fuerunt
in quasi possessione percipiendi decimas ex
istis prædijs ante alienationem; maximè ex
ijs quæ fuerunt alienata ab anno 1524. citra. Hinc orta fuit lis inter prædictos Rectores & dignitatem Archiepiscopalẽ, pro
1 cuius discussione fuit dubitatum, † An Illustrissimo Domino Archiepiscopo resistat
vel non resistat ius commune, ita vt intret
vel nõ intret dispositio *c. 1. de præscrip. lib. 6.*
in quo requiritur præscriptio immemorabilis vel quadragennaria cum titulo. Et causa
maturè discussa, fuit per Dominos vnanimiter conclusũ ius resistere Illustriss. Archiepiscopo in casu, de quo agitur; nam de iure
communi Decimæ pertinent ad Rectorem
Ecclesiæ parochialis *c. cum contingat. & ibi glos. Butr. & Abb. de decim. Abb. in c. quoniam. & in c. dudum. eod. tit. Imol. in cap. fin. post princ. vt lit. pend. Card. cons.* 88.
col. 2. Ias. Socin. & Bertrand. citati à Rebuf. de decim. q. 7. num. 5. qui loquuntur
etiam contra Episcopum, & facit ad idem,
c. fin. de paroch. & notat. per Doctor. in cap. Pastoralis. de his quæ fi. à Prælat. Abb. in c. conquerente num. 2. de off. Ordin. Troyl. Maluetius. de oblat. dub. 4. per totum, idem Rebuf. q. 13. num. 83. de decim. Et hanc partem in pluribus decisionibus videtur amplexa Rota, veluti in causa Toletana Decimarum de Brea coram R. P. D. meo Blanchetto, [*] *& in causa Larinen. decimarum coram R. P. D. meo Orano,* [a] *& nuperrime in hac eadem causa coram bon. mem. Lauretano,* [b] *Guidobon. decis.* 135. *Caputaq.* 353.
2 *lib.* 2. Concurrit quoque ratio; nam † vt
dispositio dicatur esse contra ius, sufficit,
vel quòd sit contra legem scriptam, vel cõtra rationem ipsius legis siue expressam siue
desumptam ex mente, *vt per Felin. in cap. statuimus. de maior. & obed. Put. decis.* 241.
in vna Cæsaraugustan. lib. 3. at ex iuribus
supra deductis, nempe *c. cum in tua. & c. cum contingat. & c. quoniam. de decim. & c. ad decimas. de restitut. spol. c. de decimis. 16. q. 1. cum similibus,* constat decimas spectare ad Ecclesias parochiales ratione Sacramentorum, & illos Rectores habere fundatam intentionem, adeo quòd necesse est
fateri ius resistere Episcopo, cum eadem
res ad duos insolidum pertinere non possit;
nam eo ipso quòd vni datur, alij aufertur.
Neque in contrarium allegata obstãt; nam
quod dicitur *cap. 1. de præscript. in 6.* loqui
de Episcopo alterius diœcesis, non de proprio, hoc potius constituit diuersitatem
facti quàm iuris, non enim quia maior est
iuris resistentia, si agatur de alieno Episcopo, facit, quin ius quoque resistat proprio,
postquam distinctæ sunt parochię & earum
iura, *c. Ecclesias. §. in diœcesi. 13. quæst. 1. Rebuff. d. q. 13. num. 83. Troyl. vbi supra num.* 43. Non obstat *cap. dudum. de decim.*
quia ibi Episcopus agebat contra detinentes decimas Ecclesiæ debitas, & ideo Episcopus habebat fundatam intentionem in
eo, quòd est defensor Ecclesiarum sitarum
in sua diœcesi, & hoc vltra solutiones datas
ibi *per glos. & Doctores.* Nõ obstat *Abbas in c. cũ sint homines. de decim. n. 6.* quia loqui-
3 tur in diuersis terminis, nempe quãdo † controuersia est inter duas parochiales, quo
casu attenditur consuetudo, *& ita bene fuit per Rotam distinctum coram bon. mem. Lauretano in hac eadem causa* 1. *Decembris*
4 1581. [c] Non obstat † differentia, quæ fit inter iuris resistentiam & non assistentiam,
quia ad hunc effectum à pari procedunt, cũ
enim de iure communi decimæ ad Rectorẽ
pertineant, necesse est, vt Episcopus fundet
se in iure speciali, quo casu necessaria est
præscriptio, vel alius quispiam titulus;
5 † consuetudo enim non habet locum nisi in
ijs casibus, in quibus ius clarè non disposuit, sed ad consuetudinem se remittit, *vt in allegato c. cũ sint homines,* & ideo cum si-
6 mus † in præscriptione, nõ potest extendi de
re ad rem, nec de prædio ad prædium, *vt per Hostien. Butr. & Abb. in d. c. cum contingat. & per Rot. in decis. Achill. 3. de decim. circa fin.* Quòd autem ista à pari procedant,
satis videtur colligi *ex eod. c. 1. de præscript. in 6.*

[*] sub die Lunæ 14. Ian. 1585.
[a] sub die Veneris 12. Maij 1587.
[b] coram R. P. D. Cãuccio de anno 1581. sub diebus 9. Iunij, 11. Octobris, & 1. Decēb. 1583.
[c] quæ in impress. diuers. nouiss. est decisio 163. parte 2.

7 *in 6.* in quo † æquiparantur ista, quòd quis habeat ius comune contra se, vel præsumptionem iuris, & ita etiam cessat id, quod allegatur *ex Couar. var. resol. lib. 1. c. 17. n. 7.*
8 nam † maior dari præsumptio iuris non potest, quàm ea quæ ex iuris dispositione clara oritur. Tollitur etiam id, quod deducitur *ex Bellamer. conf. 3. quod est 2. in meo libr. num. 13.* quia loquitur in Vicario, qui aliquo casu æquiparatur Rectori ratione particularis administrationis sacramentorum.
9 Non obstat, quòd † penes Episcopum sit cura totius suæ diœcesis *cap. Apostolica. vbi Hostien. de donation. Vitalin. in Clem. dudum. de sepult. cum alijs allegat.* quia hoc verum est ratione cuiusdam curæ generalis & superioritatis, quæ est penes ipsum, non autem procedit ratione curæ specialis & immediatæ parochiarum distinctarum, quę
10 residet penes Rectores, † & cuius ratione ipsis debentur decimæ, *& ita intelligunt Doctores, & in specie optime tradit Tiber. Decian. conf. 16. num. 17. & num. 21. vers. non obstat modo. lib. 2. Troyl. de Malucijs vbi supra num. 43.* Non obstat, quod de quarta Episcopali deducitur; quia non facit ad rem, cum nunquam in hoc iudicio actum fuerit de quarta, sed de integris decimis prædiorum, quæ emuntur in territorio de Occagna ab incolis de Yepes. Et ex his satis videntur sublata omnia in contrarium allegata. Et ita conclusum.

Cameriuen. Parochialis.
Die Veneris 27. Nouembris 1587.

SVMMARIVM.

1 *Gratia non verificata non est canonizãda.*
2 *Renunciatio beneficij facta in manibus potestatem non habentis est nulla.*
3 *Resignans beneficium etiam in manibus potestatem non habentis amittit possessionẽ, si semper ratam habuerit cessionem.*

DECISIO DCCCIII.

1 FVit resolutum † gratiam Costici non esse canonizandam, cum non sit verificata, prout requiritur *Io. Andr. in c. 1. de lit. contest. in 6. Dec. in conf. 142. num. 6.* & est notissimum, nam in duobus deficere visa est iustificatio; primo respectu vacationis per obitum Contucij, cum clarè probetur Coutucium longè ante, nempe de anno 1563. dimisisse beneficiũ in manibus Generalis Cõgregationis Camaldulen. & hęc dimissio habuit effectum, vt bene probatur ex pluribus actibus nempe visitationibus, libro Baptismatis, affictibus bonorum per Abbatem Sancti Blasij concessorum; Item affictu fructuum & redditũum eiusdem beneficij facto eidem Conrucio; Item pluribus exactionibus respousionum à diuersis personis per Contucium, qui enunciatur Cottimatarius dicti beneficij, nec non testibus, quæ omnia habentur in summario dato pro parte Congregationis. Nec rele-
2 uat dicere, quòd † hæc renũciatio fuit nulla, vti facta in manibus potestatem non habentis; quia hæc exceptio pendet ex eo, An hoc beneficium fuerit aliquando ipsius religionis; tunc enim intrarent priuilegia alle-
3 gata; † si verò aliter se res haberet, vtique saltem per huiusmodi resignationem Contucius amisit possessionem, cum semper ratam habuerit cessionẽ, *Bisignet. decis. 1. et 3. de renunciat.* Et ideo non est verum, quòd Coutucius tempore obitus sui possideret: Sed & secundo non verificatur, quòd Abbas Camaldulensis dictam parochialem citra tamen annum possederit, cum ex supradictis actibus appareat longissima possessio Abbatum per annos viginti continuatos, adeo quòd conuincitur hæc narratiua falsitatis: Neque releuat allegatio confidentiæ, quia non tollit narratorum falsitatem in hac parte, & difficilius Papa concessisset beneficium, si habuisset notitiam tam longeuæ possessionis, & hæc quę dicta sunt, prosũt etiam Iacouello respectu Costici; respectu verò Congregationis res est alterius indaginis, pendet enim à veritate, & validitate vnionis.

Placentina, seu Bobien Bonorum.
Die Mercurij 2. Decembris 1587.

SVMMARIVM.

1 *Volens impedire iudicium inter alios pendens super spolio debet docere de iure sua possessionis claro & liquido; maximè si adsit aliqua suspicio collusionis propter connexitatem iuris impedire volentis, cum iure spoliati.*
2 *Iudicium inter alios pendẽs super spolio impediri non potest ab eo, qui in ijsdem bonis mediante cautione super sua ciuili possessione indemnis conseruatur.*
3 *Per cautionem datam super re controuersa ius tertij conseruatur.*
4 *Clericus opponens se exequutioni, quam contra se possidentem & non vocatum vult facere iudex laicus, potest declinare forum allegando incompetentiam; secus est si exequutio contra se non fiat, sed contra tertium.*
5 *Ad probandum identitatem bonorum non sufficit generalis enunciatio confinium.*
6 *Ex inuestitura, quæ non fuit sortita effectum, non probatur possessio Ecclesiæ contra tertium, etiam si obtenta fuerit super ea confirmatio Apostolica.*

DECISIO DCCCIIII.

PRoposui iterum causam super eisdem, an constet de sufficienti possessione Reuerend. Domini Episcopi Bobiensis, iraut

ei non incumbat onus probandi dominium bonorum, de quibus agitur, sed potius Dominis de Maluicinis: Et fuit pro maiori parte resolutum standum esse in decisis,*

* sub die veneris 19. Iun. proximè præteriti.

1 † non probari sufficiēter possessionem Domini Episcopi ad effectum, vt possit impedire iudicium spolij, quod pendet in partibus coram Iudicibus laicis, nam ad hunc effectum tenetur docere de iure claro & liquido, *vt pluries fuit resolutum in similibus causis, maximè in causa Nullius Castrorum coram Illustrissimo Lancellotto*,* præcipuè vbi adest aliqua suspicio collusionis propter connexitatem iuris Episcopi cum iure spoliatorum, *per ea quæ aliàs deducta fuerunt ex Gabr. concl. 1. num. 47. de restitut. spol.* Neque iudicium illud potest, quomodocunque cadat, præiudicare iuri Domini Episcopi, nam si in eu obtinebunt Domini Vermienses, Episcopus habebit id, quod prætendit; si verò secundum Maluicinos iudicatum fuerit, non ideo spoliabitur sua ciuili possessione, quia iudicium illud pendet super possessione naturali, quæ sola est penes Dominos Vermienses, non autem

* de anno 1558.

2 super ciuili, † & hoc potissimum sine difficultate procedit data cautione *iuxta tex. in l. is à quo. de rei vend.* qui non adducitur vti decidens hunc casum, sed tantum in argumentum; nam quemadmodum ibi per cautionem conseruatur reus indemnis, vbi agitur de auocanda re controuersa ab ipso,

3 eodem pacto & multomagis † admittenda est cautio, propter quam ius Episcopi conseruatur, cum non tractetur de auocanda ab eo ea possessione, quam prætendit Episcopus, & ita huiusmodi cautio potius ad cautellam quàm de necessitate præstetur; cum hactenus Dominus Episcopus de iure suo clarè non docuerit; & ideo frustra allegatur hic limitatio *ex Felin. in c. cum super. num. 11. limit. 3. de re iud.* Neque obstat

4 quòd † persona Ecclesiastica opponens se exequutioni, quam contra eam possidentē & non vocatam in illo iudicio vult facere iudex laicus, possit declinare forum iudicis laici allegando incompetētiam *iuxta cons. Purpurat.* 26. nam & si feratur sententia in partibus; tamen non potest fieri aliqua exequutio in spolio contra Dominum Episcopum: Neque applicatur id, quod supponit *Purpurat.* nempe clericum esse in possessione, cum de huiusmodi possessione non liqueat: Quòd autem de possessione Episcopi non constet, patet; nam eā quam deducere conantur informantes ex inuestituris antiquis factis illis de Lazarello, non probatur ex dictis inuestituris, cum nō fiat mentio Roncalearum, de quibus agitur, & fines non sint ita expressi, vt de necessitate Roncaleas contineant, *& in hac materia vulgatum est consilium primum Bruni, & aliorum quos informantes allegant.* * Præterea offuscatur hæc probatio ex pluribus instrumentis incipientibus ab anno 1329. vsque ad annum 1384. in quibus Domini de Nebiano antecessores Maluicinorū emerunt à pluribus & diuersis personis plures petias terrarum in dicto loco Rōcalearum tanquam liberas & allodiales, nulliq. oneri subiectas, & vt tales illas possederunt vsque ad tēpora prioris spolij commissi per Vermienses: Neque tollitur hæc probatio per allegatam ex aduerso trāsactionem factam de anno 1384. inter Paulum Pauerum & Sibyllinam de Lazarello eius vxorem ex vna & Comitem Iacobum del Verme ex alia super villis & locis de Lazarello, Costalba, & Casella, cum eorum iuribus & pertinentijs, de quibus Episcopus Bobiensis fecerat inuestituram Domino Com. Iacobo: Quoniam præterquam quòd apparet ex nominum diuersitate ista bona esse diuersa à bonis sitis in Roncaleis, animaduertendum est, Sybillinam in hac transactione nominatam diuersam esse ab illa, quæ acquisiuit terras Roncalearum in instrumentis supradeductis; Hæc enim, quæ transegit, dicitur filia & hæres quondā Labi de Lazarellis, & vxor Pauli Paueri; illa verò Sybillina, quę acquisiuit Roncaleas enunciatur filia Ioannis Maluicini, & vxor Petri Marecalli, vt in duobus instrumentis anni 1381. apparet; adeo quòd ista transactio non facit ad rem, quod etiam confirmatur ex eo, quòd ista bona Roncalearum fuerunt possessa per Maluicinos vsque ad annum 1443. quo tēpore fuerunt spoliati à Com. Aloysio Vermiensi; & illa, de quibus in transactione, fuerunt diuisa vsque de anno 1384. adeo vt non possint esse eadem bona, de quibus agitur: Sed neque possessio Episcopi potest fundari in alijs inuestituris postea factis Comitibus del Verme, quia neque etiam in ijs fit mentio Roncalearum, prout si in eis cōprehensæ fuissent, verisimiliter facta fuisset, cum sit territorium satis amplum & insigne, neque attendendi sunt fines appositi in illis inuestituris; tum quia non concludunt de necessitate, & discrepant à finibus enarratis in prioribus inuestituris, & quod plus est, ista ampliatio finium facta est post primum spolium, & tandem, vt supra dictum

5 est, † non sufficit generalis enunciatio, *per allegatum consil. Bruni primum cum alijs*: Si verò Episcopus prætēdit probare possessionem ex inuestitura facta Comiti Liguino de anno 1502. in qua fit mentio Roncalearum, hæc prætensio facillimè confutatur; quia non habuit effectum: nam in ea dicitur expresſè, quod Episcopus non possidebat dictas terras, & Comes promittit eas suis expēsis recuperare, & earum possessio erat penes Bernardinum de Curte, vt apparet ex laudo lato de anno 1500. cōtra dictū Bernardinum pro Maluicinis, & ex sententia lata

* Natt. conf. 514. num. 29. & conf. 510. num. 3. Rola ad. consil. 81. num. 10. & 14. lib. 2. Tib. Decian. cons. 13. nu. 88. vol. 3.

lata de anno 1506. per Officiales intratarũ Cameræ Ducalis, in qua declaratur Maluicinos esse legitimos possessores Roncalearum, & eos manutenendos esse, quæ habuit effectum, vt apparet ex instrumentis locationum postea factarũ de anno 1507. 1508. & 1509. Et ista tollunt obiectum, quod fit ex aduerso de alia sententia lata per eosdẽ iudices de anno 1505. ad fauorem Episcopi, quia ab ea fuit recessum, & merito, cum fuisset lata non citatis Maluicinis. Qua-
6 re † cum inuestitura Ligulni appareat sine effectu confirmationes Apostolicæ obtentę nihil omnino releuant; maxime cũ sint omnes in forma cõmuni, & hęc maximè procedunt, cum de sui natura huiusmodi inuestituræ non probent possessionem contra tertium *l. prædia. & ibi Bart. & aly de acquir. possess. c. inter dilectos. in fin. de fid. instr. l. ad probationem. C. locat. Gozad. cons. 94. num. 57.* Aliæ inuestituræ non apparent, & si quæ essent factæ lite pendẽte super posteriori spolio, non releuarent; ideo conclusum contra Dominum Episcopum, nisi melius & concludentius doceat Roncaleas intra fines in antiquis inuestituris de anno 1296. Lazarellis factas contineri.

Tiburtina Castri Viuarij.
Die Veneris 4. Decembris 1587.

SVMMARIVM.

1 *Promissio de non vendendo rem alteri tenet, & hæres promittentis cogi potest, licèt in promissione de hærede non sit facta mẽtio.*
2 *Pactum de vendendo rem alicui non impedit dominy translationem, si res alteri vendatur, sed solum venditor tenetur ad interesse; declara tamen non procedere, vt vsque ad num. 5.*
3 *Per iuramentum quis præcisè ad factum cogitur, secus est in hærede iurantis, qui præcisè ad factum non cogitur ex iuramento sui authoris.*
4 *Iuramentum quantum ad effectum periurij non transit in hæredem; secus est quantum ad effectum obligationis.*
6 *Pactum de vendendo rem alicui, facit quòd illa res sit alteri prohibita alienari, & impedit dominij translationem in alium, vbi stipulator sibi reseruat ius in re alienari prohibita.*
7 *Pactum de vendendo rem alicui, cuius quis habet facultatem eam tradendi, obligat præcisè ad factum, & talis promissio habet annexam obligationem dandi, & impedit alienationem & dominij translationem in alium.*
8 *Alienatio facta saluo beneplacito Sanctissimi, donec obtentum sit beneplacitum, non tenet, & interim impeditur dominij translatio.*
9 *Pactum de vendendo rem alicui pro pretio æstimando, dicitur conditionale, sed huiusmodi conditio non facit, quòd promittens possit pœnitere.*
10 *Emptio etiam conditionalis pro perfecta habetur.*
11 *Pactum de non vendendo rem alteri, quàm tali, non imponit necessitatem vendendi illi, cui fit promissio, sed tantum dicitur per illud sublata facultas vendendi alteri, si declarauerit se velle rem vendere.*

DECISIO DCCCV.

FVit dubitatum stante concordia inita inter Illust. D. Io. Petrum del Drago, & quondam D. Petrum Antonium de Brancaleonibus, An Illust. D. Ioannes Antonius hæres cum beneficio legis & inuentarij Petri Antonij teneatur facere instrumentum venditionis Castri Viuarij pro pretio æstimando dicto Domino Ioanni Petro, cui in dicta concordia Petrus Antonius promiserat Castrum alteri non vendere nisi ipsi pro pretio æstimando, & tamen Dominus Ioãnes Antonius post obitum prædicti Petri Antonij tentauit illud alteri vendere contra expressum pactum in concordia appositum, & fuit concorditer resolutum

Ab hac resolutione recessum fuit sub die 4 Nouẽbris 1588.

1 † D. Io. Antonium teneri, hæc enim promissio de iure valida est, *Bart. in l. si eum. §. qui iniuriarum. in fin. si quis caution. & in l. actione. num. 1. C. de transact. Doctor. in l. qui Romæ. §. cohæredes. vbi Ang. Alex. Imol. Ias. & cæteri de verb. obligat. Brun. in cons. 67. num. 3.* & hæc promissio obligat etiam hæredes, licèt de eis non sit facta mentio, *l. 2. & ibi glos. in verb. hæredes. quam Doctores sequuntur. C. de pact. inter empt. & vid. Tiraq. de retract. cõuen. §. 1. glos. 6. in princ.* Non obstat, quod ex aduerso
2 dicitur, † hoc pactum non impedire dominij translationem, si alteri res vendatur, & solum teneri venditorem ad interesse, *l. de lege. de cond. ob caus. Ang. cons. 184. circa fin. Dec. cons. 502. num. 8. & 503. num. 2. Rip. in l. filiusfam. §. Diui. num. 84. de leg. 1. cum simil.* quia multifariam respondetur; Et primo hoc non procedere stante
3 iuramento, † quia tunc quis præcisè cogitur, *vt per Brun. d. cons. 67. num. 6.* & quamuis dicatur hoc non procedere in hærede iurantis, qui non tenetur ex iuramento authoris sui præcisè ad factum, *vt ex Bald. & Corn. refert Gabr. de iureiur. concl. 8. num 3.* tamen respondetur secundum
4 aliquos ex Dominis, quòd † licèt iuramẽtum, quantum ad effectum periurij non trãseat in hæredem, tamen quantum ad effectum obligationis transit, *vt per Castren. cons. 13. num. 3. lib. 2. Aretin. in l. qui superstitit. num. 5. de acquir. poss. Dec. cons. 639. num. 6. Ruin. cons. 195. num. 8. lib. 1.*
5 Secundo respondetur, † hoc quod dicitur, non impedire translationem dominij, non

procedere, vbi adest hypothea, *per tex. in*
l. si creditor. in fin. de distract. pign. Bart. in
l. si ita quis. §. ea lege. de verb. oblig. num.
3. Rip. in §. Diui. l. filiusfam. num. 87. &
ibi Crot. num. 100. Tiraq. de retract. con-
uent. §. 3. glos. vnic. num. 5. Socin. iun. cōs.
129. num. 3. lib. 2. & hoc casu sufficere ge-
neralem hypothecam, *tenent plures Docto-*
res, quos refert. Roland. cons. 6. num. 14.
lib. 1. & cons. 62. num. 34. lib. 2. & latè de-
ducunt informantes: sed quia hunc articu-
lum Rota aliàs reliquit indecisum *coram*
me in Portuen. Bonorum 24. Octobris 1580.
6 Ideo & Tertio respondetur † impediri trās-
latinnem dominij, vbi stipulator sibi reser-
uat ius in illa re, quæ est prohibita alienari
alteri, *vt per tex. in d. l. si creditor. §. fin.*
tradit Imol. in d. §. cohæredes. in fin. & Ias.
num. 2. quod quidem bene videtur applica-
ri casui nostro, cnm D. Io. Petrus cōsequu-
tus fuisset dominium huius Castri irreuo-
cabiliter ob lapsum temporis dati ad redi-
mendum; & ideo deuenit ad concordiam
snb ista forma & non aliàs. Quarto respon-
7 detur, † vt non procedat obiectum, quando
quis habet facultatem rei tradendæ, quo
casu præcisè tenetur tam ex statuto Vrbis
lib. 1. cap. 164. quàm etiam de iure, quia
promissio habet annexam obligationem
dandi, *vt latè deduci potest ex Doctoribus al-*
legatis per Menoch. cons. 92. num. 61. &
Bursat. cons. 100. num. 36. & ista responsio
placuit Dominis ex eo, quòd concurrit im-
8 pedimentum translationis dominij, † cum
facta fuerit alienatio saluo beneplacito Sā-
ctissimi, quod non fuit hactenus obtentum;
neque alias tenet alienatio Castri, nec quic-
quam operatur constitutum; Ideoq. cum
facultate rei tradendæ concurrit, quòd res
adhuc est integra, ideo præcisè cogi potest
D. Ioannes Petrus ad venditionem Castri
eiusq. traditionem. Neque obstat, quòd
9 † pactum huiusmodi de vendendo pro pre-
tio æstimando sit conditionale, *ex l. fin. C. de*
contrah. empt. nam quantum ad effectum,
10 ne quis possit pœnitere, † emptio etiam
conditionalis pro perfecta habetnr, *Salicet.*
in l. 1. de peric. & comm. rei vend Gabr. in
cons. 64. num. 6. Non etiam obstat, quòd
D. Ioannes Antonius sit hæres cū beneficio
legis & inuentarij, qnòdq. alienatio facta
est pro soluendo ære alieno defuncti, itaue
habeat locum *l. fin. §. & si præfatam. C. de*
iur. deliber. quia vt dictum est, res est ad-
huc integra, neque solutum fuit aliquod æs
11 alienum. Non obstat, quòd † ex pacto non
videatur imposita necessitas vendendi Do-
mino Io. Petro, sed tantum sublata facul-
tas vendendi alteri *per Doctr. Bart. in l. a-*
ctione. num. 1. C. de transact. l. si tibi. §. fin.
de manumiss. testam. quia hoc procedit Ioā-
ne Antonio vendere nemini volente; sed si
declarauerit se velle vēdere; vt in casu isto,
intrat pactum, & tenetur, vt in specie huius
pacti *tradunt Doctor. in l. qui Romæ. §. co-*
hæredes. vbi Ang. num. 2. Alex. num. 9.
Imol. num. 17. de verb. oblig. Quod verò
obijcitur de prætensa diuisione & pacto seu
fideicommisso, Domini reseruarunt parti-
culariter videndum.

Parmen. Bonorum.
Die Mercurij 13. Iannarij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Statutum excludens mulierem se nubentem*
extra territorium à successionibus sibi de-
latis & deferendis, non habet locum in
successione materna, cum sit materia o-
diosa & exorbitans.
Idem est, si à parentibus, & non sua sponte
extra territorium fuerit nupta, vt n. 4.
2 *Negatiua propter vim verborum, potentius*
negat, quàm affirmatiua affirmet.
3 *Respublicæ interest habere subditos locu-*
pletes.
5 *Præcedentia magis influunt in sequentia*
quam è contra.
6 *Copula & aliquando non diuersificat ca-*
sus, sed tantum coniungit.

DECISIO DCCCVI.

FVit dubitatum, an statutum Parmense
quod excludit mulierem se nubentem
extra iurisdictionem communis Parmæ à
successionibus sibi delatis & deferēdis pro-
cedat in successione materna, & in ea, quæ
non sua sponte nupsit extra Iurisdictionem,
sed à parentibus fuit nuptui tradita, & quā-
tum ad primum caput, Domini erant va-
1 rij; † nam aliquibns placebat in hac mate-
ria odiosa & exorbitanti, vt non compre-
henderetur successio materna, & allega-
bant *Plottum in cons. 19. num. 77. Calcan.*
cons. 3. num. 76. Bursat. cons. 8. num. 33.
& cons. 36. num. 11. lib. 1. Cephal. cons. 13.
Socin. iun. cons. 18. num. 35. lib. 3. Rimin.
iun. cons. 15. num. 3. Alij verò amplecte-
bantnr contrariam sentētiam propter vni-
uersalitatem verborum, ibi nulla mulier, &
2 † propter vim negatiuæ, quæ potentius ne-
gat, quàm affirmatiua affirmet, & allega-
bant *Bald. in cons. 358. num. 4. lib. 1. Ruin.*
cons. 47. num. 3. & 4. lib. 3. Socin. iun.
cons. 62. num. 11. lib. 3. Brun. de statut.
exclud. mul. artic. 6. q. 24. num. 298. Ri-
min. iun. d. cons. 15. num. 53. tenentem
hanc opinionem, vbi verba sunt vniuersalia,
Iacob. de Nigr. in l. 1. num. 9. si cert. pet.
Alciat. cons. 52. maximè cum videatur v-
troque casu militare eadem ratio statuti,
3 ne bona deueniant in alienigenas, † inte- * Resolutio in hoc capite capta fuit sub die Lunæ 5. Decembris 1588.
rest enim Reipublicę habere subditos locu-
pletes, *Ias. in l. filiusfam. §. Diui. n. 222. de*
legat. 1. Quare non potuit in hoc capite
capi resolutio. * Quantum verò ad secun-
dum

4 dum caput, Domini censuerũt, † Statutum
locum non habere in ea, quæ nuptui collo-
cata est à parentibus extra territorium, põ-
derando illa verba, nulla mulier se nubat, &
considerarunt magnam differentiam inter
eam, quæ sponte nupsit extra territorium,
& eam, quæ collocata est in matrimonium
à patre, nam plerumque puellæ tum ob ęta-
tis infirmitatem, tum sexus imbecillitatem
ignorant, quid agant parentes: vnde non
est æquum eis huiusmodi præiudicium in-
ferre, cum ob paternam reuerentiam facilè
inducantur in hanc fraudem, quod etiam
consideratum est à Iure consulto *in l. libero-
rum. §. excusatur. de his qui not. infam.* vbi
excusatur is, qui patris iussu duxit eam, quę
adhuc constituta erat intra annum luctus,
& huius sententiæ author fuit *Bald. in cons.
357. lib. 1. Calcan. cons. 3. cui in sequenti
consilio subscripsit Iacob. de Put. Rimin. sen.
cons. 427. num. 24. Alciat. cons. 53. num. 3.
licèt sit sibi contrarius in cons. 56. & bene
per Eximium Doctorem Antonium Galea-
tium Maluasiam in cons. 123.* Non obstant
sequentia verba Statuti ibi, & si nupta fue-
rit, quia debent regulari à præcedenti pro-
5 hibitione, † magis enim præcedentia in-
fluunt in sequentia quàm è contra, *glos. in l.
6 quoties. C. famil. Ercisc.* † neque copula, &,
diuersificat casus, sed coniungit pœnã con-
trauentionis cum dispositione prohibitio-
nis, alias esset dicendum, si diuersos casus
poneret, quòd primus casus remaneret si-
ne aliqua pœna, quod non fuit intentionis
statuentium, & ita tollitur *consil. Ruin. 49.
in fin. lib. 3.* præterquam quòd etiam dici-
tur in Rota, causam illam pro Helena ter-
minatam *contra cons. Ruin.* Et ita fuit per
Dominos conclusum; maximè ad effectum,
de quo agitur, cum petatur restitutio ex
capite notoriæ iniustitiæ sententiarum in
Rota latarum.

Romana Domus.
Die Veneris 15. Ianuarij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Inuentarium probat primum extremum possessionis iuncto instrumento locationis facta, cum alijs hic deductis.*

2 *Remedium can. redintegranda. 3. q. 1. non datur non probanti lineam esse finitam.*

DECISIO DCCCVII.

PRoposui dubium propositum sub die 16. Martij, anni proximè præteriti, mercurij 6. præsentis mensis; & quoniam pro parte Claricis & Olimpiæ non fuit informatũ, nec in facto nec in iure, & Rector non dedit copiam suorum iurium, prout die 16. fuit dilata resolutio ad præsentem Rotam, in qua Rector detulit copiam suorum iurium, & ego attuli registrum; & Domini
1 dixerunt iura producta per Rectorem, † in-
uentarium videlicet, & instrumentum loca-
tionis factæ Nicolæ Gabino afficere Olim-
piam & Claricem ad effectum probationis
primi extremi Ecclesiæ, quoniam in vtro-
que enunciatur possessio Ecclesiæ, & coad-
iuuatur ex processu si in euidentem facto
super dicta locatione Nicolao Gabino, &
solutione canonis facta per Nicolaum in
ipso instrumento locationis; sed cum iam
2 fuerit resolutum, † Rectori non compete-
re remedium *can. redintegranda. 3. quæst. 1.*
cum non probet lineam Nicolai Gabini fi-
nitam, *vt in resolutione facta 25. Iunij
1574.* & hoc probãdum sibi esse, *fuit dictum
coram bo. me. D. Oradino 1. Februarij 1574.*
cum etiam non probet Dominos de Sancta
cruce habuisse causam à Nicolao Gabino,
vt in resolutione facta 26. Nouembris 1574.
videndum est, an hæc probatio releuet ad
effectum remedij. *l. fin. C. de acquir. possess.
quod sibi competere decisum fuit 25. Octob.*
1574. & super hoc capite mandarunt pro-
poni causam in sequenti, super quo iam
scripserunt informãtes pro Ecclesia, & vel-
lent Domini, quòd etiam pro parte Clari-
cis, & Olimpiæ informaretur.

Romana Vineæ.
Die Veneris 29. Ianuarij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Bannitus habetur pro mortuo, & nulla potest ei competere actio, nec habentibus ius ab eo.*

2 *Portio vocati ad inuestituram consolidata cum proprietate non potest subbastari, & deliberari per cessionarium iurium illius, qui rem alteri cessit, ad cuius vitam concessa fuerat, stante pacto quòd res non possit, vendi, cedi, pignorari, locari, vel quomodolibet alienari, non requisito prius domino directo si velit præferri.*

3 *Idem est etiam si alienatio, vel cessio fieret ex causa necessaria, prout est per viam subbastationis.*

4 *Ex subbastatione nulla nullũ ius quæritur.*

DECISIO DCCCVIII.

FVit dubitatum an Domino Cæsari vel habentibus causam ab eo competat actio ad recuperationem vineæ, de qua agitur, contra Dominos de Gymnasijs possessores habentes ius à Domina Helena, quæ Vineam prius Domino Alexandro, & eius filijs ad eorum vitam concesserat, & dubitationem faciebat, quòd cum Domina Helena dictam vineam concessisset ad eorum vitam, & adhuc superesset in humanis Cęsar Palanterius licèt bannitus, non videbatur potuisse viuo Cæsare vineam occupare, & alij vendere, prout fecit; & ideo competere actionem ad eam recuperãdam

Cæ-

Cæsari, vel habentibus causam ab eo, nempe Domino Sauarello, siue eius hæredibus, vel Domino Nũmæ eorum cessionario, qui consequuti fuerant vineam ex subhastatione facta ad instantiam D. Piscinæ fideinssoris de repræsentando Cæsarem Curiæ sub pœna quingentorum, pro quibus quingentis ab eo solutis recuperandis deuentum fuerat ad subhastationem Vineæ, & deliberata dicto Sauarello: Tamen Domini concordes fuerunt, ✝ nullam Cæsari, neque habentibus* causam ab eo cõpetere actionem contra Dominos de Gymnasijs; non enim Cæsari dari potest actio, cum sit bannitus, & eius bona confiscata; Ideo habetur pro mortuo, *Tiraquell. de retract. lign. §. 1. glos. 9. num. 27. cum alyj*,ᵃ & denegatur ei audiẽtia, tum ex iuris communis dispositione, *Bald. in l. fin. §. necessitatem. num. 4. C. de bon. quæ lib. cum similibus*; tum ex dispositione Statutorum Vrbis. *c. 16. & 17. lib. 2.* Quantum verò ad dictos Sauarellos & Nummam prętendentes se ab eo causam habere, idem dicendum est; Primo, quia tam Numma quàm hæredes Sauarelli ex eorum confessione repelli possunt, cum fassi fuerint alter iudicialiter, alij verò in cessione facta ad fauorem Nummæ, se nullum ius in dicta vinea habere, *l. 1. C. de confess.* Sauarellus autem succubuit in Curia Capitolina, & contra eum adest res iudicata, quæ pro veritate habetur. Secundo, quia prætensum ius ipsorum pendet à subhastatione, & deliberatione vineæ facta Sauarello, quæ fuit nulla, tum quia ✝ portio Horarij vnius ex vocatis in concessione facta Alexandro consolidata fuerat cum proprietate; cum ipse portionem suam retrocessisset Dominæ Helenæ; & ideo subhastatio nõ poterat fieri super illa portione, quia expressè cautum fuerat in instrumẽto prædictæ concessionis, vt Domini locatarij vel emphyteutæ non possent dictam vineam alicui vendere, cedere, nec concedere, pignorare, locare, vel aliàs quomodolibet alienare vltra vitam eorum, sed si durantibus vitis eorum vellent alicui vel aliquibus vendere, tenerentur prius requirere Dominam Helenam, seu suos hęredes, & successores, si voluerint eam habere pro eisdem pretio & conditionibus, & post huiusmodi requisitionem, & intimationem post decem dies, eis non acceptantibus alteri concedere possent, quo pacto stante, subhastatio & deliberatio nulliter factæ fuerunt, *vt in proprijs terminis extat consil. Bald. 306. lib. 1.* qui multis & optimis rationibus ita concludit, ✝ etiam quòd alienario fiat ex causa necessaria, & per viam subhastationis. Quare hic apparet ✝ nullum ius, ex subhastatione nulla fuisse quæsitum istis Dominis Sauarellis & Nummæ: Et ex hoc solo fundamento tollũtur omnia ex aduerso allegata; Et ideo conclusum Dominos Gymnasios esse tam in possessorio quã in petitorio ab impetitis absoluendos.

*successor enim non debet esse melioris conditionis suo authore. l. qui in ius, & ibi Dec. Cagnol. & Mainer. de reg. iur. Bald. in l. 1. C. de ser. permut. Doctor. in l. si tibi. §. pactum ff. de pact. & in l. in hoc. §. si conueniat. ff. commun. diuid.

ᵃAlex. 1.ᵗᵉʳ in cõs. 23. nu. 9. lib. 2. Ruin. cons. 26. n. 5. lib. 5.

Romana Casalis.
Die Mercurij 16. Martij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Pœna conuentionalis iuxta dispositionem Statuti Vrbis peti non potest, nisi iuratum fuerit tanti sua interesse, præuia iudicis taxatione; sed tantum pro modo damni habiti peti potest, & num. 7.*

2 *In dubio contrahentium voluntas non præsumitur à verbis aliena.*

3 *Talis præsumitur contractus in sui essentia, qualis apparet in sui figura.*

4 *Pactum in locatione appositum, quòd in casum contrauentionis tot soluantur, dicitur affictus pœnalis ob contrauentionẽ, etiam si non fuerit facta mentio pœnæ secundum communem opin. & hoc maximè procedit in eo pacto, in quo contrauentio etiam in minimo operari potest effectum incursionis pœnæ.*

5 *Vbi contrauentio etiam in minimo per pactum operatur effectum incursus pœnæ, arguitur potius pœna, quã pari affictus, quia non correspondet fructibus.*

6 *Pactũ pœnale appositum in contractu sub nomine, seu sub verbo contractus, præsumitur sub tali nomine appositum in fraudem statuti.*

DECISIO DCCCIX.

ILlust. Dominus Fabricius de Maximis locauerat Domino Ioanni Baptistę Casnedio quoddam suum Casale pro certa pensione conuenta sub quibusdam pactis, & inter alia fuit ita conuentum: (Che il detto condurtore non possa dare à lauorare detto Casale, ne alcuna parte di esso à Castellani, Patroncelli, ne ad altre persone, ma sia solo per vso suo, & de suoi compagni, purche faccino l'arte di campo insieme in compagnia, & contrauenendo debbia pagare cento scudi più l'anno d'affitto, cioè per quelli anni che contrauerrà) Dominus Io. Baptista insuper habita dicta conuentione locauit quædam rubra dicti Casalis patroncellis, quare conuentus fuit à Domino Fabricio ad solutionem scutorum cẽtum annuorum vltra pensionem conuentam iuxta formam pacti: Excipiebat Dominus Ioannes Baptista hanc esse pœnam cõuentionalem,
1 ✝ quæ iuxta dispositionem Statuti Roman. cap. 165. lib. 1. in nou. non potest peti, nisi iuratum fuerit tanti sua interesse, præuia tamen iudicis taxatione: Hinc orta est quæstio, An teneretur D. Io. Baptista ad solutionem prędictorũ centum, quæ res pẽdere visa est ex eo, an essemus in puris terminis pensionis siuę affictus, vel potius in pœna;

pœna; & esse affictum non pœnam suadere
videbantur verba illa, (cento scudi più l'an
2 no d'affitto) nam † in dubio contrahentiũ
voluntas non præsumitur à verbis aliena,
l. Labeo. §. idem Tubero. de suppell. legat. ç.
3 *vlt. de verb. signif.* & † talis præsumitur cõ-
tractus in sui essentia, qualis apparet in sui
figura, *Bald. in l. rogasti. §. si tibi. si cert.*
pet. & in rubr. C. de iur. emphyt. Dec. con-
sil. 193. *num.* 5. *Aym. cons.* 19. *num.* 6. &
pactum huiusmodi videtur pars prétij, *l. fun*
di partem. de contrahen. empt. non autem
pœna, *glos. in §. fin. in verb. aliquid faciat.*
Instit. de legat. Crott. in l. 4. *§. Cato. nu.* 7.
de verb. oblig. Sed pro contraria opinione,
quam Domini amplexi sunt, facit eadem
verborum conceptio in illis verbis, & con-
trauenendo debba pagare cento scudi più
4 l'anno d'affitto, † videtur enim esse in effe-
ctu affictus pœnalis ob contrauentionem,
etiam si non fuerit facta pœnę mentio, *Bal.*
in l. eam allegas. num. 10. *C. de vsur. Are-*
tin. in d. l. 4. *§. Cato. num.* 22. *& ibi Ias.*
num. 3. *Butigell. num.* 13. *qui testatur. de*
communi: Quod maximè procedit in casu
isto, cum contrauentio etiam in minima
parte operari possit effectum incursus pœ-
5 næ, † quæ res manifestè arguit hanc esse
potius pœnam quàm affictus partem, cum
non correspondeat fructibus, quoties in mi-
nimo tantum fuisset contrauentum, *glos. in*
Clem. 1. *in verb. aut earum. de for. compe-*
ten. Tiraquel. in l. si vnquam. in verb. om-
nia, vel partem aliquam. num. 14. *C. de*
reuoc. donationib. Neque facit quicquam
mentio affictus, quia res ipsa magis est spe-
ctanda quàm verba, *vt ait Bald. in l.* 2. *C.*
6 *commod.* & † potius videtur illud verbum
appositum in fraudem statuti, *Bald. in d. l.*
eum allegas. num. 10. *& in l.* 1. *nu.* 8. *C. de*
his quæ pœn. nomin. cum alijs supra allega-
tis. Neque obstat, quòd pro parte Illust. D.
Fabricij fuit per attestationes multorum
nobilium probatum, pactum illud, quod pos-
set Casnedus sublocare Patroncellis æsti-
mari possit ad prædictam summam scutorũ
centum & amplius; quia non fuit hoc pa-
cto conceptum pactum, sed sub forma, ex
qua poterat redundare magna pœna pro
modica offensa; Et ideo conclusum non de-
7 beri hanc affictus accessionem, † nisi pro
modo damni dati, quod si probabitur obti-
nebit Dominus Fabricius, in quantum pro-
batum fuerit.

Perusina Hæreditatis.
Die Mercurij 23. Martij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Possessio conditionaliter capta nempe sine*
præiudicio alterius, non præiudicat pos-
sessioni anteriori.
2 *Testamentum cum minus sufficienti nu-*
mero testium non est solemne, & licèt
sit factum inter liberos, non tenet, nisi
respectu liberorum; secus est respectu sub-
3 *stitutionis ad fauorem extranei, quia*
non gaudet eodem priuilegio; & hoc
procedit indistinctè, tam si adsit vnicus
tantum filius, quàm si plures, & n. 3.
4 *Manutentio non impeditur possidenti, quã-*
do exceptio petitorij, vel plenarij possesso-
rij non est liquida.

DECISIO DCCCX.

FVit resolutum esse dandum mandatum
de manutenendo Illustrissimæ Dominę
Iuniperæ, cum ipsa cœperit possessionem
bonorum statim post obitum Illust. Domi-
1 ni Astorgij, † & sic est sua possessio anterior
possessione capta pro parte Illust. Dominæ
Margaritæ, quæ etiam est conditionalis,
nempe sine præiudicio alterius, *Put. decis.*
32. *Decima Octob. lib.* 2. Neque obstant te-
stamenta ex aduerso exhibita; nam quan-
2 tum ad primum, † illud non est solemne &
cum sufficienti numero testium, quo casu
non habet locum dispositio *l. fin. C. de edict.*
Diu. Adr. tollen. & ibi habetur in versic. &
depositionibus testium legitimi numeri. & ibi
Cyn. ad fin. num. 6. *Alberic. num.* 11. *Bal.*
num. 19. *Salicet. num.* 12. *Castren. num.* 5.
cum alijs per informantes allegatis. * Ne-
3 que obstat, quod deducitur, † huiusmodi
testamentum tanquam inter liberos susti-
neri, quia respectu substitutionis ad fauorẽ
extranei non gaudet eodẽ priuilegio, *Bart.*
in l. 2. *num.* 18. *de vulgar. communem di-*
cit Ias. ibid. num. 24. *& Ruin. num.* 30. *&*
quamuis Socin. ibid. num. 17. limitet hoc
locum non habere, quando nõ versatur præ-
iudicium aliorum filiorum, puta quia vni-
cus tantum extet filius; tamen hæc opinio
non caret difficultate, cum Doctores velint
opinionem Bartoli; indistinctè procedere,
vt per Ruin. vbi supra, & Natt. in l. hac
consultissima. §. ex imperfecto. n. 132. *C. de*
testam. Quantum verò ad testamentũ con-
ditum Venetijs excipitur pro parte Domi-
næ Iuniperæ non fuisse obseruatas solemni-
tates à Statuto Veneto requisitas, quare
cum hęc requirant altiorem indaginem, &
4 sint prius discutienda, † interim non debet
denegari manutentio Dominæ Iuniperæ, cũ
excludatur tantum hoc remedium, quando
exceptio petitorij vel plenarij possessorij est
liquida, *vt per Modern. de retinend. poss. re-*
med. 3. *num.* 850. & hoc est summarijssi-
mum possessorium *Castr. cons.* 3. *lib.* 2. *Ca-*
uar. pract. quæst. cap. 17. *num.* 9.

* Adde Corn. cons. 72. n. 6 & 7. lib. 2. & sic habes, quod extraneo instituto in nõ solemni testamento nõ competit remediũ huius legis fin. Bal. in l. 2. versic. quid de filio instituto. ff. de petit. hæred. Zuccard. in d. l. fin. n. 149. Menoc. de adipisc. remed. 4. nu. 124.

Parmen. Bonorum.
Die Mercurij 23. Martij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Rubrica generalior nigro ampliat nigrum,*
se-

secus est, quando nigrum est certum & clarum, tunc enim non recipit interpretationem à Rubrica; maximè quando Rubrica est defectiua in aliqua parte, qua in ea non comprehenditur.

2 *Statutum tollens successionem iuris communis est odiosum.*

3 *Statutum odiosum & pœnale, & impediens libertatem matrimonij est restringendum & non ampliandum.*

4 *Eadem ratio reuerentiæ & verecūdiæ virginalis militat ergà matrem & fratres, quæ militat erga patrem.*

5 *Filia in nubendo non tenetur sequi consilium patris vel consanguineorū de iure.*

6 *Mulier quando non apparet, à quo fuerit nupta, à patre nupta præsumitur, & alleganti contrarium incumbit onus probandi, à quo fuerit nupta.*

DECISIO DCCCXI.

FVit iterum proposita causa super eadem difficultate Statuti Parmensis præsupponendo tamen, quòd patet Dominæ Lucinæ iam obijsse eo tempore, quo ipsa nupsit, & tunc extaret tantum Domina Dorothea mater, & Honorius frater Lucinæ, & pro parte Illustr. Dominorum de Valentibus deductum fuit, statutum in secunda parte loqui simpliciter de muliere nupta, non autem de ea, quæ se nupsit; & ideo coniungendo hanc particulam cum rubrica, quæ cantat de muliere extra territoriū Parmæ nupta, totum statutum esse simpliciter intelligendum de ea, quæ reperitur nupta, siue sponte nupserit, siue à suis parentibus nupta fuerit; nam † quando rubrica est generalior nigro, ampliatur nigrum, *Bart. post glos. in l. 1. C. de capitat. ciui. lib. 11. Bald. in consil. 75. lib. 3. & cons. 34. lib. 5. Dec. cons. 309. num. 5. cum pluribus alijs per informantes allegatis** & facit decis. Putei 38. lib. 3. Hæc tamen ratio non placuit, quia quando nigrum est certum & clarum, tunc non debet recipere interpretationem à rubrica, *Rip. in l. 1. num. 15. si cert. petat. Socin. in cons. 24. vers. puto tamen. lib. 4.* maximè quia rubrica est defectiua, cum non comprehendat primum caput statuti, quod ex partis etiam confessione loquitur in ea, quæ nubit se, & in qua sine difficultate procedunt allegata in alia præcedenti decisione: Et accedit etiam, quòd † statutum est odiosum, cum tollat successionem iuris communis, † & sit pœnale, & aliqua ratione saltem causatiuè impediat libertatem matrimonij, *Calean. in consil. 3. n. 21. Rimin. sen. cons. 427. num. 25. cum alijs per informantes allegatis.*ᵃ Neq; obstat, quòd in secunda parte statutum loquatur in casu diuerso; quia habet relationem ad superiora, vt indicant illa verba, & eodem modo & illa, vt supra, *vt iam fuit in alia decisione consideratum*ᵇ. Considerabatur etiā contra decisa, quòd hic præsuppositū fuit patrem non collocasse nuptui Lucinam, cū tunc iam diē suum extremum obijsset; ideo non videri militare eandem rationem, quæ in alia decisione considerata fuit propter patriam potestatem, quæ est penes patrem, non autem penes matrem; Sed neque etiam hæc ratio placuit, nam † & in matre, & in fratribus militat ratio reuerentiæ & verecundiæ virginalis, *l. 1. cum glos. C. de nupt. Calean. cons. 4. col. 2.* neque ideo redditur statutum superfluum; † nam de iure filiæ non tenentur sequi consilium patris vel consanguineorum in nubendo, *cap. 1. & ibi Abb. num. 5. de despons. impub.* Non obstat, quòd † cum Lucina reperiatur nupta, neque appareat, per quem nupta sit, videatur ei incumbere onus probandi, quòd per matrem vel fratrem nupta fuerit; Quia videbatur Dominis præsumēdum, quòd nupta fuerit à matre & fratre, *iuxta consil. Iac. de Put. inter consil. Calean. 4.* cum ferè per totam Italiam extent statuta, quòd mulieres non nubant sine consensu patris vel fratrum: Præterea videri hoc onus incumbere Dominis de Valentibus, cum hodie velint arguere iniustitiæ rem iudicatam in Rota obtentam: Tamen si super hoc vleimo velint audiri, ordinatum fuit, vt audiantur.

4
5
6

Tiburtina Castri Viuarij.
Die Lunæ 28. Martij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Vocatio Cippi domus comprehendit agnatos secundum gradus prærogatiuam, & qui tantum sunt in proximiori gradu; nisi testator visus sit verbis importantibus tractum successiuū, vel verbis futuri temporis, vt de communi opinione.*

DECISIO DCCCXII.

FVit resolutum, prætensum fideicommissū quod allegatur à Dominis de Brancaleonibus non obstare, quo minus teneantur ad faciendam venditionem iuxta conuentionē initam inter Dominos Petrum Antonium Brancaleonem, & Io. Petrum Dragum; nam † licèt vocatio Cippi domus comprehendat agnatos secundum gradus prærogatiuam, *vt per Ang. Castr. & alios in l. fin. C. de verb. sign. Corn. cons. 55. num. 5. lib. 1. cum alijs per informantes allegatis*;ᵃ Tamen hoc intelligitur secundum dispositionem textus *in l. cum ita. §. in fideicommisso. de leg. 2.* scilicet vt censeantur vocati illi tantum, qui sunt in proximiori gradu, si testator non est visus verbis importantibus tractum successiuum vel verbis futuri temporis, *vt per Cuman. in d. §. in fideicommisso. tradit Ruin. in cons. 89. num. 5. lib. 2. & dicit communem Cephal. in cons. 88. n. 34. lib.*

*Olérad. cōs. 233. Dec. cōs. 347 num. 11. Ias cons. 98. num. 2. lib. 2. de commun. Curt. iun. cons. 107. n. 8. Socin. iun. cons. 105 nu. 8. lib. 3. cum alijs de quibus per Tiber. Decian. in cons 30. nu. 8. lib. 3. Rolánd. de luca. dot. q. 9.

ᵃ Adde Alciat. cons. 33. num. 8. cum seq.

ᵇ sub die Mercurij 18. Ianuarij proximè præteriti.

ᵃ Frāc. in c. 1. col. antepen. vers. qui dicātur. & iā iam. in 6. Capr cōsil. 90 nu 4. Curt iun. cōsil 172 n 3. Paris. cōs. 35 n. 2. & seq. lib 3. & ob id nō graduatum & illa agnatione admittātur ad fideicōmissū Ias. cōs 215. col. 2. vers. sed præmissis. lib. 2. Dec cōs 299. ad fin. Paris. cōs. 85. n 14. lib 2. Socin. cōs 94. n 17. lib. 1. Rolād. cōs vlt. n. 10. li 1. Simon. de Prete. cons. 203. n. 4.

lib. 1. Socin. in l. si cognatis. num. 17. & seq. de reb. dub. Simon. de Pret. in cons. 203. n. 24. optime R. P. D. meus Mantica de coniectur. vlt. vol. lib. 8. c. 12. num. 11. Neque hic applicatur, quod deducitur *ex decis. facta in causa Bononien. de Seta, corã R.P.D. meo Pamphilio*, quia substitutio ibi fuerat concepta per verba habentia tractum per lineam masculinam in infinitum. Reliqua, quæ deducuntur ratione pactorum in diuisione appositorum, & ratione creditorum, non fuerunt habita in consideratione; quia non fuerunt producta huiusmodi instrumẽta in actis, adeo vt Aduocati Domini Ioannis Petri nõ potuerint super eis informare.

Calaguritana Tumbarum.
Die Veneris 1. Aprilis 1588.

SVMMARIVM.

1 *Tumba apposita etiam in proprijs Capellis maximè apertis propter impedimentum, & deformitatem amoueri debent, & n. 4.*
2 *Constitutiones Synodales ligant omnes existentes intra terminos diœcesis; maximè si probatum sit, quòd sint vsu recepta.*
3 *Volens niti Constitutione vel statuto qualificato, qualitatem probare debet.*
5 *In facultatiuis non cadit præscriptio.*

DECISIO DCCCXIII.

FVit resolutum Tumbas, de quibus agitur esse amouendas, & sententias latas per Ordinarium, & Metropolitanum esse confirmandas, reuocando sentẽtiam Pam-
1 pilonensis; † primo ratione impedimenti & deformitatis, vt ex planta desuper confecta ad oculum patet, *l. 1. & 2. ne quid in loc. sacr. l. Prætor ait. §. locorum sacrorum. ne quid in loc. publ.* secundo ratione Constitu-
2 tionis Synodalis, † quæ ligat omnes existentes intra terminos diœcesis *Henric. Boich. in tract. de Synod. Episcop. 3. part. artic. 2. concl. 1. num. 1.* maximè cum huiusmodi Constitutio fuerit vsu recepta, vt deponunt testes, quod etiã in dubio præsumitur, *Dec. in cons. 534. num. 9. Crescent. decis. 79. Mobedan. 89. cum similib.* Neque obstat, quòd Constitutio permittat habere Tumbas in
3 Capellis proprijs, quia † qui vult niti Cõstitutione vel statuto qualificato debet probare qualitatẽ, *Bart. in l. 1. §. ait Prætor. ne quid in loc. publ. Calder. cons. 5. de vsur. Dec. cons. 222. num. 2.* hic verò ne dum probatur qualitas, sed & fuit decisum & pronnnciatum * dominium Capellæ non pertinere ad Dominos de Alaua: Prætea-
4 rea † illud permitti posset in Capellis clausis, & intra earum septum, quia nullum ibi præstant impedimẽtum; at in casu isto Capella est aperta, & sine Septo; & Tumbæ, vt ex delineatione apparet, sunt in area ipsius Ecclesiæ, in ea parte, in qua debet patere

* sub die 16. Ian. 1584.

liber accessus vltro citro per Ecclesiam transeuntibus: Quæ res fecit, vt post Concilium passim vbique per Italiam & alias Prouincias fuerint amotæ istæ Tumbæ, & etiam illæ, quæ erant affixæ, vt perpetuò starent, propter deformitatem & impedimentum, super qua re emanauit Constitutio fel. rec. Pij Quinti sub data Kalen. Aprilis Pontificatus Anno primo. Quare multomagis abusus istarum Tumbarum amouibilium est tollendus, cum sufficiat illas apponere in Anniuersarijs & diebus mortuorum; reliquis verò diebus superfluum sit illas ibi habere, maximè in casu, de quo agitur, cum sint extra Capellam, & in area ipsius Ecclesiæ. Nec releuat prætensa probatio immemorabilis; tum quia non pro-
5 batur, tum quia sumus in facultatiuis, † in quibus non cadit præscriptio, nam potuit hoc Episcopus aliquando permittere, & postea iusta ratione ductus potuit eum pœnitere; maximè post editam Pij Quinti Cõstitutionem. Et ex his tolluntur omnia ex aduerso considerata, & res visa est Dominis carere omni prorsus difficultate.

Romana Indemnitatis.
Die Lunæ 4. Aprilis 1588.

SVMMARIVM.

1 *Exceptio solutionis contra obligationem inratam in forma Cameræ opponi potest, si tamen opponatur ante sententiam.*
2 *Exceptio solutionis dicitur peremptoria.*
3 *Exceptio compensationis etiam in exequutione sententiæ opponi potest, sed habet vim solutionis post sententiam tantum, non ante sententiam.*
4 *Sententia graduationis non parit exceptionem in alia causa habente diuersum finem.*

DECISIO DCCCXIV.

AGebat coram Auditore Cameræ Dominus Ioannes Baptista de Altouitis contra D. Alphonsum Soderinum pro releuatione & liberatione à quadam fideiussione per eum facta Dominis Serbellonibus emptoribus cuiusdam census impositi per quõdam D. Paulum Antonium super palatio, quod vocatur Mausoleum, pro cuius fideiussionis releuatione D. Alphonsus sese in ampliori forma Cameræ obligauerat; sed quia in eodem instrumento fuerant cessa per D. Paulum Antonium Domino Ioanni Baptistæ nonnulla bona Orbetelli existentia, nec non notabiles pecuniarum summæ existentes in tot montibus in Regno Franciæ, in Monte vulgariter dicto, Il Gran partito, ad effectum dicta bona vendendi, & pecunias exigendi, & de ipsis, sibi & creditoribus Domini Pauli Antonij satisfaciendi, quibus ipse pro eo fideiusserat, & de

dictis bonum & legale computum reddendi, Dominus Alphonsus excipiebat de solutione, de qua constare dicebat ex eodem instrumento, quo nitebatur actio Altouiti, & petebat, vt exhiberet calculum, & redderet computum: Replicabat Altouitus hanc exceptionem solutionis opponi non posse ex eo, quòd in causa discussionis hæreditatis Pauli Antonij in Rota agitata, lata fuerat sententia contra Alphonsum, in qua octauo loco graduationis fuerant descripti Domini Serbelloni pro prædicto cẽsu; Nec non ipse Altouitus vti fideiussor & cessionarius, eaq. transitum fecerat in iudicatum; Ideo fuit dubitatum in Rota de cõsensu partium, An Dominus Alphõsus posset opponere de solutione prædicta; Et fuit vnanimi Dominorum sententia resolutum,
1 † hanc exceptionem opponi posse etiam contra obligationem iuratam in forma Cameræ, *Cassad. de mutu. petiti: decis. 1. num. 2. & de rescript. decis. 10. num. 6.* & hoc prorsus caret difficultate: sed dubium est, quando præcedit sententia, quæ transiuit in iudicatum, & in hac re sunt variæ opiniones, super qua re cõsulẽdus est *Specul. tit. de exequut. senten. §. postremo. num. 7. vers. vel dic, Cyn. in l. 1, num. 4. C. de condit. indeb. Castr. in l. 1. num. 5. vers. ex prædictis. & ibi Salicet. in 10. opposs. de iur. & fact.*
2 *ignor.* † Cum enim hæc exceptio sit peremptoria, debet opponi ante sententiam, *l. peremptorias. C. senten. rescind. non poss. Bart. in d. l. 1. num. 6. Bald. num. 5.* & maximè quia redarguit sententiam de iniquitate, quo casu talis exceptio non admittitur, *vt ibidem tradunt omnes, & Alex. consil. 123. num. 7. lib. 2. & ideo Specul. & Cyn. supra allegati tradunt varias distinctiones, licèt Bero. indistinctè voluerit opponi posse etiam post rem iudicatam in cons. 189. num. 12. lib. 3.* sed nihil allegat. Neque facit, quòd
3 † exceptio compensationis opponi possit etiam in exequutione sententiæ *l. 1. C. de compens. Felin. latè in c. suborta. num. 8. de re iudic.* quia tunc compensatio habet vim solutionis post sententiam non ante sententiam, qui est casus, de quo agitur; & ideo neque redarguitur sententia iniquitatis, neque verè potest dici exceptio, sed potius solutio iudicati, *vt ex sententia Bald. & Salicet. tradit ibidem Felin.* Tamen iste rigor vix obtineret in Rota, detecta enim iniustitia sentẽtiæ per reum, qui docet de solutione, suprema tribunalia nunquam tales sententias exequuntur, *vt tradit Guid. pap. decis. 215. num. 8. & decis. 368. quem sequuta est Rota coram me in vna Auximana Dotis 14. Martij 1575.* sed tota ista materia visa est Dominis extra propositum casum, cum hic nulla adsit super hoc controuersia, neque sententia, neque res iudicata: nunquã enim super hac prætensione inter par-
4 tes actum fuit, & † sententia illa graduationis non parit exceptionem in hac causa, cum tendat ad diuersum finem, & in illo iudicio conueniebatur Alphonsus vti hæres Pauli Antonii; hic verò cum eo agitur vti principaliter obligato ex sua promissione: Præterea etiam quòd extinctum fuisset debitum illud respectu Serbellonorũ, tamen poterunt graduari propter cessiones actionum & interesse fideiussorum, qui ingredientur locum illum, ex quo arguitur diuersum esse effectum illius sententiæ, ita ut non possit præiudicare in hoc iudicio, in quo non deducitur idem ius contra Alphõsum, *Alex. post Imol. in l. sæpe. num. 6. de re iudic. Bald. in l. 2. in princ. C. de fid. instrum. Paris. in cons. 28. num. 18. lib. 1. Gozad. cons. 103. num. 12. Put. decis. 375. lib. 1.* quod ex eo liquet, quòd in illo iudicio nunquam fuit productum instrumentũ, cuius vigore nunc agitur: Ea verò, quæ contra solutionem deducuntur, sunt extra dubium; non enim agitur nunc, an de solutione constet; sed an de ea Alphonsus possit opponere. Quare conclusum pro affirmatiua.

Naruien. Dotis.
Die Lunæ 2. Maij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Dos liberis extantibus non venit restituenda, & si filij moriantur, eorum pater succedit tanquam hæres filiorum.*

2 *Dos grauari non potest onere restitutionis, quoniam succedit loco legitimæ, sicut nec legitima grauari potest; secus est si per partes in instrumento dotis apertè data fuerit lex, quæ seruari debet. vt num. 3.*

4 *Dos statim quòd à patre data fuit, nõ obtinet locum legitimæ, sed tum demum cum primum ius petendi legitimam competit, cum patre viuente nulla legitima filijs debeatur, sed tantum patre decedente.*

5 *Onus restitutionis dotis appositũ per patrem dotantem reijci nõ potest prætextu oneris super legitima impositi, quia tale pactum sortitur effectum suũ patre viuente antequam dos inceperit naturã legitimæ sortiri; secus est in pacto apposito quòd restituatur hæredibus patris, cum tunc dos sortiatur effectum legitimæ secundum communem opin.*

DECISIO DCCCXV.

CApitaneus Horatius Scottus tradidit nuptui Iustinam filiam suam Domino Io. Bernardino Scotto cum dote duorum millium, & stipulatus est à Domino Iulio patre Ioannis Bernardini dotem sibi restitui, vel Dominæ Iustinæ, eorumq. hæredibus, aut cui ius & casus dederit, si contingeret matrimonium dissolui morte vel diuortio, seu alio legitimo casu sine filijs ex

dicto

dicto matrimonio remanentibus, vel temanentibus & decedentibus ante ætatem vigintiquinqne annorum fine filijs : Constante mattimonio obijt Iuftina ex partu fupetftite filio, qni & ipfe poft matrem paucis interpofitis hotis deceffit ; Quæfitum eft, an factus fuerit locus reftitutioni dotis, & licèt cafus videatur in ftipulatione reftitutionis apertè comprehenfus ; tamen pro parte Tulij ex duobus capitibus prætendebatur dotem teftituendam non effe ; Primũ eft, quia ftipulatio interpofita fuit pto Horatio, Iuftina, eotumq. hæredibus, ant cui ius & cafus dederit : Vnde cnm paffim ob-
1 feruetur confuetudo Martini, * vt † liberis extantibus dos ad patrem non reuertatur, *de qua per glof. & Doctor. in l. dos à patre. C. folut. matr. glof. Bart. & aly in l. poft dotem. ff. eod. tit.* ftipulationem hanc fecundum ordinem iuris factam ad fauorem filij fupetftitis, cui pater fuccedit, *vt per Caftr. in conf.* 108. *nu.* 2. *lib.* 2. *Socin. conf.* 9.*n.*15. *in* 1. *Hieronym. Gabr. conf.* 58. *num.*30.*poft alios, quos allegat*. Secundum caput eft, nõ effe locum reftitutioni, ex eo quòd attento ftatuto Narnienfe *fub capit.* 30. excludente filiam dotatam à fucceffione, dos fuccedit loco legitimæ, *vt tradit Caftr. communiter approbatus in l. Titio centum. §. Titio gene-*
2 *ro. de cond. & demon.* Vnde fequitur † non potuiffe gtauati hoc onete reftitutionis, fed quemadmodũ ex legitima omne onus teijcitur, *l. quoniam in prioribus. C. de inoff. teftam.* ita & à dote reijciendum hoc onus reftitutionis, *vt poft Cyn. Bart. Bald. Salic. Alex. & alios, quos citat, refert Menoch. in conf.* 238. *num.* 54. His tamen non obftantibus magna Dominorum confenfione decifum fuit effe locum reftitutioni dotis,
3 † cum apertam legem habeamus in inftrumento dotali, quæ fetuanda eft, *l.* 1. *C. de pact. conuent. & in fpecie fimilis ftipulationis tradidit Bald. in conf.* 2. *lib.* 3. *factum tale eft, quidam Ioannes. qui decidit hunc cafum etiam in fortioribus terminis*. Nec obftat prior confideratio, quæ fit in verbis ftipulationis, quia continet manifeftam cõtradictionem, funt enim confiderandi duo cafus ; Vnus eft fi filia decedat fine liberis, quo cafu dos reftituenda eft patri fuperftiti ; Alter cafus eft, fi filij deceffetint fine filijs ante annum vigefimumqnintum, & hoc cafu eueniẽte, fit locus reftitntioni ad fauotem patris, neque poteft ftipulatio intelligi, vt hoc cafu fiat reftitutio ipfi filio, cum poft eins obitum tantum fieti debeat patri, qui hoc cafn fibi profpexit, effet enim impoffibilis hæc conditio, cum mortuo reftitntio fieti non poffit, & iftos cafus optime diftinguit *Bald. in conf.* 89. *verba inftrumenti. lib.* 2. *quem fequuta eft Rota in caufa Firmana Bonorum* 5. *Aprilis* 1585. *coram R. P. D. meo Bubalo & decidit in terminis hunc cafum*. Neque obftant Doctores ex aduerfo allegati, quia loqunntur in cafu, in quo interpofita eft fimplex ftipulatio, fi fine liberis, non antem, vbi exprefsè cautum eft in hunc euentum mortis ante annum vigefimumquintum ; Ideo ftipulatio *illa* referri debet congruentet ad cafus eueniẽtes & poffibiles. Quantum verò ad argnmentnm, quod fumitur ex natura dotis fuccedentis loco legitimæ, vt grauari non poffit, licèt conclufio fit in fe vera, ea tamen eft fano modo intelligenda, non enim hoc ibi vo-
4 lunt Doctores, quòd † dos ftatim, quòd à patre data eft, obtineat locum legitimę, hoc enim effet abfutdum, cum patre viuente nulla debeatut legitima, fed tum demnm dos fuccedit loco legitimæ, cum ptimnm competit ins petendi legitimam, qnod eft patre decedente; tunc enim fiue ad effectum impntationis, fiue ad effectum retentionis, fiue reiectionis oneris, fiue petitionis fupplementi, ifta dos fortitur naturam legitimæ, itaut de ea idem quod de legitima fit
5 iudicandnm : Vnde † quoties pet pactum dotale apponitur aliquod onus reftitutionis, quæ fieri debeat patri, illud nunquam reijcitur, cum effectum fuum fortiatur viuente patte, & antequam inceperit dos fortiri naturam legitimæ, fed fi pater ftipulatus fuerie fibi & hæredibus, & eo mortuo fiat locus teftitntioni dotis, per obitũ mariti, tunc quia dos fortita eft naturam legitimæ, non poffunt hæredes eam petere, fed tenẽtur, vel remittere cõditionẽ filiæ, vel legitimã ei foluere, *vt ex cõmuni Doctorũ fententia, tradit Dec. in conf.* 106.*n.*1. *& ita declaratur hac materia per Butr. conf.* 9. *nu.* 3. *Capic. decif.* 176. *num.* 11. *Cephal. conf.* 256. *num.* 59. *lib.* 2. *qui cæteros allegat, & in fpecie reprehendit Socin. conf.* 9. *in* 1. *qui re vera meretur reprehenfionem vbi fub nu.* 22. vnlt, quòd pater in tetminis illius ftatuti teneatur dare filiæ dotem tranfmiffibilem ad hætedes, quia fi hoc intelligit ab ipfo ptincipio, loquitur *contra tex. in l. dos à patre. C. folut. matr. & contra omnes Doctores* tenentes, qnòd patri ftipulãti fibi dotem teddi, fi filia fine filijs deceffetit, reftituenda eft dos, *l. vnic. §. acceffit. C. de rei vxor. action. Bald. in allegato conf.* 89. *& omnes in d. l. poft dotem. folut. matr.* Nec contrarium fentit *idem Cephal. in conf.* 743. *neque Corn. conf.* 162. *lib.* 2. *qui ex aduerfo allegantur*, loquuntur enim in cafu, in quo hæres patris petebat fibi dotẽ reftitui vigore ftipulationis interpofitæ à patre defuncto, qui pro fe & hæredibus ftipulatus fuerat. Neque etiã obftat *Aym. in conf.* 84. quia ibi pater ftipulatus fuerat dotem reddi non fibi fed filiæ, & ius habentibus ab ea, quo cafu videtur patet dediffe poteftatem filiæ de dote difponendi, *vt ibi confiderat fub num.* 11. Præterea ibi exprefsè filia renunciauerat

*de hac confuetudine fecundum opinionẽ Martini habes per Bart. in lege ab eo allegata népe l. poft dotem ff. folut. matrim.

oĩbus bonis paternis, maternis, fraternis, præsẽtibus & futuris, & omni iuri legitimæ, & eius supplementi, nec non Trebellianicæ, qua renunciatione stante, videtur pater preuenisse in solutione legitimæ, qui non est casus noster. Et ex his sublata sunt omnia ex aduerso allegata; nam statuta, quæ nouissimè deducuntur non faciũt ad istum casum, in quo adest specialis stipulatio iuxta consuetudinem Ciuitatis Narnien. de qua testatur *Corn. in conf. 66. num. 6. in 4.*

Illerden. Pensionis, siue prætensæ vnionis.
Die Mercurij 4. Maij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Causa delegata Officiali seu Vicario Episcopi, mortuo Episcopo cessat iurisdictio delegata, nec transit delegatio in Officialem, qui à Capitulo sede vacante deputatur: præsertim si in causa delegata Capitulum habeat interesse quia sic fungeretur vice iudicis & partis.*

3 *Prorogatio iurisdictionis fieri non potest per partes in causa delegata.*

DECISIO DCCCXVI.

Iterum causa proposita, fuit resolutum sententiam, de qua agitur, fuisse nullam,
1 † cum enim delegata fuisset causa à Sede Apostolica Officiali Illerden. cuius officiũ expirauerat per obitum Episcopi, & à Capitulo deputatus esset alius Officialis Sede vacante, licèt successerit Capitulum in locum Episcopi respectu iurisdictionis ordinariæ; tamen non succedit respectu iurisdictionis delegatæ, * *Abb. in c. cum olim. col. pen. vers. quinto dubitatur. de maior. & obed. Felin. in c. eam te. num. 17. de rescript. Dec. in c. quoniam Abbas. num. 15. de offic. deleg. cum alijs per informantes allegatis*, ª
2 † quod eo maximè in casu isto procedit, cũ ageretur de re, in qua Capitulum habebat interesse; & ideo non erat conueniens vt fungeretur vice iudicis & partis, *Bart. in l. qui iurisdictioni. de iurisd. omn. iud.* & stylus Cancellariæ est, vt deputentur executores litterarum Apostolicarum Officiales Episcoporum, non autem Capitulorum, & isti Officiales non inscribuntur Officiales Episcopi Illerdensis vel Archiepiscopi Toletani, sed simpliciter Officialis Illerdensis, Toletanus, & sic de singulis.
3 Non obstat, quod dicitur † de prorogatione, tum quia non potuit prorogari, cum ageretur de re, in qua Capitulum habebat... ageretur de alienatione rei Ecclesiæ, *ad notat. per Bero. in consil. 22. num. 46. libr. 2.* tum quia respectu delegatæ iurisdictionis non poterat fieri prorogatio, *C. P. & G. in fin. de offic. Iud. deleg. Felin. in c. cum olim. il primo in princ. eod. tit. Socin. in c. significasti. num. 21. de for. compet.* sed & omnem tollit difficultatem, quòd in pronunciando restrinxit se, & tulit sententiam vti exequutor Apostolicus. Non obstat, quòd dicitur deputatum fuisse à Nuncio, quia non est verum in facto, sed Nuncius, qui prius inhibuerat, reuocando inhibitionem reliquit totum negotium in eo statu, in quo erat ab initio, *& ita aliàs fuit decisum in vna Papien. coram Illustrissimo Lancellotto de anno 1578.*

* facit decis. Papien. Bonorum facta die 3. Martij 1578. coram Illustr. Cardinali Lancellotto quæ habetur in impress. di. uers. nouiss. 300. part. 2.

ª Gemin. in c. 1. num. 5. de maior. & obedien. in 6 vbi dicit, quòd Capitulum supplet vices Episcopi Sede vacante sed in his quæ fuerunt delegata à Papa esset supplere vices Papæ Federic. de Sen. consil. 30. col. 2. vers. suo iure igitur, & idẽ in consl. 330. ad fin.

Foroliuien. Capellaniæ.
Die Lunæ 9. Maij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Exequutor Apostolicus datus sub forma dignum dicitur mixtus, & tenetur assumere partes iudicis, quando adest possessor.*

2 *Exequutor Apostolicus non potest procedere ad exequutionem litterarum stante appellatione etiam viua voce incontinenti interposita.*

3 *In restitutione spolij attentati non requiritur titulus coloratus.*

4 *Titulus satis dicitur sufficiens, qui insurgit ex facultate data in fundatione beneficij.*

5 *Regula reseruatoria mensium non habet locum in beneficijs iurispatronatus.*

DECISIO DCCCVII.

Fuit resolutum constare de attentatis
1 † cum exequutor Apostolicus fuerit datus sub forma dignum; & ideo erat mixtus exequutor, & tenebatur assumere partes iudicis, cum reperisset Iulium in possessione beneficij, de quo agitur, *ad notat. per Doctor. in c. fin. de præsumpt. & ibi Felin. n. 24. & 33. & fuit decisum coram Illustrissimo Aldobrandino in vna Piscien. 21. Februa-*
2 *ry 1578.* * † Ideo non poterat procedere ad exequutionem litterarum stãte appellatione viua voce incontinẽti per Iulium interposita: Neque in præsentia est agendum de
3 titulo colorato, † non enim requiritur in restitutione spolij attentati, & quatenus re-
4 quireretur † adest sufficiens titulus, inspecta facultate data in fundatione huius be-
5 neficij † & cessant ex aduerso opposita de regula reseruatoria, stante quòd beneficium est de iurepatronatus, sed ista venient discutienda in petitorio. Quare Domini dixerunt standum esse in resolutis.

* in impress. diuers. nouiss. 204. par. 1.

Toletana Matrimonij.
Die Veneris 13. Maij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Timor Principis est iustus metus.*

2 *Iustus metus, & verba obiurgatoria impediunt liberũ consensum matrimonialẽ.*

3 *Materia metus est difficilis probationis.*

4 *Me-*

4 *Metus excluditur ex qualitate personarū loci, & circumstantijs; quod est verum in dubio; secus est, vbi ad certorum actuū probationem deuentum est.*
5 *Probatio specialis sēper praeualet generali.*
6 *Principes plerumque circumueniūtur, nec omnia, quae geruntur, scire possunt; & ideo eis non est imputandum id, quod male geritur.*
7 *Philippus II. Rex Hispaniarum pijssimus, & iustitiae obseruantissimus.*
8 *Stulta pietas saepe homines in fraudem trāsuersos praeter opinionem agit.*

DECISIO DCCCXVIII.

FVit resolutum per* Dominos constare de vi & metu illato Dominae Ludouicae ad effectum, vt contraheret matrimonium cum vno ex filijs Principis Ruy Gomez; constat enim ex codicillis Don Bernardini de Cardenas patris Dominae Ludouicae eius voluntatis fuisse, vt ipsa nuberet Duci de Maqueda, prout in summario D. Ludouicae num. primo, quam patris voluntatem Domina Agnes mater Dominae Ludouicae & Ludouica, vt filiam decebat, desiderabant mandare execqutioni, & ideo vtriusque earum voluntati repugnabant tā Domina Mentia auia paterna, quàm caeteri, qui procurabant hoc matrimonium impedire, & eam nuptui tradere vni ex filijs Ruy Gomez eodem summario num. 2. 3. & 4. probantur etiam artes, quibus vsi sunt fautores Ruy Gomez ad persuadēdum hoc matrimonium Agneti, & Ludouicae, partim verbis aptis ad persuadendum ratione euidentis vtilitatis, tum admixtis etiam verbis asperis, testes super num. 9. summarij Dominae Ludouicae: Probatur etiam traductio eius ad monasterium, quae res & si excusari posset sub praetextu explorandae ipsius voluntatis; tamen Dominis inexcusabilis visa est traductio ad domum Doctoris Molinae, de qua per testes sub num. 5. summarij Ludouicae, & in tertia conclusione summarij Domini Ducis, ea inuita & multum reclamante & magnas querellas easq. commiseratione dignas emittente cum sub arctissima custodia ibi retineretur. Quae omnia manifestè impedimento erant liberae voluntati ipsius, quae tunc erat admodum tenerae aetatis, & valde timebat dictum Doctorem; maximè quia comminabatur in-
1 dignationem Regis, ✝ cuius timor est iustus metus, *vt per Socin. iun. in cons. 97. num. 2. lib. 3.* & alijs verbis obiurgatorijs
2 vtebatur, ✝ quae quidem impediunt liberum consensum matrimonialem, *vt per Aretin. cons. 24. col. 2. & alios quos congerit Menoch. de arbitr. iudic. cas. 135. num. 4 & fuerunt coram me deducta in illa Nitien. matrimonij*, [a] ex quibus apparet, qua ratione & via cum ea actum fuerit: Carceratio praeterea Ducis de Maqueda, & eius à Curia exilium ostendunt manifestè, quam apertè & omni conatu fuerit praestitū impedimentum, ne Ludouica iuxta paternam voluntatem nuberet, haec tot & tanta in
3 materia metus, ✝ quae est difficilis probationis, *vt per Paris. in cons. 53. num. 6. & cons. 60. num. 21. vol. 3. cum alijs per informantes allegatis* [a] visa sunt sufficere, & ista potissimum traductio ad domum Doctoris Mollinae ad probationem metus, ex auctoritatibus, quas hic cōgerunt Domini informantes pro hac parte. Quae verò deducūtur ex aduerso non elidunt hanc probationem, nihil enim in contrarium colligi potest ex probationibus partis aduersae, quae tactum supra expositum eneruent; immo in multis coadiuuant, vt bene in facto deducitur: Contraria verò probatio in eo maximè versatur, vt demonstretur ex causa capitulorum à principio initorum cum Ruy Gomez fuisse haec omnia procurata, ne ipse in damno esset ob solutionem aeris alieni per ipsum factam: sed haec non est legitima causa cogendi praecisè, cum matrimonia
4 libera esse debeant: ✝ Deducitur etiam exclusio metus ratione qualitatis personarū, loci, & circumstantiarum, *Socin. in cons. 4. num. 21. lib. 3. Paris. cons. 5. num. 182. lib. 4. Bero. cons. 144. num. 6. lib. 3. Ias. cons. 72. lib. 2. Socin. iun. cons. 5. in fin. lib. 3. cum alijs allegatis*, [b] sed haec omnia in dubio procedunt, non autem vbi ad certorum
5 actuum probationem deuentum est; ✝ semper enim probatio specialis praeualet generali, *l. in toto. de reg. iur. Alex. cons. 150. n. 17. lib. 5. Paris. cons. 88. num. 31. vol. 3. Dec. cons. 448. num. 17. Aym. cons. 94. n. 3.* Neque mirum est, si aliquando à ministris Summorum Pontificum multa fiunt in gratiam eorum, quos norunt plurimum gratia & fauore pollere apud Principem, nam vnusquisque sperat sibi hac via faciliorem patere aditum ad summas dignitates; ne-
6 que ideo hoc imputandū Principibus, ✝ qui plerumque circūueniuntur, neque omnia, quae geruntur scire possunt; quod maximè
7 dicendum hoc casu ✝ de Rege pijssimo & iustitiae obseruantissimo, qualem agnoscit Ludouica in suis luctuosis querellis, sed & ministris fortè indulgendū, qui has nuptias cupiebant, quod existimarent è re Ludouicae magis esse, vt cū filio Ruy Gomez, quā cum
8 Duce Maquedae nuberet, ✝ saepe enim stulta pietas nos in fraudē trāsuersos praeter opinionē agit, Haec hactenus fuit facti series per Dominos examinata, nā hic incidit difficultas, super qua mādarunt informari, An post declarationē factā per Ducē de Maqueda, qua istis nuptijs renūciabat, cōstet de mutatione voluntatis D. Ludouicae vel potius de

* sub die 6. Martij anni praeteriti.

[a] alios refert Menoch. de arbitr. casu 116. num. 17. lib. 2.

[b] Adde Bart. in l. fin. n. 2. ff. quod met. cau. Pari. cōs. 66. num. 4 & cons. 170. nu. 2. lib. 4.

de continuatione metus, quod erit discutiendum. [f]

[f] quod discussum fuit sub die sabbati 12. Nouembris proximi in hæc verba: Domini tenuerunt, quòd non constet de mutatione voluntatis Illust. D. Ludouicæ per totum tēpus vitæ Dominæ Mentiæ, sed ordinarunt, vt videatur, an actus gesti per d. D. Ludouicam sub scribendo capitulationes matrimoniales, & contrahendo sponsalia sint tribuendi continuationi metus, vel potius mutationi voluntatis; tum ex eo quòd Dux de Maqueda declarauerat se nolle cum ea contrahere matrimonium, tum quod fuerant factæ nouæ conuentiones longè vtiliores ipsi, quam illæ quæ prius propositæ fuerant.

Romanā Casalis Marciliani.
Die Lunæ 16. Maij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Iurans seruare omnia contenta in instrumento ob inobseruantiam & contrauentionem incidit in pœnas l. si quis maior C. de transact.*

2 *Ex particulari statuto Vrbis ius ciuile inter Romanos seruari debet, etiam si agatur cum Ecclesia.*

3 *In re emphyteutica prohibita alienari non requisito Domino non habet locum deuolutio seu caducitas, si super ea censu imponatur cum expresso pacto redimendi; cum per redēptionem perinde habeatur, ac si nunquam res fuisset alienata vel hypothecata.*

4 *Redemptio rei alienatæ facta ex causa antecedente necessaria, præseruat omne ius competens partibus; secus si redemptio fiat ex causa merè voluntaria superueniente.*

5 *De iure non est prohibita obligatio seu hypotheca rei emphyteuticæ.*

6 *Dispositio leg. si quis maior. C. de transaction. est valde rigorosa; & ad hoc vt locum habeat, dolus manifestus contrauenientis concurrere debet.*

7 *Purgatio semper de æquitate Canonica admittitur.*

8 *Pœna cōuentionalis ab Ecclesia de æquitate Canonica exigi nō potest vltra interesse. Idem est vigore statuti Vrbis, vt num. 9. secus est in pæna legali, vt n. 11.*

10 *In enunciatione facta in instrumento alienationis rei prohibitæ alienari, nempe quòd res alienata spectat ad alienantem pleno iure dominij vel quasi, propter huiusmodi alternatiuam enunciatio verificatur in emphyteusi.*

11 *In pœnis legalibus admittitur mora purgatio, quæ fit celeri satisfactione.*

DECISIO DCCCXIX.

FVit dubitatum super excusationibus à deuolutione deductis aliàs in decisione coram me facta [a] ad fauorem Annibalis, an essent tales, vt suffragarentur ipsi, vel potius recedendum sit à dicta resolutione, Et quæ contra eam deducebantur, hæc ferè erant: Primo esse standum pacto & conuentioni appositæ in contractu locationis, per quam prohibetur omnis alienatio & hypotheca sine consensu monasterij sub pœna deuolutionis: Secundo quia in instrumento census Annibal videtur dolosè negasse dominium Ecclesiæ asserendo Casale ad se pleno iure dominij vel quasi spectare & pertinere, & esse liberū ab omni censu canone & responsione &c. Tertio, cum Annibal acceptauerit assensum præstitum per Fratres consentientes venditioni sibi factæ, saluis pactis contentis in instrumento concessionis, & saluo

1 iure directi dominij, † & iurauerit illa seruare, ob inobseruantiam & contrauentionem incidisse in pœnas *leg. si quis maior. C. de transaction.* quæ pœna est de iure Ci-

2 uili; & † particulari statuto Vrbis cautum est vt inter Romanos seruetur ius Ciuile, *lib. 5. c. 37. in antiq. lib. 1. c. 42. in nou.* quæ statuta locum habent etiam quando agitur cum Ecclesia, *vt in pluribus causis fuit decisum; maximè in vna Portuen. Plani Vlmi coram R. P. D. Robusterio, & in vna hæreditatis de Comitibus coram Illustrissimo Aldobrandino,* [a] & ideo attendendum esse rigorē iuris Ciuilis non autem æquitatem Iuris Canonici considerat am in decisione, *Alex. cons. 105. nu. 10. lib. 3. Franc. Curt. in l. si quis maior. num. 49. C. de transaction.* Quarto & vltimo conantur informantes pro Monasterio defendere Ecclesiā posse exigere istas pœnas, *per tex. in c. propter sterilitatem. §. fin. de locat. & ibi Hostien. & Henric. num. 13. Ruin. cons. 167. num. 18. lib. 1. Bero. cons. 153. num. 74. libr. 1. & latè Doctor. in cap. potuit. eodem titulo & in l. 3. C. de iure emphyt.* His tamen non obstantibus Domini pro maiori parte steterunt in decisis ex deductis in alia decisione sub die 19. Iunij 1587.

3 quibus additum fuit, † non habere hoc casu locum deuolutionem, ex quo impositio census fuit facta cum expresso pacto redimendi, quod etiam inerat ex natura contractus iuxta bullam fel. recor. Pij Quinti hoc enim pactum expressum fuit, vt redēptione quandocunque sequuta non attendatur acceptatio deuolutionis, sed habeatur perinde, ac si nunquam res fuisset alienata vel hypothecata, *vt tradit Dec. cons. 88. num. 3. quem refert & sequitur Cagnol. in l. 2. de pact. inter empt. & vend. n. 174. & faciunt ea, quæ tradit idem Dec. consil. 239. num. 11. Tiraquell. de retract. conuent.*

4 *§. 3. num. 10.* † & ita distinguitur inter ea sum redemptionis ex causa merò voluntaria superueniente, & ex causa antecedente necessaria, ex qua præseruatur omne ius competens partibus, & hanc Cagnoli decisionem sequuta est Rota *in vna Perusina fideicommissi de Americis 26. February 1586. coram R. P. D. meo Orano.* Quantum verò ad ea, quæ in contrariū deducuntur Domi-

[a] sub die Veneris 19. Iunij anni proximè præteriti.

[a] sub die 15. Iunij 1577. quæ in impress. decis. consistit est 432. part. 1. Et in specie in Romana fideicommissi de Vrsinis coram bon. mem. Orano.

mini dixerunt prætensionem fratrum, aut niti super pœna legali, aut super pœna conuentionali; si super pœna legali, ea aliunde deduci non potest quàm ex *capite leg. si quis maior. C. de transact.* nam vt aliàs dictum
5 fuit, † de iure non est prohibita obligatio seu hypotheca rei emphyteuticæ, *vt per Clar. in §. emphyteusis. quæst. 18. & 21.* ve-
6 rum † eum dispositio dictæ legis sit valde rigorosa; necesse est, vt ad hoc, vt habeat locum, concurrat dolus manifestus contrauenientis, *vt tradunt omnes, & in specie Roland. in cons. 57. num. 6. & 46. lib. 1.* sed hoc casu ex multis deductis in alia positione causæ apparet nullum adesse dolum; maximè considerando, prout nunc consideratum est, licuisse obligare hoc Casale cum pacto redimendi, & facta redemptione nullum ius quæsitum fuisse Fratribus, cum ius eorum ne in minimo quidem factum fue-
7 rit deterius, † itaut de æquitate Canonica semper admittatur purgatio, *vt ex sententia Hostiens. Bald. Butr. Imol. & Alexãd. refert Curt. in d. l. si quis maior. num. 49.* Neque obstat, quod ex aduerso deducitur, hoc non procedere vbi adest statutũ, quòd debeat iudicari secũdum iura Ciuilia, quia interpretes iuris Ciuilis ita limitarunt dispositionem *dictæ legis si quis maior*: Si verò monasterium vult niti pœna conuentio-
8 nali, vt in primo fundamento, † tunc excluditur eadem æquitate canonica, quæ non permittit pœnas conuentionales exigi vltra interesse, *vt aliàs deductum fuit ex consil. Butr. 34. num. 2. & ex decis. coram me facta in Zamoren. Castri 10. Decembris 1576.* Neque obstat statutum Romanum quòd seruentur iura Ciuilia, quia intelligi debet in his, in quibus non fuit in specie per statutum prouisum; sed hic habemus alia statuta, nempe *cap. 148. lib. 2. & cap. 36. lib. 5. in antiq. & cap. 163. lib. 1. in nou.*
9 † quibus cauetur, ne pœnæ conuentionales vltra interesse probatum exigantur, adeo quòd dispositio statutaria conformis est æquitati iuris Canonici, & ideo est seruanda etiam in contractibus iuratis, cum ista statuta sint Papalia, *vt sæpius fuit resolutũ.* Quod verò dicitur noiosè negatum fuisse dominium Ecclesiæ, non est verum in facto,
10 † quia alternatiuè tantum asseruit Annibal Casale ad ipsum spectare pleno iure dominij, vel quasi, quæ enunciatio verificatur in emphyteusi, *vt aliàs dictum fuit in alia decisione.* Non obstat vltimo, quod deducitur Ecclesiam istas pœnas exigere posse, quia iura & Doctores allegati hoc non probant, distinguendum enim est, inter pœnas
11 legales & conuentionales; † legales potest exigere Ecclesia, *& ita procedit decisio Oradini in causa Romana damnoru 11. Decembris 1570.* conuentionales secus per supradeducta, Et quæ allegantur *ex cap. propter sterilitatem. §. fin. & ex cap. potuit. de locat. & ex l. 3. C. de iur. emphyt.* procedunt
12 in pœnis legalibus, † in quibus etiam admittitur purgatio moræ, quæ fit celeri satisfactione, *vt in d. c. propter sterilitatem. §. fin.* quæ celeris satisfactio interuenit in casu isto, & antequam vllum præiudicium factum fuerit Monasterio, vel in aliquo ius ipsius deterioratum, *Dec. in cons. 138. n. 7. Gozad. cons. 57. num. 18. Gabr. de transact. conclus. 1. num. 12. & 18.* Quare conclusum esse standum in resolutis, cum prætensio Monasterij sit nimis rigorosa & iniqua.

Romana, seu Perusina Hæreditatis,
Die Lunæ 16. Maij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Testamentum factum inter liberos etiam minus solemne & imperfectum valet, etiam respectu substitutionis pupillaris; sed hoc procedit, si substitutio facta sit ad fauorem alterius ex liberis, secus si ad fauorem extranei, & num. 5. & 7.*
2 *Testamentum imperfectum inter liberos, in quo mixta sit persona extranea cum filijs, quantum ad extraneum pro nullo habetur, & filijs accrescit.*
3 *Quando vnum præsupponitur, & super eo disponitur, non habet locum dispositum, nisi verificetur præsuppositum, & cessante præsupposito cessat dispositi applicatio, vt num. 8.*
4 *Dispositio §. ex imperfecto. in l. hac consultissima. C. de testam. quòd testamentum imperfectum inter liberos valeat, dicitur fauore filiorum introducta de communi opin. sed hoc intelligitur de fauore primario, non autem secundario, vt n. 9.*
6 *Dictio, solos, omnes alios excludit.*
7 *Nemo est capax successionis ex testamento imperfecto tam ex dispositione dicti §. ex imperfecto, quam de iure communi, sed soli filij admittuntur.*
10 *Ratio principalis dispositionis, d. §. ex imperfecto. est reuerentia debita à filijs parentibus, non autem fauor filiorum, cũ fauorabilius sit filijs succedere patri ab intestato, quàm ex testamento.*

DECISIO DCCCXX.

Illust. Dominus Guido Ballionus condiderat suum testamentum per priuatam apocham manu sua conscriptam & subscriptam à duobus testibus, deinde cum esset Venetijs, narrando se confecisse huiusmodi testamentum, illud coram notario & duobus testibus cõfirmauit, & approbauit: Testamenti tenor hic est, (In euento che Nostro Signore facesse altro di me, lascio mio herede hauendo ò figlio ò figlia, esso mio figliolo & figliola; morendo, o non venendo à bene il parto di mia moglie, lascio det-

imperfecto, tenuit Natta num. 130. *&* 132.
vbi eam optimis rationibus confirmat, nã
fauorabilius esset filijs patrem sine testa-
mento decedere, *vt inquit Corn. in cõs.* 307.
lib. 3. *& fuit sententia Castr. in cons.* 362.
circa princip. lib. 2. *Idem Natt. cons.* 423.
num. 12. Quod deducitur legata deberi
ex testamento imperfecto, §. *si tamen. Auth.
de testam.* est diuersum à casu nostro, & ha-
bet diuersam rationem, *vt bene per infor-
mantes deducitur*; Quare visum est opinio-
nem Socini, quam etiam ipse sub dubita-
tione proponit, esse contra communẽ Do-
ctorum sententiam. Nam Aretinus, & Ri-
pa, qui pro illa opinione citantur, non fa-
ciunt ad rem, cum absolutè impugnẽt opi-
nionem Bartoli, quæ tamen communi ferè
omnium Doctorum calculo comprobatur.
Quare conclusum substitutionem ex hoc
testamento imperfecto non sustineri.

Romana Frumenti.
Die Lunæ 23. Maij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Ex apprehensione vnius partis non sequi-
tur apprehensio totius.*
2 *Verba illa, ad beneplacitum voluntatis, im-
portant conditionem sub beneplacito, &
talis voluntas ex facto venit declaranda.*
3 *Apprehensa parte totum censetur appre-
hensum, quod procedit titulo vniuersali
præcedente, non autem limitato.*
4 *Iuramentum suppletorium non datur vbi
agitur de magna summa, quando testes
nec sunt integri, nec in dictis probant.*

DECISIO DCCCXXI.

FVit dubitatum, an constet de traditione
totius frumenti facta per Ioannem Pau
lo Cincio ad effectum, de quo agitur, & Do-
mini concorditer censuerunt non probari,
nam testes vltimo examinati, nihil certi
concludunt de toto grano; Primus enim
deponit, se non fuisse præsentem alicui cõ-
signationi, neque verbali, neque facti; neque
scit quantitatem grani, quæ erat in pu-
teis, neque numerum puteorum, neque vbi
sint isti putei: Tertius verò dicit se nunquã
fuisse præsentem alicui consignationi factæ
per D. Ioannem Domino Paulo, & licèt di-
cat, se extraxisse pluries granum ex puteis,
tamen neque explicat quantitatem, neque
dicit se extraxisse ex omnibus puteis, neque
totum frumentum extraxisse, ex quo sequi-
tur nihil certi posse colligi ex istorum depo
sitione: Vnde optime procedunt deducta
in resolutione facta coram Illustrissimo D.
sub die 30. Aprilis 1584. 1 meo Aldobrandino, quòd † ex apprehen-
sione vnius partis non sequitur apprehensio
totius, cum expressè fuerit cautum inter
partes sub istis verbis (con patto espresso,
che detto grano sia à beneplacito di detto
Giouanni darmelo à sua requisitione, & tut-
2 to quello che vorrà, &c.) † quæ verba im-
portant conditionem sub beneplacito Ioã-
nis; Vnde cum hæc voluntas declaranda
sit ex facto non extenditur vltra, quàm ex
illo necessariò inferatur, *Alex. in cons.* 166.
in fin. lib. 6. *Ias. in l. qui Romæ.* §. *duo fra-
tres. num.* 53. *de verb. obligat.* & regula il-
3 la, quòd † apprehensa parte totum censea-
tur apprehensum, locum habet titulo vni-
uersali præcedente, non autem limitato,
vt in casu isto: Quare cum agatur de ma-
gna summa, & testes neque sint integri, ne-
4 que in dictis probent, † non posse dari iura-
mentum suppletorium; sed quia hoc respi-
cit effectum, non fuit super eo capta resolu-
tio, sed tantum super priore parte dubij,
non constare de totius grani traditione.

Parmen. Bonorum.
Die Veneris 27. Maij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Mulier per statutum exclusa à successione
sibi delata, ex eo quòd sit extra territoriũ
statuti nupta, non præiudicat filijs, li-
cèt extra territorium natis, quin in di-
cta successione succedere possint.*
2 *Dictio, talium, est repetitiua certæ & de-
terminatæ qualitatis.*
3 *Exclusa matre à successione censentur ex-
clusi omnes ab ea descendentes; sed hoc
procedit simpliciter, secus si exclusa sit
cum certa qualitate, & num.* 5.
4 *Statutum excludens vnam personam non
extenditur ad alias non specificatas.*
6 *Argumentum à contrario sensu ex dictis
Doctorum non valet.*

DECISIO DCCCXXII.

FVit dubitatũ, præsupposito statuto Par-
1 men. † An filij Lucinæ nati ex non sup-
posito Communi Parmæ possint succedere
in bonis existentibus in territorio Parmæ,
de quibus agitur, & fuit sine controuersia
decisum posse succedere; Primo, quia sta-
tutum loquitur de filijs mulierum se nubẽ-
tium recentis eisdem terminis, dum dicit,
& idem intelligatur in omnibus descenden-
2 tibus talium mulierum, † illa enim dictio,
talium, repetit certam & determinatam
qualitatem, *vt per Dec. cons.* 500. *num.* 14.
vers. & reassumendo. Nec obstat, quòd es-
3 set superfluum, quia † exclusa matre, cen-
sentur exclusi omnes descendentes ab ea,
ex allegatis, *per Tiraq. de primogen. q.* 12.
num. 12. *& seq.* quia poterat etiam isto ca-
su dubitari, an exclusa matre essent exclusi
eius filij, qui non peccauerant, nec fece-
rant quicquam contra statutum, *vt per
4 Bald. in consil.* 447. *lib.* 4. maximè † cum
statutum excludens vnam personam non
extendatur ad alias non specificatas, *ex al-
lega-*

legatis per Gabr. de statut. concl. 7. in princ.
5 Poterat etiam esse difficultas, + ex quo exclusa matre non quidem simpliciter, sed cũ certa qualitate, poterant filij post eius obitum succedere, *Corn. cons. 234. num. 7. in fin. lib. 4. Grat. cons. 19. num. 32. lib. 1.* Non obstat *Rimin. iun. cons. 23. num. 125.* vbi videtur velle contrarium, ponderando quòd in casu suo filius erat natus ex patre supposito communi Parmæ, licèt mater esset exclusa, quia ipse ex facti contingentia
6 vsus est hac solutione; sed + non ideo sumendum est argumentum à contrario sensu, nempe quòd patre non existente supposito, aliud sit dicendum, non enim licet ex dictis Doctorum argumentari à contrario sensu, cum plerumque via faciliori alijs omissis eximant se à difficultatibus, quæ occurrunt in decisione causarum. Et ita conclusum.

Asculana Prioratus.
Die Lunæ 30. Maij 1588.

DECISIO DCCCXXIII.

FVit resolutum probari possessionem effectualem Ioannetti, sed reseruatum vt videatur de releuantia, quæ pendet ex eo, quis istorum sit præferendus, cum concurrat Passerus cum Carolo, qui habet titulum ab eo, qui iuxta decisionem factam coram R. P. D. meo Blanchetto, * habet titulum & possessionem iuris conferendi: Tamen antequam de hac re disputetur, curet vtraque pars ponere in actis ea, ex quibus fundatur eorum intentio, nempe Passerus facultatem Vicarij, & Carolus effectuationem prouisionis antiquæ, qua nititur, & alia, quæ vltimo loco deduxit in suo memoriali.

* Sub die 24. Octob. 1586.

Romana Pecuniaria, siue Exequutionis rei iudicatæ.
Die Lunæ 30. Maij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum procuratoris per mortem mandantis expirat, licèt effectus fuerit dominus instantia; secus si effectus fuerit dominus totius causa & litis.*
2 *Instantia per sententiam dicitur finita.*
3 *Procurator constitutus ad omnes causas & instantias cum fideiussione domini pro eo, cum clausula de rato, dicitur effectus dominus litis & causa.*
4 *Sententia lata ad fauorem haredis illius qui procuratorem constituit, qui effectus fuit dominus litis, est nulla, si ipse hares non probauit se haredem, nec personam legitimauit, secus si constet, quòd erat puta vxor, cum, ex quo sit vxor, satis habeat intentionem fundatam.*
5 *Qui pratendit se haredem, non tenetur probare se esse proximiorem, sed sufficit, quod probet se esse ex ijs, qui vocantur ab intestato, quando agitur contra extraneum.*

DECISIO DCCCXXIV.

FVit resolutum sententiam esse validam non obstante defectu mãdati ex aduer-
1 so opposito, dum dicitur + mandatum procuratoris per mortem Gherardi expirasse. Neq; obstare, quòd esset effectus dominus litis, quia dominium huiusmodi erat instantiæ tantum non autem totius causæ,
2 + quæ instantia finita fuerat per sententiam R. P. D. mei Orani *Bellamer. decis. 531. Rota 20. de procurator in nou. Aebill. 13.*
3 *eod. tit.* nam + hoc non procedit vbicunque procurator fuit constitutus ad omnes causas & instantias, & Dominus pro eo fideiussit cum clausula de rato, *l. si defunctus. & ibi glos. de procurat. & ibi Alberic. Bart. & Ang. cum alijs, quos citat Gabr. de procurator. concl. 2. num. 11. & tenuit Rota in vna Reatin. Castri Postæ coram R. P. D. meo Orano die 5. Nouembris 1586.* & hæc omnia concurrunt in isto casu, vt ex lectura mandati apparet. Quantum ad aliam nul-
4 litatem, dum deducitur + sentẽtiam latam ad fauorem Catharinæ vti hæredis Gherardi, quæ non probauit se hæredem, nec personam suam legitimauit, vti necesse erat, *vt per Bald. in l. 3. §. idem. ad exhibendum. & in l. fin. q. 5. C. de edict. Diu. Adr. toll.* Domini dixerunt eam non obstare; quia cum constet eam fuisse vxorem Gherardi, satis probata est eius intentio respectu suc-
5 cessionis, + qui enim prætendit se esse hæredem, non tenetur probare se esse proximiorem, sed satis est, si probet se esse ex ijs, qui vocantur ab intestato, quando agitur contra extraneum, *vt per Ias. in l. si postum. 83. de acquir. hæred. latè Tiraq. de retract. lign. §. 11. glos. 1. num. 6. cum sequentib. quam opinionem in diuersis causis sequuta est Rota,* & eo magis procedũt allegata, ex quo idem procurator dominus litis substitutus fuit ab habente potestatem à Catharina relicta, & hærede Gherardi, cum interuentu Domini Antonij Miuschè fratris germani eiusdem Gherardi, qui certè non consensisset huic constitutioni in præiudiciũ suum, nisi verè Catharina fuisset hæres Gherardi. Quare conclusum pro validitate sententiæ, & mandatum procedi ad vlteriora, data tamen idonea releuatione Domino Ottoni pro conseruando eum indemnem à fideiussione per eum præstita ad fauorem principalium.

Auximana Bonorum.
Die Mercurij 8. Iunij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Declaratoria Gregorij xiij. qua innouat di-*

dispositionem Bonifacij viij. ne quid detur pro iustitia vel gratia in curia obtinenda, non habet locum extra curiam, nec in casibus, in quibus quid datur pro labore & expensis, pro quibus, quis cogi potest ad damna & interesse.

2 *Item non habet locum dicta bulla, quando aliquid datur pro consequenda iustitia, si ille, qui dedit, verè fouebat iustitiam.*

DECISIO DCCCXXV.

FVit resolutum Declaratoriam fel. rec. Gregorij xiij. non obstare quominus possit procedi ad taxationem expensarum, & relaxationem mandati pro fructibus, dãnis, & interesse ad fauorem hæredum Pom-
1 ponij; † prædicta enim declaratoria, per quam innouatur dispositio Bonifacij viij. quæ habetur *in Extrauagãti de senten. excomm.* locum habet contra illos tantum, qui pro iustitia vel gratia obtinendã ab ipsomet Papa vel ab Officialibus vel delegatis eorum in curia, vel vbi Papa residet aliquid soluunt, vel promittunt, vt potentiorum suffragationibus petita obtineant, quæ res multum differt à casu proposito, in quo promissio facta est in Prouincia Marchiæ, & pro dotibus filiarum, & pro labore & expẽsis factis per generos Dianæ, quo casu non est locus Bullæ, *vt per Nauarr. super dicta Bulla num.* 26. *versic.* 3. hic enim nihil datum est vel promissum curialibus vel alijs exercentibus iustitiam pro obtinendis fauoribus ab ijs, qui ab antiquis dicebantur fumos venditare, & sic huiusmodi corruptela hoc casu non potest considerari: fuit
2 etiam consideratum † Bullam non habere locum, quando aliquid datur pro consequẽda iustitia, si ille, qui dedit, verè fouebat iustitiam, vt in isto casu ex litis exitu liquet, *vt per Nauar. vbi supra num.* 14. *vers. pactio vero*. Quod verò deducitur de pacto de quota litis, *tex.* *l. si quis aduocatorum. C. de postulan.* non pertinet ad præsentem inspectionem, neq; continet penas, quæ sint impedimento exequutioni, quæ nunc petitur.

Placentina seu Bobien. Bonorum.
Die Mercurij 8. Iunij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Termini confinium solent apponi gratia distinctionis bonorum inter diuersas personas, non autem vbi omnia ad vnum & eundem dominum pertinent.*

2 *Ex instrumentis licèt antiquissimis inter alias personas vix probatur possessio.*

DECISIO DCCCXXVI.

ACtum fuit in positione præsenti huius causæ omissis alijs, de duobus tãtum instrumentis, nempe de diuisione facta inter Dominos de Lazarello de anno 1298. & de laudo lato inter Com. Iacobũ del Verme ex vna, & Paulum Pauerum de Fontana, & Sibyllinam eius vxorem ex alia de anno 1384. & discussum An ex his instrumentis colligi possit, Roncaleas in eis comprehensas fuisse; Et fuit conclusum, quamuis materia visa sit satis cõfusa & implicita, non probari Roncaleas in instrumento diuisionis comprehendi, & præcipuum huius rei fundamentum fuit, cum territorium, quod assignatur pro prima parte Conradini in hac diuisione comprehendat omnia bona sita, intra gyrum fluminis Tidoni, incipiendo à Castro Romagnesij versus Zauatarellum & Perdusum vsque ad Durbeccum inclusiuè, esse necesse fateri, quòd fines enunciati in prima parte diuisionis à flumine Tidoni versus Morascum, & per Costam Syluæ vsque ad Saxum, & à Saxo vsque ad Podiolum de Paiarino, & vsque ad Ecclesiam de Azolla & vsque ad Podiolum Blancum, & à dicto Podiolo vsque ad Tidonum, vbique esse contiguas territorio in eadem parte assignato Cõradino; tangunt enim territoria Romagnesij Perduchi, & Durbecchi, vt patet ad oculum ex visione plantæ: Vnde sequitur illos fines non potuisse alia de causa describi nisi ad excludendas Roncaleas, quæ erant sitæ in medio Moraschi & Durbecchi; nam, si admitteremus Roncaleas comprehendi per hanc finium descriptionem fuissent in medio bonorum comprehensorum in prima parte appositi fines sine vlla prorsus causa
1 & vtilitate; † solent enim apponi gratia distinctionis inter diuersas personas, non autem vbi omnia ad vnum & eundem dominum pertinent, quod ineuitabiliter videtur demonstrari in ea parte, in qua ponitur fossatum de Arsino vsque ad Tidonum, quod apparet diuidere Roncaleas à Durbecco; Vnde aut huiusmodi limes excludit Durbeccum, aut Roncaleas, sed Durbeccum excludere non potest, cum expressè in hac parte contineatur; ergo necessario fatendum est excludere Roncaleas. Secundo consideratum fuit, si Roncaleæ in hac parte comprehensæ fuissent, frustra gyrum illum confinium per Costam Syluæ, Saxum, Podium, & alia appositum fuisse, cũ adesset naturalis limes fluminis Tidoni cõprehendentis ista bona sine vlla alia confinatione, cum à parte contraria adesset territorium in dicta diuisione comprehẽsum, quin & valde verisimile est, quòd si fuisset ista limitum designatio facta ad comprehẽsionem Roncalearum, fuisset etiam absolutus per ipsos diuidentes circulus enunciãdo Tidonum à principio, vbi coniungitur Tidoncello, vsque ad fossatum Molendini, vbi finitur illa descriptio, quod cum non fuerit factum, non videtur ad hunc finem com-

comprehensionis, sed potius exclusionis facta illa finium descriptio. Ex his tolluntur ea, quæ ex aduerso considerantur, non enim negatur illos fines posse circumscribere Roncaleas, sed non ad effectũ inclusionis, sed exclusionis vt diuersa sint bona cõfinata, aliàs enim inepta esset cõfinatio. Neq; obstat, quod dicitur non assignari Castrum Durbecchi totum cum suo territorio, sed solum illud, quod ipsi de Lazarello habebant, & habere videbantur, & possiderent in dicto territorio de Durbeccho; quia eadẽ forma loquendi vsi sunt diuidentes in assignatione Villæ & Territorij de Morasco & aliarum partium, & sic apparet non esse vim in hoc faciendã, cum in omnibus partibus eadem vsi fuerint formula: Vnde sequitur, quòd aut prætenditur pro parte Reuerendiss. Episcopi quòd totum territoriũ cuiusque Castri, in hac diuisione fuerit assignatum, & tunc procedunt supra deducta; aut totum territorium nõ fuit diuisum, sed tantum id, quod per diuidentes possidebatur, & hæc probatio est incerta, nã vt censeantur comprehensæ Roncaleæ, necesse erit aliunde probare, quòd tunc temporis per eos possiderentur. Non obstat, quod deducitur fuisse assignatum in secunda parte totum id, quod ipsi consortes habebant, & habere videbantur in supradicto territorio in Costa sicca, & in Clausis vsque in Tidonem, & in Tidoncellum: & hinc inferũt primam partem excludi ab illo angulo, qui est in confluenti Tidonis & Tidoncelli; & ideo portionem Conradino assignatam in illa parte esse constituendam intra non autem extra Roncaleas, ne eadem res duobus assignata censeatur, quia non probatur has Clausas esse in hoc angulo; nam ex lectura apparet eas esse in territorio Lazarelli, & non Moraschi, & ideo congruẽtius situari possũt ex alia parte nẽpe Romagnesij, vbi reperitur etiã & Tidonus & Tidoncellus. Quantum verò attinet ad laudum anni 1384. dictum fuit, non multum facere ad rem; nam si prætenditur bona Roncalearum comprehendi in eo, ex quo reperiuntur acquisita per Sibyllinam, iam hęc difficultas sublata fuit in alia decisione,* cũ diuersa fuerit hæc ab illa, quæ compromisit; Si verò prætenditur fines in inuestitura descriptos, ad quam se refert laudum comprehendere Roncaleas, hoc non probatur; nam neque certa est situatio montis de Laudezana, neque etiam Cornaletti, immò ex duobus instrumentis Maluicinorum de anno 1326. & 1460. apparet Cornalettum esse iuxta Tidoncellum & Morascum, & saltẽ offuscatur valde hæc probatio Episcopi, quam tamen Domini dixerunt esse debere claram & cõcludentem ad effectum de quo agitur; Et mirum est in istis instrumentis cum tot loca enuncientur, nunquam enunciari aliquem ex locis in planta descriptis intra Roncaleas, & ista probatio est valde incerta; tum quòd conantur Domini ex aduerso informantes ex istis instrumentis

sub die Mercurij 2. Decẽbris 1587.

2 licèt antiquissimis, † tamen inter alias personas gestis, probare possessionem contra tertios; quod vix admitti potest *ad tradita per Asym. de antiquit. temp. part. 1. §. viso de fama. num.* 21. tum quòd ex hac possessione volunt inferre ad comprehensionem Roncalearum in inuestitura, cum tamen in instrumento diuisionis non enuncietur omnia bona esse feudalia, & potuerunt isti de Lazarellis possidere etiã alia bona præter feudalia, quæ omnia reddunt rem satis obscuram & incertam pro parte Episcopi.

Carthaginen. Decimarum.
Die Veneris 10. Iunij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegia respectu præiudicij tertij strictè sunt intelligenda, vt minus, quàm fieri possit, tertio præiudicent.*
2 *Priuilegium exemptionis à solutione decimarum dicitur personale, nec transit in Arrendatarios seu emptores prædiorum seu fructuum.*
3 *Fructus, qui colliguntur in bonis personarum exemptarum à solutione decimarũ, si vendantur vel arrendentur, non dicuntur in exemptione comprehensi.*
4 *Quòd quis sit Arrendatarius, probatur ex eo, quòd pecuniam & mercedem locationis præstat pro fructibus futuris colligendis.*
5 *Substantia contractus magis attenditur quàm denominatio.*
6 *Exemptione concessa à solutione decimarum hortorum, non potest exemptus olera vendere, quamuis ipse ea colligat, nisi decima soluatur.*
7 *Exemptio concessa à solutione decimarum, pratorum, herbarum, syluarum, & similium, intelligi debet pro vsu exempti, & eius animalium, non autem si alijs talia vendantur vel arrendentur.*

DECISIO DCCCXXVII.

FRatres sancti Hieronymi vigore priuilegiorum Gregorij X. & Martini Quinti eximuntur à solutione decimarũ ex quibuscunque possessionibus, quas suis manibus & sumptibus excolunt; Accidit autem, vt ab annis 15. citra quidam Eques de Vosmediario Carthaginensis reliquerit monasterio sancti Petri quædam prædia consita arboribus mororum, quibus aluntur Bombices serici conficiendi causa, de quibus ex generali consuetudine totius diœcesis solui decimæ consueuerunt Episcopo & Capitulo Carthaginensi, harum arborum folia soliti sunt Fratres vendere, seu vt prætendit

Ca-

Capitulum arrendare: Quæsitum est, an ad
decimarum solutionem teneantur, & fuit
vnanimi Dominorum sententia conclu-
1 sum teneri; † cum enim agatur, de inter-
pretatione priuilegiorum respectu præiu-
dicij tertij, ea sunt strictè intelligenda, vt
minus quàm fieri possit, præiudicent, *vt per
Oldrad. in consil. 268. num. 1. & 2. Abb.
in cap. licèt. num. 2. de decim. Roman. con-
sil. 180. n. 11. Dec. in c. cũ ordinem. in princ.
2 de rescript.* Ideo † cum huiusmodi priui-
legia sint personalia, *vt fuit resolutum co-
ram R. P. D. meo Blanchetto in causa Pla-
centina Decimarum. 17. Decembris* 1584.
& isti fructus seu folia nõ colligãtur per eos,
3 † sed per emptores seu arrendatarios, non
comprehendi sub verbis priuilegiorum,
quæ præsupponunt totalem culturam adhi-
beri vel manibus vel sumptibus ipsorum
Fratrum; Arrendatarij enim non sunt exẽ-
pti, & tenentur dictorum foliorum decimas
præstare, *c. licèt. & ibi Anchar. Abb. & reli-
4 qui de decim.* † Quòd autem isti verè sint
arrendatarij, patet, quia præstatur pecunia
& merces locationis pro fructibus futuris
per eos colligendis, *Natt. in cons. 49. n. 10.
Corn. cons. 12. num. 1. lib. 4. Aym. consil.
5 145. n. 21.* † Magis enim attenditur sub-
stantia cõtractus quàm denominatio, *Bart.
in l. insulam. de præscript. verb. Bald. in
l. 2. num. 2. C. cõmodat.* Neque obstat, quòd
Fratres suis manibus vel expensis huiusmo-
di arbores colant, quia exigua hæc cultura
non facit, vt liceat eis folia arrendare per
6 alios colligenda, † cum neque etiam con-
cessa exemptione hortorum, possint olera
vendere, quamuis ipsimet colligant, *vt tra-
dit Anchar. in c. ex parte. il primo. num. 2.
& ibi Abb. num. 3. & cæteri de decim.* ratio
enim est, quia ista intelliguntur de fructi-
bus, qui inseruiunt eorum vsui, *vt ibi tra-
dunt prædicti Doctores, & in specie Anna-
nia.* Et ideo non obstat, quòd in priuile-
gijs fiat mẽtio pratorum, herbarum, sylua-
7 rum, & similium; quia † hæc omnia intelli-
guntur pro vsu eorum & propriorum ani-
malium, non autem si alijs pascua, hortos,
& similia venderent aut arrendarent, *d. cap.
licèt. vbi omnes, de decim. Rebuff. de decim.
q. 14. num. 57. cum sequentibus.* Non obstat,
quòd licitum sit Fratribus triticum, & alias
species collectas ex eorum prædijs vendere,
quia hoc licet, quãdo proprijs manibus vel
sumptibus ipsi, non autem alij collegerunt.
Neque verum est *Anchar. & alios* loqui in
priuilegio restricto ad vsum Fratrum, quia
si ita conceptum esset priuilegium, non in-
digeret declaratione, sed cũ ipsi dicant in-
telligendum esse de hortis ad proprium v-
sum tantum, satis indicant hanc esse inter-
pretationem iuris, quæ restringit generalẽ
sermonem sine indefinitum ad hunc casum
tantum, ne fiat præiudicium ijs, quibus de
iure decimæ debentur. Quare conclusum
Fratres siue eorum Arrẽdatarios teneri àd
solutionem decimarum.

Romana Castri Gandulphi.
Die Lunæ 30. Iunij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Pro legatis & fideicommissis competit Sal-
uianum Interdictum ad immissionem in
possessionem obtinendam, & ita semper
fuit in Rota obseruatum.*
2 *Fideicommissum etiam in contractibus fieri
potest.*
3 *Immissio in possessionem ex Saluiano datur
probatis extremis possessionis authoris.*
4 *Possessio probatur per instrumentum loca-
tionis.*
5 *Confessio conductoris nocet hæredi.*

DECISIO DCCCXXVIII.

FVit resolutum altera tantum parte in-
1 formante † competere Illustriss. Do-
minis Mariano & Bernardino de Sabellis
Saluianum interdictum ad obtinẽdum im-
missionem in possessionem Castri Gandul-
phi vigore fideicommissi contenti in instru-
mento, de quo agitur; nam quòd huiusmo-
di remedium detur pro legatis & fideicom-
missis, fuit semper in Rota obseruatum; vt
patet *ex decis. Palaotti 333. in vna Foroli-
uien. Bonorum. quicquid in contrarium sen-
serit Doctissimus D. Sarmientus in suis de
redditibus Ecclesiæ Commentarijs part. 3. c. 2.
num. 19. & 20. quem refert & sequitur Me-
noch. de adipisc. remed. 3. num. 23.* Quòd
autem in dicto instrumento contineatur fi-
deicommissum, visum est carere omni diffi-
cultate, cũ ibi dispositiuè habeatur, vt defi-
ciente ipsius Domini Federici linea mascu-
lina, succedant in dicto Castro proximio-
res de domo & familia sua, exclusis fœminis,
in infinitum, ordinem verò successionis su-
pra declarauerat in ea prohibitione, quam
fecit, ne possit extra familiam alienari, ce-
di, donari, aut testamento relinqui, * Re- * ad quod facit Abb. cõs. 81 per tot. & Aym. cõ. 22. sub n. 6.
ceptissimum autem est, *& à Rota in pluri-
bus causis resolutum, & præsertim coram
me in causa Portuen. Bonorum de Colum-
2 na,* [a] † posse in contractibus fideicommit- a sub die 20. Maij 1575.
ti, *Aym. in cons. 19. num. 9. cum alijs tunc
3 allegatis.* [b] † Probata etiam sunt extrema
4 requisita in hoc remedio, † cum probetur b Marzar. in epit. in 2. pa. q. 2.
possessio Domini Federici, per instrumentũ
locationis factæ bon. mem. Cardinali præ-
5 senti & acceptanti, † quæ confessio nocet
hæredibus, *Rota decis. 1. de fid. instr. in an-
tiq. Felin. in c. inter dilectos. num. 8. de fid.
instr.* Quia tamen ex aduerso in quodam
memoriali allegabatur dari retentionem
ratione melioramentorum & debitorũ com-
muniũ per Cardinalem solutorũ, fuit reser-
uatum, vt particulariter hæc discuterentur,

Albanen. Donationis.
Die Lunæ 20. Iunij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Renunciatio legis ſi vnquam. C. de reuoc. donat. requirit ſpecificam & indiuiduã illius renunciationem, nec ſufficit generalis, quæ fit per illa verba renuncians omni legum auxilio.*
2 *Vbi in donatione fuit cogitatum de filijs & ſpecialiter prouiſum, non habet locum diſpoſitio d. l. ſi vnquam.*
3 *Prouiſio hominis facit ceſſare prouiſionem legis.*
4 *Reuocatio donationis per ſuperuenientiam liberorum, quæ fit ex diſpoſitione l. ſi vnquam, dicitur in fauorẽ patris introducta; & ideo, vt operetur, requiritur ipſius vel tacita vel expreſſa declaratio.*
5 *Diſpoſitio l. ſi vnquam. non habet locum, quando donatio fuit limitata ad tempus deceſſus ſine filijs, aliàs ſufficit ſola filiorum ſuperuenientia.*
6 *Quando vnum præſupponitur & aliud diſponitur, non poteſt diſpoſitum ſortiri effectum; niſi vero exiſtente præſuppoſito.*
7 *Par eſt virtus taciti & expreſſi.*
8 *Qui vult conſequẽs cenſetur velle & neceſſarium antecedens.*
9 *Interpretatio fieri debet, ne inducatur iuris ſui renunciatio, contra iuris regulas.*
10 *Argumentum à contrario ſenſu non eſt deſumendum ad effectum amiſſionis, vel iuris ſui renunciationis.*
11 *Per prohibitionem poſt fideicommiſſum abſolutum factam, ne hæres poſſit bona ante ætatem vigintiquinque annorum alienare, nõ cenſetur ſublata legis prohibitio ex fideicommiſſo reſultans poſt dictam ætatem.*

DECISIO DCCCXXIX.

Illuſtriſſ. Dominus Chriſtophorus Sabellus de anno 1560. donauerat Illuſtriſſimo bon. mem. Cardinali Sabello pro ſe ſuiſq. ſucceſſoribus medietatem Ciuitatis Albani cum ſua iuriſdictione mero & mixto Imperio, & ſuis pertinentijs, cum pacto quòd in euẽtum, in quẽ prædictus Dominus Chriſtophorus decederet relictis filijs legitimis & naturalibus maſculis tantum, tunc & eo caſu pars ſeu portio eiuſmodi cũ omnibus & ſingulis rebus bonis ac iuribus &c. redeat, ac redire debeat ad dictos filios legitimos & naturales: Natus eſt deinde filius maſculus d. Domino Chriſtophoro, per cuius natiuitatem prætẽdebat eſſe reuocatam prædictam donationem, quare fuit dubitatum, An per natiuitatem dicti filij maſculi ſit factus locus diſpoſitioni *l. ſi vnquã.*
1 *C. de reuoc. donat.* † & pro parte affirmatiua deducebatur principaliter, quòd in prædicta donatione non fuerat renunciatum diſpoſitioni *d. l. ſi vnquam.* cum requiratur ſpecifica & indiuidua rẽnunciatio, nec ſufficit generalis, quæ fit per illa verba renuncians omni legum auxilio, *vt poſt Roman. tradit Iaſ. in conſ. 230. col. 3. Pariſ. conſ. 75. num. 53. lib. 1. Tiraq. in d. l. ſi vnquam. in princ. n. 127. cum alijs per informantes allegatis;* * Ideo Dominum Chriſtophorum habere fundatam intentionem in diſpoſitione iuris communis: Tota autem difficultas huius cauſæ vertitur in eo, † quòd 2 in donatione fuit cogitatum de filijs tam maſculis quàm fęminis, & vtroque caſu ſpecialiter prouiſum; † & ideo hanc prouiſionem hominis facere ceſſare prouiſionem legis, *l. fi. C. de pact. conuent. cum concord.* Pro qua opinione vidẽtur plura deduci poſſe; Et primo, quòd † reuocatio, quæ fit ex diſpoſitione dictæ legis, eſt inducta in fauorem patris, *prout fuit per Dominos reſolutum in hac eadem cauſa coram R. P. D. Robuſterio 27. Nouembris 1577.* & ideo quãuis eõ volente ipſo iure cenſeatur ſtatim reuocata donatio per filiorum natiuitatẽ, nihilominus requiri tacitam vel expreſſam ipſius declarationem, *vt per Rub. Alex. in l. Titia. §. Imperator. num. 253. & ſequent. de leg. 2. Iul. Clar. in §. donatio. quæſt. 23. in fin.* Quare † cum habeamus declarationẽ ipſius patris ab initio limitatam ad tempus deceſſus ſine liberis, non videtur poſſe locũ habere diſpoſitio legis, quę non poteſt conuenire cum illa diſpoſitione, vt ſi decedat cum filijs maſculis, tunc & eo caſu redeat, ac redire debeat, inſpecta enim legis prouiſione rediſſet ſtatim, neque expectãdus eſſet obitus, & ita videtur Dominus Chriſtophorus reſtrinxiſſe ſe ad caſum, qui non poteſt concurrere cum caſu legis, & redderetur eius prouiſio ſuperflua & ſine effectu: Præterea, & ſecundo videtur hæc diſpoſitio incompatibilis cum prouiſione legis, cum in ea habeatur, vt hæc medietas Albani donata redeat, & redire debeat ad dictos filios ſuos, ſed ex legis diſpoſitione rediret ad Dominum Chriſtophorum, videtur itaque noluiſſe vti beneficio huius legis, cum eadẽ bona nõ poſſint ad eum redire vno tempore, & alio tempore ad filios; nam ſemel facto loco prouiſioni legis, altera eſt omnino ſine effectu. Tertio conſiderari etiam poteſt, quòd † quando vnum præſupponitur, & aliud diſponitur, non poteſt diſpoſitum ſortiri effectum, niſi vero exiſtente præſuppoſito *ad notat. per Doctor. in l. mancipia, C. de ſeru. fugiti.* At in caſu iſto cum diſponatur, vt tunc & eo caſu res donata redeat ad filios, tacitè videtur præſupponi in neceſſarium antecedens, quòd tunc temporis dicta res reperiatur adhuc eſſe penes donatarium: Vnde infertur ad veritatem præſuppoſiti neceſſarium eſſe excludere prouiſionem legis. Nec obſtat, quòd hoc præſup-

*Curt. iun. poſt tract. de feud. cõſ. 15. col. 4. poſt med. Aym. cõſ. 711. n. 5. cum ſeq.

suppositum sit tacitum non autem expres-
7 sum, + par enim videtur hoc casu virtus taciti
8 & expressi ex regula illa, quòd, + qui vult consequens, censetur & velle necessariũ antecedens, *l. cum quid. si cert. pet. l. illud. & ibi Bart. & Castr. de acquir. hæred. c. ex parte. & ibi Butr. Abb. & cæteri de sponsal.* Ex aduerso pro Illustrissimo Domino Christophoro deductum fuit, cogitationem habitam fuisse de liberis non in eum casum, in quem cadit legis prouisio sed in diuersum casum, nempe obitus cum filijs; & ideo hãc cogitationem non debere trahi extra suum casum ad effectũ, vt cesset dispositio legis, quæ casui omisso prouidet, & hoc videtur voluisse in terminis ferè *Bald. in cons. 167. quidã Franciscus. in 1. dubio. lib. 5. quem sequitur Ias. in cons. 230. col. 3. vers. tertio prædicta. lib. 2.* Secundo videri hanc prouisionem factam à disponente non ad effectum, vt ipso non declarante, prout requiri talem declarationem supra dictum est, possent filij hanc declarationem facere, & reuocare
9 donationem; + & hanc interpretationem esse amplectendam, ne inducatur contra iuris regulas iuris sui renunciatio, *ex deductis per Tiraquell. in d. l. si vnquam. in verb. donatione largitus. num. 207. cum seq.* Tertio videtur facere sátis probabiliter pro hac parte, quòd cum Dominus Christophorur voluerit prouidere Illustris. Dominæ Iuliæ de dote in prædicto instrumento donationis, pari modo prouidisset de alimentis filijs nascituris, si noluisset per eorum natiuitatem reuocari donationẽ legis beneficio; absurdum enim est, quòd voluerit filiæ fœminæ in casu non reuocationis prouidere, filios verò masculos omni auxilio destitutos deserere. Neque obstare, quòd prouiderit eis in casum, quòd ipsis superstiti-
10 tibus decederet; quia + nõ debet desũmi argumẽtũ à cõtrario sensu ad effectũ amissionis, aut renunciationis iuris sui, *vt latè per Euerard. in loco à contrario sensu.* Quartò fuit consideratum, quemadmodum + si post fideicommissum absolutum fiat prohibitio, ne hæres possit bona alienare ante ætatem vigintiquinque annorum, non censetur sublata legis prohibitio ex fideicommisso resultans post dictam ætatem, *vt voluit Castr. in cons. 263. num. 3. vers. sed ad primum. lib. 2. Dec. cons. 386. num. 4. cum alijs allegatis in causa Bononien. de S. Petro 14. Martij 1586. coram R. P. D. meo Decano.* ita in casu isto prouisio respiciens tempus obitus non debet tollere prouisionem legis, quæ operatur diuerso tempore. Et hæc quidem fuerunt in hoc articulo per Dominos considerata; tamen ob sententiarum diuersitatem, & quia agitur de causa magni præiudicij, & valde exemplari non fuit capta resolutio, sed restricta ad hoc, vt videatur, an adsit sufficiens renunciatio *d. l. si vnquam.* respectu filiorum masculorum.

Romana Donationis.
Die Mercurij 22. Iunij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Mater non petens intra annum dari tutorem filijs, non potest petere admitti ad illorũ successionem ex dispositione l. sciant. C. de legit. hæred. nisi causa excusationis ab ea allegetur.*
2 *Bannitus in pœnam capitis dicitur ciuiliter mortuus.*
3 *Pupillo non expedit dari tutorem vel curatorem, quando omnia patris bona fuerunt confiscata propter crimẽ læsæ maiestatis, ex quo sit omnibus bonis priuatus; vel quando adest magnum æs alienum, vt à creditorum molestia liberetur, vt nu. 5. contrarium num. 10.*
4 *Pro filijs banniti propter crimen læsæ maiestatis, nemini permittitur in iudicio cõparere, nisi venia prius obtenta.*
6 *Patruus pupilli ex legis dispositione habetur pro legitimo tutore; sed hoc procedit secundum tempora Digestorum & Codicis; secus est de iure Authenticorum, vt num. 11.*
7 *Confiscatio bonorum non habet locum in bonis extra Prouinciam sitis, quando confiscatio non est propter crimen commissum contra personam Papæ vel Imperatoris.*
8 *Filij nati ante paratum crimen à patre in casu criminis læsæ maiestatis nõ comprehenduntur sub pœna l. quisquis. C. ad leg. Iul. maiestat.*
9 *Pœna confiscationis omnium bonorum propter crimen læsæ maiestatis de consuetudine locum non habet.*
12 *Legitimi tutoris petitioni non est locus, quãdo mater tanquam tutrix & administratrix se gerit.*

DECISIO DCCCXXX.

Agebat Illustrissima & Excellentissima Domina Iulia Sabella ad successionẽ filiorum impuberum respectu quorundam bonorum eis donatorum ab Illustr. Domino Valerio Vrsino, sed quia cum bannitus fuisset & condemnatus pœna capitali Illustrissimus D. Ludouicus Dominæ Iuliæ ma-
1 ritus, & dictorum impuberum pater, + & ipsa intra annum huius banni non petijsset eis dari tutorem; excipiebat Dominus Valerius non deberi matri successionem ex dispositione *l. sciant. C. de legitim. hæred.* Ex aduerso proponebantur nonnullæ excusationes, de quibus actum fuit in præsenti causæ positione, quę ex præsuppositis in dubio eliciuntur, quarum prior est; quia non expediebat pupillis petere tutorem. Altera est; quia aderat patruus legitimus tutor & administrator, qui defensionem pu-

pillorum susceperat, & in præsenti quidem
disputatione præsuppositum fuit dispositio-
nem *dictæ l. sciant.* locum habere non solum
quando pater mortuus est morte naturali,
2 sed etiã quãdo est ciuiliter mortuus, † qua-
lis est bannitus in pœnam capitis, de cuius
præsuppositi veritate, si contingerit dubita-
ri, particulariter erit agendum: Retento
itaque hoc themate de duabus excusationi-
bus actum fuit, quæ pro parte Dominæ Iu-
liæ deducebantur, quarum prior est, quòd
cum per fiscum fuisset processum contra
D. Ludouicum, & lata sententia contra eũ
in crimine læsæ maiestatis ex dispositione
l. quisquis. C. ad leg. Iul. maiest & factum
per eum inuentarium, necnon apprehensa
3 possessio omnium bonorum † non expedie-
bat pupillis petere eis dari tutorem vel cu-
ratorem *ad tex. in l. 2. §. quod si penitus. &
§. tractari. ad S. C. Tertull.* cum ipsi essent
de iure priuati omnibus bonis, nec non ma-
terna & auita, nec non omnium proximio-
rum hæreditate & successione, *l. quisquis.
§. filijs. C. ad leg. Iul. maiest.* Et hoc præser-
4 tim, † cum nemo pro eis posset in iudicio
comparere sine venia, *d. l. quisquis. §. deniq;*
quam tamen petitam obtinere non potue-
runt, cum commissio pro eorum parte pre-
sentata in Signatura Sãctissimi reiecta fue-
rit. Confirmatur ex eo, quòd præter hu-
5 iusmodi priuationem † aderat etiam ma-
gnum æs alienum; & ideo magis expedie-
bat pupillis non habere tutorem, vt à cre-
ditorum molestia liberarentur, *d. l. 2. §. tra-
ctari. vers. ergo etiam si mater ei. ff. ad Ter-
tull.* Altera excusatio desumebatur ex eo,
6 quòd † aderat Dominus Valerius patruus
pupillorum, qui erat ex legis dispositione
vnus ex legitimis tutoribus, qui admini-
strabat & gubernabat omnia bona, & pu-
pillos defendebat, itaut nullum posset ex
matris cessatione oriri præiudicium ipsis
pupillis, *d. l. 2. §. si mater. vers. sed si for-
te. glos. in l. matres. C. eod. tit. ad Tertull. &
ibi Salicet. num. 3. & in l. sciant. num. 3.
Socin. iun. consil. 16. num. 13. in fin. lib. 2.*
Quod autem D. Valerius administraret, &
defenderet, colligitur ex præsuppositis, &
ijs, quæ in facto deducuntur. His tamen
non obstantibus fuit per Dominos dictum,
has excusationes non esse sufficientes; nam
quantum ad priorem, * quæ sumitur ex eo,
quòd isti pupilli erant omnibus bonis pri-
uati, responderunt hoc non esse verum; ha-
bebant enim isti pupilli bona relicta sibi à
Domino Raymundo, nec non bona auita in
7 Prouincia Marchiæ, † quæ non poterant
cadere sub confiscatione, cum pœna d. l.
quisquis. non habeat locum, nisi quãdo cri-
men est commissum contra personam Papæ
vel Imperatoris, aut saltem odio ipsorum,
*vt tradit Clar. in pract. crimin. §. læsæ ma-
iestatis. num. 14. Alciat. in consil. 467. n. 6.
in fin. post Andr. de Isern. in c. 1. in verb.
& bona committentium. num. 81. quæ sint*
8 *regal.* Præterea fuit consideratum, † filiũ,
de cuius successione agitur, natum fuisse
ante perpetratum delictum; & ideo non cõ-
prehendi in pœna *d. l. quisquis. Clar. vbi
supra num. 12. post Alciat. d. consil. 467.*
9 Insuper † hanc pœnam de consuetudine nõ
habere locum testatur *Angel. in l. fallaci-
ter. num. 4. C. de abolition. Socin. in consil.
275. num. 3. in fin. lib. 2. Clar. vbi supra.*
10 Quare † pupillis melius erat habere tuto-
rem, quàm non habere, ratione istorũ bo-
norum, super quibus non poterant etiam
grauari à creditoribus paternis; & ideo ces-
sat etiam consideratio, quæ fit super ære
alieno, quo grauati erant pater & patruus.
Quantum ad posteriorem excusationem,
11 † quòd aderat legitimus tutor & admini-
strator respondebant Domini hoc non re-
leuare; tum quia excusatio illa procedit se-
cundum tempora Digestorum & Codicis,
quibus matres ad tutelam legitimam non
admittebantur, sed hoc postea correctum
fuit *per Authent. matri & Auiæ. C. quand.
mul. tut. off. fung. poss. vt tradit Bart. in d.
l. matres. & post eum cæteri*, tum etiã quia
in quodam instrumento ipsa vocauit se tu-
tricem & administratricem filiorum, & sic
apparet eius intentionis fuisse non recusare
12 filiorum tutelam, † quo casu non erat locus
legitimo: Ponderatum fuit etiam actus ad-
ministrationis Domini Valerij esse æqui-
uocos, cum præsumatur vti consors admi-
nistrasse propter communionem bonorum;
maximè cum in alienatione Casalis consti-
tutus fuerit procurator à Domina Iulia vti
tutrice, quæ res declarat eius animum re-
spectu administrationis. Et ita fuit conclu-
sum reseruatis cæteris excusationibus, quæ
extra dubium ab informantibus tactæ fue-
runt; An autem dispositio *l. sciant.* habeat
locum etiam in morte ciuili indiget parti-
culari discussione.

* quantũ ad hoc · apud cõfirmata fuit resolutio ista sub die 28. Nouẽb præsentis anni.

Ariminen. Census.
Die Veneris 1. Iulij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Extinctio census facta per procuratorem vigore auctoritatis sibi in mandato concessa, si mandatum non sit sufficiens, est nulla & inualida.*
2 *Procurator constitutus ad exigendum fructus census non dicitur constitutus ad retrouendendum.*
3 *Natura census est, quòd non possit inuito debitore extingui.*
4 *In vẽditione mandatũ speciale requiritur.*
5 *Mandatum etiam quòd sit cum plena & libera, speciali, & generali administratione concessum, tamen per verba præcedentia & sequentia restringitur ad*

pra-

præmissa, & fines præmissorum potestas procuratoris egredi non potest.

6 *Ex sequuta per principalem approbatione similis actus per procuratorem in alio tempore facti, non potest desumi argumentum ad approbationem alterius actus postea facti.*

7 *Priora magis influunt in sequentia, quàm è contra.*

8 *Vsus & obseruantia non possunt colligi nisi ex actibus præcedentibus.*

9 *Ex diuersis non potest fieri illatio.*

10 *Dispositio l. per diuersas. C. mandati non habet locum in cessione, quæ fit per recognitionem bonæ fidei, & vbi pecuniæ erant cessionarij.*

DECISIO DCCCXXXI.

Constitutus fuerat census super quibusdam suis bonis à Domino Carolo de Hippolytis ad fauorem Domini Alexandri Pannaterij, qui dictum censum per viam recognitionis bonæ fidei cessit & transtulit in R. P. D. Maluasiam; deinde idem Pannaterius vigore cuiusdam mandati eiusdē Domini Maluasiæ ad exigendum, & alia faciendum, prout in mandato eundem censum extinxit. Quare cum D. Maluasia vellet terminos decursos exigere à dicto Carolo, is excepit de extinctione, & reportauit sententiam pro se, quæ post modum fuit renocata à R. P. D. Iusto; * & demum per appellationem causa in Rota introducta, fuit dubitatum; An hæc posterior sententia esset confirmanda, & Domini censue-

* nunc Auditoris Cameræ locum tenente.

1 runt esse confirmandam: † extinctio enim census per Pannaterium fuit expressè facta vigore auctoritatis sibi concessæ in dicto mandato; quare cum mandatum non esset sufficiens, fuit nulla & inualida; restrinxit enim se ad facultatem, quæ ei data nō fuerat, ideo non potest valere neque hoc nomine neque alio, *Roman. in consil. 446. nu. 7. Cassad. decis. 7. de appellation.* Quòd autē mandatum non esset sufficiens colligitur ex

2 eo, quòd † erat constitutus tantum ad exigendum non autem ad retrouendendum;

3 maximè † attenta natura census, qui non potest inuito debitore extingui; & elarum

4 est † in venditione exigi mandatum speciale, *l. procurator totorum. de procurator. l. procuratorem. C. eod.* Neque obstat, quòd

5 mandatum fit cum plena & libera, speciali, & generali administratione, quia hæc clausula restricta est per verba præcedentia & sequentia ad præmissa, itaut hæc libera potestas non possit egredi fines præmissorum, *cap. qui ad agendum. de procurator. in 6. Alex. in l. qui Romæ. §. Callimachus. nu. 6. de verb. obligat. & cons. 22. num. 10. lib. 2. Ruin. cons. 59. num. 3. lib. 5.* Non obstat, quod ad sustinendam hāc extinctionem de-

6 ducitur, † D. Maluasiam approbasse quandam aliam extinctionem factam per D. Pānaterium vigore dicti mandati, nam in ea tria concurrunt, quæ omnino tollnnt applicationem huiusmodi argumenti; Primum est, quòd dicta extinctio & approbatio fuit facta per decem & septem mēses post priorem illam, de qua agitur; ideo non potest

7 ab ea desumi argumentum, † cum priora magis influant in sequentia quàm è contra *gloss. in l. quisquis. & ibi Bart. de leg. 3. l. si quis ex argentarys. §. si initium. & ibi Ias. de edend.* maximè in materia vsus & obser-

8 uantiæ, † quæ non potest colligi nisi ex præcedentibus actibus, & ita loquūtur textus, qui in simili citari solent *in l. vel vniuersorum. de pign. act. & in l. si seruus plurium. §. fin. de leg. 1. & in l. heredes palam. §. si quid. in fin. de testam. cum simil.* Secundū est, quòd in prædicta posteriori extinctione creditor noluit confidere simplici mandato; sed voluit, vt Pannaterius obligaret se de suo proprio & de obtinenda ratificatione, & hoc bene colligitur, tum ex instrumento, tum ex fide notarij, qui de illo actu fuit rogatus: Tertium est, quòd Dominus Maluasia actū illum ratificauit mediante pretio sibi per Pannaterium tradito

9 & soluto: Vnde † non potest fieri illatio ex diuersis, *vulgat. l. Papinianus exult. de minorib. Roman. Aretin. & Alexand. citati per Bero. in consil. 123. nu. 16. & 17. lib. 1.* Quæ verò allegantur de nullitate cessionis census ex dispositione *l. per diuersas. C.*

10 *mandat.* † non habent locum in cessione, quæ fit per recognitionem bonæ fidei, & vbi pecuniæ erant ipsius cessionarij, vt fuit pluries dictum in Rota, & omni caret dubitatione. Quare conclusum sententiā R. P. D. Iusti esse confirmandam.

Placentina Bonorum.
Die Veneris 1. Iulij 1588.

SVMMARIVM.

1 *Vbi agitur de dominio incidenter, illud ex sola possessione probatur, & hoc procedit, quando possessio est pacifica; secus si vitiosa.*

2 *Sententia lata domino directo non vocato non potest mitti exequutioni, si ipse postea contradicat.*

3 *Repositio à decreto aduersus termini præfixionem concessa, potest per aliam repositionem partis contraria tolli.*

DECISIO DCCCXXXII.

Fvit dubitatum, an constaret de effectuatione inuestiturarum antiquarum ante annum 1443. respectu Ronealearum: Effectus dubij eo tendebat; quia prætendebat Reuer. Dominus Episcopus Bobiensis, cui fuerat præfixus terminus iuxta formam cōmissionis ad docendum de iure suo, se do-

cere de poſſeſſione terrarum, de quibus agitur, ex effectuatione præfatarum inueſtiturarum: Quamuis enim in commiſſione eſſet præcisè reſcriptum, vt præfigeretur terminus ad docendum ſummarie bona huiuſmodi eſſe vel non eſſe de directo dominio Eccleſiæ Bobienſis; tamen Domini exiſtimabant idem eſſe ſi D. Epiſcopus doceret de ſua poſſeſsione ad effectum, vt impediretur proceſſus in cauſa ſpolij pendens in partibus coram iudicibus laicis; & cum in prædictis antiquis inueſtituris nulla fieret mentio iſtarum terrarum, quæ proprio vocabulo Roncaleæ dicuntur; ſed controuerteretur, an comprehenderentur intra fines in dictis inueſtituris deſcriptis, conabantur ſcribentes pro Epiſcopo docere dictas inueſtituras ſortitas fuiſſe effectũ ĉr in Rõcaleis, idq. ex pluribus: Et primo ex quodam inſtrumento diuiſionis factę inter Dominos de Lazarello antiquos vaſſallos inueſtitos de bonis ad Epiſcopatum pertinẽtibus de anno 1278. Secundo ex laudo lato inter Com. Iacobum del Verme ex vna, & Paulum Pauerum & Sibyllinam eius vxorẽ ex alia de anno 1384. Sed hæc duo capita diſcuſſa fuerunt plenè & reſoluta contra D. Epiſcopum ſub die 8. Iunij proximè præteriti, prout in deciſione: Quare in præſenti poſitione actum fuit generaliter ſuper reliquis fundamẽtis; & pro parte Domini Epiſcopi fuit iterum reuocata in dubium deciſio, nihilominus placuit Dominis pro maiori parte non probari intentionem Epiſcopi; nam quantum ad ea, quæ deducta fuerunt contra Deciſionem, ea viſa fuerunt eademmet fundamenta, quæ prius pro eius parte fuerunt deducta, quibus abunde in deciſione ſatisfactum fuit. Quantum verò ad probationem, quam deducere volunt ex confeſſione quondam Ioannis de Arcellis, & hominũ Nibiani de anno 1443. in qua declarauerunt omnia cõtenta intra Tidonum & Tidoncellum ſpectaſſe ad Comites del Verme, hæc tollitur ex eo, quòd dicta confeſſio fuit per vim & metum extorta à Comite Aloyſio del Verme, vt ex declaratione eiuſdem Ioannis, & teſtibus examinatis apparet, ſed neque etiam prædicta confeſſio præiudicare poteſt Dominis Marchionibus, qui non habent ius à prædicto Ioanne, qui tantum erat vſufructuarius, prout ex inſtrumentis apparet. Quantũ ad probationem, quæ deducitur ex teſtibus examinatis ſuper poſſeſsione Vermienſium de anno 1460. vſque ad annum 1472. ea debilitatur in totum ex teſtibus Dominorum Marchionum pro quibus adſunt vrgentia adminicula; nam adſunt plura inſtrumenta emptionum terrarum iſtarum ab anno 1329. vſque ad annum 1384. emptarum ab authoribus Maluicinorum, in quibus enũciantur allodiales, & in territorio Nibiani: Adeſt compromiſſum factum inter Bernardinum de Curte ex vna, & Dominos de Maluicinis ex alia ſuper iſtis Roncaleis in D. Caſtellinum de Puteo de anno 1500. qui poſtea de anno 1501. laudauit ad fauorem Maluicinorũ, & declarauit Roncaleas ſpectare etiam iure dominij ad Maluicinos, quod laudum fuit per partes homologatũ: Adeſt etiam alia ſententia diffinitiua iudicum Regalis & Ducalis Cameræ Mediolanenſis lata ad fauorem Maluicinorum de anno 1506. quæ fuit mandata executioni, vt apparet ex diuerſis inſtrumẽtis locationum dictarum terrarum, vnà cum ſolutionibus penſionum affictuum: Adeſt alia ſententia de anno 1509. Mediolani lata, in qua declaratur Maluicinos non debere moleſtari ſuper iſtis bonis: Sunt & alia, quæ in facto deducuntur, ex quibus non ſolum redditur turbida probatio Epiſcopi, ſed etiam videtur in totum tolli, & ius Marchionum verificari. Neque obſtant ea, quæ per Dominos Aduocatos in iure deducuntur; & Primo, quod dicitur iſtas terras comprehẽdi in inueſtitura anni 1448. quia prętérquam quòd dubium reſtrictum eſt ad inueſtituras ante annum 1443. & ita iſta conſideratio eſt extra dubium, tamen ſatisfaciẽdo huic obiectioni dictum fuit hanc inueſtituram fuiſſe alteratam in deſcriptione finium; & ideo non eſſe attendendam, ſed recurrendum ad priores inueſtituras, ad quas ſe refert, ſed etiam hoc eſt animaduertendum eam fuiſſe factam poſt occupationem factam per Com. Aloyſium, & ad confouẽdum ſpolium ipſius; & ideo non eſſe attendendam vti colluſiuam, & hac ratione moti Domini aliàs cenſuerunt, vt dubium reſtringeretur ad tempus ante ſpolium, quia noluerunt habere rationẽ eorum, quæ ſequuta ſunt poſt ſpolium; nam ſi Dominus Epiſcopus vult iuuari ſpolio per Aloyſium commiſſo, & illud ratificare, vtique ex propria confeſſione detegitur colluſio & non
1 ius ipſius. Neque obſtat, quòd † cum hic agatur incidenter de dominio Eccleſiæ, id probatur ex ſola poſſeſſione, *vt per Bart. in l. quidam. num. 4. de inſtitut. & ſubſt. Dec. conſ.* 221. *num. 4. cum alijs,* * id enim procedit, quando poſſeſſio eſt pacifica, & non vitioſa. Neque quicquam facit *Deciſio Affl.* 380. quia ibi nulla erat controuerſia ſuper iure directi dominij, immo præſupponitur pro claro & indubitato; ideo
2 nihil mirum, † ſi ſententia lata domino directo non vocato, ipſo poſtea contradicente, non erat executioni mittenda, ſed de hoc iure in caſu noſtro non conſtat, & eodem modo tollitur *Deciſio Achill.* 10. *de re iudic.* ibi enim clarum erat ius ipſius proprietarij: Vnde ea, quæ dicuntur *contra l. iſ à quo. de rè vendic.* quòd non applicentur, non valde vrgent; præſertim quia hoc fuit

* Crauet. cõſ. 157. num. 6. & in his terminis Affl. decis. 380.

fuit ex abundanti factum ad excludendum omne praeiudicium Episcopi. Neque obstat, quòd immo eius praeiudiciũ in eo versetur, quòd cogeretur habere Vassallos sibi inuisos, quia hoc non est perpetuum praeiudicium; nam docto de iure suo excludit Maluicinos, & recuperabit istas terras, easque concedet, quibus voluerit, nam cautio haec respicit tantum tempus litis pendentiae. Vltimo non obstat, quod deducitur
3 † aduersus termini praefixionem, ex quo ab ea fuit appellatum, & repositio per me cõcessa, quia satis est, quòd ab ea praefixione hucusque tantum temporis intercesserit, vt potuerit Episcopus commodè docere de iure suo, quòd cum non fecerit per aliam partis cõtrariae repositionem, potest tolli illa prior repositio, & deueniri ad moderationem inhibitionis, cum facto ipso Dominus Episcopus habuerit competentẽ dilationem, causa enim per decem & octo mẽses fuit discussa, & à die praefixionis termini effluxerunt quinque & amplius menses, & plura dubia discussa, & resoluta. Quare conclusum Episcopum nõ probare effectuationem inuestiturarum; & ideo cũ non doceat de suo iure claro, non esse impediẽdum iudicium spolij, quod pendet in partibus inter Marchiones & Comites, sed moderãdam inhibitionem, causa super directo dominio Ecclesiae inter Episcopum & Marchiones in Rota remanente.

Calciaten. Canonicatus.
Die Veneris 7. Octobris 1588.

SVMMARIVM.

1 *Auditor Rotae potest facere prouisionem seruatis seruandis, quamuis gratia sit directa Ordinario in forma dignum, quando lis fuit in Rota introducta, quoniam Auditor subintrat in locum exequutoris dati in litteris.*

DECISIO DCCCXXXIII.

1 ROtae Auditorem posse seruatis seruandis facere prouisionem Doctori del Gante, quamuis gratia sit directa Ordinario in forma Dignum; nam hoc fit secundũ stylum Cancellariae, & vbi lis est in Rota introducta, Auditor subintrat in locum exequutoris dati in litteris, *vt fuit aliàs decisum coram R. P. D. Aldobrandino nunc Cardinali Illustrissimo* in vna Legionen. Canonicatus* 25. *Octobris* 1574.

* & postea Pontif. Opt. Max. Clemente Octauo nuncupato.

Ciuitaten. Constructionis Capellae.
Die Lunae 10. Octobris 1588.

SVMMARIVM.

1 *Incipiens aedificare post litem coeptam committit attentatum.*

2 *Lis facit, vt illud, quod erat licitum, fiat illicitum, & attentatum.*

3 *Inhibitio habet vim nunciationis noui operis, si sit specialis de non aedificãdo, et n.5.*

4 *Post noui operis nunciationem, quicquid construitur, venit demoliendum.*

DECISIO DCCCXXXIV.

1 EX duplici capite deducta fuerunt attẽtata pro parte Capituli; primo, † quia post litem coeptam de anno 1585. exequutores testamentarij coeperũt aedificare Capellam, vt videtur probari per testes; maximè per illum Cementarium, qui deponit, quòd de mense Nouemb. 1587. fuit positus primus lapis fabricae dictę Capellę: secundo ex eo, quòd hoc factũ fuit post appellationẽ interpositam à sententia Nuncij & inhibitionem Rotalem, quae fuit praesentata de mense Septembris 1587. quod non licuit,
2 † cum lis ex licito illicitum faciat, & attentatũ, *vt per Bero. in cons.* 118. *per totum, praesertim num.* 4. *&* 28. *lib.* 3. maximè in
3 ista materia, † in qua saltem inhibitio debet obtinere vim nunciationis noui operis,
4 † qua facta quicquid postea cõstruitur, venit demoliendum, *c.* 1. *de nou. oper. nunc. nisi seruata sit forma cap. fin. eod. tit. Bald. cons.* 245. *lib.* 2. *cum simil.* His tamen non obstantibus Domini habuerunt hęc attentata pro turbidis; quia verè per testes non liquet, quo tempore coepta fuit constructio, nam res redditur dubia ex responsionibus Capitularium, & vnicus tantum testis est, ille qui deponit de primo lapide, praeterquã quòd incertum est, an cõstructio debeat dici coepta tunc temporis propter praecedentes praeparationes ac fundamẽta prius excauata & effossa, à quibus fortasse est ducendum initium aedificationis: Accedit,
5 quòd † inhibitio non fuit specialis de non aedificando; & ideo vix potest habere vim nunciationis; & sententia Nuncij transiuerat in iudicatum propter clausulam, appellatione remota, in commissione appositam; Ideo itum est in hanc sententiam, vt tantisper dum cognoscitur dato particulari dubio de praeiudicio Ecclesiae Cathedralis, neque attentata reuocentur, neque supersessoria per me data retractetur; resoluto enim dubio, Rota prout iustum fuerit, prouidebit.

Licien. Redecimae.
Die Veneris 14. Octobris 1588.

SVMMARIVM.

1 *Fructus decursi à die litis contestatae debentur, siue agatur interdicto retinendae siue recuperandae.*

2 *In iudicio retinendae non veniunt fructus ante litem motam, sed tantum à die litis contestatae; quod procedit in iudicio summarijssimo manutentionis, in iudicio verò ordinario licèt summario huiusmodi fructus peti possunt, saltem vti damna*

& interesse, & in eis fit condemnatio; dummodo concurrat doli, vt num. 8.

3 *Vbi fuerunt seruati termini substantiales, & processum per viam sententia non autem decreti, tunc dicitur actum via ordinaria.*

4 *Vbi in sententia fuit omissa condemnatio fructuũ, qui à die litis cõtestata debẽtur, huiusmodi fructus peti non possunt, sed super eis alia sententia est necessaria, qua in consequentiam ferri potest, & num. 6.*

5 *Sententia est stricti iuris, & non extenditur ad ea, qua verbis non continentur.*

7 *In iudicio retinenda non est iustificandus titulus, nec etiam de titulo colorato est docendum, licet in iudicio spolij secus sit.*

DECISIO DCCCXXXV.

1 Domini dixerunt, † regulam esse pro Domino Mauritio respectu fructuum decursorum à die litis contestatæ, siue agatur interdicto retinendæ siue recuperandæ, *l. 3. de interdict. l. quæsitum. §. hoc interdicto. de precar. l. 1. §. ex die. de vi & vi armat. Faber in §. retinendæ. num. 14. Instit.*

2 *de interdict.* † Quantum verò ad fructus, quos percepit Reu. D. Episcopus ante litẽ motam, maior est dubitatio; tũ ex eo, quòd in iudicio retinendæ non videntur venire, *vt tradit idem Faber d. num. 12. vers. item fructus,* qui vult eos venire à die litis contestatæ tantũ, *& in materia manutentionis fuit aliàs in Rota resolutum coram R. P. D. meo Decano in vna Bononien. de Pepulis,* [a] *& coram R. P. D. Blanchetto in vna Calagurritana de Nauarete,* [b] Tamen hæc procedunt in iudicio summarijssimo manutentionis, *de qua per Castr. cons. 3. lib. 2.* in iudicio verò ordinario licèt summario, hi fructus saltè peti possunt vt damna & interesse, in quibus fit condemnatio *iuxta doctr. Bart. in d. l. 1. §. interdictum. num. 5. vti possidet,* vbi ponit formam libelli in hoc iudicio, *Salicet in l. 1. num. 21. C. eod. & Aretin. instit. d. action. §. quadrupli. n. 73. & hanc differentiam inter vtrunque remedium tradit Put. decis. 61. in causa Bono-*

3 *nien. lib. 3.* † Actum autem fuisse via ordinaria interdicto vti possidetis coram Auditore Cameræ constat ex processu, cum fuerint seruati termini substantiales, & processum per viam sententiæ, non autem decreti: sed alia insurgit difficultas, nempe

4 † quòd in sententia fuit omissa ista condemnatio, & ideo eius vigore non possunt peti

5 isti fructus, † cum sententia sit stricti iuris, & non extendatur ad ea, quæ verbis non

6 continentur, *Aym. cons. 74. num. 10.* † ideo super istis videri necessariam sententiam, quæ in consequentiam ferri potest, cum iam super principali fuerit pronunciatum, *vt tradit Cuman. in l. si quis eum totum. col. fin. in 4. quæst. de except. rei iudic.* Neque obstant ea, quæ contra resignationem adducũtur, nam pluribus modis tolluntur; Et primo, quia in isto iudicio nunquam fuit lis super titulo beneficij, sed tantum super fructibus; quinimmo, quantũ ad titulum beneficij adest ipsiusmet Reu. D. Episcopi consensus, ex quo excluditur exceptio illa, quòd non constet de corpore beneficij: Secũ-

7 do, quia † in indicio retinendæ non est iustificandus titulus, immo neque etiam docendum est de titulo colorato, licèt in iudicio spolij secus, & quatenus opus esset docere de aliquo titulo, Dominus Mauritius habet titulum resignationis sufficientissimum ad hunc effectum: Tertio, quia ipse agit in vim cessionis sibi factæ in tempore istorum fructuum, & licèt dicatur instrumentum non esse recognitum, tamen potest de facili recognosci, prout offert pars se curaturam, vt recognoscatur: Quarto & vltimo; quia ostenditur publicatio facta in tempore, eum obtinuerit prorogationem. Neque obstat non fuisse productum instrumentum consensus in actis; quia Constitutio fel. rec. Pij Quinti loquitur, quando lis est tantum super quibusdam fructibus, quos vterque litigans prætendit ad se spectare; alter ratione cuiusdam donationis; alter verò ratione sui beneficij. Neque etiam obstat, quòd publicatio non fuerit facta in Cathedrali; ostenditur enim quoddam instrumentum impedimenti per partem præstiti, sed de hac re visum fuit Dominis non esse necessarium disputare ex his, quæ prius deducta fuerunt: Itaque conclusum fuit Reu. D. Episcopum ad hos fructus restituendos posse condemnari, quod tamen

8 Domini intelligebant, † dummodo de dolosa eorum perceptione ex actis constet, quod erit videndum.

[a] sub die 29. Januar 1578. qua in impress. diuers. nouissim est 3ª part. c. & 1 4 Febr. 1580 in impress. 613. par. 1.

[b] sub die 10. Octob. 1580.

Romana Casalis Sanguinariæ. Die Lunæ 17. Octobris 1588.

SVMMARIVM.

1 *Testes periti & versati in materia, in qua deponunt, optime probant valorem; maximè si deponant ita communiter vendi posse.*

2 *Testis nolens euacuare interrogatoria redditur suspectus.*

3 *Testis non deponens de communi valore, sed tantum de proprio iudicio non probat, nisi non reddat concludentem rationem.*

4 *Testis tantum probat, quantum instrumenta, ad qua se refert.*

5 *Fides regulariter non facit fidem.*

DECISIO DCCCXXXVI.

Fvit resolutum probationem Ill. Domini Francisci Cincij præualere in casu & ad effectum, de quo agitur, nempe euitandi, ne contractus iste reddatur simulatus & fœne-

& feneratitius, licèt enim testes examinati pro parte Excellentissimi Domini Virginij probent concludenter valorem Casalis ascendere ad scuta centum viginti pro quolibet Rubro, ex quo sunt periti & versati in
1 hoc, & deponunt ita communiter vendi potuisse *iuxta doctrinã Baldi. in l. fin. in fin. C. de iur. domin. impetr. Salicet. in l. 2. n. 23. & ibi Cagn. num. 236. C. de rescind. vend.* neque istorum probatio ex testibus ex aduerso examinatis eneruetur, cum primus iuxta decimumnonũ dicat se nescire qualitatem tenutæ, & iuxta vigesimumprimum
2 dicat se nõ esse informatũ de fructibus, † & noluerit euacuare interrogatoria; & ideo reddatur suspectus, *Aym. in cons.* 134. *n.* 43.
3 † Neque deponat de communi valore, sed tantum de proprio iudicio, quæ ratio non est concludens, quia dicit ita fuisse vendita Casalia circumuicina, & tamen neque vidit instrumenta, neque scit pro quanto pretio,
4 vt iuxta trigesimumquintum, † & tantum probat quantum instrumenta, ad quæ se refert, *Afflict. decis.* 72. *num.* 7. Secundus verò testis non sit informatus de qualitatibus tenutæ, neque sciat fructus illius, vt iuxta vigesimumprimum & vigesimumsecundum, & deponat de suo iudicio non de cõmuni æstimatione; Tertius iuxta trigesimumquintũ; dicat se nescire valorẽ tenutæ & referat se ad alias venditiones: Quartus quoq; refert se ad apochã æstimationis factæ ad instantiã Domini Francisci; Et quintus nihil deponat de valore, ideo istorum testium probatio sit valde debilis: Tamen Domini ex alijs dixerunt præualere hanc probationem; nam pro parte Domini Francisci fuerunt producta multa instrumenta venditionum, per quæ omissis illis, quæ sũt de Casalibus sitis in locis remotis, & in quibus non probatur eadem qualitas bonitatis, prout requireretur *ad notat. per Cagnol. in d. l. 2. n. 233. Herculan. in l. pretia rerum. quam legit sub lege in l. Falcidia. col. 9. & 10. ad leg. Falcid.* adsunt nonnulla instrumenta Casalium vicinorum æstimatorum per quosdam nobiles Romanos de anno 1575. qui non æstimarunt vltra scuta octuaginta pro rubro, nec non datio in solutum facta per bon. mem. D. Paulum Vrsinum Dominæ Portiæ de tenuta Campi maris ad rationem scutorum sexaginta octo pro quolibet rubro de anno 1567. Item venditio Casalis Palidori non multum distantis pro scutis 71. de anno 1578. & licèt fortè non probetur satis concludenter per testes Domini Francisci ista Casalia esse eiusdem bonitatis, quamuis aliquid circa hanc rem dicant, maximè primus & secundus, dum deponunt, che hanno il Quarticciuolo per migliore, & adducatur pro parte Excellentiss. Domini Virginij, qui iuxta sextum videtur æquiparare in bonitate Casale Campi maris, & Casale Sanguinariæ, tamen visa est Dominis nimis magna differentia inter pretium dictorum Casaliũ æstimatorum ad summam scutorum octuaginta, & pretiũ Sanguinariæ, de quo deponunt testes Domini Virginij, nempe scentorum centum viginti, neque probatur tam magna differentia bonitatis, vt verisimilis sit talis excessus, & in tanta quantitate: Neque etiã verificatur, quòd aliqua Casalia in toto illo tractu fuerint de illo tempore vendita pro simili pretio. Neque obstat fides nobilium Romanorũ data pro adminiculo; tum quia incertum est, An aliqui ipsorum loquantur de tempore præsenti
5 vel præterito; tum quia † regulariter fides non facit fidem; Ideo per Dominos fuit conclusum, vt Excellentissimus Dominus Virginius adminiculetur hanc probationẽ suam, vel curet formiter examinari nobiles illos Romanos, qui subscripserunt se illi attestationi, vt veritas liquido haberi possit, aliâs probationes pro eius parte deductæ omissis etiam exceptionibus contra testes visæ non fuerunt sufficientes ad effectum, de quo agitur, stantibus ijs, quæ ex aduerso nunc fuerunt deducta, & ex quibus nunc recessum fuit à decisione vltimo loco corã R. P. D. Blanchetto in hac causa facta. * *Sub die Lunæ 27. Octobris 1586.

Albanen. Donationis.
Die Mercurij 26. Octobris 1588.

SVMMARIVM.

1 *Ad hoc vt censeatur renũciatũ l. si vnquã. C. de reuoc. donat. sufficit quòd pater in donatione de filijs cogitauerit etiã in genere, vt de cõmuni, secus est, si non fuerit cogitatũ de filijs, quia tunc generalis renunciatio etiam cum iuramento non sufficit, & est communis opinio, vt num.* 4.
2 *Per expressam prouisionem hominis discitur recessum à prouisione legis.*
3 *Iuramentum habet vim specialis renunciationis.*
5 *Qualiscunque cogitatio de filijs non sufficit ad effectum, vt dicatur renunciatum d. l. si vnquam. sed talis requiritur, qua tendat ad exclusionem illorum; nec sufficit, quòd de illis fuerit cogitatum ad effectum reuocationis donationis tãtum, sed ad effectũ renunciationis beneficij ipsius legis.*
6 *Cogitatio de posthumo viuente vsque ad certam ætatem non facit, vt de eo censeatur cogitatum ante illam ætatem.*
7 *Dispositio l. si vnquam. est principaliter fauore patris inducta, & statim operatur suum effectum ipso iure natis liberis.*
8 *Prouisio hominis in vnum casum, non excludit prouisionem legis in alijs casibus.*
9 *Donatio statim per superuenientiam liberorum reuocatur, & volente patre ipso iure censetur reuocata, sed necessaria est*

est tacita vel expressa patris declaratio.

10 *Donatione per superuenientiam liberorum reuocata, pater non potest amplius de bonis donatis ad libitum suum disponere, sed tenetur ea suismet filijs conseruare propter ius quasitum eisdem filijs in illis,*

11 *In dubio opinionem distinguentem sequi debemus, & eo casu benignior est amplectenda.*

12 *Dispositio d. l. si vnquam. est adeo fauorabilis, vt etiam donatarius filijs natis ad restitutionem in foro cõscientia teneatur.*

13 *Vbi sumus in dubio, an in donatione fuerit de liberis cogitatum, tunc melius est fauere repetitioni quàm lucro aduentitio, ad effectum reuocationis illius.*

14 *In dubio standum est declarationi donãtis.*

DECISIO DCCCXXXVII.

FVit dubitatum stante instrumento donationis, de qua agitur, an fuerit in eo
sufficienter renunciatum *l. si vnquam. C. de reuoc. donat.* Et partem affirmatiuam ali-
qui ex Dominis defendebant ex pluribus;
1 Et primo, quòd † ad effectũ, vt ei censeatur
renunciatum, sufficit, quòd pater in dona-
tione de filijs cogitauerit, *Bart. in l. Titia.*
§. Imperator. num. 8. de legat. 2. cum cæte-
ris hanc sententiam amplectentibus, quos re-
fert Tiraq. in d. l. si vnquam. in præfat. n. 63.
cum multis sequentibus Roland. in cons. 11.
num. 30. lib. 1. Et hæc conclusio procedit,
etiam, quòd ista sit cogitatio in genere, vt
voluerunt *Castr. Alex. Corn. & alij citati*
per Tiraq. ibidem num. 78. qui testatur de
communi, num. 80. in fin. Socin. consil. 53.
num. 7. lib. 4. Clar. in §. donatio. quæst. 22.
Natt. cons. 125. num. 2. Gabr. de donation.
conclus. 2. num. 52. Socin. iun. cons. 67. nu.
52. lib. 2. Hier. Gabr. cons. 127. num. 38.
Fuisse autem cogitatum per D. Christopho-
rum donantem de filijs, ex eo probari; quia
de ijs fecit mentionem prouidendo eis, &
reuocando donationem, si decederet filijs
superstitibus, ex quo videtur alio casu no-
2 luisse reuocari, *l. cum Prætor. de iudic.* † cũ
per expressam prouisionem videatur reces-
sisse à prouisione legis, *l. fin. C. de pact. con-*
uent. & hoc argumento in terminis istis vti-
3 *tur Socin. in cons. 147. n. 14. lib. 1.* † & hoc
maximè accedente iuramento, quod habet
vim specialis renunciationis, *Bald. in l. 1.*
C. commod. Socin. ibid. num. 17. & Socin.
iun. cons. 67. num. 52. lib. 2. Cessat enim
hoc casu ratio fundamentalis dictæ legis,
quæ est, non esse verisimile, donatorem, si de
filijs cogitasset, fuisse donaturum, *vt per om*
nes, quos refert Tiraq. num. 62. in præfatio-
ne, & Clar. d. q. 22. quare cum appareat
cogitatum de ijs fuisse, cessat in consequen-
tiam legis dispositio; immo hæc cogitatio
non solum videtur in genere suum effectum
operari, sed etiam specificè innuere dona-
tionem non posse reuocari, nisi hoc tantũ
casu obitus cum filijs superstitibus, si enim
voluit pater hoc casu reuocare, & reuoca-
tio præsupponat donationis validitatem,
vtique intellexit eam antea per natiuitatẽ
reuocare nolle, & hoc videtur æquius, ne
fiat præiudicium filijs, quibus per pactum
expressum quæsitum est ius reuocandi di-
ctam donationem, & succedendi in bonis
donatis; nam si reuocaretur à patre ex legis
beneficio, posset de illis bonis liberè dispo-
nere, *vt colligitur ex verbis expressis dictæ*
legis, & notat Tiraq. in verb. in eiusdẽ dona-
toris. num. 1. Et cum hæc fulciantur com-
munibus opinionibus, non esse admodum
curandum de opinione *Baldi aliàs allegat.*
in cons. 167. num. 1. lib. 5. & Ias. 230. lib. 2.
quia videntur loqui contra communem sen
tentiam, *vt animaduertit Tiraq. in d. præ-*
fat. num. 75. Hier. Gabr. d. cons. 127. n. 41.
lib. 1. Maximè cum reuocatio, quæ fauet
filijs, facta sit per patrem pacto expresso,
itaut ipsorum præiudicio plenè fuerit pro-
uisum, ei verò, quæ respicit commodum pa-
tris, ipse voluerit renunciare, cum sibi non
prospexerit in hunc casum. Contrariã ve-
rò partem negatiuam nonnulli ex Dominis
amplectebantur, non fuisse sufficienter re-
4 nunciatum dictæ legi, etenim † non sufficiẽ
generalis renunciatio, etiam si dictum sit
omni legum auxilio, *Roman. in consil. 269.*
num. 3. Alexand. in l. pen. num. 24. C. de
pact. & cons. 2. num. 25. & 26. lib. 2. Rip.
in d. l. si vnquam. num. 118. Ruin. cons. 98.
num. 21. vers. & præsertim. lib. 2. Neque
etiam sufficit, quòd fuerit interpositum iu-
ramentum, *Oldrad. consil. 238. & cons. 278.*
num. 8. Alexand. consil. 71. num. 3. lib. 4.
Corn. consil. 234. num. 2. lib. 2. Ruin. cons.
107. num. 22. lib. 1. Boer. decis. 159. nu. 6.
Rip. in d. l. si vnquam. num. 4. qui de com-
muni testatur, Tiraq. in præfat. num. 147.
cum seq. & maximè num. 173. Et hæc vti
communiter recepta sine difficultate pro-
cedunt; sed vis in eo est, quòd videtur fuis-
se cogitatum de filijs, & in hoc vertitur car-
do totius difficultatis, An talis fuerit co-
gitatio, quæ sufficiat ad effectum excluden-
di dispositionem dictæ legis; Et quidem te-
5 nentes hanc partem dicebant † non suffice-
re qualemcunque cogitationem, sed requiri
talem, quæ tendat ad exclusionem filiorũ,
ad hoc vt dicta lex locum non habeat, &
hoc in specie tradit *Ruin. in consil. 98. nu.*
21. vers. stant ista simul. lib. 1. qui huius
opinionis authorem citat Bart. in d. l. Titia.
§. Imperator. qui pro contraria parte fuit
allegatus. Quare cum hic non fuerit de li-
beris cogitatum, nisi ad effectum reuoca-
tionis donationis, non esse habendam hanc
cogitationem pro sufficienti ad cõtrarium
effectum inducendum, nempe non reuoca-
tionis, & renunciationis beneficij dictæ le-
gis:

gis:

gis: Et pro ista opinione stat sententia *Bal.*
in cons. 167. nu. 1. lib. 5. quem refert & se-
quitur Ias. cons. 230. col. 3. vers. tertio pra-
6 *dicta. lib. 2. vbi vult Bald.* quòd † cogita-
tio de posthumo viuente vsque ad certam
ætatem non facit, vt de eo censeatur cogi-
tarum ante illam ætatem, & hunc esse casũ
omissum, & relinquendum in dispositione
iuris communis, quibus suffragari videtur
Ruin. in consil. 131. num. 6. lib. 3. vbi vult
non sufficere factam fuisse filiorum mentio-
nem in alia parte dispositionis, *& Baldum*
sequitur Paris. consil. 73. num. 51. lib. 1.
Corroboratur hæc sententia ex eo, quòd
manifestè videtur prouisum in casu admo-
dum restricto, nempe si decederet donans
cum filijs masculis tantum, vel cum filia-
bus fœminis tantum, nihil autem fuit dictũ
si decederet cum filijs & filiabus; & tamen
inuerisimile est, quòd per talem restrictam
prouisionem voluerit cæteros omnes casus
excludere, ita vt eueniente casu obitus cum
filijs masculis & fœminis, donatio censea-
tur valere, cum in hunc casum non reperia-
tur reuocata; & ideo non procedere, quòd
dicatur prouisionem expressam facere ces-
sare tacitam, *l. fin. C. de pact. conuent.* tũ
quia resultaret absonus intellectus; tum
etiam quia iste prouisiones concurrunt cir-
7 ca diuersa; † nam prouisio legis est princi-
paliter fauore patris, vt aliàs fuit dictum,
& statim operatur suum effectum ipso iure
natis liberis, prouisio verò donantis, de
qua agitur est principaliter fauore filiorũ,
& non sortitur effectum, nisi post mortem
patris, & ita respondet *Ruin. d. consil. 131.*
num. 12. vers. non obstat quòd prouisio. lib. 3.
8 † Et prouisio in istum casum non excludit
legis prouisionem in alijs casibus *l. commo-*
dissimè. de lib. & posth. l. si eum dotem. in
princ. solut. matrim. Anchar. cons. 151. n. 3.
& cons. 245. num. 4. Crot. in l. omnes popu-
li. num. 132. de iust. & iur. Bero. cons. 136.
lib. 5. Coadiuuatur hæc interpretatio ex
alia satis vrgenti coniectura; nam donans
disposuit, quòd si decederet relictis filiabus
fœminis tantum, tunc & eo casu donatio
firma remaneat, & Illust. Donatarius te-
neatur competenter dotare dictas filias ar-
bitrio suo, ex qua dispositione videretur
dicendum, quod donatarius non esset ad-
strictus dotare filias fœminas, nisi post obi-
tum patris, si attendamus contextum do-
nationis, & nihilominus eædem partes fa-
cto interpretatæ sunt hanc obligationem, vt
etiam viuente patre donatarius teneretur
competentem dotem filiæ dare. Quemad-
modum ergo noluerunt per dictam limita-
tam prouisionem excludere legitimam in-
terpretationem in casu dotis ante obitum
patris constituendæ, neque etiam videtur,
quòd voluerint excludere iuris dispositio-
nem in casu patiuitatis. Neque obstare,
quòd dicatur per hanc interpretationem
reddi inutile pactum illud expressum in ca-
sum obitus cum liberis, quia duæ præcipuè
possunt considerari illius pacti vtilitates;
9 Prior est, † quia licèt verum sit posse sta-
tim reuocari donationem, & volente patre
ipso iure censeatur reuocata, tamen vt aliàs
fuit dictũ, necessaria est tacita vel expressa
patris declaratio, *vt per Rub. Alex. in d.*
l. Titia. §. Imperator. n. 253. Iul. Clar. in
§. donatio. q. 23. in fin. pactum igitur ope-
rari potuisset, si fortè contigisset patrem
vel sponte vel negligentia, vel alia quauis
de causa omisisse reuocationem donationis
facere in vita sua, tunc enim datur filijs fa-
cultas reuocandi, quod aliàs ipsis facere
non licuisset. Secunda vtilitas esse potest,
10 † quia per huiusmodi pactũ censetur quæ-
situm ius ipsis filijs, itaut patre donationẽ
reuocante non tamen possit de bonis dona-
ris ad libitum suum disponere, sed teneatur
ea dictis suis filijs conseruare, *argumento l.*
quoties. C. de donation. quæ sub mod. Aym.
cons. 59. num. 8. Couar. var. cap. 14. n. 11.
lib. 1. latè Doctores in l. qui Roma. §. Fla-
uius. de verb. obligat. quare non est verũ,
quòd in necessarium antecedens pater vo-
luerit donationem in vita sua irreuocabili-
ter valere; sed quia contingere poterat, vt
per eum non reuocaretur, voluit huic quo-
que euentui prospicere, & hoc pacto retor-
quetur, quod in contrarium deducebatur,
de filiorum vtilitate. Neque obstare, quod
deducebatur, communem opinionem esse
contra *Bald. & Ias. allegatos*, quia non im-
pugnant communem sententiam, sed di-
stinguunt inter cogitationẽ indeterminatã,
& eam quæ est directa ad certũ effectum, &
licèt *Tiraq. & Gabr.* eos impugnent, plures
tamen eam sententiam sequuntur, vt ex su-
11 pra deductis apparet, & † in dubio opinio-
nem distinguentem sequi debemus, *glos. vlt.*
in fin. in cap. sciente. de censib. Imol. in cap.
super litteris. num. 2. de rescript. Alex. con-
sil. 50. n. 7. lib. 7. Neuizan. in Sylu. lib. 5.
num 32. cum alijs infinitis. Et hanc sentẽ-
tiam in dubio vti benigniorem esse ample-
ctendam, *l. benignius. de legib.* maximè cũ
dispositio *dicta l. si vnquam.* sit fauorabi-
lis. *vt post Doctor. tradit Cephal. in cõs. 445.*
12 *num. 39.* † adeo vt etiam traditum sit do-
natarium filijs natis in foro conscientiæ tẽ-
neri ad restitutionem, *Couar. lib. 4. decret.*
part. 2. cap. 6. §. 8. n. 17. versic. duodecimo:
13 Et † cum etiam in dubio ex communi Do-
ctorum sententia non censeatur de liberis
cogitatum, *vt per Corn. in cons. 21. nu. 23.*
lib. 3. eadem ratione in dubio dicendum
non fuisse ad hunc effectum cogitatum, &
in re dubia melius est fauere repetitioni,
quam lucro aduentitio. *l. non debet. §. in*
re dubia. de reg. iur. Ias. in l. sufficit. nu. 2.
de condit. indeb. quod maximè videtur di-
cen-

14 cendum † stante declaratione donantis, cui videtur standum *iuxta Socin. quem refert & sequitur Curt. iun. consil. 56. num. 10. Gabr. de donation. conclus. 2. num. 51.* Stante itaque hac opinionum contrarietate, non fuit capta resolutio; ideo partes strictè informent circa hoc, An cogitatio, quæ colligitur ex donationis instrumento fuerit sufficiens ad effectum tollendi dispositionē *dicta l. si vnquam.* omissis alijs.

Tiburtina Castri Viuarij.
Die Veneris 4. Nouembris 1588.

SVMMARIVM.

1 *Ad alienationem seu venditionem Castrorum in statu Ecclesiæ existentium propter Constitutiones Pōtificum debet præcedere licentia.*
2 *Licentia, quæ ad actum faciendum requiritur, de natura præcedere debet.*
3 *Venditio facta sub illa conditione, saluo beneplacito Sanctissimi Domini Nostri, & non aliàs, aliter, nec alio modo facit, quòd non possit dici facta venditio nisi purificata conditione.*
4 *Vbi consensus est impeditus & suspensus nulla potest consistere obligatio nec contractus.*
5 *Conditio, quæ venit adimplenda in actu, nisi sequatur, resoluit omne id, quod gestum est.*
6 *Deficiente conditione perinde est, ac si actus factus non esset.*
7 *Verba illa, & non aliàs, aliter, nec alio modo, habent naturam præcisam, vt si conditio non impleatur, nihil actū censeatur.*
8 *Legatum datum sub conditione sub alia contraria cōditione videtur ademptum, & è contra.*
9 *Per venditionem conditionalem non aperitur consanguineo via retractus.*
10 *Venditio conditionalis quantum ad effectū pœnitentiæ pro perfecta habetur, ita ut ab ea resiliri non possit, alijs tamen spectis respectibus nullum parit effectum ante conditionis euentum.*
11 *Vbi in contractu deficit conditio, vel vbi ab initio non tenuit contractus, liberum semper est partibus ab eo discedere etiam altero contradicente.*
12 *Contrahens matrimonium in gradu prohibito sub ea conditione, si Papa dispensauerit, post dispensationem nouo indiget consensu, quia contractus ab initio fuit illicitus.*
13 *Ex contractu ab initio illicito nulla potest oriri obligatio.*
14 *Ex actu etiam nullo colligitur voluntas, quod verum est in actu simpliciter nullo; secus est si vltra nullitatem adsit conditio, quæ facit, quòd voluntas illa non sit voluntas.*

DECISIO DCCCXXXVIII.

FVit iterum proposita causa super eodē dubio, An D. Io. Antonius possit cogi ad faciendam venditionem Domino Io. Petro, & fuit data copia Bullæ Sanctiss. Domini Nostri editæ super prohibitione vendendi & alienandi Castra in statu Ecclesiæ existentia: Qua examinata Domini concorditer vno tantum excepto recesserunt à resolutione facta sub die 4. Decembris proximè
1 præteriti; Consideratum enim fuit † venditionem prius factam per D. Io. Antonium D. Tiberio Ceulo fuisse absolutè nullam, cum fuerit facta contra expressam Constitutionem, quæ prohibet huiusmodi aliena-
2 tiones fieri nisi præcedente licentia, † est autem de natura licentiæ, vt præcedat, *prout ex Bart. Bald. Imol. & Butr. quos citat, docet Coru. cons. 89. num. 11. & cons. 101. num. 11. lib. 3.* quod in casu isto est indubitatum propter dictionem illam, præcedente, vnà cum decreto irritanti amplissimo cum clausula, sublata: Ex alio capite etiam
3 potest dici nulla, † quia facta fuit sub conditione illa, saluo beneplacito Sanctiss. Domini Nostri & non aliàs aliter nec alio modo, quo casu non potest dici facta venditio nisi purificata conditione, *l. si quis fundū.*
4 *in fin. de contrah. empt.* † impeditur enim & suspenditur consensus, sine quo nulla cōsistere potest obligatio, nec cōtractus, *Bal. in cons. 188. col. 2. lib. 3. Curt. sen. cons. 8. col. fin. Loffred. cons. 17. num. 55. cum alijs*
5 *per informantes deductis*,* & † hæc conditio, nisi sequatur, resoluit etiam id omne, quod gestum est, *Tiraq. de retract. lignag.*
6 *§. 8. glos. 6. num. 2.* Quare † cum defecta fuerit conditio, perinde habetur, ac si actus factus non esset, *l. item quia. §. 1. de pact. Paris. consil. 3. num. 7. in 4.* maximè stan-
7 tibus illis verbis † & non aliàs aliter, nec alio modo, [a] quæ habent naturam præcisā, vt si conditio non impleatur, nihil actum censeatur, *vt per Ias. in cons. 86. in fin. in tertio*, & ideo dicitur in materia legatorum,
8 quòd † datum sub conditione sub contraria conditione videtur ademptum, & è contra, *l. si legatum pure. de adim. legat. l. aliquando. de condit. & demonst.* Ex quo sequitur non posse cogi Io. Antonium ad vēdendum, *per ea quæ tradit Tiraq. de retract. lign. §. 1. glos. 2. num. 21. & sequent.* vbi
9 multis rationibus ostendit, † per venditionem conditionalem non aperiri consangui-
10 neo viam retractus, & licèt † quantum ad effectum pœnitentiæ venditio conditionalis pro perfecta habeatur, ita ut ab ea resilire fas non sit, *vt tradit sub num. 26.* tamen alijs respectibus nullum parit effectum ante conditionis euentum, sed hæc inspectio in
11 casu isto non est necessaria; † tum quia defecta est conditio, tum etiam quia ab initio con-

* alios refert & cumulat Cephal. cons. 198 n. 11. volum. 2 & Rolan. cons. 41. n. 19. vol. 4.

a de hac clausula quòd sit conditionalis & suspendat actū, tunc dictū supr. in Antonin. gradijs MDL in 1180. n. 4.

contractus non tenuit, vt supra deductum
est; & ideo semper liberum fuit partibus
ab eo discedere, etiam altero contradicen-
12 te, vt in simili traditum est † de ijs, qui pro-
hibiti contrahere matrimonium, illud con-
traxerunt sub conditione, si Papa dispen-
sauerit, quia nihilominus opus est nouo cō-
sensu, vt tradunt *Zabarell. & Panormit. in*
cap. super eo. de condit. appos. Bobic. in cap.
fin. eod. tit. Aretin. in cons. 144. Loazes trac.
de matr. dub. 12. qui affert rationem, quia
13 † ab initio contractus fuit illicitus; & ideo
nulla potest oriri obligatio, *l. cum lex. de fi-*
deiuss. Non obstat *doctrina Bart. in l. si cū.*
§. qui iniuriarum. num. 10. si quis caution.
quia ipse distinguit inter eum, qui habebat
rem venalem tempore promissionis de non
vendendo alij, & iste non est casus noster;
& illum, qui non habebat venalem, & re-
quiritur, vt alij vendat ad hoc, vt intret
obligatio *per l. si sterilis. §. penult. de*
action. empt. & iste est casus noster: Vn-
de cum Ioan. Antonius neque vendiderit
stante nullitate contractus, neque volue-
rit vendere stante conditione apposita,
non potest cogi ad vendendum. Neque
14 obstat, quòd † ex actu nullo colligatur
voluntas, *l. fin. de reb. eorum. Bald. in l.*
de quibus. num. 17. de legib. cum alijs, quia
hoc verum est in actu simpliciter nullo; sed
cum hic etiam præter nullitatē adsit condi-
tio, ea facit, vt interpretemur voluntatem
esse non vendendi, si Papa non consenserit,
ex Curt. supra citat. dicto cons. 8. n. 4. Cotta
in memor. in verb. emphyteuta alienans. Me-
noch. cons. 38. n. 49. cū alijs. [a] Ex ex his sub-
lata sunt, quæ ex aduerso deducuntur. Ne-
que obstat Decisio, quia tunc alia via fuit
processum ad causæ discussionē. Quare con-
clusum Io. Antonium non posse cogi rebus
sic stantibus ad venditionem.

[a] Rodom. de reb. eccl. non al. tit. de caduc. pr. res alie. §. emphyteuta quoq; sub n. 41. versic. quia constat.

Aquilana Vicariatus.
Die Mercurij 16. Nouembris 1588.

SVMMARIVM.

1 *Participans de fructibus spectantibus de iure communi ad eum, qui habet curam animarum, tenetur pro rata ad contributionem salarij pro Vicario.*
2 *Onus debet sequi eum, qui percipit commodum.*
3 *Qui percipit decimas, tenetur ad congruam Vicario præstandam, etiam si sit laicus, qui eas ex priuilegio percipiat.*
4 *De iure communi cura animarum spectat ad Archipresbyterum, nisi aliquo pacto argui possit curam non esse illius tantū, sed ad totum Capitulum spectare.*
5 *Obligatio, quæ fuit orta ex obseruantia, intelligenda est rebus sic stantibus.*

DECISIO DCCCXXXIX.

1 CVm præsupposito, quòd Canonici par-
ticipent de fructibus spectantibus de
iure communi ad Archipresbyterū ratione
curæ animarum, fuit per Dominos conclu-
sum eos teneri ad contributionē salarij Vi-
carij parochialis de Paganica extra Ciui-
tatem pro rata, & ad hoc moti fuerunt *ex*
vulgat. regul. l. secūdum naturā. de reg. iur.
2 *l. actione. §. fin. pro soc.* nam † onus debet se-
qui eum, qui percipit commodum, & in spe-
cie in hac materia *tradit Rebuff. de Cōgru.*
3 *portion. n. 48.* vbi vult, quòd † qui percipit
decimas, tenetur ad Congruā Vicario præ-
standam, & hoc passim obseruamus, vbi ex
aliquo priuilegio laici percipiunt decimas
Ecclesiarum, vt ad earum manutentionem
teneantur, quod tanto magis hoc casu iustū
4 esse videtur, ex quo † licèt de iure communi
cura spectet ad Archipresbyterum, tamen
adsunt multa signa, quæ aliquo pacto ar-
guunt curam non fuisse solius Archipresby-
teri, sed spectasse ad totum Capitulū; Adest
enim antiqua vnio, in qua quatuor Capel-
læ, vnà cum omnibus iuribus, possessioni-
bus, parochianis, & pertinentijs suis vniū-
tur Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Paganica,
& in ea narratur, quòd consueuerant di-
ctæ Capellæ regi per Archipresbyterum &
aliquos Canonicorum dictæ Ecclesiæ, & ita
aliquando fuit obseruatum, vt vnus Cano-
nicus, & quatuor Capellani Ecclesiæ matri-
cis ibi residerent, vt etiam probatur de Ca-
nonico Antonio Palez per testes Archipre-
sbyteri super secūdo articulo, & de Bernar-
dino Zerbino, & Ioanne Baptista Mancino
Capellanis, qui interim participabant de
quotidianis distributionibus, ac si persona-
liter resedissent in Ecclesia matrice: Allega-
tur etiam consuetudo similis in alijs Eccle-
sijs eiusdem Ciuitatis; ex quibus omnibus
iuncta fructuum perceptione res satis veri-
similis redditur. Neque obstat, quòd per
testes partis aduersę probetur Archipresby-
terum solitum fuisse dare salarium Vicario;
quia cum tunc temporis hoc salarium non
esset admodum magnum, potuerunt Archi-
presbyteri subire spōte hoc onus, neque ta-
men ex eo cēsendum est factum præiudiciū
eorum dignitati; tum quòd ille vsus nō fuit
perpetuus & vniformis, cū vt dictū est ali-
quādo Canonici, & Capellani ibi inseruiue-
rint; tum etiam quia cum hodie ex decreto
Sacræ Congregationis Reuerendiss. D. Epi-
scopus constituerit ibi Vicariū cum salario
quinquaginta ducatorū, noua hæc Vicarij
deputatio nihil cōmune habet cū antiqua
5 obseruantia; † & ideo si ex ea aliqua potuit
oriri obligatio, ea est intelligenda rebus sic
stantibus, *l. quod Seruius. & ibi Ias. de cōd.*
caus. dat. Dec. cons. 335. Tiraq. in præfat. l. si
vnquā. n. 167. C. de reuoc. don. Natt. cōs. 525.

num. 16. lib. 3. & ita fuit coram me decisum in vna Cæsaraugustana Alimentorum. 23. Ianuarij 1574. Quare cum immutatus fuerit ille prior status, & nouus cõstitutus, per quem valde grauatur dignitas, æquitati consonum esse, vt ei succurratur per eos, qui ex emolumentis dignitati debitis commodum capiunt. Et ita conclusum.

Perusina Hæreditatis.
Die Sabbati 26. Nouembris 1588.

SVMMARIVM.

1 *Recognitio scripturæ seu testamenti propria manu testatoris scripti & subscripti, vbi nil aliud deest, de stylo Rotæ fit per testes dicentes se habere notam manum scribentis.*

2 *Dispositio Authen. quòd sine. C. de testam. quæ vult, quòd legata & fideicommissa ex testamento imperfecto inter liberos facto præstentur, An intelligatur de fideicommissis tantum particularibus, an verò etiam de vniuersalibus, disputatur ad partes, sed remanet indecisum.*

3 *Fideicõmissa particularia in omnibus sunt legatis exæquata.*

4 *Fideicommissarius vniuersalis, qui est loco hæredis non potest esse testis in testamẽto, ne adhibeatur testis in causa propria.*

5 *Vbicunque substitutio facta per verba directa non potest valere vti directa propter defectum solemnitatum, sustinetur tanquam fideicommissaria, & obliquatur, ne voluntas testatoris in totũ pereat.*

6 *Testator in dubio censetur voluisse dispositionem suam valere etiam verba impropriando.*

7 *In testamento imperfecto non potest directè hæres institui, nec obliquè.*

8 *Fideicommissarius quantum ad effectum est hæres.*

9 *Verbum in medio positum debet ab extremis recipere interpretationem.*

10 *Dispositio Auth. quòd sine. C. de testam. est correctoria & exorbitans, & non trahitur vltra casus in ea expressos.*

11 *In testamento imperfecto inter liberos tutor dari non potest.*

12 *Hæreditas directò relicta, si directò non valet, per fideicommissum valere nõ potest, nisi in casibus à iure expressis, immo etiã directò data nõ trahitur ad fideicommissum, nisi in casibus à iure expressis.*

13 *Quando hæreditas directò data trahitur ad fideicommissariam, hoc fit ex benigna interpretatione in casibus, in quibus lex vult testantium voluntates conseruari.*

14 *In lege correctoria non potest habere locum benigna interpretatio, quæ est species extensionis.*

15 *Extensio in materia correctoria est prohibita.*

16 *Institutio extranei facta in testamẽto imperfecto simul cum filijs non valet, sed portio relicta extraneo liberis accrescit.*

DECISIO DCCCXL.

FVit dubitatum, stante testamẽto bo. me. Guidi de Balleonibus manu ipsius scripto & subscripto, eiusq. sigillo munito, ac per duos testes subscripto, in quo instituit hæredem sub hac forma verborũ, (In euento che Nostro Sig. facesse altro di me, lascio mio herede hauendo figlio, ò figlia esso mio figliolo, ò figliola) deinde quibusdam interpositis (& morendo, ò non venẽdo bene il parto di mia moglie, lascio detta mia moglie herede vniuersale) An dictum testamentum valeat in vim fideicommissi ad fauorẽ Illust. Dominæ Margaritæ vxoris dicti testatoris, & matris hæredis instituti, qui in infantili ætate decessit: & his causa proposita, Domini non fuere concordes, nã aliqui stabãt pro affirmatiua, etenim in testamento de quo agitur, cõcurrere vidẽtur ea omnia, quæ requirũtur *in Auth. quod sine. C. de testam.*
1 † adest enim testamentum scriptum & subscriptum manu testatoris, & testes dicentes se fuisse præsentes omnibus supra contentis, quæ subscriptio referenda est ad omnia præcedentia, & sic non solum ad subscriptionem, sed etiam ad totum testamentum, & testator declarauit ibidem, quòd vult hoc testamentum seruari; vnde nihil aliud deesse videtur, quàm recognitio, quæ iuxta stylum Rotæ fieri potest per testes habentes notam manum scribentis, *vt per Pute. decis. 19. de fid. instrum.* ideo
2 † videtur hic habere locum *dispositio dictæ Authent.* volentis, vt legata & fideicõmissa ex tali testamento præstentur; non enim esse intelligẽdam dictam Auth. de fideicõmissis particularibus tantum, sed etiam de vniuersalibus, prout in simili intelligũt *Doctores tex. in Auth. ex causa. C. de liber præter. & ibi Ias. num.* 11. Præterea † cum fi-
3 deicommissa particularia in omnibus exæquata sint legatis, vtique superflua esset expressio fideicommissorum, si de particularibus tantũ intelligere velimus. Neq; obstare *notata per Bal. Corn. & Ias. in l. dictantibus. C. de testam.* quia ibi subiecta materia omnino cogebat ita interpretari verba il-
4 lius legis, † ne aliàs fideicommissarius vniuersalis, qui est loco hæredis adhiberetur testis in causa propria, quod est absurdum. Neque obstare, quòd matris institutio esset facta per verba directa; & ideo non possit obliquari, quia communis conclusio est,
5 quòd † vbicũque substitutio facta per verba directa non potest valere vti directa propter defectum solemnitatum, sustinetur tanquam fideicommissaria, & obliquatur *per text. in l. Sceuola. & in l. ex facto. ad Trebell. glos. in l. verbis ciuilibus. in verb.*

verb. voluntate. de vulg. & pup. vbi Bart.
num. 4. Ias. num. 21. Zas. qui de communi
num. 15. Franc. in repet. c. si pater. n. 190.
de testam. in 6. Et hanc sententiam esse
amplectendam, ne voluntas testatoris in
6 totum pereat, † qui in dubio censetur vo-
luisse dispositionem suam valere etiam im-
propriando verba, l. insulam. de praescript.
verb. Bero. in cap. Raynutius. num. 534.
de testam. Contrariam verò sententiam
amplectebantur alij ex Dominis; Et pri-
mo mouebantur ex eo, quod in hoc testa-
mento non videntur concurrere ea omnia,
quæ requirũtur in corpore Authen. de te-
stam. imperfect. §. nos igitur. vnde sumpta
est Authen. quod sine. nam præter scrip-
turam manu testatoris, eiusq. subscriptio-
nem requirit eiusdem nominationẽ lingua
expressam coram testibus, vt probatur ibi,
& hac propria scripta manu, dictaq. à te-
statoribus coram testibus &c. & rursus in
fine, quòd eius manus & lingua habeat
omnem virtutem charta prabitam, & re-
fert glos. in verb. inter filios. ibid. Corn. in
Authen. quod sine. num. 5. Alexand. cons.
76. num. 3. lib. 3. Ruin. consil. 71. num. 12.
lib. 3. quæ cum non appareant hic obser-
uata, non sufficit recognitio per testes ha-
bentes notam manum, quæ de stylo in Rò-
ta admittitur, sed requiritur recognitio per
eosdemmet testes, qui se subscripserunt, vt
sciamus, an omnia iuxta præscriptum di-
ctæ Authenticæ obseruata fuerint. Secun-
do videbatur eisdem Dominis non posse di-
ctam Authent. intelligi de fideicommissis
vniuersalibus, sed de singularibus, cum
enim hoc fuerit introductum fauore fi-
7 liorum, vt † in testamento imperfecto non
possit directè hæres institui, vt etiam no-
tat Cyn. in princip. d. Authent. & ibidem
Bald. Salicet. & Castren. ita neque etiam
obliquè & per fideicommissum, vt per
glos. fin. in §. est autem casus. Instit. de
8 hered. instit. maximè † cum quantum ad
effectum fideicommissarius sit hæres, l. fi-
lius fam. §. fin. & ibi Bart. quod cum eo gest.
l. si necem. §. fin. de bon. libert. Compro-
batur hæc sententia ex eo, quòd hoc ver-
bum, fideicommissa, positum est inter lega-
ta & libertates, quæ veniunt ex titulo par-
ticulari; & ideo videri de fideicommissis
quoque particularibus non de vniuersali-
bus Imperatorem esse loqnutum, argu-
mento l. iam hoc iure. de vulg. & pupill.
cum similibus, videturq. hoc etiam ex eo
9 suaderi, quòd † verbum in medio positum
debet ab extremis recipere interpretatio-
nem, l. 3. §. filius. de lib. & posthum. l. si
seruus plurium. §. fin. de legat. 1. Quòd
si concedamus sine præiudicio veri, quòd
dicta Authentica sit intelligenda etiam de
fideicommissis vniuersalibus; tamen nos in
eo casu non versari, cum hæreditas hic re-
licta sit per verba directa, eaque obliquari
non posse in isto casu ex pluribus; Et pri-
10 mo, quòd † dispositio huius Authenticæ
est correctoria & exorbitantissima; & ideo
non debet trahi vltra tres casus in ea ex-
11 pressos, itaut † neque etiam tutor dari in
hoc testamento possit, vt per Angel. in
d. Authen. de testamen. imperfect. num. 3.
Iacob. de Pute. inter consil. vltim. voluntat.
consil. 121. num. 27. lib. 1. Corn. consil. 307.
num. 17. versic. item & quarto. lib. 3. Se-
12 cundo quia † hæreditas directò relicta, si
non valet directò, non potest valere per fi-
deicommissum, nisi in casibus à iure ex-
pressis, prout in libertate, quæ est maxi-
mè fauorabilis; & nihilominus directò da-
ta non trahitur ad fideicommissum, nisi in
casibus à iure expressis, l. seruo tuo. cum
glos. C. de testamen. manum. l. si seruus le-
gatus. §. si seruus alienus. & ibi glos. de
legat. 1. idem tradit glos. in l. cogi. §. sed
si seruo. in verb. directa. ad S.C. Trebell.
nullibi autem cautum est, vt hoc casu in-
stitutio seu substitutio directa valeat in
13 vim fideicommissi. Tertio † quando di-
recta trahitur ad fideicommissariam, hoc fit
ex benigna interpretatione in casibus, in
quibus lex vult conseruare testantium vo-
luntates, l. Sceuola. ad Senat. Consult. Tre-
14 bellian. sed † in lege correctoria non po-
test locum habere benigna interpretatio,
15 quia est species extensionis, † quæ prohi-
bita est in hac materia l. praecipimus. in
fin. C. de appellation. & hoc est, quod vo-
luit Pute. in supra allegat. consil. Authen-
ticam non esse trahendam vltra illos tres
16 casus. Quarto † si in institutione extra-
nei simul cum filijs instituti non potest fie-
ri hæc obliquatio, cum expressè in §. ex
imperfecto. lex disponat, vt portio extraneo
relicta liberis accrescat, quod fieri non
posset, si obliquaretur institutio, simili mo-
do dicendum substitutionem directam non
esse obliquandam, ne inducta fauore filio-
rum in eorum odium retorqueatur, cum
dicta Authentica inducta sit ad amplian-
dum non ad minuendum fauorem libero-
rum, vt post Castrens. tradit Corn. in d.
consil. 307. num. 17. versic. nec in eo pro-
cederet. lib. 3. Et pro hac opinione extat
consilium in terminis Cephal. 377. num.
24. cum sequent. qui multis rationibus de-
fendit hæreditatem per fideicommissum
in testamento imperfecto extraneo relin-
qui non posse; & ideo multo minus dire-
cta substitutio obliquari: Partes itaque
Dominorum Aduocatorum vtriusque par-
tis erunt istis difficultatibus satisfacere;
vt possit haberi resolutio huius difficul-
tatis.

Vicen. Scribaniæ.
Die Lunæ 28. Nouembris 1588.

SVMMARIVM.

1 *Notarij creati à Papa prohiberi non possunt, ne conficiant instrumenta publica, nisi contra ipsos probetur prohibitio, cum ipsorum notariorum acquiescentia de tempore motæ litis.*

DECISIO DCCCXLI.

FVit resolutum non cōstare de quasi possessione Capituli prohibendi Notarios Ciuitatis Vicensis, ne conficiant instrumēta, nec de eorum acquiescentia de tempore motæ litis, itaut Capitulo sit danda manutentio; nam quòd primo loco deducitur constare de titulo, non videtur suffragari, quia videtur restrictus ad instrumenta ad publicam & communem scribaniam spectātia, & sic ad acta iudiciaria; nam in istis scribanijs Episcoporum remanent acta iudiciaria, *vt per Abb. post Ioan. Andr. in cap. quoniam contra. num. 4. & ibi Felin. num. 9. de probation.* sed neque ex illo titulo antiquo potest inferri ad possessionem. Secundo deducitur Constitutio Episcopi de anno 1317. sed de eius validitate
1 dubitari potest, † non enim potest fieri prohibitio, ne Notarij creati à Papa possint conficere instrumenta, *Ruin. in cōs. 201. n. 3. lib. 4 Dec. cons. 17. n. 2. & fuit resolutū coram bon mem. Lauretano in vna Spoletana de anno* 1579.* Tertio allegantur plures prohibitiones facta per Capitulum, quibus Notarij acquieuerunt, sed hæ sunt de tempore antiquo, & non concludunt de tempore motæ litis, nec præsumi potest continuatio, quia sunt factæ ante 200. annos. Quarto allegantur testes examinati pro Capitulo, qui si probarent prohibitionem cum acquiescentia, vtique bene concluderent pro Capitulo *ad notat. per Ias. in §. æquè. num. 41. Instit. de action. Rip. in cap. cum Ecclesia. num. 30. de caus. possess. & proprietat.* sed hoc non probant, nam articuli non concludunt; primus enim non loquitur de instrumentis inter priuatos, sed tantum de actis iudicialibus, neque cōcludit ad prohibitionem, & testes licèt loquantur etiam de instrumentis, tamen non remouent potentiam ab actu, dicunt enim solummodo, quod non viderunt alios recipere instrumenta, quod tamen alij videre potuerunt, neque deponunt de Notarijs Apostolicis. Secundus articulus, quòd ibāt extra Ciuitatem ad effectum cōficiendi instrumenta, non loquitur de Notarijs Apostolicis. Tertius articulus pariter non releuat, quia non continet acquiescentiam, licèt contineat prohibitionem, nec facit mentionem de Notarijs Apostolicis, & ex testibus partis aduersæ potius probatur cōtrarium. Quare conclusum non esse dandum mādatum de manutenendo nisi Capitulum melius iustificet intentionem suam.

*in Spoletan. hæred. 1a... 22 Maij 1579 cora R. P. D. Cauuccio & in impress. diuers. nouiss. est decis. 103 part. 2.

Romana Saluiani Interdicti.
Die Veneris 2. Decembris 1588.

SVMMARIVM.

1 *Exequutores testamentarij ad nō pias causas non possunt agere contra debitores hæreditatis, neque contra aliquem possessorem; secus si adsint aliqua piæ causa, quarum vigore agere possunt, vel si facultas sit ei a testatore verbis amplissimis data, ita vt illius vigore agere possint, & num. 3.*

2 *Hæres principalis, debitor testatoris per aditionem hæreditatis confusione extinguit creditum, itaut pro eo consequendo procedi non possit; sed hoc procedit non confecto inuentario, aliàs secus est, vt num. 4.*

3 *Potestas exequutoris testamentarij non solum pendet a iuris dispositione, sed etiam à facultate sibi per testatorem data.*

4 *Confectio inuentarij impedit confusionem actionum, tam si creditor succedit debitori, quàm si debitor succedit creditori.*

5 *Inuentarium facit, quod separentur bona hæredis à bonis testatoris, & facit quòd hæreditas censeatur tanquam iacens.*

6 *Inter bona hæreditatis describi debet debitum hæredis, ne creditores hæreditarij fraudentur.*

7 *Fideiussor succedens ei, pro quo fideiussit, licet faciat inuentarium, non tamen eximitur a sua obligatione, neque confunditur.*

8 *Hæres qui ratione rei vendita testatori, & ab eo euicta tenebatur illi ad duplum, facto inuentario tenetur à se exigere duplum, si actio erat iam orta ante obitum testatoris, aliàs simplum tantum.*

9 *Per confectionem inuentarij non possunt cōfundi actiones, quando hæres erat debitor testatoris, & lis erat contra ipsum debitorem contestata.*

DECISIO DCCCXLII.

FVit dubitatum, an possit procedi ad vlteriorem exequutionem ad instantiam Illustrissimorum Cardinalium exequutorū testamenti bon. mem. Cardinalis de Gambara cōtra Illustriss. Dominos de Corrigio: Factum est tale, bo. me. Cardinalis de Corrigio erat debitor Cardinalis de Gābara in certa pecuniarum summa, eo defuncto Cardinalis de Gambara egit Saluiano Interdicto cōtra Illustriss. DD. de Corrigio detētores bonorū dicti Cardinalis pro cōsequēda sūma sibi debita, & obtinuit sentētias in Rota, & litteras exequutoriales, quæ fuerūt intimatæ & reproductæ; Interim moritur

Do-

Dominus Cardinalis de Gambara relictis
exequutoribus sui testamenti nonnullis Il-
lustriss. Cardinalibus Congregationis sacræ
Inquisitionis, quibus in suo testamẽto mã-
dauit, vt curarent post obitum suum depo-
ni in aliquo loco securo omnem supellecti-
lem argenteam, gemmas, pecunias, & bona
mobilia, credita, & redditus fructuum non
exactorum, itaut ex his nihil perueniat ad
manus suorum hæredum, nisi prius satisfa-
ctis debitis suis & legatis per ipsũ relictis:
Vnum verò ex suis hęredibus instituit Illu-
striss. D. Alexandrum de Corrigio hæredẽ
bon. mem. Cardinalis de Corrigio: Dictis
verò Illustriss. exequutoribus dedit amplis-
simam auctoritatem & liberam ac plenam
administrationem totius hæreditatis cum
clausula ad lites, ad exigendum in amplis-
sima forma; Duæ autem exceptiones pro-
ponebantur pro parte dictorum Dominorũ
1 de Corrigio; Prior erat † exequutores te-
stamentarios non ad pias causas non posse
agere contra debitores hæreditatis, neque
cõtra aliquem possessorem *l. Lucius. §. Ma-
uia. & ibi glos. fin. Bart. Castr. & alij ad
Trebell. Idem Bart. in l. si quis Titio. in
princ. num. 2. de legat. 2. Bald. in l. nulli li-
cere. num. 2. C. de Episc. & cler. Aegid. de-
cis. 250. Abb. in cap. Ioannes. num. 4. &
ibi Couarr. num. 5. de testam.* Altera erat,
2 quòd † cum Dominus Alexander esset hæ-
res bon. mem. Cardinalis de Corrigio, &
sic principalis debitor Cardinalis de Gam-
bara, qui eum hæredem postmodum insti-
tuit, & ipse hæreditatem adiuerit, confusio-
ne fuisse extinctum illud creditum, neque
amplius posse procedi pro eo consequendo
contra dictos Dominos de Corrigio, *l. Sti-
chum aut Pamphilum. §. aditio. de solutio.
l. debitori. vbi Castr. num. 4. Ias. n. 1. C. de
pact. Corn. cons. 132. num. 8. lib. 4. cum
alijs**. His tamen non obstantibus fuit de-
cisum procedẽdum esse ad vlteriorem exe-
quutionem ad instantiam Illustriss. Domi-
norum Cardinalium; Et quantum ad prio-
3 rem exceptionem, fuit dictum † potestatẽ
exequutorum non solum à iuris dispositio-
ne pendere, sed etiam à facultate illis per
testatorem data, *Anchar. in cons. 84. nu. 2.
Castr. cons. 177. num. 1. lib. 2. Rimin. consil.
129. num. 5. lib. 1. cum similibus*, quæ facul-
tas cum sit amplissimis & apertissimis ver-
bis concessa, non potest in dubio reuocari;
Vltra quòd etiam isti Illustrissimi sunt de-
putati ad nonnulla legata pia persoluenda,
quorum ratione etiam de iure communi
competeret eis huiusmodi facultas, *vt be-
ne per Couar. in d. cap. Ioannes. num. 5. de
testam.* Nec obstat, quòd hæc facultas non
videatur data ad exigendum credita ab hę-
redibus, sed ab alijs personis, propter illa
verba, che non ne venga cosa alcuna in ma-
no delli miei heredi, quia in facto non ap-

* Addo Paris. in cõs. 94. n. 27. vol. 2.

plicatur hæc exceptio, cum huiusmodi bo-
na, contra quæ fuit actum, nunquam per-
uenerint ad manus hæredis. Quantum ad
alteram exceptionem confusionis actionũ,
omisso pro nunc, An hæc exceptio opponi
possit à tertio, quando hæres ea neque vti-
tur, neque vti prætendit, Domini dixerunt
eam hoc casu non habere locum, si verum
est, quod in facto deducitur, Dominum Ale
xandrum acceptasse hæreditatem cum be-
4 neficio legis & inuentarij; † Nam confectio
inuentarij impedit confusionem actionum,
non solum quando creditor succedit debi-
tori, vt habetur *in d. l. debitori. & ibi om-
nes. C. de pact.* sed etiam si debitor succedit
creditori, ratio enim æqualiter vtrũque ca-
5 sum determinat, quæ est, quia † per inuen-
tarium separãtur bona hæredis à bonis te-
statoris, & facit hæreditatem censeri tan-
quam iacentem: Vnde obligationes hinc
inde stant in suo robore, *vt tradit Corn. in
d. l. debitori. num. 3. Roland. de inuentar.
6 in 10. vtilitat. num. 3. pag. 131.* & † inter
bona hæreditatis debet describi debitum
hæredis, ne creditores hæreditarij frauden-
tur, aliàs si hoc casu confunderetur debitũ,
diminueretur hæreditas in præiudiciũ cre-
ditorum, quod est contra mentem legum,
quæ ideo inter alia introduxerunt hoc re-
medium inuentarij ad effectum, ne hæres
surripiat bona hæreditaria, *l. fin. §. fin au-
tem. C. de iur. delib. Bald. cons. 265. lib. 4.
cum alijs allegatis per eundem Roland. part.
1. quæst. 5. pag. 4.* quod manifestum fit ex
7 eo, quòd † si fideiussor succedat ei, pro quo
fideiussit, licèt faciat inuentarium, non ta-
men eximitur à sua obligatione, neque con
funditur, ne beneficium vni concessum ad
alterius iniuriam & damnum extendatur,
*Alberic. in d. l. si duo. num. 4. de solution.
Bart. in l. generaliter. de fideiussor. & ibi
Castr. & Alex. in Addit. cum alijs deductis
per Roland. pag. 135.* Quod & clarius de-
monstratur ex illa quæstione, in qua quæri-
8 tur, † An hæres, qui ratione rei venditæ
testatori, & ab eo euictæ tenebatur ei ad
duplum, facto inuentario teneatur à se
exigere duplum vel simplum tantum, in
qua concludunt, quòd si actio erat iam or-
ta ante obitum testatoris, tenetur hæres à
se exigere duplum, ne sit melioris condi-
tionis, quàm si non fuisset hæres institutus,
*ita Castr. & Alex. in d. l. fin. §. in compu-
tatione. C. de iur. delib. Roland. pag. 160.*
9 † posset etiam dici non confundi actiones,
vbi lis est contestata contra debitorẽ, *prout
est tex. in l. seruus. de his qui notat. infam.
quem ad hoc notat Ang. in d. l. generaliter,
& ibi Alex. in Addit.* & hoc dictum sit ex
abundanti. Conclusum itaq; posse procedi
ad vlteriorẽ exequutionem, verificato, quòd
Dominus Alexander adierit hæreditatem
cum beneficio legis & inuentarij.

Parmen. Bonorum.
Die Lunæ 5. Decembris 1588.

SVMMARIVM.

1 *Subditus quis propriè dicatur.*

2 *Dictio relatiua inducit repetitionem qualitatis in relato expressæ.*

3 *Decretum excludens forensis à successione non comprehendit successionem in bonis paternis vel maternis, vt est magis cõmun. opin. maximè si decretum non contineat dictionem aliquam vniuersalem negatiuam.*

4 *Dictio, nulla, est vniuersalis negatiua.*

DECISIO DCCCXLIII.

FVit dubitatum, An Domini de Valentibus possint iuuari decreto Ducali excludentis forenses à successione contra filios & hæredes Dominæ Lucinæ, & fuerunt omnes in ea sententia, quòd non possint iuuari; Primo, quia decretum loquitur de subditis dominio Parmæ per aliquem contractum vel vltimam voluntatem in non subditos, cum igitur qualitas illa subditi non conueniat Lucinæ, non comprehenditur eius successio huiusmodi statuto, ipsa enim nupserat extra dominium Parmæ, vt ita in hoc eodem statuto consuluit *Rimin. iun. conf. 15. num. 65. lib. 1. post Cephal. cõsil. 161. num. 9. Rip. Respons. 4. num. 11. de sur. gen. & eius. Plot. cons. 19. nu. 17. cum alys.* Neque obstat, quod primo deducitur, hic non agi de successione Lucinæ, sed Honorij fratris ipsius, quia hoc non videtur verum, quia Lucina obtinuit in Rota tres sententias conformes, & executionem illarum, quare hodie agitur de eius succes-
1 sione. Non obstat, quòd Lucina † respectu originis sit habenda pro subdita, quia licet ratione originis non dicatur propriè forensis, cum sit subdita statutis suæ originis, *ex deductis per Bero. in cons. 173. nu. 4. lib. 1.* tamen neque propriè dicitur subdita, *vt per Castr. in cons. 89. num. 2. lib. 2.* quia non sustinet onera personalia, licet sustineat realia ratione bonorum ibi possessorũ, *Dec. cons. 661. num. 6. sequuntur Cephal. & Rimin supra allegati,* subditus enim quis propriè dicitur ratione domicilij, *glos. in Clemen. 2. in verb. subditos. in fin. de for. competen. Felin. in cap. fin. num. 23. de for. cõpet.* Non obstat, quòd statutum non solum sit conceptum in personam, sed etiam in rem in illis verbis; Nec ad dicta bona etiã ab intestato forenses admittantur: Vnde videtur habere locum *doctrina Bart. in l. cunctos populos. num. 42. C. de Sacrosanct. Eccles. Alex. in cons. 44. lib. 5. & 19. lib. 6. Brun. in statut. exclud. fœmin. artic. 6. q. 8.*
2 *in princip. cum alÿs allegatis,* * quia † non est conceptum simpliciter in rem, sed cum dictione relatiua, dicta, quæ inducit repetitionem qualitatis illius subditi: Vnde idẽ est, ac si dixisset, quòd ad bona subditorum forenses neque etiam ab intestato admittãtur, *Bart. in l. si eue. §. 1. de leg. 1. Alexãd. cons. 140. num. 4. lib. 6. Dec. cons. 467. n. 8.* Secundo alia quoque ratione moti fuerunt Domini, nempe quia † decretum non comprehendit successionem filiorum in bonis paternis vel maternis, *vt tenet idem Riminal. iun. d. cons. 15. num. 3. & 9. & 12. vbi testatur de magis communi, Cephal. cons. 13. num. 8. & cons. 161. num. 17. lib. 2. Calcan. cons. 5. num. 1. Alciat. cons. 1. num. 13. tom. 1. lib. 2. Plot. cons. 19. num. 75. Socin. iun. consil. 18. num. 35. lib. 3. Bursat. consil. 8. num. 35. lib. 1.* Neque obstat, quod Rota in hac causa sub die 13. Ianuarij proximè præteriti noluerit hanc sententiam sequi, sed indecisam reliquerit, quia ibi agebatur de statuto, in quo aderat dictio
4 vniuersalis negatiua, † nulla mulier, sed in casu huius decreti, quamuis adsit hæc nota vniuersalis respectu alienantis, tamen non adest respectu eius, qui succedit, aut in quem fit alienatio, vt patet ibi in aliquem forensem, & ibi, nec ad dicta bona forenses admittantur, & in terminis illis loquuntur multi, qui tunc fuerunt allegati, *vt bene declarat Riminal. d. consil. 15. num. 53. & 54.* Neque obstat *Brun. artic. 6. num. 298.* quia eius rationes in terminis huius decreti, bene tolluntur *per Riminal. d. cons. 15. nu. 51. cum sequent.* Quare conclusum decretum nõ suffragari Dominis de Valentibus, omissis ijs, quæ de eorum incapacitate per informantes deducta fuerunt.

Vbi. cons. 370. vol. 4. & 442. vol. 1 latè Alleg. allegat.

cons. 19 vol. 6. vbi dicit hãc esse veram & cõmunem opin. Castr. cõsil. 10. vol. 2. Cast. iun. cõsil. 3. nu. 3. vol. 1. Rum. cons. 4. n. 6. lib. 1.

Romana Domus.
Die Veneris 9. Decembris 1588.

SVMMARIVM.

1 *Tempus non incipit currere nisi à die quo actus est perfectus.*

2 *Expressio facienda infra tantum tempus puta infra sex menses à die datæ, intelligitur à die habita possessionis.*

DECISIO DCCCXLIV.

NOminationem & intimationem fuisse factam in tempore, cũ enim hæc nominatio non esset perfecta, sed haberet in se duas tacitas conditiones; Altera si Fortunatus sine liberis decederet, nam si habuisset filios, illi erant comprehensi in inuestitura; Altera si non esset reuocata, cum posset reuocari, vt aliàs fuit decisum; * suc-
1 cedit regula, quòd † tempus nõ incipit currere nisi à die, quo actus est perfectus, *l. quinquaginta. iunct. glos. de excusat. tut. l. tali facta stipulatione. de iur. dot. Aegid. in cap. constitutus. num. 10. de restitut. in integ. Tiraquell. de retract. lign. §. 1. glos. 10. num. 47. Bart. in l. si cui legetur. in fin. princ.*

* pluries de eâ re fuit coram Illustriss. Cardinali Blanchetto pro... Iertum 21. A... 1584

princ. num. 6. de condit. & demonstrat. Aretin. consil. 94. num. 8. Roman. 409. num. 1. & ita obseruatur in litteris in forma Bre-
2 uis, quibus cauetur, † vt fiat expressio infra sex menses à die datæ, quia suppletur à die habitæ possessionis, *vt in Astoricen. Archidiaconatus de mense Nouembris 1572. coram me, Et ita etiam in terminis istis fuit resolutum in causa Romana Hospitij coram Brauo 26. Octobris 1579. & coram Robusterio in Romana de Manilijs 15. Maij 1585.*

Calaguritana de Zalduendo.
Die Veneris 9. Decembris 1588.

SVMMARIVM.

1 *Commissio reformata, vt stet sine praiudicio trium conformium, dicitur ligare manus iudicis, vt non possit quicquam contra dictas conformes statuere; secus est, si pars non vsa sit tali commissione, nec citauerit ad dicendum contra commissionem.*

2 *Clausula, sine praiudicio trium conformiũ in commissione non tollit iurisdictionem iudicis ad quem; & licèt non operetur effectum suspensiuum, operatur tamen deuolutiuum, vt de eo cognosci posit, & procedi ad vlteriora etiam reuocando.*

3 *Clausula, sine praiudicio trium conformiũ, non capit sententias nullas & iniustas.*

4 *Sententia prohibens filium naturalem dispensatum cõcurrere cum alijs legitimis, est nulla & iniusta.*

5 *Inter legitimos, & naturales dispensatos nulla fieri debet differentia.*

6 *Verbum conferre cõprehendit omnes titulos.*

7 *Delegatus à Nuncio habente potestatem Legati de latere subdelegare potest.*

DECISIO DCCCXLV.

FVit dubitatum, an sit procedendum ad vlteriorem exequutionem sentẽtiæ per contradictas latæ, quæ transitum fecit in iudicatum; prætendebatur enim pro parte Didaci sententiam prædictam esse nullam ex defectu iurisdictionis; cum enim super naturalitate fuissent latæ tres sententię admittentes Ioannem de Gueuara in defectũ filiorum patrimonialium ex legitimo matrimonio natorum tantum, propter defectum natalium, quem ipse patiebatur, &
1 † commissio appellationis Ioannis fuisset reformata, vt staret sine præiudicio trium conformium, videbantur ligatæ manus Auditoris, vt non posset quicquam aduersus eas statuere: sed hæc opinio fuit per Dominos reiecta, cum pars aduersa non fuerit vsa hac commissione, neque citauerit ad dicendum contra, quod est necessarium, *Cassad. decis. 7. in fin. de appellat. Castr. consil. 81. post num. 3. lib. 2.* etiam quòd fuerit per Cursorem præsentata, *Abb. in cap. audita. num. 15. de restitut. spoliat. Felin. in cap. cœterum. num. 17. de rescript.*
2 Præterea † clausula sine præiudicio non tollit iurisdictionem iudicis ad quem, & licèt non operetur effectum suspensiuum, operatur tamen deuolutiuum, vt de eo cognosci possit, & procedi ad vlteriora etiam reuocando: Accedit, quòd dictæ sententiæ sunt
3 iniustæ & nullæ; & ideo † clausula, sine præiudicio, non capit sententias nullas & iniustas, *l. 4. §. condemnatum. de re iudic.* Nullitas bene per informantes deducitur,
4 & iniustitia clara est, † cum per eas prohiberetur concursus filij naturalis dispensati cum alijs legitimis, quia dispensatio eũ fecerat habilem, *Specul. de dispẽsat. §. po-*
5 *stremo. post princip.* † neque inter istos fieri debet differentia, *Bald. in l. liberos. C. de collation. Bero. consil. 5. num. 25. lib. 1.* nec concursus impediri *Lambertin. de iure patron. lib. 2. part. 3. quæst. 5. artic. 15.* Quòd verò secundo opponitur de maiori habilitate Didaci, non probatur in actis: prout neque etiam obstat, quod tertio loco dicitur, Ioannem nõ docuisse de clericatu, quia contrarium verum est, & licèt non fuerit in actis registratum, tamen de eo constat per instrumentum publicum, neque hæc est noua probatio, sed præcedentis cõfirmatio, quæ admittitur in Rota non solum regulariter in alijs materiis, sed etiam vbi agitur de censurarum validitate. Quod opponitur quarto loco contra dispensatio-
6 nem non obstat; nam † verbum conferre comprehendit omnes titulos. *toto tit. vt Eccles. benef. sin. dimin. confer. Rebuff. de dispensation. ration. ætat. in verb. conferantur.* Præterea adest dispensatio Nuncij legitimè extracta per exequutorem subdelegatum; Nuncius enim habet potestatem Legati de
7 latere, & † delegatus ab ipso potest subdelegare, *Gambar. de potestat. Legat. lib. 8. num. 140.* Quæ tanto magis Dominis placebant, quia cum Didacus habuerit recursum ad Consilium Regium, & impediuerit exequutionem litterarum exequutorialiũ, non est audiẽdus ad impediendam exequutionem iam inchoatam, & ferè ad finem perductam.

Romana Aedium Sancti Thomæ.
Die Lunæ 12. Decembris 1588.

SVMMARIVM.

1 *Reintegratus ad suam possessionem per Motumproprium cum clausula sine vitio spolij impedit concedi parti mandatum de associando, nisi probetur spolium.*

DECISIO DCCCXLVI.

QVamuis pro parte Capituli sancti Petri videantur probata extrema necessaria ad consequutionem possessionis bo-

norum, de quibus agitur, ex instrumento concessionis factæ per Capitulum Domino Timotheo Fabri; tamen fuit per Dominos
1 conclusum † non posse concedi dicto Capitulo mandatum petitum de associando, cũ ei obstet motus proprius fel. recor. Pij V. cuius vigore Fratres Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum fuerunt reintegrati ad eorum antiquam possessionem cum clausula, sine vitio spolij, *Bellamer. decis.* 105. *Mohedan.* 85. *incip. Sanctiss. Dominus Noster. Afflict. decis.* 85. *num.* 3. *cum similib.* Neque obstare, quòd dictus Motusproprius fuerit à fel. recor. Gregorio XIII. ad instantiam Capituli reductus ad viam iuris; quia nisi iustificetur narratiua, in qua Capitulum affirmat se fuisse spoliatum possessione, in qua erat ab immemorabili tẽpore, non potest eo se iuuare, *Abb. in cap. super litteris. & ibi Felin. in* 5. *limitat. de rescript. cum similib.* Ex iuribus autem Capituli hactenus non verificatur eius possessio immemorabilis. Quare conclusũ Capitulum non esse immittendum.

Ciuitaten. Constructionis Capellæ.
Die Veneris 17. Decembris 1588.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia tam ex dispositione iuris quàm vigore rescripti Apostolici non debet construi in loco, qui praiudicet alijs iam constructis.*

2 *Testis deponens per verbum videtur potius dicitur iudicare quàm testificari.*

3 *Fauor augmenti cultus diuini propter Ecclesia noua constructionem praponderare debet diminutioni concursus populi ad alias Ecclesias vicinas.*

4 *Ecclesia Cathedralis debet habere quadraginta passus in circuitu pro sua immunitate, in quo spatio non licet adificare nisi domus clericorum.*

5 *Passus continet quinque pedes.*

6 *In atrio Ecclesia, in quo est cœmeterium, non licet adificare.*

DECISIO DCCCXLVII.

CVm esset cõstruenda Capella quædam in exequutionem voluntatis bon. me. Cardinalis Paceci in Ciuitate Ciuitatensi, Exequutores testamẽtarij obtinuerunt Breue à fel. record. Gregor. XIII. ædificãdi in quodam loco designando, non requisita licentia Ordinarij neque Rectoris intra cuius parochiæ limites construeretur, neque cuiusuis alterius, sine tamen iurium parochialium & alicuius alterius præiudicio, fuitq. cœptum ædificium in quadam Area domus Marchionis fratris Cardinalis defuncti, emptis quibusdam contiguis domibus ad hanc constructionem necessarijs, factæq. plures notabiles impensæ; Capitulum Cathedralis Ecclesiæ prætextu, quòd ob vicinitatem inferretur præiudicium Ecclesiæ Cathedrali sese opposuit, & introducta fuit causa vigore rescripti Apostolici corã Cauriensi, deinde coram Nuncio Apostolico in Hispanijs commorante, qui sub certa forma & modificatione tulit sententiam in fauorem Exequutorum: Quare causa ad Curiam per appellationem deuoluta, fuit dubitatum, An constaret de aliquo præiu-
1 dicio Cathedralis Ecclesiæ; nam † tam ex forma rescripti quàm ex dispositione iuris communis non debet construi Ecclesia in loco, qui præiudicet alijs iam constructis, *cap. quacunque. & cap. Ecclesia.* 16. *q.* 1. *cap.* 2. *de Eccles. adific. Card. cons.* 8. *nu.* 3. Præiudicia verò, quæ pro parte Capituli deducebantur, hæc erant, primum ratione vicinitatis, ex qua propter strepitum Campanarum impediebatur celebratio diuinorum officiorum, sed Rota censuit hoc præiudicium non esse attendendum, cum ex testibus super hoc examinatis liqueat hac de causa non turbari diuina officia; maximè cum sententia restrinxerit numerum campanarum ad vnicam tantum, eamque satis exiguam, nẽpe ponderis vigintiquinque librarum. Secundum præiudicium deducitur ea ratione, quòd hæc noua structura officiet luminibus Ecclesiæ Cathedralis;
2 sed hoc præiudicium non probatur; † nam testes Capituli potius iudicant, quàm testificentur, vtuntur enim dictione, videtur; hoc autem iudicium apparet erroneum ex loci distantia; nam hæc Capella distat ab Ecclesia iuxta statum præsentem, per 207. pedes, & licèt prætendat Cathedralis se velle construere quendam locum, quem retrochorum appellat, tamen etiam post eius constructionem adhuc supererit interuallum 76. pedum similium, prout habetur in relatione Domini Pauli Bennij Nuncij Auditoris. Tertium præiudicium, quod deducitur ratione iurium parochialium est sublatum tam per rescriptum Papæ, quàm per sententiam Reuerendiss. Nuncij; ideo frustra in eo fit fundamentum, præseruantur enim omnia & quæcunque iura alijs locis competentia, & omnia emolumenta, & redditus, itaut nullum prorsus sentiant Ecclesiæ ex hac constructione damnum pecuniarium. Quartum præiudicium ex eo de-
3 ducitur, quòd † diminuitur concursus populi accedentis ad Cathedralem, & sic detrahitur eius decori & honori, vt videntur deponere testes Capituli super tertia conclusione; sed hoc non esse præiudicium considerabile censuerunt Domini, cum ex alia parte præponderet fauor augmenti cultus diuini, *vt bene per Butr. in cap. cum olim. num.* 15. *de consuetud.* nam in eo consistit honor iste, vt cultus diuinus augeatur, *cap. audientiam. de Eccles. adific.* Quintum præ-

4 præiudicium prætenditur ex eo, quòd † Ecclesia Cathedralis debet habere quadraginta passus in circuitu pro sua immunitate, *cap. sicut antiquitus.* & *cap. diffiniuit.* 17. *quæst.* 4. *Abb. in cap. Ecclesiæ. num.* 10. & *ibi Henric.* & *alij. de immunit. Eccles.* & in eo spatio non licet ædificare. *cap. nulla.* 16. *quæst.* 1. *Oldrad. consil.* 55. *glos. in cap. quisquis. in verb. domos.* 17. *q.* 4. exceptis domibus clericorum: sed huic obiectioni responsum fuit, Primo hic adesse spatium plusquam quadraginta passuum, cum ducentum pedes eos constituant, † passus enim

5 continet pedes quinque, *Isidoro teste lib.* 15. *cap.* 15. & *glos. in d. cap. sicut antiquitus.* Neque est habenda ratio additamēti retrochori, quod facere destinarunt; nam satis est, quòd respectu Ecclesiæ iam constructæ adest interuallum à sacris canonibus præscriptum, nam si permitterentur ampliare Ecclesiam in præiudicium vicinorum possent hac arte Canonici totam occupare Ciuitatem, quod est absurdum. Secundo cum canones permittant fieri ædificia pro clericis intra dictos quadraginta passus, multo magis licere debet Ecclesiam ibi construere, cum ex hac re non lædatur Ecclesiæ immunitas, *Butr. in cap. inter alia. num.* 9. *de immunit. Eccles.* Non obst. *cap. nulla.* 17. *quæst.* 1. quia loquitur in atrio Ecclesiæ,

6 † in quo est Cœmeterium, *vt fuit dictum in causa Beneuentana spolij coram R. P. D. meo Orano de anno præterito*, & totum hoc negotium regulatur secūdum locorum qualitatem, & angustiam situs, *cap. quisquis.* 17. *quæst.* 4. *Syluestr. in sum. in verb. immunitas. il* 3. *quæst.* 1. *Remig. in tractat. de immunit. Eccles.* §. *passus.* Sed omnem videtur tollere difficultatem, quòd hæc Capella construi cœpta est, non in aliqua area Ecclesiæ, neque in loco ædificijs vacuo, sed in area Domini Marchionis & ædificijs in circuitu emptis, adeo quòd aut ista ædificia non sunt intra dictos quadraginta passus, aut de facto non habet ista Ecclesia Cathedralis tam amplam aream, prout à iure definita est, quod optime ex eo confirmatur, quòd ex plantæ inspectione apparet intra minus spatium adesse aliam Ecclesiam Cathedrali viciniorem: Ex quo patet hac in re præualere consuetudinem, & hanc prætensionem esse inanem. Quare conclusum non constare de aliquo Ecclesię Cathedralis præiudicio.

Volaterana Prædij.

Die Lunæ 19. Decembris 1588.

SVMMARIVM.

1 *Remedium l. fin. C. de edict. diu. Adr. toll. cōpetit Ecclesiæ etiam nulla facta restitutione, postquā defecit linea vocatorū.*

2 *Sub vocatione familiæ venit fœmina.*

3 *Fœmina extra familiam nupta non venit appellatione proximiorum de familia.*

4 *Fideicommisso semel inducto, filius fideicommissarius non potest fratres nouo fideicommisso grauare; sed hoc verum est, si frater non adiuit hæreditatem fideicōmissarij, sed possedit vigore fideicommissi; secus si adiuit, quia fideicommissarius potest onus suæ parti imponere.*

DECISIO DCCCXLVIII.

Dominus Ioannes Maria de Marchis Plebanus Villæ magnæ Volaterranæ diœcesis egit nomine suæ Ecclesiæ remedio *l. fin. C. de edict. Diu. Adr. toll.* pro consequutione cuiusdam prædij possessi per Dominam Margaritam de Hormannis Hormanni filiam, & exhibuit testamentū quondam Michaelis de Hormannis, in quo institutis Hormanno, & Nicolao fratribus, ijsq. decedentibus, eorumq. linea masculina deficiente, substituerat prædictam Ecclesiam Villæ magnæ, obtinuitq. à Vicario Volaterrano, necnon à Reuerendiss. Nuncio Apostolico sententias fauorabiles, causa demum per appellationem hic ad Curiam deuoluta, fuit dubitatum, An confirmandæ essent prædictæ sententiæ, & pro earum iustificatione deducebatur casum substitutionis euenisse, nēpe mortuos esse Hormannum, & Nicolaum, eorumq. lineam masculinam defecisse, † Ideoq. hoc remedium

1 etiam nulla facta restitutione Ecclesię competere, *Alex. in consil.* 4. *num.* 16. *lib.* 2. *Ias. consil.* 214. *num.* 3. *lib.* 2. *Iacobin. de sancto Georg. in d. l. fin. num.* 16. & *ibi Corn. num.* 16. *cum alijs.* * Ex aduerso pro parte Margaritæ deducebatur testamentū Henrici senioris patrui Nicolai Hormanni, & Michaelis, in quo dictus Hēricus relictis quibusdam particularibus legatis Hormāno & Nicolao reliquit Michaeli prædium, de quo agitur, & singulis eorum substituit cuiuslibet ipsorum filios masculos, & aliquo ipsorum sine filijs masculis decedente, voluit deuenire ad superstites eorum filios masculos, ijsq. omnibus sine filijs masculis decedentibus voluit bona deueniri ad Ioannem fratrem testatoris eiusq. filios, & ijs non existentibus ad proximiores de familia, quamuis hæc vltima vocatio familiæ sit expressa tantummodo in substitutione Hormanni, in alijs verò adest substitutio cum clausula relatiua, vt supra: Ex huiusmodi testamento pro parte Margaritæ plures deducuntur exceptiones contra prætēsionem Ecclesiæ; Prima est, quòd stante prædicto fideicommisso Henrici non potest venire Ecclesia ex testamento Michaelis, cum adhuc superstites sint filij Ioannis vocati in dicto testamento in defectum lineæ

* & per Menoch. tract. de adipiscen. remed. 4. num. 201.

neæ masculinæ, Hormanni, Nicolai, & Mi-
chaelis. Sed ex aduerso replicatur Ioan-
nem renunciasse fideicommisso ad fauorem
Michaelis; & ideo eius, neque filiorum
habendam esse rationem in casu isto, ac si
2 non extarent. Secunda exceptio est, † quia
prætendit se post omnes vocatam sub illa
vocatione familiæ, *l. voluntas. C. de fidei-
comm. l. pronunciatio. §. familiæ. de verb.
signif. Alexand. in cons. 55. num. 7. lib. 3.
Socin. consil. 227. num. 5. lib. 2. Socin. iun.
cons. 2. num. 13. lib. 2. Paris. cons. 35. lib.
3. Cephal. cons. 53. num. 97. & consil. 134.
num. 47. lib. 1.* Sed ex aduerso replicatur
3 † fœminam extra familiam nuptam, ap-
pellatione proximiorum de familia non ve-
nire, *l. quicunque. C. de re milit. lib. 12. Bar.
in l. fin. num. 2. C. de priuileg. Scholar. lib.
12. Gozad. consil. 79. num. 16. Ruin. cons.
24. num. 12. lib. 2. Curt. sen. consil. 40. nu-
mer. 16. Socin. iun. cons. 168. num. 57. lib. 2
Corsett. singul. 240. Grat. consil. 64. lib. 2.
Pinell. in l. 3. num. 34. C. de bon. matern.*
Vnde redditur satis dubia hæc exceptio, &
adsunt, qui hinc inde de communi testan-
4 tur. Tertia exceptio est, quia † cum se-
mel ab Henrico fuerit inductum fideicom-
missum inter istos fratres in istis bonis, non
potuit Michael grauare fratres nouo fidei-
commisso ad fauorem Ecclesiæ, & ad hanc
exceptionem restrinxerunt se Domini ad
euitandas longas disputationes, quæ super
alijs oriri possent: Quare causa iterum
proposita, fuit per Dominos resolutum,
quòd aut Hormannus adiuit hæreditatem
Michaelis, & potuit Michael hoc onus ei
imponere, & ad eum tenetur, veluti si rem
hæredis propriam legasset, *l. cum à matre.
C. de rei vindic.* aut non adiuit hæredita-
tem Michaelis, sed possedit prædium, de
quo agitur, vigore fideicommissi, & hoc
casu onus noui fideicommissi non tenuit,
habuit enim Hormannus à primo fideicō-
mittente, non autem à Michaele hoc præ-
dium; & ideo nulla est dispositio ad ipsius
præiudicium facta *l. fin. §. sin autem sub
conditione. C. comm. de legat.* maximè cum
Henricus prohibuerit alienationem extra
familiam, & Michael adiuerit hæreditatē
Henrici, itaut teneatur ad eius voluntatem
seruandam, & per consequens alienare non
potuerit; ideo onus hoc ab Hormanno &
eius hæredibus reijci potuit, *vt per Bald.
in l. qui se patris. num. 8. C. vnde liber.
Port. cons. 40. num. 30. cum sequentibus.*
Quæ verò in contrarium allegantur *ex l. v-
num ex familia. §. si rem. de legat. 2. cum
alijs*, * procedunt aduersus eum, qui adi-
uit hæreditatem eius, qui nouum imposuit
grauamen. Neque obstat, quòd grauamen
hoc non videatur præiudicare in aliquo
Hormanno, cum sit factum in euentum,

* Et facit l. si-cut. §. venditionis. ff quibus mod. pig. vel hyp. sol. Sal. in l. fin. n. 11. vers. octauo not. C. de pac. Vasq. de success. creat. li. 1. §. 10. n. 166.

quòd ipse decedat sine filijs masculis, quia
nihilominus grauamen adest manifestum,
posset enim Hormannus nullo superstite ex
vocatis per fideicommissum Henrici dispo-
nere ad libitum de hoc prædio, vt etiam ab
intestato ad suos hæredes & successores de-
ueniret, quæ res impeditur per noui fi-
deicommissi dispositionem. Conclusum
itaque hoc casu non valere, nisi probetur
Hormannum hæreditatem Michaelis adi-
uisse.

Romana Mercedis.
Die Veneris 13. Ianuarij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Salarium etiam non conuentum Vicario Episcopi debetur.*

2 *Salarium non conuentum non debetur famulis, & vilibus personis, qui pro solo victu sæpe inseruiunt.*

3 *Salarium non conuentum debetur ijs, qui in honestis muneribus & disciplinis inseruiunt; secus in ijs, qui vacant officio valde honorato, & à multis desiderato, & in ijs qui in domo Principis habent victum & expensas, necnon habitationem pro se & famulo, & qui licèt etiam sint absentes lucrantur suas quotidianas distributiones; & maximè si dominus nō sit solitus talibus dare salarium, nec vnquam aliquid petitum fuerit.*

4 *Salarium camerario non debetur pro seruitio præstito domino, si non sit conuentum; maxime si concurrant aliquæ circunstantiæ, quæ id suadeant.*

DECISIO DCCCXLIX.

DOmini ex facti circunstantijs resolue-
runt nullum deberi salarium Ianuutio
ratione seruitij per Nicolaum præstiti bon.
mem. Archiepiscopo Senensi in officio Ca-
merariatus, quod versatur circa admini-
strationem bonorū Archiepiscopatus, etiā
si prętendatur eum etiam administrasse bo-
1 na patrimonialia Archiepiscopi: † quam-
uis enim *Rota aliàs coram me in Turritana
mercedis 20. Maÿ 1569.* tenuerit salarium
etiam non conuentum deberi Vicario Epi-
scopi *per l. 1. de var. & extraordinar. co-
gnit. & ad consil. Federic. de Sen. 118. nec
non Alexand. 109. lib. 6. Dec. 132. in fin.
& Decis. Put. 6. de offic. Vicar.* responsum
2 fuerit ea procedere † in famulis & vilibus
personis, quæ sæpe pro solo victu seruiunt,
3 † non autem in ijs, qui honestioribus mu-
neribus & disciplinis vacant, *vt in dicta de-
cis. latius deductum fuit*, tamen in præsen-
ti specie facti multa concurrūt, quæ cōtra-
4 rium suadent; nam omisso quòd † de nul-
lo salario conuentum fuit, quòdq. neque
Archiepiscopus, neque alij Camerarij soli-
ti fuerunt dare & recipere respectiuè sala-
rium

rium aliquod ex his, quæ in actis probata fuerunt, constat prædictum Nicolaum habuisse victum & expensas, necnon habitationem pro se & famulo, & quòd dictum officium est valde honoratum, & à multis desideratum sine aliquo alio premio, ex quo qui illud exercet, lucratur distributiones quotidianas * etiam in absentia, quæ res affert magnam commoditatem; sed quod maximi est momenti, cum per multos annos in hoc officio Nicolaus inseruiuerit, ipse nihil vnquam petijt à Domino Archiepiscopo, immo profitebatur se esse ei maximè obligatum, quòd eum præfecisset tam honorifico officio, & quod tollit omnem difficultatem, singulis annis reddidit computa suæ administrationis, & reliqua soluit, & factæ fuerūt quietationes: Vnde ex his omnibus resultant plures & vrgentiores probationes, quàm in casu *l. Procula. de probation.* ex qua totum hoc negotium optimè deciditur; maximè cum non omnino fuerit sine salario, ex quo id cõsequutus est, quod alijs dari solitum erat, *Sylua consil. 28. nu. 16.* Ex his tolluntur omnia in contrarium deducta. Ideo conclusum sententiam Auditoris Cameræ esse confirmandam.

* quod intelligendum est eo respectu, et quo ille erat Canonicus Senensis.

Romana Hæreditatis de Anguillaria.
Die Lunæ 16. Ianuarij, 1589.

SVMMARIVM.

1 *Contra fideicommissarios dari potest immissio in possessionem bonorum fideicommissariorum, vbi aliquid venit detrahendum.*

2 *Donatio facta à filiofamilias de bonis paternis patre adhuc viuente, non solum de iure requirit cõsensum patris pro eius validitate, sed est etiam necesse, quòd pater in eadem voluntate vsque ad obitū perseueret; adeo quòd consensu patris reuocato iuramentum donantis nihil operetur, secundum opinionem ferè ab omnibus receptam.*

3 *Consensus reuocatio inducitur ex dispositionum diuersitate, & forma diuersa incompatibili.*

4 *Pacta super futura successione quadrupliciter considerari possunt, in illa conseruanda, in renunciando, in deferenda, & in delata disponenda.*

5 *In pacto de disponenda hereditate in necessarium antecedens requiritur, quòd hæreditas prius acquiratur illi, qui de ea disponit.*

6 *Filia, quæ ad fauorem fratrum renunciauit, si à patre instituatur, nihilominus succedit, non constituta aliqua distinctione, an renunciatio sit vel non sit cõpatibilis cum institutione.*

7 *Institutio facta à patre in eum, qui renunciauit, habetur pro dissensu paterno in renunciatione.*

8 *Per institutionē filij factam à patre, postquam frater fratri donauit etiam cum iuramento, reuocata dicitur donatio.*

DECISIO DCCCL.

Illustrissima Domina Æmilia Vrsina hæres testamento relicta à bon. mem. Illustrissimo D. Virginio de Anguillaria eius viro, petebat immissionem in possessionem bonorum iuxta terminos *leg. fin. C. de edict. Diu. Adr. tollen.* Ex aduerso verò opponebatur ab Illustrissimis Dominis Ioanne Baptista, & Flaminio Anguillarijs fratribus dicti Domini Virginij & bonorū hæreditariorum possessoribus nullum ius dictę Dominæ Æmiliæ competere super dictis bonis, & allegabant tria præcipuè nempe donationem reciprocam factā olim inter bon. mem. Dominum Flaminium patruum & Auersam patrem dictorum Dominorum: Præterea donationem factā à dicto Domino Virginio dictis Dominis Ioanni Baptistæ & Flaminio iuniori omnium bonorum pręsentium & futurorum. Tertio testamentū prædicti Domini Auersæ eorum patris, cū substitutionibus, de quibus in eo: Et cum ex aduerso replicaretur hæc non obstare,
1 † cum nihilominus hæredi contra fideicõmissarios detur immissio, vbi aliquid venit detrahendum, *vt post Bald. Castr. Alex. & alios, quos allegat, tradit Zuccard. in d.l. fin. nu. 426. Boer. quæst. 156. nu. 2. & 5. Roland. consil. 78. num. 21. lib. 3. & fuit in pluribus causis à Rota perpetuò decisum, & in specie coram me in causa Romana de Salamonibus 14. Nouembris 1575.* Respondebatur hoc casu nihil esse detrahendum, stante donatione omnium bonorum præsentium & futurorum facta Virginio, quæ excludebat hæredem à petitione bonorū omnium tam paternorum quàm maternorum. Sed pro parte Dominæ Æmilię duplicatum fuit, donationem non obstare saltem ratione bonorum paternorum; cum donatio reuocata fuerit per ipsum Dominum Auersam testatorē, pręterquam quòd allegabātur alij defectus aduersus donationem, ex quibus inferebatur ad eius inualiditatem: Tamē quia pro parte Dominorum fratrū dati fuerunt articuli ad probanda requisita ad dictę donationis validitatē, omisso hoc articulo, & præsupposita donatione pro valida, visum fuit de validitate donationis, habito tantum respectu ad allegatam reuocationem resultantem ex dispositione testamentaria Domini Auersæ, qui in suo testamento factis nonnullis prçlegatis filijs suis, instituit eos æqualiter hæredes, neque in re aliqua vllam inter eos differentiam constituit: Qua dispositione stante, pro parte Dominæ Æmiliæ deductum fuit, donationē factam

factam à Domino Virginio reuocatam cen-
2 seri, cum † in similibus donationibus, quæ
fiunt à filijs familias de bonis paternis, pa-
tre adhuc viuente, non solum de iure requi-
ratur consensus paternus pro earum validi-
tate, sed etiam sit necessarium, vt pater per-
seueret in eadem voluntate vsque ad obitũ,
tradüt omnes in l. fin. C. de pact. adeo quòd
si talis consensus fuerit reuocatus, nihil o-
peretur iuramentum, *Bald. ibid. num. 22.
in fin. Saliect. num.* 10. *Dec. num. 6. Ale-
xan. in l. pactum quod dotale. num. 2. C. de
pact.* & hæc sententia est ferè ab omnibus
recepta, *vt videre est in glos. in cap. ad no-
stram. il 2. in verb. probarent. de iureiuran.
Roman. in l. stipulatio hoc modo. n. 28. & ibi
Ias. n. 9. de verb. obligat. Natta in cap. quã-
uis. num. 13. de pact. in 6. Gugliel. Bened.
in cap. Raynutius. in verb. duas habens fi-
lias. num. 288. de testam. Purpur. in d. l. fin.
num. 166. & 188. C. de pact. Aretin. in cõ-
sil. 93. num. 9. Paris. cons. 24. num. 80. lib.
2. Dec. cons. 175. Curt. iun. consil. 98. Ca-
gnol. in d. l. fin. num. 87. latè Tiraquell. in
tractat. le mort saisit le vif. part. 2. declarat.*
8. Ex aduerso respondebatur non fuisse re-
uocatam donationem per testamentum,
3 † cum dispositio in testamento compreh-
4 sa sit compatibilis cum donatione; † ete-
nim huiusmodi pacta super futura succes-
sione considerantur in quadruplici differẽ-
tia, videlicet in illa conseruanda, in renun-
cianda, in deferenda, & in delata disponen-
da, *vt tradit Bald. in d. l. fin. col. 2. & ibi
Ias. num.* 11. *C. de pact.* & hinc sequi, quòd
cum hic simus in pacto disponendæ hæredi-
5 tatis, † in necessarium antecedens requi-
ritur, quòd hæreditas prius acquireretur
illi, qui de illa disposuit, *Corn. in cons.* 211.
num. 14. *lib.* 2. Deductum etiam fuit ex
substitutione facta per Auersam inter filios
si sine liberis decederent, & ex prohibitio-
ne alienationis bonorum, necnõ detractio-
nis legitimæ, & aliorum in testamento con-
tentorum apparere omnia conuenire, &
compatibilia esse cum prædicta donatione,
ideoq; eam reuocatam non censeri. His ta-
men non obstantibus fuit per Dominos cõ-
clusum saltem respectu bonorum paterno-
rum fuisse reuocatam huiusmodi donatio-
nem, cum testator æqualiter omnes filios
instituerit, eisq. substituerit sub ijsdem
conditionibus, volueritq. disposita in suo
testamẽto inuiolabiliter obseruari: Ex qui-
bus sequitur testatorem voluisse bona sua
peruenire æqualiter ad omnes filios, quod
fieri non poterat attenta donatione, & hoc
est, quod volunt omnes Doctores supra al-
6 legati, vbi concludunt, † filiam, quæ renũ-
ciauerat ad fauorem fratrum, nihilominus
succedere, si per patrem instituatur; nul-
lamq. constituunt distinctionem, an testa-
mentum sit, vel non sit compatibile cum re-
7 nunciatione, † sed tantum considerant actũ
illum instituẽdi pro dissensu paterno, quod
maximè colligitur *ex consilijs Anchar.* 403.
8 *& Castren.* 449. *lib.* 1. in quibus † agitur
de donatione iurata, prout in casu isto, &
nihilominus volunt eam esse reuocatam
per institutionem, & ita confunditur di-
stinctio illa supra allegata de hæreditate
delata disponenda; non enim Doctores re-
quirunt incompatibilitatem, sed sufficit di-
spositionum diuersitas, & forma diuersa ad
inducendam reuocationem consensus, quòd
si etiam indigeremus aliqua incompatibi-
litate, vtique etiam adest in his dispositio-
nibus: Prima est, quia attenta donatione
proprietas bonorum donatorum translata
est in donatarios; attento verò testamento
esse debet penes Dominum Virginium, vita
eius durante; cum sub vnica determinatio-
ne omnes sint instituti, omnibus facta pro-
hibitio alienationis, & detractionis legiti-
mæ, *l. iam hoc iure. de vulgar. & pupill. l.
quamuis. C. de impub. & al. substit. Ruin.
cons.* 150. *num.* 20. *lib.* 2. Secunda incom-
patibilitas considerari potest respectu sub-
stitutionis testamentariæ, ea enim stante, si
Domini Ioannes Baptista, & Flaminius de-
cessissent sine filijs, superstite Virginio ex-
traneo hærede instituto, Virginius vigore
substitutionis succederet in bonis paternis:
Attenta verò donatione bona deuenire de-
berent ad hæredes institutos, & hæc est cõ-
trarietas, quæ nulla ratione conciliari po-
test, & iste casus licèt potuisset euenire &
non euenire; tamen ad inducendam contra-
rietatem haberi debet in consideratione,
prout habiti fuerunt aliàs coram me in con
sideratione casus contingẽtes ad determi-
nandum, An gratia Principatus obtenta à
Papa esset contraria dispositioni paciscen-
tium in causa Portuen. Bonorum de Colũ-
na * *facit Bart. in l. inter stipulantem. §. sa- * præsertim ... Martij
cram. num. 7. vbi Ias. num. 28. de verb. ob-* 1578.
ligat. Quare cõclusum fuit respectu bono-
rum paternorum fuisse reuocatam dona-
tionem, & hinc apparet bene fundatam
esse actionem Dominæ Aemiliæ petentis se
immitti in possessionem, cum clarè constet
ex istis bonis siue hæreditate aliquid esse de-
trahendum.

Toletana Matrimonij.
Die Lunæ 23. Ianuarij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Durante causa metus, omnia censentur ex
eodem metu facta, etiam quòd fiant ali-
qui actus, qui videantur spontanei, nisi
is, cui fuit illatus metus, constitutus fue-
rit in plena libertate, & num. 5. & 6.*
2 *Præsumptiuæ probationes sunt nullius mo-
menti, vbi per veras potest de rei veri-
tate liquere.*

* 3 *Præ-*

3 *Probatio siue præsumptio, quæ ex aliquo actu deducitur, non potest extendi vltra id, quod actus ex necessitate importat.*
4 *Testis pecunia corruptus nõ est fide dignus.*
7 *Mulier subscribens capitulationes ad importunitatem eorum, qui sollicitant matrimonium, non ob id ostendit liberam suæ voluntatem, nisi plena præcedat libertas.*

DECISIO DCCCLI.

FVit dubitatum, an à die obitus Mentiæ vsque ad diem priorum sponsalium inclusiuè constet de mutatione voluntatis Dominæ Ludouicæ, tam ex eo quòd Dux de Maqueda declarauerat se nolle cum ea cõtrahere matrimonium, quàm quòd fuerant factæ nouæ capitulationes prioribus vberiores; vel potius constet de continuatione metus: Et causa per Dominos diligenter discussa; concorditer conclusum fuit, non constare de libera voluntatis mutatione, sed de continuatione metus ex pluribus: Et primo, quia in hoc tẽporis spatio, quod fuit à die 9. Iunij vsque ad diem 24. eiusdem mensis anni 1577. Domina Ludouica semper detẽta fuit in domo Computatoria Peraltę, vbi eam Doctor Mollina deduxerat, cum eadem custodia & clausura, in qua fuerat retenta ante obitum Mentiæ, vt deponunt Don Gutierez de Arce super nono articulo, Maria de Sancto Ioanne examinata ab vtraque parte super decimosexto articulo Ducis, & super octauo Ludouicæ, Petrus Dominguez super eodem octauo articulo. Hinc colliguntur duæ conclusiones altera in facto, quòd neque etiam post obitum Mentiæ Ludouica vnquam fuit constituta in plena libertate; altera in iure, quæ
1 ex præcedenti colligitur, quòd † durante eadem causa metus, omnia censentur ex eodem metu facta, *cap. cum locum. de sponsal. cap. accedens. de procurator. Bart. in l. penult. num. 7. de condit. ob turp. caus. Roland. consil. 2. num. 87. lib. 1. Dec. in l. in omnibus. de regul. iur. & consil.* 219. vbi ait hoc locum habere, etiam quòd fiant aliqui actus, qui videantur spontanei, *vt fuit resolutum in causa Ianuen. raptus* coram R. P. D. meo Pamphilio*, in qua Domini noluerunt attendere mandatum datum à muliere, ex quo erat in dominio Ducis, sed voluerunt, vt eius voluntas extra dictum dominium exploraretur. Secundo habemus expressam probationem volũtatis Ludouicæ egerrimè ferentis huiusmodi sponsalia, de qua deponunt Maria de Espejo, Donna Agnes de Zuniga, Donna Hieronyma de Castillo, Donna Ludouica del Busto, Donna Antonia de Cepedes, Anna Maria del Busto, Sebastianus de Pigueras, omnes super decimoquinto articulo, vbi deponũt de querellis, & laberintis Ludouicæ,

* Sue Matrimonij 10. Februar. 1586.

eo die qui præcessit prædicta sponsalia, & de multis alijs actibus summã animi ægritudinem denotantibus, quibus suffragatur ex testibus Ducis, Anna della Cruce, & Maria Gomez super decimotertio articulo & de auditu à famulis deponunt Paulus de Chiucella, Emanuel del Busto, Isabella de Sayleges super decimoquinto articulo: His accedunt alij testes deponentes de eadem re de die sponsalium, & etiam post sponsalia Ioannes Basaudo super decimoquinto articulo Anna Maria del Busto iuxta decimumoctauum interrogatorium, Donna Agnes de Zuniga super decimooctauo articulo Donna Hieronyma del Castello, Donna Ludouica del Busto, Donna Isabella de Sayleges, Donna Mentia de Cardenas omnes super eodem articulo. Hinc etiam infertur non solum præsumptiuè constare ob metum omnia fuisse facta, sed etiam verè per directas probationes de Ludouicæ con-
a traria voluntate apparere: Vnde † cum præsumptiuæ probationes nullius sint momenti, vbi per veras potest de rei veritate liquere, *l. diuus. de in integ. restitut. cum simil.* non videntur admodum vrgere ea, quæ in contrarium deducuntur, quibus tamen singulariter respondetur: Et primo, non obstat prima conclusio ex aduerso deducta, quòd Ludouica audita declaratione Ducis de Maqueda valde indignata fuit contra eum, & dedit locum, vt tractaretur matrimonium cum Duce de Francauilla; quia quantum ad priorem partem conclusionis, ex exclusione Ducis de Maqueda nõ potest argui inclusio Ducis de Francauilla, cum per testes probetur Ludouicam ab ipso initio habuisse odio totam familiã Principis Ruy Gomez, vt per Sebastianum de Pigueras super sexto articulo, & Ferdinandum de Cepedes super decimoquarto arti-
3 culo, & † probatio siue præsumptio, quæ ex aliquo actu deducitur, non potest extendi vltra id, quod actus ex necessitate importat, *Bart. in l. Titium aut Maeuium. §. altero. de admin. tut. Claudius Marmerius in l. naturaliter. §. nihil commune. nu. 145. de acquir. possess.* Quantum verò ad posteriorem partem conclusionis, licèt aliqui testes in dicto eam probent, veluti Io.
4 Arias & Anna Guerra, tamen † non sunt admodum fide digni, cum fuerint pecunia corrupti, ex quo ex hac causa habuerunt senta mille, prout ipsi fatentur; Dux verò de Medina deponit de auditu tantum, cum fateatur se nunquam visitasse Ludouicam in domo Doctoris vel in stantijs Mẽtiæ, vbi Ludouica semper mãsit vsque ad sponsalia; dum verò dicit se in fenestra vidisse Ludouicam pretiosa veste indutam, necesse est, vt hoc fuerit post sponsalia, quia dicit hoc fuisse in domo matris, ad quam non accessit nisi post sponsalia; neque hoc verisimile

est fuisse à die obitus Mentiæ intra octauã Corporis Christi ante sponsalia, cum hæc pompa non deceret Ludouicam tempore luctus ob mortem Mentiæ Amitæ; Catharina Spinosa vltra quod est singularis in suo dicto, loquitur post sponsalia; Antonia Maldonado fuit pretio corrupta & deponit de auditu; Alij testes nullam aut exiguam faciunt fidem: sed his omnibus etiam pro veris concessis, ea nullius sunt roboris, ex eo
5 fundamento, quod supra dictum est, † censeri facta per metum, cum durauerit semper causa eadem metus, neque vnquam Ludouica toto hoc tempore constituta fuerit in plena libertate, qualis requiritur ad eliciendum consensum sufficientem ad cõtrahendum matrimonium. Secunda conclusio, quòd post obitum Mentiæ Ludouica steterit in plena libertate, & quotidie tractabat & sollicitabat capitulationes, & Dux de Francauilla ad instantiam Ludouicæ comitatus est funus & exequias Don Bernardini & Mentiæ, & Ludouica valde lætata est de honorifica parentum sepultura, non probatur nisi in ea parte, in qua agitur de associatione & honorifica sepultura; Neque probatur, quòd Dux hoc fecerit ad instantiam Ludouicæ; nam Ioannes del Gardo est de auditu tantum, immo multi testes dicunt id factum fuisse de ordine Principissæ, veluti Ioannes de Samaniego, Anna della Cruz, Petrus Gonzales, Ioannes Arias, Ioannes de Santojo omnes super nono articulo, quod & verisimile est; cupiebãt enim omni officio demereri Ludouicæ gratiam, & eam ad hoc matrimonium allicere: Aliæ partes conclusionis, & præcipuè illa, quòd Ludouica esset in plena libertate non probantur, neque de hac re vllum extat verbum in depositionibus istorum testium. Tertia conclusio, quòd Ludouica valde lætata est de conclusione capitulatio-
6 num, nihil facit † non data plena libertate, etiam quòd præseferret lætitiam, *vt per Grat. in consil. 38. num. 18. lib. 2. Alexan. cons. 98. num. 7. lib. 3. Dec. cons. 219. n. 4.* & contrarium optime per testes supra enumeratos probatur, qui sunt plures numero, & deponunt de actibus magis concludentibus magnum animi dolorem. Quarta conclusio de muneribus missis ad Ducem redeuntem à Ciuitate Conchensi, vbi corpora comitatus fuerat, nihil concludit, cũ huiusmodi munera habeant suam causam, nempe ob honorem præstitum à Duce corporibus Bernardini & Mentiæ. Quinta & sexta conclusio super muneribus iocalium hinc inde transmissorum, parum ad rem faciunt, tum quòd proueniunt ex eadem radice infecta metus præcedentis, tum quòd per testes Ludouicæ in eorum receptione apparet eam nõ admodum alacri vultu hæc munera recepisse, transmissa verò per eam Duci fuerunt potius arte & sollicitudine Antoniæ comparata, quàm cura & voluntate Ludouicæ; & in summa hæ omnes circunstantiæ deductæ pro parte Domini Ducis valde sunt debiles, si conferantur cum probationibus ex aduerso deductis: Quantum verò ad capitulationes licèt pro parte Ducis prætendantur vberiores & vtiliores prioribus, res tamen aliter se habet, quia priores erant de contrahendo cum primogenito Ruy Gomez, qui erat ditissimus; Dux verò de Francauilla habebat satis tenues redditus, si cum illo comparentur, & honorificentius erat Ludouicæ nubere primogenito, qui ratione ætatis, primogenituræ, & diuitiarum longè antecellebat: prouisio verò de soluendis debitis Bernardini, cuicunque tandem ipsa nuberet, erat necessariò facienda; & ideo non est magni ponderis; maximè cum fieri deberet ex bonis
7 ipsius Ludouicæ; Quòd verò † subscripserit se istis capitulationibus non est magni momenti, cum hoc fuerit ad importunitatem eorum, qui sollicitabant hoc matrimonium, & ideo non arguit liberam voluntatem, *Felin. in cap. quæ in Ecclesiarum. num. 65. versic. limita quinto. de constitut.* & hoc pacto tolluntur omnes actus per eam facti, & ex aduerso considerati, *Anton. de Butr. in cap. ad id. num. 9. de sponsal. & ibi Præposit. num. 1. Oldrad. in consil. 20. Ruin. consil. 122. num. 3. lib. 4.* nam vt isti actus habeantur in consideratione, necesse est, vt plena libertas præcedat, per supra deducta. Et ita conclusum.

Romana Donationis.
Die Veneris 27. Ianuarij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Annus datus à lege ad petendum tutorem non currit nisi à die scientiæ.*
2 *Vbi per lapsum temporis à lege præfixi, quis constituitur in mora, regulariter tempus illud non currit ignoranti, sed requiritur scientia, quæ non sufficit in genere, & num. 4.*
3 *Allegans scientiam, quando non præsumitur, eam articulatè probare debet.*
4 *Ad petendum tutorem non sufficit scire, quod pater sit per sententiam damnatus, sed necessaria est scientia qualitatum, propter quas filius amiserit patriam potestatem.*

DECISIO DCCCLII.

1 FVit resolutum † annum datum à lege ad petendum tutorem non currere, nisi à die scientiæ, *vt per Bald. in cap. ex parte. la seconda. sub n. 18. de appellat. Bart. in disputatione, quæ incipit, Pupillus. quæ est vltima, sub num. 7. Ias. consil. 53. in 5. col. vers. quinto facit. lib. 3. Tiraquell. de retract.*

tract. lign. §. 35. glos. 4. num. 11. nam
2 † regulariter vbi per lapsum temporis à lege præfixi, quis constituitur in mora, tempus illud non currit ignoranti; & ideo re-
3 quiritur scientia, & † allegans eam articulatim probare tenetur, *vt tradit Bald. in l. quamdiu. C. qui admitti ad bon. poss. Corn. in consil. 87. num. 2. in fin. lib. 4. Socin. cõsil. 153. num. 35. & seq. lib. 2. Gabr. de tutel. conclus. 1. num. 48.* † Neque sufficere
4 videtur hoc casu scientia in genere sententiæ latæ contra Dominum Ludouicum, sed est necessaria scientia qualitatum propter quas patria potestas amittitur *per doctr. glo. in cap. concertationi. in verb. sciuerit. de appellat. in 6. & ibi Gemin. num. 15. & Frãc. in fin. Aym. cons. 197. num. 14. & Tiraq. de retract. lign. §. 36. glos. 7. num. 30. & ita fuit concorditer per Dominos conclusum.* Quantum verò ad alias difficultates in puncto propositas, quia necessario erat præsupponenda scientia non fuit causa discussa; frustra enim disputatur à quo tempore inceperit currere annus non dato prius extremo habili, à quo possit duci initium.

Perusina Hæreditatis.

Die Veneris 27. Ianuarij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Ad validitatem testamenti iuxta dispositionem Authen. quòd fine. C. de testam. pro forma requiritur, quòd testator vltra scripturam manu sua subscriptam, voce coram testibus voluntatem suam exponat, quo casu non admittitur præsumptio, sicut admittitur, quando rogatur notarius.*

2 *Authen. quod sine. C. de testam. intelligitur loqui de fideicommissis particularibus, non autem de vniuersalibus, cum eius materia sit exorbitantissima, & correctoria iuris communis, & per tot.*

3 *In testamento imperfecto nihil adscribi potest ad fauorem personarũ extranearum.*

4 *Verba sunt accipienda in ea significatione, quæ minus lædit ius commune.*

5 *In testamento inter liberos lex remittit solemnitates, quoniam ibi cessat suspicio falsitatis.*

6 *Lex fauet volũtati testantiũ, quantũ potest.*

7 *In materia stricta & odiosa, verba quæ possunt capi in genere & in specie, debent in specie accipi.*

8 *Authen. quod sine. C. de testam. debet seruari ad vnguem in terminis, in quibus loquitur, quando aliquid relinquitur extraneo iure legati vel fideicommissi; secus est, si relinquitur iure institutionis vniuersalis, quia tunc corruit dispositio, & est nulla.*

9 *In materia exorbitantissima à iure communi, obliquatio substitutionis fieri non potest de directa ad fideicommissariam; secus est in casu, quo constet testatorem voluisse codicillos facere, quia tunc sustinetur eo modo, quo in codicillis valeret, dummodo iure codicillorum valere possit, & num. 11.*

10 *Substitutio directa non potest trahi ad fideicommissariam nisi ex causa, & ex benigna interpretatione, in præiudicium tamen filiorum talis interpretatio locum non habet.*

12 *Verbum relinquo in institutione filij obliquari non potest.*

DECISIO DCCCLIII.

Fvit iterum proposita causa super dubio discusso, & non resoluto die 26. Nouembris anni præteriti; Et quãtum ad primam difficultatem, an esset seruata in testamento, de quo agitur, forma tradita *in Authen. quod sine. C. de testam.* maior pars
1 Dominorum erat in sententia, † quòd non esset seruata, cum requiratur, quòd testator vltra scripturam manu sua exaratam, voce coram testibus volũtatem suam exponat, *vt colligitur ex eo textu, & notant glos. & Doctor. in discursu allegati*, * *quibus addi potest Salic. num. 2. & Cuiac. qui in dicta Authen. expositione tradit requiri testamentum holographũ, & testibus palam nũcupatum, quod interuenisse in hoc actu non apparet*, differunt enim scriptura & nuncupatio, *l. non figura litterarum. de action. & obligat.* neque hic locum habet præsumptio, quæ admittitur, quando rogatur notarius ex eo, quòd gerit officium publicum, *vt per Rub. Alexan. in cons. 14. num. 3.* Quãtum ad secundam difficultatem, maior pars
2 quoque Dominorum censebat, † Authen. esse intelligendam de fideicommissis particularibus, non autem de vniuersalibus, & vltra rationes in discursu aliàs allegatas, placebat eis ea consideratio, quòd sumus in materia exorbitantissima, *vt per Corn. in consil. 307. num. 17. lib. 3.* & correctoria, nedum iuris communis, quo disponitur, vt in testamentis adhibeantur septẽ testes, sed etiam dispositionis contentæ *in §. ex*
3 *imperfecto.* qua cauebatur, vt † nihil posset in testamento imperfecto adscribi ad fauorem personarum extranearum; & ideo
4 † verba esse accipienda in ea significatione, quæ minus lædit ius commune *cap. cum dilectus. & ibi Abb. num. 6. & 7. de consuet. cum concord.* & maximè ne nimium præiudicetur fauori filiorum considerato *in d. §.*
5 *ex imperfecto.* His accedit, quòd † ratio cur lex remittat solemnitates in testamento inter liberos, est, quia in eo cessat suspicio falsitatis, cum causa intestati foueat causam testati, *vt communiter dicunt Doctores relati per Curt. iun. in d. §. ex imperfecto. n. 4. Natt. in consil. 107. Rub. Alex. cons. 7. num. 8.*

* sub dicta die 26. Nouẽbris anni præteriti.

num. 8. *Card. consil.* 149. *num.* 5. & ideo cum fuerit facta mentio fideicommissorum inter legata & libertates, quæ sonant in titulum particularem, & plurimis locis in iure, vbi fit copulatiuè mentio legatorum & fideicommissorum, accipiantur pro fideicõmissis particularibus, *vt in l. ex imperfecto. de leg.* 3. *ibi legata vel fideicommissa vendicare*, cum vendicatio non competat pro fideicommisso vniuersali, *& in tit. de legat. & fideicomm.* vbi tantum singularia fideicommissa continẽtur, *vt tradit Ias. in rubr. de legat.* 1. *num.* 20. *& in l.* 1. *C. cõm. de legat.* vbi quamuis textus vtatur dictione vniuersali, omnibus, tam legatarijs, quàm fideicommissarijs, & tamen particulares tantum continentur, videbatur casui Authenticæ magis conuenire hæc interpretatio, quàm illa, quæ sumitur in argumentum ex dispositione *Authen. ex causa. C. de lib. prater.* quia non solum illam interpretationem improbat *ibi Io. Igneus*, sed etiam si eam admittamus, ratio differentiæ est ma-
6 nifestissima; nam † lex fauet voluntati testantium, quantum potest. §. *disponat. Authen. de nupt.* & ideo vbi testamentum non peccat in forma probatoria, prout in casu *d. Authent. ex causa.* nihil mirum si sustinentur omnia disposita à testatore, At in casu *Authen. quod sine.* testamentum deficit in forma probatoria; & ideo ponitur hoc testamenti genus *sub rubr. de testam. imperfect. in Authenticis*, non ergo meretur tantum fauorem voluntas ista, de qua non plenè constat, & quæ merito potest suspecta esse falsitatis, quantum illa, quæ est indubitata: Vnde infertur, hunc casum magis in sui ratione accedere ad interpretationem datam *per Doctores ad l. dictantibus. C. de testam.* *quàm ad interpretationem prædicta Authent. ex causa.* in qua etiam concurrit, quòd verba sunt in ea magis prægnantia, ibi cætera firma permanent, quæ ponderat *Auchar. in cons.* 144. *post princ. & hanc opinionem tenuit Cephal. in cons.* 377. *n.* 24. *&* 41. *vbi latè deducit plures rationes*, & in sũ-
7 ma † in hac materia stricta & odiosa, verba quæ possũt capi in genere & in specie debẽt in specie accipi, *vt per Abb. in c. Rodulphus. num.* 3. *de rescript. Alex. cons.* 248. *nu.* 10. *lib.* 6. *cum similibus.* Quantum ad tertiam difficultatem, posito quòd dicta Authentica sit intelligenda etiam de fideicommissis vniuersalibus, omnes Domini conueniebant, hanc institutionem non posse obliquari, vt valeat in vim fideicommissi; Pri-
8 mo, quia † dicta Authent. debet seruari ad vnguem in terminis, in quibus loquitur, videlicet quando aliquid relinquitur extraneo iure legati vel fideicommissi: Vnde cũ hic relictum sit iure institutionis vniuersalis, corruit dispositio, & est nulla, *vt tradit Riminal. in d. Authent. quod sine. n.* 1. *vers. & noto, & ante eum Cyn. in princip. Bald. num.* 2. *Castren. vers. sed nota. Corn. sub num.* 5. *Iacob. de Put. inter consilia vltim. voluntat. consil.* 121. *num.* 27. *lib.* 1. aliàs facilè eluderetur dispositio d. Authenticæ, si institutionem, quæ est nulla, sustineremus in vim fideicommissi. Secun-
9 do, cum simus † in materia, vt dictum est exorbitantissima, hæc obliquatio non potest fieri ex ratione *l. Sceuola. ad Trebellian.* ex his, quæ fuerunt deducta in discursu, quibus fuit additum, interpretationem passiuam ex ratione illius legis non posse hic locum habere, cum talis interpretatio habeat locum tantummodo, quando aliquid est constitutum à lege generaliter, & per viam regulæ, *vt per Doctor. in l.* 2. *de leg.* 1.
10 sed † quòd substitutio directa trahatur a fideicommissariam, non est generaliter cõstitutum, sed ex causa, *cap. si pater. de testam. in* 6. & ex benigna interpretatione *dicta l. Sceuola*, quæ benigna interpretatio non est admittenda in præiudicium filiorum, vltra quod in dubio non est iudican-
11 dum contra fideicommissum: † Præterea illa lex non procedit nisi, vbi constat testatorem voluisse codicillos facere, *vt per Castren. ibid. num.* 4. tunc enim sustinetur eo modo, quo in codicillis valeret, nempe per viam fideicommissi, quòd si constaret testatorem voluisse testari, vtique nullo modo sustineretur, quare cum hic testator voluerit testari, non potest admitti huiusmodi obliquatio, cum neque etiam hæc dispositio possit valere iure Codicillorum ob defectum numeri testium. Quæ verò deducũtur super verbis communibus, quibus vsus est testator ponderando dictionem, lascio, quæ valet idem quod relinquo; vltra quòd non procedunt de iure, cum sit iuncta verbis, herede vniuersale; tolluntur etiam ex facto, cum eodem modo loquendi vsus fue-
12 rit testator in institutione filij, † quam tamen nemo obliquari posse dixerit: Et ea his satis virtualiter sunt sublata omnia in contrarium deducta. Et ita per Dominos conclusum.

Romana Scommissæ.

Die Lunæ 30. Ianuarij 1589.

S V M M A R I V M.

1 *Per receptionem pecuniæ, ob causam scommissæ numeratæ, sponsio dicitur perfecta.*
2 *Scommissæ contractus solo partium consensu perficitur, vt non sit locus pœnitentiæ.*
3 *Ad contractus substantiam non requiritur scriptura, sed solum ad faciliorem probationem, sed hoc procedit quando sumus in claris, quòd partes habuerint contractum pro perfecto, aliàs secus, vt num. 5.*
4 *Vbi constat de partium voluntate & consensu, contractus dicitur perfectus, etiam quòd actum sit de conficienda scriptura.*

Opi-

5 *Opinio Castren. in l. pactum quod bona fide. num. 3. C. de pact. quando procedat.*
6 *Contractus per partes non dicitur habitus fuisse pro perfecto, quando contrahentes cœperunt scribere cedulam, quæ postea non fuit scripta; maxime si sit contractus solitus mediante ipsa scriptura perfici.*
7 *Sponsiones seu scommissæ de communi obseruantia inter mercatores mediante scriptura fieri solent.*
8 *In facientibus scommissam non sufficit, quòd vna pars consentiat, nisi etiam alterius assensus concurrat, & talis consensus, etiam quòd interueniat nedũ ante confectionem scripturæ, sed etiam dum ea legitur, semper reuocari potest, & est locus pœnitentiæ.*
9 *A contractu licet de iure communi recedere, & pœnitere, cum amissione arrhæ datæ, vel restitutione duplicatæ, quando tamen sumus in contractu innominato.*
10 *Scommissa super futura electione vel promotione non valet, licèt secus sit de facta.*

DECISIO DCCCLIV.

FVit dubitatum, an sententia extra Rotam lata sit confirmanda vel reuocanda: Factũ ita se habet, Die 7. Augusti 1587. circa horam 11. vel 12. dum fierent sponsiones super Cardinalium futura promotione Cæsar Zattera affirmans Sanctiss. Dominũ Nostrum per totum mensem Nouembris proximum, creaturũ vnum vel plures Cardinales, numerauit Eliæ Corcos præsenti & recipiẽti scuta auri triginta sex promittenti in dictum euentum se soluturum scuta mille & ducenta simillia: Cumq. apochã, quæ de more in his confici solet, conscribere vellent, & Elias titubaret; Cæsar verò eum interpellaret sub his verbis, (la scommessa è fatta fra noi, basta la parola) discessit Elias relictis pecunijs, & cedula nõ subscripta; & paulo post innotuit fuisse assumptum ad Cardinalatum Illustrissimũ & Reuerendissimum Cardinalem Alanum: Quare conuentus Elias coram Illustriss. Vrbis Vicario, siue eius deputato condemnatus fuit Elias ad solutionem prædictæ scommissæ mille & ducẽtum scutorum, & causa per appellationem ad Rotam deuoluta pro sen-
1 tentiæ confirmatione deducebatur ✝ sponsionem fuisse perfectam, ex quo Elias recepit triginta sex aureos sibi ob hãc causam à Cæsare numeratos, *Alciat. in l. sponsio. num. 4. de verb. signif. Modern. de sponsionib. part. 2. num. 4.* & ✝ contractus iste
2 solo partium consensu perficitur, vt non
3 sit locus pœnitentiæ, ✝ nec scriptura requiritur ad contractus substantiam, sed ad faciliorem probationem, *Dec. consil. 340. num. 2. & 3. Curt. iun. cons. 348. num. 12. 22. & 31. lib. 3. Socin. cons. 32. num. 5. lib. 3.* quam opinionem Rota semper amplexa est contra sententiam Castr. in l. pactum quod bona fide. in princ. & n. 3. C. de pact. vt per Peregr. decis. 34. in vna Placentina. lib. 1.
4 *Put. decis. 43. contractus. lib. 3.* & ✝ vbi constat de partium voluntate & consensu, contractus dicitur perfectus, etiam quòd actum sit de conficienda scriptura, *Aretin. in cons. 159. num. 10. Dec. cons. 340. nu. 2. in fin.** Contrariam tamen sententiam hoc casu amplexi sunt Domini, pro cuius fun- *& facit dict. Bart. in l. contractus post n. 7. C. si fid. instr.
5 damento consideratum fuit ✝ allegatam conclusionem contra Castrensem procedere, quando sumus in claris, quòd partes habuerunt contractum pro perfecto, vbi verò sumus in dubio, tunc procedere opinionem Castrensis, *vt tradit Dec. in consil. 11. n. 1. in fin. Anchar. q. 21. num. 3. in fin.* Hic autem ex circunstantijs facti videtur colli-
6 gi, ✝ partes non habuisse sponsionẽ pro perfecta; quia statim post traditionem pecuniarum Cæsar conscribere cœpit cedulam, vt deponũt quartus & quintus testes iuxta nonum interrogatorium, adeo quòd ex si-
7 mili actu, ✝ iuncta communi obseruantia aliorum, qui similes sponsiones faciunt, apparet Cæsarem & Eliam voluisse contrahere modo inter mercatores solito mediante scriptura. Neque est verisimile, quòd Cæsar voluisset sine scriptura tradere pecunias, & sequi fidem Eliæ: Vnde videtur hic bene applicari, quod tradit *Salicet. in l. contractus. num. 6. C. de fid. instrum.* non videri contractum habitum pro perfecto, quando partes non ex interuallo, sed immediatè conficiunt scripturam, & allegat *l. perfecta. C. de donation. quæ sub mod. & l. 2. ff. de solution.* Neque obstat, quòd Cæsar dixerit illa verba, (la scommessa è fatta tra noi, basta la parola) quia ea potius denotant ipsum dubitasse, ne Elias elabe-
8 retur, & eum pœniteret; sed ✝ satis non erat eum consentire, nisi concurrat etiam assensus Eliæ, & vnus tantum ex testibus, nempe tertius dicit, & di questo si contentò l'Hebreo; sed nòn deponit, quomodo cognouerit Hebræum contentum fuisse, & est singularis in suo dicto; quamuis etiam non sufficeret, quòd annuisset tunc pendẽte adhuc confectione cedulæ; & ideo poterat nedum ante confectam cedulam, sed etiam dum ea legeretur pœnitere, *vt tradit Bald. in d. l. contractus. num. 13. in fin. qui sub num. 5. tradit pulchram doctrinam, quando dicatur conclusum esse contractum.* Sed neque est contemnendus stylus probatus per testes Eliæ, nempe primum iuxta decimumquartum, secũdum iuxta nonum, quartum iuxta idem, & super quinto articulo, cui concordat fides mercatorum,
9 ✝ quòd liceat pœnitere cum amissione Arrhæ datæ, vel restitutione duplicatæ; nam quantum ad hanc facultatem pœnitendi

conformis est stylus iuri communi, cum simus in contractu innominato, *iuxta ea quæ tradit Alexand. consil. 16. lib. 2.* Sed omnem difficultatem tollit forma ipsius spon-
10 sionis, † quæ fiebat de futura promotione, non autem de facta; & ideo cum Cæsar non probauerit, quòd illa hora nondum fuerat creatus Cardinalis Alanus, sed post factam sponsionem deficit in fundamento intentionis suæ, & ideo habet locum *decisio Vincentij Franchi* 113. nam testes per eum inducti circa hanc rem nihil certi deponunt. Quare conclusum pro reuocatione sententiæ.

Volaterrana Prædij,
Die Mercurij prima Februarij 1589.

S V M M A R I V M.

1 *Per fideicommissum quis dicitur succedere fideicommittenti, non autem hæredi grauato.*
2 *Fideicommissum secundum factum etiam ad fauorem Ecclesiæ contra fideicommissum primum factum à primo fideicommittente in fauorem familiæ, dicitur addere nouũ grauamen primo fideicõmisso.*
3 *Casus, qui non euenit, si tamen potest dari, quòd posset euenire, sufficit, ad hoc vt haberi debeat in consideratione.*
4 *Spes succedendi radicata in aliquo iure de præsenti, sicut haberi debet in consideratione, ita pariter præiudicium radicatũ in dispositione de præsenti haberi debet.*
5 *Stante fideicommisso antiquo nouum fideicommissum adiectum super ijsdem bonis non valet, si factum sit in præiudicium eorum, qui per primum fideicommissum sunt vocati.*

DECISIO DCCCLV.

QVia fuit resolutum Michaelem non potuisse grauare prædium, de quo agitur, nouo fideicommisso in præiudiciũ Hormanni, fuit ad instantiam partis dubitatum, An constet de aliquo præiudicio Hormanni; prætendebatur enim pro parte Ecclesiæ nullum posse considerari Hormanni præiudicium, cum fideicommissum ei impositum sit in euentum obitus sine filijs; quo stante etiam ex priori dispositione Hẽrici senioris tenebatur eo casu restituere alijs de Hormannis superstitibus, & sic in nullo grauatus censebatur ex hoc nouo fideicommisso Michaelis: Domini tamen concorditer censuerunt standum esse in re-
1 solutis; *a* etenim † cum per fideicommissum quis dicatur succedere primo fideicõmittenti, non autem hæredi grauato, *l. cohæredi. §. cum filia. vbi omnes. de vulgar. & pupill. l. Lucius. eod. tit.* & ita in hoc prædio Hormannus successit Henrico, non
2 autem Michaeli, † certè omne nouũ onus per Michaelem impositum grauat ipsum Hormannum; Cum enim posset fideicommissum hoc conditionale effici caducum per mortem aliorum de Hormannis, superstite adhuc Hormanno, potuisset tunc Hormannus ad libitum disponere; & ideo hoc nouum fideicommissum ad fauorem Ecclesiæ, quæ nunquam moritur, substulit ei hãc facultatem, & in hoc grauauit. Neque
3 obstat † quòd iste casus non euenerit, quia satis est, quòd ad hunc effectum potuerit euenire, prout in simili considerata fuit à Dominis euentualis contrauentio pacti de succedẽdo per impetrationem Principatus *in causa Portuen. de Columna coram me. a* Neque obstat, quòd Hormannus testamento Henrici impediretur disponere, si sine filijs decessisset; nam hoc fideicommissum erat tantum in fauorem familiæ; hoc verò addit nouum grauamen in fauorem Eccle-
4 siæ: & † quemadmodum spes, quæ est radicata in aliquo iure de præsenti, habetur in consideratione, ita & præiudiciũ radicatum in dispositione de præsenti, debet haberi in consideratione, *l. non solum. §. si libertus. de excusat. tut. Bald. in l. pactum. quæst. 13. C. de collation.* Præterea apparet de præiudicio eiusdem, ex eo quòd decedens ab intestato censetur se conformare cum dispositione iuris communis, *l. conficiuntur. de iur. Codicill.* Vnde censetur voluisse filiam sibi succedere in eo casu, in quo lex defert ei successionem, & tamen hæc facultas tollitur per nouum fideicommissum, & ita tam Hormanno, quàm filiæ eius infert graue præiudicium. Non obstat superexistentia filiorum Ioan-
5 nis; † nam aut ipsi possunt succedere in hoc prædio vigore fideicommissi antiqui, & nouum fideicommissum iniunctum à Michaele nullius est roboris & momenti, cum non potuerit præiudicare dispositioni Henrici senioris: Aut ipsi non possunt succedere, & tunc clarum est ipsius Hormanni præiudicium, cum tollatur eius successio ab intestato, quæ de iure filiæ suæ competebat; Et hac ratione Margarita non dat de iure tertij allegando existentiam filiorum Ioannis; nam aut ipsi agnoscunt fideicommissum, & dispositio Michaelis non potest sortiri effectum: aut non agnoscunt consentientes renunciationi paternæ, & tũc expirauit fideicõmissum cum persona Hormanni, & non potest habere locũ nouũ grauamen impositũ à Michaele sine manifesto Hormanni, & eius filiæ præiudicio, vt supra dictum est, quod & maxime locum habet, ex quo consideratis verbis renunciationis, ea videntur importare absolutam fideicõmissi renunciationem & extinctionem. Quare conclusum fuit, satis constare de præiudicio Hormanni ad effectum, de quo agitur.

a sub die 10. Decemb. anni præteriti.

a sub die 10. Martij 1588.

Segobien. Canonicatus.
Die Lunæ 6. Februarij 1589.

SVMMARIVM.

1 *In prouisione Apostolica facta ad commodum alicuius, præsumitur eius scientia, nisi probetur ignorantia; maximè quia expeditio non sine impensa & sollicitatione haberi potest, quod facit, vt de eius mandato facta præsumatur.*

2 *Scientia prouisionis plena & indubitata arguitur ex mandato prouisi dato ad resignandum beneficium, & num. 7.*

3 *Ex impensa facta in prouisione arguitur mandatum prouisi, licèt procurator habuerit pecunias vigore litterarum alterius, etiam quòd modica summa sit impensa, vt num. 5.*

4 *Expensa vigintiquinque ducatorum non potest dici modica pro expeditione.*

6 *Rota quandoque solet adhibere fidem scripturis etiam minus legitimè extractis propter verisimilitudinem, concurrentibus adminiculis.*

7 *Ex mandato procuratoris dato ad resignãdum dicitur probari scientia omniũ contentorum in litteris Apostolicis, & etiam decreti in eis appositi de dimittendo infra duos menses obtentum.*

8 *Resignatio beneficij sequuta mediante procuratore in necessarium antecedens arguit acceptationem mandati.*

9 *Actus factus, qui citra nomen hæredis fieri non potest, arguit aditionẽ hæreditatis.*

10 *Terminus duorum mensium, qui datur in decreto de dimittendo, computatur à die adeptæ possessionis, vel ab eo die, quo per prouisum steterit, quo minus eam adipiscatur.*

DECISIO DCCCLVI.

FVit dubitatum, an constet, quòd Ioannes de Sedenno habuerit notitiam prouisionis sibi factæ per Sanctiss. D. Nostrum de Canonicatu, de quo agitur, & si constat, An possit prætendere excusationem ratione alicuius impedimenti, & concorditer Domini fuerunt in sententia, quòd satis de scientia cõstet, primo ex legis præsumptio-
1 ne, † cum enim prouisio Apostolica esset ad ipsius commodum, præsumitur scientia, nisi ignorantia probetur, *vt dicit Card. per illũ text. in Clem. 1. §. fin. in 7. notab. de concess. prabend.* Secundo ex quo prouisio, & litterarum expeditio, in qua ipse est orator, non sine impensa & sollicitatione haberi possunt; & ideo præsumuntur omnia præcessisse de eius mandato, *Felin. in cap. sicut. num. 35. de re iudic. Cassad. decis. 3. num. 4. de procurat. Io. Paul. decis. 78. Anton. August. decis. 121. lib. 2.* Tertio concurrit temporis interuallum, & Domini procuratoris diligentia, ex quibus res fit adeo verisimilis, vt contrarium dicere omnino absurdum videatur, *Roman. in consil. 481. num. 3. & 7. Paris. consil. 57. num. 21. lib. 4.* Quarto adiuuantur hæ coniecturæ & præsumptiones ex eo, quòd in tanto tempore nullus impetrauit hunc canonicatum per obitum, quod non est verisimile euenturum fuisse, nisi in partibus innotuisset prouisionem fuisse factam Ioanni de Sedenno, cum satis sit nota omnibus diligentia impetrantium beneficia vacantia; maximè cum Canonicatus iste sit in Ecclesia valde nobili, & notabilis redditus: sed omnem
2 tollit difficultatem, quòd † ipsemet Ioannes eodem anno constituit procuratorem ad resignãdum Canonicatum istum in personam alterius, & enunciat in mandato sibi de illo fuisse prouisum, quæ res arguit plenam & indubitatam scientiam, *Bar. in l. qui Roma. §. duo fratres. num. 13. & ibi Ias. num. 57. Crot. num. 46. de verb. signif. Paris. consi. 72. num. 23. lib. 2.* Non obstant ea, quæ ex aduerso allegantur; Et primo,
3 quòd † ratione impensæ non præsumatur mandatum, cum constet factam fuisse impẽsam ab alio, nempe à procuratore, qui habuit pecunias vigore litterarũ Didaci Spinosę, quia cum ad istos negotium non pertineret, intrat præsumptio fuisse gestum ad instantiam illius, ad quem pertinebat; & sic habent locum decisiones pro hac parte adductæ, * nam aliàs esset ridiculum inducere præsumptionẽ huiusmodi, si clarè liqueret pecunias fuisse per ipsummet Sedennum transmissas, & in hanc rem expositas, tunc enim esset vera probatio, & non præsumptiua. Neq; obstat, quòd aliquando Rota recessetit ab hac præsumptione, vbi expensa est modica veluti in vna Gerunden. [a] quia
4 † neque hæc expensa vigintiquinque ducatorum potest dici modica, neque etiam ex hac re poterat alteri generari præiudicium, quemadmodum in casu prædictæ causæ Gerunden. vbi agebatur de præiudicando alteri ratione sui consensus præstiti in impetratione confirmationis cuiusdam Concordiæ; sed vbi hoc cessat, & nulli alteri causæ potest tribui impensa quàm fauori eius,
5 propter quem fit, † locum habet præsumptio etiam in modica summa, cum non facile reperiatur, qui velit etiam quid modicum iactare alterius causa. Non obstant, quæ contra mandatum deducuntur; Et primo, quòd non est in forma probanti; nam quæ allegantur, parum vrgent, cum ipsemet Ioannes comparens habuerit se pro citato, & consenserit extractioni prædicti mandati: Præterea ex his, quæ supra pro scientia deducta fuerunt, insurgit adeo magna verisimilitudo, vt omnino huic scripturæ fi-
6 des sit adhibenda; † & sæpius ex huiusmodi adminiculis Rota habuit fidem scripturis minus legitimè extractis. Non obstat,

* prout Ioan. Paul. decis. 78. Cassad. decis. 3 n. 4. de procur. Put. decis. 3. de præsumpt. Ant. Aug. dec. 121 lib. 3.

[a] in Gerũden. Anniuersariorũ coram eodẽ illustriss. Seraph. n sub die 9 Februarij 1581.

7 quòd † non probetur ex mandato scientia contentorum in litteris Apostolicis, & in specie decreti in eis appositi, quòd teneretur infra terminum duorum mẽsium dimittere aliud beneficiũ, quod obtinebat, quod tamen videtur necessarium, *vt per glos. in cap. concertationi. in verb. sciuerit. de appellat. in 6. & ibi Gemin. num. 15. & Frãc. in fin. Aym. cons. 197. num. 14. Tiraq. de retract. lign. §. 36. glos. 7. num. 30.* quia pro responsione dictum fuit non esse admittendam huiusmodi exceptionem, ex quo in specie in prædicto mandato fit mentio non solum gratiæ, sed etiam litterarum virtute dictæ gratiæ expeditarum; *l. non est ferendus. de transaction. Bald. in l. 1. vers. quaro vtrum. C. de tempor. appell. Aym. consil. 328. num. 38. lib. 3.* Præterea etiam circũscripto decreto intrabat dispositio iuris communis propter incompatibilitatem. Non obstat, quòd non constet de acceptatione; quia immo ex prædicto mandato optime probatur, ex quo resignat dictum Canonicatum in fauorem Petri de Spinosa;
8 † quæ res in necessarium antecedẽs arguit
9 acceptationem, prout dicimus, † eum qui facit actum, quod citra nomen hæredis geri non potest, censeri adijsse hæreditatem, *Corn. in consil. 236. num. 10. lib. 4. Socin. cons. 107. num. 1. lib. 2.* Vltimo non obstat, quòd decretum vacationis non intret ante collationem sibi factam, cum gratia esset in forma Dignum, quia in litteris ex-
10 tenditur hoc decretum, † vt duo menses computentur à die possessionis adeptæ, vel ab eo die, quo per eum steterit, quominus eam adipiscatur: Quare cum per ipsum steterit, sibi ipsi imputet. Quantum verò ad secundam partem dubij, Domini dixerunt nihil prorsus deduci, ex quo appareat impeditum fuisse ex aliqua causa legitima Sedennum, quo minus obseruaret contenta in gratia; & ideo causam expediri posse.

Ciuitaten. Constructionis Capellæ.
Die Lunæ 20. Februarij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Commissio auocatoria causa à iudice, cui prius per restriptum manu propria Sãctissimi signatum, fuerat commissa, non tribuit iurisdictionem; secus est in Rota, quæ nunquam solet refricari in dubium potestatem Signaturæ Iustitiæ cũ Præfectus illius rescribat de mãdato Papæ, siue per concessum in præsentia Domini Nostri Papæ, vt num. 12.*

2 *Signatura Iustitiæ non potest dare clausulam appellatione remota; secus est quando commissio signata fuit, prout in præinserta, si in illa præinserta adsit talis clausula, vt num. 16.*

3 *Procurator sine speciali mandato appellationi renunciare non potest.*

4 *Examen testium examinatorum extra tempus datum est nullum, & num. 20.*

5 *Articuli debent referendariari per notariũ Nuncij, qui subscripsit commissionem.*

6 *Citatio ad videndum iurare testes sine die non est nulla, cum intelligatur pro prima die iuridica, vt num. 23.*

7 *Citatio Capituli facta particularibus de Capitulo non autem Capitulo capitulariter congregato, est nulla; secus est, si ij, qui citati fuerunt, sint constituti capitulariter procuratores, vt num. 24.*

8 *Testium examen, qui non fuerunt iurati, est nullum, licet notarius dicat iurasse in forma iuris; & non dicat tactis, &c. secus est, quando examen factum fuit sub die, sub quo cadit citatio, & notarius enunciat testẽ iuratum esse, vt n. 25.*

9 *Testes iurati in die feriata sunt nulliter examinati, & reijciuntur, & n. 27.*

10 *Sententia lata non præstito iuramento calumniæ expressè per partem petito, est nulla, & num. 29.*

11 *Sententia lata sine citatione, & sine conclusione in causa sustineri non potest, & num. 30.*

13 *Præfecto Signaturæ Iustitiæ rescribenti de mandato Papæ, siue per concessum in præsentia &c. credendum est.*

14 *Contra commissionem signatam de consensu partium, de subreptione opponi non potest, aliàs pars dans de subreptione, de ea clarè docere debet.*

15 *Verba illa in commissione, de consensu partium, stant assertiuè, non autem conditionaliter.*

17 *Comparitio partis coram iudice deputato, qui deputari non poterat sine consensu partium, tollit nullitatem defectus iurisdictionis, cum de consensu partium dicatur confirmata iurisdictio; & licèt aliqui actus facti sint cum protestatione, sufficit, quòd aliqui etiam sint facti simpliciter sine protestatione, ad hoc vt dicatur ab illa recessum.*

18 *Delegatus Apostolicus habet potestatem subdelegandi.*

19 *Extractio iurium facta per iudicem, cuius iurisdictio non est certa, si pars citata nihil opposuerit valet, & sustinetur.*

20 *Terminus examinis testium datus, non cõputatur nisi à die ingressus loci, in quo examen fieri debet.*

21 *Examen testium non potest dici extra terminum, quando testes intra terminum iurarunt, quod sufficit.*

22 *Pro actus validitate præsumendum est, nisi contrarium clarè ostendatur.*

26 *Iuramentum conceptum in forma iuris intelligitur tactis corporaliter scripturis, cum talis modus concipiendi iuramentum in forma iuris sit valde familiaris*

pra-

præſertim in proceſſibus Hiſpaniarum de ſtylo vniuerſali illarum partium.

28 *Nullitas actuum non poteſt cauſari ex his, quæ non concernunt fundamentum iuriſdictionis ſed merita cauſæ.*

30 *Concluſio in cauſa facta per partes non tollit defectum citationis ad ſententiam, niſi etiam iudex ipſe concludat.*

31 *Sententia poteſt vnico contextu vti nulla reuocari, & pronunciari vt in prima.*

DECISIO DCCCLVII.

FVit dubitatum, An proceſſus huius cau-
ſæ & ſententia ſint nulli, & pro parte
Capituli plures deducebantur nullitates:
1 Prima, quòd † commiſſio directa Reueren.
Nuncio non tribuebat iuriſdictionem, ex
quo erat auocatoria à Caurienſi, cui fue-
rat cauſa prius commiſſa per reſcriptum
manu propria Sanctiſſimi ſignatum; neque
conſtabat de impedimentis Caurienſis, ne-
que de conſenſu partium, qui in dicta com-
2 miſſione enunciatur: Secunda, quòd † Si-
gnatura Iuſtitiæ non poteſt dare clauſulam
3 appellatione remota; † neque poſſunt pro-
curatores ſine ſpeciali mandato appella-
tioni renunciare, *vt notatur in c. cum olim.
de offic. delegat. Mobed. in deciſ.* 89. Ter-
tia, quòd Reuerendiſſ. Nuncius non pote-
rat deputare ſuum Auditorem, niſi in caſu
diſcordiæ partium, vt habetur in commiſ-
ſione, cuius forma non fuit ſeruata: Quar-
ta, quòd nulla fuit data Domino Paulo Au
ditori facultas extrahendi iura; & ideo to-
tam iurium extractionem nullam eſſe & ſi-
4 ne iuriſdictione: Quinta, quòd † examen
teſtium eſt nullum, cum fuerint examinati
extra tempus, cum terminus eſſet quadra-
ginta dierum tantum, & Auditor non fuit
deputatus ad admittendos articulos, ſed
5 ad recipiendum iuramenta tantum; & † ar-
ticuli non fuerunt referendariati; prout
debebant per notarium, qui ſubſcripſit cō-
6 miſſionem receptoris, & † citatio ad vidē-
7 dum iurare teſtes eſt ſine die; Item † fuit
facta citatio particularibus de Capitulo,
non autem ipſi Capitulo capitulariter con-
gregato, prout fieri debet, *iuxta Doctor.
in cap. cam te. de reſcript. Pute. deciſ.* 10.
8 *lib.* 1. Nec conſtat † dē iuramento te-
ſtium, cum notarius dicat iuraſſe in for-
ma iuris non autem tactis &c. *Verall. de-
9 ciſ.* 123. *part.* 2. Præterea † duo ex illis iu-
rarunt in die feriata, nempe 11. Nouem-
bris, quæ eſt dies Sancti Martini: Sexta,
quòd proceſſus ex eo redditur nullus, quia
non fuit præſentata, neque facultas eri-
gendi Capellam per fel. rec. Gregorium
XIII. cōceſſa, neque facultas teſtandi Car-
10 dinalis: Septima quòd † ſententia fuit la-
ta non præſtito iuramento calumniæ petito
expreſſè per partem *Put. deciſ.* 398. *lib.* 2.
cap. 1. *§.* 1. *iunct. gloſ. de iuram. calumn.*

11 Octaua, quòd † dicta ſententia lata fuit ſi-
ne citatione, & ſine concluſione in cauſa;
& ideo ſuſtineri non poſſe *iurib. vulgarib.*
Has tamen exceptiones nullitatum Domi-
ni non habuerūt pro releuantibus: Et quā-
12 tum ad primam, † nunquam Rota ſolita
eſt refricare in dubium poteſtatem Signa-
turæ Iuſtitiæ, hoc reſpectu, cum Cardina-
lis illi Præfectus reſcribat de mandato Pa-
pæ, ſiue per conceſſum in præſentia &cæt.
13 † cui eſt credendum *Aretin. in conſ.* 23. *&
in cap. cum à nobis. col.* 3. *& ibi Felin. col.* 1.
14 *de teſtib.* Præterea † quod dicitur de ſub-
reptione tollitur, cum fuerit ſignata com-
15 miſſio de partium conſenſu, † qui in com-
miſſione ſtat aſſertiuè, non autem condi-
tionaliter, & pars quæ dat de ſubreptione,
tenetur de ea clarè docere. Secunda nul-
16 litas nullius eſt momenti, quia † clauſula
appellatione remota, appoſita fuit in prio-
re non autem in poſteriore commiſſione, in
qua tantum dicitur, vt procedat iuxta for-
mam præinſertæ, quæ fuerat à Papa ſigna-
ta. Tertia, quæ deducitur ex deputatione
Auditoris, tollitur, tum ex eo, quòd non
conſtat prius non fuiſſe factam diligentiam
de habendo conſenſum partium in aliquem
eligendum iuxta formam commiſſionis, nā
hoc fieri ſolet extraiudicialiter partibus
præſentibus, & plerunque non adnotatur
17 in actis, ſed quicquid ſit, † cōparitio Ca-
pituli coram Auditore deputato tollit om-
nem difficultatem; nam licèt aliquando
fuerint factæ aliquæ proteſtationes, tamen
plures comparitiones & actus fuerunt ſim-
pliciter facti, ex quibus confirmata eſt iu-
riſdictio de partium conſenſu, quæ data
18 fuerat à delegato Apoſtolico, † qui pote-
ſtatem habet ſubdelegandi, *Rot. deciſ.* 15.
de offic. deleg. in nou. cap. ſuper quæſtionē.
19 *de offic. deleg. Mobedan. deciſ.* 44. † Quar-
ta, quæ concernit extractionem iurium, tol-
litur ex lectura deputationis, & ex eo, quòd
pars citata nihil oppoſuit, vltra quòd ex
dictis teſtium abundè iuſtificatur. Quinta,
quæ eſt multiplex circa examen teſtium, fa-
20 cilè tollitur; Et primo † non eſt verum
examen eſſe extra terminum, cum termi-
nus veniat computādus à die ingreſſus Ci-
21 uitatis Ciuitatenſis; vltra quod † ſufficit
teſtes infra terminum iuraſſe; nam poſtea
quandocunque poſſunt examinari, ſed hic
omnia in tempore geſta fuerunt: Nec ve-
rum eſt, quòd data eſſet ei reſtricta facul-
tas, itaut non poſſet admittere articulos,
quia ex lectura deputationis hoc tollitur,
prout etiam conſtat ex aſſertione Nuncij
22 articulos eſſe referendariatos, † & præſu-
mendum eſt pro actus validitate, niſi con-
23 trarium clarè oſtendatur: † Citatio verò,
quæ facta eſt ſine die, intelligitur facta pro
prima die iuridica, *Pute. deciſ.* 212. *lib.* 2.
24 † Citatio verò facta particularibus, & non
Ca-

Capitulo,licèt ex se non sustineatur, tamen
ex eo sustinetur, quòd Capitulum cōstituit
eum capitulariter suum procuratorem, qui
interesset examini, & comparuit in omni-
bus actibus: Præterea plures aliæ citatio-
nes successiuè factæ fuerunt Capitulariter,
ex quibus tollitur prætēsus defectus: Quā-
tum verò ad iuramenta testium, licèt nota-
25 rius non dicat tactis &c. † tamen vbi exa-
men factum est sub die, sub quo cadit cita-
tio, & notarius enunciat testem esse iuratū,
Rota solet adhibere fidem, etiam quòd non
dicatur tactis &c. *vt fuit resolutum in plu-
ribus causis, & in specie, in causa Toletana
decimarum de Brea, coram R. P. D. Blan-
chetto 21. Iuniј 1583. & idem in vna Clu-
sina pensionis coram eodem 30. Martу 1576.*
maximè verò vbi notarius procedit vlte-
rius aliquid addendo, ex quo deprehendi
potest iuramentum fuisse præstitum tactis
scripturis. *vt in causa Vicen. feudi 27. Ia-
nuarу 1574. corā Illustriss. Aldobrandino,
vbi dictum fuit hoc idem alias dictū fuisse
in vna Beneuentana de anno 1564. coram
Domino Gropperio, & coram me idem fuit
decisum in vna Calaguritana beneficу 5.
Decembris 1586.* vbi iuramentum concc-
ptum erat eodem ferè modo in forma iuris,
26 † cum enim forma iuris sit, vt iuramentū
præstetur tactis corporaliter scripturis, in
his verbis virtualiter cōtinetur tactas fuis-
se scripturas, & iste modus est valde fre-
quens & familiaris in processibus Hispa-
niarum, & stylo vniuersali receptus; & ideo
vtilitatis causa, ne innumeri processus hoc
pacto irritentur, sustineri debet iuramētum
27 sub hac formula præstitum: † Testes autē,
qui iurarunt die feriata, possunt reijci, ne-
que enim super illis fundatus est processus,
itaut ex eorum defectu corruat. Sexta
nullitas, quæ deducitur ob non præsentatā
licentiam ædificandi, & facultatem testan-
di, nullius est momenti, quia super eo non
erat lis, sed super eo, an ædificando in loco
destinato fieret præiudicium, nec ne, Ec-
clesiæ Cathedrali; reliqua enim apud par-
tes erant inconfesso vti notoria: Præterea
28 † ista non concernunt fundamentum iuris-
dictionis, sed merita causæ, ideo non cau-
sant nullitatem, *l. præscriptione. C. si con-
tra ius vel vtil. publ. & ibi Fulgos. num. 8.
Ias. num. 22. Bero. in cap. super litteris. n.
30. & in repet. num. 23. de rescript. cum
alуs per informantes allegatis.** Septima,
29 † nullitas concernens iuramentum calum-
niæ optime in facto tollitur, cū fuerit præ-
stitum de mādato Nuncij in præsentia eius
Auditoris, per eum, qui ad hoc habuit spe-
30 ciale mandatum. Quantum † ad vltimam
nullitatem ex defectu citationis Domini ha
buerunt eam pro releuanti; nam non satis
est, partes concludere in causa, nisi etiam
iudex ipse concludat; & ideo fuit ordinatū,

*c dicēdi. §. præscriptione, 35. q. 2 Felin in d. c. ex litteris. col 7 vers. exprimēda sunt. n. 11 in 5. regul.

vt pars Dominorum Exequutorum cedat
31 & renunciet huic sententiæ, † & petat sen-
tentiam prout in prima, vel vt vnico con-
textu reuocem prædictam sententiam, vti
nullam, & pronunciem, vt in prima ad fa-
uorem Exequutorū, prout fieri posse docet
*Put. decis. 72. lib. 3. Aegid. decis. 293. Achill.
decis. 14. de commiss.*

Romana Censuum.

Die Lunæ 27. Februarij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Defectus citationis, quæ personaliter exe-
qui debebat, & non fuit exequuta, nisi
domi dimissa copia, sanatur per termi-
norum obseruationem factam præceden-
te legitima citatione terminorum substā-
tialium in vim facultatum Auditoris
Cameræ iteratorum.*

2 *Non probatur minoritas de præsenti ex eo,
quòd aliàs quis habuerit curatorem, quia
propter interuallum temporis potest esse
factus maior.*

3 *Allegans minoritatem stante procuratoris
constitutione debet eam concludēter pro-
bare.*

4 *Per actus positiuos productionis iurium, &
aliorum gestorum dicitur consensum in
iurisdictionem.*

DECISIO DCCCLVIII.

FVit resolutum nullitates deductas non
obstare, quo minus sit locus Ægidianæ,
dummodo sententia sit iusta, de quo parti-
1 culariter erit agendū; nam † quantū ad nul-
litatem, quæ deducitur ex eo, quòd citatio-
nes fuerunt factæ domi dimissa copia, iste
defectus sanatur per terminorum obserua-
tionem factā præcedente legitima citatio-
ne terminorū substātialium, qui postea etiā
fuerunt reiterati in vim facultatum Audi-
toris Cameræ. Quantum verò ad nullitatē,
2 † quæ deducitur ex minoritate Pompeij ea
tollitur ex eo, quòd ipse vti maior consti-
tuit procuratorem Mercurium Accursium,
qui fuit postea personaliter citatus in obser
uatione terminorum, & ad sententiā: Neq;
obstat, quòd prius processum fuisset cū cu-
ratore, quia ob temporis interuallū, quod
intercessit, effectus est maior, & saltē, qui
3 † allegat minoritatem stante constitutione
procuratoris, deberet eā concludēter pro-
bare: Reassumptio verò facta in curia Capi-
tolij non obstat, cū ageretur de obligatione
in forma Cam. vnde valuit cōmissio, per quā
fuit causa iterū commissa Aud. Cameræ, &
4 adest citatio fol. 267. † necnon consensus in
iurisdictionē per actus positiuos iuriū pro-
ductionis & aliorū gestorū. Quare reiectis
his friuolis nullitatibus Domini mādarūt,
vt informetur super iniustitia sentētiæ, quā
prætendit pars Dominorum à Porta.

To-

Toletana Matrimonij.
Die Veneris 3. Martij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Quis non potest dici esse in plena libertate ad metum excludendum, licèt habeat libertatem exeundi, quando velit, si huiusmodi actus exeundi non possit fieri nisi de licentia, & cum comitatu.*

2 *Eadem causa metus durare dicitur, quando quis retinetur ab his, quorum gratia metus incussus fuit.*

3 *Verba obiurgatoria reddunt matrimonium per metum contractum.*

4 *Metus & coactio voluntatis ex protestatione tradita notario manifestè probatur; Item ex querellis & lacrimis.*

5 *Protestatio remouet consensum ab actu futuro contrario, quoties sumus in his, quæ pendent à voluntate protestantis.*

6 *Protestatio respicit actus futuros.*

7 *Matrimonium arguitur per vim & metũ cõtractum, si in eo non interuenerint cõsanguinei sponsæ.*

DECISIO DCCCLIX.

FVit dubitatum, an constet de continuatione metus vsque ad secunda sponsalia contracta per verba de præsenti inclusiuè, & quia pars Illustrissimi Domini Ducis recusauit informare, proposita fuit causa informante tantum parte Illustriss. Dominæ Ludouicæ, & sine vlla difficultate conclusum constare de continuatione metus; Actus enim, qui à prioribus sponsalibus vsque ad posteriora probantur, hoc manifestè arguunt; Et primo traductio Dominæ Ludouicæ ad domũ Domini Ducis & Principissæ de Euoli illius matris, in quorum gratiam omnia hactenus gesta fuerant; Hæc traductio probatur per testes Ludouicæ, qui habentur in Summario num. 1. Neque ob-
1 stat, quòd testes Ducis dicant, † quòd hoc tempore Ludouica exibat è domo, quotiescunque volebat, quia hoc fiebat cum licentia Principissæ & cum magno comitatu, & sæpius comitante eam ipsomet Duce; Immo Catharina de Arenas testis Ducis deponit, quòd quampluries quando exibat ad campos, id fiebat contra voluntatem Ludouicæ; & ideo ex hoc non potest argui plena libertas, siue factum simpliciter inspiciamus, cum ipsa maiore numero seruitorũ custodiretur in domo Ducis, quàm prius in domo computatoris Peraltæ, vt deponũt testes Ducis in Summario num. 2. & eadem Catharina dicat, quòd Ludouica non habebat integram & omnimodam libertatem; siue inspiciamus iuris dispositionem, cum semper præsumatur cõtinuatio metus, quousque probetur, quòd pars sit constituta in plena libertate, *cap. cum locum. de sponsal. cap. accedens. de procurator. Bart. in l. pen. num. 17. de condit. ob turp. caus. & in l. 2. C. quod met. caus. Alex. in cons. 98. n. 7. lib. 3. cum alijs deductis. non ita pridem in causis Ianuen.* [a] *& Nicien.* [a] *& prius in Cremonen. raptus coram R. P. D. Decano;*
2 Facit etiam, quòd † adhuc durabat eadem causa metus, cum retineretur ab ijs, quorum gratia metus incussus fuerat, *Cyn. in l. 2. col. 2. C. quod met. caus. Anchar. in cons. 299. col. fin. Card. cons. 137. Dec. cõsil. 219. num. 9. Socin. iun. cons. 77. nu. 52. lib. 1. cum similibus.* Secundo hanc metus continuationem clarè probant querellæ & lacrimæ ipsius Ludouicæ tunc temporis recusantis adhuc matrimonium contrahere, quamuis esset in potestate Principissæ, de quibus deponunt testes Don Gutierez de Arce, & Gabriel de Gusman in Summario num. 3. & Maria de Villalobos testes Ducis ibidem, necnon Dõna Anna de Couarubias, & Catharina de Arenas testes Ducis in Summario num. 4. Tertio probatur ex mandato dato à Doctore Mollina Licentiato Ambrosio de Zurita sub num. 5. in Summario, vt accederet ad Ludouicam, & diceret ipsi, quòd Rex & Consilium volebant, quòd contraheret hoc matrimoniũ,
3 † & illam obiurgaret, & irasceretur cum ea, & persuaderet ei, vt hoc faceret, qui licèt inuitus morem gessit Doctori, & accessit ad Ludouicam, & omnibus ei expositis reperijt eam constantissimè reluctantem, & denegantem se velle contrahere hoc matrimonium, cum magno fletu & plãctu & protestatione ante Deum, quòd illam violentabant, adeo vt illum eius cœperit commiseratio, & tentarit eam blandis verbis cõsolari, & de hac eadem re deponit Maria de Cerdan num. 5. & num. 6. & Ferdinandus de Cepedes, & Ioannes de Santojo ibidem. Quarto probatur ex accessu Molinæ eodem die ad Ludouicam, de quo deponũt licentiatus Zurita, Maria de Cerdan nu. 5. Anna de Couarubias testes Ducis, Ferdinãdus de Cepedes, Ioannes de Santojo testis Ducis, qui omnes concludunt, ipsum, antequam discederet, effecisse, vt contraherentur, siue ratificarentur sponsalia; Vnde cum initium metus profectum fuerit ab ipso, vt in alijs positionibus causæ conclusum fuit, non potest melius neque magis cõcludenter probari continuatio metus, quàm per cõtinuationem sollicitationis eiusdem Doctoris satagentis, vt negotium ad exitũ perduceretur, & ipse continuabat de illo tempore visitare Ludouicam, vt deponunt testes sub num. 12. quorum duo sunt pro parte Ducis examinati. Quinto † manife-
4 stè constat de metu & coactione voluntatis Ludouicæ ex protestatione per eam adhibito consilio Doctoris Herediæ, facta, de qua num. 8. quam ipsa manu sua clam totam descripsit, & simulando eam esse suam vl-

[a] in Ianuen. matrimon. 19. Feb. 1586 coram Illustriss. Card. Pamphilio.

[a] in Nicien. matrimonij 2. Martij 1586 coram bo. me. Gypsio, & supra causa coram Illustriss. Seraphino 6. Martij 1587.

vltimam voluntatem notario cuidam Balthasari de los coram testibus tradidit, vt probatur per omnes testes, qui sunt in Summario sub num. 8. adeo quòd hæc puella nullum nô mouit lapidem, vt se eximeret ab hoc matrimonio: Vires autem huius protestationis, quæ sint, *tradunt Doctores in cap. cum M. Ferrariensis. de constitut. & ibi Dec. num. 98. Rip. num. 101.*
5 *cum alijs*, † remouet enim consensum ab actu futuro contrario, quoties sumus in his, quæ pendent à voluntate protestantis,
6 † & protestatio respicit actus futuros in casu, de quo agitur, *& fuit decisum in vna Burgen. iurisdictionis coram R. P. D. Decano*, hæc autem cedula protestationis fuit postea ablata Ludouicæ, vt deponunt testes num. 9. quæ res etiam satis arguit eam fuisse ex omni parte circumuentam. Sexto
7 † concurrit cum his publica vox & fama, fuisse per vim & metum contractum huiusmodi matrimonium, omnes testes sub nu. 10. in Summario, quod ex eo coniici potest, quòd in eo non interfuerunt consanguinei ipsius Ludouicæ, *Grat. in cons. 18. num. 18. lib. 2.* Non obstant blanditiæ, & oscula, de quibus deponunt testes ex aduerso, quia ea omnia simulatè perpeti cogebatur Ludouica, ne præberet occasionem contra se sæuiendi, vt deponunt testes sub num. 11. in Summario, & præsertim Catharina de Arenas, & Donna Anna de Couarubias testes Ducis, Ex quibus conclusum pro manifestissima continuatione metus.

Calciaten. Canonicatus & præbendæ.
Die Lunæ 6. Martij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Collatio facta per Capitulum tempore, quo erat suspensum, non valet, & si eodem tempore Papa conferat, valet Papæ prouisio, non autem illa Capituli suspensi, nisi Capitulum obtinuisset absolutionem.*
2 *Absolutus à suspensione ad effectum celebrandi in vno loco non dicitur absolutus simpliciter.*
3 *Canonicus effectus Canonicus post suspensionem Capituli, non potest dici suspensus.*
4 *In dubio nunquam censendum est Papam velle iuri tertij, quod ignorat, præiudicare.*
5 *Absolutio à suspẽsione prodest etiam ignoranti suspenso.*
6 *Suspensio à diuinis & ab ingressu Ecclesiæ, licèt impediat, ne quis eligere nec eligi possit, non impedit tamen, quin possit conferre, & præbendas dare.*
7 *Ius Capituli in vno solo non residet, quando suspenso Capitulo, superest plus quàm vnus de Capitulo, qui non sit suspẽsus.*

DECISIO DCCCLX.

Fuit resolutum gratiam nouæ prouisionis Doctoris Ioannis de Gante nõn esse iustificatam; nam in ea narratur Capitulum Calciatẽse tempore prouisionis per Scholasticum factæ à diuinis suspensum, &
1 solum Scholasticum absolutum fuisse, † videtur ergo Papam motum fuisse, tum ex eo, quòd Capitulum, ad quod tunc temporis pertinebat prouisio, & omnimoda dispositio, vt fatetur Ioannes in eadẽ gratia propter suspensionem erat impeditus, quo minus prouidere posset; tum etiam quòd Scholasticus, qui prouiderat, esset ab huiusmodi suspensione absolutus, quorum neutrum verum est; Nam quantum ad Capitulum iam obtinuerat absolutionem & prorogationes eiusdem, itaut tunc temporis clarè constet suspensionem Capituli obesse non potuisse quo minus prouideret in suo tur-
2 no. Quantum verò ad Scholasticum, † neque est verum ipsum tunc temporis absolutum fuisse simpliciter, cum tantummodo fuerit absolutus ad effectum dicendi missam in Oppido de Madrid, neque etiam quòd ipse solus reperiretur absolutus, quia aderat alius Canonicus Garay, qui nunquam
3 fuerat suspensus, † quia fuerat effectus Canonicus post prædictam suspensionem, *cap. si sententia. vers. cæterum. de sentent. excõmunicat. lib. 6.* & ita Papa intellexit, quòd tunc temporis nullus alius præter Scholasticum aderat, in quo ius totius Capituli resideret: quibus stantibus clarè apparet ob huiusmodi suggestionem Papam inductũ fuisse ad facilius concedendam gratiam, quam fortè non concessisset, si veritatem facti prout se habebat, intellexisset; nam
4 † in dubio nunquam censendum est Papam velle iuri tertij, quod ignorat, præiudicare, *cap. 1. de constitut. lib. 6. Aegid. decis. 116. col. 1.* Neque obstat, quòd sufficit narrationem verificari de facto, *vt habetur in d. decis. in fin.* & est tritissimum, quia neque etiã de facto verum est, Capitulum tunc temporis suspensum fuisse, nam quod dicit satis esse, quòd tunc habebat se pro suspenso, & quòd Canonici non intrabant Ecclesiam, vltra quod cõtrarium de illo tempore probatur per testes, non probatur, quòd ad effectum conferendi haberet se pro suspenso, prout etiam effectus docet, cum hoc tempore facta fuerit collatio Ferdinando, &
5 † absolutio etiam ignoranti Capitulo proderat, iuxta *notat. per Archidiaconum in cap. quanto. in fin. & ibi Gemin. 2. quæst. 4.* sed neque etiam hoc sufficit, quia verba sunt intelligenda iuxta subiectam materiã, *l. si vno. in princ. locat. Imol. in consil. 21. num. 1.* & ideo ista suspensio siue de iure siue de facto debet esse talis, per quam impediretur Capitulum à prouisione facienda

da, quod non solum ex deductis tollitur,
6 sed etiam ex eo quòd † suspensio à diuinis & ingressu Ecclesiæ licèt impediat, nequis eligere, nec eligi possit, *vt per glos. in cap. cum dilectus. in verb. à suspensis. de consuetud. & ibi Bald. num. 13.* tamen potest præbendas dare, *vt post Innocen. & Compostell. distinguit Abb. ibid. num. 18.* Neque obstat, quòd in præfata gratia Ioannes narret fuisse sibi per Scholasticum prouisum, licèt de facto, ponderando hanc adiectionem de facto, *iuxta decis. Crescent. 154. noua prouisio;* nam hæc clausula respicit tantum prouisionem factam per Scholasticum, quæ potest defendi à subreptione, etiam quòd sit inualida virtute huius clausulæ, non autem respicit alia narrata, ex quibus obreptum fuit Papæ: ex pluribus autem poterat prouisio Cabredi esse inualida: quorum non fuit facta mentio, & in specie
7 ea ratione, quòd † non in eo solo residebat ius Capituli, cum adesset Doctor Garay, qui non erat suspensus, & ita tollitur quidē iste defectus per hanc clausulam, non autē defectus eorum, quæ aliter expressa sunt, quàm de iure exprimenda fuerant. Quantum ad alia, quæ concernunt valorem, & habilitates, Domini habuerunt gratiam pro iustificata, sed non releuant ratione eorum, quæ supra deducta fuerunt. Et ita per Dominos concorditer fuit conclusum.

Romana Domus.
Die Veneris 10. Martij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Ad effectum rescindendæ transactionis æstimandus est dubius litis euentus; secus est, quando nullum prorsus periculum dubij euentus litis ad prætendentem læsionem ex conuentione spectaret, & n. 3.*
2 *Ex solo rei litigiosæ valore non potest colligi enormis læsio.*
4 *Dubius litis euentus ex parte acquirentis tunc consideratur ad effectum læsionis, quādo acquirens subiacet periculo amissionis pretij pro consequenda iurium actione per ipsum soluti.*
5 *Incertitudo dubij litis euentus ad validitatem transactionis vtrique parti æqualis esse debet; secus est, si vna pars sit certa nihil sibi perire posse.*

DECISIO DCCCLXI.

FVit impugnata per Dominum Fabium Petroccium procuratorē Dominæ Æmiliæ de Torquatis, & Dominum litis effectum, quædam concordia siue transactio per eam inita cum Domino Iacobo Querro super quadam domo litigiosa per ipsum Querrum possessa, ex capite enormissimæ læsionis; & ideo coram me fuit dubitatum, an constaret de tali læsione, per quam instrumenta concordiæ redderentur nulla; Et causa diligenter examinata in eam sententiam itum fuit, concordiam esse læsiuam, quatenus probetur valorem domus esse scutorum millequingentorum, prout præten-
1 ditur; nam † licet ad effectum rescindendæ transactionis, æstimandus sit dubius litis euentus tantum, *vt declarat Abb. in consil. 64. num. 31. lib. 1. Afflict. decis. 220. nu. 2. Aym. cons. 151. num. 27. Gabr. de empt. & vendit. conclus. 1. num. 68. Pinell. in l. 2. part. 1. cap. 4. num. 16. C. de rescind. ven-*
2 *dit.* † neque ex solo rei litigiosæ valore possit colligi enormis læsio, eum ad hunc effectum non attendatur valor iste; & ideo passim Doctores dicant hanc rem difficillimæ probationis esse, tamen in hoc casu videbatur Dominis omnem prorsus cessare difficultatem, cum inter partes actum fuerit, vt d. Dominus Fabius nomine suorum principalium cederet in fauorem prædicti Domini Querri omnia iura ipsis super eadem domo competentia cum hoc, quòd prosequeretur causam cōtra Dominos de Normandis, & in euentum quòd sententiā fauorabilem & rem iudicatam reportarēt, promittebat Querrus soluere scuta ducentum; & quia tunc agitabatur causa in possessorio tantum, adiecta fuit etiam conditio, vt si in petitorio hæredes de Torquatis succumberent, tenerentur restituere dicta
3 scuta ducentum Querro; † Ex qua cōuentione colligitur nullam hic posse haberi rationem dubij euentus litis ad fauorē Querri, cum nullum prorsus periculum dubij euentus litis ad ipsum spectaret, sed ad hæredes de Torquatis tantum, salua enim semper erant dicta ducentum ipsi Querro in euentum succumbentiæ; Doctores autē
4 supra allegati † considerant dubium euentum litis ex parte acquirentis, quando subiacet periculo amissionis pretij pro consequenda iurium cessione per ipsum soluti, *& ita loquitur Cagnol. in d. l. 2. num. 73. C. de rescind. vend. Gabr. d. conclus. 1. nu. 68. & ideo Pinell. in d. l. 2. part. 2. cap. 1.*
5 *num. 9.* vult † quòd incertitudo sit æqualis vtrique parti, quod quidem hic verificari non potest, cum in euentum succumbentiæ salua essent ipsi Querro ducentum per ipsum promissa, & hic etiam magis videtur spectādum tempus exequutionis quā promissionis, cum solutio in illud tempus fuerit dilata, quo certum erat nihil Querro perire posse, *idem Pinell. d. l. 2. part. 3. cap. vlt. num. 16.* Nec obstat, quòd Querrus promiserit facere expensas registrorū, & sententiarum, quia hæc non est res magni momenti, & plures sunt expensæ, quæ fiunt in litis prosequutione & dubiorum disputatione, & in omnem euentum istarum habebitur ratio in æstimatione ipsius læsionis: Verum quia videbatur Dominis non bene

probari domus valorem per testes deductos pro parte hæredum de Torquatis; Ideo fuit ordinatum, vt causa ad hoc caput restringatur, & interim pro habenda veritate deputentur periti, qui æstiment, quanti fuerit domus de tempore transactionis.

Salamantina Fructuum.
Die Lunæ 13. Martij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Fructuum medietas non ob id dicitur resignanti Apostolica auctoritate reseruata, ex quo resignatarius etiam medio iuramento confessus fit dictam medietatē esse reseruatam, si id dixit ad effectum eximendi se à solutione annata.*

2 *Testes, quantum fieri potest, ad concordiam sunt reducendi.*

DECISIO DCCCLXII.

FVit per Dominos resolutum, quòd cum
1 constet de reseruatione medietatis fru-
ctuum auctoritate Apostolica constituta
ad fauorem Ferdinandi Diaz, & hanc Nicolaus confessus fuerit etiam medio iuramento ad effectum eximendi se à solutione Annatæ, Ferdinandum Palatios non teneri ad solutionem huius partis, non solum ea eo, quòd Nicolaus id petit, quod ad eum non spectat, cum perceptio dictorū fructuum posset propria auctoritate fieri; tum quòd probationes vtriusque partis nō sunt incompatibiles, nam simul fieri potest, quòd Petrus & Ferdinandus exegerint omnes fructus, & quòd Ferdinandus Diaz ab eis recuperauerit medietatem, prout ex testibus huius partis probatur; nam cum beneficium esset arrendatum, hoc facillimè
2 fieri potuit: Vnde † cum testes quantum
fieri potest, sint ad concordiam reducendi, & isti facillimè reducantur, hoc pacto conclusum fuit hanc Nicolai probationem non esse concludentem ad effectum, de quo agitur.

Toletana Matrimonij.
Die Veneris 17. Martij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Durante eadem causa metus semper præsumitur durare metus.*

2 *Metus nunquam censetur purgatus, nisi persona, cui fuit illatus, fit constituta in plena libertate.*

3 *Paria sunt, quòd quis compellatur, vel quòd compelli possit.*

4 *Probato semel metu, ea omnia, quæ possunt tribui liberæ etiam voluntati, per metum facta censentur, non autem sponte & voluntariè, quoties durat eadē causa metus.*

5 *Protestatio in his, quæ dependent à voluntate nostra, remouet consensum ab actu sequenti, quoties respicit futurum, & durat causa metus.*

6 *Actus facti respectu blanditiarum, & ex vrbanitate non sunt censendi omnino voluntarij vel spontanei.*

7 *Copula etiam probata non facit, quin matrimonium possit dici coactum, & per metum contractum.*

DECISIO DCCCLXIII.

FVit dubitatum, an in casu, de quo agitur, constet de purgatione metus, & vna parte tantum informante, fuit resolutū non cōstare de purgatione; nam omnes cōclusiones iuris in hac materia repugnant
1 huic purgationi: Prima est, quòd † durante
eadem causa metus semper præsumitur durare metus, *Bart. in l. 2. & ibi omnes. C. quod met. caus. Alex. in cons. 98. n. 7. lib. 3. Dec. in l. pacta nouissima. num. 11. C. de pact. & cons. 468. num. 3. Boss. in prax. crimin. tit. de plurib. violentijs. num. 100.* Secunda est
2 † metum nunquam censeri purgatum, nisi
ea persona, cui fuit illatus, sit constituta in plena libertate, *cap. cum locum. de sponsal.*
3 *cap. accedens. de procurat.* † paria enim
sunt, quòd quis compellatur, vel quòd cōpelli possit, *l. nouissimè. quod fals. tut. gest. Anchar. cons. 159. num. 1. in fin. & fuit sapissime resolutum, vt deductum fuit in re-*
4 *solutione vltimo facta.* * Tertia est † ea om- *sub die Veneris 3. Martij prox. praeteriti.
nia, quæ etiam possunt tribui liberæ voluntati probato semel metu, censeri facta per metum, non autem sponte & voluntariè, quoties durat eadem causa metus, *Bald. in l. 1. C. quod met. caus. Alex. in l. si cum dotem. §. eo autem. solut. matr. & cons. 98. num. 7. lib. 3. & ibi bona Additio, qua plures deducit, Dec. in cons. 219. nu. 4. vers. venio ad secundum. Gras. cons. 38. nu. 18. lib. 2. Roland. cons. 2. nu. 86. lib. 1.* Quarta est, protestationem
5 † in his, quæ dependent à voluntate nostra,
remouere consensum ab actu sequenti, quoties respicit futurum, & durat causa metus, hanc conclusionem probant *omnes in cap. cum M. Ferrariensis. de constitut. & deducta fuit in illa vltima resolutione facta in hac causa.* Has iuris conclusiones comprobant conclusiones facti deductæ in articulis, & per testes probatæ, ex quibus probatur continuatio Ludouicæ in priori voluntate liberandi se ab hoc matrimonio, licèt propter metum hæc satis secretè tractaret, vt habetur in quatuor prioribus conclusionibus, siue articulis, & tandem importunis precibus obtinuit licentiam reclamandi, vt probatur num. 5. Quibus sic stantibus, facillimè tolluntur ea omnia, quæ in contrarium deduci possunt; nam quantum ad oscula & litteras, quæ videntur plenæ amoris, non potest in ijs fieri magnum fundamentum, stante continuatione causæ, vt supra deductum est in tertia conclusione, *& bene facit Abb.*

Abb. antiq. in cap. super hoc. versic. filia cuiusdam ciuis. de renunciat. quem sequuntur Ioan. Andr. Abb. & Imol. Natta in consil. 50. num. 18. Pedemont. decis. 59. numer. 12. Riminal. iun. cons. 362. num. 93.
6 † neque etiam isti actus censendi sunt omnino voluntarij vel spontanei, quia ad hos prouocabatur à Duce tam respectu blanditiarum quàm litterarum, cum ad eam scriberet, & ipsa cogeretur saltem ex vrbanitate respondere. Quod allegari posset de
7 copula, non probatur, † nec si probaretur, releuaret, *vt post Bart. Ancharan. Abbat. Praeposit. & alios tradit Paris. in consil. 53. num. 70. lib. 4. Io. Maior. super 4. sentent. distinct. 29. quaest. vnic. col. 3. & fuit resolutum in Ianuen.* * *& Nicien.* * & ex his conclusum pro informante.

* in Ianuen. matrimon. 10 Feb. 1586 co. ss Illustriss. Card. Pinphil.

* in Nicien. matrimonij 27. Ian. & 2. Martij 1586. cor. bo. me. Gypsio & 6. Martij 1587. cor. eod. Illustriss. Card. Seraphino.

Valentina Attentatorum.
Die Veneris 17. Martij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Attentata per legitimam cessionem in iudicio factam purgari possunt; secus est, si aliquod impedimentum facti remaneat, cum tunc non censeantur plenè purgata.*

DECISIO DCCCLXIV.

FVit resolutum attentata non fuisse suffi-
1 cienter purgata; † quamuis enim per legitimam cessionem in iudicio factam possint purgari attentata, *vt per Achill. de attentatis. decis. 1.* tamen si aliquod impedimentum facti remaneat non censentur plenè purgata, *vt fuit aliàs resolutum in vna Caesaraugustana attentatorum coram Reuerend. Sarmiento, vt refert Modern. de attentat. part. 3. cap. 29. num. 41.* Impedimentum autem facti remanere constat, cum per publicum instrumentum remaneat beneficiati obligati pro alijs celebrare; ideo hoc est reuocandum facto ipso, vt res ad pristinum statum reuocetur, *cap. non solum. de appellation. in 6. Rota apud Bisignet. 30. Dec. consil. 103. in princip. cum similibus.* Quod eo magis procedit, ex quo beneficiati sese subtraxerunt à celebratione diuinorum in festis designatis, & licèt nondum instet tempus celebrandi, tamen Domini vellent, vt loco missae celebrationis celebrarent aliquibus diebus festiuis ad denotandam paritionem veram, & dictorum attentatorum totalem purgationem.

Romana Census.
Die Lunae 20. Martij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Accedens obligationi census contemplatione confideiussorum per constituentem promissorum, qui postea accessisse non reperiuntur, nihilominus tenetur non obstante exceptione cedendarum; secus est si cum fideiussore actum fuerit de secundo fideiussore dando.*

2 *Accedens obligationi principalis simpliciter, censetur id omne promisisse, quod per principalem promissum fuit.*

DECISIO DCCCLXV.

FVit resolutum R. P. D. Celsum teneri ad solutionem censuum, de quibus agitur, iuxta formam suae obligationis non obstante exceptione cedendarum per eum
1 allegata, † ex quo praetendit se accessisse contemplatione confideiussorum in instrumento census per constituentem promissorum, qui postea accessisse non reperiuntur, *ad doctrinam Bart. in l. stipulatus. §. si ex duobus. num. 2. de fideiussor. quia Bart. & Doctores ibi post eum* non loquuntur in casu isto, quando debitor promittit facere accedere plures fideiussores, sed quando plures simul accedunt, tunc enim censentur mutua contemplatione accessisse, & eodem modo si post vnius accessionem alter accedit; nam secundus videtur accedere contemplatione eius, qui prior se obligauit, sed vbi adest tantum promissio dandi plures fideiussores facta creditori à debitore, vtique accedens, antequam alij accesserint, non censetur fecisse aliorum contemplatione, cum potuerit praeuidere creditorem posse esse contentum vnius tantum obligatione, vt saepe fieri solet; nam qui vnum idoneum fideiussorem habet, ipse eo contentari solet, omissis alijs ei per debitorem oblatis; *& ideo Castrens. ibid. num. 3. in quarto casu excipit*, nisi actum fuisset de secundo dando, quod intelligendum est cum fideiussore, non autem cum creditore, *& ita intelligit Negusant. de pignor. part. 5. membr. 3. num. 36. in fin.* potest enim hac ratione sibi prospicere fideiussor, qui primo loco sese obligat, aliàs praesumitur solius debitoris contemplatione sese obligare, cum scire possit, & debeat in creditoris arbitrio residere plures vel pauciores recipere fideiussores, & vno contentum esse posse; quare dici non potest, quòd se obligauerit contemplatione prioris obligationis aliorum fideiussorum, quae nulla adest, sed potius si aliqua contemplatio hic potest dari, erit tantum contemplatio promissionis dandi plures fideiussores, quae cum sit ea parte debitoris, pro quo ipse accessit, non potest trahi ad aliquam obligationem creditoris, qui nihil fecit, neque promisit, ex quo iuuari possit R. P. D. Celsus; etenim doctrina Bartoli procedit, vbi facto creditoris non possunt cedi actiones, hic verò nihil fecit creditor; nam omis-

omissio præstationis fideiussorum est ex par
te debitoris, Bartolus autem & Doctores
loquuntur in creditore, qui facit pactum
de non petendo, & ita loquitur ille textus,
& ideo optime applicatur limitatio illa, quã
tradunt ibidem Doctores, & refert idem
Negusant. num. 36. versic. secundo fallit.
& ita fuit decisum coram R. P. D. Gipsio
in Cornetana grani. 20. *Februarij* 1578.
a Quod etiam confirmatur ex eo, quòd † ac-
cedens obligationi principalis simpliciter
censetur id omne promisisse, quod promis-
sum fuit per principalem; & ideo culpa
Reueren. Domini Celsi in hoc considerari
potest, quòd non fecerit accedere alios con-
fideiussores; & licèt quædam in accessione
sua legantur specialiter expressa, hoc ta-
men non facit, quominus obligatio ad om-
nia contenta in principali obligatione ex-
tendi possit. Fuit etiam consideratum adess-
se renunciationem cedendarum, *iuxta de-*
cis. Reueren. Domini Robustery in vna Ro-
mana repetitionis indebiti. 16. *Nouembris*
1573. sed super hac re non fuit instatum,
quia in contrarium stylus Curiæ fuit al-
legatus.

Parmen. Status.

Die Veneris 21. Aprilis 1589.

SVMMARIVM.

1 *Filcia instrumentorum non potest dici su-*
specta, ex quo allegentur esse tot instru-
menta, & reperiantur esse plura.

2 *Mutatio indictionis in instrumentis, vel*
cassatio verborum in ijsdem, positis in fil-
cia, non reddit filciam suspectam in alijs
instrumentis non cassatis.

3 *Suspensiones circa instrumenta, & scriptu-*
ras publicas notariorum non sunt atten-
denda, si non sint releuantes.

DECISIO DCCCLXVI.

FVit pro parte Dominorum de Pallaui-
cinis producta quędam filcia instrumẽ-
torum Petri Pauli Gallicani anni 1510. ad
effectum exhibendi quoddam instrumẽtum
in ea contentum, quod prætendunt facere
ad causam; Et quia ex aduerso pro parte
Dominorum de Rangonibus obijciebatur
hanc filciam esse suspectam, fuit dubitatum
an ex visione filciæ eiusq. inspectione resul-
tet releuans suspicio contra eam, itaut illi
fides non sit adhibenda, circunscriptis in
præsentia exceptionibus cõcernentibus re-
cognitionem, de quibus erit particulariter
agendum: Et Dominis vnanimiter visum
fuit suspiciones allegatas non esse tales, vt
ex eis deroganda sit fides filciæ; Prima enim
suspicio, & omnibus alijs vehementior est,
quòd in visitatione facta de anno 1578. e-
nunciatur per Visitatores contineri in fil-
cia 256. scripturas, & tamen reperiuntur
esse 284. & sic videntur suppositæ aliæ scri-
1 pturæ vsque ad num. 28. † Tamen fuit cõ-
sideratum per Dominos hanc suspicionem
ex multis posse dilui, nam omnia instrumẽ-
ta in dicta filcia apposita apparent scripta
eadem manu, præter pauca quædam, de
quibus affertur particularis ratio, & huius-
modi instrumenta siue scripturæ sunt eius-
dem anni, ita quòd ad aliam filciam perti-
nere non poterant. Neque est probabile in-
serta fuisse post visionem, cum enim ex hac
filcia Domini Pallauicini velint vnicam tã-
tum scripturam exhibere, omnino est inue-
risimile, quòd voluerint plura instrumen-
ta nihil ad rem facientia inserere, & hoc pa-
cto ius suum deterius facere reddendo fil-
ciam suspectam contra manifestam eorum
intentionem & causæ necessitatem. Quare
potius dicendum erratum fuisse in enume-
ratione scripturarum per Visitatores parũ
diligenter facta, quod ex eo colligitur, quòd
ipsimet Visitatores, & Auditor Ducalis in
subscriptione librorum dictæ visitationis,
declararunt, quòd si quis adesset error cir-
ca numerum scripturarum & expletorum,
illud proueniebat, quia filciæ erant male
conditionatę & earum folia simul connexa,
vel ex alia causa & accidenti, quod potuit
euenire, & causam erroris dare, prout etiã
apparet erratum in numero scripturarum
filciæ anni sequentis 1511. quare dicendum 2
esse, hoc potius contigisse per errorem, quã
per fraudem; erat enim hæc fraus potius
damnosa quàm vtilis Pallauicinis. Secun-
da suspicio deducitur ex eo, quòd in dicta
filcia reperiuntur multa instrumẽta exple-
ta, quæ non fuerunt adnotata per Visitato-
res in libro visitæ, in quo tamen apparet
fuisse adnotata nonnulla expleta eiusdẽ fil-
ciæ: sed neque hęc suspicio visa fuit releuãs;
nam valde fuit inter partes controuersum,
an huiusmodi expleta essent adnotanda,
contendebant enim Pallauicini, vt adno-
tarentur; Rangoni verò nolebant, vt ex eo-
rum protestationibus colligitur; maximè
de tempore visitationis præsentis filciæ, de
qua agitur; quare nihil mirum, Visitato-
res mediam quandam viam elegisse, & ea
tantum expleta adnotasse, in quibus erat
expressè appositum nomen Notarij; cæ-
tera verò prætermisisse, quod & promiscue
in alijs filcijs ab ipsis obseruatum fuisse ap-
paret, vt bene in facto deducitur. Tertia
suspicio deducitur ex eo, quòd in dicta filcia
sũt nõnullæ scripturæ aliena manu exaratę,
sed ex inspectione apparet id factũ ex causa;
cũ illæ scripturæ sint à priuatis conscriptæ,
deinde Notario consignatæ ad effectũ, vt
redigerentur in formam publicam. † Aliæ
3 suspiciones, quæ deducuntur ex mutatione
indictionis in quodam instrumento, quod
nõ facit ad hãc causã, & ex qualitate instru
menti, de quo agitur, nec non qualitate loci
& per-

& personarum, penes quos fuerunt istæ scripturæ, visæ fuerunt Dominis satis leues, præsertim cum in abbreuiaturis soleāt Notarij multa delere, corrigere, & mutare, prout res postulat; id verò, quod de instrumento isto, de quo agitur, dicitur, habebitur in consideratione, quando de eius recognitione agetur; suspicionem vero ratione loci & personarum tollere videtur, quòd istud instrumentum fuit expletum post vnius mensis spatium à die finitæ visitationis per vnum ex Visitatoribus. Qua-
3 re fuit conclusum † has suspiciones non esse releuantes; & ideo non attendendas, *ad doctrinam Innocen. in cap. 1. de fid. instrument. & Boss. de fals. num. 6. in sua praxi criminal.*

Camerinen. Parochialis.
Die Mercurij 26. Aprilis 1589.

SVMMARIVM.

1 *Ad hoc vt intret spolium à iudice commissum, necesse est probare sententiam vel decretum fuisse nullum, vel notoriè iniustum.*

2 *Non iustificata validitate vnionis, beneficium per dimissionem tam de facto, quam de iure vacare dicitur.*

DECISIO DCCCLXVII.

Fvit resolutum non competere religioni Camaldulensi restitutionē in actio-
1 ne spolij aduersus Coltiecum; etenim† cum huiusmodi spolium prætendatur à iudice commissum, vt locum habeat actio spolij, necesse est probare sententiam vel decretū Auditoris Cameræ fuisse nullum vel notoriè iniustum, quorum neutrum probatur; nam quantum ad nullitatem nihil deducitur; quantum verò ad iniustitiam, cum Costicus suam gratiā de facto iustificasset probato obitu Contucij in detentatione beneficij, de quo agitur; & ea, quæ ex aduerso deducebantur de ipsius resignatione & beneficij vnione, magis pertinerent ad petitorium, quàm ad litterarum exequutionē; sententia Auditoris Cameræ non potest dici notoriè iniusta, cum Coltiens suam gratiam saltem de facto iustificauerit; maximè cum deducta in contrarium non fuerint habita in consideratione à Rota, quæ censuit* titulum religionis non esse iustificatum in petitorio, & licèt possit deseruire in possessorio, tamen requiritur, vt probetur spolium, quod hic non adest, *ad notat. per Aym. in consil. 302. num. 2. Gabr. de restitut. spoliat. conclus. 1. num. 108. cum alijs per in-*
2 *formantes deductis.* * † Præterea non iustificata validitate vnionis, hoc beneficium non solum de facto, sed etiam de iure vacabat per dimissionem Contucij; & ideo intrant clausulæ generales positæ in gratia Contucij. Quare cum sententia non sit notoriè iniusta, cessat actio spolij per Religionem proposita; & ideo Costicus ab ea est absoluendus.

*sub die Lunæ 6 Iun. proximè præterit. in hac verba, si titulus consideretur ad effectū petitorij Domini nō habēt pro iustificato, cū non sit plenè probata beneficiū, de quo agitur ante dimissionē Contucij fuisse religionis Camaldulensis, sed ad effectū possessorij habent eum pro iustificato; [illegible] cōpetit religioni actio spolij, quod erit videndū.

*et per Fel. I c dilectus il 3. circa princ. de re corp. Pa rif. cōs 7. num. 36. lib. 1. cū congestis per Menoch. & in cup. remed. 8 num. 3.

Senen. Prædij.
Die Veneris 28. Aprilis 1589.

SVMMARIVM.

1 *Verba licentiæ alienandi restricta ad filios contenta in rescripto Apostolico attendi debent, itaut alienatio seu locatio non transeat ad extraneos.*

2 *Verba instrumenti locationis, in quibus fit mentio hæredum, de hæredibus sanguinis intelligi debent, nec ad extraneos porrigi; maximè quando sunt contra formam licentiæ alienandi.*

3 *Emphyteusis in perpetuum concessa transit ad extraneos, si tamen concurrat debita solemnitas concessionis, aliàs secus.*

DECISIO DCCCLXVIII.

DVbitatum fuit, an locatio prædij facta Dominis de Boninsignijs & consortibus fuerit transitoria ad hæredes extraneos ad effectum, de quo agitur, & fuit per Dominos concorditer resolutum, non esse;
1 † nam verba licentiæ alienandi contentæ in rescripto Apostolico, quæ sunt attendēda, restricta sunt ad filios & descendentes, *Bart. in l. etiam. num. 1. solut. matrim. vbi Addit. Clar. in verb. emphyteusis. quæst. 28. vers. primus casus.* quod etiam confirmatur ex verbis licentiæ habentis expressam relationem ad litteras Apostolicas. Neq; obstant verba instrumenti locationis, quia inquantum in ijs fit mentio hæredum, sunt intelligenda de hæredibus sanguinis, *vt per Castr. in d.l. etiam. num.4. Corn. in cons. 76. n. 9. & 165. n. 9. lib. 2. Socin. cons. 121. n. 18. in 4. Socin. iun. cons. 71. n. 3. lib. 1. Alex. cōs. 83. n. 1. in 7. Dec. cons. 170. n. 1. Ruin. cons. 23. n. 34. lib. 5. Guidobon. decis. 5. Caputaq. 384. lib. 1. in manuscript. cum alijs hic per Dominum Aduocatum allegatis.* Inquantū verò videntur porrigi verba etiam ad ex-
2 traneos, non sunt attendenda; quia contra formam licentiæ contentæ in litteris pœnitentiariæ; & ideo hic non intrant limitationes ex aduerso deductæ: prior enim illa quæ
3 habet, † emphyteusim in perpetuum concessam transire ad extraneos, *ex Salic. in l. 2. quæst. 9. C. de iur. emphyt. cum alijs allegatis,* * non procedit nisi concurrente debita solemnitate concessionis, quæ hic non adest; cum licentia fuerit restricta ad filios & descendentes: similiter posterior limitatio, quando canon correspondet fructibus, eodem pacto tollitur, id enim procedit, vbi non repugnant verba licentiæ, quæ in casu isto omnem tollunt difficultatem.

*Socin. cons. 200 n. 37. li. 2. Curt. iun. cōsil 4 n. 14. Alex. cōs. 9. num. 31. lib. 2. Sanfel. cōs. 71 n. 3. li. 7 Nett. 130 n. 17. Dec. cō. 83 n. 9. li. 3. Corn. 300. in princ. li. 4. Abb. in c. praesentis n. 29 & prob. Vbi Anton. Imol. & Felin. n. 27. Dec. n. 34 & ita Rota resoluit coram R.P.D. Bubalo in Mediolanen. bonorum de Fulalore. 7. Iunij 1581.

Vicen. Decimarum Feudalium.
Die Veneris 28. Aprilis 1589.

SVMMARIVM.

1 *Agenti ad caducitatem incumbit onus probandi identitatem bonorũ per scripturã.*
2 *Dominium bonorum probatur ex instrumentis inuestitura. Item per confessionem inuestiti.*
3 *Solutiones per se non probant dominium bonorum inuestitorum, nisi concurrat tantum temporis spatium, quod inducat prascriptionem.*

DECISIO DCCCLXIX.

FVit resolutum factum esse locum deuolutioni, cum præsupposito, quòd cõstet de identitate bonorum, & solutionibus;* nã
1 + licèt agenti ad caducitatem incumbat onus probandi, *vt per Specul. tit. de locato. §. nunc vero. vers. 72. Bero. consil. 99. num. 4. lib. 3.* idq. per scripturam, *vt per glos. in l. 1. vbi Bald. & Ias. num. 61. C. de iur. emphyt. Alexand. consil. 112. in fin. lib. 1. Clar. in verb. emphyteusis. quæst. 4.* tamen hæc probatio visa est adesse in casu isto, cũ
3 + dominium per instrumenta inuestituræ probetur de annis 1525. & 1561. & per confessionem Camilli, *Specul. tit. de feud. §. 2. vers. quinto. Curt. iun. consil. 140. n. 5. lib. 2.*
3 Accedentibus solutionibus, + quæ tamen per se non probarent, nisi concurreret tantum temporis spatium, quod induceret præscriptionem, *Guid. pap. quæst. 272.* Sed hæc simul iuncta sufficiunt, cum ostendatur publico instrumẽto Randonios habuisse ius à Camillo inuestito ab Ecclesia per publicum instrumentum; Ideo docto de identitate & solutionibus, res visa fuit carere difficultate.

* quod resolutum fuit sub die 13. Iunij præsentis anni in hæc verba præ. ista. Constare de identitate ex solutionibus.

Calciaten. Canonicatus & Præbendæ.
Die Veneris 5. Maij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Narrata in gratia, omnia sunt iustificanda, vti pars gratiæ, ex quibus sic narratis motus fuerit Papa ad gratiam concedendam.*
2 *Suspensio à diuinis de iure non impedit, quo minus suspensus possit prouisionem facere, nisi verba suspensionis sint talia, quæ inducant omnem incapacitatem.*
3 *Suspensio propter delictũ præsumitur cõtinuare, quãdo non constat de absolutione.*
4 *Ad validitatem prouisionis Apostolicæ cõtra prouisionem inferioris suspensi, sufficit quòd Papa fuerit procliuior ad eam concedendam ex eo, quòd non constet de absolutione suspensi; secus est si ex tali narratiua Papa non reddatur nec facilior, nec difficilior.*
5 *Non potest impetrans dare de incapacitate aduersarij non iustificata priui gratia sua, nisi docuerit de aliquo suo interesse.*

DECISIO DCCCLXX.

CAusa fuit iterum proposita super eisdem, & pro parte Domini Ioannis de Gante contra decisionem * plura deducta fuerunt; & primo, quod non tenetur ad verificationem suspensionis Capituli, cum ea non narretur adfuisse de tempore impetratæ nouæ prouisionis Scholastici, sed tantũ nouæ prouisionis; sed hæc obiectio nullius
1 est momenti; nam + cum omnia narrata sint iustificanda vti pars gratiæ, *Io. Andr. in cap. 1. de lit. contest. in 6. Rebuff. in prax. benef. tit. de nou. prouis. num. 4.* hoc quoque iustificandum fuit, quòd tempore prouisionis Scholastici Capitulum erat suspensum, non ad effectum validitatis eius prouisionis, sed quia Papa ex hac narratiua motus fuit ad facilius concedendam nouã prouisionem, ex quo per huiusmodi narratiuam tacitè fuit ei insinuatum, Capitulũ tunc prouidere non potuisse, & ita nullum ei fieri præiudicium per huiusmodi gratiã, quod tamen verum non erat. Secundo deductum fuit, quòd ex narratiua, quòd Capitulum erat suspensum, non potuit Papa intelligere, quòd non posset prouidere, quia
2 + suspensio à diuinis de iure non impedit, quòd quis non possit prouidere, *Abb. in c. dilectus. num. 20. de constitut. glos. in cap. sacro. in verb. interdictum. & ibi Butr. de senten. excomm. Mil. in verb. suspensus ab ingressu. cum similibus.* Ideo cum Papa hoc potuerit intelligere, non fuisse motum ex hac narratiua, sed fuit per Dominos responsum, non esse ita absolutè verum, quòd suspensus à diuinis possit prouidere; quia in hac materia spectanda est forma suspensionis, prout in casu isto verba declaratoriæ, de quibus in registro fol. 510. sunt talia, vt omnino inducant omnem incapacitatem: Præterea, etiam si id admitteremus, tamen negari non potest, Papam facilius concessisse gratiam in odium Capitu-
3 li propter eius delictum, + quod præsumebatur continuare, cum de absolutione nihil diceretur, *cap. sicut. de sentent. excommun. Franc. in. cap. qua fronte. num. 46. de*
4 *appellat.* + & satis est, quòd talis narratiua reddiderit Papam procliuiorem, *Lap. allegat. 89. n. 2. Rom. cõs. 326. n. 11. cum alys.* Neque obstat *Crescent. decis. 154.* quia versatur in casu valde dissimili, nam ex illa narratiua Papa neque facilior, neque difficilior reddebatur ad gratiam concedendam, cuius contrarium est in casu isto. Tertio deductum fuit talem narratiuam suspensionis veram esse, ex quo absolutiones obtentæ erant finitæ ante diem 10. Ianuarij, sed hæc obiectio est erronea in facto, nam commissio absolutionis est de anno 1584. die 10.

* sub die 8. Martij proxime præteriti.

Ia-

Ianuarij cum termino quatuor mensium fol. 751. in processu; Absolutio verò fuit in partibus concessa 19. Februarij eiusdem anni fol. 757. deinde concessæ fuerunt tres prorogationes prima ad quatuor menses, à fine primi termini fol. 759. Secunda ad tres menses fol. 763. Tertia ad alios quatuor menses, quæ fuit nuper exhibita ex actis Andreæ Martini notarij Cameræ, & omnes istæ prorogationes vnà cum prima absolutione constituunt quindecim menses; Prouisio verò Canonicatus facta per Scholasticum fuit sub die 16. Septembris eiusdem anni, vt fol. 126. in processu: Vnde quomodocunque sumatur initium absolutionũ siue à die commissionis obtentæ in curia, siue à die absolutionis concessæ in partibus, semper supersunt tres aut quatuor menses prorogationum. Quæ deducuntur de incapacitate Ferdinandi sunt extra dubium;
5 † neque potest de ea dare Ioãnes, nisi prius iustificata gratia sua; cum non doceat de aliquo suo interesse, *Cassad. decis. 2. de except.* Cætera non indigent responsione. Et ita conclusum standum esse in decisis.

Foroliuien. Capellaniæ.
Die Mercurij 10. Maij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Capellania, ad quam ex fundatione & dotatione præsentari debet vnus sacerdos, dicitur sacerdotalis actu & habitu, & requirit sacerdotium de tempore præsentationis.*
2 *Dotans Capellam in exequutionem voluntatis suorum maiorum, nihilominus potest sibi iuspatronatus reseruare.*
3 *Ex diuturnitate temporis & obseruantia in iurepatronatus præsumitur consensus Episcopi de tempore dotationis.*
4 *Patronus potest de consensu Ordinarij pro vna vice præsentare ad beneficium eum, qui non habet omnes qualitates in fundatione appositas.*
5 *Reus & possessor potest vincere ob non ius aduersarij.*
6 *Clausulæ generales positæ in derogatione iurispatronatus prouisionis Apostolicæ non operantur derogationem qualitatum in fundatione expressarum, nisi de ijs fiat expressa mentio in impetratione.*
7 *Declaratur allegatio Lapi 35. in quibus terminis loquatur.*

DECISIO DCCCLXXI.

FVit dubitatum, An Capellania de qua agitur, sit Sacerdotalis, itaut Capellanus debeat esse sacerdos actu & habitu, & Dominus Iulius possit de hoc opponere cõtra D. Octauianum: & quantum ad primã
1 partem Domini censuerunt † Capellaniam esse sacerdotalem, cum in instrumento dotationis dicatur, quòd debeat præsentari vnus sacerdos bonæ conditionis & famæ presbyter sæcularis, ex quibus verbis geminatis apparet hanc Capellaniam requirere sacerdotium de tempore præsentationis, *cap. nemo deinceps, & ibi Gemin. & glos. de elect. in 6. Barbat. consil. 33. num. 8. lib. 2. Dec. consil. 129. num. 5. Roch. de iurepatronat. in verb. honorificum. num. 27. Lambertin. lib. 2 part. 1. quæst. 7. artic. 27. & fuit pluries resolutum,* ª & cum iuris dispositione concurrit obseruantia, cum semper fuerint præsentati sacerdotes vno excepto. Non obstat, quòd Mollina non potuerit in dotatione reseruare sibi iuspatro-
2 natus, quia † quamuis ipsa dotauerit in exequutionem dispositionis suorum maiorum, nihilominus potuit sibi reseruare iuspatronatus; quia testator iubendo, quòd Capella construatur, & dotetur, si hæres hoc faciat, poterit reseruare iuspatronatus, quia repræsentat personam defuncti & *Lambertin. lib. 1. part. 1. q. 2. artic. 12. n. 6. facit decisio Rotæ 5. de iurepatron. in antiq.* Nec obstat, quòd non appareat de consensu Episcopi de tempore dotationis, quia
3 † ex diuturnitate temporis & obseruantia præsumitur consensus Episcopi, per ea quæ deducit *idem Barbat. d. cons. 33. in princ. lib. 2.* Nec obstat vltimus status, ex quo constat prouisum per Abbatem fuisse sim-
4 plicem clericum, quia † potest patronus de consensu Ordinarij pro vna vice præsentare ad beneficium, eum, qui non habeat omnes qualitates in fundatione appositas, *vt per Felin. in cap. cum accessissent. n. 29. vers. secundo restringitur. de constit. Bero. in consil. 5. num. 38 lib. 1.* Præterea non obstat, etiam quòd demus illam præsentationem fuisse nullam, cum non constituat statum aliquem legitimè præscriptum. Quare sequitur requiri, vt præsentetur is, qui sit actu & habitu sacerdos. Quantum ad secundam partem, An de hoc defectu possit Iulius opponere, fuit resolutum pos-
5 se; † quia cum sit reus & possessor potest vincere ob non ius aduersarij. Neque ob-
6 stat, quòd † in prouisione Apostolica propter clausulas generales censeatur derogatum huic qualitati, quia dictæ clausulæ nõ operantur derogationem qualitatum in fundatione expressarum, nisi de his fiat expressa mentio in impetratione, *Felin. in cap. nonnulli. in princip. de rescrips. & idẽ in tractat. quando litter. Apostol. præiudic. pat. in 3. ampliat.* Non obstant decisiones Sacræ Congregationis Concilij allegatæ in pluribus causis, *& in specie in Romana Capellaniæ coram R. P. D. meo Pamphilio,* ª
7 quia † procedunt iuxta terminos allegationis *Lapi 35.* nempe quando simpliciter fundans vult, quod præsentatus celebret diuina in altari constructo, quia potest per aliũ

ª & præsertim in Aquilana Capellaniæ 22. ian. 1588. corã Illustriss. Card. Blanchetto & in quãplurimis alijs.

ª sub die 25. Ian. proximẽ præteriti.

celebrare, non autem quando expreſsè in
fundatione cauetur, vt præſentetur Sacer-
dos, & ita perpetnò fuit in Rota obſeruatũ.

Romana Cenſus.
Die Mercurij 10. Maij 1589.

S V M M A R I V M.

1 *Confeſſio authoris nocet ſingulari ſucceſſori.*
2 *Sententia non poteſt dici iniuſta, ſi contra eam pendente iudicio nihil fuit probatum, licèt poſt ſententiam probaretur, ad effectum impediendi exequutionem vigore Aegidianæ.*
3 *Quis non poteſt eſſe dominus domus, & ſuper ea habere cenſum; ſecus eſt ſi dominus domus efficiatur ſed reuocabiliter, vt puta per adiudicationem.*

DECISIO DCCCLXXII.

FVit reſolutũ oppoſitiones deductas con-
tra iſtos cenſus non obſtare, quominus
ſit locus Ægidianæ. Non obſtat, quod pri-
mo loco dicitur ceſſionem cenſus Dominæ
Conſtantiæ de Sanis, tãquam hæredis Leo-
nardi non ſuſtineri, ex quo ipſa non erat hæ-
res Leonardi, neque hæc qualitas fuit in
actis iuſtificata; & ideo ſententiam eſſe iu-
ſtam *ad decis. Pute.* 401. *lib.* 1. *Chiſanen.*
177. nam immo ſatis dicitur hoc iuſtifica-
tum ex confeſſione Bargini authoris Domi-
1 norum à Porta, † quæ nocet etiam ſingula-
ri ſucceſſori, *Paul. in l. facta. §. ſi hæres.*
ad Trebell. Socin. conſ. 89. *col. penult. lib.* 1.
Aretin. conſ. 112. *in fin.* Vnde cum de hac
re in illo iudicio nõ ageretur principaliter,
ſatis fuit iuſtificatum hoc ex confeſſione,
2 † neque contrarium fuit deductum aut pro-
batum in actis; & ideo non poteſt, etiam ſi
hodie probaretur, reddere ſententiam iniu-
ſtam, *Corn. in conſ.* 10. *num.* 3. & 4. *lib.* 4.
debet enim ad effectum impediendi Aegi-
dianam, vt notorietas deducatur ex eiſdem
actis. Non obſtat, quod ſecundo deduci-
tur cenſum Bergomenſium fuiſſe per iu-
3 rium confuſionem extinctum, † cum non
poſſet idem Ghiſlerius eſſe dominus do-
mus, & ſuper ea habere cenſum, quia hoc
poſſet locum habere ſi Ghiſlerius fuiſſet ef-
fectus dominus domus irreuocabiliter, ſed
cum fuerit domus vigore Bullæ Gregoria-
næ adiudicata dominis à Porta, cenſus, &
hypotheca in cauſam priorẽ reſtituta fue-
runt, vt latè oſtendit *Tiraq. de retract. lign.*
§. 1. *gloſ.* 7. *num.* 69. *cum duobus num. ſe-*
quent. Non obſtat tertio allegatio ſimu-
lationis ceſſionis factæ à Ghiſlerio bon.
mem. Domino Gabrielio, tum quòd non
eſt ſimplex ceſſio, aut venditio actionum,
ſed venditio cenſus, *vt per Bald. in l. per*
diuerſas. in fin. C. mandat. tum etiã quòd
indubitatum erat hoc creditum cẽſus, tum
ex confeſſione Bargini, tum ex obligatione
dominorum à Porta, qui ſuſceperunt onus
illud extinguendi, quo caſu non habet lo-
cum, *l. per diuerſas. Creſcent. decis.* 208.
Neque obſtat, quòd Dominus Hieronymus
Gabrielius ſoluerit cenſus decurſos, cum
tamen dicatur emptus ſuis pecunijs, quia
ad hoc tenebatur, niſi velimus, quòd ipſe
dediſſet pecunias ſuas ſub vſuris, quod eſt
abſurdum. Quod deducitur de depoſito
facto per Dominos à Porta, eſt extra du-
bium, licèt hoc quoque non videretur rele-
uans, cum non fuerit ſimplex, ſed cum
multis conditionibus.

Toletana Matrimonij.
Die Veneris 12. Maij 1589.

S V M M A R I V M.

1 *Metus in matrimonio per cohabitationem vel per copulam ſpontaneam purgatur.*
2 *Actus, qui ad probandum voluntatem ſpontaneam allegatur, non habetur in conſideratione, non data plena libertate.*
3 *Vbi non datur plena libertas, impoſſibile eſt dare voluntatem ſpontaneam.*
4 *Metus & voluntas nõ ſpontanea debet habere locum tam in matrimonio ſpirituali quàm temporali.*
5 *Mulierum poſitionibus etiam iuratis nec confeſſionibus ſtatur, quamdiu ſunt in poteſtate virorum detentæ, niſi ſequeſtratæ fuerint in loco plenæ libertatis ad earum voluntatem indagandam.*

DECISIO DCCCLXXIII.

PRopoſui iterum cauſam ſuper cõtinua-
tione metus vſque ad ſecunda ſponſa-
lia vtraque parte informante; & Domini
vnanimiter ſteterunt in deciſis ex ijs, quæ
in præcedenti cauſæ propoſitione* deducta
fuerunt, quæ opus non eſt repetere: Ea tan-
tummodo ſunt diluenda, quæ nunc allata
fuerunt per Dominos aduocatos Ducis; &
1 Primo non obſtat, quod dicitur † metum
purgari per cohabitationem vel per copu-
lam ſpontaneam, *iuxta ea quæ tradit Ge-*
min. conſil. 24. *Pariſ. conſ.* 170. *nu.* 23. *li.* 4.
Præpoſit. in cap. ad id. de ſponſal. Ferret.
conſ. 340. *num.* 11. *lib.* 2. nam quòd hæc co-
habitatio fuerit ſpontanea nullibi proba-
2 tur, † cum impoſſibile ferè ſit probare Lu-
douicam vnquam fuiſſe in plena libertate,
quod tamen requiritur, vt actus, qui alle-
gantur ad probandam voluntatem ſponta-
neam habeantur in conſideratione, cum
enim perpetuò manſerit vel ſub cuſtodia
Doctoris Mollinæ vel Principiſſæ, actus illi
non poſſunt tribui ſpontaneæ voluntati; nã
neque ſola domo exibat, ſed perpetuò cum
comitatu vel Ducis vel Principiſſæ, & eorũ
familiarium & ſeruitorum, neque acceſſus
ad eam erat extra locum ſuſpectum; Quod
autem dicitur eam aufugere potuiſſe, eſt
omnino

*ſub die Veneris 5. Martij proximè præteriti.

omnino ridiculum considerata ætate puellæ, amplitudine Regni Hispaniarum, & periculo amissionis bonorum, quæ secum asportare non poterat: Quod verò deducitur *ex cap. ad id quod. de sponsal. & alijs allegatis*, procedit in cohabitatione, quæ fit cessante metu, & causa metus, vt ex dicto textu colligitur, aliàs esset contra communem illam conclusionem aliàs in hac causa firmatam, durante causa me-
3 tus censeri metum durare, † & impossibile est, vbi non adest plena libertas, da-
4 re voluntatem spontaneam, † quod tam in causis matrimonij spiritualis quàm temporalis perpetuò fuit in Rota obseruatum; & ideo *Proposit. ex aduerso allegatus* * *dicit post Anton. de Butr.* quòd in dubio dato præcedente metu præsumitur mulier inuita cohabitasse, nec censetur purgatus, nisi data potentia aufugiendi, & quòd licèt ibi videatur denegari probatio contra hanc iuris præsumptionem, quæ ex diutina cohabitatione elicitur, tamen super requisitis, nempe quod iste casus non sit talis, ex quo resultet præsumptio, admitti probationem, ex sententia Innocentij: Quòd autem iste casus, de quo agitur, non sit talis, satis liquet ex his, quæ in alia positione considerata fuerunt. Secundo non obstant testes allegati super actibus voluntarijs; quia simul se compatiuntur cum probatione Ludouicæ; non enim censentur voluntarij, quamuis tales videantur nisi data plena libertate; & ideo inoleuit stylus Do-
5 minorum, vt † neque positionibus, neque confessionibus etiam iuratis mulierum stetur, quamdiu sunt in potestate virorum, sed mandant eas sequestrari in loco plenæ libertatis ad indagandam earum voluntatem, *vt fuit obseruatum in causa Cremonen. raptus, & Ianuen. Matrimonij, & alijs multis, & optime per Rip. in cap. cum M. Ferrariensis. num. 104. de constitut.* Sed omnem tollunt difficultatem actus contrarij per Ludouicam probati non solùm per suos testes, sed etiam per testes Ducis, itaut parum obesse possint exceptiones contra testes, si quæ ex aduerso prætendantur; prout etiam leuissima est suspicio illa, quæ deducitur contra depositionem Doctoris Herediæ, cum manifestè appareat eum lapsum memoriæ fuisse; quod non fuit difficile, cum inter factum & responsionem intercesserint quinque anni plus minus. Ad singulos verò actus, qui perpenduntur pro parte Domini Ducis, fuit in alia positione responsum. Quare conclusum standum esse in resolutis.

In d.c. ad id. sub n.1. in fi.

Bononien. de Sauignanis.
Die Lunæ 15. Maij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Per pactum conuentum, quòd bona inter certas personas conseruentur, siue remaneant, censetur inductum fideicommissum, & onus restituendi superstiti seu superstitibus, itaut de huiusmodi bonis non possit per testamentum disponi, nec aliud fieri in præiudicium conuentionis per pactum initæ.*

2 *Prohibitio alienationis extra familiam, & grauamen relinquendi in familia differunt à nominatione plurium personarum vocatarum; quia in grauato relinquere in familia satisfit testatori relinquendo vni: secus est, quando plures personæ sunt nominatim vocatæ, quia relinquendo vni non satisfit voluntati disponentis.*

3 *Dictio, in, potest importare, quantum dictio inter.*

4 *Dictio, inter, est distributiua.*

5 *Dictio, perpetuò, intelligitur secundum subiectam materiam, prout in successione intelligitur, quamdiu aliquis erit superstes.*

DECISIO DCCCLXXIV.

FVerunt inita quædam pacta & conuentiones inter Dominos Aurelium, Prothesilaum, & Camillum de Sauignanis, inter quæ ita fuerat cautum, (I detti fratelli conuengono di viuere insieme, & per indiuiso, & in commune della robba di detta heredità, la quale voleno che sempre stia in loro tre fratelli, & nelli suoi descendenti figlioli maschi, & nati di legitimo matrimonio) Dominus Aurelius moriens instituit hæredem Capitaneum Prothesilaum, & eius filios nulla habita ratione Camilli: Cumque decisum fuerit * pactum illud validum fuisse, neque potuisse per Aurelium reuocari, reseruato an per illud pactum esset inductum fideicommissum reciprocum; Fuit dubitatum, An in pacto, de quo agitur, fuerit inducta reciproca substitutio inter fratres, itaut dispositio Aurelij sustineri
1 non possit; † & Domini concorditer censuerunt fuisse inductum, neque posse sustineri dispositionem Aurelij, quando enim cauetur, vt bona inter certas personas cõseruentur siue remaneant, tunc censetur inductum fideicommissum, & onus restituendi superstiti seu superstitibus, *Socin. in consil. 43. num. 5. vers. primum est. lib. 3. Curt. iun. consil. 145. num. 9. in fin. Aym. consil. 130. num. 10. Socin. iun. consil. 140. nume. 8. in 3. Rolan. à Vall. cons. 23. num. 21. in 4.*

* sub die Lunæ 17. April. prox. præteriti per huiusmodi formalia verba. Pactũ fuisse validũ, nec potuisse reuocari, An verò fuerit inductum fideicõmissum reciprocũ inter fratres esset videndum.

in 4. Quare sequitur Dominum Aurelium non potuisse immutare formam in dicto pacto successionis datam, *Ruin. in consil.* 117. *num.* 26. *in* 2. *& cons.* 168. *num.* 1. *in* 3. *Curt. iun. cons.* 167. *nu.* 4. *vers. si enim ibi resultasset*, & pro hac opinione *videtur textus in l. hæredes mei. §. fin. ad Trebell.* Non obstat, quòd dispositio Domini Aurelij verificetur etiam relinquendo vni tantum ex fratribus *ad text. in l. pater filium. §. duobus. & §. filiam suam. de legat.* 3. *& in l. filiusfamilias. §. cum pater. de legat.* 1.
2 *cum alijs per informantes allegatis*; a † nam aliud est, quòd quis sit prohibitus alienare extra familiam, vel grauatus relinquere in familia, quo casu relinquendo vni satisfit testatori; aliud verò quando nominatim plures personæ sunt vocatæ; tunc enim relinquendo vni non satisfit voluntati disponentis, *Bart. in l.* 1. *de opt. legat. Dec. in consil.*
3 471. *num.* 9. & † dictio, in, hoc casu impor
4 tat quantum dictio, inter, † quæ est distributiua, *vt per Socin. iun. cons.* 116. *num.* 23. *lib.* 1. quia non simpliciter dictum est in fratres, sed in loro tre fratelli, quòd si relinquatur vni tantum, non erit verum, quòd
5 stet perpetuò in loro tre fratelli, † Dictio enim, perpetuò, intelligi debet secundum subiectam materiam, quamdiu aliquis ex dictis fratribus erit superstes, *l.* 1. *pro soc.* & hæc interpretatio iuuatur quoque coniectura desumpta ex verbis conuentionis, quæ fuit facta ad conseruandam concordiam, pacem & vnionem inter fratres, quæ vtique non conseruaretur data hac institutionis inæqualitate. Quare conclusum pro dictæ institutionis inualiditate.

a quæ sút l. peto. § prædiú. vbi glo. in verb extetus & in §. fratre. de leg. 2. l. volútas. C. de fideic. Soci. cósil 237. n. 3. li. 2. Gui. Pap. q. 184. n. 3. Cuman cós. 14. nu. 3. & seq. Caste. cós. 34. in fin. lib. 1.

Salernitana Beneficij Sancti Nicolai.
Die Lunæ 15. Maij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Diuisio vocum patronorum fit in duodecim vncias iuxta consuetudinem Regni Neapolitani.*
2 *In vocum paritate ille præferendus est, qui habet voces pinguiores.*
3 *In præsentatione non est habenda ratio vocum illorum, qui omni eorum iuri cesserunt.*

DECISIO DCCCLXXV.

FVit resolutum Martium Grillum esse præferendum, cum ipse plures habeat voces quàm Ioannes Iacobus; nam omnibus simul computatis, nempe præsentatione Gasparis, & Dominorum Cauaselicæ habet sex & amplius vncias ex decem vncijs, & tarenis viginti, ex quibus constat totum ius præsentandi; nam pro vncia &
1 tarenis decem, quæ deficiunt † pro complemento duodecim vnciarum, fuit extinctum ius præsentandi per renunciationem quorundam patronorum ad fauorem Ecclesiæ. Huiusmodi verò vocum diuisio iuxta consuetudinem Regni Neapolitani considerari debet, cuius meminit *Ioan. Andr. post Goffred. in Clem. plures. in glos. magna ante fin. vers. dicebat ergo. de iurepatron.*
2 † & in vocum paritate sine difficultate præfertur, qui habet voces pinguiores, *Bonifac. in d. Clem. plures. in princip. num.* 34. *Lambertin. lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 3. *artic.* 8. *nu.* 1. *ad finem.* Neque obstatq;, quod contra ius Gasparis opponitur, impugnando donationem factam de anno 1469. Iacobo Grillo patri Gasparis, quia cum illi de Iudicibus, qui prætenduntur anteriores donatarij, non solum nunquam fuerint in quasi pos
5 sessione præsentandi, sed etiam † post litem super pertinentia iurispatronatus motam cesserint omni eorum iuri, non videtur hoc casu habenda ratio iuris eorum, cum Gaspar sit in quasi possessione præsentandi; & ideo debet ab eo præsentatus institui *cap. consultationibus. de iurepatronat.* maximè cum donatio prætensa facta illis de Iudicibus videatur præscriptione centum & amplius annorum extincta; & in omnem euentum res illa requirit altiorem indaginem; & idem dicendum est de præsentatione hæredum Thomasiæ; cum nunquam præsentauerint, & in hac parte standum est sententiæ latæ de anno 1542. quæ suum sortita est effectum, & per obseruantiam hactenus inconcussam comprobata.

Romana Census.
Die Mercurij 17. Maij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Ex variatione personarum ex parte rei nunquam variatur ius actoris.*
2 *Ad effectum impediendi restitutionem vel manutentionem non dicitur constare de non iure actoris, nisi per confessionem vel rem iudicatam de stylo Rotæ.*
3 *Obligans se metu mandati non dicitur aduersarium constituere in quasi possessione exigendi; secus est, si mandatum iustè fuerit decretum, vt num. seq.*
4 *Exequutio mandati iustè relaxati priuat possessione eum, contra quem facta fuit.*

DECISIO DCCCLXXVI.

FVit resolutum sententiam Rotalem esse exequendam non obstantibus ijs, quæ ex aduerso opponuntur; nam quod attinet ad exceptionem non subiectionis, non applicatur casui isto, cum vterque forum Romæ sortiatur *ad notat. per Contard. quæst.* 6. *de Aegidian.* Quantum vero ad exceptionem notoriæ iniustitiæ, ea non placuit Do-

Dominis; nam licèt census fuerit impositus super Castro Bassanelli, super quo non poterat imponi, *vt per Paris. in cons. 98. lib. 2.* tamen cum Spreca esset in possessione exigendi, viuente Domino Iulio Ruuereo debuit manuteneri lite pẽdente in sua quasi
1 possessione exigendi, quia † ex variatione personarum ex parte rei nunquam variatur ius actoris, *vt bene in terminis per Guid. pap. decis. alias allegat. 629.* Neque obstat
2 *decis. Puti. 29. lib. 3.* † nam semper Rota obseruauit, vt ad effectum impediendi restitutionem vel manutentionem non dicatur constare de non iure actoris, nisi per confessionem vel rem iudicatam, *Rot. de restitut. spoliat. decis. 3. in nou. & ita in infinitis causis fuit resolutum, & in specie coram me in Romana beneficiatus Sancti Petri 2. Maij 1569.* Neque obstat *consil. Paris. 98.* supra relatum; quia in casu suo Isabella nullum habebat in vita testatoris statum, ad quem posset aut deberet manuteneri respectu bonorum feudalium, *prout fatetur sub num. 17.* cuius contrarium reperitur in casu isto, in quo viuente Domino Iulio Ruuereo Spreca exegit censum, *facit ad idem Gigas. de pension. quaest. 47. num. 102.* Coadiuuatur hęc sententia ex eo, quòd etiã Spreca est in quasi possessione exigendi cõtra Illustriss. Dominum Iulium Cęsarem
3 Columnam. Neque obstat, quòd † ipse metu mandati sese obligauerit, & sic non videatur constituisse Sprecam in quasi possessione exigendi, *ad Roman. consil. 369. num. 14. Put. de pension. decis. 8. Caputaq. lib. 2. decis. 332. num. 4. in impress.* quia
4 † si mandatum iustè fuit decretum, eius exequutio priuat possessione eum, contra quem facta est; quòd maximè procedit ex quo prædictus Dominus Iulius obligauit se de soluendo arbitrio Rotæ, quòd cum in mandato non contineretur, vtique non est dicendum factum fuisse metu mandati, & arbitrium Rotæ fuit, vt pendente lite non spoliaretur Spreca, eo maximè, quia in hæreditate Domini Iulij adsunt etiam alia bona, quæ non probantur esse feudalia. Quare conclusum pro exequutione.

Firmana de Giottia.
Die Mercurij 24. Maij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Possessio nulliter capta venit sequestranda pro nullitatis purgatione.*
2 *In possessione capta sine praeiudicio habentis potiora iura, quamdiu non apparet alium habere potiora iura, pro possessore haberi debet ille, qui eam cœpit.*
3 *Veniens contra eum, qui cœpit possessionem sine praeiudicio habentis potiora iura, ipsum possessorem citare debet ad effectũ declarandi, an sit, vel non sit verificata conditio.*

DECISIO DCCCLXXVII.

1 FVit resolutum † possessionem bonorum, de quibus agitur, esse sequestrandam, cum enim fuerit capta nulliter non citato Domino Vincentio, locus est sequestro pro
2 dictæ nullitatis purgatione; nam † licèt possessio Vincentij esset capta sine praeiudicio habentis potiora iura; tamen quamdiu non apparebat alium habere potiora iura,
3 pro possessore haberi debebat; † & citari ad effectum declarandi, an esset, vel non esset verificata conditio, *cap. licèt Episcopus. de praebend. in 6. l. qui absente. §. 1. de acquir. possess.* & opponendo inhabilitatem personæ immissio fuisset denegata *Menoch. remed. adipisc. 4. quaest. 89. num. 733.* Non obstat, quòd Rota denegauerit restitutionem Domino Vincentio; nam id factum fuit, non solum ratione conditionis, sed etiam litterarum per eum scriptarum, in quibus profitebatur se pro Clemente possidere velle; sed hoc non tollit nullitatem mandati Auditoris Cameræ ex defectu citationis. Et ideo conclusum, vt apponatur sequestrum.

Regien. Bonorum de Nouellaria.
Die Mercurij 24. Maij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum exequutiuum concessum loco litterarum exequutorialium, licèt non ritè datum, si tamen rectè, reuocari non debet, sed exequi.*
2 *Possessio non ritè, si tamen rectè data fuerit, idest pro vero debito, de quo constet, non debet reuocari, ex quo esset de nouo danda, vel secundum opinionem Castren. iudex eodem contextu potest reuocare datam, & de nouo, quae est danda, concedere, siue id fiat statim, siue ex interuallo.*

DECISIO DCCCLXXVIII.

FVit per Dominos ordinatũ, vt stante re iudicata obtenta in hac causa contra Dominos Comites de Nouellaria, ego decernerem litteras exequutoriales in forma, quæ cum per me fuissent decretæ, notarius causæ, qui habebat citationem penes se, in qua pars Comitum fuerat citata ad videndum decerni & relaxari litteras exequutoriales, & loco illarum mandatum exequutiuum, siue per errorem, siue per dolum tradidit sollicitatori Sereniss. Ducis Mantuæ mandatum exequutiuum, quod cum animaduertisset pars aduersa, & recursum

ad

ad me habuisset, ego statim feci decretum de supersedendo, & iterato facto super hac re verbo cum Dominis, decretum fuit parti instrumentum reuocationis dicti mādati cum omnibus inde sequutis, allegatum enim fuerat verbotenus Sereniss. Ducem vigore dicti mandati cœpisse possessionem bonorum, super quibus fuerant latæ sententiæ. Interim pro parte Ducis fuerunt vigore mei decreti expeditæ litteræ exequutoriales, & intimatæ in partibus, & demum reproductæ, & seruati quatuor termini seruari soliti, & facta instantia pro habenda declaratoria: Verum pro parte Dominorum Com. fuit hoc eodem tempore præsentatum in actis instrumentum, in quo Comes Alphonsus reuocat omnes procuratores, & in specie Dominum Marcum Tullium Iannotium in hac causa constitutos, præterquàm ad comparendum coram quocunque Iudice quacunque auctoritate fungente ad docendum de inhibitione Cæsarea, & de auocatione causarum vertentium inter Illustr. Comit. Camillum fratrem suum ex vna, & quondam Claudium ex altera facta à prædicta Cæsarea Maiestate: Quare præmissis in Rota Dominis meis expositis, consului eos super modo procedendi, scilicet, an esset procedendum ad declaratoriam; nam difficultatem faciebat possessio capta per Ministros Ducales, vigore mādati exequutiui perperam à Notario causæ parti traditi. Hoc tamen non obstante Domini censuerunt procedi debere ad declaratoriam; nam apud eos erat in comperto, sentētias Rotales post exactissimam discussionem causæ ritè fuisse latas easq. iustissimas; & ideo mandandas esse exequutioni. Ne-
1 que obstare, quòd † loco exequutorialium fuisset processum in vim mandati exequutiui, quia licèt hoc fuisset factum contra ordinem Rotæ, tamen nullam in hac parte adfuisse culpam Ministrorum Sereniss. Ducis, qui existimarunt ritè fuisse decretum mandatum; nam poterat Rota dare hanc exequutionem etiam per viam mandati, licèt benignius cum Comitibus agendo decreuisset tantum exequutoriales; & ideo in hac re nullā fuisse illatam Rotæ iniuriam. Præterea si vnquam locum habere potest
2 opinio illa Doctorum, † quòd tenuta non ritè data, si tamen rectè data fuerit, idest pro vero debito, de quo constet, non debet reuocari, ex quo esset de nouo danda, *vt tradit Ang. post glos. in verb. libenter. in l. si finita. in princip. de damn. infect. & ibidem Imol. & Alexan. num. 6.* qui latissimè hoc casu seruari debet, cum de manifesto bono iure Ducis constet, quòd si magis placeat opinio Castrēsis volentis, quòd Iudex debeat eodem contextu reuocare tenutam datam, eamq. de nouo, quia danda est, concedere siue ex interuallo, prout tenuit *Ludouic. Roman. ibidē post Bald. quem allegat in l. fin. in 7. oppos. C. de edict. Diu. Adr. toll.* idem est dicendum, cum per Rotam fuerit ad instātiam procuratoris DD. Comitum reuocata, quòd si hac reuocatione vti noluerint, ipsis est imputandum. Quod eo magis procedit in hoc casu propter nimiam contumaciam Comitum, qui cum à principio consenserint in iurisdictionem iudicum Ecclesiasticorum post sententias contra se latas omni conatu tentarunt eandem iurisdictionem declinare; & ideo procurauerunt obtinere decreta illa Cæsareæ Maiestatis, quibus se defendere non possunt, cum non solum fuerint per eos procurata, sed etiam quia nulla ratione possunt excusari, volentes potius parere decretis extortis à Ministris Cæsareis per subreptionem quàm inhibitioni Rotali, immo verò Apostolicæ ritè & rectè emanatæ, quā non solum contempserunt in non parēdo, sed etiam grauius offenderunt in reuocando procuratores, & præsentando inhibitionem nullam, & iniustam, & per malitiam à Ministris Cæsareis extortam; & ideo ordinatum fuit, vt procederem ad declaratoriam.

Romana Pecuniaria.

Die Mercurij 24. Maij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Creditum anterius, de quo constat per priuatam apocham, præfertur posteriori, licèt de eo constet per publicum instrumentum.*

2 *Dispositio l. scripturas. C. qui pot. in pign. hab. volens quòd creditum de quo per instrumentum publicum profertur credito priuata apocha, cessat, quoties suspicio fraudis ex veris, & certis probationibus tollitur.*

3 *Ad probandū exclusionem suspicionis fraudis admittuntur etiam adminicula.*

4 *Fides illius, qui cedulam scripsit, vnà cum illius manus recognitione excludit suspicionem fraudis in ipsa cedula.*

5 *Præsumptio fraudis cedulæ verisimiliter non cadit, vbi constat de vero debito.*

Item si fraus non cedit ad commodum illius, qui cedulam scripsit, vt num. seq.

6 *Suspicio simulationis cedulæ, seu fraudis præsumptio ex qualitate personæ excluditur.*

8 *Vbi de credito, de quo per priuatam scripturam constat, non est quæstio, sed tantum de prælatione crediti, iuramentum suppletorium deferri debet ad suspicionem simulationis scripturæ diluendam.*

DECISIO DCCCLXXIX.

1 FVit dubitatum † super prælatione Reuerend. Domini Portici creditoris Dominorum de Costardis & Ceulia vigore pri-

priuatæ apochæ, & quorundam aliorum creditorum posteriorum, sed habentium instrumenta publica, quorum vigore prætendunt se esse præferendos *ex dispositione l. scripturas. C. qui pot. in pign. hab.* & licet simile dubium fuerit aliàs *corã R. P. D. meo Blanchetto* propositum, * & resolutum in fauorem Reuerendiss. Domini Portici, tamen iterum fuit per me propositum, an esset standum vel recedendum à resolutis. Et causa bis proposita, Domini resoluerunt standum esse in resolutis, etenim cum tota illa materia *l. scripturas* fundata sit in suspicione fraudis, ne sit in mero arbitrio solius debitoris per scripturam priuatam à se post longum tempus cõfectam sub die conficta ius prioris creditoris tollere, *vt per Tiraquell. qui latè materiam hanc tractat. de retract. conuent. §. 1. glos. 7. nu. 48. & bene per Decian. consil. 11. num. 142.*
2 *lib. 1.* † quoties hæc suspicio tollitur ex aliquibus veris & certis probationibus, vtique eius dispositio cessat, & præfertur creditor anterior, qui nititur probata scriptura, *vt bene deducit idem Tiraquell. num. 55. & sequentib. ex auctoritate Bald. in cons. 198.*
3 *ad intelligentiam. lib. 1.* Immo † ad huiusmodi probationem admittuntur etiam adminicula, *vt per eundem num. 59. & Decian. vbi supra*: Argumenta autem quibus Domini moti fuerunt ad adhibendam fidem huic scripturæ in præiudicium creditorum, hæc potissimum fuerunt: Primo, quòd adest vnus testis de visu, qui affirmat hanc cedulam fuisse confectam die & anno de quo in ea: Secundo adsunt duo testes deponentes de veritate numerationis de tempore in cedula expresso, qui rem reddunt valde verisimilem, cum appareat de crediti veritate, neque hoc vnquam fuit à partibus in dubium refricatum: Tertio adest registratio cedulæ in libro cedularum eo ordine, vt tollat suspicionem; nam etsi in eodem libro adsint aliqua spatia in albis, tamen nullum adest adeo insigne, vt in eo tota cedula posset commode describi, & valde coadiuuatur ex alia cedula post hanc registrata, quæ cum esset priore loco registranda repetit diem præcedentem sub his verbis fino alli 10. &c. quæ indicant fuisse per incuriam postpositam: Quarto adest
4 † fides illius, qui cedulam scripsit, eiusq. manus etiam recognita: Quinto concurrunt partitæ libri rationis, quæ cum cedula concordant, & quæ difficile est fuisse ibi descriptas repetita die in fraudem credi-
5 torum; maximè † cum præsumptio fraudis non cadat verisimiliter, vbi constat de ve-
6 ro debito, † & fraus non cedit ad commo-
7 dum scribentis: Vltimo † considerata fuit qualitas personæ Reuerendiss. Domini Portici, quæ est talis, vt valde sit ab omni suspicione huius simulationis alienus; Et ideo

* sub die 1. Iul. & 10 Nouemb. 1587.

fuit conclusum esse huic cedulæ adhibendã
8 fidem, sed pro maiori cautella † admittendum d. D. Porticum ad iuramentum suppletorium, cum hic non de credito sit quæstio, quod est indubitatum, sed tantum de hypotheca, quæ in dicta cedula nominatim est constituta, & sic solius prælationis est contentio. Et ita conclusum.

Camerinen. Bonorum.
Die Lunæ 29. Maij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Conditio, si sine filijs legitimis & naturalibus, non solum deficit per superexistentiam filiorum masculorum, sed etiã filiarum fœminarum, vt de communi opin. Ex coniecturis tamen quandoque receditur ab hac conclusione.*
2 *Coniectura illa sola, quòd testator filios masculos instituerit, relictis tantum dotibus filiabus, non sufficit ad exclusionem neptis, & num. 4.*
3 *Cõiectura prædilectionis filiarum, & quòd neptes non debeant esse melioris conditionis quàm filiæ, non est tuta, neque absolutè recepta.*
5 *Conditio, si sine filijs legitimis & naturalibus, deficit per existentiam legitimati, etiam quòd sit fœmina; & etiam quòd legitimatio sit cum clausula, sine præiudicio venientium ab intestato.*

DECISIO DCCCLXXX.

IOannes Franciscus Perulus de Fabriano de anno 1533. suum condidit testamentũ, in quo in omnibus suis bonis instituit hæredes suos vniuersales Ludouicum Troylum, & Rugeriũ filios suos legitimos & naturales, nec nõ omnes alios filios masculos legitimos & naturales ex se nascituros æquis portionibus; fœminis verò iure institutionis dotes reliquit, & si quis dictorum filiorum vllo vnquam tempore in pupillari ætate, vel postea quandocunque sine filijs legitimis & naturalibus decederet, eidem sic decedenti alios superuiuentes ex eis vulgariter pupillariter & per fideicommissum substituit, & eis seu altero eorum præmortuis seu præmortuo filios legitimos & naturales præmortuorum, seu præmortui in stirpes & non in capita substituit, & omnibus sine filijs decedentibus substituit filias natas & nascituras: Decessit Rugerius sine filijs, superstitibus Ludouico, & Troylo; Deinde decessit Ludouicus relicta Fuluia filia naturali legitimata hærede vniuersali instituta; Prætendebat Troylus esse factum locum fideicommisso ad fauorem suum, ex eo quòd Ludouicus decesserat sine filijs masculis, & quia Fuluia non erat legitima; Cumq. causa agitaretur per contradictas, & ageretur de reuo-

catione sententiarum in partibus contra
Fuluiam latarum proposui memoriale da-
tum pro expeditione in Rota, & exploraui
sententiam Dominorum meorum, qui cen-
suerunt sententias priores esse reuocandas,
& ferendam sententiam ad fauorem Ful-
1 uiæ 3. Nam † conditio illa, si sine filijs le-
gitimis & naturalibus decederent, non so-
lum deficit per superexistentiam filiorum
masculorum, sed etiam filiarum fœmina-
rum, *vt est receptissima opinio Doctorum, quos latissimè cumulat R. P. D. meus Mã-tic. de coniectur. vlt. volunt. lib. 11. cap. 14. per totum, & in specie num. 7.* & quamuis
ex coniecturis aliquando recedatur ab hac
conclusione, *vt idem tradit num. 11.* tamen
in casu isto nullæ adsunt coniecturæ, quæ
2 contrarium suadeant, nisi † illa sola, quòd
in primo gradu institutionis filios suos ma-
sculos instituit, relictis filiabus dotibus tã-
tum iure institutionis. Verum hæc sola con-
iectura non sufficit, vt bene declarat *idem D. meus sub num. 6. & 14. eamq. in specie improbat Addit. ad Alexan. cons. 52. num. 35. sub littera C. lib. 4. Idem cons. 38. n. 4. sub littera A. lib. 6. vbi refert Castren. pœnituisse, quòd aliquando pro filijs contra neptem pronunciarit, & allegat alios tenentes hanc opinionem, & fuit opinio Annania in consil. 22. num. 3. & idem Addit. aduertit in Addit. ad cons. Dec. 15. num. 2. in littera B. & C. vbi reprobat contrarium te-*
3 *nentes*; & certè † coniectura illa, quæ fun-
datur in prædilectione filiarum, quòdq. ne-
ptes non debeant esse melioris conditionis
quàm filiæ, non est tuta, neque recepta ab-
solutè, *vt videre est ex traditis per Gabr. de fideicommiss. conclus. 6. num. 5. & 11. & 12. & 15.* & hanc coniecturam in specie re-
probauit *Rota in causa Bononien. de Sancto Petro coram R. P. D. meo Decano, 20. Nouembris 1585. & tunc fuit allegatus Ludouicus Bologninus inter cons. Alex. consil. 53. num. 18. lib. 4. cui cons. subscripserunt multi Doctores, vt ibi videre est in fin. Aymon. cons. 98. num. 15. Marzar. consil. 8. num. 11.* & quamuis contrarium multi con-
suluerint in casibus, in quibus concurrebant
4 multæ coniecturæ, tamen † ex hac sola cõ-
iectura supra relata nemo est, qui contra-
rium senserit, & non est mirum, vbi certa-
tur coniecturis, si varia fuerunt responsa
Doctorum & contraria; cum etiam sibi ip-
sis multi fuerint contrarij veluti Castrẽsis,
& post eum multi alij, & vltimo *Decian. in cons. 1. lib. 2. & cons. 74. lib. 3.* sed & in ca-
su, in quo concurrebant plures coniecturæ
scripsit pro nepte *Cephal. cons. 45. & 46. vbi latissimè.* Quantum ad alteram obie-
ctionem, quòd Fuluia non sit legitima, sed
legitimata res prorsus caret difficultate,
5 † cum legitimatus faciat deficere condi-
tionẽ, si sine filijs legitimis & naturalibus,
etiam quòd legitimatio sit cum clausula
sine præiudicio venientium ab intestato, *vt per Ruin. cons. 173. num. 7. lib. 1. Rolan. cõsil. 83. num. 29. lib. 3. Rimin. iun. cons. 186. num. 33. lib. 2. Hier. Gabr. cons. 29. num. 17. Cephal. cons. 442. n. 5. Tobi. Non. cons. 69. n. 6. & alios infinitos, qui a supracitatis allegantur:* Ex quibus censuerunt Domini causam
pro Fuluia expediendam esse.

Toletana Prætensi matrimonij.

Die Lunæ 29. Maij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Metus non dicitur purgatus, quoties durat eadem causa metus.*
2 *Causa metus non dicitur cessare, licèt quis aufugerit, quando durat eadem superioritas, prout est in vxore, quæ aufugit.*

DECISIO DCCCLXXXI.

DOmini perstiterunt in resolutis, * non
1 † constare de purgatione metus, cum
semper durauerit causa eadem metus. Nec
obstant ea, quæ ex aduerso in memoriali-
bus datis deducuntur; nam quod dicitur ip-
sam potuisse aufugere, prout euentus do-
cuit, cum aufugerit à domo Comitissæ de
Pliegho ad monasterium non releuat; tum
quia hoc factum fuit de mandato Consilij
Regij, vt deponit Licentiatus Luxan; tum
2 quia dato quòd hoc esset verum, † tamen nõ
ideo cessat causa metus, *vt in terminis tradit Præposit. in cap. ad id quod. num. 1. de sponsal.* quando durat eadem superioritas,
quæ in casu isto durabat, licèt Ludouica
esset in monasterio, *& ibi est bona additio sub littera A.* quæ exemplificat in vxore,
quæ fugerat ad monasterium, sed etiam ex
facto tollitur ista potestas aufugiendi per
testes ipsiusmet Ducis.

* sub die 19. Martij proxime praeteriti.

Romana Lucri dotis.

Die Veneris 2. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Lucrum quartæ partis dotis debetur viro, tam si sit pauper, quàm si sit diues.*
2 *Quarta pars dotis proueniens viro debetur rõne dotis habitæ non autẽ dotis promissæ.*
3 *Quarta pars dotis proueniens viro non debetur habita ratione mobilium, si non fuerint data æstimata, ex quo vsu consumuntur.*
4 *In quarta pars dotis, quæ prouenit viro, imputandum est totum id, quod ab ipso exactum fuit.*
5 *Pecunia accepta ad censum ab vxore ex iuris præsumptione ad maritum peruenisse præsumitur, si tamen sola accepit, potest dubitari; propter coniecturas autem, vt est propter expensas litis à viro factas, in quartam non imputatur.*

In

6 *In his, quæ viro debent in quartam dotis imputari, per coniecturas proceditur.*

DECISIO DCCCLXXXIII.

1 FVit resolutum † deberi Ioanni Franci-
sco quartam dotis sibi datæ iuxta for-
mam instrumenti dotalis. Neque obstare,
quòd ipse esset pauper, & quòd ipso præde-
cedente non potuisset vxor eam consequi
in bonis suis, quia hoc lucrum debetur vi-
ro, siue sit diues, siue pauper, *vt per Alex.*
in consil. 249. *num.* 2. *in fin. lib.* 6. *Roland.*
de lucr. dot. quæst. 92. Quantum verò ad
quantitatem, quæ controuertitur, dictum
2 fuit † habendam esse rationem dotis habi-
tæ non autem dotis promissæ, cum ex euẽ-
tu litis apparuerit non fuisse eius quantita-
tis, quam vxor in promissione affirmaue-
rat; & ideo secundum statum hodiernum,
3 † esse detrahendam quartam, non habita
ratione mobilium, cum non fuerint data
4 æstimata, & vsu consumantur, † tamen in
quartam huiusmodi esse imputandum to-
tum id, quod exactum fuit à Domino Ia-
cobo Antonio, quod ipse prætendit fuisse
scuta 239. Quantum verò ad scuta centũ,
5 † quæ Martia accepit ad censum, licèt ex
iuris præsumptione præsumantur ad mari-
tum peruenisse *ad tradit. per Bald. & Sali-*
cet. in Authent. si qua mulier. C. ad Velleian.
cum alijs per modern. de præsumption. lib. 3.
præsumpt. 22. quod tamen posset reuocari
in dubium, quando mulier sola recipit, *vt*
per Alexan. in consil. 38. *num.* 1. *lib.* 2. *de*
quo videndus Natt. consil. 552. *num.* 4. *&*
6. *Aym consil.* 91. *Purpur. consil.* 310. ta-
men in isto casu propter expensas litis, Do-
mini censuerunt ea non esse in dictam quar-
6 tam imputanda, † cum in hac materia per
coniecturas procedatur, *vt inquit Purpu-*
rat. ibid. num. 5. Et ideo conclusum, vt
præstetur hæc quarta æstimatis rebus dota-
libus iuxta statum hodiernum excomputa-
tis pecunijs habitis à D. Iacobo Antonio.

Fanen. Bonorum.
Die Lunæ 5. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Filius bannitus incapax successionis paternæ potest à patre extraneo herede instituto per fideicommissum substitui, vt quandocunque vel qualitercunque reddatur capax hereditas integra ei restituatur.*

2 *Fideicommissum ad certas personas restrictum non debet ad alias extendi, secundum opinionem, quam seruat Rota, siue fideicommissum praecedat, & prohibitio sequatur, siue non, & num. 4.*

3 *Prohibitio alienationis facta cum expressione causæ, puta quia testator voluit bona remanere in suis descendentibus facit, quòd in fideicommisso comprehendantur etiam neptes, & alij descendentes propter verborum generalitatem.*

5 *Prohibitio alienationis à substitutionibus recipit interpretationem.*

6 *In inducendo fideicommisso magis attendere debemus ordinem intellectus quàm scripturæ.*

7 *Dictio illatiua, & propterea, coniungit dispositiones, itaut altera ab altera pendere dicatur.*

DECISIO DCCCLXXXIII.

ANtonius Maria Panetius Fanensis cõ-
didit testamentum, in quo suum hæ-
redem vniuersalem instituit, Benedictum
Panetium Forosemproniensem, cum prohi-
bitione his verbis concepta, quæ bona hæ-
reditaria dictus testator, quia voluit ma-
nere in suis descendentibus, vetuit & pro-
1 hibuit alienari, vendi, & pignorari, † & si
euenerit, quòd quandocunque quomodo-
cunque, & qualitercunque Capitaneus Lu-
douicus Panetius testatoris filius, qui ad
præsens est bannitus, & successionis inca-
pax, efficeretur capax ex nunc prout ex
tunc, & è conuerso; voluit dictus testator
totam & integram illius hæreditatem, abs-
que aliqua diminutione effectualiter resti-
tui per dictum suum hæredem dicto Capi-
taneo Ludouico: In casu autem rehabili-
tationis huiusmodi substituit Ludouico prę-
dicto filios legitimos & naturales, & eo
decedente sine filijs, (qui casus postea eue-
nit) substituit ei filias suas Lucretiam &
Vrsolinam, Præfata Vrsolina alienauit præ-
dium quoddam hæreditarium, quare Vi-
ctoria filia eiusdem Vrsolinæ ex primo ma-
trimonio egit ad recuperationem prædicti
prædij aduersus Nicolaum de Masijs posses-
sorem sub prætextu, quòd fuerit factus lo-
cus fideicommisso resultanti ex prohibitio-
ne alienationis facta per Antonium Mariã
in suo testamento; Ideo fuit dubitatum,
an fuerit per dictam prohibitionem indu-
ctum fideicommissum ad fauorem dictę Vi-
ctoriæ, itaut veniat immittenda in posses-
sionem bonorum per matrem alienatorũ,
& pro affirmatiua deducebatur *textus in l.*
peto. §. fratre. de legat. 2. *l. pater filium.*
§. filium. de legat. 3. *Socin. in l. qui Romæ.*
§. coheredes. num. 10. *post Alexan. num.* 4.
de verb. oblig. Idem Socin. cons. 227. *lib.* 2.
Dec. cons. 218. *num.* 14. *Paris. cons.* 75. *nu.*
33. *lib.* 2. *Gabr. qui alios citat de fideicomm.*
conclus. 9. *num.* 7. *R. P. D. Mantica de cõ-*
iectur. vltim. voluntat. lib. 6. *tit.* 14. *nu.* 24.
maximè cum prohibitio sit concepta in
rem, *ad tradit. per Bald. in l. precibus. nu.*
49. *Salicet. num.* 26. *C. de impub. & al. sub*
stit. Socin. cons. 62. *num.* 10. *lib.* 3. *Curt.*
sen. consil. 42. *num.* 8. *cum alijs hic per in-*
*formantes allegatis**. In contrarium dedu-

* adde Paris. cõs. 30. n. 29. & seq. & cõs. 93 n. 23 vol. 3. Alba cõs. 93. nu. 3 Decian. cõs. 41. n. 51. vol 1. Rimin iun. cõs 20. n. 21.

2 cebatur † fideicommissum fuisse ad certas
personas restrictum, neque deberi ad alias
extendi, *ut per Io. Anar. in Addit. ad Speeul. tit. de testam. §. 1. vers. occurrit. ad fin. Oldrad. in consil. 21. Socin. cons. 63. nu. 4. lib. 3. Socin. iun. cons. 103. num. 23. lib. 1. Aym. cons 161. num.* 16 cum non fiat extensio de persona ad personam, *Aretin. in l. Gallus. §. & quid si tantum. col. 4. & ibi omnes. de lib. & posth. Dec. in l. illam. num. 31. C. de collation. & in consil. 218. num. 9. Neutzan. consil. 31. Cephal. cons. 269. nu. 12. cum infinitis similibus*, & hoc transit
sine difficultate inspectis verbis substitutio-
3 num; † sed vis est in prohibitione alienationis, quæ facta est cum expressione causæ, quia voluit bona remanere in suis descendentibus, quæ verba sunt generalia apta comprehendere neptes, & omnes alios descendentes. *l. fin. C. de suis & legitim. Alexand. in consil. 160. lib. 2. Gozad. cons. 20. num. 8. Gabr. de verb. signif. conclus. 6. nu. 4. Dominus meus Mantic. lib. 6. tit. 15. nu. 7. & lib. 8. tit. 11. num. 2.* Tamen Domi-
4 ni † censuerunt verba dictæ prohibitionis non esse extendenda vltra personas in substitutionibus & fideicommisso comprehensas, cum sub vnico tenore & contextu verborum fuerit facta prohibitio, & factæ sub-
5 stitutiones; † adeo quod illa ab istis debet recipere interpretationem, *per consil. Dec. 636. & Socin. 53. num. 11. lib. 1. plures citat Modern. à Petra in tractat. de fideicommiss. prohib. quæst. 6. in princip.* & licèt ipse hanc opinionem impugnet asserens contrariam esse magis cõmunem, tamen apertè fallitur; & maximè cum Rota passim hanc opinionem, & consilium Decij amplectatur. Neque obstat, quòd in casu Decij fideicõmissum præcedat, & prohibitio subsequatur, quia vis non est in ordine, sed in coniunctione harum dispositionum, ex qua colligimus mentem testatoris fuisse vnum
6 propter aliud introducere voluisse; † & ideo attendere debemus ordinẽ intellectus magis quàm scripturæ, *l. cum pater. §. fidei tua. de legat. 2. l. nec enim. de solutionib. Bart. in l. ita tamen. §. qui suspectam. num. 2. ad Trebell. Bero. consil. 84. num. 36. lib. 2.* patet autem ad sensum, prohibitionem propter subsequẽs fideicommissum factam fuisse, non autem fideicommissum propter prohibitionem; nam alienationis prohibitio est modus conseruandi bona ad effectum, vt fideicommissum suum sortiri posset effectum, quod alias posset per alienationem reddi inutile: Præterea illa dispositio est imperfecta, nisi cõiungatur cum fideicommisso, quod tamen per se etiam sine illa stare posset, & magis hæc prohibitio videtur apposita ratione personæ institutæ, quàm aliorum, cum esset hæres fideicommissarius nominatus à testatore propter incapacitatem filij, cui tamen desiderabat integram conseruare hęreditatem, sed quia lege prohibebatur id directè facere, ideo adhibuerat hanc cautellam. Hoe autem eu maximè suadetur, ex quo
7 testator vsus est † dictione illatiua, & propterea, quæ ita coniungit has dispositiones, vt clarè appareat alteram ab altera pendere, *l. 2. de vsur. Bald. in l. cancellauerat. de his quæ in testam. del. c. quia propter. de electio. Socin. in cons. 156. num. 18. lib. 2.* & in terminis in casu prohibitionis præcedẽtis fideicommissum extat *cons. Alexand. de Neapol. 79. num. 6. cui consilio se subscripserunt Io. Baptista de Rosell. & Ang. de Cast.* Neque in contrarium facit resolutio facta *in causa Foroliuien.* * *coram Illustriss. Aldobrandino*, immo optime confirmat hanc sententiam, cum considerentur ibi casus prohibitionis dependentis & prohibitionis per se separatim positæ. Et ex his tolluntur omnia in contrarium allegata. Et ita conclusum.

* in causa Foroliuien. fideicommissi sub die 19. Martij 1574. in impress. diuers. 364. par. 2.

Salernitana Beneficij.
Die Veneris 9. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Donatio iurispatronatus ab Episcopo non confirmata non valet.*

2 *Auctoritas Vicarij confirmantis donationẽ iurispatronatus præstat titulum ad præscribendum.*

3 *Præsentatus ab eo, qui est in quasi possessione præsentandi, est præferendus.*

DECISIO DCCCLXXXIV.

FVit resolutum non constare de tali iure ex persona Dominorum de Iudicibus, 2
quod releuet in casu, de quo agitur, Iacobo;
nam quantum ad donationem factam dictis
1 Dominis de Iudicibus, † cum ea non fuerit per Episcopum confirmata, & à dicta donatione fuerit per secundã, quæ effectum sortita est, recessum; quin immo fuerit ei per filios donatarij cum decreto Vicarij renunciatum, & nunquam sortita fuerit effectũ, non est ad effectũ præsentis litis eius aliqua ratio habenda, præsertim cum à secunda donatione facta Grillo effluxerint vltra quadraginta anni; & ita præscriptione possunt remoueri illi, qui nũquam præsentarunt ad hoc beneficium, & hæc præscriptio vallata
2 est titulo; † nam auctoritas Vicarij saltem præstat titulum ad præscribendum, *Felin. in cons. 2. num. 2.* Neque obstat, quod ex aduerso prætenditur Dominos de Iudicibus vigore prędictę donationis esse in quasi possessione præsentandi ad alia beneficia, quia dato quòd hoc sit verum, possunt respectu aliorum hoc ius præsentandi præscripsisse, non autem respectu huius, de quo agitur, in quo dantur aliæ præsentationes Grilli,

quæ

quæ fuerunt sortitæ effectum: Vnde cum ius dictorum de Iudicibus non sit clarum,
8 † & Grillus sit in quasi possessione præsentandi, præsentatus ab eo est præferendus, *vt notat. in cap. consultationibus. de iurepatron. & per Rip. in cap. cum Ecclesia. num. 130. de caus. possess. & propriet.* Et ita conclusum.

Tudertina Bonorum.
Die Lunæ 12. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Filia, qua ab intestato non succedit, ex quo sit exclusa à statuto, si prætereatur non rumpit testamentum, secundum communem opin. quod procedit, quando instituti sunt in testamento filij masculi; secus est, si extranei, quia tunc filia præterita potest dicere testamentum nullum, vt de communi.*

2 *Idem est si filij essent in legitima tantum instituti, & extranei in reliquis bonis hæredes fiant.*

DECISIO DCCCLXXXV.

FVit resolutum veram esse communem
1 Doctorum sententiam, quòd † filia, quæ ab intestato non succedit, puta, quia exclusa à statuto, si prætereatur, non rumpit testamentum, *Ruin. in consil. 17. num. 1. lib. 2. Afflict. decis. 158. num. 6.* Clar. *in §. testamentum. quæst. 42. vers. quæ quidem conclusio. Tiraq. de iure primogen. quæst. 53. num. 12. & 22. Alexand. in l. Gallus. §. & quid si tantum. num. 16. & ibi Ias. nu. 58. de lib. & posthum. Dec. cons. 105. Capis. decis. 176. num. 3. cum alijs infinitis,* * & in terminis huius statuti Tudertini *adest decis. Perusin.* 21. *num.* 5. sed etiam vera est limitatio ad prædictam conclusionem; eam procedere quoties in testamento sunt instituti filij masculi, qui fœminas ex dispositione statuti excludunt, aliàs institutis extraneis filia fœmina præterita potest dicere testamentum nullum, *Socin. in d. l. Gallus. §. & quid si tantum. num. 11. Dec. in consil. 296. num. 2. Corn. cons. 290. n. 11. Crot. cons. 100. num. 9. Paris. consil. 62. nu. 10. in 3. Bero. in c. Raynutius. num. 237. de*
2 *testam. qui de communi testatur,* & † etiam idem tenendum censuerunt Domini, si filij in legitima tantum essent instituti, & in reliquis bonis extranei: Verum applicando istas conclusiones casui proposito, in quo pro parte Michelinæ institutæ dicitur patrem ipsius donasse fratribus suis maiorem & oppulentiorem partem patrimonij donatione inter viuos, quam etiam testamento confirmauit; Domini censuerunt alteram filiam præteritam non posse dicere testamentum nullum, cum institutio Michelinæ, licèt hoc casu pro extranea sit habenda, *Bart. in l. 1. §. sciendum. num. 3. de suis & legitim.* sit in exigua tantum hæreditatis portione, potiorem autem partem habeant filij, quorum contemplatione filiæ à statuto sunt exclusæ, adeo quòd semper militat ratio statuti filias fauore masculorum excludentis, cum hæc dispositio ita qualificata non cadat in commodum extraneorum: Ideo casus iste tanquam continens eandem rationem à generalitate statuti non est excludendus, *ad glos. in Authent. cassa. in verb. per Italiam. C. de sacrosan. Eccles. & in Clem. 1. in verb. præsidentes. de rescript. Bellon. in cons. 52. num. 6. Roland. cons. 39. num. 5. lib. 3. cum similibus.* Verificet itaque Michelina donationem esse talem, si vult sustinere testamentũ paternũ.

* quibus adde Alex. cõs. 47. n. 9. lib. 2. & Roer decis. 849. n. 9.

Camerinen. Parochialis siue Vnitorum.
Die Lunæ 19. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Vnio beneficij seu annexio probari debet, vel per titulum vnionis exhibitum, vel per immemorabilem possessionem tanquam de vnito, vel saltem per enunciatiuas plurium instrumentorum de antiquissimo tempore.*

2 *Enunciatiua collationum, quæ simpliciter dicunt cum annexis, & non exprimunt, quænam sint beneficia annexa non probant vnionem, seu annexionem.*

3 *Testes nulliter examinati non probant immemorabilem.*

DECISIO DCCCLXXXVI.

FVit decisum, non constare ista beneficia esse annexa parochiali, quam impetrauit Costicus, quia de huiusmodi vnio-
1 ne siue annexione non constat, † cum ea sit probanda, vel exhibito titulo vnionis, vel per immemorabilem possessionem tanquam de vnito, vel saltem per enunciatiuas plurium instrumentorum de antiquissimo tempore, *vt per Pute. decis. 209. lib. 2. in vna Bononien.* hic verò non habemus aliquam similem probationem; nam neque titulus, neque enunciatiuæ collationum
2 probant, † cum simpliciter dicant cum annexis, non autem exprimant, quæ sint ista
3 annexa: † Testes verò sunt nulliter examinati, neque probant Immemorabilem, *Pute. decis. 238. lib. 1.* Ideo conclusum hanc probationem non esse sufficientem.

Toletana Matrimonij.
Die Veneris 23. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Cohabitatio mulieris cum viro, quæ habuit principium meticulosum, & cum reclamatione ipsius mulieris, non facit, quòd metus censeatur purgatus, nisi mulier*

constituta sit in plena libertate.

2 *Metus nunquam censetur purgatus, nisi persona, cui fuit illatus, sit constituta in plena libertate; sed omnia, quæ possent tribui liberæ voluntati, censentur per metum facta, non autem voluntariè.*

DECISIO DCCCLXXXVII.

FVit dubitatum præsuppositis resolutionibus, & alijs hinc inde deductis, An in casu & ad effectum, de quo agitur, cohabitatio & copula inter D. Ducem, & Dominam Ludouicam releuent, etiã si probaretur interuenisse copulã à die prima sponsalitij, vsque quo Ludouica vltimo loco ingressa est monasterium: Et quantum attinet ad probationem cohabitationis, nulla facta est difficultas super ea, neque fuit reuocata in dubium, cum de ea constet à die, quo fuit traducta Ludouica ad domũ Principissæ vsque ad diem, quo vltimo loco in-
1 gressa est monasterium; sed † quantum ad releuantiam huius cohabitationis, Domini fuerunt concordes, eam nihil prorsus ad rem facere, etenim ex resolutis patet, fuisse hanc cohabitationem à principio meticulosam, & reclamante Ludouica introductam; & ideo locum habent ea, quæ sæpius dicta & repetita fuerunt in hac causa, & de-
2 cisionibus firmata, nempe † metum nunquam censeri purgatum, nisi ea persona, cui fuit illatus, sit constituta in plena libertate, *cap. cum locum. de sponsal. cap. accedens, de procurat.* & ideo ea omnia, quæ possunt tribui liberæ voluntati, censeri facta per metum, non autem voluntariè durante eadem causa metus, *per Bald. in l. 1. C. quod met. caus. Alex. in cons. 98. num. 7. & ibi Addit. lib. 3. cum alijs allegatis sub die 3. & 17. Martij & confirmatis 29. Maij proximè præteriti.* Neque obstant, quæ ex aduerso deducuntur Ludouicam in domo Comitissæ de Pliego fuisse in plena libertate, tum ex eo quòd tunc Doctor Mollina recesserat ab Oppido, & erat in Regno Lusitaniæ, & Ludouica in dicta domo faciebat omnes expensas victus tã pro se quàm pro Duce; & ibidem fecit varios contractus, & scripsit litteras Duci, in quibus sẽper gessit se pro vxore dicti Ducis; nam hæc omnia tribuuntur primæ causæ metus illati, quæ cum adhuc duraret, vt fuit resolutum, vtique nulla subest causa, cur Ludouica potuerit existimare sibi licere reclamare vel aufugere, quod ipsa res manifestè docet, neque enim accessit ex libera voluntate ad domum Comitissæ de Pliego, cum potius desideraret sese trãsferre ad aliquod monasterium, sed ita factum fuit de consilio suorum aduocatorum, vt redderet faciliorem negotij expeditionem apud Consilium Regium, cuius assensus in hac habitationis translatione requirendus & obtinendus erat, prout optime deponit licentiatus Luxan & Ioanna de Zuaço & Balthasar Maldonado testes Ducis: Fuit deinde ex auctoritate eiusdem Consilij posita in monasterio, & postremo de licentia expressa & voluntate Serenissimi Catholici Regis cœpit reclamare aduersus hoc matrimonium, quæ omnia clarè demonstrant voluntatem non fuisse saltem ex opinione ipsius omnino liberam, qualis esse debet in simili materia; nam alioqui non expectasset cuiusq. licentiam ad reclamandum, *argumento eorum quæ habentur tot. titulo. C. de his qui spont. pub. mun. lib.* 10. Itaque quantum ad hoc caput Domini hanc sententiam dixerunt carere omni prorsus difficultate. Quantum verò ad præsuppositũ copulæ, maior fuit apud Dominos dubitatio, etenim si probaretur, multum videbãtur vrgere contra Ludouicam capitulationes, in quibus habetur, quòd intra quatuor annos velarentur, tamen quia non erant concordes, & tota hæc res pendet à probatione qualitatum, & circunstantiarum ipsius copulæ; ideo fuit ordinatum, vt proponam dubium aliàs datum super probatione ipsius prætensæ copulæ; idq. proponam in penultima Rota: hæc enim causa requirit celerem expeditionẽ pro iustitia.

Parmen. Status.
Die Lunæ 26. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Scriptura in filcia prothocolli, carens clausula Actum, & testibus non dicitur authentica, fallit si talis scriptura in filcia continuata sit cum alijs scripturis habentibus dictam clausulam, Actum, & testes, & habeat relationem ad eas, tunc enim dicta clausula, Actum, & testes censentur in illa repetiti.*

2 *De Filcia instrumentorum vel scripturarum, quæ habetur pro prothocollo idem iudicatur, quod de ipso prothocollo.*

3 *Scriptura in prothocollo notarij reperta scripta manu aliena non dicitur authentica; secus est si in margine sit scriptũ manu eiusdem notarij, de voluntate mea.*

4 *Testamenta licèt non manu notarij scripta reperta in suo prothocollo, ei tradita ad effectum ea publicandi, dicuntur authentica.*

5 *Fides non derogatur filciæ notarij tanquã continentis scripturas æquiuocas, si Notarius habuerit scripturas pro bonis & authenticis, quòd sufficit.*

6 *Forma statuti circa solemnitates instrumenti loci, vbi est celebratum instrumentum, seruari debet.*

7 *Laudum seu votum positum in filcia notarij non requirit aliquam solemnitatem, si de eo sit rogatus idem notarius.*

8 No-

8 *Notarij possunt supplere numerum testium in testamentis.*

9 *Scriptura in prothocollo non subscripta & carens signo impugnari non potest tanquam non authentica, si habeat clausulam, Actum.*

DECISIO DCCCLXXXVIII.

FVit dubitatum, an in filcia, de qua agi-
tur, adsint scripturæ non authenticæ,
itaut scriptura, quæ habetur sub numero
147. non capiat robur à dicta filcia; Et pro
parte Dominorum de Rangonibus dedu-
cebantur plures scripturæ, quas prætende-
bant non esse authenticas; primo est scri-
1 ptura sub num. 253. † quæ caret clausula,
Actum & testibus; sed hanc Domini non
habuerunt in consideratione, quia in scri-
ptura, quæ est sub num. 251. Balthasar ven-
didit Bernardino petiam terræ, & in sequē-
ti, quæ est sub num. 252. idem Bernardi-
nus emptor locat eandem terram Baltha-
sari, & in hac, de qua agitur, fit pactum à
Bernardino ad fauorem d. Balthasaris de
retrouendendo eandem petiam terræ; vn-
de cum duo priora instrumenta habeant
clausulam, Actum, & testes, & hoc tertium
sit relatiuum & continuatum secundum or-
dinem instrumentorum filciæ ad præceden-
tia, clausula, Actum, & testes censentur re-
petiti *ad Ias. in l. si quis. §. si initium. n. 8. de edend. Ruin. cons. 159. num. 10. lib. 4.*
2 qui loquitur in filcia, † vbi ea ex consuetu-
dine habetur pro prothocollo, idem de ea
iudicandum, quod de prothocollo, ex vi-
sione autem apparet hunc esse stylum nota-
riorum Parmæ: Secunda scriptura, quæ
3 impugnatur est sub num. 13. † ex eo, quòd
est scripta manu aliena; sed huic fuit quo-
que per Dominos responsum adesse in mar
gine adnotatum, manu Petri Pauli, exple-
tum per Ioan. Hilarium Gallicanum de vo-
luntate mea, & verificatur dicta scriptura
ex sequenti, quæ est sub num. 14. Tertia
scriptura, quæ impugnatur, est sub num. 40.
4 † ex eo quòd continet testamentum aliena
manu scriptum, nec scripta à notario, ne-
que ab alio auctoritatem habente rogandi
instrumenta; & idem opponitur alteri scri-
pturæ sub num. 72. Sed Domini dixerunt
eas non esse scripturas notarij, sed parochi
interuenientis in testamento quorundam
suorum parochianorum; sed quia fuerunt
traditæ notario ad effectum publicādi eas,
fuerunt insertæ in filcia cum alijs scriptu-
ris, quod erat necessarium. Neque obstant
5 in contrarium considerata; quia † sufficit,
quòd notarius habuerit istas scripturas pro
bonis & authenticis, ad effectum vt filciæ
fides non derogetur, tanquam continenti
scripturas æquiuocas, *vt bene declarat Aymon. de antiq. temp. part. 1. §. quarto limitatur, num. 1. & 2.* & negari non potest
hæc testamenta nō esse extranea ab ipsa fil-
cia, postquam apparet ex facto ipso fuisse
notario consignata: Quarta scriptura, quæ
est sub num. 266. ex eo impugnatur, quia
cum sit testamentum, caret secundo nota-
rio contra formam statuti Parmensis 116.
lib. 2. Sed fuit respōsum per Dominos, quòd
6 † cum de eo fuerit rogatus notarius in ter-
ritorio Pallauicinorum, vt ex statutis li-
quet, non erat seruanda forma statuti Par-
mensis, sed loci habentis particularia statu-
ta, *Signorol. in l. cunctos populos. num. 19. C. de Summ. Trinit. & fid. Cathol. Corn. in consil. 232. lib. 4. Bald. consil. 436. num. 3. lib. 1. & fuit resolutum coram me in vna Racanaten. donationis. 28. Iuny 1577. & fuit allegatus Bald. cons. 201. in Prouincia. lib. 1. num. 2. Socin. cons. 79. num. 24. lib. 4.*
Quinta scriptura sub num. 16. impugnatur,
ex quo diuersa manu scripta, sed hoc tolli-
tur eodem modo, quo supra dictum fuit in
secunda scriptura: Sexta scriptura est, quæ
continetur sub num. 113. quæ nullum ha-
bet defectum releuantem; & idem dictum
est de ea, quæ est sub num. 114. & ibi adest
secundus notarius, & manus est Petri Pau-
li, licèt magis currenti caractere scripta:
Septima scriptura sub num. 141. impugna-
tur, necnon sub numer. 142. sed frustra,
7 † quia continent votum & laudum quoddā,
de quibus rogatus est Petrus Paulus, neque
in hac re alia solemnitas erat necessaria:
Octauo impugnantur duæ scripturæ sub nu-
mer. 126. & 131. continentes reuocationē
quorundam testamentorum, ea ratione,
quòd non adsunt septem testes, vt de iure
requiritur, sed bene tollitur obiectum, ex
quo iuxta formam statuti, quod contenta-
tur quinque testibus, adsunt tres testes &
8 duo notarij, † qui reliquorum vicem sup-
plent: Nono & vltimo oppugnatur scri-
9 ptura sub num. 146. & 147. † ex quo non
est subscripta & caret signo, sed non rele-
uat hoc in prothocollo, cum habeat clau-
sulam, Actum, &c. Cœtera quæ contra
eam considerantur, bene euacuantur per
Dominos informantes; & ideo conclusum
nō adesse in ista filcia tales scripturas pro-
pter quas scriptura de qua agitur, non pos-
sit à dicta filcia recipere robur.

Romana de Fossanis.
Die Lunæ 26. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua, quæ venit probanda per eum, qui allegat contrauentionē, est plenè probanda, cū sit fundamentū suæ intētionis.*

2 *Liber monasterij regulariter non facit fidem contra tertium non subditum.*

3 *Testis deponens de facto proprio, vbi non agitur de suo interesse, plus quàm semiplene probat.*

4 *Prob. tio actoris, quæ non est plena sed imperfecta sufficit, quòd à reo offuscetur ad eam elidendam.*

5 *Negatiua ex scripturarum exhibitione probatur, si scriptura sit authẽtica, & in actu, qui de necessitate requirat scripturam, vel quòd fiat apud acta; alias secus.*

6 *Partitæ librorum, quæ de necessitate non requirebant scripturam, probare possunt affirmatiuam, negatiuam verò non probant.*

DECISIO DCCCLXXXIX.

DOminus Petrus Franciscus Fossanus in suo vltimo testamento disposuit, & voluit, vt sui hæredes & pro tempore successores in suis bonis sub pœna caducitatis tenerentur quotannis in perpetuum facere celebrare vnum Anniuersarium cum missa decantata in Ecclesia Sancti Francisci de Canturio, & erogare tantum panis, quantũ capit modius farinæ amore Dei pauperibus ea die, qua fiet Anniuersarium, quæ est paulo ante, vel paulo post festũ Sancti Frãcisci; Prætendebat Dominus Franciscus Fossanus factum esse locum caducitati ad ipsius fauorem, ob non impletam voluntatem testatoris, & ad probandam hanc negatiuam produxit quasdam partitas extractas ex libris monasterij ab anno 1577. vsque ad annum 1588. ex quibus prætenditur liquere omissos fuisse multos annos, quibus non fuit celebratum dictum Anniuersariũ, neque præstita prædicta eleemosyna; Et quia orta erat inter partes controuersia super validitate compulsationis dictarum partitarum, Domini voluerunt, vt videretur de releuantia; & ideo proposui dubium, An iura & probationes Dominorum de Fossanis sint releuantia in casu, & ad effectum, de quo agitur, & omissa disputatione illa, ad quos in euentum contrauentionis deuoluatur hæreditas, super qua fuit informatum per Dominos de Fossanis strictè ad probationes contrauentionis deductas; Domini censuerunt vnanimiter eas non esse releuantes, neque ex eis probari

1 hanc negatiuam, † quæ tamen per eum qui allegat contrauentionem, est plenè probanda, cum sit suæ intentionis fundamentum, *Innocen. in cap. super his. de accusat. num. 10. Bart. in Authen. hoc amplius. C. de fideicommiss. & in l. in illa. la 1. num. 9. de*

2 *verb. obligat.* nam † liber monasterij ex quo deducitur hæc probatio regulariter nõ facit fidem contra tertium non subditum, *Aym. de antiq. temp. §. quid in libro. n. 1. part. 1. Pute. de fide instrum. decis. 26. & decis. 440. 443. & 451. lib. 2.* Præterea multum detrahitur de fide huius libri, ex quo in eo deficit solutio anni 1583. & nihilominus probatur ex aduerso, quòd de eo anno fuit celebratum Anniuersarium, per vnum testem deponẽtem de facto proprio,

3 † qui cum non agatur de suo interesse plus quàm semiplenè probat, *vt per Aym. in consil. 178. num. 7.* * & coadiuuatur ex fide Guardiani Conuentus Sancti Francisci, quæ est recognita; Item ex litteria Marci Iouij & ex partitis Mercatorum, qui dederunt pecunias pro celebrando dicto Anniuersario: vnde resultat communis conclu-

4 sio, quòd † quando probatio actoris non est plena, sed imperfecta, tunc sufficit reo offuscare ipsius probationem, *Bart. in l. admonendi. num. 31. de iureiuran.* Non

5 obstat, quòd † probetur negatiua ex scripturarum exhibitione *ad notat. per Rip. in cap. cum Ecclesia. num. 82. de caus. possess. & propriet.* quia præter quam quòd illud procedit in scriptura authentica, non habet locum, vbi de necessitate actus non erat redigendus in scripturam in eo libro, vel in ijs scripturis, quæ exhibentur, veluti in exemplo Ripæ de donatione non insinuata, debet enim insinuatio in scripturam de necessitate redigi, vel fieri apud acta; ideo eorũ exhibitio negatiuam probat, sed non erat de necessitate constitutum, vt fratres in eorum libris describerent has parti-

6 tas; † & ideo affirmatiuam quidem probare possunt, negatiuam verò non possunt. Et ita conclusum omissis alijs quæstionibus superfluis super deuolutione.

* & fuit dict. supra in Vrbeuetana bonorum 4. Iunij 1576. n. 9.

Romana Census.

Die Mercurij 28. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Extinctio census requirit actum retrosimilẽ cõstitutioni, videlicet cõsensũ & pecuniã.*

2 *Actus non operatur vltra intentionem agentium.*

3 *Emptor census non potest cogi inuitus ad census extinctionem seu redemptionem.*

4 *Cedula depositi non dicitur libera, quando adest protestatio, non consignari nisi præstitis prius idoneis cautionibus de euictione.*

DECISIO DCCCXC.

FVit resolutum depositum factum per Dominos à Porta non releuare in casu, de quo agitur, ex pluribus; Etenim cum hodie agatur pro consequutione censuum impositorum per Ioannem Barginum super domo empta à Dominis de Porta debent ipsi concludenter ostendere de dictorum censuum extinctione; de ea verò nullo mo-

1 do docent; † requirit enim ista extinctio actum retrosimilem constitutioni; etenim ad constituendos dictos census adfuit consensus & pecuniarum solutio pro eis comparandis; ita & in eorum dissolutione debebat concurrere consensus & pecuniarum restitutio; quorum neutrum in hoc casu

pro-

probatur; nam quantum ad consensum nõ probatur, cum nunquam actum fuerit in iudicio de extinguendis censibus, quòd apparet ex eo, quòd nullus ex censuarijs vti cessionarius vnquam in illo iudicio citatus fuit, neque super hoc vlla vnquam mota fuit lis aut controuersia, sed iudicium inter Dominos à Porta & Barginum atque Gislerium erat tantummodo super retractu domus; ideo acta in illo iudicio, & ad illum effectum nõ possunt deseruire ad interpellandos censuarios pro extinctione censuum facienda,

2 † cum actus vltra agentiũ intentionem non operetur, *l. cum omnis. si cert. petat.* & cum iuxta dispositionem Bullæ fel. rec. Gregorij XIII. restituendum esset pretium prioribus emptoribus, depositum illud ad eum effectum tãtum deseruiebat, non autem ad interpellandos censuarios neque citatos, neque monitos iuxta formam Bullæ Pij Quinti de censib. Quantum verò attinet ad solutionem, ea erat destinata ad effectum consequendi domus adiudicationem, quod ex actis satis verificatur, & ex sententia Illustrissimi Camerarij, in qua pretium adiudicatur Bargino, & eius creditoribus data cautione de euictione

3 domus; at † censuarij non erant creditores, nisi ipso Bargino volente, cum non possent eum inuitum cogere ad censuum redemptionem. Neque obstat, quòd ex conuentionibus & conditionibus in instrumento venditionis factæ Philippo teneretur Barginus extinguere census, quia hoc non erat onus Philippi emptoris, sed Ioannis Bargini, nam ad eius requisitionem tenebatur Philippus soluere ipsi, vel eius censuarijs pretium ad eos ratione cẽsuum debitum, vt clarè cantant verba cedulæ venditionis & instrumenti desuper confecti; & ideo Bargino nõ procurante extinctionem, nihil imputari potest censuarijs, qui ad extinctionem agere non poterant: Accedit quòd etiam si voluissent Domini Philippus & Hieronymus, non poterant exigere pe-

4 cunias; † licèt enim cedula depositi videatur libera, tamen in consignatione ea pluries post consignationem Domini à Porta protestati sunt non consignari, nisi præstitis prius idoneis cautionibus de euictione, quod quidem onus solum respiciebat Barginum non autem censuarios, neque per eos hæc conditio erat implenda, sed à tertio nempe Bargino; & ideo non potest dicĩ conditio intrinseca; nisi respectu Bargini non autem respectu censuariorum, *Bald. in l. acceptam. num. 14. C. de vsur.* & hinc etiã sequitur nõ fuisse liberam cedulæ consignationem, neque ex ea releuari Dominos à Porta aduersus cẽsuarios. Nõ obstat, quòd Dominus Philippus fuerit citatus, quia nõ vti censuarius, sed vti principalis in causa retractus citatus fuit; nam respectu census nulla lis pendebat, & ideo inanis est oppositio contra cessionem per eum factam in fauorẽ Domini Hieronymi de præfato censu tanquam rei litigiosæ, nulla enim vnquã mota fuit controuersia super dictis censibus, quæ redderet eos litigiosos. Non obstant deducta *ex l. acceptam. C. de vsur. cũ ibi notat. per Bald. Salicet. Angel. & alios, quos refert Tiraquell. de retract. lign. §. 9. glos. 3. num. 3.* quia non applicantur, possũt enim procedere respectu Bargini & Philippi contendentium domus retractum nõ competere Dominis à Porta, non autem censuarijs nunquam interpellatis, neque ad hunc effectum citatis, quod ex eo redditur indubitatum, quòd etiam hodie prætẽditur pro parte eorundem à Porta, censum illorum de Sanis non fuisse legitimè cessum Domino Hieronymo, ergo non fuit intentionis ipsorum ipsum, ius non habentem, si vera est eorum prætensio, interpellare, vt sibi satisfaceret: Verum neque inseruire potest hæc oppositio ad effectum euitandæ solutionis in hoc iudicio, cum ex fide producta constet de ratificatione dictæ cessionis per alterum ex hæredibus Leonardi de Sanis, & etiam quòd detur alia fides libelli alterius hęredis ius suum prosequentis cõtra hæredes Constantiæ, quæ cessit ad fauorem Domini Hieronymi, & in omnem euentum satis est, quòd Dominus Carolus teneat de indemnitate ad fauorem Dominorum à Porta. Vltimo non obstat, quòd nõ amplius esset facienda intimatio Philippo & Hieronymo, postquam ipsi lite pendente redimerant dictos census, quia etiam tunc temporis sustinebant duas personas nempe emptorum domus, & censuariorum; & ideo lis super retractu non constituebat eos in mora recipiendi pecunias pro redẽptione censuum, ad quos requirebatur requisitio ipsius Bargini iuxta formam instrumenti, vel saltem ipsorum Dominorum à Porta singularium successorum, quod cum non solum factum non sit, immo acriter per eos instatum, ne consignarentur pecuniæ neque Bargino, neque Dominæ Liuiæ de Naris, nihil omnino deducitur, quod releuet, ad effectum vt per huiusmodi depositum Dominus Hieronymus fuerit constitutus in mora non recipiendi pretium census. Quæ verò deducuntur de damnis & interesse ratione litis iniustæ defensæ per dictos Dominos Philippum & Hieronymum, nihil commune habent cum præsenti disputatione.

Romana Expensarum litis.
Die Lunæ 16. Octobris 1589.

SVMMARIVM.

1 *Pro debito facto super re, quæ postea fuit in dotem data à muliere secundo viro, potest exequutio fieri, etiam quòd fuerit*

rit in dotem datam ante litem motam.
Idem est etiam pro expensis litis, licèt postea factis, quæ sunt accessoria & dedendentes à lite super negotio principali, & num. 4.

2 *Bona dicuntur deducto ære alieno.*
3 *Bona à muliere data in dotem secundo viro in eũ transeunt cũ sua causa & onere.*
5 *De expensis litis, quantum ad condemnationem & exequutionem, idem censendum est, quod de sorte principali.*
6 *Qui fideiussit de soluenda sorte principali, tenetur etiam ad expensas.*
7 *Qui in negotio principali non venit citandus, minus in condemnatione expensarum citari debet; secus è contra.*
8 *Connexorum & dependentium idem est iudicium.*
9 *Vbi finis habet necessariam dependentiam à principio, de eo idem iudicatur, quod de principio.*
10 *Maritus patiendo vxorem litem cum alio sustinere super re sibi in dotem data; quemadmodum sibi præiudicat in sorte principali super ipsa re, ita in expensis sibi præiudicasse dicitur; si verò simpliciter tantum hoc passus sit, sed non præstiterit auxilium, posset forte dubitari, an pro ipsis expensis super dicta re sibi in dotem data teneatur.*
11 *Pro expensis factis in cura mariti infirmi, bona ipsius mariti, post eius mortem remanent obligata, etiam quòd mulier ea in dotem dederit secundo viro, & etiam quòd creditor huiusmodi expensarum fuerit præsens constitutioni dotis secundo viro factæ, & huiusmodi secundum matrimonium procurauerit, tacendo suum creditum.*

DECISIO DCCCXCI.

PRoposui iterum dubium propositum 26. Iunij proximè præteriti, An pro expensis factis in lite per Ioannem Baptistam contra Lauram hæredem Petri debitoris possit fieri exequutio super domo hæreditaria ab eadem Laura in dotem data æstimata Iacobo secundo viro ante litem
1 motam; Et Domini fuerunt † concordes exequutionem fieri posse contra domum & Iacobum eius possessorem ex pluribus; & primo cum debitum principale contractum fuerit cum primo viro domus domino, & sic ante constitutionem dotis factam secũdo viro, & super isto suo credito Ioannes Baptista obtinuerit rem iudicatam, clarum est posse fieri exequutionẽ pro debito prin-
2 cipali super domo, cum † bona dicantur deducto ære alieno, *l. mulier bona. de iur.*
3 *dot.* † & transeunt cum sua causa & onere in secundum virum, *vt concludit Guid. pap. decis. 447. Capie. decis. 178.* Vnde sequitur,
4 † posse etiam pro expensis licèt postea factis fieri exequutionem; cum sint accessoriæ & depẽdentes à lite super negotio prin-
5 cipali; & † de illis quantum ad condemnationem & exequutionem idem censendum,
6 quod de sorte principali, vt in † simili dicitur de eo, qui fideiussit de soluenda sorte, quòd tenetur etiam ad expensas, *vt per Hippol. rubr. de fideiuss. num. 214. & seq. Hippol. Rimin. consil. 305. num. 35. lib. 3.*
7 & hinc est, quòd † qui non est citandus in negotio principali, minus citandus est in condemnatione expensarum, *Bald. in consil. 46. lib. 3. Aym. 292. num. 8.* nam con-
8 nexorum † & dependentium idem est iudicium, *l. proinde si seruum. ad leg. Aquil.*
9 & † vbi finis habet necessariam dependentiam à principio, tunc de eo idem iudicamus, quod de principio, *l. 3. §. Seio. vbi Bart. de minorib. Aleiat. præsumpt. 32. n. 2.*
10 *reg. 2.* Secundo † cum maritus passus sit vxorem litem hanc sustinere, & ei auxiliũ præstiterit, sciens exequutionem fieri posse in bonis sibi in dotem datis, quemadmodum sibi præiudicauit respectu sortis principalis, *vt tradunt Bart. Alexand. Ias. & communiter cæteri in l. de die. §. qui mulierem. qui satisdar. cog.* ita etiam præiudicauit sibi in expensis, cum videantur eo sciẽte & consentiente factæ, quod licèt fortè posset pati difficultatem, si essemus in simplici scientia & patientia, *ex his, quæ tradit Bertrand. in consil. 129. num. 4. lib. 6.* Tamen in casu isto procedit de plano, in quo Iacobus sese liti obtulit; Ideoq. potest exequutio contra eum fieri, præsertim in re dotali, *vt probatur per tex. in l. si se non obtulit. & ibi Alexand. num. 4. de re iudic. & in istis terminis idem sensit Bertrand. in d. consil. 129. num. 5. vers. est tamen aduertendum.* Quod autem liti sese obtulerit, clarè conuincitur ex comparitionibus tam coram Reuerendissimo Gubernatore, quam coram Prothomedico, nec non fide depositi per eum facti, & fide Rugerij Sabutij, & appellatione per ipsum pro suo interesse interposita. Neque obstat, quod
11 dicitur † Ioannem Baptistam procurasse secundum matrimonium, & fuisse præsentem in constitutione dotis; & ideo sibi præiudicasse tacendo, quia hoc non est verum, vbi fit contractus de re diuersa ab ea, quæ debetur, *vt colligitur ex notat. per Bald in l. si sine voluntate. maximè num. 5. C. ad Velleian.* nam Ioanni Baptistæ debebatur salarium curæ per ipsum Petro præstitæ in sua infirmitate, quæ est res diuersa à bonis in dotem à Laura datis ipsi Iacobo. Quare conclusum fuit harum expensarum exequutionem fieri posse in bonis dotalibus Lauræ.

Romana Discussionis.

Die Veneris 27. Octobris 1589.

SVMMARIVM.

1 *Clausula illa, & non super alijs, omnino negat facultatẽ alijs, cum sit limitatiua.*

2 *Quod continetur in rescripto procedens ex gratia, est strictè intelligendum, vbi agitur de praeiudicio tertij, & vbi verba sunt clara, nõ recipiunt tergiuersationẽ.*

3 *Eius solum est interpretari, cuius est gratiam facere.*

4 *Generalis decisio non est adaptanda casui particulari, in quo adest diuersitas rationis.*

DECISIO DCCCXCII.

REuer. P. D. Gemmarius creditor Cellesij ratione fideiussionum pro eo factarum impetrauit vnà cum quibusdam alijs eiusdem Cellesij creditoribus rescriptum à fel. record. Gregorio XIII. in quo narrabatur Cellesium contraxisse diuersa debita cum diuersis personis notabilẽ summam pecuniarum constituentia, quae in societatem officiorum & alijs modis sub accessione Domini Gemmarij & aliorũ Oratorum susceperat, & de eis bonam fidem erga eos recognouerat, & quia idem Cellesius obtinebat in eius personam officium notariatus Reuer. Camerae Apostolicae, Notariatum Curiae causarum Camerae Apostolicae, Notariatum Rotae, Notariatum Archiuij, & alia officia, super quibus in maiori parte contraxerat debita praedicta, quae duas tertias partes pretij dictorũ officiorum excedunt; ideo ad consulendum indemnitati dictorum Oratorum supplicabant committi & mandari Reuerẽdiss. Domino Auditori Camerae siue eius in ciuilibus Locumtenenti, vt officia praedicta ad instantiam ipsorum Oratorum pro eorum releuationis indemnitatis liberatione, ac creditis respectiuè subhastari, deliberari, vendi, distrahi, & alienari, pro reperibili, rationabili tamen pretio, & dictum pretium inde redigendum penes aliquem mercatorem fide & facultatibus idoneum deponi, & deinde ipsis creditoribus respectiuè satisfieri pro rata cuiusque ipsorum crediti; Hanc autem petitionem admisit Summus Pontifex cum limitatione tamen per Signaturam apposita sub his verbis recepta prius ab Oratoribus idonea cautione de restituendo pecunias occasione praemissorum ipsis assignatas, creditoribusq. qui super aliquo ex dictis officijs societates cõtraxisse compertum fuerit; ita tamen, vt vnicuique satisfiat de eo pretio officij, super quo societas erit inita, & non super alijs: Cum autem in iudicio discussionis per Auditorem Camerae processum fuisset ad instantiam aliorum creditorum, qui nõ erant de illis, qui rescriptum impetrauerant, & illis fuissent de ipsius mandato consignatae aliquae ex istis pecunijs pretij officiorum facta per eos obligatione in forma de restituendo prioribus & potioribus; Dominus Gemmarius & litis consortes impetrauerunt aliud rescriptum à Sanctissimo Domino Nostro, in quo mandatur Domino Robusterlo Rotae Auditori, vt pecunias cõtra formam prioris rescripti alijs, quàm comprehensis in eo solutas restitui faciat, recepta de nouo cautione per dictos Oratores, & aliàs prout in dicto rescripto. Quibus sic stantibus R. P. D. Gemmarius, & alij coram me instituerunt pro restitutione obtinenda dictarum pecuniarum alijs creditoribus solutarum contra formam rescripti, vt praetendebatur, & inter alia mandata contra diuersas personas decreta, fuit etiam per me decretum mandatum contra Collegium Dominorum Scriptorum Archiuij, quibus fuerant solutae nonnullae pecuniae ex pretio & pro venditione Notariatus Archiuij, docto per eos se esse creditores Cellesij ratione scripturarum dicti officij, & confectionis manualium, quae ipse conficere promiserat, in appaltu per eum facto de dictis officijs Archiuij; Et quãtum ad alias personas ego processi ad vlteriorem executionem, sed comparentibus Dominis Archiuistis, & ius eorum deducentibus cõsului Rotam super repetitione istarum pecuniarum, & partibus hinc inde informantibus Rota censuit non esse locum restitutioni istarum pecuniarum ex duabus potissimum rationibus, quarum prior fundatur in verbis rescripti seu limitationis per Signaturam appositae, in qua habetur, vt vnicuique satisfiat de eo pretio officij, super quo societas erit inita, & non super alijs, ex quibus verbis liquidò apparet Papam voluisse satisfieri ex pecunijs officiorum nisi illos, qui occasione societatum super illis contractarum erant creditores; cum autem Dominus Gemmarius nullam ostenderet societatem super dicto officio contractam, in qua ipse esset obligatus, iniquum esse, vt ei restituerentur dictae pecuniae per Archiuistas habitae, cum ex forma rescripti ex eis non posset satisfieri, quamuis ex

1 alia causa creditorem se esse doceret; † particula enim illa, & non super alijs, omnino negat facultatem satisfaciendi cuique de suo credito ex pecunijs aliorũ officiorum, super quibus non contraxerunt; haec enim est vis illius limitationis, *vt per Crescent. decis. 16. lib. 2. Pute. 314. lib. 1.* Confir-

2 matur, quia † cum id totum, quod priori rescripto continebatur, procedat ex gratia concessa Oratoribus, ea est strictè intelligenda, vbi de praeiudicio tertij agitur, *Card. in consil. 86. col. fin. Dec. consil. 361. vers.*

vers. secundo respondetur, *Aym. consil. 3. num.* 4. maximè vbi verba sunt ita clara, vt nullam recipiant tergiuersationem: Posterior ratio euidẽs & manifestissima est; quòd Summus Pontifex, qui prius illud rescriptũ concessit interpretatus est suam concessionem per duo memorialia manu propria signata; Alterum per hæc verba, Ita mandamus V. Alterum verò hoc modo Gregorius Papa XIII. in quibus mandat ex dictis pecunijs satisfieri Collegio non obstante præfato rescripto, & quibusuis commissioni-
3 bus per D. Gemmarium impetratis: † eius autem est interpretari, cuius est gratiam facere; & ideo visa est hæc res Dominis omni prorsus carere difficultate. Neque obstat, quòd in decisionibus factis coram Reuerendiss. Domino Oriolen. * fuerit resolutum in genere pecunias omnes contra formam rescripti solutas esse restituendas, & quòd in informationibus iuris datis pro parte Domini Gẽmarij facta fuisset mentio crediti Archiuistarum; quia tunc non fuit actum in specie de iure singulorum creditorum, sed in genere habita tamen ratione
4 ad formam rescripti; & ideo † generalitas decisionis non est adaptanda casui particulari, in quo adest diuersitas rationis; neque verum est per memorialia tolli ius quæsitum per rescriptum, stante quòd rescriptum erat ita limitatum, vt sub eo conueniret pretiũ Archiuij, nisi cum suis qualitatibus; idest quatenus super eo fuissent contractæ societates, pro quibus Reueren. Dominus Gemmarius, & consortes essent obligati, quod cum ex facti discussione appareat non verificari, nihil obest prædicta decisio Dominis Archiuistis. Quod verò dicitur de subhastatione officij perperam facta non pertinet ad hanc disputationem, quamuis etiam dici possit nullitatem hanc sublatam esse per consensum Papæ in memorialibus præstitum. Et ita conclusum.

*In hac eadẽ causa coram R.P.D. Robuster sub die 21. Decemb. 1585.

Toletana Matrimonij.
Die Veneris 27. Octobris 1589.

SVMMARIVM.

1 *Copula per assertionem viri iuratam probata reddit matrimonium validum & perfectum & indissolubile iuxta dispositionem cap. continebatur. de desponsat. impub. sed hoc intelligitur procedere, quando nullum in contractu matrimonij adest vitium, nec impedimentum; alias secus, vt num.* 8.

Item non procedit, quando fœmina præsumitur magis informata, & melius noscere veritatem quàm vir; tunc ei magis creditur quàm viro iuranti, vt nu. 14.

Item non procedit, quando præter interesse vinculi matrimonialis agitur de alio interesse temporali; nam tunc viro iuranti non statur, vt num. 15.

2 *Testes deponentes de præparatorijs ad copulam, vt de osculis, & amplexibus, eam præsumptiuè probant, in casu autem isto non probant, quia proficiscuntur à viro magis quàm a muliere; & tales actus ex parte mulieris non sunt voluntarij, vt num.* 16.

3 *Vir cum muliere sæpe in cubiculo se includens cæteris exclusis, & ibi per horas permanens facit, quòd præsumatur probata copula, quod declaratur, vt num.* 19.

4 *Vir visus extrà cubiculo sudore manans, & camisiam sanguine maculatam habere, facit, quòd præsumatur copula probata, & ibid. num.* 24.

5 *Testes deponentes de actu Venereo de visu probant copulam; secus est, si testis sit singularis, vel deponat inuerisimilia, vt num.* 26.

6 *Confessio mulieris, de qua deponitur per testem de auditu ab ea; quòd fuerit cognita, probat copulam; secus est, si testis sit solus, vt num.* 28.

7 *Copula de sui natura est difficilis probationis, & ad eam probandam admittuntur leuiores probationes; immo dicitur impossibilis probationis, quando agitur de vera copulæ probatione, & tunc præsumptio sufficit.*

9 *Fauore legis non est dignus, qui contra legem committit.*

10 *Vbi in contractu matrimonij adest impedimentum iuris diuini, non statur iuramento viri.*

11 *Impedimentum iuris naturalis in contrahendo matrimonio æquiparatur impedimento iuris diuini.*

12 *Vbi adest præsumptio in contrarium, non defertur iuramentum, neque ei statur.*

13 *Vbi in contractu matrimonij defertur iuramentum viro super copula, requiritur, quòd mulier sit proxima pubertati; aliàs non defertur, nec ei statur.*

17 *Ad probandam copulam per testes, requiritur quòd deponant se vidisse solum cum sola, & nudum cum nuda, vel saltem quòd essent soli inclusi in cubiculo, & auditi commisceri, iunctis alijs adminiculis.*

18 *Ad probandam copulam requiruntur signa propinqua non autem remota.*

20 *Testis singularis & deponens rem valde inuerisimilem non probat.*

21 *Testis de auditu, & nullum habens contestem, non probat copulam.*

22 *Indefinita nõ æquipollet vniuersali in teste.*

23 *Adminicula circa copulam debent concludenter probari, non autem per testes singulares, & non omnino integros.*

25 *Testes singulares & domestici, vel pecunia corrupti non probant copulam, licèt deponant de actu, qui videatur*

co-

copulæ proximus.

26 *Testis singularis deponens quòd mulier in domo aliena foribus apertis passa fuerit se cognosci, quod vix de publica meretrice credendum est, dicitur deponere rem inuerisimilem, & nullam meretur fidem, & præsumitur falsus.*

27 *Publica vox & fama, quòd aliquis habeat rem cum muliere, non attenditur si non habeat ortum à signis concludentibus & immediatis.*

29 *Benedictio, quæ adhibetur in matrimonio, est potius de consilio, quàm de præcepto, nec est peccatum eam omittere, modo id non fiat ex contemptu.*

30 *Per copulam censetur purgatus metus, nisi mulier probet, quòd per vim fuerit cognita; hoc tamen procedit in ea copula, de qua constat, & super qua nulla est controuersia, sed est certa, quia super ea fundatur præsumptio consensus.*

31 *Legis præsumptio cadit super facto certo, & non super incerto.*

32 *Matrimonio fauendum non est, quando constat metu contractum esse.*

33 *Nuptiæ coactæ malos exitus habere solent.*

DECISIO DCCCXCIII.

DVbitatum fuit, an in casu, de quo agitur, constet de copula, quæ releuet; occasionem huic disputationi præbuit prætensio Illustrissimi Domini Ducis volentis hac via excludere impedimentum metus pro parte Illustriss. Dominæ Ludouicæ allegati & probati, prout in resolutionibus coram me factis, * latissimè deductum fuit: Etenim deducebatur metum illatum fuisse ad effectum tantum inducendi Ludouicam ad contrahendum matrimonium, non autem ad effectum, vt consentiret in copulã, cum expressè in conuentionibus matrimonialibus cautum fuisset, vt D. Dux, & Domina Ludouica debeant matrimonio iungi, ac recipere benedictionem Sanctæ matris Ecclesiæ intra quatuor annos computandos à die sponsalium, cum hoc quòd si Dominæ Principissæ matri Ducis, & Domino Duci ac D. Ludouicæ videbitur, possint etiã ante hoc tempus nuptias perficere, saluis in cæteris capitulationibus, itaut nihil alteretur de contentis in eis: Quare hinc inferebatur consensum in copulam pendente adhuc quadriennio purgare omnem metum antea illatum, 1 † itaut hac vna re efficiatur matrimonium validũ & perfectum & indissolubile; Ad probationem verò prædictæ copulæ varia probationũ genera deducuntur; Et primo deducitur assertio iurata Domini Ducis affirmantis se Ludouicam cognouisse iuxta dispositionem *text. in cap. continebatur. de despons. impub. & quæ ibi tradunt* 2 *Doctores*. Secundo † testes deponentes de præparatorijs ad copulam, nempe de osculis & amplexibus mutuis. Tertio, quòd 3 † Dux & Ludouica sæpius in cubiculo sese includebant, & cæteris exclusis ibi permanebant per duas horas & vltra. Quarto, 4 quòd † visus fuit à famulis Dux exiens è cubiculo multo sudore manans, & eius indusium, siue vt vulgariter dicitur, camisiam sanguine maculatam. Quinto deducuntur 5 † duo testes positi sub quarta conclusione deponentes de actu Venereo de visu nempe Balthasar Maldonado, & Franciscus Zammudius, quod etiam narratur accidisse in viridario, prout in quinta conclusione in summario Domini Ducis. Sexto deduci- 6 tur † confessio quædam Ludouicæ, de qua deponit frater Frãciscus de Mendozza eadem conclusione quarta: Quibus probationibus attentis dicebatur pro parte Ducis concludenter probatam copulam, quæ 7 † de sui natura est difficilis probationis, ideoq. admittit leuiores probationes, *vt per Abb. & Felin. in cap. præterea. de testib. & in cap. litteris. in princ. de præsumption.* Immo dicitur esse impossibilis probationis, si de veræ copulæ probatione agatur, *vt per Lap. allegat. 53. num. 2. & ibi Addit.* quare lex cõtenta est probatione præsumptiua, *d. c. litteris. de præsumpt. cum alijs allegatis per Roman. cons. 91. num. 6. & ibi bona Additio sub littera B.* His tamen non obstantibus maior pars Dominorum censuit non probari copulam, quæ releuet in casu, de quo agitur: Supponendum est enim iam plenè constare per probationes Ludouicæ coadiuuatas ex testibus examinatis Domini Ducis de vi ac metu illato Ludouicæ ab ipso principio tractatus matrimonialis vsque ad secunda sponsalia inclusiuè, *vt probatur ex decisionibus coram me factis sub die 13. Maij 1588. & 3. Martij & 12. Maij* 1589. absque eo quòd vnquam mutauerit voluntatem, *vt fuit dictum sub die 12. Nouembris 1588. & die 23. Ianuarij 1589.* Neque vnquam fuisse purgatum huiusmodi metum, cum semper durauerit eadem causa metus, neque vnquam fuerit constituta Ludouica in plena libertate, *vt fuit resolutum 17. Martij 1589. & confirmatum 29. Maij*, neque releuare cohabitationem, cum fuerit per vim & metum, non autem de voluntate Ludouicæ, *vt fuit dictum sub die 23. Iunij 1589.* Adest etiam continuata reclamatio ipsius Ludouicæ, quæ non solũ probata est per testes, sed etiam per suas protestationes, & consilia per ipsam habita à Doctoribus Theologis super huiusmodi reclamatione, & recursu habito tandem ad Regem Catholicum pro obtinenda licẽtia prosequendi ius suum iudicialiter super inualiditate matrimonij, de quo deponunt Comes de Fuensalida, Licentiatus Turita, & li-

* & in specie sub die 23. Ianuarij, & die 3. & 17. Martij prox. præteriti.

& Licentiatus Luxan in Summario Ludoui-
cæ num. 1. & 2. Ex quibus omnibus con-
ſtat nunquam conſenſiſſe Ludouicam huic
matrimonio; vnde ſatis inuerisimilis viſa
eſt probatio prætenſæ copulæ, ex qua elice-
re volunt informantes pro Domino Duce
conſenſum Ludouicæ, cum de eius diſſenſu
ex probationibus concludentiſſimis, quæ
capiūt omne tēpus tam ante quā poſt ſpon-
ſalia, vſque in præſentem diem manifeſtè
conſtet; Quare dicendum eſt, copulam, ſi
aliqua adeſſet, non fuiſſe ſpontaneam ſed
coactam: Deueniendo ergo ad probatio-
nes; Primo non obſtat aſſertio iurata Do-
mini Ducis, cui licèt videatur aſſiſtere di-
ſpoſitio *d. cap. continebatur. de deſponſ. im-
pub. cum notat. ibi per Doctor. & per Alex.
de Neuo. in conſ. 8. num. 5. & conſ. 71. nu.
15. cum alijs multis, qui congeri poſſent*;
Tamen multis modis limitatur hęc conclu-
8 ſio; & primo † non procedere niſi in caſu
dicti capituli, quando nullum adeſt in con-
tractu matrimonij vitium neque impedi-
mentum, ſi enim adeſſet impedimentum,
prout in caſu iſto ratione metus & diſſen-
9 ſus, aliud omninu dicendum eſſet; † neque
enim fauore legis dignus eſt, qui contra le-
gem committit, & bene facit, quod tradit
Præpoſit. in d. c. continebatur. num. 6. verſ.
10 *& ideo fortè*, quòd † ſi adeſſet impedimen-
tum iuris diuini non ſtaretur iuramento vi-
ri, hic verò adeſt impedimentum iuris na-
11 turalis, nempe diſſenſus, quod † æquipara-
tur iuri diuino *diſtinct. 1. in princ. & in
cap. ius naturale.* & ideo hoc caſu non cre-
ditur viro, quia probato malo initio, nem-
pe matrimonio per metum contracto, præ-
ſumptio vrgentiſſima militat contra eum,
ex cuius parte fuit illatus metus, quo caſu
12 † vbi adeſt præſumptio in contrarium, non
defertur iuramentum, neque ei ſtatur, *pro-
ut in ſimili dicunt Doctor. in d. cap. conti-
nebatur. & maximè Butr. ibi num. 10. ver-
ſic. quandoque mulier. & Abb. num. 7.* qui
13 † requirunt, quòd puella ſit ita proxima
pubertati, vt potuerit cognoſci, aliàs non
eſſe deferendum iuramentum, neque ei eſſe
14 ſtandum. Secundo † limitatur diſpoſitio *di-
cti capituli continebatur*, vt non procedat,
quando fœmina præſumitur magis infor-
mata, & melius noſcere veritatem, quàm
ipſe vir, tunc enim ei magis creditur quàm
viro, ſi cum iuramento neget interceſſiſſe
copulam, *ita Palatios Ruuios in repetit. c.
per veſtras. §. 43. num. 7. de donation. poſt
Roman. & Curt. quos allegat*, quæ limita-
tio, ſi cuiq. caſui applicari poteſt, videtur
conuenire huic, de quo agitur, in quo Lu-
douica interrogata medio iuramēto nega-
uit clarè & expreſsè copulam; Dux verò in
ſua aſſertione titubare videtur, cum dicat,
(que no ſe acordaua, por no hauer hecho
caſo d'ello, d'hauer echado ſemiente, aun-
que ſoſpecha, y tiene por cierto, que ſi, den-
tro del vaſo, Anſi por hauer hecho todas
las diligencias, que pudo, para acerlo, co-
mo porque in la miſma edad, en ſuennos ſe
acorda hauerlo hecho). Ex quibus verbis
apparet eum magis niti ſuſpicione quadam
& coniecturis, quàm rei veritate; maximè
cum multæ inuerisimilitudines concurrant
in hac aſſertione; nam ſatis eſt inuerisimi-
le, quòd ſi ſemel cognouit Ludouicam, ſæ-
pius ac ſæpius non acceſſerit ad eam in tan-
to temporis ſpatio, quo ad eam & eius cu-
biculum patuit ei acceſſus, & rurſus ſi plu-
ries repetita fuiſſet copula, magis etiam
fit inuerisimile, quòd ipſe dubitare poſſet,
an verè eam cum ſeminis emiſſione cogno-
15 uiſſet. † Tertio limitatur *diſpoſitio dicti
capituli continebatur*, vt non procedat, quo-
ties præter intereſſe vinculi matrimonialis
ageretur de aliquo alio magno intereſſe tē-
porali viri, quia tunc quemadmodum non
ſtatur teſtimonio matris aut conſanguineo-
rum viri, ita non eſſet ipſi viro credendum,
cum ipſe cauſa ſit, cur cōſanguineis nō cre-
datur; Idem enim iuris eſt in cauſa, immo
& potentius, quàm in cauſato, *vt tradit Ca-
ſtren. in l. maritus. num. 4. C. de procurat.*
Intereſſe verò Domini Ducis eſt manifeſtiſ-
ſimum ratione ingentium diuitiarum Lu-
douicæ, quæ aſcendere dicuntur ad ſummā
triginta millium ducatorum annui reddi-
16 tus. Secundo † principaliter non obſtat
probatio, quæ deducitur ex oſculis & am-
plexibus, & alijs actibus, de quibus depo-
nunt teſtes Domini Ducis; quia ſi bene exa-
minentur, apparebit, hæc omnia magis à
Duce quàm à Ludouica profecta fuiſſe, quæ
cum eſſet in poteſtate Principiſſæ & viri, nō
poterat liberè ad his actibus ſeſe eximere;
maximè cum ei magna vtendum eſſet diſſi-
mulatione propter metum ei incuſſum, &
hac de cauſa eam paſſa oſcula, & amplexus
mariti, deponunt Hieronyma del Caſtello,
Maria de Eſpejo, Catharina de Arenas, &
Ludouica de Buſto, & Mentia de Cardenas,
num. 7. *Alciat. conſ. 5. num. 14. Ruin. con-
ſil. 122. num. 4. lib. 4.* immo quod magis
vrget, teſtes Ducis nempe Franciſcus Oſo-
rius num. 3. teſtatur Ludouicam acriter re-
ſpondiſſe Duci volenti eam tangere, Anna
della Cruz ibidem, quòd Ludouica repelle-
bat Ducem volentem eam tangere, Beatrix
de Frias ibidem, quòd Ludouica nolebat
Ducem ingredi ſuum cubiculum, idem An-
na de Couaruuias, & Maria de Salazar om-
nes teſtes Ducis, & Maria de Buſto in Sum-
mario Ludouicæ numer. 8. deponit, quòd
cum ſemel ſediſſet Dux propè Ludouicam,
ea ſubito eum expulit, quod cum reſciuiſ-
ſet Principiſſa, miſit ad eam Donnam Ber-
nardinam, qui eius nomine illam obiurga-
ret,

ret, eo quòd nimis asperè tractaret Ducē: Ex quibus apparet non esse valde vrgentē præsumptionem, istam, quæ ex huiusmodi actibus deducitur, cum non fuerint voluntarij, prout esse debent ad inducendam copulæ præsumptionem, & quòd fiant in locis secretis, & aptis ad reliqua perficiendum, *vt per Lap. d. allegat. 53. num. 3.* quod tamen hic non adest, cum in tanta testium multitudine nullus adsit, qui ausus sit deponere se vidisse Ducem cum Ludouica so-
17 lum cum sola, & nudum cum nuda, † quod requiri videtur ad probandam copulam, *vt per Bald. in cap. præterea. num. 6. de testib. & Lap. d. num 3.* vel saltem quòd cum essent soli inclusi in cubiculo, auditi fuerint commisceri, quod tamen neque etiam sufficeret, nisi probatis alijs adminiculis, veluti amore mutuo & similibus, *vt colligitur. ex notat. in d. cap. præterea. & ibi Abb. in fin. & Ruin. consil. 53. numer.* 10. *lib.* 5.
18 † requiruntur enim signa propinqua non autem remota, *cap. litteris. de præsumption. cap. tertio loco. eodem tit. & ita apertè sentit Bart. in dicta l. quod ait lex. in princip. ad leg. Iul. de adulter.* Tertio non obstat, quòd
19 † Dux & Ludouica sæpius sese in cubiculo includebant, cæteris exclusis; quia nullus testis deponit, neque quòd ingrederentur lectum nudi, neque quòd audirent eos liberis operam dantes; & licèt Franciscus de Cauero dicat Ludouicam mandasse sibi & quibusdam alijs, vt eairent, tamen non deponit, quod clauserit ostium, & quamuis dicat, aliquando se vidisse Ludouicam in lecto nudam iacentem, tamen dicit Ducem vestitum super lecto iacuisse. Neque etiam obstat dictum Marchionis della Fauara dicentis se vidisse quadam die, quòd Dux erat nudus in lecto Ludouicæ, & ipsa Ludouica clausit ianuam, & quòd remansit cum illo, neque ipsi pulsanti voluit ape-
20 rire; quia † præterquàm quòd est solus, dicit rem valde inuerisimilem; deponit enim se hoc non solum vna vice, sed etiam pluries vidisse, & tamen inter tot testes domesticos nullus alius est, qui deponat se vnquam vidisse Ducem nudum in lecto Ludouicæ, quod tamen est impossibile, quod non vidissent, si pluries hoc contigisset, prout ipse affirmat, solus Don Petrus de Mendozza ait se audiuisse à famulis Ludouicæ, quòd Dux & Ludouica fuerunt simul in vno le-
21 cto, † sed est de auditu, & nullum habet contestem, nec multum curandum de alijs testibus dicentibus, quòd ipsi se includebant in cubiculo, & quòd mandabant alios exire, quia cum non deponant in specie, quòd hæc fierent per ipsam Ludouicam, hæc loquutio pluralis non est valde concludens ad probandum, hoc ipsa volente,
22 & mandante factum fuisse, cum † indefinita non æquipolleat vniuersali in teste, *Felin. in cap. auditis. num. 24. de præscription. Dec consil.* 100. *num.* 7. *cum similibus.* solus Franciscus de Cauero deponit Ludouicam mandasse, vt eairet, sed non
23 habet contestem, & † in hac materia ista adminicula saltem essent cōcludenter probanda, non autem per testes singulares, & non omnino integros, *vt aliàs fuit decisum in causa Ragusina Matrimonij. coram Reuerendissimo Domino Oriolen.* * Quarto non obstat, quod deducitur in tertia con- *sub die 24. Maij 1577.
24 clusione Ducis † de Camisia sanguine infecta, quia ex depositionum varietate manifestè apparet, totam hanc narrationem esse commentitiam & meram fabulam; nam Anna della Cruz, & Ferdinandus Morantes dicunt, quòd post prandium, immo verò ipsis adhuc prandentibus, Dua eaiuit è cubiculo Ludouicæ cum camisia sanguine respersa, sed Paschalis Diaz, & Principissa dicunt id contigisse de sero: Vnde cum hæc defloratio semel tantum contingere possit, necesse esse alteram ex istis depositionibus vel vtranque falsam esse; maximè cum Ioanna del Cuazo, & Maria de Ribera dicant id contigisse de nocte: Vnde excluditur, vt illud de sero possit intelligi post prandium. Præterea Principissa ait sibi existenti in Oppido de Pintò, à multis rescriptum id, quod contingit de camisia, & quòd non recordatur, an id etiam sibi scripserit Ludouica; Anna verò Ondegarda dicit, quod in Oppido de Madrid Principissa ei dixit, sibi fuisse allatam camisiam Ducis, quod tamen non dixit Principissa, vtique dictura, si eam vidisset sibi allatam, sed etiam Paschalis Diaz affirmat, quòd quando Dux se spoliauit camisia sanguinata, non dixit ei, ea qua causa erat sanguis, & tamen Ferdinandus Morantes dicit, quòd quando Dux se spoliabat dictam camisiam, demonstrabat habere lætitiam, & indicabat prædicto Ferdinando & Didaco Martinez, & eius vxori Annæ, quòd sanguis erat ex virginitate Ludouicæ, sed & inuerisimile est, quòd si camisia sanguine infecta futurum erat indicium copulæ consumatæ, & profutura erat hæc res Duci, quòd passi fuissent eam lauari per Antoniam, vt deponit Ioanna de Cuazo, sed & aliud valde inuerisimile continet hæc narratio, attenta magna sanguinis copia, de qua deponunt testes Ferdinandus & Paschalis; & addat etiam Leonora de auditu à Principissa, repertum fuisse sanguinem nedum in camisia, sed etiam in caligis Ducis. Quinto non obstant depositiones Balthassaris Maldonado, & Francisci Zammudij, qui habentur
25 in quarta conclusione Ducis, quia † præterquàm quòd ipsi sunt singulares, & do-

mestici, Balthasar fuit pecunia corruptus,
sed etiam his circunscriptis, ipse non con-
cludit ad copulam; quia licèt deponat de
actu, qui videtur proximus copulæ, tamen
dicit, quod non vidit, quod haberet caligas
dimissas, neque quòd Ludouica leuaret la-
cinias: Vnde excluditur hæc probatio, tan-
26 quam nihil concludens; ✝ Zammudius ve-
rò deponit de re adeo inuerisimili, vt nul-
lam prorsus fidem mereatur, nempe quòd
Ludouica in domo aliena nempe Comitissæ
de Pliego in cenaculo foribus apertis passa
fuerit se cognosci, quod vix de publica me-
retrice credendum esset; neque tale quic-
quam ausus est profiteri ipsemet Dux; &
ideo testi singulari inuerisimilia deponenti
non est credendum, præsumitur enim fal-
sus, *l. 3. §. ideoque. de testib. Abb. & Fe-
lin. in cap. quia verisimile. de præsumption.
Ancharan. in consil. 24. Alexan. consil. 120.
num. 10. lib. 5. Tiraquell. in præfat. l. si
vnquam. numer. 44.* Præterea idem super
18. articulo dixit se non recordari vidisse
eos solum cum sola. Neque etiam obstat
probatio, quæ affertur in quinta conclusio-
ne de copula, quam prætendunt sequutam
fuisse in viridario, cum nullus ex testibus
deponat de actibus proximis inferentibus
27 ad copulam; & ✝ licèt dicant fuisse publi-
cam vocem in domo, quòd tunc Dux ha-
buisset rem cum Ludouica, tamen hæc fa-
ma non habet ortum à signis concludenti-
bus & immediatis, cum de eis non depo-
nant; ideo non est attendenda; Neque
quòd ibi Dux amiserit quoddam ligamen
calciamenti, facit multum ad rem, de qua
agitur, sed & ista probatio est valde inue-
risimilis, cum possent commodius hæc pa-
trare in cubiculo quàm in viridario, si con-
corditer in copulam consensissent; & ideo
valde affectata visa est hæc probatio. Sex-
28 to & vltimo, ✝ non obstat confessio Ludo-
uicæ, de qua deponit frater Franciscus de
Mendozza, quia est solus, & tunc temporis
certum est, quòd ipsa procurabat licentiam
à Rege reclamandi contra hoc matrimo-
nium, adeo quòd si talis confessio est vera,
fuit potius dissimulandi causa, ne detege-
retur eius intentio: Valde autem confir-
matur hæc sententia negatiua ex habitu
corporis Ducis, qui tunc temporis licèt
attigisset annos pubertatis, tamen satis
gracilis & debilis, adeo vt hac ratione fue-
rit apposita in capitulationibus particula
illa, vt starent per quatuor annos, ante-
quam velarentur; hoc enim fuerat factum
ad consulendum ipsi non autem Ludouicæ,
quæ ætate superabat ipsum Ducem, & has
difficultates videns ipsemet Iudex, qui me-
lius scire poterat, quanta fides esset adhi-
benda testibus per ipsum examinatis, in sua
sententia non ausus est restituere Ducem

simpliciter ad omnia obsequia matrimo-
nialia, sed tantum ad conuersationem, &
commensalitatem, & confabulationes cum
alijs obsequijs exclusa copula; nec potest
dici hoc au ipso tactum ratione omissæ be-
29 nedictionis, ✝ quia benedictio est potius
de consilio quàm de præcepto; neque est pec
catum eam omittere, modo id non fiat ex
contemptu, *cap. nostratis. in fin. 30. q. 5.
tradit Nauar. in manual. cap. 22. nu. 83.
vers. trigesimoquinto.* Et maximè proce-
dit hæc sententia ad effectum, de quo agi-
tur, nempe purgandi metum, de quo cla-
30 rè constat; nam ✝ licèt per copulam cen-
seatur purgatus metus, nisi mulier probet,
quòd per vim fuit cognita, *vt post Butr.
Hostien.* [a] *& Abbat.* [a] *tradit Rum. in cons.* [a] in c. consul tationi de sponsal.
122. num. 15. lib. 4. Tamen hoc procedit
in ea copula, de qua constat, neque super
ea fit controuersia, sed est certa; nam su- [a] in c. ad id. de sponsal.
per ea fundatur præsumptio consensus, se-
31 cus vbi copula non est certa; ✝ quia legis
præsumptio cadit super facto certo, & non
super incerto, *Bald. in l. idem erit. in 2. le-
ctur. de stat. homin.* Neque obstat, quòd
metus non fuerit ordinatus ad copulam; &
ideo copula debeat censeri voluntaria; quia
hoc etiam patitur difficultatem, dato &
non concesso, quòd probaretur copula; nam
licèt de iure non posset ad eam deueniri
stante capitulatione, tamen de facto po-
tuit interuenire metus ratione circunstan-
tiarum; nam si mater & consanguinei vo-
luissent obseruare dictam capitulationem
factam ad fauorem Ducis non autem Lu-
douicæ, vtique non permisissent ipsum
perpetuò conuersari per diem & noctem cū
Ludouica, neque includi eum solum cum
sola, sed hæc licentia satis clarè ostendit il-
los contrarium magnopere affectasse, vt in
tuto matrimonij spes collocaretur; Neque
debemus in hoc matrimonio procliues esse
in eius fauorem, *iuxta cap. vlt. de re iudic.*
32 quia ✝ cum constet metu esse contractum,
non debemus ei fauere, *vt bene tradit Pur-
purat. in consil. 579. num. 16. lib. 2.* nam
33 ✝ nuptiæ coactæ malos exitus habere so-
lent, *cap. cum locum. de sponsal. cum alijs
deductis per Riminal. iun. in consil. 362.
num. 50.* Quare conclusum stante plena
probatione metus illati Ludouicæ, & dis-
sensus ipsius continuati ab initio vsque in
hunc diem insurgere validissimam præsum-
ptionem aduersus præsumptam probatio-
nem copulæ, *iuxta cons. Anchar. 209.* ma-
ximè cum dicta probatio non sit concludēs
& sit inuerisimilis admodum etiam circun-
scriptis exceptionibus personalibus testiū,
quæ sunt magnæ & vrgentes. Et ita pro
maiori parte conclusum.

Romana Census.
Die Mercurij 8. Nouembris 1589.

SVMMARIVM.

1 *Res præsumitur potius allodialis quàm feudalis; ex coniecturis tamen & præsumptionibus contrarium probari potest.*
2 *Molendinum præsumitur facilius feudale quàm alia bona.*
3 *Concesso Castro in feudum, comprehenduntur molendina, nisi probetur, quòd spectent ad particulares personas.*
4 *Molendinum præsumitur feudale, si semper tanquam tale fuerit possessum.*
5 *Super molendino feudali, quod est probibitum obligari, census imponi non potest.*

DECISIO DCCCXCIV.

FVit dubitatum, an Molendinum, de quo agitur, præsumatur feudale, vel potius allodiale; Et Domini censuerunt esse feudale, & concessum ex pacto & prouidentia; + quamuis enim regula sit in contra-
1 rium, *vt per Gabr. de feud. conclus. 3. Roland. consil. 82. lib. 2. & fuit resolutū aliàs in vna Asten. feudi coram R. P. D. meo Bubalo.** tamen ex coniecturis & præsumptionibus contrarium probari potest, *Afflict. in cap. 1. num. 287. quib. mod. feud. amitt. Roland. in d. cons. 82. nu. 37. Natt. cons. 460. num. 4.* Hic autem plures concurrunt coniecturæ; nam præter quā quòd
2 sumus in molendino, + quod facilius præ-
3 sumitur feudale quàm alia bona, + cum facta concessione Castri veniant molendina, nisi probetur, quòd spectent ad particulares personas, *vt per Bald. in cap. 1. post num. 2. & ibi Afflict. num. 11. de Capitan. qui Cur. vendid. Corn. in cons. 321. num. 8. lib. 4. Ias. in l. quo minus. num. 120. & ibi Rip. num. 130. de flumin.* & ita videatur inuestitus habere fundatam intentionem; hic multæ concurrunt coniecturæ, quæ rem ita se habere suadent: Primo, quia fuit possessum semper à Domino Castri, & per antecessores Illustrissimi Domini Iulij, vt apparet ex instrumento locationum; Secundo ex edictis publicis prohibentibus, ne vassalli accedant alibi ad molendum, quæ res etiā fuit promissa in locationibus. Tertio concurrit, quòd istud molendinū est in tenuta Palazzolæ, quæ est expressè cōtenta in inuestitura. Quarto concurrunt testes deponentes de publica voce & fama, quòd molendinum est de iurisdictione Castri, & quòd Domini possidebant illud, ex quo cō-
4 cluditur + bene probari molendinum esse feudale, cum semper tanquam tale fuerit possessum, *Bellon. in cons. 10. num. 14. Bero. cons. 65. num. 157. lib. 1. Clar. in §. feudum. quæst. 18. Natt. 506. num. 31. Gabr. de feud. conclus. 3. nu. 2.* Non obstat, quod dicitur concessionem non esse in feudum, quia ad effectum, de quo agitur, nihil releuat, qualis sit concessio, dummodo ex pacto & prouidentia spectet ad D. Iulium,
5 ita vt in eius præiudicium per suum antecessorem obligari non potuerit. Et ita conclusum.

* sub die 17. April 1584. & successiuè in hac ea'ē causa die 13. Iunij 1586. coram bo. me. Orano.

Romana Domus.
Die Lunæ 13. Nouembris 1589.

SVMMARIVM.

1 *In transactione debet æstimari dubius litis euentus.*
2 *Valor rei diminuitur propter dubium litis euentum.*
3 *Transactio dici non potest super iure non dubio, & post rem iudicatam, sed cessio iuris clari.*

DECISIO DCCCXCV.

FVit resolutum constare de læsione cum præsupposito, quod iura Dominorum de Torquatis sunt potiora iuribus Imperiæ, etenim cum præsupponatur domum esse valoris scutorum mille, læsio fit manifesta non solum vltra tertiam, sed etiam vltra dimidiam. Neque obstat, quod opponi-
1 tur, ex aduerso, quòd + in transactione
2 debet æstimari dubius euentus litis, + qui diminuit valorem rei, super qua transigitur, *vt per Couar. variar. resolut. lib. 2. cap. 3. num. 4. in fin. cum alijs per Gabr. adductis tit. de empt. & vend. conclus. 1. num. 68. Pute. decis. 231. lib. 1.* quia hic non versa-
3 mur in transactione super iure dubio, + sed in cessione iuris clari, quia Petroccius cessit iuri super domo, postquàm obtinuerit sententiam, & rem iudicatam, contra Normannos, & eo casu Querrus promittit soluere scuta ducentum; tunc enim procederet obiectum, si fuisset cessum ius dubium à principio, & Querrus suscepisset in se periculum litis, quod non fecit, quinimmo sibi prospexit, quòd in euentum, quòd Fabius succubuisset in petitorio, teneretur restituere dicta scuta ducentum, *vt fuit deductum in alia decisione,** *& facit Aym in cons. 151. num. 27. Gabr. vbi supra nu. 70.* Non obstat, quòd Querrus supposuit se periculo amissionis expensarū in quibus obligauerat se pro soluendis registris & copijs, quia de modicis istis expensis poterit haberi ratio in æstimatione læsionis, & quia sunt modici momenti, non sunt ad alium effectum habendæ in consideratione. Neq; obstat, quod circa valorem domus deducitur, quia tunc citra veri præiudiciū præsupponitur valor mille scutorum de tempore trāsactionis. Vltimo non obstat, quòd sententia lata in Rota fuerit super possessorio tantum; quia fuerunt etiam discussa iura in petitorio, vt ex testibus & resolutionibus constat: Verum si probaretur iura

* sub die 12. Martii prox. præteriti.

Imaeriæ fuiſſe potiora, tunc ceſſarent ſupra ſcta; Et ideo ordinatum fuit, vt ſuper hoc particulariter dubitetur.

Romana Ædium Sancti Thomæ.
Die Lunæ 20. Nouembris 1589.

SVMMARIVM.

1 *Ex continuata ſerie locationum cum effectuatione ceſſionis ſatis ſuperq. probatur poſſeſſio.*

2 *Instrumenta locationum non probant poſſeſſionem, niſi alia adminicula concurrat.*

3 *Finita locatione per obitum conductoris cõpetit domino directo conditio poſſeſſoria ad recuperandam poſſeſſionem.*

4 *Clauſula prout de iure in motu proprio limitat totum reſcriptum.*

5 *Negans reſtituere poſſeſſionem dicitur ſpoliare.*

6 *In materia ſpolij nunquam dicitur conſtare de non iure, niſi per confeſſionem, vel per rem iudicatam.*

DECISIO DCCCXCVI.

Fuit reſolutum Capitulum Sancti Petri
eſſe reſtituendum ad poſſeſſionem Ec-
cleſiæ & habitationis, de quibus agitur;
nam quantum attinet ad probationem pri-
mi extremi, negari non poteſt, illud con-
cludenter probari ex inſtrumẽto anni 1538.
iuncta nominatione facta per fratrem Lu-
douicum ad perſonam Timothei Fabri, quã
nominationem Capitulum acceptauit, &
eiuſdem Timothei ceſſione in fauorem Pe-
tri Vertez de conſenſu Capituli, qui reco-
gnouit dictum Capitulum in dominum, &
habuit claues ab eo, & poſſedit ab anno
1562. vſque ad annum 1571. Quo tempo-
re fratres Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis
obtinuerunt motum proprium à fel. recor.
Pio V. cuius vigore litigarunt & obtinue-
1 runt contra dictum Petrum, † ex qua ſerie
continuata locationum cum effectuatione
vltimæ ceſſionis, ſatis ſuperque probatur
poſſeſſio Capituli, *ad conſil. Oldrad.* 229.
num. 2. *quod conſilium pluries à Rota fuit
approbatum*, his conſonant dicta teſtium, &
continuatio Capituli in celebrando feſto
Sancti Thomæ, quæ omnino reddunt rem
indubitatam. Neque obſtat, quod obijci-
tur non conſtare de ſolutione penſionum,
cum hic nullum aliud onus adeſſet, quàm
exornãdi Eccleſiam in feſto Sancti Thomæ,
nec non ponẽdi ſuper altare quatuor cande-
las ceræ albæ ponderis librarum duarum,
quod factum fuiſſe eſt veriſimile, cum feſtũ
illud quotannis fuerit celebratum, & hoc
2 pacto tollitur, quod dicitur, † inſtrumenta
locationum non probare poſſeſſionem, *cap.
inter dilectos. de fid. inſtrum. gloſ. in l. qui
vniuerſas. §. quod per colonum. de acquiren.
poſſeſſ. vbi Doctor.* quia hæc concluſio limi-
tatur, quãdo alia adminicula cõcurrunt in
locatione, *Bart. in l. ad probationem. C. lo-
cat. Socin. in conſ.* 11. *num.* 4. *lib.* 3. *Felin.
d. cap. inter dilectos. num.* 8. *verſ. item ſe-
cus. Grat. conſ.* 50. *num.* 48. *lib.* 1. *Alba. cõ-
ſil.* 9. *num.* 12. *cum ſimilibus.* His accedit
tacita quædam confeſſio fratrum petentiũ
relaxari mandatum ſine præiudicio iurium
3 Capituli. Quibus ſic ſtantibus, † cum fi-
nita fuerit locatio facta Petro per eius obi-
tum competit Capitulo conditio quædam
poſſeſſoria, ad recuperandam poſſeſſionem;
*prout fuit alids deciſum in vna Aſculana
prady coram R. P. D. Robuſterio. & non
ita pridem nempe de anno præterito in vna
Placentina decimarum coram R. P. D. meo
Bubalo.* Non obſtat motus proprius Pij V.
4 quia cum in fine appoſita fuerit † clauſula,
prout de iure, illa limitat totum illud re-
ſcriptum; Ideoq. Iudex, qui proceſſit, non
vocato Capitulo, nulliter proceſſit, & ſal-
5 tem hodie † fratres denegantes reſtituere
poſſeſſionem ſpoliare dicuntur. Nec ob-
ſtat, quòd ex iuribus fratrum conſtet de ip-
ſorum iure, & de non iure Capituli; nam in
6 † iſta materia ſpolij nunquam dicitur con-
ſtare de non iure, niſi per confeſſionem vel
rem iudicatam, *vt per Rot. deciſ.* 3. *de re-
ſtitut. ſpoliat. in nou. & coram me fuit di-
ctum in vna Romana beneficiatus Sacti Pe-
tri* 2. *May* 1569.

Iſpalen. Iuris nominandi.
Die Lunæ 27. Nouembris 1589.

SVMMARIVM.

1 *Proceſſus factus coram iudice recuſato eſt nullus; maximè ſtantibus proteſtationibus ſæpius repetitis; ſecus eſt, quando recuſatio fuit calumnioſa.*

2 *Iudex nominatus à procuratore partis, poſt illius approbationem ab ipſa parte factam, ab eadem recuſari non poteſt.*

3 *Recuſatio iudicis in partibus oppoſita propter longum temporis interuallum præſumitur perueniſſe ad notitiam procuratoris in curia.*

4 *Pars quæ deſiſtit à recuſatione iudicis non poteſt de nouo recuſare, niſi ex cauſa de nouo ſuperueniente.*

5 *Recuſatio perpetua omnium iudicum auget ſuſpicionem calumniæ in recuſante.*

6 *In manifeſta calumnia partis recuſantis iudicei, licitum eſt partis reclamatione non obſtante ad vlteriora procedere.*

7 *Dans interrogatoria coram iudice recuſato; licèt cum proteſtatione, dicitur quodãmodo recedere à recuſatione, cum proteſtatio ſit contraria dationi interrogatoriorum; nam proteſtatio ſeu recuſatio tẽdit ad finẽ, ne iudex procedat ad vlteriora, datio verò interrogatoriorum præſupponit, quòd teſtes examinentur.*

Exa-

8 *Examen factum coram iudice recusato est interrogatorys partis, est maioris ponderis & fidei, quàm si ea omissa fuissent.*
9 *Vbi facta fuit probatio cum interrogatorys partis, Signatura Sanctissimi solet alias nullitates reycere.*

DECISIO DCCCXCVII.

Q Vamuis regula sit ad fauorem beneficiatorum, quòd † processus factus co
1 ram iudice recusato est nullus, *vt per Hostien. & Ioan. Andr. in cap. cum speciali. de appellat. Lap. allegat.* 2. *Mill. in repertor. in verb. iurisdictio sicut suspenditur. Capell. Tholos. decis.* 479. *Alex. cons.* 89. *lib.* 1. *Tanis decis.* 101. & hoc procedit sine difficultate stantibus protestationibus sæpe repetitis, * *Achill. decis.* 322. *Caputaq.* 34. *lib.* 1. *in manuscript. Mohedan.* 154. *cum alys per informantes allegatis.* a tamen in proposito casu Domini noluerunt habere rationem recusationum per beneficiatos factatum, quia cas habuerunt pro calumniosis, maximè respectu personæ Ferdinandi
2 de Salzedo Canonici; nam † cum ipse à principio fuisset nominatus in curia à procuratore beneficiatorum, & deinde in partibus tam ipse, quàm cæteri per beneficiatos allegati suspecti, & ideo post multas altercationes & impedimēta in partibus pręstita ad impediendam remissoriæ exequutionem; denuo fuisset post duos annos habitus recursus ad Rotam, procurator beneficiatorum iterum eundem Ferdinandum pro parte suorum principalium nominauit;
3 Vnde † cum propter longum temporis interuallum recusatio in partibus opposita præsumatur peruenisse ad notitiam procuratoris *ad cons. Rom.* 481. *num.* 3. *Chissanen. decis.* 122. qui licèt loquantur in casu conuerso, tamen applicantur ad casum no-
4 strum ob rationis identitatem, † est verisimile principales ratificaffe ab illa recusatione; & ideo non potuerunt beneficiati prædictum Ferdinandum nominatum pro corū parte recusare, nisi ex causa de nouo superueniente, *Authen. offeratur. C. de lit. contestat. vbi Bald. in* 4. *notab. & Salicet. in* 6. *Iaf post alios, qui loquitur in terminis nostris, nempe in nominatione facta à procuratore in l apertissimi. num.* 1. *C. de iudic. & probatur in cap. cum olim. vbi glos.* 2. *& Abb. num.* 8. *de caus. possess. & proprietat.*
5 † Suspicionem verò calumniæ auget recusatio perpetua tot iudicum, nec non futilitas causarum per eos deductarum, quæ præstant indubitatum argumētum, hæc per eos gesta fuisse ad impediendum, quantum in ipsis erat remissoriæ exequutionem; qua-
6 re † in manifesta calumnia licitum est iudici, partium reclamatione non obstante, ad vlteriora procedere, *vt colligitur ex notatis per Alexand. ad Bart. in l. quamuis.* *circa fin. de damn. infect. Neuizan. consil.* 35. *num.* 6. *Lap. d. allegat.* 1. *num.* 4. & 5. *Franc. post Innoc. & Abbat. in cap. cum speciali. num.* 29. *de appellat. Bero. cons.* 16. *num.* 21. *lib.* 3. Habitum fuit etiam in
7 consideratione, quòd † procurator beneficiatorum comparuit coram prædicto iudice, & dedit interrogatoria, licèt cum protestatione, quæ videtur contraria facto, cum recusatio tendat ad finem, ne iudex procedat ad vlteriora, datio verò interrogatoriorum contrarium præsupponit, nempe quòd testes examinandi super eis interrogentur; ideo per hanc comparitionem videtur quodāmodo recessum à recusatione, *ad decis Pute.* 380. *lib.* 1. & *Io. Paul.*
8 144. † & saltem hoc examen factum cū interrogatorijs est maioris ponderis & fidei,
9 quàm si ea omissa fuissent, † quæ tes facio vt passim per Signaturam Sanctissimi soleant aliæ nullitates reijci, vbi facta est probatio cum interrogatorijs partis. Quare conclusum fuit pro validitate processus & examinis.

* & in tali casu recusationis nō attēditur tēpus an pars, quæ recusauit, fuerit prosequuta appellationem necne, Achil. decis. 324 Put. decis. 30. in ho. lib. 1 Caputaq. quæ. 49 li. 1 in manuscript.

a Adde Rot diuers decis 345. par. 1 q loquitur in procuratore recusato, imò examinator semel recusari pōt, vt per Praposit in c cū speciali. n. 50 de appell. Put. inc. cōs 103 n. 18 li. 1 Caputaq. decis 18 li. 1 manuscrip.

Sutrina Melioramentorum.
Die Sabbati 9. Decembris 1589.

SVMMARIVM.

1 *In reficiendo valore melioramentorum attenditur semper, quod minus est, vt si plus impensum sit, & minus melioratū, attenditur quod melioratum est, & si plus melioratum sit, & minus impensū, quod est impensum, fit restituendum, & est commun opinio.*
2 *Melioramenta restituenda æstimari debent habita ratione temporis, quo restituuntur bona.*
3 *Melioramenta restituenda, si facta sint pendente lite, solum necessaria restituuntur, si ante litem etiam vtilia debentur.*
4 *Melioramenta facta in pastinando, referuntur inter melioramenta vtilia.*
5 *Melioramenta facta in refectione domus ruinam minantis, referuntur inter necessaria.*
6 *Emptio instrumentorum ad artem exercēdam necessariorum inter melioramenta necessaria refertur.*
7 *Quod furto peryt, soli possidenti, non autem alys perit.*

DECISIO DCCCXCVIII.

F Vic dubitatum, An melioramenta per peritos æstimata veniant reficienda Illust. Domino Georgio Sancta Crucio, & quia hæc materia indiget distinctione, *prout liquet ex §. certè illud. cum ibi notat. Instit. de rer. diuis. & in l. domum. C. de rei vendic. vbi Salicet. num.* 10. *Negusant. de pignor. in* 4. *membr.* 5. *part. principal. numer.* 12. & *seq.* Vltra quas distinctiones,

quæ statuunt differétiam inter bonæ & ma-
læ fidei possessorem, & inter expensas ne-
cessarias, vtiles & voluptuarias, adest alia
distinctio *text. in l. in fundo. de rei vendic.*
ex quo colligunt cõmuniter Doctores, quòd
1 † in hac materia attéditur semper id, quod
minus est, itaut si plus impensum fuerit, &
minus melioratum, attendatur quantum
est melioratum, si verò plus melioratum &
minus impensum, id quod est impensum tã-
tum veniat restituendum, *Abb. in cap. 1.*
de restit. in integr. Aleiat. consil. 186. n. 7.
Curt. iun. cons. 144. n. 7. lib. 2. Præterea
2 † ista melioramenta sunt æstimanda habi-
ta ratione temporis, quo restituuntur bo-
na, *vt per Bart. in l. domos. de legat. 1. &*
Negusant. vbi supra. nu. 18. Quibus om-
nibus in iure minime controuersis, diffi-
cultas Dominorum fuit circa applicationẽ
in facto; nam primo controuertitur, quo
3 tempore facta fuerint melioramenta, † etc-
nim si pendente lite facta sunt, solum ne-
cessaria debentur; si ante litem etiam vti-
lia: Secundo controuertitur, quæ fuerint
4 vtilia, & quæ necessaria; nam † pastinatio
referri debet inter vtilia, *l. impensæ. de ver-*
5 *bor. signif. cum alijs allegatis* *; † Refectio
domorum minam minitantium inter neces-
6 saria; item † emptio instrumentorum ad
ferreriam exercendam necessariorum: Ve-
rum cum non constet, qualis esset prior sta-
tus vineæ, & domorum, & pars fateatur
adfuisse instrumenta ferreriæ, quæ furto pe-
rierunt, non potest sciri, quantum sit me-
lioratum, cum ignoretur status anterior,
iuxta decisionem aliàs in Rota factam in
causa Romana domus de Valle; & maximè,
cum id quod furto perijt, possidente tunc
bona Illust. Domino Georgio ipsi soli non
autem alijs perierit: Attentis his difficul-
tatibus, Domini amplexi sunt mediã quan-
dam viam, ex quo saltem in genere de me-
lioratione & expensis constat; & ordinarũt,
vt pro istis melioramentis reficiantur Il-
lust. Domino Georgio scuta ducẽtum quin-
quaginta, nisi ipse melius intentionẽ suam
probare maluerit.

* quibus adde Bart. in l. in fundo. de rei vendic. & Castr. col. 196 viso puncto. col. fin.

Toletana Decimarum.
Die Lunæ 11. Decembris 1589.

SVMMARIVM.

1 *De iure communi nullus habet intentionem*
fundatam in decimis, nisi solus Rector,
si lis inter Rectorem & alios vertat; si ve-
rò inter alios, ille tunc dicitur habere
fundatam intentionem, qui est in quasi
possessione percipiendi, vel qui est in an-
tiquiori possessione, nisi detur legitima
præscriptio in posteriori possessore, & n. 4.
2 *In præscriptione decimarum contra posses-*
sorem, immemorabilis requiritur vel sal-
tem quadragenaria cum titulo, & n. 5.
3 *In concursu prætendentium ius deciman-*
di, ius magis assistere dicitur ei, qui par-
ticeps est administrationis curæ animarũ.

DECISIO DCCCXCIX.

1 QVamuis de iure communi † neque Il-
lustriss. Archiepiscopus, neque be-
neficiati habeant intentionem fun-
datam super decimis, sed solus Rector, *cap.*
cum intra. cap. cum contingat. vbi glos. &
Abb. num. 7. de decim. Rebuff. de decim. q. 6.
num. 10. & 18. Tamen in casu proposito
Domini censuerunt beneficiatos satis ha-
bere fundatam intẽtionem contra Archie-
piscopum ex pluribus; Et primo, quia ante
prædiorum alienationem ipsi vnà cum Re-
ctore percipiebãt tertiam partem decima-
rum ex prædijs sitis in territorio de Occa-
gna: Vnde cum postea Illustrissimi pro tem-
pore Archiepiscopi ceperint eas decimas
vsurpare de anno 1524. citra, sub prætextu,
quòd ad ipsos pertineant integræ decimæ
incolarum de Iepes, non possunt in hoc iu-
dicio excludere beneficiatos, quorum an-
tiquior est possessio, nisi data legitima præ-
scriptione, quæ vix dari potest, cum acqui-
sitio prædiorum inceperit de prædicto an-
2 no 1524. & † ita non potest dari immemo-
rabilis præscriptio. Secundo consideratum
fuit in hoc concursu Archiepiscopi & bene-
ficiatorum ius magis resistere Archiepisco-
3 po, † assistere autem beneficiatis; nam
isti participes sunt administrationis curæ,
tam ex consuetudine quàm ex constitutio-
nibus Synodalibus, quæ visæ fuerunt per
Dominos *in illa Toletana primitiarum corã*
me *: Vnde meritò possunt de istis partici-
pare; maximè de Rectoris consensu, cum
propter ministerium altaris debeantur, *Di-*
uus Thom. secunda secundæ. quæst. 87. ar-
tic. 3. Sotus de iustit. & iur. lib. 9. quæst. 4.
artic. 1. & facit tex. in cap. 1. & in cap. non
est. de decim. & videtur sensisse Pute. in
decis. in contrarium allegata 371. lib. 1. &
facit etiam decisio coram me facta in Tole-
tana primitiarum, & hoc videtur de plano
4 procedere, † vbi non est lis cum Rectore,
sed cum alio, qui de iure nihil in decimis
prætendere potest, qui est casus noster. Ter-
tio facit, quod hoc ius beneficiatorum vide-
tur coniunctum cum iure Rectorum, cum si-
mul percipiant tertiam partem; Vnde vi-
detur fomentum recipere ius ipsorum à iu-
re Rectoris, qui probatur ex fide pro parte
Illustrissimi Archiepiscopi producta. Quæ
ex aduerso considerantur de possessione Ar-
5 chiepiscopi non releuant, † nisi doceat de
possessione legitimè præscripta, quod vix fie-
ri potest, cum in casu isto fuerit exclusa im-
memorabilis, sed neque etiam probetur
quadragenaria cum titulo.

* sub die 22. Aprilis 15[illegible]

Toletana Matrimonij.
Die Veneris 15. Decembris 1589.

SVMMARIVM.

1 *Si matrimonium sit nullum propter impedimentum occultum, & partes postea in matrimonio ita contracto permanere liberè consentiant ex stylo pœnitentiariæ Papa solet dispensare, itaut de nouo possit contrahi non repetitis solemnitatibus à Sacro Concilio Tridentino requisitis; si verò impedimentum sit manifestum, iterum contrahendum est repetitis prædictis solemnitatibus.*

DECISIO CM.

Retuli RR. PP. DD. meis me consuluisse Illustriss. & Reuerendiss. Dominũ Cardinalem Carrafam super allegata decisione Sacræ Congregationis Concilij in materia matrimonij per vim & metum cõtracti, qui Illustriss. Dominus meus ostendit mihi librum suum præsente R.P.D. meo Comitulo, in quo scriptum erat in hanc sen-
1 tentiam: Quæsitum fuit, † quid seruandũ in ijs, qui per vim & metum adhibitis omnibus solemnitatibus à Sacro Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 1. de reform.* contraxerunt; Congregatio respondit, si huiusmodi impedimentum sit occultum & partes postea in matrimonio sic contracto permanere liberè consentiunt, consueuisse Papam ex stylo pœnitentiariæ, quamuis matrimonium sit nullum, ratione etiam occulti impedimenti dispensare, itaut de nouo possint inter se contrahere non adhibitis, seu repetitis solemnitatibus à Concilio requisitis; si verò impedimentum sit manifestum, iterum contrahendum est, repetitis omnibus solemnitatibus in primo contracto adhibitis: fuit etiam per nonnullos ex Dominis dictum hanc fuisse sententiam *Francisci à Victoria in suis relectionibus Theologicis, relection. 7. de matrimon. in secund. puncto prim. partis num. 9. vers. in contrarium. & Io. Gutierez canonicarum quæst. cap. 18. præcipuè num. 4. & 7.* cuius opinio videtur carere difficultate post Concilium, maximè stante decisione Sacræ Congregationis, super qua etiam ipse fundat se: Qua relatione habita Domini mandarunt, vt si pars nihil releuans deducit in contrarium causam expediam.

Aquilana Canonicatus.
Die Veneris 15. Decembris 1589.

DECISIO CMI.

Dominis visum fuit non constare omnino concludenter de sufficienti paupertate; & ideo adhibuerunt hoc temperamentum, vt ex fructibus beneficij per Iacobum detenti soluantur isti fructus, & expensæ annuatim secundum tempora quibus hi fructus dicti beneficij solent exigi, & interim in causa procedatur.

Parmen. Status.
Die Veneris 15. Decembris 1589.

SVMMARIVM.

1 *Scriptura carens signo & subscriptione notarij reperta in filcia ex se non facit plenam fidem; sed hoc procedit, si scriptura seu instrumentum in folio volanti repertum sit inter scripturas non authenticas; secus est dicendum, si habeat clausulam, Actum, quia tunc potest redigi in publicam formam, & num. 3.*

2 *Clausula, Actum, denotat scripturæ perfectionem, & ipsius publicationem.*

4 *Ex consuetudine aliquorum locorum filcia notarij habetur pro prothocollo; secus est de filcijs congestis ex folijs volantibus.*

5 *Subscriptio & signum notarij ad perfectionem instrumenti in prothocollo contenti non requiritur, dummodo in eo adsint alia requisita, cum possint etiam per aliũ notarium de commissione iudicis adhiberi, si is, qui de eo rogatus fuit, sit mortuus.*

6 *Scriptura etiam minus authentica reperta in filcia notarij, ad effectum ne reddant locum æquiuocum, sufficit, quòd possint reduci in publicam formam eo modo quo reperiuntur; licèt fortè in iudicio fidem non facerent, nisi iudex ita iudicauerit.*

7 *Item sufficit ad hunc effectum, quòd notarius habuerit has scripturas etiam minus authenticas pro talibus, ex quibus possent confici instrumenta, quòd scilicet eas adnotauerit in sua rubricella.*

8 *Filcia scripturarum notarij haberi debet pro authentica, quando ex ea aliæ scripturæ fuerunt extractæ, & in publicam formam redactæ.*

9 *Scripturæ reperta in filcia etiam minus authentica, ex aliarum fide suppleri debent, si in aliquo deficiunt, potius quàm ex eis subuerti fides omnium instrumentorum in ea filcia contentorum.*

DECISIO CMII.

Fuit dubitatum, præsupposito, quòd in filcia, de qua agitur, adsint aliquæ scripturæ, quæ non sint ita authenticæ, vt eis sit fides adhibenda, An nihilominus scriptura, de cuius fide tractatur, possit sumere robur à filcia, & dubitatio ex eo oritur,
1 quòd † hæc scriptura, licèt habeat clausulam, Actum, tamen caret signo & subscriptione notarij, & ideo ex se non facit plenam fidem, *vt per Bart. Ias. & alios in l. stiendum. de verb. oblig.* Deducebant ergo informantes pro Dominis Rangonibus hoc instrumentum non posse robur sumere à fil-

præsẽs decis. cõp. ata fuit lu. die 7. Feb. 1590. vbi ea cõtraria deducta diluuntur.

à filcia ex eo, quòd cum filcia constet ex folijs volantibus, & in ea adsint aliæ scripturæ non authenticæ, vt in dubio præsupponitur, habet locum *consil. Alexand.* 153. *num.* 8. *& sequent. in* 2. vbi vult, quòd istis instrumentis ita repertis in folio volanti inter scripturas non authenticas, fides non sit adhibenda, *ad idem Paris. consil.* 12. *nu.* 121. *cum sequent. lib.* 2. *& consil.* 27. *eodem volum. Boer. decis.* 35. *num.* 7. nam ex quo adsunt aliæ non authenticæ in ista filcia, probatio, quę inde deducitur, est æquiuoca, *vt bene per Aretin. in cap. cum causam. num.* 5. *de probation. Felin. in cap. ad audientiam. num.* 15. *de præsumpt. Dec. cons.* 458. *num.* 5. *Gabr. de probat. conclus.* 5. *nu.* 14. *& hanc opinionem sequuta est Rota in pluribus causis, & in specie in Albanen. fideicommissi,* * *& alijs hic per informantes citatis* a. His tamen non obstantibus contrarium fuit resolutum in casu, de quo agitur; etenim cum in scriptura ista adsit clau

2 sula, Actum, quæ denotat perfectionem actus & publicationem ipsius instrumenti, *vt per Ruin. in cons.* 119. *num.* 13. *lib.* 4. *Brun. de form. fol.* 82. *col.* 2. *Cagnol. in l.*

3 *si librarius. num.* 71. *de regul. iur.* ┼ receptissima est Doctorum conclusio, quòd talis scriptura potest redigi in publicam formam, *Castr. in l. si is qui. num.* 4. *de testam. Alexand. in consil.* 14. *num.* 17. *lib.* 6. *Paris. consil.* 27. *num.* 73. *lib.* 2. & cum simus in prothocollo; nam ex consuetudine

4 ┼ notariorum Parmæ, istæ filciæ sunt eo-

5 rum prothocolla, ┼ istæ solemnitates subscriptionis & signi non requiruntur ad perfectionem instrumenti in prothocollo contenti, dummodo adsint alia requisita *per Bald. in l. contractus. C. de fid. instrument.* sed possunt etiam per alium notarium de commissione iudicis, si is, qui fuit rogatus, mortuus est, adhiberi, *vt post Castren. tradit Roland. in cons.* 44. *nu.* 42. *lib.* 1. *Curt. iun. cons.* 162. *num.* 4. *Ruin. d. consil.* 159. *num.* 11. *&* 13. qui in terminis loquuntur de instrumento reperto in filcia. Neque obstat, quod in contrarium vrgere videtur, quòd in ista filcia continentur aliæ scripturæ non authenticæ, quia Doctores, ex aduerso allegati videntur loqui in scripturis, in quibus deficiunt substantialia requisita; itaut omnis earum fides pendeat ab auctoritate loci, in quo reperiuntur, prout in casu *Alexandri d. cons.* 153. incertum erat, cuius manu esset scripta illa nota, & erat extra prothocollum notarij, cuius esse dicebatur; at in casu isto, neque adest aliud prothocollum, neque in præsenti disputatione negatur scriptã esse manu Petri Pauli, quo casu vt optimè animaduertit ibi Additio præsumitur rogitus, Aretinus verò loquitur in libris retentis in Archiuio non autem in instrumentis; & ideo non multum facit ad rem. Secundo licèt adsint in ista filcia scripturæ minus authenticæ,

6 ┼ tamen ad effectum, ne reddant locum æquiuocum, sufficit, vt possint reduci in publicam formam eo modo, quo reperiuntur, licèt fortè in iudicio fidem non faciant; nam cum possint suppleri ex alijs probationibus, debent per notarium in publicam formam redigi, *vt bene per Specul. de instr. edit. §. ostenso. nu.* 17. vt iudex postea possit iudicare, an fidem faciat nec ne, *vt per Ang. in cons.* 275. *num.* 2. *vers. in contrarium. sequitur Dec. in cap.* 1. *num.* 46. *vers. in tantum. de probation. Brun. de form. fol.*

7 88. Tertio, ad hũc effectum satis est, quòd has scripturas minus authenticas, notarius habuerit pro talibus, ex quibus posset conficere instrumenta, *vt per Aymon. aliàs allegat. de antiquit. temp. part.* 1. *§. limitatur. numer.* 2. quòd autem eas habuerit pro talibus, patet, ex quo eas adnotauit in rubricella, contra quam licèt multa aliàs fuerint opposita, tamen non tendunt ad præsentem difficultatẽ, sed tantum ad præsumptionem inducendã subtractionis aliquarum scripturarum, de qua re

8 nunc non agitur, ┼ sed etiam patet habitã fuisse hanc filciam pro authentica, cum ex ea fuerint aliæ scripturæ extractæ & in publicam formam redactæ; & ita iudicare debemus, cum in tanto numero scripturarum paucæ admodum sint, quibus aliquod re-

9 leuans opponatur, ┼ & potius ex aliarum fide debent suppleri, si in aliquo deficiunt, quàm ex eis subuerti fides tot instrumentorum in filcia contentorũ, *vt considerat Neuizan. in cons.* 24. *nu.* 10. *facit Mobedan. decis.* 345. Non obstant *decisiones in Albanensi, & alijs*, quia in eis non concurrunt ea, quæ in præsenti casu considerata fuerunt, vt ex eorum discursu videre licet. Neque obstat decisio *in hac causa facta* 11. *Martij* 1575. *coram Reuerendiss. Domino Oriolen.* quia tunc agebatur de alia filcia non de ista, neque concurrebat adminiculum rubricellæ, & in summa re melius perpensa, videtur hæc sententia melius iure defendi posse. Quantum verò ad alias suspiciones, quæ deducuntur per informantes contra hanc scripturam; quia sunt extra dubium, Domini eas pro nunc circunscripserunt, licèt nonnullis viderentur non admodum vrgentes. Et ita conclusum.

* de mense Martij 1566. corã bo. me. Otano.

a & in Senen. Fõtis Arrighi corã R. P. D. de Rubeis 6 anno 1574. & corã R. P. D Robustero I hac eadẽ causa de anno 1575. sub die 11. Martij.

Catanien. Legitimitatis.

Die Lunæ 18. Decembris 1589.

SVMMARIVM.

1 *Inhibitiones in causa matrimonij emanatæ moderari non debent, nisi causa à iudice sæculari ad Ecclesiasticum prius transmissa, iuxta formam c. lator. qui fil. sint legit.*

DE-

DECISIO CMIII.

PEr moderationem inhibitionum à Rota emanatam, non fuisse sublatas inhibitiones obtentas à Domina Ioanna super inualiditate matrimoniorum Ioannis Thomasij cum Eleonora, & Laurentij cum Catharina, cum sint diuersæ causæ à principali causa olim introducta super inualiditate matrimonij inter Bartholomæum & Antonellam, super qua obtenta fuit res iudicata, cuius ratione fuerunt moderatæ inhibitiones, non autem respectu istarum causarũ vltimo commissarum, non solum per Ioannam, sed etiam per Alphonsum, qui causam iactationum & molestationum commisit; Ideo neque moderatio hanc causam com-
1 prehendit, † neque etiam debent moderari inhibitiones in hac emanatæ, nisi seruata forma *cap. lator. qui fil. sint legitim.* ideo curet pars, vt præfigatur terminus, & causa expediatur.

Romana Domus de Barbarellis.
Die Veneris 12. Ianuarij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Subhastatio rei propriæ non valet, licèt proprietarius rem vendiderit & tradiderit, si adhuc proprietas eius retinetur, etiam quòd ab eo sit euicta, cum adhuc dominus proprietatis remaneat.*

2 *Ius redimendi rem subhastari potest, sed nõ ipsa res, quæ est sua propria.*

3 *In contractu venditionis, in quo nullum adest pactum resolutiuum, cuius vigore possit dominium rei venditæ retro transferri propter pactum de faciendo consentire omnem personã, solum potest agi ad rescissionem, non autẽ ad subhastationẽ.*

DECISIO CMIV.

1 FVit resolutum † subhastationem factam ad instantiam Cosmi fuisse nullam, cum enim ipse esset dominus domus effectus per venditionem, & eius traditionem, quamuis etiam ab ipso ad instantiam Dominæ Gratiosæ fuisset possessio euicta; tamen ipse remanebat dominus proprietatis: Vnde non poterat pro obseruatione pacti in venditione appositi de faciendo consentire omnem personam procedere ad subhastationẽ
2 rei suæ; † sed debebat, vel agere contra alia bona Dominorum de Barbarellis, vel subhastare eorum creditum, quod habebant ratione pretij domus nondum integrè soluti,
3 vel subhastare ipsum ius redimendi; † nam in contractu venditionis nullum adest pactũ resolutiuum, ex quo dominium posset ipso iure retro transferri in Barbarellos, quamuis potuisset Cosmus agere ad rescissionem, *Ias. in consil. 128. lib. 4. Ruin. consil. 32. nu. 14. lib. 1. Tiraquell. de retract. conuent. lib. 1. glos. 7. num. 17. Modern. in consil. Paris. 523. num. 11. & 12.* & certè iniquè visus est Cosmus se gessisse cum istis Barbarellis; quia cum ipse esset eorum debitor in scutis ducentum quinquaginta, non debebat permittere, vt procederetur ad subhastationẽ domus pro scutis centum; poterat enim satisfacere, & repetere à Barbarellis id, quod sua interesse poterat; cum interim pro istis pecunijs ex conuentione teneretur soluere scuta septem cum dimidio pro quolibet centenario; & ideo visus est expiscasse hac via indirecta, vt tolleretur facultas redimendi, quam habebant Barbarelli: Quare conclusum subhastationem fuisse nullam ad effectum tantum, vt Barbarelli possent vti pacto de retrouendendo, satisfacto eo, quod eorũ nomine fuit solutũ pro extinctione debiti, si ex aduerso de solutione docebitur, & restituto pretio per eos habito.

Romana Scripturarum.
Die Veneris 12. Ianuarij 1590.

SVMMARIVM.

1 *De stylo Auditoris Cameræ positiones pro confessatis habentur; contrarium tamen in Rota seruatur iuxta formam cap. 2. de confess.*

2 *Scripturæ officij notariatus hypothecari possunt, & super eis etiam contrahi societas, vt num. seq.*

3 *Scripturæ officij notariatus ad hæredes trãseunt cum suo onere, & habentur vti res propriæ.*

4 *Scripturæ notariatus à titulo officij separari non possunt per Motum proprium Iulij Tertij, sed venduntur ijs, qui titulum officij obtinent.*

DECISIO CMV.

PRo confirmatione sententiarum extra Rotam latarum pro Dominis de Fossanis; Nam ad effectum Saluiani intentati, fuerunt probata omnia extrema requisita; primo obligatio omnium bonorum facta per Iacobum Carram ad fauorem Dominorum de Fossanis; secundo possessio scripturarum de tempore obligationis, quę probatur non solum per decretum Auditoris Ca-
1 meræ, † vt positiones pro confessatis haberentur, prout est de stylo illius tribunalis; licèt Rota contrarium seruet; nisi fuerit seruata forma *cap. 2. de confess.* sed etiam ex confessionibus partis, vt in facto deducitur, & est in curia notorium, & potest etiam haberi veritas ex libris Collegij; Constat etiam de possessione Nicolai ex instrumen-
2 to emptionis, † Quòd autem scripturæ possint hypothecari notorium est, & etiam colligitur ex eo, quòd in allegato motu pro-
3 prio Iulij, † eæ transeunt ad hæredes cum onere tamen eas vẽdendi Collegio pro pretio

tio mille ducatorum, & quotidie super istis
contrahitur societas, & imponuntur alia
onera vti super re propria. Nec obstat mo-
4 tus proprius Iulij, † dum vetat scripturas
á titulo separari; nam hoc fuit factum, vt
acta conseruarentur per notarios; ideo tota
illa prouisio locum habet in scripturis no-
tarij viuentis; nam quotidie videmus scri-
pturas vendi etiam ijs, qui habent titulum
officij. Quare visa res Dominis carere dif-
ficultate, & conclusum, vt sententiæ con-
firmentur.

Corduben. Statutorum.
Die Mercurij 24. Ianuarij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Admissus ad causam vigore commissionis cum clausula, in statu & terminis facit omnia acta & sententias suas; sed hoc intelligitur procedere in materia beneficiali; secus est in prophanis, in quibus non semper obseruatur, sed solum, quando quis venit ad alterius defensionem.*

2 *Veniēs ad causam principaliter pro suo interesse, cum clausula, in statu & terminis, non facit acta & sententias suas, quando sententia in contumaciam lata fuit contra tertium, cum non noceat venienti, quo minus a die scientiæ ei liceat appellare, etiam quòd sententia transitū fecisset in iudicatum.*

3 *Ciuitas in agendo vtitur iure minoris.*

DECISIO CMVI.

FVit dubitatum, an constet de interesse
Ciuitatis Cordubensis ad causam ve-
nientis; & si sic, an illi obstet res iudicata,
aut non possit audiri, nisi refectis expen-
sis; Et quantum ad priorem dubij partem,
iam fuerat sub die prima Decembris proxi-
mè præteriti resolutum * constare de appa-
renti interesse Ciuitatis ad effectum admis-
sionis ad causam. Quantum verò ad poste-
riorem partem, Domini causa sæpius pro-
posita resoluerunt, quòd quamuis Ciuitas
petierit se admitti cum clausula, in statu &
terminis, in quibus causa reperiebatur, sta-
tus autem erat iste, quòd Clerici Ciuitatis
per contradictas fuerant ad instãtiam Vni-
uersitatis parochialium condemnati, quæ
sententia transitum fecit in iudicatum;
nihilominus esset audienda, non tamen im-
pediret, quo minus dicta sententia manda-
retur exequutioni contra clericos, respectu
1 expensarum; nam † quamuis dicta clausu-
la, in statu & terminis sit eius efficaciæ, vt
veniens ad causam faciat omnia acta, & sē-
tentias suas, *vt notat. in cap. 2. vt lit. pend. in 6. & per Putc. decis. 71. lib. 3. & fuit resolutum coram R. P. D. Vicecomite in causa Salamantina portionis 27. Ianuarij 1589. & in alijs pluribus causis.*; tamen hoc fuit
principaliter introductum *in d. cap. 2.* in
materia beneficiali propter cessiones & sub
rogationes, ex quibus plerunque redderen-
tur causæ immortales, si dato nouo colliti-
gante processus semper de nouo esset in-
choandus, *vt apertè ibi tradit glos.* quod
tamen non est perpetuum, cum aliquando
veniens ex iure suo, quod non habet conne-
xionem cum iure litigantium possit suo no
mine agere, & de nouo litem inchoare, *vt tradit ibid. Ioan. And. num. 1. vers. ille autem. Franc. num. 5. Gemin. num. 9.* & qui-
uis in causis prophanis idem aliquando ob-
seruetur, *vt videre est ex congestis per Didac. Couar. pract. quæst. cap. 13. numer. 1.*
tamen id est intelligendū, quando quis ve-
nit ad alterius defensionem, vt loquuntur
Bald. Ang. & Aretin. per eum allegati, quod
si quis veniat ad deducendum principaliter
ius suum, tunc potest duplici via insistere,
vel veniēdo ad causam in statu & terminis,
vel principaliter committi faciēdo pro suo
interesse, *vt supra ex Ioan. Andr. & alijs deductum fuit*: sed in casu proposito diffi-
cultatem faciebat, quòd Ciuitas priorem
viam aggressa est veniendo ad causam in
statu & terminis; & ideo vigore commissio-
nis videbatur idem dicendum, quod in de-
cisionibus Putei, * & alijs per informantes
2 allegatis: † Tamen Domini contrariū cen-
suerunt; quia sententia lata contra clericos
fuit lata in contumaciam; & ideo non nocet
tertio, quo minus á die scientiæ ei non li-
ceat appellare, etiam quando transisset in
iudicatum, *vt per eundem Didac. cap. 15. n. 2. versic. deinde sententia.* Neque debet ei
obesse clausula illa, in statu & terminis,
quia bene operatur, quòd admissus facit il-
lam sententiam suam, adeo quòd eum alijs
faciat numerum ad effectum rei iudicatæ;
sed non operatur, vt censeatur approbare
illam qualitatem transitus in iudicatū, quia
hoc repugnaret intentioni eius; qui petit
se admitti ad effectum impugnandi dictam
sententiam; contraria enim sunt facere tē
iudicatam suam, & sententiam impugnare;
& admissio ad causam præsupponit eam ad
huc durare, non autem extinctam penitus
esse, & ita loquitur *d. cap. 2.* admittēs ter-
tium ad causam nondum finitam, & alij su-
pra citati, & ideo admittitur ad appellan-
dum á die scientiæ non obstante re iudica-
ta, quæ non ipsi sed condemnato hoc casu
præiudicat: Et hanc sententiam amplexa
est Rota referente *Achill. decis. 13. de appellation.* vbi tertius admissus fuit ad appel-
landum á secunda sententia, quæ transiue-
rat in iudicatum, & relaxatæ fuerant exe-
quutoriales, & processum fuit contra eum
per aliam instantiam; quod æquissimum
etiam visum est in hac causa, in qua com-
3 patet Ciuitas, † quæ iure minoris vtitur:
Clerici verò non possunt euitare exequu-
tionem

* qua die ita fuit breuiter resolutū, cōstare de apparēti interesse Ciuitatis; an verò teneatur reficere expensas, nō liquet, ideo melius informetur.

* Put. decis. 71. & 108 lib. 3. Mohedan. 11. Pepus ad decis. 2. Fortis. in nou. n. 47. Achill. decis. 13. de appel. & fuit decisum coram Alano in dicta Corduben. allegata mihi in Corduben. 1588.

tionem respectu expensarum, quia eorum contumacia eis nocet, *Gabr. de senten. conclus. 3. num. 5.* An autem talis sententia debeat mandari exequutioni respectu negotij principalis contra dictos clericos; Domini dubitarunt, ex eo quòd interesse eorum videtur inseparabile ab interesse Ciuitatis, *per ea quæ tradit Angel. in l. si suspectis. num. 3. in fin. de inoff. testam.* Ideo super hoc particulariter dubitetur. Et hæc ita per Dominos resoluta fuerunt circunscripta pro nunc ea sententia de partibus, quam Vniuersitas de nouo allegauit, super qua erit audienda, si opus fuerit.

Patauina Iurispatronatus.
Die Lunæ 29. Ianuarij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus ex reædificatione constare potest, maximè si dos fuerit aucta, & de obseruantia concessionis constet.*

2 *Concilium Tridentinum non derogat patronatibus, quæ ex reædificatione ex iuris dispositione competunt ratione æquiparationis inter hæc, & ea, quæ ex fundatione & dotatione competunt.*

3 *Concessio iurispatronatus propter reædificationem non potest dici priuilegium, sed concessio iusta, & debita.*

4 *Concessio iurispatronatus competens ex priuilegio ex causa onerosa seruari debet.*

DECISIO CMVII.

Domini cum præsupposito, quod iura Dominorum de Delphinis producantur in forma probanti, & quòd constet de implemento conditionum, sub quibus fuit
1 concessum iuspatronatus, censuerunt † satis de eo constare ratione reædificationis, *vt per Hostien. in summa in tit. de iurepatron. §. ex quibus. vers. quòd si readificauit. Paul. de Citadin. in tractat. de iurepatron. part. 3. quart. causa, & ita passim tenet Rota, vt fuit aliàs decisum coram Reuerendiss. D. Ortolen. in causa Bononien. de Bagnarola, * & coram R. P. D. meo Orano in vna Senen. beneficij 17. Iunij 1588.* quod etiam confirmatur ex eo, quòd dos fuit aucta, & paramenta ad cultum diuinum necessaria per eosdem Dominos de Delphinis comparata, *Hostien. ibid. tit. de iurepatron. §. ex quibus. versic. idem videtur. Card. in rubr. de iurepatr. num. 3. Abb. in cap. quoniam. num. 9. eod. tit. Lambertin. in tract. de iurepatr. 14. artic. 5. quæst. princip. 1. part. 1. lib.* quæ maximè hic locum habent, cum constet de obseruantia huius concessionis.

* 8 ann. 1578 in Bononien. Iurispatr. de Bagnarola.

2 Neque † obstat dispositio Sacri Concilij Tridentini, quia non derogat ijs patronatibus, quæ ex iuris communis dispositione competunt; maximè ratione æquiparationis istorum casuum cum casu fundationis & dotationis, vt videre est apud Doctores. Neque sumus in familia tali, quamuis hæc sit admodum nobilis, in qua cadat præsum-
3 ptio vsurpationis, a † excluditur etiam, quod allegatur, huiusmodi concessionem esse merum priuilegium, cum conditiones sint tales, vt non possit dici priuilegium, sed
4 potius concessio iusta & debita, † quòd si etiam haberet aliquid priuilegij, tamen quando fit ex causa onerosa, seruandum esse resoluit *Rota in vna Valentina de Consentayna coram me.* * Et ita conclusum.

a obtineri & est fuit sub die vlt. Maij 1591. sub n. 6.

b sub die 30. Ian. 1592. & 26. eiusdem 1592.

Toletana Decimarum de Occagna.
Die Mercurij 31. Ianuarij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Vbi resistit ius commune non est locus consuetudini, sed præscriptioni.*

2 *In præscriptione decimarum non potest fieri extensio de re ad rem, nec de prædio ad prædium.*

3 *Qui habet titulum in Ecclesia, cui decima debentur, potest dici, quòd habet assistentiam iuris communis.*

4 *Patientia eius, qui habet ius in re, quòd alius eodem iure gaudeat, habet vim traditionis.*

5 *Decimæ prædiales debentur parochiæ, intra cuius terminos sita sunt prædia; nisi aliud de consuetudine inductum sit.*

6 *Ius parochialium mutatione patronorum non mutatur, nisi vbi viget consuetudo.*

7 *Qui fuit semel constitutus in mala fide, nō potest amplius præscribere.*

8 *Præscriptio de iure Canonico neque sine bona fide, neque sine titulo procedere potest.*

DECISIO CMVIII.

Domini steterunt in decisis * Illustriss. Archiepiscopum nō bene fundare intentionem suam contra beneficiatos; nam
1 † cum ei resistat ius commune, cum penes eum non sit cura animarum, non est locus consuetudini, sed præscriptioni; Ideo non potest applicari dispositio *text. in cap. cum*
2 *sint homines. de decim.* † In præscriptione verò non potest fieri extensio de re ad rem, nec de prædio ad prædium: Vnde non releuat, quòd in quibusdam prædijs Archiepiscopus perceperit decimas ante annum 1524. quia nunc de illis non agitur, sed de decimis prædiorum emptorum post dictum annum 24. Stante itaque quòd prius ante alienationem dictorum prædiorum beneficiati erant in quasi possessione exigendi decimas ex dictis prædijs patientibus & consentientibus Rectoribus, neque tale ius eis fuit vnquam controuersum, aut refricatum in dubium, non potest possessio aliqua iuuare Archiepiscopum, nisi sit legitimè præ-
3 scripta; præsertim † cum beneficiati non omnino careāt assistentia iuris communis,

* sub die 13. Decemb. 1589.

cum ſint intitulati in Eccleſijs, quibus de-
cimæ debentur, *iuxta cap. quatuor. & cap.*
ſanctmus. 12. quaſt. 2. cum alys in deciſ. vl-
timo factis[a] *deductis*, & quod magis vrget,
venerunt ad hanc cauſam vnà cum Recto-
ribus, qui habent intentionem fundatam in
diſpoſitione iuris communis in omnibus
decimis, & de quorum conſenſu partẽ per-
cipiunt, idq. æquipollet, ac ſi de manu ipſo-
4 rum Rectorum caperent, † cum huiuſmo-
di patientia habeat vim traditionis, *l. 1. in*
fin. de ſeruit. ruſtic. prad. l. datio. §. ſi iter.
& ibi not. Bart. de action. empt. quod verò
dicitur per emptionem terrarum factam ab
hominibus de Yepes conſtitutum eſſe nouũ
territorium, id neque in facto neque in iu-
re ſubſiſtit, eſt enim contra textus apertos,
nempe cap. fin. de pact. & c. Apoſtolica. de
5 *decim.* † vbi decimæ prædiales debentur
parochiæ, intra cuius terminos ſitæ ſunt,
6 niſi aliud de conſuetudine inductum ſit, † ex
quo patet non mutari ius parochialiũ mu-
tatione poſſeſſorum, niſi vbi talis vigeret
conſuetudo, quæ hic non probatur; nam
poſſeſſio Archiepiſcopi reſpectu prædiorũ
ante annum 1524. iam fuit per deciſiones
coram bon. mem. D. Lauretano factas ſub-
lata,[b] & declaratum eam non poſſe exten-
di, *vt per Hoſt. Butr. & Abb. in cap. cum*
contingat. de decim. & per Achill. deciſ. 3.
de decim. Verum omnẽ tollit difficultatem,
quòd in caſu propoſito nulla poteſt dari
præſcriptio; nam ius Archiepiſcopi funda-
tum fuit ſuper eo, quòd perceperit decimas
ab incolis de Yepes, & nullum alium titu-
lum vnquam allegauit: vnde ſequitur, quòd
7 † cum ſemel conſtitutus fuerit in mala fide
tam ratione litis introductæ per Capella-
nos de anno 1551. quàm ſententiæ pro eo-
rum parte obtẽtæ, non potuit amplius cur-
8 rere præſcriptio, † quæ neque ſine bona fi-
de de iure Canonico, neque ſine titulo pro-
cedere poteſt, itaut hoc prætenſum ius Ar-
chiepiſcopi deſtitutum ſit omni iuris auxi-
lio, tam reſpectu proprietatis quàm poſſeſ-
ſionis; ius verò beneficiatorum habet ali-
qualem aſſiſtentiam iuris communis, & in-
ſuper conſuetudinem pacificam & nunquã
controuerſam, niſi poſt moleſtationes illa-
tas per miniſtros Archiepiſcoporum pro
tempore exiſtentium reſpectu iſtorum præ-
diorum. Et ex his ceſſant ea, quæ in con-
trarium deducuntur, quòd cum Archiepi-
ſcopus vtatur præſcriptione aduerſus bene-
ficiatos, quibus ius non aſſiſtit, non eſſe ne-
ceſſariam probationem tituli, *iuxta doctr.*
gloſ. in cap. 1. in verb. titulum. propè fin.
de praſcript. in 6. cum ibi notat. per Archi-
diac. Io. Monach. Franc. & Gemin. quia
non applicantur ad caſum noſtrum, præ-
ſupponunt enim Archiepiſcopum præſcri-
pſiſſe, quod in facto negatur ex ſupra dedu-
ctis. Neque applicatur *deciſio Verall.* 353.
lib. 2. in impreſſ. cum habemus hic poſſeſ-
ſionem antiquiſſimam & nunquam contro-
uerſam beneficiatorum, vt ſupra dictum
eſt. Et ita per Dominos concluſum.

[a] ſub d. die 21 Decẽbris anni præteriti.

[b] & in ſpecie ſub die 1. Decẽb. 1581. coram Cãuccio.

Parmen. Status.
Die Mercurij 7. Februarij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Conſ. Alexandr. 153. num. 8. vol. 2. quo-*
modo intelligatur circa ſcripturam non
habentem ſubſcriptionem notary, non
exiſtentem in filcia, qua habeat vim
prothocolli.

2 *Scriptura notarÿ exiſtentes in filcia, qua*
habet rubricellam, licèt ſint folia volan-
tia, perinde habentur, ac ſi eſſent ſimul
compacta; maximè vbi ex conſuetudine
filcia habetur loco prothocolli, & num.
10. & 13.

3 *Singula inſtrumenta prothocolli non ha-*
bentia ſubſcriptionem & ſignum nota-
ry, ſi tamen alia requiſita habeant in-
ſtrumentorum perfectionem concernen-
tia, per eum expleri poſſunt, cum in pro-
thocollo nõ requiratur ſubſcriptio & ſi-
gnum, & num. 6.

4 *Inſtrumenta reperta in prothocollo de ne-*
ceſſitate ad illorum perfectionem non re-
quiruns omnia, qua in inſtrumentis pu-
blicis requiruntur contra Purpurat. &
alios, qui dicunt hanc opinionem tenen-
tes loqui contra communem opin.

5 *Pro habendis inſtrumentis repertis in fil-*
cia abſque ſigno & ſubſcriptione notarÿ
pro authenticis, potiſſimum attenditur
conſuetudo regionis & notary.

7 *Teſtamentum alicuius poteſt tradi notario*
cuſtodiendum, licèt de eo nec etiam de
cuſtodia ſit rogatus, & poteſt notarius
de eo dare inſtrumentum, eiq. ſtandum
eſt, & num. 9.

8 *Scriptura vna vel plures imperfecta reper-*
ta in prothocollo notary non derogant fi-
dem cateris perfectis, ratione loci, qui de-
ſtinatus eſt pro ſcripturis & inſtrumen-
tis veris, ſea potius ſumunt robur à loco.

9 *De teſtamento reperto in prothocollo notarÿ*
ſibi dato ad cuſtodiendum poteſt nota-
rius illud dare ſub forma inſtrumenti
per ſe rogati tanquam inter prothocolla
reperti, narrando eius qualitatem, & eo
caſu poteſt iudex arbitrari, an ei ſit fi-
des adhibenda.

11 *Materia adhibendi fidem ſcripturis nota-*
ry repertis in filcia, de ſui natura eſt
arbitraria.

12 *Inſtrumento reperto in folio volanti extra*
prothocollum, ſeu filciam, fides non eſt
adhibenda, ſi caret ſubſcriptione & ſi-
gno notary, nec poteſt redigi in publi-
cam formam, niſi aliquod robur ſumat
à loco, prout ſi reperiatur in Archiuio
au-

authentico; si verò illius nota sit in prothocollo, tunc sumit robur ab eodem prothocollo.

14 *Ex verbis instrumenti, & sic promittendo iurauerunt ad sancta Dei Euangelia, manibus eorum corporaliter tactis, vltra clausulam, Actum, & testes, probatur rogitus notarij, licèt deficiat subscriptio & signum.*

DECISIO CMIX.

sub die 15. Decēb. anni præteriti.

Domini pro maiori parte steterunt in decisis, * nempe quòd scriptura, de qua agitur, possit sumere robur à filcia, prout ex rationibus aliàs deductis cōprobatum fuit: Neque obstare ea, quæ in contrarium deducuntur; Et primo dum insistitur *ex cons. Alex.* 153. *num.* 8. *in* 2. cui informantes pro Dominis de Rāgonibus dicunt non applicari responsiones datas in decisione; Fuit replicatum optimè appli-
1 cari; † nam & verum est Alexandrum dixisse, incertum fuisse in casu illo, quis fuerit ille notarius, qui coram testatore, & testibus scripturam testamenti scripsisset, & publicasset, & disertis verbis extat scriptū *sub num.* 10. Neque obstat, quòd manus notarij esset cognita, quia in nulla parte testamenti præfati dictus notarius testator se rogatum de huiusmodi testamento, & ita incertū erat, quisnam notarius de eo fuisset rogatus, quod applicari non potest casui nostro, in quo in corpore instrumenti notarius, qui instrumentum scripsit, testatur se de huiusmodi actu rogatum in illis verbis, in manibus mei notarij infrascripti vti & tanquam publicæ personæ, &c. Præterea verum est, quod dicitur in decisione, scripturam illā testamenti in casu Alexandri fuissē repertam extra prothocollum, legatur *Alexand. sub dicto num.* 10. *in vers. & maximè*, vbi ait expresšè, quòd dicta scriptura nō erat in quaterno seu libro prothocolli rogationum ipsius notarij. Neque obstat, quòd postea dicat, quòd erat in folio volanti reperto in quadam fileia; quia apparet aliud fuisse in casu illo prothocollum, aliud verò fileiam; nos verò versamur in fileia, quæ habet vim prothocolli,
2 vt ex visitatione liquet. & † in qua non obstat, quòd folia sint volantia, quia stante rubricella habentur, perinde ac si essent simul compacta: Ex quibus manifestè patet adesse in illa facti specie defectus longè maiores, & qui non conueniunt casui, de quo agitur, & proinde magis huic casui nostro applicatur *decisio eiusdem Alexandri in cōsil.* 14. *per totum lib.* 6. *quicquid ibi dicat in summario Apostillator contra receptam opin. Cyn. Bald. Castr. & aliorum, quos citat Roland. cons.* 44. *num.* 40. *& sequentib. lib.* 1. *Salicet. in l. contractus. C. de fid. instrum. Dec. cons.* 447. *num.* 8. *Curt. iun. cons.* 162. *Rub. Alexandr. cons.* 10. *col. fin.*
3 volentium, quòd † licèt in prothocollo singulis instrumentis non fuerit apposita subscriptio & signum notarij, ea tamen expleri posse, si alia requisita ad instrumentorū perfectionem concurrant, & ita obseruari testantur, itaut non sit opus respondere *Paris. in consil.* 12. *num.* 124. *lib.* 2. qui contrariam opinionem, vt causæ suę inseruiret, tenuit, licèt ex eiusdem allegationibus appareat plures & maioris auctoritatis Doctores stare pro contraria sententia. Ne-
4 que † obstat *Purpurat. qui in cons.* 572. *nu.* 4. videtur asserere, quòd in prothocollo requiratur omnia, quæ in instrumento publico, de quibus *per glos. in l. generali. C. de tabul. lib.* 10. *& allegat Ioan. de Anan. in cons.* 33. *& deinde affirmet Dec. in cons.* 447. *& Curt. cons.* 162. *loqui contra communem opin.* tamen ipse fallitur, & ex numero & pondere Doctorum pro contraria sententia allegatorum apparet de contrario: Neque iuuatur auctoritate *Paul. de Castr. quē allegat in cons.* 195. *lib.* 2. quia ibi non negat Castr. ex tali nota instrumentum leuari nō posse, sed requirit, quòd hoc fiat parte citata, & causa cognita, quæ res manifestè arguit talem defectū non vitiare prothocollum, itaut fidē non faciat: Neque etiam pro eo facit *Ang. consil.* 275. *quem allegat*, immo maximè confirmat contrariam opinionem, pro qua in alia resolutione ᵃ huius causæ facta, fuit allegatus; sed *a sub die 15. Decēb. præteriti.*
5 hæc disputatio est superflua, † cum in hac re potissimum attendatur consuetudo regionis & notarij, *vt tradit Card. cons.* 133. *num.* 5. quam sententiam admittit *idem Purpurat. in cons.* 183. *in fin. & in consil.* 181. *num.* 7. *&* 15. quod allegatur in contrarium, & quod tollit omnem difficultatē,
6 † hanc sententiam, quòd in prothocollo nō requiratur subscriptio & signum, *tenet Rota, vt refert Chisanen. decis.* 73. Non obstat *Aretin. aliàs allegatus in cap. cum causam. num.* 5. *de probat.* enim vltra aliàs deducta, sit animaduertendum, eum loqui de tribuēda auctoritate ratione loci scripturis omnino priuatis; ideo non facit ad rem. Neque obstat, quòd ratione duorum testamētorū in fileia insertorum ea reddatur æquiuoca; quia vltra responsiones aliàs datas, Domini considerarūt posse probabilius dici, eas scripturas, licèt imperfectas, posse aliquod robur sumere à fileia, saltē vt præsumantur datæ hæ scripturæ notario custodiæ gratia, qui licèt id non adnotauerit expresšè, tamen ex cōiectoris eliei potest rem ita se habere; nam in altero ex istis testamentis notarius apposuit manum adnotādo cuius esset testamentum, & inseruit hæc testamenta in sua filcia, eaq. adnotauit in rubricella sua, quæ omnia denotant habita
7 fuisse ab eo pro talibus, † quæ sibi tradita

spectaret ad officium suum custodire, quod
potest facere, *vt per Bart. in l. fin. de iur.
codicill. Ang. in l. 1. §. fin autem. de hared.
instit. Alex. in cons. 176. num. 5. lib. 5. Af-
flict. decis. 144. cum alijs hic per informan-
tes allegatis.* [b] Et licèt non adnotauerit ibi
se rogatum de custodia, fortasse si dedisset
de hac re instrumentum, ei standum esset,
vt in simili tradidit Rota de instrumento
extracto ex notula, in qua non erant adscri
pti testes, qui in extenso fuerant per nota-
rium appositi, *vt tradit Peregr. decis. 280.
lib. 2. in causa Maioricen.* Sed etiam est
animaduertendum, quòd dum Doctores di-
sputant, an scriptura minus authẽtica pos-
sit recipere robur à loco, necessario præ-
supponunt in eo loco adesse talem scriptu-
ram non authenticam, quòd si ex hoc locus
redderetur æquiuocus, vtique frustratoria
esset disputatio, nulla enim scriptura mi-
nus authentica posset inde robur sumere,
quin potius ea tolleret prorsus loci aucto-
ritatem, reddendo eum æquiuocum; & ideo
dicendum est, tunc cadere illam quæstio-
nem, quando dubitatur, qualis sit locus, vbi
verò certum est locum esse destinatum pro
scripturis & instrumentis vetis & rogatis
8 per notarium, † tunc vna scriptura aut al-
tera imperfecta non derogat cæteris fidem,
sed è conuerso ex aliarum fide sumunt ro-
bur, & hoc iure merito, cum sit æquius pro
validitate tot instrumentorum, vt maior
pars det robur minori, quàm è cõtra; alio-
quin vix vlla vnquam reperirentur protho-
colla, quæ subuerti non possent, vt expe-
9 rientia comprobari potest. Itaque † dato
etiam quòd dicta testamenta non possent
dari sub forma instrumenti per notarium
rogati, possent tamen dari vti reperta inter
prothocolla, narrando qualitatem eorum,
& tunc iudex posset arbitrari, vtrum fides
eis esset adhibenda; prout potuisset fortas-
se tunc temporis viuis adhuc testibus, qui
eis interfuerant. Neque obstant *decisio-
nes facta in alijs causis, veluti in illa Alba-
nen.* [c] *& in alia Pontis Arrighi*, [d] quia
10 † scripturæ, de quibus agebatur non fue-
rant repertæ in filcijs, quæ ex consuetudi-
ne essent loco prothocollorum, eum qua-
litatibus; quæ concurrunt in casu isto, nẽ-
pe rubricella illa instrumentorum, ex qua
efficitur, vt folia volantia habeantur, ac si
essent in quinterno compacto in formam li-
bri. Quod verò refricatur *de decisione fa-
cta in hac eadem causa* [e] super alia filcia,
minus est habendum in consideratione; cũ
ibi militarent multæ suspiciones tam re-
spectu personæ notarij quàm additionis a-
11 liena manu factæ, † quæ in hac materia;
quæ de sui natura est arbitraria, *vt per Me-
noch. de arbitr. lib. 2. casu 187. in princip.*
visæ fuerunt tunc temporis Dominis meis
multum detrahere de fide illius instrumen-
ti: Et in vniuersum pro responsione multa-
rum auctoritatum, quæ in contrarium per
Dominos informantes deducuntur, dici po-
test, quòd si bene ponderentur, loquuntur
12 tantum in casu, † in quo instrumentum
extra prothocollum in folio volanti sine fil-
cia repertum est, cum enim sit extra pro-
thocollum, si careat subscriptione, non po-
test redigi in publicam formam, nisi ali-
quod robur sumat à loco, veluti si reperia-
tur in Archiuio authentico: Hoc autẽ non
procedit, quoties talis nota esset in protho-
collo, quia capit robur ab eo, quia si no-
tarius de ea non fuisset rogatus, non posuis
set eam in libro rogituum, *Bart. in l. stien-
dum. num. 2. in fin. de verb. obligat. Neui-
zan. in cons. 26. num. 43. & 45.* & hanc dif-
ferentiam bene comprobant ea, quæ tradit
idem Menoch. loco supra citato n. 24. & 26.
13 † Nos autem versamur in secundo casu,
cum stante consuetudine istæ filciæ sint vera
prothocolla, maximè concurrente rubri-
cella, quæ tollit suspicionem, quæ poterat
oriri, ex eo, quòd in filcia omnia Instrumẽ-
ta sunt descripta in folijs volantibus: Qua-
re cum in hoc instrumento concurrant duo
prima requisita ad instrumenti perfectionẽ,
de quibus *per Bald. in l. contractus. C. de
fid. instrum.* concurrat etiam quòd præsup-
ponitur scriptum manu notarij de eo ro-
14 gati, † Item adsit manifestè rogitus, qui
colligitur ex illis verbis, & sic promitten-
do iurauerũt ad sancta Dei Euangelia ma-
nibus eorum corporaliter tactis &c. ex qui-
bus probari rogitum tradit *Roland. à Vall.
in d. consil. 44. num. 46. lib. 1.* vltra clau-
sulam Actum, & testes; vtique concluden-
dum est solam subscriptionem & signũ, quæ
deficiunt, immo quæ in eis in prothocollis
de consuetudine non solent apponi, supple-
ri posse, itaut instrumentum fidem faciat,
nisi aliud dicẽdum sit ratione suspicionum,
quas Domini reseruarunt, quatenus super
illis pars Dominorum de Rangonibus vo-
luerit audiri.

[b] quibus addi possunt Boer. decis. 240. Soci. cõs. 142 lib. 1. & 379. lib. 2. Curt. Iun. cõs. 114. n. 9. & 115. nu. 7. Gozad. cõs. 3. n. 11 & tenuit Rota in vna Tuden iurispat. de ann. 1572. corã R. P. D. Robusterio.

[c] de mense Martij 1566. corã bo. me. Grato.

[d] de an. 1574 coram D. de Rubeis & qbus supra in decis sub die 15. Decẽbris præteriti dictum fuit.

[e] sub die 21. Martij 1575. corã R. P. D. Robusterio.

Lucerina Fructuum.

Die Mercurij 7. Februarij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Qualitas respiciens intentionem rei non est
probanda ab actore, sed ab ipso reo.*
2 *In iudicio manutentionis leuiores probatio-
nes sufficiũt, neq; admittitur exceptione*
3 *Priuilegium si non sit in forma probanti,
non probat.*
4 *Fructuum perceptio nõ potest denegari stã-
ti in Vrbe, & non residenti ex licentia
ab Vrbis Vicario obtenta.*
5 *Fructus, qui debentur absenti, & non re-
sidenti ex licentia, debentur etiam, quod
in paramentis & alijs vsibus Ecclesia
consumpti fuerint.*

Peti-

6 *Petitorium continet in ventre possessorium.*

DECISIO CMX.

FVir resolutum per Dominos procedendum esse ad exequutionem mandati de manutenendo; nam quantum ad eius iustitiam pertinet, de ea dubitari non potest, cum Capitulum Lucerinum non neget fuisse datam possessionem Archidiaconatus D. Petro vnà cum perceptione fructuum, sed tantum negat eum fructus percepisse in absentia, quod quidem ex pluribus tollitur; quia cũ plenè probata fuerit perceptio fructuum per ipsummet D. Petrum ad effectũ obtinendi in hoc iudicio, non est necessariũ, quòd probet se in absentia percepisse, cum nõ agatur de distributionibus quotidianis, neque de fructibus requirentibus præsentiã ex dispositione iuris communis, sed de ijs,
1 quos lucrantur etiam absentes: † Vnde cũ hoc respiciat intentionem Capituli, non est necessarium, quòd hæc qualitas percipiendi in absentia probetur per D. Petrum; sed venit probanda per Capitulum; nempe quod in absentia non debeantur, neque fuerint percepti: Sed ad tollendam hanc difficultatem fuerunt postea productæ partitæ Banchi Dominorum de Bandinis, per quas apparet fructus istos fuisse habitos in absentia D. Petri, per Reuer. Dominum Episcopum Bou'nen. & transmissos hic ad Curiã; & licèt opponatur paritas fidem non facere, tamen hoc casu visum fuit Dominis sufficere; tum quod sumus in iudicio manutẽ-
2 tionis, † in quo leuiores probationes sufficiunt, neque admittuntur exceptiones; tũ quòd vt dictum est, necessaria non erat hæc probatio, sed facta fuit ad cautellam. Ne-
3 que † obstat priuilegium Caroli Regis allegatum, & exhibitum per Capitulum, in quo cauetur, vt non residentes nihil percipiant; primo, quia non est in forma probãti; secundo, quia hæc exceptio concernit petitorium suspensum; Tertio quia etiam ex
4 aduerso † Dominus Petrus ostendit sibi ab Illustrissimis Vicarijs Vrbis impertitam licentiam standi in Vrbe, & non residendi ex
5 causa. Non obstat † quòd Capitulum alleget istos fructus fuisse consumptos in paramentis & alijs, quia malè fuerunt consumpti, donec de bono iure Capituli constet: Præterea non solum de consumptis agitur, sed etiam de ijs, qui quotidie decurrunt, qui per Capitulum impediuntur. Postremo non obstat, quòd causa pendeat coram R. P. D. meo Mantica super isto articulo; quia cũ prius super negotio principali causa fuerit mihi commissa, commissus fuit etiam in consequentiam iste articu-
6 lus, † quia petitorium habet in ventre possessorium.

Lunen. Sarzanen. Prioratus.
Die Veneris 9. Februarij 1590.

SVMMARIVM.

1 *In gratia motuproprio concessa super beneficio, de iure antiquo non erat necessario exprimendus valor obtenti, nec ob huiusmodi omissionem expressionis dabatur ipsius obtenti vacatio; secus est de iure recentiori Pontificum, qui regulam de valore immutarunt respectu gratiæ etiam motuproprio fact.; cum Papa, qui motuproprio beneficium confert, non tenetur diuinare, an prouisus alia beneficia possideat nec ne, & num. 5.*

2 *Limitata dispositio limitatũ paris effectum.*

3 *Dictio, quoad, restringit & limitat præcedentem dispositionem.*

4 *Extensio, quæ fit tam contra ius commune, quam contra formam regularum anteriorum Pontificum, tanquam odiosa est restringenda.*

6 *Clausula, ita quod ad illa, posita in regula 32. de impetr. benef. vacan. per obit. famil. Cardin. ponitur ibi ad maiorem declarationem, non autem ad limitandam dispositionem.*

7. *Dictio seu clausula, ita quòd, potest accipi, vel restrictiuè, vel declaratiuè, vel ampliatiuè secundũ subiectam materiã.*

DECISIO CMXI.

DVbitatũ fuit super iustificatione gratiæ Hieronymi, & difficultas versabatur respectu vacationis; prætendebat enim Hieronymus, quòd beneficium, de quo agitur, certo modo impetrauerat, probare vacationem, ex eo quòd R.P.D. Mercatus, qui antea beneficium huiusmodi à fel. record. Gregorio XIII. obtinuerat non fecerat mentionem valoris beneficij Sancti Francisci prius ab eodem Pontifice per eum impetranti; ideoq. habere locum dispositionem regulæ de valore iuxta editiones nouissimas fel. recordat. Gregorij & S. D. N. Sixti Quinti, in qua cauetur, vt debeat exprimi valor beneficiorum tam impetratorum quàm obtentorum, etiam quòd gratia sit Motuproprio facta: Verum fuit per Dominos conclusum ex hoc capite non dari vacationem; cum gratia Domini Michae-
1 lis fuerit concessa Motuproprio; † & ideo inspectis regulis antiquis hunc casum nominatim excipientibus, & inspecta iuris cõmunis dispositione non esse exprimendum valorem, *vt latè post Rotam, Ancharanum, Ripam, Felin. & alios, quos citat, deducit Gabr. tit. de clausul. conclus. 2. num. 81.* & quamuis recentiores Pontificea regulæ tenorem, & dispositionem immutauerint, volentes vt idem seruetur in gratijs, quas motuproprio emanare contigerit; tamen hoc factum est, cum limitatione, nempe quo ad

beneficia, de quibus per Sanctitatem suam pro tempore prouidetur, seu prouideri mādatur, aut aliàs disponitur: Vnde fit, vt respectu huius extensionis veniant beneficia tantum, quæ tunc motuproprio conferuntur, non autem ea, quæ prius per prouisum
2 obtinebantur; † cum limitata dispositio li-
3 mitatum pariat effectum; & † dictio illa, quo ad, restringat, & limitet præcedentem dispositionem, *l. pen. de excusat. tut. Dec. in cons. 360. num. 6. vers. tertio pro Communitate.* Quod eo magis dicendum, quia
4 † huiusmodi extensio fit tam contra ius cōmune, *cap. si motuproprio. de præben. in 6.* quàm contra formam regularum anteriorū Pontificum; ideo tāquam odiosa est restringenda, *Ancharan. in cons. 295. num. 1.* &
5 † absurdum omnino est, vt Papa, qui motu proprio beneficium confert alicui teneatur diuinare, an ille alia beneficia possideat, nec ne, cū tamen per suos Officiales facilè posset habere notitiam valoris beneficij eius, quod conferre intendit, sed re vera verba regulæ sunt ita clara, vt nullo pacto euitari posse videantur. Neque obstat, quòd ex aduerso consideratur in simili, *de regula 32. de impetrand. benef. vacant. per obit. famil. Card. cum ibi notat. per Mandos. quæst. 28.*
6 non enim applicatur casui nostro; nā † clausula illa, ita quòd ad illa, ponitur eo loci ad maiorem declarationem, non autem ad limitandam dispositionem, vt bene animaduersum fuit in decisione illa, quam al-
7 legat in fine dictæ quæstionis; * nam † dictio, ita quòd, variè accipitur, restrictiuè, vel declaratiuè, aut ampliatiuè secundum subiectam materiam; hic verò in casu de quo agitur, tota illa clausula quoad beneficia, nullum alium sensum commodum sortiri possunt, etsi interpretemur ea, vti prætendunt informantes pro Hieronymo vtique veniunt delenda, cum ibi stent sine aliquo sensu, & sine effectu. Quare conclusum non dari vacationem ex hoc capite, quamuis in reliquis quantum ad gratiæ iustificationem, inclinatum fuerit pro Hieronymo, & in specie eum non teneri ad verificationem non expressionis veri valoris, quamuis hoc dixerit in sua gratia, cum non fuerit limitatè data vacatio in litteris ex illo capite tantum, sed sub alternatiua illa, siue, posita in parte dispositiua. Et ita conclusū.

* quæ decisio est Caputaq. sub die 16. Nouēb 1554. incip. fuit tētū, in qua de eis. aduertēdū est qđ in eo, l quo allegat ad casū istū de clausula hac, ita quod, l ea corrupte allegatur Socin. cōl. 291. in fi. li. 2 sed est 241.

Romana Damnorum & interesse.
Die Lunæ 12. Februarij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Non tenetur quis ad damna & interesse, quando solutio fuit impedita per sequestrum.*
2 *Sequestrum siue iustum siue iniustum non potest impune contemni; & ideo præstat iustam excusationem non soluendi.*
3 *Sequestri pro interesse Cameræ Apostolicæ obtenti non potest ita de facili obtineri reuocatio.*
4 *Interesse moræ non potest considerari in non soluente, quod extrinsecus sine sua culpa accidit extra corpus suæ obligationis, si absit dolus & culpa non soluētis.*

DECISIO CMXII.

FVit resolutum Papum esse à petitione damnorum & interesse absoluendum, non quidem ex illo capite, quòd per Dominum Cornelium fuerit præstitum impedimentum, ex quo damnum senserit, hoc enim caput bene tollitur ex deductis per Corne-
1 lium, † sed ex eo quòd solutio fuerit impedita, quo minus fieri posset per appositionem sequestri ad instantiam Commissarij Cameræ Apostolicæ, *Dec. in l. non videtur. §. qui iussu. de regul. iur. Afflict. decis. 328.*
2 *Ruin. cons. 150. lib. 1.* † neque poterat impune Papus iussum Commissarij cōtemnere, siue iustum siue iniustum; ideoque præstat iustam excusationem, *vt per Bald. & alios quos citat, tradit in simili Bossius de*
3 *remiss. merced. pub. num. 27.* † neque etiā poterat illud de facili reuocari facere, stante interesse Cameræ, *Ruin. in consil. 138. num. 7. lib. 5.* Non obstat pactum appositum in contractu concordiæ, vbi Papus suscipit in se omne commodum & incommodum societatis, quia hoc pactum respicit negotium ipsius societatis non autem in-
4 teresse, † quod extrinsecus sine sua culpa accidere posset extra corpus ipsius societatis, quale est hoc, quòd ratione moræ per Cornelium prætenditur, quæ hoc casu dari non potest, cum absit omnis dolus & culpa ipsius Papi, sine quibus nunquā potest haberi in consideratione *Corn. consil. 312. lib. 4.* Et ita conclusum esse ex hoc capite standum in resolutis.*

* sub die 12. Iun. & cōfirmatū die 16. eiusdē mēsis 1589 coram R. P. D. Penia

Ispalen. Iuris nominandi.
Die Lunæ 26. Februarij 1590.

DECISIO CMXIII.

FVit resolutum bene probari Vicarios foraneos fuisse & esse in quasi possessione præsidendi in Ecclesijs, in quibus sunt deputati Vicarij, & in earum districtu iurisdictionem exercendi, quod etiam admittunt beneficiati, qui etiam affirmāt se nullam cum istis habere controuersiam, sed tantum cum deputatis pro exercenda cura animarum; ideo videndæ erunt, & examinandæ probationes super hac re vtriusque partis; nam ea probatio, quæ hactenus deducta est, non videtur generaliter comprehendere omnia loca & Ecclesias totius Archiepiscopatus, sed tantum particularia quædam loca per testes nominatim specificata; Ideo de hac re particulariter agen-

dum

dū erit, & partes reiectis superfluis restringant ad hæc dicta testium examinatorum.

Romana Iocalium.
Die Lunæ 19. Martij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Donata à sponso sponsæ non sequuto matrimonio sunt restituenda; nisi adsit pactum de non reuocando; vel nisi per sponsum steterit, quominus sequutum fuerit matrimonium.*

2 *Iocalia non præsumuntur donata sponsæ, sed tantum transmissa à sponso, vt magis ornata incederet, potest tamen probari contrarium.*

3 *Iocalia transmissa à sponso sponsæ præsumuntur donata, attenta qualitate personarum, vel si non sint excessiui valoris, sed potius exigui respectu contrahentium personarum nobilium.*

DECISIO CMXIV.

Domini altera parte informante censuerunt mandatum non esse exequēdum, immo sententiam esse reuocandam; licèt enim regula sit, quòd + donata à sponso sponsæ, non sequuto matrimonio sint restituenda, nisi adesset pactum de non reuocando, *l. cum veterum. vbi Ang. & Salyc. C. de donation. ante nupt.* Tamen hoc casu visum est habere locum limitationem illā, quæ in eadē lege habetur, *vt ibi per Odoffr. Bald. Salyc. & alios*, quod secus est, si per sponsum steterit, quominus sequutum fuerit matrimonium, & ita tradunt etiam *Angel. Aretin. in §. penult. num. 5. Instit. de donation. Lupus in rubr. de donation. inter vir. & vxor. §. 3. num. 5. vers. secus si culpa. Bero. in cons. 62. num. 14. lib. 1.* Hoc autem casu videbatur per sponsum stetisse, quominus sequutum fuerit matrimonium, prout explicitè deponit primus testis Iulius super tertio, Flauius Burtius super quarto, qui de propria scientia, cum vterque alloquutus fuerit sponsum in Hospitio Vrsi, de auditu verò à bon. mem. Cardinali Vrsino, & alijs pluribus deponunt Marcus Antonius Lanfrancus super octauo articulo & Catharina Sperandea super quarto, quorum dicta valde adminiculantur literæ dictæ bon. mem. Cardinalis scriptæ eidem sponso, ac etiam Reuer. Episcopo Calliensi, ex quibus patet manifestè fuisse pro parte sponsæ interpellatum sponsum, vt ad effectum perduceretur matrimonium, quod cum factum non fuerit, satis apparet per eum stetisse. Non obstat, si dicatur
2 + hæc Iocalia & alia, de quibus agitur, nō fuisse donata, sed tantum transmissa sponsæ, vt magis ornata incederet, *l. sicut certo. §. interdum. commodat.* quia contrariū probatur per Camillam super octauo, &
3 Bernardum super decimo: Vltra quòd + intrat præsumptio donationis attenta qualitate personarum, & quòd ista non sint excessiui valoris, sed potius exigui respectu contrahentium Illustrium personarū, *prout fuit consideratum per Dominos in vna Vrbeuetana Iocalium coram R. P. D. meo Orano, Loffred. cons. 42. circa principium, & latè prosequitur Additio ad Afflict. qui cæteros citat decis. 315.* Et ex his conclusum pro informante.

Romana siue Regien. Saluiani Interdicti.
Die Veneris 23. Martij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Saluianum potest intentari etiam in bonis sitis in territorio Imperij coram Iudice Ecclesiastico, quando agitur pro debito pecuniario in vim obligationis Cameralis.*

2 *Speciale est in Saluiano, vt licèt immissus in possessionem non fiat dominus bonorum, fructus tamen lucretur ad effectum, vt ex illis extinguatur debitū, pro quo data fuit immissio.*

3 *In materia conficiendi inuentarium attenditur stylus loci & regionis.*

DECISIO CMXV.

Fvit dubitatum ad instantiam Illustriss. Dominorum de Corrigio, an esset procedendum ad vlteriorem exequutionem mandati contra ipsos decreti, vel potius ex nouiter deductis venirent absoluendi; Et causa proposita visum fuit Dominis, ea quæ deducebantur de nouo esse illa eadem, quæ pluries fuerunt proposita, & iam resoluta; Nam quod primo deducebatur, sententiam Rotalem fuisse nullam ex defectu iurisdictionis, longa disputatione fuit examinatum coram RR. PP. DD. Bubalo, & Blanchetto, & firmatum iurisdictionem adfuisse propter clausulam, nec non quā & quas, appositam in priori commissione, aderat etiam posterior commissio magis ad cautellam, quàm quòd necessariò esset impe-
1 trata. Neque obstat, + quòd bona, contra quæ agebatur, essent sita in territorio Imperij, & extra iurisdictionem Ecclesiasticā, quia non principaliter actum fuit contra bona, sed in consequentiam & dependentiam iudicij Saluiani intentati pro debito pecuniario contracto in vim obligationis in forma Cameræ, ita quòd bona illa ex cōuentione partium pro huiusmodi debito erant obligata. Secundo, quod dicitur, sententiam fuisse sine debita causæ cognitione latam, est merum vigilantis somniū: Quod verò huic oppositioni addunt fuisse nulliter processum ad liquidationem fructuum, quod tamen non licebat, cum ad immissionem ex Saluiano actum esset, non

autem ad fructus, decipiuntur; nam cum facto dominorum aduersariorum Illustrissimi Exequutores impediti fuissent, quo minus caperetur in vim sententiæ in Saluiano latæ possessio bonorum, quæ si capta fuisset, profuisset vtique ipsis; nam ex fructibus sibi de credito satisfecissent, potuerunt agere ad liquidationem dictorum fructuũ ad ipsos spectantium, cum pro possessoribus habiti fuerint, ne contumacia aduersariorum ius creditoris deterius redderetur,
2 & † hoc est speciale in Saluiano, vt quamuis immissus in possessionem non fiat dominus bonorum, fructus tamen lucretur ad effectum, vt ex illis extinguatur debitum, pro quo data fuit immissio. Secundo, quod dicitur fuisse confusum debitum, ex quo creditor hæredem instituit debitorem, frustra in dubium reuocatur, cum super hoc articulo fuerit causa diligenter discussa, & me proponente resolutum contrarium 2. Decembris 1588. Neque obstat, quod opponitur, non constare quòd inuentarium fuerit confectum per legitimum procuratorem; quia pars obtulit se curaturam, vt mandatum afferatur ad curiam, & hoc fuit reseruatum per Dominos; quia producto mandato res caret difficultate. Neque obstant ea, quæ contra inuentarij solemnitatem opponuntur; quia apparet fuisse confectum coram Auditore Ducali in ciuilibus, & coram Magistratu Ciuitatis Parmæ, qui super eo interposuit suum decretum causa cognita, præuia citatione interesse habentium per publicum proclama, & etiam apparet fuisse factum intra legitimum tempus à die habitæ notitiæ;
3 † & in hac materia maximè attenditur stylus regionis. Vltimo, quod dicitur Dominum Alexandrum consequutum fuisse possessionem omnium bonorum vigore sententiæ Imperialis, & non esse iustum, vt bis idem consequatur, facilimè diluitur, quia non agitur ad bona sed ad fructus ante restitutionem per Dominos aduersarios perceptos, & sic ad rem diuersam, & ex alia causa debitam. Quòd si Illustrissimi Domini de Corrigio in restitutione dictorum bonorum restituissent etiã fructus per eos perceptos à die obitus bon. mem. Cardinalis Corrigien. tunc bene possent excipere de duplici solutione, aliàs frustra deducitur bonorum simplex restitutio, de qua etiam nobis legitimè non constat. Et ex his conclusum, quòd producto mandato illius, qui confecit inuentarium, procedatur ad vlteriorem exequutionem. *

* & ita pariter idẽ decisũ fuit corã Illustrissimo Card. Blanchetto in hac causa sub die 2. Decẽb. 1588.

Romana Donationis.
Die Lunæ 26. Martij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Per sententiam latam contra patrem in crimine læsæ maiestatis, omne ius patriæ potestatis abdicatur à patre, & fit locus dationi tutoris.*

2 *Tempus anni datum à lege ad petendum tutorem pupillo est vtile, & non currit nisi à die scientiæ, & hoc tempus præscriptum est sub pœna priuationis, vt n. 4.*

3 *Successio filij defertur à lege simpliciter matri statim à die obitus illius.*

5 *Excipiens de priuatione matris ob non petitum tutorem filio intra annum, debet eam probare cum qualitate scientiæ, aliàs probatio redditur æquiuoca, & non concludens.*

6 *Non sufficit probare lapsum fuisse annum præscriptum à lege ad petendum tutorẽ, nisi probetur euenisse casum, quo debuerit peti tutor, & matrem notitiam eius habuisse.*

7 *Obijciens præscriptionem decennalem debet eam probare cum qualitate præsentiæ illius, contra quem allegatur.*

8 *Qui vendicat rem alienatam per hæredem tanquam fideicommisso subiectam, debet probare scientiam alienantis.*

9 *Ignorantia facti de sui natura præsumitur.*

10 *Præsumptio ignorantiæ est talis virtutis, vt transferat onus probandi in aduersariũ; fallit, quando ignorantia est crassa & supina, vt num. 12.*

11 *Ignorantia quando est fundamentum intentionis, probari debet ab eo, qui eam allegat siue verè siue præsumptiuè.*

DECISIO CMXVI.

FVit dubitatum, an in casu, de quo agitur, sufficiat non adesse probabilem ignorantiã, vel requiratur scientia & qualis, itaut sit recedendum vel non à resolutione facta 27. Ianuarij 1589. Dubitatio orta est ex eo, quòd Illustrissima Domina Marchionissa egit ad hæreditatem filij infantis præmortui sibi de iure delatam, vt prætenditur. Illustriss. Dominus Valerius patruus dicti infantis excepit de priuatione ob non petitum tutorem intra annum à die sententiæ latæ in crimine læsæ maiestatis contra patrem dicti infantis, iuxta dispositionem *leg. sciant. C. de legit. hæred.*
1 † tunc enim fuisse ab eo abdicatum omne ius patriæ potestatis, & locum factum fuisse dationi tutoris. Ex aduerso replicatum
2 fuit, † tempus anni datum ad petendum tutorem esse vtile & non currere nisi à die scientiæ, *vt per Bald. in cap. ex parte. il 2. sub num. 18. de appellat. Bart. in disput. incip. pupillus. quæ est vltima, sub num. 7. Ias. cons. 33. in 5. col. versic. quarto facit. lib. 3. Tiraq. de retract. lign. §. 35. glos. 4. nu. 11.* & ideo probandum esse, quòd Marchionissa habuerit scientiam dictæ sententiæ cum suis qualitatibus, *& ita fuerat conclusum per Dominos in allegata decis.*

facta

facta 27. Ianuarij 1589. Et causa iterum
proposita; Quantum ad id, quòd tempus sit
vtile, & requiratur sciētia, Domini steterūt
3 in decisis; † nā lex simpliciter defert succes-
sionē filij matri statim à die obitus, *l. nam et*
si. de inoff. testam. & ante Cōstitutiones Se-
ueri, Constantini, & Iustiniani, de quibus in
l. 2. & 3. qui peta. tutor. vel curator. ma-
tres admittebantur ad successionem filiorū
tam prætorio edicto quàm ex Claudij Con-
stitutione, de qua fit mentio *Institut. de Se-*
nat. Consult. Tertyll. in princ. & demum Se-
natuscōsulto Tertylliano, quæ omnia præ-
cesserunt Constitutionem Seueri: Ex qui-
bus apparet in hoc casu agi de priuatione,
non autem de delatione hæreditatis quali-
ficata, quod apertè conuincitur *ex l. ma-*
tres. C. ad S. C. Tertyll. in qua habetur, ma-
tres, quæ filios puberes amittunt, eis succe-
dere, non obstante ea exceptione, quòd ijs
impuberibus tutores non petierint; & ideo
passim hæc priuatio dicitur punitio, & pœ-
na *l. 2. §. si mater. ad Tertyll. Socin. iun. cōs.*
4 *16. num. 8. lib. 2.* Cum itaque † præscri-
ptum sit tempus anni ad petendum tutorē
sub pœna priuationis, & hoc tempus non
currat nisi à die scientiæ, *vt supra deductum*
5 *est*, necesse est, quòd † qui excipit de huius-
modi priuatione, eam probet cum suis qua-
litatibus, nempe cum qualitate scientiæ;
aliàs probatio redditur æquiuoca, & non
6 concludens; † non enim sat est probare la-
psum fuisse annum præscriptum a lege, nisi
probetur euenisse casum, quo debebat peti
tutor, & matrem eius notitiam habuisse,
iuxta doctrinam Bart. in l. Fulcinius. §. est
hoc. num. 1. quib. ex caus. in possess. eat. &
in l. 1. §. quorum autem. ne quid in flum.
publ. Curt. sen. in cons. 59. numer. 7. Bero.
cons. 133. num. 3. lib. 1. & ideo *Butrig. in*
l. vlt. C. de long. temp. præscript. tradit, eū,
7 † qui obijcit præscriptionem decennalem,
debere probare eam cum qualitate præsen-
tiæ illius, contra quem allegatur, *idem Bal.*
& Angel. in l. præscriptione. C. quib. non
obijc. long. temp. præscript. Tiraquell. de le-
gib. connub. in verb. de son mary. glos. 8. nu-
8 *mer. 31.* & † qui vendicat rem alienatam
per hæredem, tanquam subiectam fideicom-
misso, debet probare scientiam alienantis,
vt per Ang. in l. fin. §. fin. C. commun. de
legat. & in l. Marcellus. §. res quæ. ad Tre-
bell. Alex. cons. 184. num. 6. lib. 2. & con-
sil. 3. num. 3. lib. 3. & consil. 186. num. 5.
lib. 5. hoc verò eo facilius procedit in ca-
9 su isto, ex quo † de sui natura ignoran-
tia facti præsumitur, *cap. præsumitur. de*
regul. iur. in 6. & ibi glos. quæ ait hanc
10 † præsumptionem esse huius virtutis, vt
transferat onus probandi in aduersarium.
Quod igitur ex aduerso dicitur sufficere,
quòd non adsit probabilis ignorantia, non
videtur posse hic applicari, quia huiusmodi
exceptio conuenire posset, vbi quis allega-
11 ret ignorantiam; † tunc enim tenetur eam
probare, siue verè siue præsumptiuè, quan-
do est fundamentum intentionis suæ, *vt tra-*
dit Felin. in cap. vigilanti. colum. 2. de præ-
12 *script.* † secus si esset talis ignorantia, quæ
non esset probabilis, sed crassa & supina, *l.*
lata culpa. de verb. & rer. signif. non rele-
uaret allegantem, sed hic non agitur de al-
legatione vel probatione ignorantiæ, sed de
probatione scientiæ; Ideoq. ea venit pro-
banda: sed quæ, & qualis scientia hoc casu
probanda sit, Domini non statuerunt; sed
dixerunt de ea re particulariter agendum
esse.

Parmen. Status.
Die Lunæ 2. Aprilis 1590.

SVMMARIVM.

1 *Instrumentum seu scriptura publica non potest dici suspecta ex eo, quòd custodiatur in loco, seu terra subiecta ei, ad quē talis scriptura pertinet, nisi locus sit de sui natura suspectus.*
2 *Interlineaturæ & cassationes in instrumētis ex causa abbreuiaturarum notariorum non ob id reddunt instrumenta suspecta; cum hoc eis liceat in suis originalibus, dummodo nihil fuerit cassatum, vel additum, quod re vera aliquod pariat præiudicium.*
3 *Qui dicit secundum præsupponit primum.*

DECISIO CMXVII.

FVit resolutum nō adesse contra filciam, rubricellam, & scripturam, de qua agitur tales suspiciones, quæ tollant fidem dictæ scripturæ; suspiciones enim, quæ allegantur ad hæc præcipuè capita reducuntur; Prima, quòd huiusmodi filcia fuerit semper in loco suspecto, nempe in Castro Varani subiecto dominio Dominorum de Pallauicinis; Secunda, quòd fuit penes Gallicanos officiales dictorum Dominorum, & etiā eorum affines, & subditos: Tertia, quia in dicta filcia desunt multa instrumenta, vt ex collatione rubricellæ liquet, & præcipuè instrumentum pacis, in quo fit magna vis: Quarta, quia in dicta filcia sunt præposteratæ scripturæ, & multæ aliena manu scriptæ: Quinta, contra rubricellam dicitur eam esse mutilā sine principio, & fine, & ab ea sunt abscissa multa folia, quæ reddunt eam suspectam; maximè cum per Dominos de Pallauicinis producta fuerit; Vnde dicitur apparere, quod erat penes eos; Sexta, contra scripturam, de qua agitur, opponitur interlineatio, cassaturæ, extractio parte non citata per Pecorinum Notarium, materia ipsius continens contradictionem quandam, & productio facta nuperrimè, cū posset iam à multo tempore fieri. Hæc tamen

meu non mouerunt Dominos, quia potius ſunt ſuſpiciones hominis, quàm legitimæ &
1 concludentes præſumptiones; † Nam quantum ad primam attinet, locus Varani, in quo ſteterunt ſcripturæ, non eſt locus de ſui natura ſuſpectus, cum ibi & penes eos ſeruari ſoleant ſcripturæ, vbi & penes quos confectæ & rogatæ fuerunt; immo alibi eſſe non poterant, quàm penes notarios rogatos, & eſſet hac ratione dicendum, quòd Domini alicuius Caſtri vel Ciuitatis nunquam poſſent inſtrumenta conficere in locis eorum dominij, quin redderentur ſuſpectæ, quod eſt abſurdiſſimum: Eodem pacto tollitur ſecunda ſuſpicio; quia neceſſe eſt ſcripturas ſeruari ab ijs, qui de eis ſunt rogati, & in eo loco, in quo exercent officium, vt *notant Doctor. in l. Prætor. §. is etiam. vbi Alexand. num. 6. de edend.* & quod dicitur eos fuiſſe Officiales & ſubditos etiam affines, non vrget, cum inſtrumentum, de quo agitur, confectum fuerit longè ante litem, nempe de anno 1510. & lis fuit de anno 1531. & Petrus Paulus obijt de anno 1514. de quo tempore non aderat vlla ſuſpicio, neque timor futuræ litis; ſed neque hæc omnia verificantur in perſona Petri Pauli, & recognitio filciæ, quæ nunc præſupponitur, & inſtrumentorum ex auctoritate Proconſulum in publicam formã extractio totam hanc dilnunt coniecturam. Tertia ſuſpicio non obſtat; quia cum hæc filcia non ſit propria Dominorum de Pallauicinis; nihil eſt quod eis imputari poſſit, ſi per incuriam, ſeu negligentiam notariorum, penes quos fuerunt iſtæ ſcripturæ, aliquæ fuerunt amiſſæ, quod fit admodum veriſimile accidiſſe, cum eximerentur à filcia per conceſſionarios ad effectum illas explendi, prout contigit de illo inſtrumento pacis, quod tamen fuit expletum per Hilarium Gallicanum de anno 1514. & adeſt appoſita legalitas de anno 1523. prout in Authentico per Pallauicinos exhibito, quæ tempora longè præcedunt tempus motæ litis; & ideo ſuſpiciones, quæ hinc deducuntur, viſæ fuerunt ſatis leues, præterquàm quòd etiam non percutiũt fidem huius filciæ. Neque obſtat, quòd aliqua ex iſtis ſcripturis prætendatur viſa fuiſſe in manibus Pallauicinorum, quia id, quod dicitur, de quodam mandato procnrationis Bernardini à teſte allegato pro parte Dominorum de Rangonibus, fuit purgatum per exhibitionem inſtrumenti authentici dicti mandati, adeo quòd non verificatur aliquas ex ſcripturis originalibus dictæ filciæ fuiſſe penes ipſos Pallauicinos. Quarta ſuſpicio deducta ex præpoſteratione ſcripturarum tollitur; quia ea tantum verificatur in quibuſdam inſtrumentis confectis ſub eadem die, quæ non inducunt turbationem ordinis conſiderabilem, & diuerſitas manuum etiam fuit aliàs ſublata; * tum ex ſubſcriptionibus manu ipſius Petri Pauli, cum hoc facere de iure liceat; tum ex eo, quòd ceſſionarij explentes inſtrumenta, ſolent hoc in margine adnotare. Quinta ſuſpicio, quæ deducitur contra rubricellam, non facit multum ad rem, cum ea non fuerit producta, vt inde ſumatur probatio, ſed ad tollendam ſuſpicionẽ ſuppoſitionis ſcripturæ, de qua agitur, quæ optimè colligitur ex eius adnotatione, quod ſi fuit male conſiderata; & inde aliquæ cartæ inciſæ, non pertinet ad Pallauicinos huius rei rationem reddere, cum non ſit liber eorum proprius; ſed fuit neceſſe pro ea habenda à pronepote Petri Pauli, vt Pallauicini ſeſe obligarent in forma Cameræ de ea infra ſex menſes reportanda, vt patet ex inſtrumento per Dominos Pallauicinos exhibito.

* vt in decis. facta sup. sub die 10. Iunij 1589.

2 Sexta † ſuſpicio, quæ deducitur cõtra ſcripturam, de qua principaliter agitur ratione interlineationum, & caſſaturarum, nullius eſt momenti, cum in abbreuiaturis notariorum hoc liceat; maximè verò, quia nihil fuit caſſatum, vel additum, quod re uera aliquod pariat præiudiciũ; quia quod cõſideratur fuiſſe in appoſtilla dictum, vxor q. Io. Petri de Muſinis in primo matrimonio, non immutabat in aliquo id, quod in corpore fuerat ſcriptum, cum ibi ſcripſiſſet notarius, vxor Domini Bernardini in ſecũdo matrimonio: Vnde ſatis ſuperq. probatur ex hoc intentio ipſorum ſine illa ap-
3 poſtilla; † qui enim dicit ſecundum præſupponit primum, & hæc potius ſuadent hanc ſcripturam veram & genuinam eſſe, quia ſi fuiſſet ſuppoſita & conficta, fuiſſet diligentius compoſita & exornata. Neque obſtat, quòd in interlineatura appoſita fuerint illa verba in ſecundo matrimonio, quia in corpore inſtrumenti linea decima apparet eadem enunciatio, licèt fuerit linea ſuper inducta, ne idem bis ineptè repeteretur. Quæ de contentis in ea & contradictione allegantur, fuerũt aliàs per Dominos ſublata. Quòd autem non fuerit prius producta, non eſt mirum, cum de ea tunc cenſeantur habuiſſe notitiam, quando facta fuit viſitatio generalis filciarum, & tunc ſtatim curarunt habere inſtrumentum extractum per Pecorinum. Alia, quæ deducuntur contra perſonas, nõ faciunt ad rem, ſed quãdo agetur de probatione matrimonij, habebuntur in conſideratione, ſi erunt releuantia.

Romana Cedularum.
Die Veneris 4. Maij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Procurator regulariter à principali releuari debet in his, quæ in mandato continentur, ſi tamen ſeruauerit formam man-*

mandati, secus est in procuratore facto ad emendum, quando mandantem non certiorauit, & prius solitus erat eum certiorare, antequam emeret. vt num. 3. vel quando procurator retinuisset sibi facultatem alternatiuè sibi adscribendi, vel principali, vt num. 4.

2 *Mandati forma à procuratore seruari debet in omnibus etiã in minima qualitate.*

5 *Dissidia societatis officij in actis reproduci debet, ne sit in potestate dissidentis ea vti, vel non vti.*

DECISIO CMXVIII.

Fuit resolutum cedulas Neapoli emptas non esse per Dominum Marcellinum soluendas; nam licèt regula sit cõtra Mar-

1 cellinum, † stante mandato per ipsum dato de emendo cedulas; & ideo releuari debeat procurator à mandante *l. inter causas. §. quod seruus. mandat. Parif. conf. 90. num. 38. lib. 1.* Nihilominus hoc casu omissa illa disputatione, an fuerit seruata forma man-

2 dati, † prout seruari debet in omnibus etiã in minima qualitate, *vt per Butr. in c. fin. notab. 7. de restit. spol.* ex quo cedulæ non fuerunt emptæ nomine Marcellini, vt videtur solere obseruari, quando negotium alienum à mercatoribus geri solet, saltem exprimendo in commissione nomen illius, ad cuius commodum negotium geritur: Considerarum fuit à Dominis non constare ex

3 hactenus deductis, † Marcellinum fuisse in tẽpore certioratum de emptione dictarum cedularum, quod fieri debebat ad effectum, vt posset Marcellinus de illis disponere, & illas si sibi videbatur, alijs vendere: Quod eo magis dicendum est, cũ prius fuisset certioratus Marcellinus eas cariori pretio vendi, quàm datum esset in manda-

4 tis; † Ideoq. non debebat esse in facultate D. Septimij eas vel sibi adscribere vel Marcellino iuxta rei dubiæ euentum; quare sibi ipsi imputare debet, si serius quàm oportuit hanc rem propalauit. Neque obstat, quòd tenebatur actione mandati ad implẽdum id, quod susceperat, & sic ad eas emendũ; quia poterat se tueri ex diligentia prius facta de emendo, & notificatione illa, quòd non poterant haberi pro pretio in mandato contento; faciunt in simili, quæ tradit *Cassad. decis. 40. nu. 2. super regul. Rot. decis. 1.*

5 *& 10. de procur. in antiq.* & † quod dicitur de dissidia societatis officij, quæ reproduci debet in actis, ne sit in potestate dissidẽtis ea vti, vel non vti, *Caputaq. decis. 105. lib. 2. in manuscrip.* Non obstant cõiecturæ, quæ deducuntur, super certioratione, quia non concludunt, & in cõtrarium adest illa, quòd si harum cedularũ notitiam habuisset Marcellinus, vtique eas distraxisset, prout fecit de illis, quæ Florentiæ emptæ fuerant.

Romana Damnorum & interesse.
Die Veneris 4. Maij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Debitor excusatur à mora solutionis propter sequestrum super pecunijs appositum; maximè si creditor curauit, vt sequestrum tolleretur, & obtinere non potuit, & num. 3.*

2 *Qui facit aliquid de mandato iudicis excusatur à mora.*

4 *Culpa non ordinata ad effectum damni, sed potius vtilitatis non imputatur ei, qui statim non soluit.*

DECISIO CMXIX.

Plura in casu, de quo agitur, considerata fuerunt, ex quibus moti fuerunt Do-

1 mini † ad excusandum Papum à mora solutionis triummillium; Primum est, quòd Reueren. Camera Apostolica prætendebat correctionem erroris commissi in computis, & quod tam Papus, quàm Tarusius tenerentur ad restitutionem pecuniarum exactarum, vltra veram crediti quantitatem; & ideo curauit apponi sequestrum tam cõtra Papum quàm Tarusium, ratione triummillium ei per Papum debitorum; ideo ex-

2 cusandus est à mora, † cum is qui aliquid facit de mandato iudicis, excusetur, *l. non videtur. §. qui iussu. vbi Dec. & Cagnol. de regul. iur. l. ait Prætor. §. quid tamen. de minor. Bart. in l. creditor. in fin. de solution. Afflict. decis. 150. num. 19. Ruin. cõsil. 71. num. 3. lib. 4.* Secundum est, quòd in huiusmodi iudicio sententia lata fuit cõtra vtrunque, & idcirco excusandus est Papus, si credidit Tarusium teneri pro medietate, vel saltem pro rata, & non diffidit statim de iure suo, *l. penult. de pet. hared.*

3 Tertium est, quod † idem Tarusius curauit, vt sequestrum tolleretur, neque obtinere potuit: Vnde idem etiam euenisset contra Papum, si idem procurasset: Quartum est, expressa prohibitio Cameræ, ne Papus dictam summam Tarusio solueret, quæ & aliàs fuit per Dominos considerata* *sub die Lunæ 17 Sept. prox. præteriti.

4 *per d. §. qui iussu.* † Quod verò deducitur de culpa Papi; eum ea non esset ordinata ad effectum dandi damnum Tarusio, imo potius ad vtilitatem societatis, non est ei imputandum, si statim non soluit sex millia Cameræ; tum quia nihil certi à Camera petitum fuerat ab initio; tum etiam quia contrà vtrunque fuerat motum iudicium; & ideo tenebatur Tarusius causam defendere non minus quàm Papus, *ad tradita per Dec. in cons. 25. Ruin. cons. 147. num. 17. lib. 1. Menoch. de arbitr. casu 137. num. 14.* Et ita conclusum.

Ro-

Romana Saluiani Interdicti.
Die Veneris 11. Maij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Litis contestatio interrumpit praescriptionem.*
2 *Litis contestatio dicitur facta, quando parte citata, & productis iuribus procurator ex aduerso allegauit generalia cōtra.*
3 *In causis summarijs primus actus factus, qui respicit merita causae, habetur loco litis contestationis.*
4 *Interrupta praescriptione statutaria saltē nona praescriptio statutaria requiritur, licèt aliàs Rota tenuerit, quòd fiat redditus ad praescriptionem iuris communis.*
5 *Statutum superueniens est seruandum in facto, quod expectat complementum post statutum.*
6 *Hypothecaria à tertio possessore per decennium praescribitur; secus est contra Ecclesiam.*

DECISIO CMXX.

Fuit resolutum Illustriss. Dominum Marchionem teneri ad solutionem summae, de qua agitur, & competere RR. Monachis Sancti Pauli Saluianum interdictum; habēt enim fundatam intentionem; cum constet de eorum credito per publica instrumenta, in quibus bon. mem. Cardinalis de Gaddis sese obligauit cum hypotheca omnium bonorum; Constat etiam de vtroque extremo, nempe de possessione Cardinalis, & de possessione Marchionis. Nec obstare exceptionem praescriptionis statutariae; nam omissa illa quęstione, an statutum Vrbis cōprehendat Ecclesias, & praesupponendo sine veri praeiudicio, quòd comprehendat; nihilominus hoc casu nō habet locum; quia primò statutum excipit casum, quādo praescriptio fuit interrupta etiam per extraiudicialem interpellationem; hic verò non solum adest extraiudicialis interpellatio,
1 + sed etiam litis contestatio in iudicio formiter facta, quo casu non est dubium interrumpi praescriptionem; nam ante annum 1562. nondum erat lapsum tempus sexdecim annorum, & tunc fuit interrupta praescriptio; cum in causa discussionis haeredi-
2 tatis Cardinalis, + Monachi citata parte produxerunt iura, & petierunt sibi de suo credito satisfieri, & ex aduerso procurator dixit generalia contra, ex quo dicitur facta litis contestatio, *vt per Aretin. in consil. 30. num. 10. versic. quinimmo.* nam in
3 + summarijs primus actus respiciens merita causae habetur loco litis contestationis, *Rota de lit. contest. decis. 1. in nou. Card. in Clem. Constitutionem. §. fin. in fin. de elect.*
4 Vnde + opus erat saltem noua praescriptione statutaria, si nolumus tenere opinionē, quam aliàs *Rota tenuit in Romana de Porcarys,* * quòd fiat redditus ad praescriptionem iuris communis, ea autem incipere non poterat nisi ab anno 1566. quo finita fuit praefata lis, & ante lapsum sexdecim
5 annorum + superuenit statutum nouum de anno 1580. excipiens debitum ex causa cēsus, quod est seruandum, cum respiciat factum, quod expectat complementum post statutum, *vt per Felin. in cap. fin. num. 11. de constitut. Ruin. in cons. 49. lib. 3. Rolan. de lucr. dot. quaest. 93.* Non obstat, quod di-
6 citur + hypothecariam praescribi decennio à tertio possessore; quia dato quòd haec opinio esset vera, non procedit contra Ecclesiam, sed etiam tollit omnem ansam disputandi instrumentum exhibitum nuperrimè, quod est confectum de anno 1571. in quo continetur declaratio facta super isto credito inter praefatos Monachos, & bon. me. Illustriss. Cardinalem Caesium. Quare conclusum esse locum Saluiano interdicto.

* In Romana bonorum de Porcarijs 14. Ian. 1575 coram R.P.D. Robusterio.

Vrbeuetana Census.
Die Lunae 14. Maij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Solutio fructuum census facta de mandato alicuius facit, quòd census praesumatur ad eū spectare, qui soluere mādauit.*

DECISIO CMXXI.

In resolutis pro confirmatione sententiae Auditoris Camerae; nam ex tota serie facti apparet hunc censum fuisse impositum à fratribus Episcopi contemplatione ipsius, & ex praecedentibus & sequētibus apparet, quòd facto recognouit bonam fidem, praecedit enim mandatum & subsequitur solutio fructuum facta de man-
1 dato Episcopi, + ex qua praesumitur censum ad ipsum pertinuisse, *Alciat. de praesumpt. reg. 3. praesumpt. 29. num. 5.* Accedit quoque obseruantia Iulij haeredis, qui extinxit partem census, & residui fructus soluit. Neque obstat diuisio facta inter fratres Episcopi, quia communicarunt inter se debita propria non autem Episcopi, quod apparet ex solutione fructuum facta semper ab Episcopo etiam post factam diuisionem.

Ariminen. Castrorum seu rescissionis.
Die Veneris 18. Maij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Pactum conuentum in instrumento, quòd altera partium non teneatur respondere quicquam, nisi restitutis acceptis, & soluta poena, non est amplius seruandū post commissionem rescissionis ipsius instrumenti à Papa obtentam, narrato ipsi Papae toto instrumenti tenore.*
2 *Clausula, & iustitiam faciat, posita in commissione à Regente, non habet locum, vbi Papa expressit, & ex certa scientia ali-*

aliquid concedit, quod videatur esse contra iuris communis dispositionem.

3 *Papa concedens aliquid expressè & ex certa scientia, etiam quòd videatur esse cōtra iuris communis dispositionem est seruandum, & censetur concessum remoto iuris obstaculo.*

4 *Signatura Papæ semper est præcipuè attēdenda, non autem extensio Regentis; secus est in rescriptis signaturæ Iustitiæ, in quibus attenditur extensio Regentis.*

5 *Verba in concessione rescripti apposita, prout iuris fuerit, restringunt tantum verba præcedentia, non autē referuntur ad omnia contenta in commissione, in quibus adest specialis determinatio.*

6 *Derogatio regulæ de iure quæsito non tollendo non est necessaria, quando ius petendi, seu repetendi aliquid non competit simpliciter, sed sub conditione, quia potest per Papam tolli absque derogatione dictæ regulæ, antequam tamen aperta sit via deducendi dictum ius in iudicio.*

7 *Ius partis non potest tolli per rescriptum Principis; fallit tamen, quando subest causa rationabilis.*

8 *Ratio illa, ne mulier remaneat indotata, dicitur valde rationabilis & æqua.*

DECISIO CMXXII.

FVit resolutum Illustrissimos Dominos coniuges esse in hac causa audiendos, contra Illustrissimum Dominum Marchionem Malatestam etiam non restitutis per eū
1 receptis; † quamuis enim in instrumentis expressè conuentum fuerit, quòd Dominus Marchio non teneatur respondere alicui, nisi prius restitutis acceptis, & soluta pœna: nihilominus cum Papa narrato toto tenore instrumenti expressè commiserit causam rescissionis dictorum instrumentorum absque solutione alicuius pœnæ & absque restitutione respectiuè, & de potestate committentis dubitandum non sit, vtique ex facti ei plenè narrati cognitione apparet de
2 eius voluntate. † Neque obstat clausula posita in extensione R. P. D. Regentis, & iustitiam faciat, *iuxta decisionem Crescent. 47.* quia non procedit, vbi Papa expressè,
3 & ex certa scientia aliquid concedit, quod videatur esse contra iuris communis dispositionem; nam illud est seruandum, vt censeatur facta concessio remoto iuris obstaculo, *vt bene per Anchar. cons. 293. num. 3.*
4 & semper consueuit dici in Rota † attendēdam esse præcipuè Signaturam Papæ nō autem extensionē Regentis; decisio verò Crescentij procedit in rescriptis Signaturæ Iustitiæ. Non obstat, quòd addita fuerint in
5 corpore concessionis† verba illa, prout iuris fuerit; quia restringunt tantum verba præcedentia, non autem referuntur ad omnia contenta in commissione, in quibus adest specialis determinatio, quod satis apparet ex eorum geminatione; si enim essent referenda ad alia, quam ad ea, quæ immediatè præcedunt, satis fuisset vnica vice tantum ea in fine commissionis apposuisse.
6 Neque obstat, † quod dicitur non fuisse derogatum regulæ de iure quæsito non tollendo, quia cum ius repetendi non competat simpliciter, sed sub tacita conditione, si pars controuersiam mouerit; & ita sit conditionale, potest tolli per Papam, antequam aperta sit via deducendi hoc ius in iudicio, neque requiritur derogatio regulæ, *vt per Roman. in cons. 256. & ibi per Addit. in fin. facit decisio Putei 264. lib. 2. sed etiam in*
7 *terminis l. si diuersa. C. de transact.* † licèt ius partis non possit tolli per rescriptum Principis; hoc tamen fallit, nisi subsisteret causa rationabilis, *vt per glos. & Doctor. in l. fin. C. si contr. ius vel vtil. publ. & Doctor. in cap. quæ in Ecclesiarum. de constitut.*
8 *& notat Ias. in d. l. si diuersa num. 2.* † Hic autem subest causa valde rationabilis, nempe quia hæc, quæ recepit Domina Leonida à patre, ei ex alia causa retinere licet, nempe dotis, & est limitatio ad dictam legem, quam Rota amplexa est in causa *Tirasonen. iuris præsentādi 11. February, & 29. Marty 1585. coram bon. mem. Lauretano & in alijs pluribus causis*, quod magis procedit in casu nostro, cum non simus in transactione, sed in contractu dotis, in quo ad tollendam omnem viam filiæ dicendi de læsione, fuerunt apposita ista pacta satis exorbitantia: Quibus tamen non obstantibus competit ei ius retentionis ex alia causa, vt supra dictum est; Ideoq. eis debuit, & potuit Papa derogare, prout fecit, ad effectum cognoscendi tantum de iustitia & meritis causæ. Cumq. dispositio *d. l. si diuersa* fundetur in æquitate, *vt ibidem habetur in textu*, hic clarè in contrarium militat validissima æquitatis ratio, ne Domina Leonida sit indotata; maximè cum magna pars ipsius dotis etiam hodie sit penes ipsum patrem: Quare conclusum dictos Dominos coniuges esse audiendos etiam non restitutis acceptis, neque pœna soluta, prout à Papa in commissione indulgetur.

Ispalen. Iuris nominandi.
Die Lunæ 21. Maij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Res quæ non percipitur per sensum corporeum, non probatur, nisi reddatur concludens ratio dicti.*

DECISIO CMXXIII.

ACtum fuit dato summario testium pro parte Illustriss. Archiepiscopi examinatorum: An & quibus in locis diœcesis Ispalēsis probetur Curatos præcessisse in

Ecclesijs dictæ diœcesis, & fuit per Dominos facta discussio testium, & conclusum quòd quantum ad Oppidum de Ezila non probatur præsidētia præsentibus beneficiatis in Ecclesia Sanctæ Crucis per decimumnonum testem super septimo; immo idem testis in alijs Ecclesijs prædicti Oppidi dicit beneficiatos præsidere per statutum, aut consuetudinem, quam habent beneficiati; Idē videtur probare testis 20. ad 45. dū dicit quòd Curatus antiquior seruitor beneficij, quamuis non sit curatus, dum tamen sit antiquior, præsidet in Ecclesia Sanctæ Crucis dicti Oppidi; in alijs verò beneficiatus, aut eius Locūtenens antiquior, cui est contestis 21. ad 45. interrogatorium. Quantum ad Oppidum de Sanlucar, debilis est probatio Archiepiscopi; quia trigesimusoctauus testis allegatus videtur sibi contrarius, cum primo dicat, quòd Vicarius absens relinquebat commēdatam præsidentiam beneficiatis antiquioribus, qui illam faciebant tanquam curati; sed an illam facerent de commissione Prouisoris nescit; nam si Vicarius commendabat illis præsidentiam, vtique de eius commissione præsidebant, & quòd tanquam curati id facerent; † cum sit res quæ non percipitur

1 per sensum corporeum, non probatur, nisi reddatur concludens ratio dicti, & idem etiam dicitur contra trigesimumseptimum & trigesimumnonum & quadragesimum testem. Quantum ad Oppidum de Arcos, quamuis decimussextus testis super septimo & quadragesimosecundo super eodem probent, quòd in absentia Vicarij Curatus antiquior præsidet, tamen ista probatio eliditur ex dicto quadragesimiprimi testis, qui dicit, quòd nunquam vidit, quòd beneficiati proprietarij resederint in dicto Oppido; ideo concludit tantum respectu seruitorum. Quantum ad Oppidum de Xerea testis quadragesimusquartus loquitur de auditu, & non recordatur an adessent beneficiati, & remouet actum à sensu non sensum ab actu; nam licèt ipse non viderit potuerunt alij vidisse contrarium. Quantum ad Oppidum de Marquena trigesimus testis nihil probat, quia dicit, quòd in dicta Ecclesia nunquam adfuerunt beneficiati proprietarij; ideo afficeret seruitores tantum. Quantum ad Oppidum de Lebrixa, & loca circumuicina, decimus testis bene deponit, sed non exprimit, an adessent beneficiati proprietarij, & licèt decimusquintus bene probet, tamen decimusseptimus super septimo dicit, quòd quando Curati præsidebant, beneficiati non erant præsentes, sed seruitores tantum. Quantum ad Oppidū de Vtrera testis duodecimus & quadragesimusquintus bene probant præsidentiā Curatorum, idem probant decimustertius & decimusquartus. Et hactenus fuerunt discussa dicta testium super prænominatis locis. Reliqua suo tempore discutientur.

Mediolanen. Canonicatus.
Die Veneris 25. Maij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Canonicus, qui est sacerdos, non ob id impeditur, quin possit prebendam subdiaconalem retinere.*

2 *Ad probationem valoris obtentorum sufficit qualibet leuissima probatio.*

DECISIO CMXXIV.

FVit dubitatum, an gratia Domini Marci Antonij sit iustificata; iustificatio verò in eo desiderabatur, quòd narratum fuerat Canonicatum & præbendam subdiaconales maioris Ecclesiæ Mediolanensis vacasse per obitum Ioannis Antonij Boriporti, necnon Capellaniam perpetuam ad altare S. Ioannis Baptistæ sitam in Ecclesia Sancti Laurentij maioris per obitum Annibalis de Comitibus, quorum insimul fructus 24. ducatorum de Camera valorem annuum non excedunt; Ideoq. pro iustificatione inducti fuerant testes pro parte Marci Antonij, quos Domini censuerunt probare concludenter vacationem dictorū Canonicatus & Capellaniæ; nam quantum ad Canonicatum primus testis super quinto, secundus super quinto & sexto, tertius iuxta septimum bene probant, eorumque probatio confirmatur ex assertione cōtenta in decreto bon. mem. Cardinalis Borromæi* facta cum interuētu Capituli super distinctione dignitatum Canonicatuum & præbendarum respectu ordinum annexorū de anno 1572. Neque huic probationi obstat, quod ex aduerso prætenditur, fuisse de dicto Canonicatu & præbenda prouisum per prædictum bo. mem. Cardinalem Borromæum Lanfranco Regnæ, quem etiam dicti testes vti Canonicum agnoscunt, nam ex distinctione Canonicatuum & præbendarum contenta in prædicto decreto apparet diuersam esse præbendam Lanfranchi ab ista, cum illa sit diaconalis, hæc verò subdiaconalis, & vtriusque in eadem scriptura eodem tempore sit mentio tanquam diuersarum, tum numero tum ratione ordinis, quod quidem confirmatur ex prædictis testibus primo & tertio iuxta decimum, & quarto super secundo. Neque obstare, quòd Ioannes Antonius esset sacerdos, † quia nō faceit hoc, quin possit habere præbendā subdiaconalem, & ista narratiua respicit qualitatem præbendæ non autem ipsius Boriporti; nam ratione dictæ præbendæ subdiaconalis dicebatur subdiaconus. Quantum ad valorem Capellæ Sanctæ Mariæ, quam prius obtinebat, fuit dictum satis probari per testes, primum iuxta vigesimum & vigesi-

Marginal notes: 1 (beside "romæi* facta cum interuētu Capituli super"); 2 (beside "Ioannes Antonius esset sacerdos").

* qui fuit S. Carolus Borromæus per Paulū V hactenus in sāctorū cætum adscriptus.

gesimumsecundum, & tertium & quartum,
2 quia † in hoc qualibet leuissima probatio sufficit respectu obtentorum. Quantum verò ad valorem impetratorum, Domini dixerunt, non iustificari, eum eorum valor fuerit confusè & simul narratus non excedere 24. ducatos; & ideo esse melius iustificandum. Reliquæ obiectiones visæ sunt satis leues; nam quod dicitur de fundatione Capellæ sitæ in Ecclesia Sancti Laurentij non verificatur, neque de ea apparet. Neque obstat statutum fundamentale Ecclesiæ; quia in gratia fuit ei derogatum, prout passim solet fieri in omnibus similibus gratijs. Et postremo quod deducitur ex regula de annali, & de triennali, allegando possessionem Lanfranchi, nullius est ponderis, cum ex supra deductis constet istas præbendas esse numero & qualitate omnino diuersas. Et ita conclusum.

Romana Viridarij.
Die Lunæ 28. Maij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Hæres non potest in præiudicium fideicommissi alienare seu hypothecare bona fideicommisso subiecta pro soluendis proprijs debitis.*

2 *Bona fideicommisso subiecta pro alimentis necessarijs alienari possunt; sed hoc procedit in descendentibus testatoris non autem in extraneis.*

3 *Expensa facta in litibus necessarijs pro recuperatione seu defensione bonorum fideicommisso subiectorum per legatarios seu fideicommissarios sunt reficiendæ.*

4 *Hæres non potest deducere expensas, quas fecit in hæreditate gerēdo negotium proprium, sed nec etiam aliorum ad fideicōmissum vocatorum post eius obitum.*

5 *Expensa facta in lite pro defensione bonorum fideicommissariorum non sunt restituenda, nisi hæres obtineat in lite, vel saltem lis redacta sit ad eum statum, vt aduersarius videns contra se rem claram, & agnoscens bonam fidem statim cesserit liti.*

6 *Expensa facta in lite præsumuntur facta de pecunijs mutuo acceptis, quando ille, qui fecit expensas non habebat aliunde, vnde faceret.*

DECISIO CMXXV.

PRo resolutione dubij fuerūt per Dominos excitatæ plures difficultates; Prima est, an Dominus Marius Vitocius petēs se immitti in possessionem Viridarij vigore fideicommissi, teneatur ante omnia restituere pecunias, quas D. Marius Capisucchus mutuo dedit Mutio pro soluendo ære alieno. Secunda est, an teneatur soluere expensas factas pro alimentis Domini Mutij. Tertia est, an dictus Marius possit repetere pecunias mutuatas Mutio ad effectum recuperandi bona fideicommisso subiecta, necnon expensas factas in lite contra fratres Sanctæ Sabinæ. Quarta est, an ex his, quæ deducuntur, probetur quantitas dictarum pecuniarum mutuatarum & expensarum per Dominum Marium. Quinta est, an præsumendum sit expensas factas in lite per Mutium fuisse ex pecunijs mutuo ei datis per Marium. Sexta & vltima, An Dominus Marius Capisucchus teneatur fructus perceptos ex Viridario computare in extinctionem sui crediti. Quantum ad primam, Domini censuerunt Vitocium non teneri ad restitutionem pecuniarum erogatarum pro soluendo ære alieno Mu-
1 tij, quia † hæres non potest in præiudicium fideicommissi alienare seu hypothecare bona subiecta fideicōmisso pro soluendis proprijs debitis, *l. peto. §. prædio. de legat. 2. l. fin. §. sin autem sub conditione. C. comm. de legat. Ruin. consil. 93. lib. 1.* Quantum ad secundam difficultatem dictum fuit Vitocium non teneri ad restitutionem pecuniarum erogatarum per Capisucchum pro
2 alimentis Mutij; † quia licèt bona fideicōmisso subiecta alienari possint pro alimentis necessarijs, *vt per Doctor. in Authent. res qua. C. comm. de legat. Roman. in consil. 267. Ruin. cons. 199. num. 8. lib. 2.* nihilominus hoc procedit in descendētibus testatoris non autem in extraneis. Quan-
3 tum ad tertiam difficultatem dictum † fuit expensas factas per Mutiū pro recuperandis bonis hæreditarijs alienatis, reficiendas esse, quia expensæ factæ in litibus necessarijs pro recuperatione seu pro defensione bonorum fideicommisso subiectorum omnino refici debent per legatarios seu fideicommissarios, *l. fin. §. in computatione. vbi Bald. Ang. in princip. Alexan. num. 3. Ias. num. 3. C. de iur. deliber. Marzar. de fideicomm. quæst. 67. Æmili. cons. 15. num. 2. nam vt dicit Fulgos.* hæres detrahit omnes expensas factas in causis hæreditarijs, & negari non potest pertinere ad causam hæreditatis curare, ne hæreditas ad alios deuoluatur, quàm illos, quos testator expressè voluit sibi succedere, *vt per Alex.*
4 *d. num. 3.* Neque obstat, quòd † hæres nō deducit expensas, quas facit gerendo negotium proprium, *vt per Bald. ibid.* quia hic non solum agebatur de commodo Mutij, sed & aliorum vocatorum post eius obi-
5 tum. Neque obstat, quòd † expensæ non sint reficiendæ, nisi hæres obtineat in lite mota, *vt per Angel. ibid. quem sequuntur Doctor.* quia satis est, quòd res redacta fuerit ad eum statum, vt defuncto Alexandro Aurelius videns rem esse contra se claram, & agnoscens bonam fidem statim cesserit liti, cuius vigore Mutius postea obtinuit

possessionem bonorum, & eadem ratione debent refici expensæ factæ per Capisucchum in defensione litis contra Fratres. Quantum ad quartam difficultatem, ea est particulariter discutienda dato summario testium. Quantum ad quintam, licèt fideicommissarius prætendat non constare pecunias fuisse mutuatas in hanc causam expensarum litis; & ideo se vti anteriorem præferendum, *vt per Ias. in l. creditor. la prima. num. 2. si cert. petat. Negusant. de pignor. 2. membr. 5. part. post num. 15. vers. & ita prima fallentia.* Tamen Domini dixerunt, hoc casu † præsumendum fuisse factas expēsas ex pecunijs mutuo acceptis à Capisucco, *vt per Bart. in l. si neutri. §. fin. de priuil. credit. sequitur Paul. de Castr. in d. §. in computatione. num. 3. versic. sed pone.* & hoc transit sine difficultate, quando ille, qui fecit expensas non habebat aliunde vnde faceret, *vt per Rip. in d. §. fin. num. 11.* Quare eodem pacto poterit has expensas deducere Capisucchus, prout poterat Mutius. Quantum ad sextam difficultatem, de ea poterit particulariter videri.

Romana Saluiani interdicti.
Die Veneris 8. Iunij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Interruptio præscriptionis, quæ fit iudicialiter per litis contestationem, perpetuat actionem ad triginta annos.*
2 *Interruptio præscriptionis, quæ fit per actus ciuiles, producit effectum respectu eorum tantum, contra quos facti sunt illi actus.*
3 *Contra non valentem agere nulla currit præscriptio.*

DECISIO CMXXVI.

Domini steterunt in resolutis; * nam stante quòd † interruptio, quæ fit iudicialiter per litis contestationem, perpetuat actionem ad triginta annos, *vt fuit dictum in illa Romana tutelæ de Fabijs coram R. P. D. meo Orano,* ª nulla potest considerari præscriptio in casu, de quo agitur, & licèt pro parte Illustrissimi Domini Marchionis prætendatur præscriptio ex propria persona, ratione donationis ei factæ per bon. mem. Illustriss. Cardinalem, cum 2 † interruptio, quæ fit per actus ciuiles, producat effectum respectu eorum tantum, contra quos facti sunt illi actus, *vt per Anton. de Butr. in cap. illud. num. 8. vers. effectus. de præscript. l. 1. & ibi glos. C. de præscript. long. temp. Balb. in tract. de præscript. 3. part. 6. part. princip. quæst. 4. numer. 44. cum allegatis:* Tamen hæc ratio non placuit Dominis, quia donatio, de qua agitur, non fuit pura & simplex, sed cum

* sub die Veneri. 11. Maij prox. præteriti.

ª sub die Veneris 10. Ian. 1581.

reseruatione vsusfructus & liberæ & plenæ administrationis & gubernij, & omnia faciendi, quæ ante dictam donationem facere poterat, prout verè fecit, vt per testes probatur: Vnde cum ratione harum reseruationum ipse Cardinalis teneretur ad solutionem istorum censuum, non autem D. Marchio, contra quem nulla competebat tunc temporis efficax actio, vtique non potuit ex persona sua præscribere; cum con-
3 tra † non valentem agere nulla currat præscriptio, neque vlla impingi possit negligentia Monachis, si contra eum non egerunt: Præterea cum statutum inducat præscriptionem per viam præsumptæ solutionis, vtique in casu isto cessat, cum exclusa fuerit hæc præsumptio ratione Cardinalis per instrumentum aliàs ponderatum; respectu verò Marchionis clarè excluditur ex eo, quòd ipse non tenebatur ad huiusmodi solutionem, & præsumptio *l. cum de indebito. de solution.* optimè elidit hanc statutariam; adeo quòd ex omni capite excluditur, neque est opus hic aggredi difficultatem illam, an statutum nouum locū habeat in isto debito tanquam casuali. Quæ verò deducuntur ex præsumptione solutionis trium annorum, vnà cum quietantijs procuratoris Monachorum, fuit omissum in præsentia, & ordinatum, vt particulariter super eo informetur.

Romana de Valle.
Die Veneris 8. Iunij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Ex instrumento emptionis rei probatur illius dominium, maximè accedentibus adminiculis.*
2 *Maritus potest pro muliere vti administrator comparere, & in eo præsumitur mandatum.*
3 *Pedagium seu gabella vel cottiuum præsumitur possessum titulo hæreditario, cōcurrentibus præsumptionibus vel adminiculis.*

DECISIO CMXXVII.

Fuit resolutum ex his, quæ deducuntur pro parte Domini Valerij probari plateaticum siue cottiuum piscium, de quo agitur, fuisse cum bonis Pauli, & de identitate constare, primo ex instrumento emptionis dicti Plateatici per Paulum de an-
1 no 1454. in actis producto, † ex quo probatur dominium *l. proprietatis. C. de probation.* maximè accedentibus adminiculis, *vt ibi per glos.* Secundo ex eo, quòd concurrunt vrgentia adminicula pro hac parte; nam primo adsunt articuli dati aliàs corā Illustrissimis Cardinalibus iudicibus delegatis in causa fideicommissi per bon. mem. quondam D. Camillum de Rusticis,

iu quibus contincetur Philippum de Valle inter cætera eius boua hęreditaria reliquisse quoddam Pedagium siue gabellam, vulgariter dictum Cottiuum piseium in plarea S. Angeli in foro piseium. Neque obstat, quòd uon constet de mandato D. Camilli; tum quia erat maritus Dominæ Faustiuæ, à qua ius habent Domini Capranicē-
2 ses; † ideo potuit pro ea vti administrator comparere, *l. maritus. C. de procurator. l. si constante. §. si maritus. & l. pen. & fin. solut. matrim. Bart. in l. seruus dotalis. in fin. eod. tit.* tum eriam quia adest instrumentum ratifieatiouis Dominæ Faustiuæ gestorum per ipsum, & etiam fuit per eum obtentum mandatum exequutiuum, per quod fuit immissa Domina Faustiua in possessionem bonorum iuxta formam sententiæ; Ideo præsumitur mandatum, *Ruin. in cons. 35. n. 21. lib. 1. Gabr. de procurator. conclus. 1. n. 25. Crescent. decis. 89. lib. 1.* Tertio adest mādatum exequutum coutra D. Aurelium Varum pro consequendis fructibus decursis dicti Cottiui. Quarto adsunt testes de-
3 pouentes, quòd † huiusmodi Cottiuum fuit possessum per hęredes Philippi, qui fuerunt Domini de Valle, pro duabus tertijs, & Domini de Capranica pro vna tertia: Vude succedit præsumptio, quòd præsumuutur possrdisse ex titulo hærrditario, *l. 3. §. quod in subeunda. C. de lib. preter. Alciat. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 23. n. 3.* Atque etiam hine colligitur probatio idētitatis, nempe ex partium diuisione, quæ respondet numero hæredum, vltra quod pluralitas nou præsumitur: Verum quoniam pro parte Dominorum Capranieeusiū fuit in Rota rxhibitum quoddam instrumētum de nouo repertum, ex quo prætendunt constare de pluralitate illius Cottiui; Domini ordinarunt capi resolutionem circunseripto dicto iustrumeuto, quod erit produeeudum, & eo producto videndum de eius relcuantia.

Parmen. Status.
Die Lunæ 25. Iunij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Res dicitur de antiquo, quæ excedit sexaginta & septuaginta annos, neque ad hoc subducitur tempus litis.*
2 *Obseruantia facit, quòd plena fides adhibeatur scripturæ.*

DECISIO CMXXVIII.

FVit dubitatum, an filcia, & iustrumentum quietantiæ, de quibus agitur, sint sufficienrer recoguita; dubium faciebant exceptiones, quæ coutra testes super recognitione examinatos opponebātur tam respectu personarum quàm respectu dictorū, prout latè deducuntur in informatione facti Dominorum de Rangonibus. Quibus tameu non obstantibus Domini censuerunt sufficienter esse recognita; quamuis enim ex solis testibus uon mouerentur ad ita arbitraudum, tamen ex circunstantijs facti & adminiculis res redditur satis clara, & procul ab omni suspicione; Primo enim consideratum fuit non posse in dubium reuocari Petrum Paulum Gallicauum fuisse notarium matrieulatum in Collegio notariorum Parmæ, eundemq. officium notariatus exercuisse per plures annos, prout constat ex præsrntatione 26. filciarum per ipsum rogatarum, quæ capiunt trmpus ab anno 1476. vsque ad annum 1513. & sic annorum 37. adeo quòd omnino est inuerisimile, quòd pro fabrieanda falsitate fuerint tot filciæ, & tam ingens numerus instrumentorum suppositus, est enim impossibile: Has verò filcias fuisse Petri Pauli probatur ex multis subscriptionibus instrumeutorū iu fileia existentium, & etiam ex instrumēro euiusdam maudati per dictum Petrum Paulum scripti & publieati, cuius matrix reperitur in dicta fileia anni 1510. & confirmatur ex rubrieella nuperrime iu Rota per Dominos Pallauieinos exhibita. Secundo hoc idem probarur ex obseruautia, cum post obitum dicti PetriPauli à Collegio notariorum Parmæ fuerinr datæ concessiones tam generales quàm partieulares pro extrahendis & publicandis instrumentis in dictis fileijs contentis, videlicet vna data Ioan. Hilario filio dicti PetriPauli de anno 1514. Alia Michaeli Pecorino de anno 1554. Alia Iulio Pecorino de anno 1570. & alia specialis Iacobo Rambolino de anuo 1556. quæ iu specie est pro extraheudo instrumento ex filcia, de qua agitur, nempe anni 1510. Tertio hæc eadem obseruantia probatur ex legalitate Collegij notariorū Parmæ apposita in instrumeutis ex dictis filcijs extractis, prout videre est in instrumento paeis extracto per Ioan. Hilarium, & in instrumento quietantiæ, de qua agitur, extracto per Iulium Pecorinum concessionarium. Quarto accedit, quòd omnes istæ fileiæ fuerunt coram Vuiuersitatibus præsentatæ, & per eas visitatæ pro filcijs PetriPauli. Quibus omnibus consideratis, res visa est Dominis carere difficultate; maximè cum exhibitis istis scripturis oculari ipsorum inspectioni appareat vniformis scriptura mauu vnius & eiusdem notarij: vnde fit, vt parum attendendæ sint exceptiones deductæ contra testes respectu recognitionis; præsertim cum quantum ad
1 eas † res sit de antiquo, cum excedat nedum sexaginta annos, sed etiam septuaginta, *Caputaq. decis. 5. part. 3. Pute. decis. 151. lib. 1. & 13. de fid. instrum. Ant. Aug. in Epit. tit. communi de fid. instrum. §. 16.* neque hoc casu subduci debet tem-

2 pus litis, *idem lib. 3, decis. 236.* † Obseruantia verò facit, vt fides plena adhibeatur, *Cyn. inter consil. Bald. cons. 400. lib. 4. Aym. cons. 101. num. 4. & 274. numer. 6. Idem de antiq. temp. part. 1. §. quarto limitatur. num. 14. cum sequentib.* Quibus addi possunt ea, quæ aliàs super fide huius scripturæ per Dominos decisa fuerunt. Et ex his cõclusũ pro sufficiẽti recognitione.

Romana Domus de Barbarellis.
Die Mercurij 4. Iulij 1590.

SVMMARIVM.

1 *Subhastatio facta contra formam mandati iudicis est nulla.*
2 *Nuda possessio sine titulo non transfert dominium.*
3 *Per subhastationem rei non infertur ad translationem dominy in necessarium antecedens, nisi adsit expressus cõsensus.*

DECISIO CMXXIX.

DOmini dixerunt non esse recedendum à resolotis * ex his, quæ deducuntur
1 contra Barbarellos; nam † subhastationis nullitas excusari nullo modo potest, cum facta fuerit contra formam mandati. Neque obstat, quòd tempore deliberationis, Barbarelli domum, de qua agitur, habitarent, quia hoc non probatur, sed de tempore tãtum adeptæ possessionis per Scipionem, neque si probaretur, releuat, non enim ex hoc necessariò arguitur retrouenditio, neque recessus à priori contractu *l. 1. vbi Doctor. C. quand. lic. ab empt. reced. glos. & Doctor.*
2 *in l. ab emptione. de pact.* † nuda enim posses-
sio sine titulo non trãsfert dominiũ, *l. nũquã*
3 *nuda. de acquir. rer. dom.* † neque inferri potest ad translationem dominij ex eo, quòd Cosmus egerit ad subhastationem domus, vti necessarium antecedens, quia requirebatur expressus consensus illorum de Barbarellis. Quod allegatur *ex Bald. in l. si ob causam. num. 1. C. de euiction.* non facit ad rem, cum hic habeamus expressam formam mandati, contra quam fuit nulliter processum; Ideoq. standum in decisis.

* sub die Veneris 12 Ian. prox. præteriti.

Catanien. Legitimitatis.
Die Lunæ 14. Ianuarij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Sententia bene concepta nulla indiget declaratoria.*
2 *In causis omnino separatis, & diuersam defensionem requirentibus, per commissionem vnius alteri non præiudicatur, nec respectu vnius super alia potest inferri violentia.*

DECISIO CMXXX.

DOmini dixerũt fuisse rite & rectè processum in causa Catanien. Legitimitatis contra Dominam Ioannam de Ortega, & Dominum Don Petrum de Moncata, cum fuerit specialiter obtenta commissio pro parte Domini Don Thomasij contra vtrunque tam Dominam Ioannã quàm Don Petrum, & in hac causa processum cũ Domino Nicolao Scaliono vtriusque procuratore, eoq. ad omnes actus legitimè ci-
1 tato; † Ideoq. non posse dari aliquam declaratoriam, cum sententia sit bene concepta contra vtrunque; neque timendum esse, ne hæc sententia, quæ est lata super legitimitate quorumcunque antecessorum dicti Don Thomasij pariat præiudicium alteri causæ, quæ adhuc in Rota agitatur super illegitimitate Io. Thomasij senioris, quia hæc causa specificè excipitur in dicta commissione, neque ab ea comprehenditur, stã-
2 te huiusmodi exceptione: Vnde † cum sint causæ omnino separatæ, & diuersam defensionem habentes, altera alteri præiudicare non potest, neque vnius prætextu super alia vlla inferri violẽtia, & hoc sufficere pro securitate & indemnitate D. Don Petri.

Ariminen. Castrorum.
Die Mercurij 23. Ianuarij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Renunciatio facta ab eo, qui inductus fuit ad renunciandum sub erronea assertione, non valet.*
2 *Gratia Papæ restringenda est, vt minus lædat ius tertij, quam fieri possit.*
3 *Valor rei in dotem assignatæ attendi debet de tempore assignationis dotis, & si valor rei crescat, cadere debet in commodũ & vtilitatem eius, cui fuit assignata.*
4 *Error in renunciatione excludit cõsensum.*
5 *Alleganti errorem incumbit onus probandi concludenter rem aliter, quàm narratum fuit, se habere.*

DECISIO CMXXXI.

1 DOmini fuerunt in sententia, † renunciationem, de qua agitur, non subsistere ea ratione, quia Illust. Domina Leonida videtur inducta ad renunciandum, eo quòd fuit narratum fel. rec. Pium Quintum in suo motuproprio mandasse, vt pro pretio Castrorum soluerentur scuta octomillia; quæ tamen assertio erronea esse deprehenditur, cum in dicto rescripto contineatur, quod pro eius dote Illust. D. Iacobus condecentem pecuniarum quantitatem, ac ad dictorum Castrorum valorem erogare intendit, quæ verba non innuunt, vt pro dote assignaretur pretiũ illud octomillium olim pro Castris solutum, sed vt da-

daretur eius valor in dotem Dominæ Leonidæ; tum ex eo quòd eum Papa ei respectu dominij præiudicaret, verisimile nō est voluisse præiudicare respectu valoris, † cum gratia Papæ restringenda sit, vt minus lædat ius tertij quàm fieri possit, *l. 2. §. merito. & §. si quis. ne quis in flum. publ.* tū etiam quia † valor debet intelligi de temporæ gratiæ vel assignationis dotis, *l. 2. C. de rescind. vend. cap. ad aures. & ibi glos. de reb. Eccles. non alienan.* etenim si post illud tempus prioris emptionis creuerat valor Castrorum, cadere debebat in commodum & vtilitatem ipsius proprietariæ: & ex hoc capite censuerunt Domini constare Dominam Leonidam errasse, & † hunc errorem excludere consensum, *l. si quis affirmauerit. & l. quod venditor. de dol. mal. Dec. in cons. 318. num. 4. Aym. cons. 157. num. 24. cum simil.* Verum si pretium illud octomillium scutorum esset æquiualens dictis Castris habita ratione tēporis assignationis dotis fortasse sustineretur renunciatio, cum hoc præsupposito excludatur error; tārundem enim est, dara fuisse scuta octomillia, ac si datus fuisset verus valor Castrorum, Domini dixerunt videndum esse, cui incumbat onus probandi hoc pretium octo millium fuisse vel non fuisse æquiualens, & verum dictorum Castrorum pretium. Et ita conclusum omissis alijs capitibus, in quibus existimarunt non posse fieri solidum fundamentum; cum † alleganti errorem incumbat onus probandi concludenter rem aliter, quàm narratum fuit, se habere, *l. de ætate. §. fin. de inter. action. l. cum de indebito. §. 1. de probation. cum similibus.*

2
3
4
5

Romana Domus.
Die Veneris 1. Februarij 1591.

SVMMARIVM.

1 *In venditione rei, non censetur venditum nisi illud ius tantum, quod quis habet in ea re, nisi ex coniecturis aliud sit dictū.*
2 *Mandatum datum ad vendendum certa bona stabilia, non censetur datum ad vendendum ius tantum, quod mandanti in illa re competit, sed de re ipsa sensisse videtur.*
3 *Appellatione stabilium non veniunt iura & actiones secundum propriam vocabuli significationem.*
4 *Idē indicatur de iuribus & actionibus, quæ in re competunt, quod de ipsa re, super qua competunt.*
5 *Verba venditionis domus concepta sub huiusmodi forma, quandā domū soleratam, & tectatam, cum membris & pertinentys suis, magis denotant domum ipsam, quàm ius aliquod super ea competens.*
6 *Idem est si in venditione adsint verba continentia omnimodam cessionem, & iuris translationem.*
7 *In venditione commoditatis, quam quis habet in re, vita sua tantum durante, non est necesse adhibere consensum directi domini rei.*
8 *Actus incontinenti factus multum facit ad declarationem actus præcedentis.*
9 *Actus continuatus, & vnico contextu explicatus, dicitur vnicus & correspectiuus.*
10 *Allegans præsentiam tenetur eam concludenter probare.*
11 *Præsentia semel probata, alleganti absentiam & discessum à loco, incumbit onus probandi.*
12 *Actus aliqui iudiciales, si facti fuerint præsentibus procuratoribus, & postea sequantur verba continuatiua aliorum actuum, præsumuntur & ipsi in præsentia eorundem procuratorum facti.*
13 *Ex quantitate pretij facilè arguitur, quid in venditione facta contineatur, & quid sit venditum.*
14 *Clausula in venditione, nullo iure reseruato &c. de stylo extenditur, sibi nec suis successoribus de cætero reseruato.*
15 *Inuerisimile est, quòd quis velit satis notabilem pecuniarum summam exponere pro emendo iure, quod ex aliena vita omnino pendeat.*
16 *Rescissio ex capite læsionis est contraria resolutioni contractus.*
17 *Vendens rem censetur eam vendere pleno iure, maximè stantibus coniecturis.*

DECISIO CMXXXII.

1 Constituta fuerat regula ad fauorem Domini Galbiati, quòd † in venditione domus, de qua agitur, facta per patrē suum vti procuratorem Magdalenæ vxoris, Victorio Paletto, censebatur venditum ius tantum, quod ipsa habebat in dicta domo, nempe durante vita sua, *l. qui tabernam. de contrahend. empt. Cyn. & Bald. post glos. in l. 1. C. si pign. pign. dat. sit, & idem Bal. in Rubr. de contraben. empt. Alex. post alios in l. si domus. §. fin. num. 4. & ibi Ias. nu. 24. de leg. 1. Castren. in l. si quis domum. §. 1. num. 3. locat. Laurent. à Pinu consil. 130. num. 1.* Sed quia in contrarium deducebantur aliquæ coniecturæ, fuit dubitatum, An stantibus dictis coniecturis esset recedendum à dicta regula; Et fuit per Dominos conclusum pro affirmatiua ex sequentibus coniecturis; Primo, quia † mandatum datum ad vendendum cantat de vendendis nonnullis bonis stabilibus, & in specie dicta domo; vnde cum voluerit eam vendi sub illa qualitate bonorum stabilium, satis videtur de re ipsa sensisse, non autem de aliquo iure super ea sibi competenti tātum; † cum stabilium appellatione non veniant iura & actiones secundum propriā vocabuli significationem, *ad notat. per Tiraq.*

2
3

raq. de retract. lign. §. 1. glos. 7. numer. 9. cum sequentib. tamen si sola adesset huiusmodi coniectura, non multum vrgeret, cum
4 † de iuribus & actionibus idem iudicetur, quod de re, super qua consistunt, *vt tradit idem num. 14.* Secundo, quia in effectuatione prædicti mandati fuit cessa & vendita
5 D. Victorio de Palettis dicta domus † sub ista forma, quandam domum soleratam, & tectatam, cum membris, & pertinentijs suis, quæ verba magis ipsam domum denotant, quàm ius super ea competens, vt supra dictum est: Accedunt præterea alia verba, eo quia pro melioramentis, & pro omni eo, quod D. Magdalenæ competeret, & competere posset, super dicta domo, iuribusq. & melioramentis quibuscunque ha-
6 buit ab eodem Domino Victorio &c. † quæ verba videntur continere omnimodam cessionem & translationem iuris sui, cum tamen secundum intellectum partis aduersæ dicendum sit translatam tãtum fuisse commoditatem istius iuris durante vita ipsius Magdalenæ. Tertio, quia in præsenti venditione fuerunt vocati & adhibiti Capellani Capellaniæ ad altare sancti Hieronymi in Ecclesia Sanctæ Mariæ Maioris domini directi pro duabus tertijs partibus dictæ domus ad effectum, vt consentirent prædictæ venditioni, necnon promisit idem procurator facere cõsentire infra triduum Dominum Bartholomęum de Capranica Capellanum Capellaniæ Visitationis Beatæ Mariæ in Ecclesia Sancti Marci Dominum directum pro reliqua tertia parte:
7 † Qui quidem consensus erat omnino superfluus, si actum fuisset de vendenda tantum commoditate, quæ competebat Magdalenæ vita eius durante, *vt notant Doctores in §. finitur. Instit. de vsufr.* sed pro translatione iuris totalis necesse erat adhibere consensum directorum dominorum, *l. fin. C. de iur emphyt.* Quarto, & fortius consideratum fuit, quòd eodem instante, loco, notario, & testibus, quod colligitur ex illa particula, deinde idem Capellani Sancti Hieronymi capitulariter congregati reseruato beneplacito & consensu sanctæ Sedis Apostolicæ locauerunt eidem Victorio supradictam domum ad tertium genus masculinum & fœmininum filiorum & nepotum dicti Victorij, & in defectum ad no-
8 minationem; nam † iste actus incontinenti factus multum facit ad declarationem actus præcedentis, cum nullo modo fieri potuerit, nisi in præcedenti translatũ fuisset omne ius in dictum Victoriũ, quod erat quoquomodo penes ipsam D. Magdalenã; & cum statim antequam diuerterent partes ad alios actus extraneos, fuit facta hæc concessio, apparet præsente procuratore
9 dictæ Magdalenæ factam fuisse; † cum iste sit quodam modo vnicus actus propter cõtinuationem, & correspectiuus sub vnico contextu explicatus, *Bald. in l. petens. nu. 54. vers. & ideo. C. de pact. Aym. in cons. 298. num. 13. & 356. num. 1. & cons. 393.*
10 *num. 2.* * Neque obstat, quòd allegans præsentiam teneatur eam cõcludenter probare, *vt per Aym. in cons. 240. col. 2. vers. sed tamen verius. Ruin. in rubr. solut. matrim. num. 500.* quia hoc casu satis visum est probari ex tenore instrumenti, cum dubitari non possit venditionem factam fuisse à procuratore: Vnde potius hic agitur de præsumenda absentia, & discessu ab ipso
11 loco, quo † casu incumberet onus probandi alleganti absentiam & discessum, cum semel fuerit probata præsentia, *per ea quæ tradit Bald. in l. fin. §. necessitate. in fin. C. de bon. quæ lib. quem citat & sequitur Tiraquell. de legib. connub. in verb. de sommary. glos. 8. num. 31.* & ideo pluries in
12 Rota fuit resolutum, quòd † si aliqui actus iudiciales fuerint facti præsentibus procuratoribus, & deinde sequantur verba continuatiua aliorum actuum, præsumantur & ipsi facti in præsentia eorundem procuratorum, *prout fuit resolutum coram bon. mem. Cantuccio in vna Cæsaraugustana de Tauste. & in vna Concben. decimarum coram R.P.D. meo Blanchetto,* [a] *& in multis alijs causis.* Quinto fuit consideratum,
13 quòd † ex quantitate pretij facilè arguitur, quid in venditione veniat, *Bart. in l. semper in stipulationibus. num. 2. de regul. iur. Alex. cons. 47. num. 7. lib. 5. Bologn. cons. 2. num. 21.* pretium autem trecentorum aureorum esset nimis excessiuum pro habendo redditu tredecim tantum, cum solutione gabellæ & laudemij; nam pro domo soluebatur Capellsia canon annuus ducatorum quadragintaquinque de carlenis; & quamuis postea aucta fuerit pensio domus, tamen illud tempus non est attendendum, sed tempus contractus; maximè si probantur melioramenta facta, prout per testes probari prætenditur. Sexto non est
14 parui momenti † clausula illa nullo iure, &c. quæ ex stylo solet extendi sibi nec suis successoribus de cætero reseruato; sed etiã sine illa extensione operatur, quia ostendit ius locationis sibi non reseruasse; quod tamen si vera esset prætensio partis aduersæ, non fuisset ab ea cessum, sed commoditas tantum vita sua durante. Septimo con-
15 siderarũt Domini inuerisimilitudinẽ, quòd quis velit satis notabilem summam pecuniarum exponere pro habendo iure, quod ex aliena vita omnino pendeat; hoc enim non faceret prudens paterfamilias, qualem fuisse Victorium est in comperto. Octauo facit confessio in libello Domini Galbiati
16 super rescissione ex capite læsionis, † quæ implicat contradictionem cum resolutione contractus, *l. nam & si sub conditione.*

§. post

* & fuit dictũ supra in Ciuitatis Castell. donationis 28. Aprilis 1578. n. 19.

a sub die 19. Iunij 1581.

§. post defectum autem. de iniust. rupt. irrit. testam. cap. ad dissoluendum. de desponsi impub. Illud verò præcipuum, quo nititur limitatio, quæ hic assumitur pro regula, quòd emptor fuerit certificatus iuris ad ipsam Magdalenam pertinentis, non multũ visum est vrgere; nam cum regula sit in
17 contrarium, quod † vendens rem censetur vendere eam pleno iure, Bald. in l. bis prædijs, vers. quæro vtrum vendens. C. de euictiõn. & in rubr. C. de contrahen. emption. quæst. 6. Cepol. in cons. ciuil. 8. numer. 12. Alex. cons. 63. num. 10. lib. 6. Ludouic. Bolognin. cons. 2. num. 14. Ias. in l. si domus. §. si fundus. num. 24. de legat. 1. Aretin. in cons. 63. num. 6. Aym. cons. 112. num. 11. ab ea non est facilè recedendum stantibus tot cõiecturis, & quòd narratiua illa, quòd domus esset concessa ad tertiam generationem, videtur facta ad aliu m effectum, nempe vt sciret emptor rem esse sub dominio Ecclesiæ, & non censeretur venditum dominium directum, quod penes se non erat, potius quàm ad effectum, vt restringeretur venditio facta sub tot verbis generalibus & prægnantibus ad ius finiendum cum ipsius venditricis vita. Ex quibus omnibus censuerunt Domini ex supradictis coniecturis recedendum esse à regula aliàs in fauorem actoris constituta * in casu isto, de quo agitur.

* sub die 1. Iunij 1590.

Burgen. de Couaruuias.
Die Lunæ 4. Februarij 1591.

S V M M A R I V M.

1 *Mandatum procuratoris etiam post sententiam produci potest, parte non opponente, & sententia sustinetur; secus est, si pars protestata fuerit neminem audiri nisi docto de legitimo mandato.*

2 *Ex iuribus productis, maximè cum notabili impensa resultat præsumptio mandati procuratoris.*

3 *Citatus à procuratore non repetens protestationem, videtur eum tanquam verum procuratorem approbare.*

DECISIO CMXXXIII.

Fuit resolutum sine difficultate pro validitate mandati de manutenendo; nã
1 † quod obijcitur de defectu mandati producti per D. Loberam, non fuit habitum in consideratione ex duobus; Primo, quia, regulariter parte non opponente mandatũ produci potest etiam post sentẽtiam, & sententia sustinetur, Rota 19. de procurator. in antiq. Pute. decis. 38. procurator. lib. 2. Neque obstat, quòd pars protestata fuerit neminem audiri, nisi docto de legitimo mandato, quæ res reddit iudicium nullum, nisi producatur ante sententiam, Achill. decis. 6. de procurator.
2 † quia ante sententiã fuerant tot iura per d. Loberam producta, etiam cum notabili impensa, vt ex illis resultarit præsumptio mandati, ad decis. Cassador. 1. num. 1. de procurator. Neque obstat productio mandati insufficientis, quia ad alium effectum fuit productum, cum vellet inducere in testem Nicolaum de Paridet olim procuratorem, vt appareret de eius reuocatione, sed non se restrinxit ad illud, & sic non applicantur tradita per Doctor. in l. exigendi. C. de procurator. Secũ-
3 do tollitur omnis difficultas, quia † procurator Reuer. Abbatis citauit pluries d. Loberam, & processit contra eum vti procuratorem Archiepiscopi, & ipse citatus non repetijt protestationem; ideo videtur eum tanquam verum procuratorem approbasse, Io. de Anan. cons. 33. Mohedan. decis. 44. & fuit in infinitis causis in Rota resolutum. Quare conclusum, vt omissis prætensis nullitatibus friuolis videatur de præfati mandati de manutenendo iustitia vel iniustitia.

Bononien. de Felicinis.
Die Veneris 8. Februarij 1591.

S V M M A R I V M.

1 *Verbum, instituo, est directum, & non cõtinet nisi vulgarem substitutionem, nisi adsint verba denotantia tractum successiuum, vt num. 7.*

2 *Vocati ad fideicommissum ab eo, in quo nõ consideratur ordo necessitatis, sed charitatis tantum, censentur vocati simul, & non ordine successiuo.*

Secus est, si instituti sint tam illi, qui sunt in rerum natura, quàm qui nondum sunt nati, vt num. 3.

Item secus, si simul vocati sint cum clausula salua gradus prærogatiua, vt n. 4.

Vel si facta sit mentio de filijs cum qualitate illa, hæredibus, quæ importat, vt censeatur facta substitutio ordine successiuo, vt num. 5.

Vel si sit facta substitutio in stirpes & nõ in capita, tunc censentur vocati ordine successiuo, vt num. 6.

8 *Testator procedens ad plures gradus substitutionum, & quando vsus est verbis tractum temporis denotantibus, vt hic, dicitur vocare ordine successiuo, & per fideicommissum.*

9 *Vulgaris statum, quòd fuit factus locus successioni, operatur suum effectum.*

10 *Verba substitutionis non possunt restringi ad vulgarem tantum, si postquam factus fuit locus vulgari, nascantur filij; quia tunc verificari nõ posset corum vocatio, si substitutio restringeretur ad vulgarem tantum.*

11 *Substitutio fideicommissaria tergiuersari non potest, vbi adest expressa mentio fideicommissi.*

12 *Pupillaris substitutio filijs fratrum fieri*

non

non poteſt ab eo, qui eos non habet in ſua poteſtate, ſed talis ſubſtitutio conuertitur in fideicommiſſariam.

13 *Ex actu licèt nullo voluntas colligi poteſt.*

14 *Verba teſtatoris ita ſunt interpretanda, vt non reddatur fruſtratoria eius diſpoſitio.*

15 *Reciproca ſubſtitutio ſimplex non comprehendit fideicommiſſariam, ſed tantũ directam; ſecus eſt, vbi ad plures gradus ſubſtitutionum proceſſum fuit, aut facta ſubſtitutio vltimo morienti, tunc enim comprehendit etiam fideicommiſſariam.*

16 *Clauſula codicillaris adiecta reciproca ſubſtitutioni facit, vt reciproca conuertatur in fideicommiſſariam de communi.*

17 *Mentio pupillaris ſubſtitutionis continet in ſe tacitam mortis conditionem.*

DECISIO CMXXXIV.

LActantius de Felicinis in ſuo teſtamento in hæc verba hæredes ſibi inſtituit; Item prædictus Dominus Lactantius inſtituit eius hæredes vniuerſales Dominos Iulium & Herculem de Felicinis eius fratres vtrinque coniunctos, & eorum cuiuslibet filios maſculos legitimos & naturales ex legitimo matrimonio procreatos in ſtirpes, & non in capita, & eoſdem, & quemlibet eorum ad inuicem ſubſtituit vulgariter, pupillariter, & per fideicommiſſum, ſalua gradus prærogatiua, & ipſis Domino Iulio & Hercule, & eorum filijs & hæredibus prædictis omnibus decedentibus ſine filijs & deſcendentibus maſculis legitimis & naturalibus ex legitimo matrimonio procreatis, & ſic in totum finita linea maſculina legitima, & naturali prædicta, dicti Iulij, & Herculis, & aliorum hæredum prædictorum, ſubſtituit eo caſu & vltimo ſic decedenti ex dictis hæredibus ſine filijs & deſcendentibus maſculis legitimis & naturalibus, vt ſupra Philippum ipſius teſtatoris filium naturalem, & ipſius filios legitimos, & naturales maſculos ex legitimo matrimonio natos, quos ad inuicem ſubſtituit vulgariter pupillariter & per fideicommiſſum. Lactantij hæreditatem ex teſtamento adiuerunt Iulius & Hercules, Demum obijt Dominus Iulius, relictis Domino Marco-Antonio & fratribus, filijs & hæredibus, & tandem obijt quoque Dominus Hercules relictis ſolum filiabus fœminis, Portia, Ludouica, & Martia de Felicinis: Vnde prætendentes filij Iulij factum eſſe locum fideicommiſſo ad eorum fauorem, litem inſtituerunt in Rota Bononienſi, & ſententiam fauorabilem contra dictas Dominas reportarunt; Cauſaq. appellationis interpoſitæ ad Curiam deuoluta; Dubitatum fuit ſuper confirmatione dictæ ſententiæ, & tota controuerſia ex eo pendet; An ſtãte diſpoſitione prædicta ſit factus locus fideicommiſſo ad fauorem filiorum Domini Iulij;

Et pro parte filiarum deducebatur, nullum
hic adeſſe fideicommiſſum ad fauorem fi-
liorum Iulij, ſed hanc inſtitutionem conti-
nere tantum vulgarem ſubſtitutionem, in
euentum quòd Iulius & Hercules non eſ-
ſent hæredes Lactantij, *iuxta doctrinã Are-
tin. in l. Gallus. §. quidam rectè. col. 3. verſ.
aduerte tamen. de lib. & poſth. quæ commu-
niter à Doctoribus eſt recepta, vt teſtatur
Aym. in conſil. 131. num. 3. Alex. conſ. 24.
num. 5. in fin. lib. 3. Dec. conſ. 228. nu. 2.
& 353. num. 4. & 384.* maximè cum teſta-
1 tor vſus fuerit † verbo, inſtituo, quod eſt
directum, *vt per Aretin. loco præcitato.*
Verum contrariam ſentẽtiam ſine vlla hæ-
ſitatione amplexi ſunt Domini, & cenſue-
runt hic adeſſe fideicommiſſum, eiq. factũ
eſſe locum ad fauorem prædictorum filiorũ
Iulij, etenim non poteſt negari, non ſolum
vocatos fuiſſe Iulium & Herculem, ſed etiã
eorum filios maſculos legitimos & natura-
2 les; † hæc autem vocatio licèt proficiſca-
tur ab eo, in quo non conſideratur ordo
neceſſitatis, ſed charitatis tantum, & hoc
caſu regula ſit, quòd cenſeantur vocati ſi-
mul & non ordine ſucceſſiuo, *vt per Docto-
res in d. §. quidam rectè. vbi Bald. num. 5.
cum allegatis per Clarum in §. teſtamen-
tum. quæſt. 80. & per R. P. D. meum Mã-
tic. de coniectur. vlt. volunt. lib. 4. tit. 7. n.*
19. tamen iſto caſu cenſentur vocati ordi-
3 ne ſucceſſiuo ex pluribus: † Regula enim
prædicta non habet locum, quando inſti-
tuuntur vnà illi, qui ſunt in rerum natura,
& illi qui nondum ſunt nati, *vt tradit So-
cin. in d. §. quidam rectè. num. 8. circa fin.
verſ. limita tamen. & ibi Alciat. num. 33.
Dec. in conſ. 248. num. 4. Socin. iun. qui de
communi conſ. 40. num. 2. in fin. lib. 4. Do-
minus meus Mantic. lib. 4. tit. 8. num. 27.
4 de coniectur. vlt. volunt.* † Præterea hic
habemus claram teſtatoris diſpoſitionem,
qui vocauit ſimul cum clauſula, ſalua gra-
dus prærogatiua, *Socin. iun. in conſil. 89.
num. 14. lib. 3. cum alijs, quos citat Gabr.
5 de fideicomm. concluſ. 3. num. 20.* † Hisq.
addi poteſt factam fuiſſe mentionem de fi-
lijs cum iſta qualitate hæredibus, quæ im-
portat, vt cenſeatur facta ſubſtitutio ordi-
ne ſucceſſiuo, cum nulla ſit viuentis hære-
ditas, *& hanc ſententiam amplectuntur
Bart. in d. §. quidam rectè. num. 7. Socin.
in conſ. 12. col. 3. lib. 3. Bero. in cap. Ray-
nutius. num. 14. Didac. ibid. §. 4. num. 5.
6 de teſtam.* & poſtremo † cum ſubſtitutio fa-
cta fuerit in ſtirpes & non in capita, hoc idẽ
voluiſſe videtur, vt ſuccederetur ordine
ſucceſſiuo, *vt per Marian. iun. conſil. 89.
num. 14. lib. 3. faciunt licèt in diuerſa quæ-
ſtione allegati per Gabr. de fideicommiſſ. con-
cluſ. 3. num. 20.* Hoc igitur ſtante, quòd
fuerint vocati ordine ſucceſſiuo, dicendum
eſt, non ſolum per vulgarem, ſed etiam per
fidei-

fideicommiſſum eſſe vocatos; nam regula
7 illa, quæ ex aduerſo deducitur, non procedit, quando in ſubſtitutione adſunt verba denotantia tractum ſucceſſiuum, *prout clarè tradit Socin. in d. §. quidam rectè. nu. 17. Aym. in conſ. 131. num. 10.* Quod autē verba importent tractum ſucceſſiuum, cla-
8 rè apparet, ex quo proceſſit ad plures gradus ſubſtitutionum, conſiderata etiam extinctione lineæ maſculinæ dictorum Iulij & Herculis, & hæredum; & vltimo morienti ſubſtituit Philippum, quæ omnia neceſſariò tractum temporis important, nec poſſunt in momento verificari, prout in vulga-
9 ri, † quæ ſtatim ſuum operatur effectum, cum ſit locus ſucceſſioni *Alex. in conſ. 13.*
10 *num. 4. lib. 4.* † & poterant etiam filij Iulij & Herculis naſci, poſtquam factus eſſet locus vulgari ſubſtitutioni, ita quòd verificari non poſſet eorum vocatio, ſi eam reſtringamus ad vulgarem tantum, *vt tradit Aym. in conſ. 22. num. 6. vbi optimè, & in ſimili in conſ. 131. num. 10.* Sed & hoc clarius demonſtratur ex eo, quòd teſtator non ſolum fuit contentus ſubſtituere vulgariter, ſed & etiam expreſsè ſubſtituit pupillariter & per fideicommiſſum: Vnde cum
11 † habeamus hic expreſſam mentionem fideicommiſſi, non poſſumus tergiuerſari, quin adſit in hoc caſu ſubſtitutio fideicommiſſaria, *prout latè tradit id D. meus Mātica lib. 7. tit. 4. nu. 7.* Neque obſtat, quòd illa verba appoſita cenſeantur ex capite notarij, argumento deſumpto ex eo, quòd hic
12 facta eſt mentio pupillaris, † quam tamen teſtator facere non poterat, cum non haberet fratrum filios in ſua poteſtate, *§. extraneo. Inſtit. de pup. ſubſt.* quia hæc conuertitur in fideicommiſſariam, *ad notat. per gloſ. & Doctor. in d. §. extraneo. & in l. verbis ciuilibus. de vulg. & pupill.* ſed &
13 dato quòd eſſet inutilis, † tamen ex hoc actu licèt nullo colligi poteſt voluntas, *l. fin. de reb. eorum, cum ſimilib.* ſed hic concurrente mentione lineæ deficientia, & ſubſtitutione in locum vltimo decedentis ſine filijs, non ſolum nō poteſt dici appoſita mētio fideicommiſſi ex capite Notarij, quin potius clarè apparet, ſi de ea mentio non fuiſſet facta, fuiſſe ſubintelligendum fideicommiſſum, cum alioqui diſpoſitio teſtatoris ſuum effectum ſortiri non potuerit, hoc
14 enim perpetuum eſt, † ita interpretanda eſſe verba teſtatoria, vt non reddatur fruſtratoria eius diſpoſitio, *l. in conditionibus. de cond. & demonſtr. Grat. in conſil. 32. nu. 17. lib. 2.* Vnica tantum ſupereſt inſpectio, An deficientibus ex vna linea maſculis, altera linea ſuccedat, quæ res ſine controuerſia deciditur ex verbis eiuſdem teſtatoris, qui inſtitutos & ſubſtitutos ad inuicem ſubſtituit vulgariter, pupillariter, & per fideicommiſſum, quæ res multum confirmat ea, quæ ſupra tradita fuerunt pro fideicommiſſaria ſubſtitutione; nam quam-
15 uis † reciproca ſimplex non comprehendat fideicommiſſariam, ſed directam tantum, *l. iam hoc iure. & ibi Alexan. num. 4. Iaſ. num. 7. de vulg. & pupill. D. meus Mantic. lib. 7. tit. 4. num. 5.* tamen vbi fuit proceſſum ad plures gradus ſubſtitutionum, aut facta ſubſtitutio vltimo morienti, prout in caſu iſto ambo concurrunt, cenſetur continere fideicommiſſariam, *vt per Socin. iun. in l. hæredes mei. §. cum ita. nu. 18. ad Trebell. & in conſ. 110. num. 31. lib. 3. D. meus Mantic. lib. 7. tit. 5. num. 12.* Hic accedit
16 † clauſula codicillaris, quæ facit, vt reciproca conuertatur in fideicommiſſariam, *Corn. in l. ſi frater. C. de fideicomm. Socin. conſ. 6. num. 3. de communi Pariſ. conſ. 41. num. 51. lib. 2. Alciat. conſ. 144. n. 2. lib. 9.* Non obſtat, quòd non ſit facta ſubſtitutio in tota hæreditate, quia contrarium eſt verius, cum poſt obitum omnium deſcendentium ex linea Iulij, Herculis, Philippi, & Pauli vocauerit ad ſuam ſucceſſionem filios maſculos Domini Franciſci de Ghiſlerijs pro dimidia ſuæ hæreditatis, & pro alia dimidia filios maſculos Domini Antonij Ruini, natos ex duabus teſtatoris ſororibus, quos ſimiliter ad inuicem ſubſtituit vulgariter, pupillariter, & per fideicommiſſum: Fuit ergo ſubſtitutio in tota hæreditate facta per obitum vltimi decedentis ex familia Felicinorū; nam duæ dimidiæ partes totum integrale conſtituunt. Neque obſtat, quòd conditio mortis non fuerit adiecta priori ſubſtitutioni; tum quia tota ſubſtitutio comprehenditur ſub vnica tex-
17 tura verborum, tum etiam quòd † mentio pupillaris continet in ſe tacitam mortis cōditionem. Et ita non obſtat *Crot. ex aduerſo allegatus in conſ. 62. num. 12. lib. 1. cum alijs,* * ſed in caſu illo ſuperflua omnino videtur hæc dubitatio, cum agamus de filijs Iulij, qui expreſsè ſunt vocati per fideicommiſſum, vt ſupra oſtenſum fuit; argumentum verò eo tendit, vt excludatur fideicommiſſaria, & tantum cenſeatur adeſſe vulgaris. Dicere autem, quòd cum in vlteriori ſubſtitutione fecerit mentionem mortis, & vſus fuerit verbis importantibus tractum temporis, ex hoc oſtenditur, quòd in priore noluerit ſubſtituere per fideicommiſſum; nihil aliud eſt, quàm verba teſtatoris expreſſa delere, & pro non ſcriptis habere, cum in illa priore expreſsè fideicommiſſum contineatur, vt ſupra deductū fuit, & ſimul reciproca ſubſtitutio facta eſt non ſolum inter fratres, ſed etiam inter fratrum filios & quemlibet eorum. Quare cum ſimus in caſu expreſsè per teſtatorem determinato, nihil faciunt deducta *ex Decian. in conſil. 26. num. 35. lib. 2. cum alijs ex aduerſo deductis,* a Et ex his facilè tolluntur om-

* Roin cōſ. 9. n. .. li. 3 ... ...ion. cōſ. 390. ſub n. 10 verſ. nec obſtat. l. 1. 3. Cephal. cōſ. 316. n. 2 cū pluribus ſeqq. & cōſ. 4. 9. n. 13 & idem poſt Paul. de Caſt. tenet Mātic. de coniec. vlt. vol. li. 7. tit. 4 num. 5.

a & pariter ex Alciat. cōſil. 506. col. 1. & vt refert Menoch. cōſ. 370. n. 20.

omnia ex aduerso considerata. Et ideo conclusum pro confirmatione sentẽtiæ Rotæ Bononiensis.

Romana Damnorum & interesse.
Die Lunæ 11. Februarij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Saluianum interdictum locum habet tam pro recuperatione damnorum & interesse, quàm pro sorte principali; maximè si hypotheca constituta sit in instrumento pro omnium promissorum obseruatione; & multo magis si ex natura obligationis rei veniant etiam damna & interesse propter moram debitoris etiam sine interpellatione.*

2 *Quando quis cogitur accipere pecunias ad cambium propter moram debitoris, tunc etiam sine interpellatione debitor tenetur ad damna & interesse, sed pro eis nõ competit Saluianum, nisi præcedat hypotheca.*

3 *Remedium Saluiani est personale in rem scriptum, & datur etiam contra tertios possessores.*

4 *Damna & interesse concludenter probãtur per instrumenta societatum.*

DECISIO CMXXXV.

FVit resolutum in casu, de quo agitur
1 † habere locum vtile Saluianum interdictum pro recuperatione damnorum & interesse, quorum promissio expressè continetur in instrumentis censuum sub obligatione Camerali: Vnde fit, vt pro omnibus in dictis instrumentis contentis intret actio ex vtili Saluiano, cum hypotheca in ijs cõtineatur pro omnium promissorum obseruatione; maximè cum circunscripta etiam obligatione ex natura rei veniant damna & interesse propter moram debitoris, vt
2 *per Anchar. in cons. 150. num. 3.* † etiam sine interpellatione, quando cogeretur quis capere pecunias ad cambia, *Mobedan. decis. 102. in fin.* licèt tunc alia actione peti debeant, quoties non præcedit hypotheca, sed vbi præcedit hoc remedium assumit naturam iudicij & causæ, super qua agitur, *glos. pen. in l. 1. de interdict. siue extraordi actiõn.* Nec refert, quòd Domini de Porta non sint illi, qui obligarunt se in constitu-
3 tione censuum, † quia hoc remedium est personale in rem scriptum, & datur contra tertios possessores, *vt per Doctor. in l. 1. C. de Saluian. interd. & l. 1. ff. eod. Rolan cons. 14. in princ. lib. 1. Modern. de adipiscend. remed. 3. num. 57. Cuiac. obseruat. lib. 5. cap. 24.* Et hinc colligitur responsio *ad allegat. decis. in causa Roman. quinquagintamillium;* * quia ibi nulla præcedebat hypotheca pro damnis & interesse. Quan-
4 tum † verò ad probationem damnorum, ea probantur concludentissimè per instrumẽta societatum exhibita, & hanc probationẽ Rota perpetuò admisit, *vt videre est in progressu causæ Romanæ vineæ de Brunis corã RR.PP.DD. Blanchetto* & Bubalo.* Quare conclusum competere vtile Saluianum interdictum in casu, de quo agitur.

* sub die 4. Iulij 1576. corã R.P.D. Decano & Rubeis.

* sub die 11. Iunij 1587.

Lunen. Sarzanen. Prioratus.
Die Lunæ 11. Februarij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Ad iudicandam subreptionem attendendũ est tempus gratiæ & impetrationis, quãdo non fuit narratus verus modus vacationis.*

2 *In impetratione non est necessaria expressio curæ, quando Ecclesia est parochialis habitu tantum, sed non actu.*

3 *Quæuis subreptio non vitiat gratiam, sed ea tantum, quæ est dolosa.*

DECISIO CMXXXVI.

CVm pro verificatione gratiæ Domini Hieronymi necessarium sit dare aliquem modum vacandi; ideo ad probandũ vacationem deductum fuit pro eius parte gratiam R.P.D. Mercati esse subreptitiam, nullumq. ius illi tribuere ad effectum, de quo agitur, cum in supplicatione narrauerit se obtinere ruralem, & sine cura Ecclesiam siue Capellam Sancti Ioannis Baptistæ de Barbinaia, quam tamen contendit Dominus Hieronymus esse parochialem, idq. deducit ex antiquis visitationibus, nec non ex quibusdam prouisionibus, ex quibus prætendit vsque de anno 1360. & ante probari hanc fuisse Plebaniam cum cura animarum, & iurisdictione, habentem sub se plures Capellanias & duos Canonicos cum fonte Baptismali, & Sacrosancto Eucharistiæ sacramento, prout in parochialibus Ecclesijs adesse solent, & eam vltra antiquas prouisiones fuisse etiam de anno 1534. à fel. rec. Clemente VII. collatam vti parochialem, cuidam Michaeli Angelo de Bottis, & ex his satis probari narratiuæ falsitatem. His tamen non obstantibus, contraria sen-
1 tentia placuit Dominis; nam † ad iudicandam subreptionem, attendendum est tempus gratiæ, & impetrationis, de quo tempore hæc Ecclesia erat in statu simplicis beneficij, prout ex deductis pro R. P. D. Mercato colligitur; nam producta fuit visitatio huius beneficij facta per bon. mem. Episcopum Ariminensem de tempore fel. recor. Pij Quinti, in qua asserit dictam Ecclesiam esse Oratorium, licèt aliàs de antiquo esset parochialis Ecclesia; sed cum propter bella fuisset destructa, translatam fuisse curam ad Ecclesiam Sancti Reguli de Buciano iã sunt anni octuaginta, & dictam Ecclesiam Sancti Reguli hac de causa soluere huic

Ora-

Oratorio salmam vnam frumenti: Produ-
ctæ etiã fuerunt litteræ missiuæ sacræ Con-
gregationis Episcoporum transmissæ Re-
uerendissimo Domino Episcopo Lucano,&
per bon. mem. Illustriss. Maphæum subscri-
ptæ 19. Iunij 1582. in quibus declaratur di-
ctum beneficium non esse curatum, cum ca-
reat populo, quod etiam attestatus fuit di-
ctus D. Episcopus per suas litteras directas
dictæ sacræ Congregationi, quæ res etiam
si prius fuisset curatum, facit, vt secundum
aliquos, quos refert *Gambar. de offic. & po-
test. Legat. lib. 5. cap. An Legatus possit plur.
benef. vni confer. nu.* 13. non censetur am-
2 plius parochialis, sed † & si remaneret pa-
rochialis, esset tantum habitu, non autem
actu; quo casu non est necessaria curæ ex-
pressio, *vt tradit Felin. in cap. in nostra.* 11.
*correl. de rescript. Abb. in cap. de multa. ad
fin. de prabend. Card. in Clem.* 1. *q.* 21. *de
offic. Vicar.* quòd autem defecerit ibi adesse
populus vltra prædicta, multum coadiuua-
tur probatio ex iuribus ex aduerso produ-
ctis; nã in visitatione anni 1560. parochus
super primo articulo dixit, quòd in dicta
Ecclesia non pulsantur campanæ, quia nul-
lus est in ipsa plebe, & in visitatione anni
1583. Vicarius Episcopi Lucani asserit se
inuenisse dictam Plebem ruinatam, dete-
ctam, & male dispositam, & in alia visita-
tione anni 1466. dicitur inuentam fuisse si-
ne tecto, & ruinam minitantem, & interro-
gatus parochus, si Ecclesia habet populum,
respondit quòd non. Neque obstat, quòd
impetrata fuerit aliquando vts. Plebania
curata, quia hoc potuit fieri ratione eius,
quod prius erat, siue quod adhuc esset ha-
bitu non autem actu: & in summa istæ
probationes non sunt contrariæ, sed ad in-
uicem sese compatiuntur, vnde dato etiam
quòd esset parochialis, tamen D. Merca-
tus esset excusandus, si visitationi Episcopi
Ariminensis, & litteris sacræ Congregatio-
nis fidem adhibuerit, *cap. nobilissimus.* 97.
distin. Roman. in cons. 356. *num.* 3. & non
3 † quæuis subreptio vitiat, sed illa tantum,
quæ est dolosa, *Aegid. decis.* 4. hic verò ta-
lia concurrunt, vt omnis prorsus dolus ex-
cludatur. Et ita conclusum.

Romana Horti.
Die Veneris 15. Februarij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Ius offerendi de iure competit illis creditoribus tantum, qui habent hypothecam.*
2 *Mandatum exequutiuum non habet vim immissionis in possessionẽ, itaut illius vigore possit dici constitutum pignus iudiciale, nisi sequuta vera & actuali immissione.*
3 *Pignus conuentionale sola conuentione cõtrahitur; secus est in iudiciali, quod nisi sequuta immissione in possessionem constituitur.*
4 *Pignus Pratorium, & pignus iudiciale nõ differunt quoad effectum adeptionis possessionis, & quandoque iudiciale nuncupatur Pratorium.*
5 *Ius offerendi ratione cuiuscunque possessionis competit.*

DECISIO CMXXXVII.

OLimpia Sergarda fuerat vigore specia-
lis commissionis immissa in possessio-
nem cuiusdam Horti ratione census, quem
super dicto Horto ad sui fauorem constitu-
tũ habebat; sed quia societas Sancti Eligij,
& Domini Canonici Scholæ Græcæ obti-
nuerant ante huiusmodi immissionem mã-
datum exequutiuum in forma contra Ca-
millum Herrum ex causa debiti personalis,
quod fuerat exequutum in isto Horto, & de-
uentum ad subhastationem: Fuit dubitatũ,
an huiusmodi mandatum haberet vim im-
missionis, itaut posset dici cõstitutum fuis-
se pignus iudiciale ad effectum, vt eis com-
1 peteret ius offerendi, † quod de iure non
competit nisi creditoribus habentibus hy-
pothecam, *l.* 1. *C. si antiq. credit. Bald. cõ-
sil.* 50. *lib.* 1. *Aym. cons.* 298. *num.* 4. *&* 8.
Negusan. de pignor. 3. *membr.* 5. *part. n.* 1.
& 52. vel vti possessoribus, *vt per Affl. de-
cis.* 259. *& Grammatic. decis.* 51. *num.* 6.
2 Et fuit per Dominos conclusum, † non fuis-
se acquisitum ius pignoris iudicialis per hu-
iusmodi mandatum exequutiuum, non se-
quuta vera & actuali immissione creditoris
in possessionem; nam exequutio illa fit ad
effectum licitationis, & subhastationis, nõ
autem immissionis in possessionem, *l.* 2.
*C. si in caus. iud. pign. capt. sit. Cuiac. ob-
seruation. lib.* 5. *cap.* 30. & ratio sumi po-
test *ex textu. in l. non mirum. de pign. act.*
vbi disertè habetur, quòd vbi iussu Magi-
3 stratus pignus constituitur, non † aliàs cõ-
stitui, nisi ventum fuerit in possessionem,
& in hoc differt à conuentionali, quod etiã
solà conuentione contrahitur, *l.* 1. *eod. tit.
& ibi glos. Castr. in d. l. non est mirum.
num.* 6. *Fulgos. ibid. Negusant. de pignor.
2. membr.* 3. *part. in princ. Grammat. de-
cis.* 51. *num.* 3. † Et quantum ad hunc effe-
4 ctum nulla est differentia inter pignus Præ-
torium, & pignus iudiciale; nam hoc quo-
que auctoritate Prætoris siue Magistratus
capitur, sed non propriè dicitur Prætoriũ,
quia ex edicto non constituitur, sed extra
ordinem fit pignoris captio, *l. si pignora
de euiction. Cuiac. ibid.* licèt hac eadem ra-
tione, quia auctoritate iudicis constitui-
tur, Prætorium aliquando nuncupatur *l.* 2.
C. de Prator. pignor. Idem quòd ad con-
stituendum tale pignus sit necessaria ade-
ptio possessionis, colligitur ex traditis *per
Speculat. tit. de prim. decret. §. iam de effe-*

ctu, quem refert & sequitur Castr. in d. l. non est mirum. num. 2. Neque huic sententiæ obest *text. in l. a Diuo Pio. §. in venditione. de re iudic. & in l. 1. C. si in caus. iudic.* in quibus videtur probari per exequutionem iudicis iussu factam contrahi pignus iudiciale, quia hæc iura sunt intelligenda *iuxta text. in d. l. non est mirum, vt habetur in glos. fin. quam sequitur Salicet. in d. l. 1. C. si in caus. iudicat.* Neque huic sententiæ repugnat *Vgo Donell. de pignorib. cap. 5. ex aduerso allegatus.* quia in fine apertè hanc sententiam confirmat, neque iure probatur distinctio illa inter actionem realem & personalem, sed tantummodo distinguitur ad alium effectum inter pignus Prætorium manans ex edicto Prætoris, & iudiciale, quod capitur in exequutione sententiæ, & ita loquitur Donellus. Ne-
5 que obstat, quòd † ius offerendi etiam ratione cuiuscunque possessionis competat, vt prosequitur *Grammat. in d. decis. 31. nu. 6. Afflict. decis. 259. in fin. Roland. cons. 14. num. 10. lib. 1.* nam de hac possessione nullibi constat. Hæc autem omnia procedunt facilius, & sine vlla difficultate contra DD. Canonicos, quibus citatis fuit Olimpia missa in possessionem; & ideo eorum respectu cessat ius offerendi, *iuxta decis. Afflict. 187. Capic. 202. num. 9. Cephal. cons. 298. num. 8. & 397. num. 45. Hippol. Riminal. cons. 30. num. 28. & 29. lib. 1. quos sequuta fuit Rota in vna Romana iuris offerendi 23. Ianuary coram R. P. D. meo Mantic.* Et ita conclusum.

Auximana Bonorum.

Die Veneris 15. Februarij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Exequutio mandati propter excessum reuocari debet non autem mandatum; maximè si sine aliqua liquidatione facta fuerit.*

DECISIO CMXXXVIII.

1 MAndatum † non esse reuocandum, sed bene esse reuocandam exequutionē, quia apparet de excessu tā in summa, quàm in eo quòd processum fuit contra bona Petri Francisci sine vlla liquidatione, quæ hoc casu requirebatur, cum non fieret super bonis, quorum promissa fuerat restitutio, sed super proprijs ipsius fideiussoris; & ideo in totum reuocanda, *vt fuit resolutum coram R. P. D. Plato 10. Februarij 1588. in vna Fauentina legitima. & coram R. P. D. Comitulo in vna Lucana bonorū.* & hoc respectu Eugeniæ; respectu verò Victoriæ dixerunt Domini esse dandum mandatum contra D. Petrum Franciscum pro ijs bonis, quæ ipse non docet restituta fuisse; nam quod allegatur de mandato de manutenendo, non facit, quin eius obligatio steterit in suo robore, adeo quòd si nō doceat de integra satisfactione, tenetur pro residuo. Et ita conclusum.

Bononien. de Feliciinis.

Die Lunæ 18. Februarij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Appellatione descendentium regulariter veniunt omnes in infinitum.*

2 *Dispositio testatoris, in qua fit mentio descendentium, restricta ad descendentes ex ipso & ex eius filijs, non egreditur personam pronepotum, propter illa verba ex ipso, & ex eius filijs, quæ denotant causam immediatam, contrarium tamen. vt num. 4. & 5.*

3 *Reciproca substitutio ad hoc, vt inter descendentes locum habere possit, & quòd omnes in infinitum censeantur vocati ad fideicommissum, tria concurrere debent, quòd fiat substitutio post mortem pluriū honoratorum, quòd fiat in tota hæreditate, & quòd vltimo morienti, & n. 10.*

6 *Appellatio descendentium testatoris est relatiua ad stipitem, cuius respectu omnes dicuntur descendentes ab eo, vel ex eo.*

7 *Descendentes positi in conditione censentur vocati, quando fuerunt grauati.*

8 *Ad inducendum reciprocum fideicommissum inter descendentes, sola coniectura sufficit, quòd sint substituti vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum descendentes, & eorum filij; maximè quia alijs concurrentibus operatur vocationē.*

9 *Descendentes positi in conditione censentur vocati, quando nominati sunt cum qualitate masculinitatis & legitimitatis, & ex legitimo matrimonio, iuncta exclusione cum dotatione fœminarum, & quando sumus in descendentibus à testatore.*

11 *Testator præsumitur voluisse præferre descendentes suos substitutis.*

DECISIO CMXXXIX.

VErba testamenti Ioannis de Feliciinis super quo lis pendet, sunt hæc, In omnibus suis bonis &c. sibi hæredes vniuersales instituit Ludouicum, Philippum, & Bartholomæum eius filios legitimos & naturales, & quoscunque alios eius filios legitimos & naturales nascituros æqualiter, quòd si aliquis eorum decederet in pupillari ætate, vel postea quandocunque sine descendentibus masculis legitimis & naturalibus ex legitimo matrimonio natis, tunc & eo casu substituit dicto sic decedenti pupillariter, vulgariter, & per fideicommissum alios filios ipsius testatoris superuiuētes, vel præmortuorum filios masculos legitimos & naturales, in stirpes & non in capita, & sic omnes ipsius testatoris filios

inui-

inuicem substituit, aliquo eorum decedente sine descendentibus masculis, vt supra, quòd si eo casu aliquæ filiæ fœminæ legitimæ & naturales ex legitimo matrimonio natæ remanerent, & in bonis paternis non essent tot bona, quæ essent sufficientia ad eas dotandum in ducatis mille auri & in arrendamentis condecentibus iuxta conditionem suam pro qualibet earum, eo casu voluit dictus testator suppleri debere de bonis hæreditarijs ipsius testatoris: Si autem contigerit vllo tempore nullos descendẽtes masculos legitimos & naturales & ex legitimo matrimonio natos extare, nec superuiuere ex ipso testatore, & ex supradictis eius filijs natis & nascituris, eo casu voluit, & mandauit hæreditatem suam & bona, & iura dictæ hæreditatis suæ peruenire, & peruenta esse intelligantur pro tertia parte ad Fratres Sancti Michaelis in Bosco, & pro alia tertia parte ad Fratres Sancti Francisci de Obseruantia, & pro alia tertia parte ad Hospitale de la morte, & Hospitale de la vita Ciuitatis Bononiæ. & sic dictos Fratres & Hospitalia pro partibus ante dictis substituit vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum dictis suis descendentibus, & dictorum eius filiorum filijs, & casu quo nulli superuiuerent, nec extarent ex eis, dicto casu fecit infrascripta legata, & non aliter: Primo &c. Quibus quidem filiabus suis dicto casu adueniente, scilicet quòd nulli superuiuerent ex descendentibus masculis legitimis & naturalibus, vt supra, ipsius testatoris, & dictorũ eius filiorũ filijs, legauit vltra legata eis, vt supra facta libr. 3500. pro qualibet. Ex Philippo filio Ioannis descendit Hercules pater Philippi, Lactantij, Iulij, & Herculis; Ex Iulio Marcus Antonius, Lactantius, & Mutius; Ex Hercule Domina Ludouica & Martia, & inter illos filios Iulij, & filias Herculis pendet lis super prædicto fideicommisso prętendentibus filijs Iulij factum esse locum fideicommisso Ioannis ob non existentiam filiorum masculorum legitimorum ex Hercule: Verum ex aduerso plura contra prædictum fideicommissum deducuntur; nam omisso primo capite, quòd ex partium concessione expirauit; Contra secundum caput fideicommissi duo potissimum deducuntur, quorum alterum est, filios Iulij in dicto fideicommisso non esse vocatos nec comprehensos; Alterum est inter descendentes nullum adesse fideicommissum neque simplex, neque reciprocum. Quantum ad primum, quòd filij Iulij non sint comprehensi in fideicommisso ex eo deducitur, quòd *in versic. si autem contigerit* † licèt fiat mentio descendẽ-
1 tium, quorum appellatione veniunt regulariter omnes in infinitum, *l. vlt. C. de ver-*
2 *bor. signif.* † tamen dispositio videtur restricta ad descendentes ex ipso testatore, & ex eius filijs, quo casu non potest egredi personam pronepotum propter illa verba, ex ipso, & ex eius filijs, quæ denotant causam immediatam, *Bart. in l. Gallus. §. substituens. num. 2. in fin. de lib. & posth. Alex. in cons. 49. num. 3. lib. 3. & cons. 56. nu. 3. lib. 5. Corn. cons. 199. num. 34. lib. 2. Cephal. cons. 330. num. 4. lib. 3. Simon. de Pret. de interpretat. vlt. voluntat. fol. 289. num. 24.* quod videtur tanto magis dicendum propter repetitionem illam ex ipso & eius filijs, quæ aliàs esset omnino superflua. Quantum ad secundum, quòd nullum extet fideicommissum ad fauorem descendentium præterquam in primo capite substitutionis, quam iam diximus euanuisse, colligunt informantes pro filiabus Domini Herculis, ex eo quòd isti descendentes *in dicto versic. si autem*, sunt tantum positi in conditione, *ad notat. in l. Lucius. de hæred. instit. & toties à Doctoribus innumeris locis inculcatam*
3 *communem sententiam.* † Vnde sequitur, neque etiam reciprocam substitutionem hic considerari posse inter ipsos descendentes, sed & posito quòd censerentur vocati, hanc tamen reciprocam non adesse, cum non concurrant isto casu tria, quæ ad eam constituendam sunt necessaria, nempe vt fiat substitutio post mortem plurium honoratorum, & quòd fiat in tota hæreditate, & quòd vltimo morienti, *prout notant Doctores in l. Titia Seio. §. Seia libertis. de legat. 2. Socin. in l. hæredes mei. §. cum ita. num. 3. ad Trebell. Gozad. in cons. 67. nu. 14. Socin. iun. cons. 176. num. 14. lib. 2. Reuer. D. meus Mantic. de coniectur. vlt. voluntat. lib. 7. tit. 5. num. 2.* His tamen non obstantibus Domini fuerunt in contraria
4 sententia, † nempe quòd hic adsit reciprocum fideicommissum inter omnes descendentes masculos ex linea Ioannis & filiorum; nam cum fuerit facta mentio descendentium, quorum appellatione veniunt omnes in infinitum, vt supra dictum est, non obest huic sententiæ, quòd testator vsus fuerit illis verbis ex ipso & eius filijs, quia
5 quiequid sit, † vbi fit mentio de filijs natis ex filio, in qua tamen re etiam communis est opinio, quòd veniant non solum filij, sed etiam nepotes ex filio, *vt per Gabr. de verbor. signif. conclus. 1. num. 77. vers. contrarium*; tamen quando fit mentio descendentium ex se non potest significatio propria huius vocabuli restringi, vt capiat solos filios, sed secundum propriam eius significationem intelligitur de omnibus in infinitũ, *vt per Alexan. in Addit. ad Bart. in l. liberorum. de verb. signif. sub num. 18. incip. quæro quid si dicatur de filijs propè fin. & in fortioribus terminis videatur Cyn. in Auth. sed & si quis. circa fin. vers. vlt. C. de secund. nupt. Rip. in l. ex facto. §. si quis ita. num. 6. ad Trebell.* & euidens est ratio,

6 quia † hæc appellatio descendentium est
relatiua ad stipitem, cuius respectu omnes
dicuntur descendentes ab eo, siue ex eo;
nam vis non est in propositione ista; & ideo
non est temerè confundenda ista quæstio cũ
illa, quæ tractatur *à Gabr. loco supra cita-
to*. Quòd verò attinet ad quæstionem il-
7 lam, † An descendentes isti in conditione
positi censeantur vocati, Domini censuerũt
ex coniecturis deductis in hoc eodem fidei-
commisso *per Marian. Iun. consil.* 110.
lib. 3. eos esse vocatos, cum fuerint gra-
8 uati; † substitutio enim facta est ipsis in
specie & nominatim ea nominatione, qua
poterant nominari illi, qui adhuc non erant
in rerum natura, neque poterant proprijs
nominibus designari in illis verbis substi-
tuit vulgariter, pupillariter, & per fidei-
commissum dictis suis descendentibus, &
dictorum eius filiorum, & hoc sufficit, vt
*per Clar. in §. testamentum. quæst. 78. in
fin.* & quamuis hæc sola coniectura non suf-
ficiat, tamen alijs concurrentibus opera-
9 tur vocationem; † Concurrunt autẽ qua-
litas masculinitatis & legitimitatis, necnõ
ex legitimo matrimonio, *de quibus viden-
dus R. P. D. meus Mantic. lib.* 11. *tit.* 3. *n.* 5.
10 *&* 7. † Ex quibus omnibus simul concur-
rentibus vnà cum fœminarum exclusione
& dotatione, & quòd sumus in descenden-
tibus à testatore, quæ omnia considerat
Decian. in cons. 44. *n.* 48. 52. *&* 57. *lib.* 3.
concludi potest positos in conditione esse
vocatos, *ex deductis ibid. per dictum Domi-
num meum, & per Put. decis.* 215. *Nico-
laus de Pasijs. lib.* 3. Et ita concurrit pri-
mum requisitum ad inducendam recipro-
cam: Concurrit & secundum requisitum,
quòd fiat substitutio in tota hæreditate, cũ
testator eam in tres partes distribuat, *&
fuit resolutum nuperrimè in alio fideicom-
misso Lactanty* 8. *huius*. Concurrit etiam
tertium requisitum, quòd facta sit substi-
tutio vltimo morienti, vt per illa verba, si
contigerit vllo tempore nullos descenden-
tes extare nec superuiuere, vltra quòd non
est necessaria talis expressio, cum simus in
11 descendentibus, † quos testator præsumi-
tur voluisse præferre substitutis, *vt ex sen-
tentia Socin. in §. cum ita. nu. 8. tradit Re-
ueren. D. meus Mantic. alios citans lib.* 7.
tit. 5. *num.* 4. *& Gabr. de substitut. concl.* 1.
num. 20. *Bero. in cons.* 105. *num.* 5. *versic.
tertius casus. lib.* 2. Nec repugnat *decis.
Pedemontan.* 110. *num.* 7. quia postea ex-
cipit casum Socini, quando sumus in de-
scendentibus testatoris. Non obstat, quòd
hæc substitutio tota pendeat à priori, & re-
gulari debeat à conditione in illa apposita,
si fine descendentibus masculis decesserint,
vt in Albanen. * *& pluribus causis decisũ
fuit per cons. Alex.* 139. *lib.* 6. *& Dec.* 636.
quia hoc fideicommissum secundum non
pendet à primo, quia immo si verificaretur
conditio primi, nempe quòd filij decessis-
sent sine descendentibus, non posset verifi-
cari dispositio secundi, in quo fit substitu-
tio dictis descendentibus. Et ex his satis
superq. videntur sublata omnia, quę in con-
trarium deduci possent. Quare conclusum
pro confirmatione sententiæ Rotæ Bono-
niensis.

* in Albanen. fideicõm. de Sabellis sub die 4. Octob. 1571. coram bo. me. Cotta, quæ in impressis diuers. non est decis. 51. part. 2.

Ariminen. Castrorum.

Die Veneris 8. Martij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Agens ad rescissionem instrumenti iurati
debet concludenter probare suam inten-
tionem, aliàs probatio dubia non releuat;
maximè si instrumẽtum habeat primor-
dium veritatis, & num.* 8.

2 *Fundans se in errore consensum excluden-
te, nisi probet illam qualitatem erroris,
probatio non dicitur concludens.*

3 *Qui obijcit præscriptionem decennalem, de-
bet probare præsentiam.*

4 *Repetens rem subiectam fideicommisso alie-
natam debet probare scientiam alienantis.*

5 *Non omnis falsi expressio vitiat dispositio-
nem, sed ea tantum, quæ si fuisset vera,
induxisset ad sic disponendum, vel si sci-
uisset falsum disponens, vel non dispo-
suisset, vel non sub eadem forma.*

6 *Lex præsumit patrem condecentem dotem
filiæ dedisse.*

7 *Pater potest bona filij sine decreto aliena-
re, cum lex pro eo præsumat.*

9 *Pro instrumento præsumitur, & quòd in
eo contenta sint vera.*

10 *Actor non tenetur probare contrarium
eius, quod est fundamentum exceptio-
nis rei, quando ipse concludenter funda-
uit suam intentionem.*

DECISIO CMXL.

Domini dixerunt onus probandi pre-
tium octomillium ducatorum, non
fuisse verum pretium Castrorum, incumbe-
1 re Illustr. Dominæ Leonidæ; † etenim
cum ea sit actrix, & agat ad rescissionem in-
strumenti iurati, ea debet afferre concludē-
tem probationẽ suæ intentionis, aliàs pro-
2 batio dubia non releuat; † cum ergo inten-
tio eius sit fundata in errore consensum ex-
cludente; certè nisi pretiũ expressum octo-
millium sit iniustum, & hæc qualitas per
eam probetur, eius probatio non est con-
cludens, *Bart. in l. Fulcinius.* §. *cum hoc.
num.* 1. *quib. ex caus. in possess. eatur. & in
l.* 1. §. *quorum autem. ne quid in flum. publ.
Curt. sen. in consil.* 59. *num.* 7. *Bero. consil.*
3 133. *lib.* 1. & † qui obijcit præscriptionem
decem annorum debet probare præsentiam
*Butr. Bald. & alij allegati per Tiraquell. de
legib. connub. in verb. de son mary. glos.* 8.
4 *num.* 31. † Item repetens rem subiectam
fidei-

fideicommisso alienatã debet probare sciẽ-
tiam alienanris, *Dec. in cons. 236. num. 13. post. Ang. & Alex. quos allegat*. Clarum
est enim, si prerium fuisser ęquiualens, quòd
neqne errasset consentiendo, neque dissen-
sisse censeretur: Hinc est, quòd à nostris
5 passim traditum est, † non omnem falsi ex-
pressionem vitiare dispositionem, sed eam
tantum, quæ si fuisset vera, induxisser ad sic
disponendum, vel si sciuisset falsam dispo-
nens, vel non disposuisset, vel non sub eadẽ
forma, *vt notat Castren. in l. si cum te. nu. 3.
circa fin. de pact. Socin. in cons. 159. nu. 2.
lib. 2.* Accedat, quòd plura videntur suade-
re talem assertionem fuisse veram; Primo,
6 quia † lex præsumit patrem condecentem
dotem filiæ dedisse, *Castr. in cons. 275. n. 6.
lib. 1. & cons. 403. num. 2. lib. 2. & consil.
421. vers. secundo. eod. lib. Alex. consil. 33.
num. 5. lib. 4. Socin. cons. 30. num. 4. lib. 1.
Tiraq. in l. si vnquam. in princ. num. 36. de
reuoc. donat.* adeo vr secundum aliquos pa-
7 ter † alienare possit bona filij sine decreto,
quia lex pro eo præsumit, *& latè citat Si-
moncell. de decret. lib. 3. cap. 8. numer. 9.*
8 Secundo, † quia adest primordium verita-
tis, quia olim Castra hoc pretio vendita
fuerunt, *l. cum filius. §. hæres meus. de le-
gat. 2. Bald. in cons. 293. num. 2. in fin. lib.
1. Bellamer. decis. 544. Curt. sen. consil. 55.
9 num. 9. in fin.* Tertio, quia † præsumitur
pro instrumento, & quòd in eo conrenta
sint vera *l. si post diuisionem. C. de iur. &
fact. ignor. Bald. in l. cum precibus. C. de
10 probation.* Neque obstat, quòd † actor non
debeat probare contrarium eius, quod est
fundamentum exceptionis rei, quia hoc ve-
rum est, quando ipse concludenter funda-
uit suam intentionem; sed hoc casu ista
qualiras non tam respicit exceptionem rei,
quàm actionem propositam, quæ sine ista
qualitate non ostendit concludenter erro-
rem & dissensum, qui ramen ostendi debuit.
Et ita conclusum.

Auximana Bonorum.
Die Lunæ 18. Martij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Sequestrum necessarium non priuat pos-
sessione.*
2 *Exequutio mandati facta non præuia li-
quidatione reuocari debet, & quando su-
mus in re, quæ seruando seruari non po-
test, sed consumitur. æstimatio prius fa-
cienda est, quanti esset de eo tempore.*
3 *Non intrat obligatio ad interesse, vel ad
quantiplurimi, nisi data mora debitoris.*

DECISIO CMXLI.

OBligationem Petri Francisci non esse
extinctam per mandatum de manu-
tenendo, cum simul stare possint; nam
1 † sequestrum necessarium nõ priuar posses-
2 sione. Verum † exequutio venit reuocan-
da, quia non porerat fieri, nisi præuia liqui-
datione; cum enim simus in re, quæ seruan-
do seruari non potest, sed consumitur, prius
est æstimanda, quanti esset de eo tempore,
3 † neque intrat obligatio ad interesse, vel
ad quanti plurimi, nisi data mora debitoris.

Calaguritan. Reductionis Motusproprij.
Die Veneris 29. Martij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiæ numeratæ dicuntur, in quibus ad-
est certus & inuariabilis numerus bene-
ficiatorum, & vbi aliquo beneficio va-
cante fit præsentatio per alios beneficia-
tos, & institutio per Episcopum.*
2 *Ecclesiæ receptiuæ dicuntur, quæ non ha-
bent certum & determinatum numerũ
beneficiatorum, in quibus beneficiati
sunt liberi collatores, & Episcopus exa-
minat solum prouisum ante immissionem
in possessionem.*
3 *Ex potestate & voluntate omnis actus per-
fectionem sortitur.*
4 *In omni electione facienda, is semper præ-
ferri debet, qui magis habilis, & ido-
neus est.*
5 *In collatione beneficiorum simplicium de
iure communi non requiritur concur-
sus, sed sufficit vt is, cui prouidetur, sit
idoneus.*
6 *Concursus ex dispositione sacri Concilij Tri
dentini solum in curatis requiritur; in
alijs verò sufficiunt habilitates necessa-
ria de iure communi.*
7 *Non est de facili recedendum ab eo iure,
quod diu æquum visum est, nisi euidens
sit vtilitas vel æquitas.*
8 *Nouatio legum est maximè euitanda.*
9 *Ius competens in materia optionis est val-
de considerabile, & illi non est præiudi-
candum.*
10 *In parochialibus, quarum redditus sunt
valde exigui Sacrum Cõcilium Triden-
tinum de forma examinis aliquid remit-
tendum censuit.*
11 *Onera secundum facultates proportiona-
biliter sunt imponenda.*
12 *A noui oneris impositione est maximè ca-
uendum.*
13 *Vbi agitur de reducenda Constitutione Pa-
pæ exorbitanti, ad terminos iuris com-
munis & sacri Concilij Tridentini re-
ductio est adeo fauorabilis, vt in ea non
requiratur, nec sit necessaria clausula,
Non obstante.*
14 *Sicut lex vetus propter iniquitatem per
nouam tollitur, & emendatur, multo ma-
gis concedenda est emendatio legis nouæ,
& nondum vsu receptæ.*
15 *Constitutiones, quæ non sunt in obseruan-*

tia, nec Apostolica auctoritate confirmatae, non ligant loca, in quibus adest particularis Constitutio vel statutum.

16 *Nemo inuitus adstringi potest ad onus curae subeundum de iure communi.*

17 *In matrimonio tam spirituali quàm temporali libera debet esse voluntas contrahentium.*

18 *In omni negotio attendendum est, quod licet secundum aequitatem, & quod decet secundum honestatem, & postremo quod expedit secundum vtilitatem.*

19 *Aequum & honestum non est, vt plus oneris imponatur beneficiatis, quàm ius cõmune, & sacrum Concilium Tridentinum imponi censuerit.*

DECISIO CMXLII.

IN Dioecesi Calaguritana sunt multae Ecclesiae parochiales, quarum tamen cura non est penes aliquem curatum in dictis Ecclesijs intitulatum, sed penes Reuerendiss. Episcopum, qui solet deputare beneficiatos in dictis Ecclesijs existentes ad administrationem curae animarum; Beneficiatorum verò maximus est numerus; nam qui minimum dicunt, hos non esse pauciores decemmillibus; sunt autem Ecclesiae
1 istae diuersae naturae; nam † aliquae dicuntur numeratae, in quibus adest certus & inuariabilis numerus beneficiatorum, & aliquo beneficio vacante fit praesentatio per alios beneficiatos, & institutio per Episco-
2 pum: † Aliae verò dicuntur receptiuae, quae non habent certum & determinatum numerum beneficiatorum, in quibus beneficiati sunt liberi collatores, & Episcopus examinat solum prouisum ante immissionem in possessionem: In istis Ecclesijs adsunt particulares quaedam consuetudines & statuta hactenus obseruata, quibus tamen non attentis, neque attento iure ab immemorabili tempore beneficiatis competente felic. record. Sixtus Quintus Pont. Max. motus precibus Reuer. Episcopi Calaguritani tùc hic in Vrbe degentis, vt praetenditur, constitutionem quandam edidit ad perpetuam rei memoriam motu proprio & ex certa sciẽtia, in qua multis praenarratis, & praeuia quarundam litium, quae in Sacri Palatij Rotae Auditorio inter Reuerendiss. tunc tẽporis Episcopum Calaguritanum ex vna, & Clerum Calaguritanum ex altera indecisae adhuc pendebant extinctione, super modo conferendi beneficia, & personarum quibus conferuntur, examine & approbatione, decreuit & mandauit, vt de caetero perpetuis futuris temporibus cueniẽte vacatione beneficiorum totius dioecesis, siue huiusmodi beneficia fuerint in Ecclesijs numeratis siue in receptiuis, nullus admittatur & recipiatur nisi praeuio examine, ad quod omnes filij patrimoniales & naturales, qui opponere voluerint per edicta publica vocentur eo modo, quo vocantur in Ecclesijs Burgensi & Palentina, vt infra tẽpus praefigendum compareant coram Episcopo vel Vicario Generali, quo tempore elapso ij, quos constiterit esse legitimos oppositores, per tres examinatores Synodales, vel ijs nondum deputatis per tres alios ab Episcopo electos, vnà cum vno per beneficiatos Ecclesiae, in qua beneficiũ vacat, nominato examinentur, eisque fiat collatio habita ratione maioris sufficientiae, modo & forma in dicta Constitutione contentis, cum decreto irritanti, collationes aliter factas, & alijs clausulis annullatiuis in amplissima forma &c. Cumq. Reuerendissimus Episcopus vellet hanc Constitutionem exequi, fuit impeditus per beneficiatos, qui commissione impetrata obtinuerunt à Rota inhibitionem in forma, per quã praeclusa fuerat via Episcopo procedendi ad vlteriorem dictę Constitutionis exequutionem: Vnde post multa tandem habito recursu ad S. D. N. pro parte Reuerendiss. Episcopi petentis moderationẽ inhibitionis; ex aduerso verò beneficiatis instantibus, vt huiusmodi Constitutio reduceretur ad terminos sacri Concilij Tridentini, fuit per Sanctitatem suam rescriptum in memorialibus à partibus porrectis, vt Rota cognosceret, an concedenda sit reductio per beneficiatos petita, & si res habuerit difficultatem, communicet cum sacra Congregatione Concilij, & referat: Quare iuxta dictum S. D. N. rescriptum proposui in Rota hàc causam examinandam, & partibus informãtibus, omnibus rationibus, & iuribus hinc inde perpensis & discussis, cõuenerunt Domini vnanimiter concedendã esse oris aperitionem Clero Calaguritano, ad impugnandam huiusmodi Constitutionem, & deducendum quicquid volunt, & possunt contra eam, cum iuri & aequitati consonum sit, vt ipso non audito nihil statuatur, ex quo fieri possit praeiudicium iuribus & consuetudinibus, vti praetenditur, immemorabilibus dicti Cleri, sine cuius scientia & participatione emanauit praefata Constitutio. Quantum verò ad dubium, cuius decisio à Sanctiss. D. Nostro nobis est commissa, pro parte Reueren. Episcopi plura pro tuenda Constitutione deducebantur; Et primo summa & absolutissima Pontificis in his praesertim beneficialibus auctoritas; Vnde † cum hic cum volũ-
3 tate concurrat potestas, ex quibus duobus omnis actus perfectionem sortitur, *vt per Bald. in l. omne verbum. num. 8. C. commun. de legat.* non potest dubitari de actus validitate. Secundo multo minus est de ea dubitandum, cum ex iustis & rationabilibus causis emanarit, quae fuerunt disertè in dicta Constitutione comprehensae; prima vt

vt beneficia Ecclesiastica non precibus aut fauoribus, nec consanguinitate coniunctis, sed personis magis idoneis conferãtur; Secunda, vt abusus beneficiatorum in conferendis beneficijs huiusmodi, plus æquo carni & sanguini tribuentium reprimerentur; Tertia vt tolleretur ansa ineundi pacta illicita & simoniaca, quæ quotidie pro obtinendis beneficijs fiebant; Quarta propter contumaciam beneficiatorum detrectantiũ obedire decretis sacri Concilij Tridentini mandantis fieri examen etiam in istis beneficijs patrimonialibus *sess. 24. cap. 18.* super qua re per ipsos lis in Rota fuerat introducta. Tertio principaliter defenditur Constitutio ea ratione, quòd adsunt in dicta diœcesi nonnullæ Constitutiones antiquæ, quibus præcipitur, vt tam in numeratis Ecclesijs, quàm in receptiuis semper magis idoneus eligatur; vnde non tam videtur nouum ius constitutum, quàm antiquum renouatum per dictam Constitutionem. Quarto quia Episcopus Calaguritanus solet deputare ex dictis beneficiatis aliquos qui curam animarum exerceant: Vnde rationi consonum est, vt fiat tale examen, quale in curatis requiritur; Quinto hoc conueniens esse deducebatur ex eo, quòd similis viget consuetudo, & obseruantia in diœcesibus Burgensi & Palentina vicinis, argumento *cap. cum olim. cum ibi notat. de consuetud.* Sexto & vltimo, quia iuri valdè

4 consonum videtur, vt † in omni electione facienda is semper præferatur, qui magis habilis & idoneus est, *l. quod si plures. de testam. tut. cap. licèt. 8. quæst. 1. glos. in cap. 2. de off. Custod. Abb. in cap. constitutus. de appellation. Lambertin. de iure patr. lib. 2. §. 1. quæst. 10. artic. 3. num. 7. Sot. de iustit. & iur. lib. 3. quæst. 6. artic. 2. conclus. 9. versic. est enim de iure diuino. cum alijs infinitis, quos cumulare non est necesse.* Verum his non obstãtibus, maior pars Dominorum censuit æquissimum esse, vt hæc Constitutio ad terminos sacri Concilij Tridentini reducatur: Et primo consideratum

5 fuit † inspecto iure communi in beneficiorũ simplicium collatione non requiri concursum, sed sufficere, vt is cui prouidetur, sit idoneus, *iuxta glos. in cap. monasterium. 16. quæst. vlt. & in cap. 3. in versic. quia maioribus. vbi Abb. de iurepatron. idem Abb. in cap. constitutis. il 2. & ibi Franc. num. 4. de appellat. Dec. ibid. & consil. 129. num. 2. Rebuff. in concordat. rubr. de electión. in glos. idoneorem. Couarru. in reg. possessor. part. 2. §. 7. num. 4. Nau. consil. 537. nu. 53. lib. 3. & sæpissimè resoluit Rota, vt per Caputaq. decis. 69. lib. 1. in manuscript. & Cres.cent. 12. de concess. prabẽd.* Secundo hoc voluisse sacrum Conciliũ Tri-

6 dentinum apparet † postquam in solis beneficijs curatis præscripsit formam examinis per concursum, vt apparet *in d. cap. 18. sess. 24.* in alijs verò requirit habilitates de iure communi necessarias, *cap. 4. in fin. de reformat. sess. 22. & cap. 13. sess. 7.* Et ita censuit inter easdem partes sacra Congregatio Concilij, quæ de anno 1583. rescripsit, vt beneficia huiusmodi præuio examine vel approbatione Episcopi filijs patrimonialibus conferentur, vbi verò cura animarum esset committenda, tunc seruaretur forma *d. cap. 18. sess. 24.* Tertio ex præmissis colligitur hanc Constitutionem esse exorbitantem à dispositione iuris communis, & sacri Concilij Tridentini immo & in ea parte contrariam, in qua annullat prouisiones aliter factas, quæ tamen iure communi valent, *vt fuit decisum in illa Toletana Canonicatus coram Illustriss. Domino meo Aldobrandino 18. Maij 1584.* & ideo,

7 † cum nõ de facili recedendũ sit ab eo iure, quod diu æquum visum est, nisi euidens sit vtilitas, *vt ait Iurisconsultus in l. in rebus. de Constit. Princip.* vel æquitas *l. & si ni-*

8 *hil. de reg. iur.* † & nouatio legum sit maximè vitanda, *l. minimè. de legib. Aristotel. politic. lib. 2. cap. 8.* examinandum esse quid in hac re præponderet, vtilitas ne, quæ ex Constitutione haberi potest, vel iniquitas, quæ ex ea redundare videtur; & præter quam quòd semper periculosum & perniciosum est leges bene constitutas immutare, hoc præsertim maximè cauendum sit aduersus sacrum Concilium Tridentinum, quod pro vniuersali Ecclesiæ Christianæ reformatione celebratum fuit, considerata fuerunt multa incommoda ab æquitate valdè aliena, quæ ex huiusmodi Constitutione emanant; nam præter quàm quòd subuertuntur omnes Constitutiones, & consuetudines ab immemorabili tempore in diœcesi Calaguritana obseruatæ, & sententijs antiquorum constitutæ & approbatæ, præiudicium illud est valde considerabile, quod fit beneficiatis, qui à tempore immemorabili habent ius præsentaudi & instituendi ad huiusmodi beneficia: Etenim etiam si hoc ius sit Ecclesiasticum, tamen neque iuripatronatus ecclesiasticorũ hac in re præiudicare voluit sacrum Concilium, cũ concursum tantum induxerit, quoties agitur de conferendo beneficio curato, vel de demandanda alicui cura animarum, *vt in d. cap. 18. continetur*: Præiudicium verò satis est manifestum, attenta noua Constitutione; nam beneficiati priuantur facultate gratificandi personas alias idoneas, quas sine concursu ad huiusmodi beneficia præsentare potuissent, quod præiudicium quoque versatur circa admissionem ad fructus super excrescentes in Ecclesijs receptiuis: Aliud quoque præiudicium fit beneficiatis, qui semel cœpti sunt beneficiari in illis Ecclesijs, in quibus adsunt plures portiones

distinctæ in integras dimidias, & quartas; nam cum ex antiquissima & immemorabili ac perpetuò obseruata consuetudine obseruatum fuerit, vt in illa detur ascensus à quarto ad dimidium, & à dimidio ad integrum, vtique si fiat concursus, contingere poterit, vt semel cœptus beneficiari, qui per multos annos insudauit in Ecclesiæ seruitio, excludatur per alium, qui fortè merito scientiæ erit idoneior, sed non merito seruitij, quod nihil est aliud, quàm totum ius illud ascendendi subuertere in præiudicium infiniti numeri beneficiatorum, qui reperiuntur iam ad seruitium Ecclesiarum
9 admissi; † Ius autem istud esse valde considerabile apparet ex his, quæ habentur in materia optionis *in cap. fin. de consuetud. in 6. & ex decis. Pute. 155. & 217. & 219. lib. 3.* Postremo magnum dispendium affert hæc Constitutio imponendo beneficiatis istis tenuium beneficiorum, quorũ nonnulla vix ad decem ducatorum valorẽ ascendunt, vt accedant ab vltimis finibus vsque diœcesis, quæ latissimè patet ad Ecclesiam Cathedralem, siue vbi residentiam habet Episcopus, gratia concursus faciendi, quæ res multos deterrebit à proposito inseruiendi Ecclesijs; & huius rei rationem habuit Concilium, voluit enim *in d. cap. 18. in fin.* quod si Ecclesiæ parochiales adeo exigui redditus fuerint, vt totius examinis operam non ferant ob causas ibi expressas possit Ordinarius cum deputatorum consilio aliam formam examinis præscribere;
10 † Quòd si redditũum exiguitas tanti fit à Cõcilio, vt etiam in parochialibus de examinis forma aliquid remittendum censuerit, quid dicendum fuisse factũrum in simplicibus, in quibus minor habilitas requiritur, & minus periculum versatur; Ideo verisimile non est Papam, ita fuisse ordinaturum, si notitiam habuisset tenuitatis beneficiorum, & beneficiatorum paupertatis;
11 † Onera enim sunt imponenda proportionabiliter secundum facultates, *Clem. 1. in fin. de magistris, &c.* & à noui oneris
12 † impositione est maximè cauendum, *Clemen. 1. de censib.* Sunt & alia iura beneficiatorum veluti decantatio epistolæ & similia, quibus per Constitutionis dispositionem fit præiudicium, quæ longius prosequi opus non est, cum hæc satis superque sint ad demonstrandum eam aliqua æquitate sustineri non posse. Neque in contrarium deducta obstant; nam quod primo loco deducitur de summa Pontificis auctoritate, id admittitur sine vlla controuersia; sed non ideo præcludi debet via, vt si aliquid inest in Constitutione, quod nimis durum & præiudiciale sit, non possit Summus Pontifex id corrigere & emẽdare iuxta normam æquitatis parte audita, & omnibus facti circunstantijs maturius & plenius examinatis; & hoc maximè cum hodie non agatur de lege antiqua & vsu recepta reuocanda, sed de moderanda legis nouæ exorbitantia, cuius exequutioni sese opposuit Clerus, quo non audito edita fuit huiusmodi Constitutio. Potissimũ verò fulcitur æquitate hæc
13 Cleri petitio, † cum agatur de reducenda Constitutione exorbitanti ad terminos iuris communis, & sacri Concilij, quæ reductio adeo est fauorabilis, vt in ea non requiratur, nec sit necessaria clausula, Non obstante &c. *iuxta doctrinam Bald. in l. si quis ad declinandum. in lectur. nou. in fin. C. de Episc. & cler. Bero. in cons. 7. num. 21. li. 3.*
14 † Vnde si partim videmus legum veterum iniquitatem per nouas tolli & emendari, *l. si quis testamento. §. legis autem. de inoffic. testam.* multo magis emendanda est lex noua, & nondum vsu recepta, neque dedignari debemus, si sacri Concilij dispositionem potius quàm huius nouæ legis præscriptum sequi velimus, *argumen. l. priuilegia. §. omnis. C. de sacrosan. Eccles. & §. si verò. Authen. vt cler. apud propr. Episc.* Secundo non obstant causæ, quibus motus videtur Papa ad edendam nouam Constitutionem, nempe prima, & secunda, ne precibus & fauoribus vel consanguinitatis affectu beneficia conferantur, sed magis idoneis; quia nulla est Ecclesia in tota diœcesi, in qua non adsint particulares Constitutiones de idoneis eligendis; Adsunt etiã Synodales Constitutiones, quæ si obseruentur satis huic rei est consultum, præter quã quòd non renuunt beneficiati, quin instituendi & prouidendi examinẽtur, & approbentur per Episcopum iuxta formam Concilij, & declarationem sacræ Congregationis, & hoc sufficit ad tollendum omnem abusum, si quis adest in huiusmodi prouisionibus; Tertia verò causa simoniæ vitandæ gratia eodem pacto submouetur; nam ad coercendam hanc pestem adsunt remedia ordinaria, neque apud solos Calaguritanos viget hic morbus, neque satis aptus est modus eius extirpandæ cõcursus, immo datur ansa pluribus personis ambiendi, vt in numerum præsentatorum referantur; quare huic rei alia via sine alicuius detrimento prouidendum est, & hoc est, quod curare inter cætera potissimum debet Episcopus in visitationibus, quibus opportunissimè obuiam iri potest huic contagioni; Quarta verò, quæ sumpta est ex contumacia beneficiatorum, cessat, cum in omnibus & per omnia velint parẽre decretis Cõcilij, & sacræ Congregationis, submittendo se examini & approbationi Episcopi. Tertio nõ obstat, quòd hæc Constitutio non tam ius nouum constituat, quàm vetus remouet, eũ adsint antiquæ Constitutiones idem statuen-
15 tes; nam præter quàm quòd † negatur dictarum Constitutionum obseruantia, & non sunt

sunt Apostolica auctoritate confirmatæ, non ligant loca, in quibus adest particularis Constitutio, vel statutum, *vt ex consil. Bald. 201. in Prouincia Anconitana. lib. 1. & Socin. consil. 79. num. 24. lib. 4. tradidit Rota in vna Racanaten. donationis. coram me 28. Iunij 1577.* quod si prætendunt ligare, & esse in vsu, omnino superflua fuit Constitutio noua super re iam alijs Constitutionibus introducta & vsu recepta. Quarto non obstat, quòd Episcopus Calaguritanus, penes quem est cura animarum totius diœcesis soleat deputare ex dictis beneficiatis aliquos ad curæ administrationem; quia adueniente hoc casu non negatur, quin fiat concursus *iuxta formam d.c. 18.* sed velle, vt idem obseruetur, quando prouidetur de beneficio simplici, nihil aliud est, quàm extraordinarium ius imponere; & cum in reliquis, quibus dantur parochiales in titulum, semel tantum incumbat onus examinis in concursu istis pauperculis, necesse erit iterato subire dictum examen: Cur autem plus cæteris omnibus curatis hoc duplici onere prægrauari debeant, nulla probabilis ratio afferri potest.

16 ✝ Neque verum est, quòd inuiti possint adstringi ad onus curæ subeundum, non enim hoc defendi potest de iure communi; libera

17 ✝ enim debet esse volũtas tam in spirituali, quàm in temporali matrimonio; sed neque de consuetudine probatur; Neque etiã probatur, quod narratur in dicta Constitutione, Ordinarium teneri ad demandandã hanc curam dictis beneficiatis, quinimmo contrarium facilè colligitur ex Bulla Iulij Tertij, in qua dicitur clericos non beneficiatos, aut extra loca, in quibus de cura est prouidendum, administrationem curæ sine congruo stipendio acceptare nolle; Et hæc causa nouæ Constitutionis edendæ potissima visa est aliquibus ex Dominis, & qua sublata Constitutio quoque facilè reducenda videatur. Quinto non obstat, quòd in diœcesi Burgensi & Palentina, similis cõsuetudo obseruatur, quia omisso quòd ibi beneficia sunt pinguiora, & fortè non sunt alicui iurispatronatus vel iuri præsentandi obnoxia, si ad exemplum aliquod reformãda est diœcesis Calaguritana, vtique decẽtius est, vt ad instar plurium quàm pauciorum reformetur, & magis secundum canones sacri Concilij, quàm secundum consuetudines Burgensis, & Palentinæ diœcesis. Sexto & vltimo non obstat, quòd iuri valde consonum videatur, vt in omni negotio magis habilis eligatur, quia si hæc ratio esset tanti momenti, quanti fit ex aduerso, vtique iuris conditores potuissent facilè in vniuersum statuere, vt hoc in omnibus beneficijs obseruaretur, quod cum non fecerint, nulla ratio subest, vt discedamus à iure communi in sola diœcesi Calaguritana, iuxta deducta in primo fundamẽto pro hac parte. Quare concludendo dictum fuit,

18 ✝ quòd cum in omni negotio attendendum sit, quid liceat secundum æquitatem, & quid deceat secundum honestatem, & postremo quid expediat secundum vtilitatem, vt inquit Papa *in cap. magna. de voto, & voti re-*

19 *dempt.* omnibus inspectis, ✝ æquum esse, vt non tollatur ius beneficiatorum, & honestum, ne plus oneris eis imponatur, quàm ius commune & sacrum Concilium imponendum censuerit, & postremò vtile non esse tot antiquas consuetudines & prærogatiuas tollere; maximè ne assuescant homines nouis legibus præter Concilij decreta impetrandis; Et ideo æquissimam videri petitionem cleri Calaguritani petentis à Sanctissimo Domino Nostro reductionem dictæ Constitutionis ad terminos sacri Cõcilij Tridentini, quod in hac re consonum videtur dispositioni iuris communis. Sed quia pro parte Ecclesiæ de Victoria deducuntur plures rationes, & potissimũ quòd administratores curæ deducantur ad præsentationem laicorum, omnes Domini hac in re concordes fuerunt, vt hæc Ecclesia, & si quæ sunt similis qualitatis, non comprehendantur sub dicta noua Constitutione Sixti Quinti.

Romana de Parentijs.
Die Lunæ prima Aprilis 1591.

SVMMARIVM.

1 *Substitutio facta verbis precarijs solum fideicommissariam importat, & ita est communis opinio.*
2 *Testamentum effectum caducum per obitũ primi hæredis ante testatorem, vigore clausula codicillaris sustinetur; maximè si testator præcogitauerit hunc casum euenire posse, & nihilominus voluit testamentum per exequutores adimpleri, & legata præstari, & num. 5.*
3 *Verbum, valeat, licèt sit præsentis temporis, respicit etiam futurum, cum sit subiunctiui modi, & num. 7.*
4 *Præsens confusum præsentis non tenet vicẽ.*
6 *Officium exequutoris testamentary, non adita per hæredem hæreditate, cessat.*
8 *Testamentum à die mortis initium sumit.*

DECISIO CMXLIII.

Dubitatum fuit, An testamentum bon. mem. Domini Vincentij Parentij effectum sit caducum per obitum primi hæredis ante testatorem, vel potius sustineatur in personam substitutorum; Et licèt informantes pro filijs Iacobi duplicem viam defendendi testamenti aggressi sint, quarum altera est defendere, quod substitutio facta Dominæ Camillæ primæ hæredi institutæ fuerit compendiosa; altera verò vt sustinea-

neatur vigore clausulæ codicillaris, Domini omissa priore via, quia visa est habere maiorem difficultatem, ex eo quòd facta est
1 verbis precarijs, † quæ solum fideicommissariam important *ex sententia Doctor. post Bart. in l. Centurio. num. 32. de vulgar. & pupill. & ibi Rip. qui testatur de communi*
2 *num.* 301. amplexi sunt secundam, † vt vigore clausulæ codicillaris sustineatur, *per doctrin. Bald. in cons. 170. lib. 5. Alexand. cons. 17. num. 19. lib. 3. Socin. consil. 140. num. 5. lib. 1. Dec. cons. 242. num. 1. & 2. Paris. cons. 60. num. 20. & cons. 62. nu. 20. & cons. 64. num. 13. lib. 2. Marsil. singul. 547. & in specie quando per mortem instituti testamentum caducatur, Vinc. Franc. decis. 156. lib. 1. cum alys congestis per informantes**. Neque huic sententiæ obest,
3 quòd † clausula sit concepta per verbum, valeat, quod est præsentis temporis, *ad cons. Aym. 69.* quia cum sit subiunctiui modi, respicit etiam futurum, vt bene defendit *Corn. in consil. 320. numer. 15. lib. 4. qui allegat Bart. in l. 1. num. 11. de iure codicill. faciunt notat. per Innocent. in cap. dilecti. post medium. de exception.* vbi vulgatũ
4 illud habetur, † præsens confusum præsentis non tenet vsum, *Bald. in l. si ita scripsisset. de legat. 2. Idem Aym. in vltimis impressionibus in d. cons. 69. vbi approbat opinionem Cornei.* Quod tanto magis dicen-
5 dum est in casu isto, † in quo testator præcogitauit hunc casum euenire posse, vt institutа prædecederet, & nihilominus voluit testamentum suum per exequutores adim-
6 pleri, † quorum officium cessat non adita hæreditate *Fulgos. in consil. 75. nu. 4.* Item legata præstari voluit, & alia disposuit, quæ manifestam faciunt eius voluntatem, vt bene per informantes omnino ponderatur: Præterea tollit omnem difficultatem, quòd
7 † dato quòd verbum, valeat, ad præsens tē-
7 pus tantum referatur, † cum testamentum à die mortis initium sumat *cap. cum Martha. de celebrat. miss. l. 1. de testamen. l. 11. C. de sacrosanct. Eccles.* Satis verificatur in casu isto, in quo tempore mortis testatoris iam euenerat casus mortis hæredis, ex qua prętenditur testamentum fuisse effectum caducum, & per Doctores requirentes verba futurum respicientia considerant euentum annullationis, quæ contingit post obitum testatoris. Et ita conclusum.

* qui in d. decis. Frãc. 156 citantur.

Ariminen. Fructuum.
Die Lunæ 1. Aprilis 1591.

SVMMARIVM.

1 *De iure communi pro vna specie moneta, alia solui potest, dummodo creditoris non intersit.*
2 *Valor scuti auri in auro, qui in alio loco soluitur, solui debet secundum valorem cursus loci, in quo initus fuit contractus, non autem loci, in quo fit solutio, licèt conuentum sit, quod etiam in alio loco fieri debeat solutio.*

DECISIO CMXLIV.

1 FVit resolutum, † solutionem fructuum fieri debere hic Romæ in tanta moneta argentea, quæ constituat tot scuta auri in auro in obligatione contenta, cum non solum iure communi hoc liceat, vt pro vna specie monetæ alia solui possit, dummodo creditoris non intersit, *vt tradit Bart. in l. Paulus. num. 3. de solution.* sed etiam vigore cõuentionis expressè appositæ, vt possit fieri in moneta grossa argentea currenti: Solum difficultas superest, cum hæc moneta debeat esse æquiualens scuto auri in auro, *vt ex decisionibus alias factis coram me* in vna Cameracen. æstimationis florens, & in alia Narnien. dotis,* a *& coram R. P. D. meo Penia in vna Romana pecuniaria*, b quis valor scuti sit constituendus, an inspecto eius valore secundum communem cursum Ciuitatis Anconæ, an verò secundum cursum communem Vrbis; Et Domini cen-
2 suerunt † inspiciendum esse cursum Ciuitatis Anconæ, in qua initus fuit contractus, *iuxta doctrinam Bart. in l. semper in stipulationibus. num. 2. & ibi Cagnol. num. 5. de regul. iur. Socin. in cons. 247. col. 2. lib. 2. Natt. cons. 192. lib. 1.* Non obstat, quòd peti possit, vt fiat solutio in alijs locis in instrumento descriptis, & in specie hic Romæ, quia hæc conuentio non tam respicit substantiam eius, quod in obligatione est deductum, quàm facultatem conueniendi; & ideo non immutat eius substantiam, quin vniformiter sit habita ratio valoris scuti loci, in quo contractus initus fuit, quod maximè ex eo confirmatur, quòd habita fuit ratio monetæ currentis Anconæ per illa verba, in moneta grossa argentea, quæ verba non videntur ita propriè conuenire vniformi monetæ Romanæ; ideo procuret Illust. Dominus Eques habere valorem auri in auro secundum æstimationem Anconæ habita ratione monetæ Romæ currentis. Et ita conclusum.

* sub die Lunæ 14. Nouembris 1569.
a die Lunæ 17. Aprilis 1581.
b die Lunæ 23. Ian. 1580.

Aquilana Canonicatus.
Die Veneris 26. Aprilis 1591.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium litigiosum ab Episcopo conferri non potest.*
2 *Beneficium adhuc dicitur litigiosum, licèt super eo lata fuerint tres sententiæ conformes, si commissa fuerit causa nullitatis & iniustitiæ, nec non & restitutionis in integrum.*
3 *Per restitutionem in integrum lis reponitur in eodem statu, in quo erat ante rem iu-*

iudicatam, quod maximè procedit in beneficialibus, in quibus passim concedi solet restitutio.

4 *Instantia causæ restitutionis in integrum durat quadriennio, nisi finiatur per sententiam, vel per totalem processum ad exequutionem.*

5 *Commissio cum clausula parito iudicato dicitur conditionalis, & non tribuit iurisdictionem, nisi parito iudicato.*

6 *Clausula parito iudicato per æquipollens ex decreto iudicis adimpleri potest.*

7 *Ex eo, quod constet de non iure agentis, nō tollitur litis pendentia.*

DECISIO CMXLV.

1 FVit resolutum † Canonicatum fuisse affectum vitio litigiosi de tempore obitus Petri Pauli, ad effectum vt prouisio non potuerit fieri per Reuerendiss. D. Episcopum, non obstante quòd ipse esset possessor, & obtinuisset tres sententias fauorabiles ad
2 sui fauorem; nam † cum fuisset commissa causa nullitatis & iniustitiæ, necnon restitu-
3 tionis in integrum, † per hanc restitutionem fuit lis reposita in eodem statu, in quo erat ante rem iudicatam, *l. quod si memor. §. restitutio. de minor. l. 1. C. de restitut. in integr. Cassador. decis. 13. num. 1. de rescript. & fuit resolutum nuperrimè* 18. *Februarij coram R. P. D. meo Orano in Roman. Castri Orciani. & in terminis regula de subrogandis tradit Sarnen. super d. regul. quæst.* 14. *circa fin.* quod maximè procedit in beneficialibus, in quibus passim
4 concedi solet restitutio: † Hæc autem instantia restitutionis durat quadriennio, nisi finiatur per sententiam, vel per totalem processum ad exequutionem. Neque ob-
5 stat, quòd † commissio videatur conditionalis, & ita non tribuat iurisdictionem, nisi parito iudicato, *vt per Pute. decis.* 15. *de*
6 *restit. in integr. &* 424. *lib.* 1. quia † conditio illa fuerat impleta ex decreto Rotæ per æquipollens, *vt in decis. coram me in hac causa facta* 15. *Decembris* 1589. & tanto magis procedit hæc opinio, quia cepta fuerat disputatio super nullitate, quam Domini dixerant pendere ex eo, an pronunciatū esset in petitorio vel possessorio; nam si in petitorio, onus probandi non fuisse publicatam resignationem incumbebat PetroPaulo, quod tamen non reperitur per eum probatum, cum tantum sententia videatur lata in petitorio, cum in ea dicatur ius non fuisse abdicatum à PetroPaulo. Nec obstat, quòd Rota censuerit * non constare de bono iure Iacobi, quia ex eo quod quis non foueat bonum ius, non dicitur lis extincta, sed requiritur totalis terminatio iudicij re-
7 stitutorij, cum † ex eo quòd constet de non iure agentis, non tollatur litis pendentia, *vt bene per Franc. in cap. 1. num. 5. ibi nec curetur, an constet, vt lit. pend.* Ideo conclusum pro Iacobo.

* sub die 19. Martij prox. præteriti, vbi breuiter dictū fuit, Non constare de bono iure Iacobi.

Romana Cambiorum.
Die Veneris 17 Maij 1591.

SVMMARIVM.

1 *De veris cambijs & legitimis, & non fictis non dicitur constare, quando de eis nec per litteras cambij nec per librorum mercantiliter tentorum partitas doceatur, sed præsumuntur suspecta.*

2 *Scriptura producta ab eo, contra quem agitur pro debito, ei non præiudicat, si fuit producta non ad effectum fatendi debitū, sed ad effectum tantum interpellandi releuatorem, vt in se suscipiat necessariam defensionem.*

3 *Confessio tacita in vno iudicio in alio non probat.*

4 *Cambia iuxta consuetum stylum mercatorum de facili præsumuntur ficta & sicca.*

5 *Ad hoc, vt peti possit interesse propter cambia, tanquam damnum emergens, debēt probari requisita per Castren. in l. 3. §. fin. num. 3. de eo quod cert. loco.*

6 *Ad delationem iuramenti probatorij super damno emergenti debent concurrere requisita per Doctores in l. admonendi. de iureiurand.*

7 *Confessio, quæ elicitur ex responsione ad positiones, quibus responsum fuit, credit prout in actis, non præiudicat, si in actis non adsint concludentes probationes.*

DECISIO CMXLVI.

FVit resolutum non constare legitimè de cambijs, de quibus agitur; & in hac parte sententiam Auditoris Cam. non esse exe-
1 quendam; † nam de veris cambijs & non fictis, neque per litteras cambiorum, neque per librorum mercantiliter tentorum partitas docetur, quæ res magnam affert suspicionem contra prædicta cambia, *vt per Aegid. decis. 9. cum similibus* * probationes verò, quæ afferuntur, sunt valde debiles;
2 † nam lista, quæ dicitur reproducta pro parte bon. mem. Domini Christophori, cōtra Dominum Tarquinium releuatorem, est illa eadem, quæ fuerat per Dominos de Grandis producta pro liquidatione prædictorum cambiorum, quæ cum eorum probationem non contineret, neque ex ea posset dici liquere de cambijs, non potest super ea fieri fundamentum, cum fuerit reproducta non ad effectum confitendi, sed ad effectum interpellandi Tarquinium, vt susciperet necessariam defensionem; & ideo non præiudicat, *Aym. in cons. 175. num. 7.* Vl-
3 tra quòd † talis confessio esset tacita; & ideo in alio iudicio facta non probaret in isto, *Achill. decis. 2. de confess. in nou.* Ar-
4 ticuli † verò ponunt cambia, iuxta consue-

* idē Aegid. decis. 611. in fin. Aym. cōs. 114 n. 30 Castr. in l. sicut iniquū. nu. 2. C. de fid. inst.

fuetum stylum mercatorum, quæ res facit, vt de facili præsumantur ficta, & vt dici solet ficca; nam secundum verum vsum cābiorum non sunt vniformia, & per testes desuper examinatos non reperitur probatum fuisse capta in hanc causam, vt requiritur *ex decis. Mobedan. 102. Simon Centurio. in manuscript.* quia potuerunt capi in causam

5 banchi; Ideo † si tanquam damnum emergens petantur, necesse est probare requisita *Castren. in l. 3. §. fin. num. 3. de eo quod cert. loc. Mobedan. decis. 208. Pute. 230.*

6 *lib. 1.* † Neque hoc casu locus erat delationi iuramenti, cum non concurrant requisita *per Doctor. in l. admonendi. de iureiur.*

7 † Confessio verò, quæ elicitur ex responsione ad positiones, dum responsum fuit, credit, prout in actis, nihil releuat, cum enim in actis non adessent concludentes probationes, nihil ex hac responsione colligi potest, quod præiudicet. Amissio scripturarum, neque casus præcedens amissionem non probatur; ideo nihil, quod releuet, deducitur ad probandam cambiorum veritatem. Quòd autem allegatur obtētum fuisse mandatum, & exequutum pro istis cambijs contra releuatorem, si esset verum in facto, releuaret; sed de hac re hactenus nihil in actis constat; nam quod ad mandatum attinet, non sufficit, quia eadem facilitate concedi potuit, qua contra Dominū Christophorum concessum fuerat.

Lunen. Sarzanen. Beneficij, seu Prioratus.
Die Lunæ 20. Maij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Regula Cancellariæ de expressione qualitatum loquitur de beneficijs, quæ impetrantur non autem de obtentis.*

2 *Stylus Cancellariæ est, quòd in beneficiorum ruralium impetratione, quæ carent cura non sit necessaria expressio qualitatum beneficiorum.*

DECISIO CMXLVII.

Domini quantum ad ea, quæ aliàs deducta fuerunt, dixerunt abundè in decisione facta * satisfactum fuisse; nam adhibita distinctione temporum vtraque probatio simul stare potest, Antiquitus enim hæc Ecclesia fuit parochialis, vt probant iura per Dominum Galbiatum deducta, sed temporis processu dèsijt esse actu curata, ex quo non habet populum, & cura translata fuit ad Ecclesiam de Buciano, vt ex Visitatione Apostolica, & litteris Congregationis conuincitur, & probatur etiam per Visitationem anni 1580. in qua habetur idem, quod in alijs, nempe quòd caret populo, & in ea non seruatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, neque Fons Baptismatis. Quantum verò ad ea, quæ nunc deducta fuère ad ostendendum hanc esse Plebaniam, dixerunt Dominis non facere ad rem, quia dato quòd ita se res habeat, hoc perteteret nullitatem prouisionis ipsius beneficij de Barbinaia; quia † regula Cancellariæ de expressione qualitatum loquitur de ijs beneficijs, quæ impetrantur, non autem de obtentis, vt ex eius lectura clarè patet:

*sub die Lunæ 11. Febr. prox. præter.

2 Vltra quòd † datur stylus Cācellariæ, quòd in illis beneficijs ruralibus, quæ carent cura, non est necessaria ista expressio. Quare conclusum standum esse in decisis.

Valentina Iurisdictionis de Xatiua.
Die Lunæ 20. Maij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus habet de iure fundatam intentionem super iurisdictione in tota sua diœcesi, & potest causas a suo Vicario foraneo, auocare.*

2 *Vicarius debet ab Episcopo pendere, non autem se ei opponere tanquam æqualis, licèt ab eo fit deputatus auctoritate Apostolica, & sic vti delegatus.*

DECISIO CMXLVIII.

Domini steterunt in resolutis coram bon. mem. Domino Bubalo * ad fauorem Reuerendiss. Domini Archiepiscopi, nempe cum esse manutenēdum in possessione sua, itaut possit auocare causas à Vicario Setabiensi ex iustis tamen & rationabilibus causis, neque hic esse aliquid moderandum vel declarandum; cum enim agatur de mandato de manutenendo, statum hodiernum potissimum esse attendendum, quod si quid postea videbitur Dominis, declarari posse ad tollendas futuras controuersias, quæ oriri possent super iustitia causarum, id fieri posse in diffinitione negotij principalis; Neque in dubium potest reuocari, quin Reuerendiss. Archiepiscopus habeat † de iure fundatam intentionem super iurisdictione in tota sua diœcesi, *cap. conquerente. de offic. Ordin. cap. cum Episcopus. eod. tit. lib. 6. cap. cum persona. de priuileg. in 6.* & ideo potest causas à suo Vicario auocare, *l. iudicium soluitur. cum ibi notat. de iudic. Franc. in cap. vt nostrū. in 3. notab. de appellation. cum alijs in decis. allegatis.* Neque obstat Breue fel. record. Gregorij XIII. quia intentio eius non fuit præiudicare Archiepiscopo, nisi respectu totalis amotionis Vicarij: Vnde fit, vt quantum ad deputationem remaneāt iura communia intacta, & † Vicarius pendere debet ab Archiepiscopo, non autem ei opponi se tanquam æqualis, *iuxta tradita per Bald. in l. 1. §. à Præfectis. de legat. 3. Card. in Clem. 1. in 6. oppos. de offic. Vicar.* Non obstat, quòd Archiepiscopus deputauerit Vicarium auctoritate Apostolica de anno 1396.

*sub die 21. Maij 1590.

1396. & sic vti delegatus, *ad notat. per Felin. in cap. cum officij. num. 31. de præscrip.* quia verè non constat talem deputationem factam ab Archiepiscopo, immo aliquid facit in contrarium, quòd non dicit in nostra diœcesi, prout in alijs deputationibus verè factis ab Archiepiscopo nomine proprio, & auctoritate Ordinaria, quæ potius vti posteriores in hoc negotio sunt attendendæ. Quæ deducuntur ex Innocentio *in cap. Pastoralis. de priuileg.* non applicantur, quia non cōstat de prætensa maioritate Episcopatus Setabiensis, neque de vnione; immo fortè contrariū ex historicis Hispaniæ colligi potest, sed quia non multum faciunt ad rem, super hoc non potest fieri vis. Et ita conclusum.

Parmen. Status.
Die Veneris 24. Maij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Scriptura carens clausula, Actum, dicitur imperfecta, cum non constet fuisse a partibus rogatum notarium.*
Idem est si in ea non adsit locus.
2 *Locus in scriptura publica est vna ex perfectionibus, quæ in instrumentis requiruntur.*
3 *Clausula Actum, per alium notarium apposita in instrumento, qui de eo non fuit rogatus, auget suspicionem falsitatis, & num. 8.*
4 *Scriptura publica carens clausula, Actum, non potest capere robur à filcia, in qua adsint aliæ scripturæ informes, quæ nunquam fuerunt rogatæ.*
5 *Petitio dispensationis ad contrahendū matrimonium ostendit prius non fuisse cōtractum, aliàs supplicandum esset pro dispensatione super contracto.*
6 *Notarius deputatus ad facultatem explēdi instrumentū non potest supplere substantialia, si in eo deficiant.*
7 *Deficiente clausula, Actum, in instrumēto, deficit stipulatio.*
8 *Additio clausulæ, Actum, in instrumento manu diuersa magnam arguit falsitatis suspicionem.*

DECISIO CMXLIX.

FVit dubitatum, An scriptura matrimonij Thomæ de Gazzijs de aun. 1508 faciat aliquam probationem, & quam; Et Domini concorditer censuerunt, quòd stātibus defectibus tam intrinsecis, quàm extrinsecis, nullum constituat gradum pro-
1 bationis: Primo enim fuit deductum † scripturam, de qua agitur, carere clausula, Actum, quæ res indicat imperfectionem actus, non enim constat fuisse à partibus rogatum notarium, vt requiritur, *§. nos autem. Auth. de tabellionib.* nec adest locus,
2 qui tamen debet apponi, & † ista est vna ex perfectionibus in instrumentis requisitis, *per Bald. in l. contractus. num. 13. C. de fid. instrum.* Neq; obstat, quòd reperiatur addita illa clausula per Hilarium Gallicanū,
3 † quia hæc res auget suspicionem, cum ipse non fuerit de ea rogatus, nec tunc temporis rogari poterat, cum non esset tunc
4 notarius. † Nec capit dicta scriptura robur à filcia, cum prætendatur in filcia adesse alias scripturas informes, quæ nunquam rogatæ fuerunt; & auget suspicionem, quòd in illa scriptura legitur, Bernardinū despōsasse Catharinam 28. Septembris 1508. &
5 tamen de anno 1510. † Bernardinus & Catharina petierunt dispensari ad contrahendum matrimonium, & obtinuerunt, quæ res ostendit prius non fuisse contractum, aliàs supplicandum erat pro dispensatione super contracto. Neque est constituenda vis in
6 eo, quòd † Hilarius habuerit facultatem explendi scripturam; tum quia non potest supplere substantialia, si deficiant; tū quia ex multis iste Hilarius habitus fuit pro valde suspecto. Neque releuare, quòd in dicta scriptura fuerint descripti testes, quia hoc sæpè solet fieri antequā deueniatur ad sti-
7 pulationem, † quæ deficit deficiente clau-
8 sula, Actum, &c. † & eius additio manu diuersa magnam arguit suspicionē falsitatis, *Anchar. in consil. 431. Cephal. 287. nu. 17. lib. 2. cum alijs per informantes deductis.* * Testis autem, qui pro adminiculo deducitur, non percutit tempus instrumenti: An verò ex illa scriptura possit desumi aliqua præsumptio vel adminiculum *iuxta consil. Alex. 184. num. 7. lib. 7.* Domini non fuerunt concordes; Ideo conclusum in disputatione, quæ fieri debet super probatione matrimonij, * hanc scripturam esse circunscribendam.

* Add. Menoch. l. tract. de arbitr. cas. 187. n. 34. & 35.

* de qua re fuit actū infra sub die 6. Martij 1592.

Camerinen. de Murazzano.
Die Lunæ 27. Maij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Status beneficij curati de iure communi est status perpetuitatis & nō manualitatis.*
2 *Status beneficij mutari non potest, nisi quadraginta annis completis, & nisi cum possessione in statu, ad quem prætenditur mutatus.*
3 *Ad statum beneficij curati mutationem, requiruntur auctoritas superioris & voluntas.*

DECISIO CML.

FVit resolutū nō cōstare, quòd parochialis, de qua agitur, sit beneficiū manuale;
1 † cū enim de iure cōmuni status beneficij curati sit status perpetuitatis, & nō manualitatis, *vt per Aegid. decis. 103. Abb. in c. constitutus. n. 2. de election. Cassad. decis. 4. &* 12.

*Sub die Lunæ 18. Ianuarij præsentis sub his verbis præcisis: Probari vacationē Parochialis ad effectū de quo agitur.

12. *de prabēd.* & *fuit in hac causa decisum,**
2 † non potuit iste status mutari, nisi quadraginta annis completis cum possessione, & statu manualitatis, *cap. cum de beneficio. de prabend. in 6. vbi Gemin. Frāc. & Probus, Felin. in cap. in nostra. correlar. 40. de rescript.* & hoc cum agatur de statu benefi-
3 cij, non de vsu: † Neque etiam concurrunt ea, quæ ad status mutationem requiruntur, anctoritas superioris & voluntas, *Calder. in cons. 1. de consuetud. & Gemin. Franc. & Prob. supra allegati.* Quæ autem deducuntur pro Abbate, vltra quòd non sunt in forma probanti non attingunt tempus quadraginta annorum; ideo probatur deuolutio concludenter, cum per viginti annos, & vltra non fuerit cuiquam in perpetuum titulum collata ista parochialis. Quare conclusum vigore gratiæ si neutri beneficiū esse adiudicandum Gabrieli.

Zamoren. Exemptionis decimarum.
Die Lunæ 27. Maij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium exemptionis concessum alicui ordini, per non vsum vnius monasterij non censetur sublatum, cum sufficiat respectu aliquorum monasteriorū, quòd sit in vsu.*
2 *Vbi causa est vniuersalis propter quam aliquod priuilegium conceditur, illa potius attenditur, quam ipsius actus seu priuilegij exercitium.*
3 *Priuilegium generaliter concessum pro omnibus monasterijs semper loquitur, & habet causam successiuam.*
4 *Clausula, quòd remaneant centum pro Rectore, apposita in pensionibus, est verificanda non solum de tempore gratiæ, sed etiam requiritur, quòd continuò duret, ad hoc vt pensio sustineatur; alioquin ex pensione venit supplendum, quod Rectori deest.*
5 *Moniales non prohibentur recipi in monasterio iuxta solitum, si à monasterio nō sit constitutus certus numerus monialiū, dummodo non recipiantur in fraudem, vel sine dote.*
6 *Exemptio à decimis concessa ratione paupertatis, dicitur concessa non solum respectu bonorum, quæ exemptus habebat tempore concessi priuilegij, sed etiam eorum, quæ postea habuit, donec esset paupertas.*
7 *Probatio redditaum Ecclesiæ ad probationem paupertatis magis attenditur, quæ facta fuit per Oeconomos, Administratores, seu Collectores eorundem redditunm, quàm ea, quæ fit per alios.*
8 *Testes deponentes de negatiua tanquam bene informati probant, si dicunt aliter esse non posse, quia ipsi scirent.*

DECISIO CMLI.

Domini nonnulla firmarunt, & alia reseruarunt particulariter discutiēda:
1 Quæ firmarunt sunt ista, † Priuilegium esse validum, & illud respectu huius monasterij non censeri sublatum per non vsum, sed sufficere, vt respectu aliquorum monaste-
2 riorum sit in vsu; quia † vbi causa est vniuersalis, illa potius attenditur quàm exercitium ipsius actus, *Bald. in l. 2. numer. 2. C. de emancip. liber. & fuit dictum in vna Toletana annatarum, & firmatum per Rotam proponente R. P. D. meo Orano in hoc eodē priuilegio in alia Conchen. decimarū:** Fuit etiam dictum sufficere, quòd hodie per monasterium probetur indigentia, idest non habere congruam vigintiquinque ducatorum, quia versamur in priuilegio generaliter concesso pro omnibus monasterijs
3 istius Ordinis, † quod semper loquitur, & habet causam successiuam, sicut in simili dicitur de clausula, quòd remaneant centum pro Rectore, solita apponi in pensioni-
4 bus, † quæ non solum est verificanda de tempore gratiæ, sed & requiritur, quòd cōtinuò duret ad hoc, vt pensio sustineatur; alioquin ex pensione venit supplendum id quod Rectori deest. Fuit etiam conclusū,
5 quòd † cum in isto monasterio non sit constitutus certus numerus monialium, non posse eas prohiberi, quin iuxta solitum possint recipere, dummodo colligi non possit, quod fieret in fraudem, puta recipiendi moniales indotatas, & aliter quàm fieri cōsuetum est: Præterea censuerunt Domini
6 † priuilegium esse intelligendum de exemptione non solum respectu bonorum, quæ monasterium habebat tempore concessi priuilegij, sed etiam eorum, quæ nunc possidet; quia exemptio præfata à solutione decimarum non fuit data intuitu bonorum, sed ratione paupertatis; & ideo donec non habeant congruam vigintiquinque ducatorum pro qualibet, durante causa priuilegij durat priuilegium. Quantum verò ad probationem paupertatis, quæ ex quantitate redditaum colligi debet, Domini considerarunt probationes hinc inde factas nō admodum inter se differre, cum probatio monasterij concludat ascēdere redditus ad summam 1988. ducatorum, probatio verò
7 Capituli ad ducatos 2100. Verum † magis arridebat probatio monasterij, quia facta per Administratores Oeconomos seu Collectores redditaum, qui verisimiliter erant
8 bene informati; & † licèt videantur deponere de negatiua, tamen bene probant, cū dicant aliter esse non posse, quia ipsi scirent, *vt per Aretin. in cap. tertio loco. de probat.* stante tamen huiusmodi probatione, si nihil veniret deducendum, non probaretur indigentia pro congrua sexaginta monia-
lium;

*Sub dieb. 10 Ian. 27. Mart. & 10. Maij 1589.

lium; sed quia prætenduntur multa esse deducenda; Domini in abstracto censuerunt eas expensas, quæ non concernunt victum & vestitum esse deducendas; eas verò quæ pro victu & vestitu fiunt, non esse detrahendas, sed vt res melius discutiatur, fuit ordinatum, vt particulariter videatur, quæ onera probentur, & ad quam summam ascendant, & quæ veniant deducenda.

Paduana Iurispatronatus.
Die Veneris 31. Maij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Concessio iurispatronatus facta sub conditione augmenti redditus inducit formã.*
2 *Augmentum fructuum beneficij, non probatur, nisi verificato prius valore redituum praexistentium tempore gratia.*
3 *Melioramenta facta liquidari non possũt, nisi verificato prius, qualis esset antiquus status rei meliorata.*
4 *Liber astimi non facit fidem contra non subditos.*
5 *Ad astimationem redditus domus ex illius pensione, deduci debent impensa, qua solent fieri, & sunt necessaria pro eius reparatione.*
6 *Nobilitas familia, & qua plurimum pollet auctoritate propter eius potentiam facit, quòd prasumatur vsurpatio iurispatronatus.*
7 *Vbi agitur solum de verificatione gratia propter longissimi temporis obseruantiã, sufficit leuior probatio, & semiplena.*
8 *Quando agitur de implemento conditionis plena requiritur probatio implementi.*

DECISIO CMLII.

Fvit resolutum probationem Dominorum de Delphinis circa effectuationem conditionum in concessione iurispatronatus appositarum, non esse concludentem in duobus, nempe respectu augmenti redituum beneficij ascendentium, vt asseritur, ad sexaginta ducatos auri de Camera, ita quòd augmentum debebat esse ducatorum triginta auri de Camera ex tenore conces-
1 sionis, † quæ inducit formam, cum sit facta sub hac conditione, *Bald. in Authẽt. matri & auia. num. 8. C. quand. mul. tutel. offic. fung. poss. Dec. in consil. 77. in princip. Ne-*
2 *uizan. consil. 50. num. 13.* † Hoc verò probari non potest, nisi prius verificato valore præexistentium redituum ipsius beneficij, qui probandus est de tempore gratiæ *Verall. decis. 330. part. 3. in impress. prout in simili aliàs in Rota in causa Romana de Valle coram R. P. D. Sarmiento fuit dictum,*
3 † non posse liquidari melioramenta facta in domo, nisi prius verificato, qualis esset antiquus status ipsius domus, sed valor iste neq; articulatus est, neq; probatus: Præterea nõ constat de certo valore redditus domus, pro augmento assignatæ; nam iura, quæ deducuntur, non sunt in forma proban-
4 ti, neque legitimè extracta: Præterea † liber æstimi non facit fidem contra non subditos, *vt per Socin. in consil. 187. num. 20. lib. 2.* neque credendum est assertioni Domini Iacobi, *per ea qua tradit Bart. in l. si fortè. de Castr. pecul. Dec. in cõsil. 20. in prin-*
5 *cip. num. 2.* maximè cum † ex pensione domus deducendæ sint impensæ, quæ solent fieri, & sunt necessariæ pro eius reparatione, vt experientia docet. Alterum, quod non est verificatum, est respectu veræ traditionis domus, & assequutionis possessionis per Ecclesiam, cum instrumentum consignationis non fuerit in rẽ præsentem, neque legitimè constet dictam domum fuisse vnquam possessam per Rectores dicti beneficij, licèt aliquas pensiones perceperint per manus Dominorum de Delphinis; nam hanc probationem etiam reddit magis suspectam nobilitas dictæ familiæ patriciæ,
6 † quæ plurimum pollet auctoritate in locis subditis dominio Serenissimæ Reipublicæ, itaut aliqua præsumptio ex hac potentia insurgat contra ipsos, *iuxta ea, qua habentur in sacro Concilio Tridentino sess. 25. cap. 9.* Neque suffragatur præsumptio, quæ oritur ex longissimi temporis obseruantia, *iuxta ea qua deducta fuerunt aliàs in causa Lucana Decanatus,* * quia ibi non agebatur de implemento & traditione bonorum pro augmento dotis assignatæ, ea enim plenè constabat fuisse tradita & cõsignata, & circa hanc rem nulla aderat difficultas; sed
7 † tantum agebatur de verificatione gratiæ, in qua sufficit leuior probatio, & semiplena, *vt per Aegid. decis. 112. 113. & 684.* a *Rota decis. 14. de probation. in antiq.* At in casu nostro, præter quàm quòd agitur de
8 implemento conditionis, † quod est plenè probandum, *Mohedan. decis. 148. in fin. Felin. in cap. fin. num. 93. de prasumpt.* Accedit, quòd de vera domus consignatione non liquet, & quòd aliqua ratione potẽtiæ vrget in contrarium præsumptio, *ad tradita per Peregrin. decis. 5. lib. 2. Chissanen. 67.* Quare conclusum in his non esse concludenter probatam effectuationẽ conditionum, licèt in alijs Domini censuerint satis iustificatam esse gratiam.

* sub die 21. Maij 1578 corã Illustriss. Card. Aldob. in impr. dim. nou. 534. parte 1.

a Idẽ Aegid. decis. 671.

Placentina Portionis.
Die Veneris 31. Maij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Ad effectum vt per assequutionem beneficij incompatibilis vacet primum, requiritur perceptio fructuum secundi ex aquitate, ne interim beneficiatus cogatur mendicare, vel quòd concurrat administra-*

tio bonorum Ecclesiæ, vel maioris partis ipsorum.

2 *Stallus in choro, & vox in Capitulo non habetur pro fructu Canonicatus, ad effectum vt per assequutionem secundi beneficij incõpatibilis, vacet Canonicatus.*

3 *Assequuta possessione secundi beneficij incompatibilis, vacat primum, nec potest dimitti secundum; secus est si ante assequutionem fructuũ secundi fuerit mota lis, quæ impedit vacationem primi.*

4 *Lis mota in assequendo possessionem secundi beneficij incompatibilis excludit vacationem primi ob assequutionem secundi.*

DECISIO CMLIII.

DOmini sine difficultate censuerunt esse procedendum ad vlteriorem exequutionem sententiæ latæ in Rota; nam de
1 eius iustitia constat, † etenim ad effectum,
vt per assequutionem vnius incompatibilis vacet primum, requiritur perceptio fructuum ex æquitate, *cap. si tibi concesso. de præbēd. in 6. & ibi per Doctores*, ne interim beneficiatus cogatur mendicare, vt bene declarat *Additio ad decis. Rotæ. 3. de præbend. in nou.* quæ requirit, vt concurrat administratio bonorum Ecclesiæ vel maioris partis ipsorum, *& faciunt notat. per Vital. in Clem. gratiæ. num. 52. de rescript.* maximè attenta qualitate huius Canonicatus de Beato, qui nullos habet fructus, nisi sequuta dismembracione facta vigore Bullæ Adriani, & sic versamur in proprijs terminis *cap. si tibi.* quod loquitur, quando fructus erant alteri reseruati ad certum
2 tempus, nec † stallum in choro & vox in
Capitulo habetur pro fructu ad hunc effectum, cum ex his nemo se sustentare va-
3 leat. Neque obstat, quòd † assequuta possessione vacet primum, nec possit dimitti secundum, *ex notat. per Gemin. & Franc. in d. cap. si tibi.* quia hoc non suffragatur Francisco, ex quo ante assequutionem fructuum fuerit mota lis, quę impedit vacationem primi, *Clem. si plures. de præbend.* Vltra quòd ex fide data apparet statim in ipsamet prouisione, ex illius possessione fuisse
4 motam litem, † quæ excludit vacationem
ob assequutionem, *iuxta glos. in cap. commissa. cum ibi notat. de electiõ. in 6.*

Valentina Capellæ.
Die Veneris 7. Iunij 1591.

SVMMARIVM.

1 *In commissionibus causarum non requiritur valde exacta iustificatio narratorũ.*

2 *Iudex potest declarare se iudicem competentem stante commissione.*

3 *Iudex potest vigore rescripti non limitati ad restitutionem tantum ad appellandũ, sed ad quamcunque restitutionē ex clausula generali, declarare appellationem interpositam à iudice à quo, fuisse validam, & ipsam pro legitima admittere.*

4 *Productio processus in causa appellationis sufficit quòd ante sententiam fuerit facta, licèt non fuerit à principio productus.*

DECISIO CMLIV.

FVit inter beneficiatos ex vna, & Pannipparatores ex altera controuersum super validitate sententiæ latę per Dertusensem ea ratione, quia vt prætendebatur pro parte Confraternitatis Pannipatatorum, non fuerat coram D. Dertusensi verificata clausula in commissione apposita, dummodo præmissa sint vera; Item quia acta non fuerant transportata iuxta Concilij dispositionem; & postremo quia eodem contextu idem iudex restituit ad appellandum, & pronũciauit super negotio principali. Quibus non obstantibus Domini censuerunt sufficienter constare de narratis in commissione & sententiam sustineri; nam quantum ad iustificationem narratorum ex testibus examinatis coram me constitit clerum fuisse in possessione apponẽdi tumulum in Capella maiori, dum celebrantur Anniuersaria pro defunctis. Neque refert, quòd testes non percutiant in specie diem festiuitatis Commemorationis mortuorum, quod incipitur celebrari in die Omnium Sanctorum post Vesperas, quia satis est, quòd in genere probetur de possessione celebrandi anniuersaria defunctorum, inter quæ hoc est præcipuum, & quòd ex consuetudine Ecclesiæ vniuersalis vbique celebrari solet, & tunc etiam fuerat appositum, quando per Vicarium fuit factum decretum illud prouisionale, super quo postea fuit interposita appellatio, & obtenta restitutio. Reliqua narrata ex instrumento appellationis, & responsione iudicis verificantur, & in his nulla est controuersia. Neque obstat, quòd appellatio narrata non fuerit valida, cum interposita fuerit post decem menses à dicto decreto prouisionali, quia non fuit narratum, quòd validè fuerit appellatum, & sufficit verificatio appellationis de facto, & fuit sufficiens pro obtinenda commissione, etiam quòd sola verificaretur, *Ægid. de-
1 cis. 280.* vbi tradit, quòd † in commissionibus causarum non requiritur tam exacta
2 iustificatio narratorum; Ideoque † potuit iudex declarare se iudicem competentem, stante commissione Nuncij, *cap. ex litteris. de offic. delegat.* poteratq. pronunciare in negotio principali, quia causa erat instructa ex probationibus vtriusque partis, & iudex ab initio articulos verificationis narratorum, & incompetentiæ reseruauerat declarandos in sententia diffinitiua, & bene, ne daretur ansa appellandi, & protra-

hendi litem in infinitum. Neque obstat,
post restitutionem appellatum non fuisse, &
per Iudicem nihilominus processum ad vl-
3 teriora in negotio principali, quia † ipse
declarauit appellationem coram Officiali
Valentino interpositam fuisse validam, &
ipsam pro legitima admisit, quod potuit ex
forma rescripti non limitati ad restitutionē
tantum ad appellandum, sed ad quamcun-
que restitutionem ex clausula generali. Ne-
que obstat, quod deducitur de non produ-
4 ctione processus ab initio; quia † sufficit
quòd ante sententiam fuerit productus.
Ideo conclusum, vt reiectis istis nullitatibus
videatur de iustitia prædictæ sententiæ.

Anximana Bonorum.
Die Veneris 7. Iunij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio Cameralis non capit nisi expressa.*

2 *In obligatione restitutionis bonorum in ne-
cessariam consequētiam venit fructuum
restitutio.*

3 *In materia liquidationis valoris bonorum
& fructuum sufficit leuior probatio, &
per coniecturas proximas, veluti ex red-
ditibus, vel valore locorum vicinorum.*

4 *Materia liquidationis valoris bonorum &
fructuum est iudicis arbitraria.*

DECISIO CMLV.

QVantum ad ea, quæ aliàs fuerunt di-
scussa Domini stant in resolutis, * &
tantum dixerunt esse animaduer-
tendum circa iurisdictionem, quia commis-
sio vltimo loco obtenta videtur tantum ra-
tione fructuum, non autem bonorum depo-
sitatorum; item contra fideiussores datos
ex ordine Rotæ, & illorum hæredes, inter
quos non potest connumerari Angelellus:
1 Id verò, quod dicitur, † obligationem Ca-
meralem non capere nisi expressa; & ideo
non posse agi ad fructus animalium & alio-
rum bonorum, non placuit Dominis; quia
versamur in depositario, qui non facit fru-
2 ctus suos; † & in obligatione restitutionis
bonorū venit in necessariam consequentiā
restitutio fructuum. Quibus stantibus te-
stes satis visi sunt probare valorem bono-
3 rum, & fructuum; quia † in hac materia
liquidationis sufficit leuior probatio etiam
per coniecturas proximas, veluti ex reddi-
tibus vel valore locorum vicinorum, *Bald.
in l. 1. num. 22. C. de fructib. & lit. expēs.
Corn. in cons. 301. in fin. lib. 2.* & ex soli-
to, *vt per Achill. decis. 5. de fructib.* & in
4 summa † tota hæc res committitur Iudicis
arbitrio, *vt per Natt. in consil. 510. num. 7.
lib. 3.* Ideo censuerunt Domini fieri debe-
re liquidationem iuxta depositionem te-
stium, adhibita aliqua moderatione.

* sub dieb. 15 Febr. & 18. Martij prox. præteriti.

Bononien. de Felicinis.
Die Lunæ 10. Iunij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Substitutus sub ea conditione, si nulli de-
scendentes extarent neque superuine-
rent, admittitur vti substitutus primis
hæredibus institutis sub illa conditione,
non autem vti substitutus descendenti-
bus in conditione positis.*

2 *Descendentes positi in conditione nō censen-
tur vocati; maximè quando onus & gra-
uamen non fuit nominatim iniunctum,
sed indeterminatè; secus est, si fuerint
in conditione positi in institutione &
substitutione filijs suis facta, vt num. 3.*

4 *Grauamen adiectum positis in conditione
sufficit pro coniectura vocationis concur-
rentibus alijs coniecturis, & ita seruatur
in Rota, & num. 5.*

6 *Cōiectura vocationis impositis in conditione
dicuntur vrgentissima, si sint de descen-
dentibus testatoris, & si sint sub qua-
litate masculinitatis, legitimitatis, & ex
legitimo matrimonio, & quòd exclusa
sint fœmina, & substituta sint loca pia
in tota hæreditate.*

7 *Ad hoc ne reddatur frustratoria testatoris
dispositio, applicari potest regula illa,
quòd qui vult consequens, velit & neces-
sarium antecedens.*

DECISIO CMLVI.

DVbium, quod prius in genere resolu-
tum fuerat, * adesse fideicommissum
in testamento bon. mem. Ioannis de Feli-
cinis ad fauorem descendentium, fuit iterū
discussum, restringendo difficultatē ad hoc,
An descendentes, de quibus fit mentio in
versiculo si autem contigerit, dicantur vo-
cati & honorati à Ioanne testatore in casu,
de quo agitur: Prætendebant enim infor-
mantes pro Illust. mulieribus, eos non posse
dici vocatos, licèt positos in conditione ex
pluribus; Primo ex vulgata regula *l. Lucius.
de hæred. instit.* Secundo ex quadam subti-
li consideratione facta per bon. mem. Do-
minum Hieronymum Gabrielium, qui pro
ista parte consulendo dicebat, non posse ad
hunc effectum dici vocatos descendentes,
cum necesse sit, vt præcedat institutio vel
substitutio vnius vel plurium facta sub hac
conditione, si sine liberis, & hoc tantum
casu Doctores tractare, an postea ex conie-
cturis vocati censeantur. Verum in dicto
versiculo reperiri tātum institutionem mo-
nasteriorum sub ista conditione, si nulli de-
scendentes extarent, neque superuenirent
ex dicto testatore, & ex eius filijs; & ideo
1 † dicta monasteria admitti vti substituta
primis hæredibus institutis sub illis condi-
tionibus, non autem vti substituta descen-
dentibus in conditione positis, *iuxta do-*

* sub die 18. Feb. præteriti.

ctrinam Bart. in l. Centurio. num. 37. de vulg. & pupill. & in l. sed & si sic. de leg. 3. Tertio conantur impugnare omnes coniecturas in decisione deductas pro parte Dominorum de Feliciis, singulas confutando, vti non concludentes; nam ✝ prima illa, quæ fit super grauamine communiter reijcitur, prout ex multis auctoritatibus cumulatis docetur, quas hic necesse non est repetere; maximè quando onus non est nominatim iniunctum, sed indeterminatè, *vt per Aretin. in d. l. Centurio. num. 15. & 16. Alex. in cons. 202. num. 2. lib. 7. Socin. iun. cons. 176. num. 20. lib. 2. cum alijs hic per informantes citatis* [a]. Alias verò coniecturas vti leuiores ex communi sententia Doctorum reijciunt, prout istas masculinitatis, legitimitatis, & exclusionis fœminarum, & etiam addunt earum cõcursum nullius esse momenti, cum per se sint leues, & non concludẽtes, *vt tradit Decian. qui alios allegat in cons. 26. num. 87. lib. 2.* His ta-

3 men non obstantibus, ✝ Domini vnanimiter censuerunt istos descendentes fuisse vocatos & honoratos; Primo enim fuerunt in conditione positi in institutione & substitutione filijs suis facta; deinde expressè grauauit eos per fideicõmissum in illis verbis dictos fratres & Hospitalia pro partibus antedictis substituit vulgariter, pupillariter, & per fideicõmissum dictis suis descẽdentibus & dictorum eius filiorum: Et ex his duobus tollitur ex facto id, quod consideratum fuit per D. Gabrielium in suo consilio; nam & præcedit institutio & substitutio facta sub ista conditione, si sine descendentibus, &c. & grauamen ipsis nõ autem primis institutis & substitutis tantum est iniunctum. Neque obstat, quòd contra

4 *Bart.* sit communis opinio, quòd ✝ ex solo grauamine non resultet sufficiens coniectura vocationis, vt probant Doctores ex aduerso allegati, quia licèt in hac controuersissima quæstione Rota amplectatur sententiam contra *Bart.* vt sola non sufficiat, tamen concurrentibus alijs coniecturis eam concludentem esse existimarunt innumeri Doctores, quos vt compendium laboris faciã, nominatim non citabo, sed sufficiet allegasse *modernos Aquilanos, qui diligenter hunc articulum integro tractatu examinarunt lib. 4. cap. 3. & lib. 5. cap. 8. Quibus addi potest Decian. in cons. 44. num. 57. lib. 3. & R. P. D. meus Mantic. in tractat. de coniectur. vltim. volunt. lib. 8. cap. 1. num.*

5 *32. in fin. & lib. 11. cap. 3. nu. 26.* ✝ Et hãc opinionem amplectitur *Rota apud Puteum decis. 215.* itaut non sit opus ire per mendi-

6 tata suffragia: ✝ Coniecturæ verò in hac facti specie cõcurrentes sunt vrgentissimæ, *vt ex allegatis per D. Benettum conuincitur*, nempe quòd positi in conditione sunt descendentibus testatoris, quòd sub qualitate masculinitatis, legitimitatis, & ex legitimo matrimonio sæpius repetita, quòdque exclusæ fuerunt fœminæ & substituta loca pia in tota hæreditate, quod licèt non fuerit expressum per dictionem, tota, fuit tamen dictum per æquipollentia verba, vt in alia decisione fuit consideratum, ex quo sequitur hanc testatoris dispositionem non posse sortiri effectum, nisi inductum fuerit fideicommissum reciprocum inter descendentes, itaut vltimo morienti succedere

7 possint loca pia: ✝ Vnde si aliquo casu potest applicari regula illa, vt qui vult consequens, velit & antecedens necessarium, ne reddatur frustratoria testatoris dispositio, *l. in conditionibus. de condit. & demonstrat. Grat. in cons. 32. num. 17. lib. 2. Reuerend. D. meus Mantica d. lib. 8. cap. 1. num. 32.* necesse sit fateri hic applicari, & habere locum tradita *per Socin. in l. heredes mei. § cũ ita. num. 8. & ibi Marian. iun. num. 24. ad Trebell. Couarr. in cap. Raynutius. num. 4. D. meus Mantic. lib. 7. tit. 5. num. 14. quod etiam fuit resolutum*, [b] quæ coniectura est validissima, neque ei satisfacere potuit Dominus Gabrielius, sed se inuoluit; nam dum dicit descendentes non fuisse honoratos, petit principium, dum verò negat substitutionem fuisse factam vltimo morienti fallitur; nam vt sit locus huic substitutioni, necesse est omnino nullos extare ex aperta dispositione testatoris, ita directè sub hac conditione substituenris: Vnde fit, vt quãdiu vel vnus solus sit superstes, non sit locus dictæ substitutioni. Et ex his tollun tur omnia ex aduerso considerata. Et ita conclusum standum esse in decisis.

[a] quæsita ista, Rip. in d. l. Centurio. n. 166. Soc. cons. 19 n. 6. & 104. n. 8. li. 3. Socin. iun. 176. n. 20 li. 2. Rimin. sen. 96 n. 6 li. 2. Dec. 192. col. 2. & 422. col. 1. Ceph. cõs. 17. nu. 19. lib. 1.

[b] sub d. die 19. Feb. preterita.

Florentina Domus.
Die Lunæ 10. Iunij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Sententia approbans subhastationem factã per iudices laicos, quæ ratione incompetentia fuit nulla, reuocari debet; nec etiam respectu laicorum sustinetur, si agatur de re cõmuni cum clerico, & n. 11.*

2 *Vbi proceditur contra plures fratres, quorum aliqui sunt clerici, iudicium in foro Ecclesiastico agitari debet, etiam quòd alÿ sint laici, & etiam quòd agatur de patrimonialibus.*

3 *Iudicium contra clericum coram iudice laico in patrimonialibus tunc solum agitari potest, quando agitur respectu immunitatum & exemptionum, & eorum, in quibus clerici non reperiuntur specialiter priuilegiati.*

4 *Clericus nec etiam volens, potest coram iudice laico cõueniri, cum sit incapax illius iurisdictionis, nec opus est, quòd compareat ad declinãdam iurisdictionem, quia nihilominus processus est nullus.*

Idem

Idem est in clerico harede clerici defuncti, vt num. 5.

6 *In citatione facta per iudicem laicum, quatenus sua, quis putauerit interesse, si clericus compareat, efficitur actor voluntarius, & processus sustinetur contra eum; secus est, si iudicium principaliter in clericum fuerit directum, & citatio sit simplex, non autem quatenus sua putauerit interesse.*

7 *Citatio facta quatenus sua quis putauerit interesse, non habet locum in harede tanquam habente primam causam successionis, sed dicitur simplex citatio; secus est in creditore, qui citatur pro eius interesse.*

8 *Contumaces habentur pro consentientibus; secus est in eo contumace, qui non arctatur ad comparendum.*

9 *Instantia per iudicem laicum cœpta contra defunctum laicum non transit in haredem clericum.*

10 *Iuramentum in contractu appositum non habet vim litis contestata, nisi res sit in iudicium deducta.*

12 *Actio hypothecaria etiam cōtra plures personas dicitur indiuidua.*

13 *In actione indiuidua sententia non potest pro parte valere, & pro parte non.*

14 *De nullitate sententia vsque ad triginta annos dici potest; maximè stante nullitatis euidentia.*

DECISIO CMLVII.

1 FVit resolutum, † sententiam Auditoris Reuerendiss. Nunetj in ea parte, quę est cōtra Illust. Dominos Aldobrandinos esse reuocandam, cum per eam approbata fuerit subhastatio nulliter facta per iudices
2 laicos Ciuitatis Florentiæ; † cum enim procederetur cōtra plures fratres, quorum aliqui erant clerici, nempe bon. mem. Illustriss. Ioannes Aldobrandinus Rotæ tunc temporis Auditor, iudicium erat agitandū in foro Ecclesiastico, etiam quòd alij essent laici, *Bart. in l. præcipimus.* [a] *C. de appellat. Felin. in rubr. eod. tit. num. 9. Ias. in l. si emancipati. num. 13. C. de collation. cū alijs allegatis.* [a] Neque obstat, quòd versemur in patrimonialibus, *ex notat. per Dec. in cap. Episcopus. num. 10. de prabend. Rimin. iun. in consil. 2. num. 12. cum alijs.* [b]
3 quia † dictum eorum procedit respectu immunitatum & exemptionum, & eorum, in quibus non reperiuntur specialiter priuilegiati, non autem respectu fori, *cap. si diligenti & cap. significasti. de for. competen.*
4 adeo quòd, † neque etiam volens potest cōueniri coram iudice laico, cum sit incapax huius iurisdictionis, *Dec. in cons. 150. nu. 4.*
5 *& 241. nu. 2.* † & in clerico hærede clerici conuento pro debito defuncti *tradit Couar. pract. quast. cap. 8. Dec. in consil. 700. n. 6. Galeſ. ad form. Cam. oblig. part. 2. quaſt. 2. ad secund. part. formula. num. 1.* Neque opus est, quòd compareat ad declinandum iurisdictionem, quia nihilominus processus est nullus, *Felin. in cap. cum ordinem. nu. 15. de rescript. & in cap. si duobus. de appellation.* quod maximè dicendum in casu isto, cum clericatus Domini Ioannis Rotæ Auditoris [c] esset notorius, & iudicium tractaretur contra absentes citatos per edictū *Felin. in d. cap. cum ordinem. nu. 8. & 13. Dec. in cons. 125. nu. 7.* Non obstat, quòd citatio fuerit facta, quatenus sua putaue-
6 rit interesse, † quo casu clericus comparēs efficitur actor voluntarius, & processus sustinetur, *vt per Bald. in l. testamenta. C. de testamēt. cum alijs, quos allegat Roland. in consil. 28. lib. 2.* tum quia non applicatur in casu isto, in quo iudicium principaliter dirigebatur contra Aldobrandinos citatos,
7 tum etiam quia † non est verum, quòd citentur, quatenus sua putent interesse, sed simpliciter citantur tanquam habētes primam causam successionis, si sunt & esse volunt hæredes Domini Syluestri; Creditores verò citantur pro eorum interesse: Præterea in hoc iudicio citati non comparuerūt, & fuit processum per edictum; vnde cessat
8 ratio *Bald.* † nec potest dici contumaces haberi pro consentientibus, cum non dicatur contumax ille, qui non arctatur ad cōparendum. Neque obstat, quòd instantia cœpta contra defunctum laicum transeat etiam in hæredem clericum, *vt per Felin.*
9 *in cap. quia G. de sudic.* † quia hoc non subsistit neque in facto, neque in iure; quia in facto non est verum, quòd fuerit cœptum iudicium contra bon. mem. Dominum Syluestrum, & in iure contrarium tenet *Boer. decis. 69. cum alijs, quos adducunt Couarr. & Galeſ. supra citati.* Neque obstat iura-
10 mentum in contractu appositum, † quia non habet vim litis contestatæ, nisi res sit in iudicium deducta, *Ias. in l. pecuniam.*
11 *de condit. ob caus.* † Neque etiam respectu laicorum potest sustineri subhastatio; quia cum ageretur de re communi cum clericis, iudicium erat Ecclesiasticum, *Bart. in d. l.*
12 *præcipimus.* maximè † cum esset intentata actio hypothecaria, quæ est indiuidua,
13 † quo casu sententia non potest pro parte valere, & pro parte non, *Afflict. decis. 213.*
14 *Put. 315. n. 3. lib. 1.* † Quod dicitur de præscriptione non obstat, quia de nullitate dici potest vsque ad triginta annos, *Aym. in consil. 108. num. 4.* præsertim stante nullitatis euidentia, *Balb. de praſcript. 4. par. quarta partis principal. quaſt. 32.* Et ita conclusum.

[a] in §. eodem obseruando.

[a] per eundē Ias. d. nu. 93.

[b] Vide in cō sil. 99. n. 5. Viuius in cōm. opin. super verb. clericus in bonis, & 8 magis cōi So cin in consil. 23. n. 8 li. 2. cū alijs cōgestis per ... mal ium. d. cō sil. 2. n. ... li. 1

[c] iste fuit R. R. & Card. & Clemētis viij Pōt. Max. frater.

Ariminen. Fructus dotis.
Die Veneris 21. Iunij 1591.

S V M M A R I V M.

1 *Pendente iudicio impugnationis instrumēti dotis, licèt maritus non possit petere residuum sortis principalis dotis sibi promissæ, potest tamen fructus dotis integra petere, donec ei fuerit integrè soluta dos.*

2 *Dominus directus agens ad deuolutionem rei emphyteutica pendente lite potest petere sibi solui canones, aliàs emphyteuta cadit ob non solutionem; quod locum habet etiam in Ecclesia.*

3 *Fructus dotis debentur, licèt sit finitum tempus dilationis inter partes conuentū, quando stat per debitorem, quominus dos soluatur.*

4 *Impugnatio instrumenti excusat à negligentia non soluendi debitum.*

DECISIO CMLVIII.

FVit conclusum per Dominos, quicquid
sit in illa quæstione, an stante impu-
gnatione instrumenti dotalis possit Domi-
nus Eques petere residuum sortis principa-
1 lis dotis sibi promissæ, nihilominus † pen-
dente hoc iudicio, & donec dos ei fuerit in-
tegrè soluta, deberi ei fructus dotis; Æquis-
simum enim est, vt postquam ipse sustinet
onera matrimonij consequatur quoque fru-
ctus dotis nondum solutæ, non obstante
lite super rescissione contractus, vt in simi-
2 li dicitur de domino, † qui agit ad deuolu-
tionem rei emphyteuticæ, cui lite penden-
te soluendi sunt canones, aliàs emphyteu-
ta cadit ob non solutionem, *Capic. decis.
16. num. 6. Caputaquēs. decis. 299. part. 1.
Achill. decis. 1. de locat.* & idem in Ecclesia
*vt per Doctores in Authent. qui rem. C. de
sacrosanct. Eccles.* Neque placet ratio illa,
quòd summa, pro qua petuntur fructus, nō
sit dotalis; quia data fuerunt ratione bo-
norum maternorum Dominę Leonidę, quia
quamuis hoc verum sit, tamen omnia fue-
runt data in dotem, vt patet ex instrumen-
to, in quo constituitur dos quatuordecim
millium scutorum. Quantum verò ad ta-
3 xationem attinet, † Domini dixerunt esse
taxandos ad septem pro centenario, iuxta
taxationem factā à partibus; nam quamuis
finitū sit tēpus dilationis cōuentū, tamen
ex quo stat per D. Marchionem, quo minus
fiat solutio, debet continuare solutionem
fructuū ad eandē summā: Neque debet ha-
beri in hac taxatione ratio Statuti Anconi-
tani taxantis fructus dotales ad rationem
decem pro centenario, quia restrictum est,
dummodo fructus non transcendant sum-
mam sexaginta librarum: Præterea statutū
loquitur, quando debitor est negligens in
soluendo dotem, quod hoc casu dici non
potest, cum pro parte Equitis impugnetur
4 instrumentum, † quæ impugnatio saltem
præbet excusationem à negligentia; cum
Marchio dicat se esse paratum soluere, dū-
modo pars desistat ab ista prætensione.

Cesenaten. Bonorum.
Die Mercurij 26. Iunij 1591.

S V M M A R I V M.

1 *Qualitas nuptiarum adiecta legato facit legatum conditionale, etiam si talis qualitas non sit adiecta substantia sed solutioni, & sic non transmittitur tale legatum ad haredes secundum magis com. Doctorum opin. secus est si ex coniecturis contraria voluntas testatoris colligatur; quia tunc transmittitur ex testatoris voluntate.*

2 *Legatum relictum ab auo nepti pro omni eo & toto, quod ipsa habere, petere, & consequi posset in eius bonis & hareditate, tam ex persona sui patris, quam sua, & tam ratione legitima, quam Trebellianica & alterius cuiuscunque portionis sibi debita vel debenda, quacunq; occasione & causa, qualitercunq; & quomodocunque, sortitur naturam legitima, & transmittitur ad haredes.*

3 *A legitima omne onus est deducendum, maximè si sit relicta iure institutionis.*

4 *Substitutio pupillaris facta filia in eo, quod ei pro dote titulo institutionis relinquitur, arguit legatum ei acquiri etiam ante conditionem nuptiarum.*

5 *Statutum excludens à successione filias dotatas, & mandans indotatas dotari, dotē loco legitima subrogare censetur.*

DECISIO CMLIX.

1 QVamuis legatum dicatur conditio-
nale, etiam si qualitas nuptiarum
non sit adiecta substātiæ legati sed solutio-
ni, ita ut non transmittatur ad hæredes, vt
*ex magis recepta Doctorum opinione refert
R. P. D. meus Mantic. de coniectur. vltim.
volunt. lib. 11. tit. 18. num. 20. & tit. 23.
num. 7.* tamen hoc fallit, vbi ex coniectoris
contraria volūtas testatoris colligi potest,
vt asserit idem D. meus d. tit. 23. numer. 1.
& ideo tunc transmittitur ex testatoris vo-
luntate, *vt tradit Bart. in l. Titio centum.
§. Titio genero. de condit. & demonstrat.*
2 *Angel. in consil. 393. cum alys.* † Hoc ita-
que casu Domini censuerunt legatum reli-
ctum Leonidæ ab Auo pro omni eo & toto,
quod ipsa habere, petere, & consequi pos-
set in eius bonis & hæreditate, tam ex per-
sona sui patris, quàm ex sua, & tam ratio-
ne legitimæ, quàm Trebellianicæ, & alte-
rius cuiuscunque portionis sibi debitæ vel
debendæ, quacunque occasione & causa
qualitercunque & quomodocunque, esse
transmis-

transmissibile, cum sortiatur naturam le-
3 gitimæ, † á qua omne onus venit deducen-
dum; maximè cum fuerit relictum iure in-
stitutionis, *ex traditis per Anchar. in con-
sil. 232. Menoch. consil. 25. num. 38. lib. 3.
idem D. meus d. tit. 23. num. 22.* His ac-
4 cedit alia fortior coniectura, quòd ei † in
pupillari ætate decedenti dedit substitutū,
quæ res arguit Auum voluisse legatum sibi
acquiri etiam ante conditionem nuptiarū.
5 Non obstat statutum Cesenæ, quia † cum
excludat filias dotatas, & indotatas man-
det dotari, censetur subrogasse dotem loco
legitimæ *iuxta distinctionem Castrensis in
d. §. Titio genero. vt per Dominum meum
d. tit 23. num. 34. & fuit dictum in illa Ro-
mana de Lante 1. Februarij 1577. coram
Reuerendiss. Robusterio.* Quantum ad hæ-
reditatem Gentilis auiæ paternæ, res ca-
ret difficultate; nam fuit primo delata A-
chilli, & deinde Leonidæ filiæ, cui successit
Violanta mater ab intestato. Quare con-
clusum pro hæredibus dictæ D. Violantæ.

Mediolanen. Dominij.
Die Mercurij 26. Iunij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Abbas & Monachi Sancti Ambrosij Mediolanensis, Ordinis Cisterciensis sunt exempti à iurisdictione Archiepiscopi, sicut cæteri Cistercienses, præterquam in certis casibus particularibus contentis in decretis sacri Concilij Tridentini varijs in locis, vt hic habetur.*

DECISIO CMLX.

DVbitatum fuit, An Abbas, & Mona-
chi Sancti Ambrosij maioris Ordinis
Cisterciensis sint exēpti à iurisdictione Re-
1 uerendiss. Domini Archiepiscopi; & † fuit
magna consensione resolutum, esse exem-
ptos ex particularibus priuilegijs Ioannis
Vigesimitertij, & Innocentij Octaui, qui
referunt alia Prædecessorum suorum priui-
legia, necnon Alexandri Sexti, qui eadem
priuilegia communicauit Cisterciensibus,
quibus concessum fuit prædictum mona-
sterium, quin & à iuris interpretibus præ-
fatæ exemptionis Cisterciensium fit men-
tio, veluti *per glos. in Clemēt. attendentes.
§. hoc igitur. in verb. alia. & ibi Bonifac. de
stat. monach.* Aliæ quoque extant Consti-
tutiones hoc idem probantes, nempe *Leo-
nis Decimi Constitutione 40. in Bullario, Pij
Quarti Constitut. 92. Pij Quinti Constitut.
38. & Gregorij Decimitertij Constitut. 23.*
itaut de hac re nullus supersit dubitandi lo-
cus, præterquam quòd á præfata generali
exemptione sunt excipiendi nonnulli casus
particulares, contenti in decretis Conci-
lij varijs in locis, *nempe sess. 6. cap. 3. de
regular. sess. 7. cap. 14. sess. 21. cap. 8. ses-
sion. 25. cap. 12. & 14.* Verum isti sunt ca-
sus singulares, qui non faciunt ad id, de quo
nunc agimus. Vnde conclusum pro exem-
ptione.

Romana Mercedis.
Die Veneris 28. Iunij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Acceptās legatū sibi factū in quo declaratur per testatorem salarium sibi debitum, cū eo compensandum esse, sibi præiudicat, itaut salarium petere non possit.*

2 *Acceptans vnum legatum, quod cum salario venit computandum, si aliud legatum pariter relictum ab hærede solui recusetur, potest legatarius recedere ab illa simplici acceptatione, ex quo non fit satisfactum voluntati defuncti in totum, & potest eo casu petere salarium.*

DECISIO CMLXI.

1 FVit resolutum, † non deberi salarium
Antonio, ex quo acceptando legatum
sibi præiudicauit approbando declaratio-
nem in eo factam de salario sibi per testa-
torem soluto cum paga præsidij *l. fin. §. fin.
& ibi Bart. de inoffic. testamēt. cap. officij.
& ibi Butr. de testam. Castr. in l. si cum do-
tem. §. si pater. num. 31. & ibi Alex. nu. 2.
solut. matrim. Aym. in consil. 174. num. 9.
R. P. D. meus Mantica de coniectur. vltim.
volunt. lib. 10. tit. 2. num. 16. & 17.* Ne-
que potest se excusare prætextu ignorantiæ,
cum ex illa causa fuerit facta solutio legati,
nempe vti relicti in testamento, *ad l. non
est ferendus. de transaction.* maximè ex quo
interfuit publicationi dicti testamenti.
Vnū tamen mihi videtur dignum animad-
2 uersione, quòd † cum ei fuerit factum aliud
legatum, quod à Reuer Domino Archiepi-
scopo solui recusatur, potest fortasse Anto-
nius prætendere sibi non præiudicasse nisi
sub spe consequendi vtrunque relictū; ideo-
que si non satisfiat voluntati defuncti in to-
tum, quòd ipse possit recedere ab illa sim-
plici acceptatione, & petere salarium; de
qua re erit videndum.

Ab hac decisione recessū fuit sub die 16 Decēb. proximi, cuius resolutionis verba sic se habent. Fuit recessū à decisione facta sub die 28 Iunij præteriti ex ratione cōsideratis in fine dictæ decisionis.

Calaguritana de Arcaya.
Die Veneris 28. Iunij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Clericatus probatur per publicam vocem & famam, & communem reputationem.*
Item legitimitas.
Item, quòd quis sit filius patrimonialis loci, de quo agitur.

2 *Valor beneficij, quòd non excedat vigintiquatuor ducatos, probatur per publicam vocem & famam.*

3 *Valor obtēti probatur etiam de auditu simplici, quod sufficit de stylo Rotæ, quæ minorem probationem admittit.*

In

4 *In beneficijs in Ecclesia numerata patrimoniali habent etiam locum reseruationes, & prouisiones tãquam de reseruatis, maxime si vacent in Curia, & num. 6.*

5 *Beneficia in Ecclesijs numeratis comprehenduntur sub indultis Cardinalium; & multo magis sub reseruationibus generalibus.*

7 *In beneficijs patrimonialibus, quæ conferuntur eis, qui cœpti sunt beneficiari, nõ dicitur ius quæsitum alicui ante oppositionem aduersarij, nec ante sententiam prolatam ab Ordinario.*

DECISIO CMLXII.

FVit resolutum fuisse iustificatam gra-
1 tiam Domini Petri; Nam † quantum
ad clericatum, legitimitatem, & quòd est
filius patrimonialis loci, de quo agitur; hæc
omnia probantur per testes bene deponen-
tes de publica voce & fama, & cõmuni re-
2 putatione; Item † quòd valor beneficij nõ
excedit ducatos 24. probatur per eandem
publicam vocem & famam, *Putc. decis. 29.*
3 *lib.* 1. Item † satis probatur valor obtenti,
in quo minor probatio etiam de auditu sim
plici sufficit iuxta stylum Dominorum;
Obitus etiam Francisci vltimi possessoris
probatur concludenter; Item vacatio per
eius obitum ex confessione partis aduersæ,
& in hoc nulla adest difficultas: Maior ver-
satur difficultas circa pertinentiam colla-
tionis; nam prouisio facta est tanquam de
reseruato, & sumus in Ecclesia numerata
patrimoniali, in qua non videntur habere
locum reseruationes, *ex traditis per Couar.
pract. quæst. cap. 36. num. 4. versic. simili-
ter si beneficia patrimonialia.* maximè
stante Bulla Alexandri Sexti, quæ in pluri-
bus causis fuit allegata, quæ excludit ge-
neraliter omnes reseruationes: Verum
4 quicquid ipse dicat, † Domini censuerunt
hæc beneficia cadere sub reseruationibus
generalibus, cum verba reseruationum eis
conueniant, *ad Felin. in cap. postulasti. n.*
5 *5. de rescript.* † etenim ea comprehendun-
tur sub indultis Cardinalium, *vt per Put.
decis. 163. lib. 3. Caputaq. decis. 66. part. 1.
& decis. 89. part. 2.* Vnde à fortiori debet
comprehendi in reseruationibus generali-
6 bus, † præsertim vacationis in Curia, quæ
est clausa in corpore iuris *cap. 2. de præbẽd.
in 6.* cum in his procedatur per viam legis
vniuersalis. *Calderin. in consil. 11. de pri-
uileg. Imol. in Clem. 1. in vlt. notab. de se-
pultur. & fuit aliàs discussum, licèt non ple-
nè resolutum in vna Calaguritan. de Apo-
daia. 30. Martij 1590. coram R. P. D. meo
Orano.* Non obstat Bulla Alexandri, quia
præter quam quòd non est producta in for-
ma probanti, qua exceptione aliàs fuit reie-
cta *in vna Calaguritana de Cenizero 1. Apri
lis 1588.* * in ea non comprehenditur reser-

*coram Illustriss. Card. Pamphilio.

uatio per vacationem in Curia, quæ nun-
quam venit sub generali dispositione, in
qua fit mentio reseruationum, *vt per
Franc. in d. cap. 2. num. 3. de præbend. in 6.
Aeneas de Falcon. de reseruation. 4. part.*
7 *43. effectu.* † Neque obstat Domino Petro
statutum numeri super ascensione eorum,
qui cœpti sunt beneficiari; quia ante oppo-
sitionem aduersariorum & sententiam pro
eis latam ab Ordinario non dicitur aliquod
ius quæsitum in beneficio, adeo quòd neque
de huiusmodi oppositione est facienda men-
tio, *vt tradit Cassador. decis. 18. de præbẽd.*
quare non est huius rei habenda ratio; ma-
ximè stantibus decretis irritantibus in re-
seruationibus appositis. Et ita conclusum
gratiam Domini Petri esse canonizandam.

Romana Legitimæ.
Die Lunæ 1. Iulij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Detractio legitimæ impediri potest per fideicommissum conuentionale factum per antecessores.*

2 *Legitima non debetur in bonis, in quibus ab intestato non succeditur, cum sit portio successionis ab intestato; & exclusus ab intestato, est etiam exclusus à legitima.*

3 *Idem ius est partis ad partem, quod totius ad totum.*

4 *Exclusus ab intestato à totali successione dicitur exclusus in totum à legitima; sicut etiam exclusus à successione partis censetur exclusus à legitima illius partis.*

5 *Legitima bonorũ filij de iure debetur matri.*

6 *Bona restitutioni subiecta appellatione suorum bonorum non comprehenduntur.*

7 *In descendentibus, qui succedunt ab intestato, præsumitur ignorantia fideicommissi.*

DECISIO CMLXIII.

FVit resolutum per Dominos exequutio-
nem laudi pro rata bonorum iurisdi-
ctionalium Castri Montis Rotundi esse re-
1 uocandam, † cum de dictis bonis nulla ve-
niret detrahenda legitima propter fideicõ-
missum conuentionale factum per antecef-
sores Dominorum de Vrsinis, quod impe-
dit legitimæ detractionem, *vt per Castren.
in consil. 417. col. 1. lib. 1. Aym. cons. 165.*
2 *num. 2.* † non enim debetur legitima in bo-
nis, in quibus ab intestato non succeditur;
est enim portio successionis ab intestato, *l.
Papinianus. §. quoniam quarta. de inoffic.
testam. Auth. nouissima. C. eod. tit.* & ex-
clusus ab intestato est etiam exclusus à le-
gitima, *Socin. in cons. 89. col. fin. & consil.
127. col. 2. lib. 4. Dec. cons. 296. numer. 2.
Aym. cons. 229. col. 2.* quod adeo verum
est, vt respectu istorum bonorum in alijs
bonis liberis non competat maior portio,

sed

sed eorum tantum habeatur ratio; nam
3 † idem ius est partis ad partem, quod totius ad totum, *l. quæ de tota. de rei vendicat.*
4 Vnde † sicut exclusus ab intestato à totali successione dicitur exclusus in totum à legitima, ita exclusus à successione partis censetur exclusus à legitima illius partis, *Curt. in n. in cons. 21. num. 11. Gabr. conclus. 11. num. 23. lib. 1.* Neque ab hac iuris dispositione discrepat voluntas testatoris, qui reliquit matri legitimam suorum
5 bonorum, † quæ de iure sibi debetur, cum
6 † bona restitutioni subiecta suorum bonorum appellatione non comprehendantur, *Pedemontan. decis. 85. in fin. Aym. cons. 19. num. 3. Roland. cons. 71. numer. 26. lib. 2. D. meus Mantic. de coniectur. vltim. volũt. lib. 9. tit. 6. num. 8. & fuit dictum in causa Bononien. vsusfructus. coram R. P. D. meo Pamphilio 11. Decembris 1589.* & illud censetur voluisse, quod poterat, stantibus verbis prægnantissimis prohibitionis alienationis, quæ habentur in dicta conuentione. Non obstat, quod ex aduerso aliàs opponebatur de renunciatione fideicommissi facta in diuisione bonorum inter Illustrissimos Dominos fratres; Primo, quia non cõstat de scientia ipsius fideicommissi, & prohibitionis factæ per eorum prædecessores,
7 immo † præsumitur ignorantia; cum simus in descendentibus, qui succedebant ab intestato, *Bart. in l. qui Romæ. §. duo fratres. num. 12. & num. 17. de verb. obligat. Dec. in cons. 495. num. 20. Tib. Decian. cõsil. 3. num. 119. lib. 1.* Secundo, quia Dominus Valerius venit ex iure cesso à Domino Paulo Æmilio, qui non renunciauit, & ita renunciatio dicti Domini Valerij non capit hunc casum acquisitionis ex noua causa, *vt tradunt Doctores in d. §. duo fratres. & ibi Alexãd. col. fin. Rsp. num. 77. Dec. in consil. 230. col. fin. Roman. consil. 462. in fin. cum ibi allegatis*, & ex his potissimum Domini vnanimiter censuerunt iniustam fuisse exequutionẽ & reuocandã.

Calaguritana Præeminentiarum.
Die Mercurij 13. Nouembris 1591.

SVMMARIVM.

1 *In materia præcedentiæ plurimum defertur consuetudini, etiam si talis consuetudo repugnaret iuris dispositioni, quòd minus dignus veniret præferendus digniori.*

2 *Vbi viget consuetudo, quòd minus dignus præcedat, maximè in casu, in quo non agitur de absoluta præcedentia, sed tantum in aliquibus actibus, ea est seruãda.*

3 *Specierum enumeratio restringit, & declarat, de qua re intelligatur.*

4 *Verba obscura propter earum generalitatẽ ex obseruantia veniunt declaranda.*

5 *In interpretatione cõsuetudinis non requiritur præscriptio.*

6 *Possessio violenta & turbatiua est vitiosa.*

DECISIO CMLXIV.

1 FVit resolutum constare de bono iure Rectorum; quia † in hac materia præcedentiæ solemus præcipuè deferre consuetudini, *iuxta doctr. Bald. in cap. cum olim. num. 1. de consuetud. Card. consil. 62. nu. 1. & fuit aliàs dictum in Melitensi præcedentiæ coram me*, * *& in Oriolen. iuris sedendi coram R. P. D. meo Blanchetto 24. Octobris 1586.* quod procedit etiam si talis consuetudo repugnaret iuris dispositioni, puta quòd minus dignus venit præferendus digniori, prout in casu dictæ decisionis, in qua datus fuit locus dignior Cantori supra Sacristam licèt digniorem, *ex notatis per Hostiẽ. in cap. indecorum. de ætat. & qualitat. cum congestis per Menoch. in consil. 52. num. 99. lib. 1.* & ideo non facit in præsentia ad rem consideratio illa; quòd Collegiata sit dignior, *vt fuit coram me resolutum 9. Iunij 1567. per text. in cap. statuimus. vbi Doctores de maior. & obediẽt. l. 1. & 2. C. vt dignitat. ordo seruetur* [a] *Boer. in tractat. de auctor. magn. Consil. numer. 83. Villadieg. de Legat. quæst. 7. nu. 8.* & quòd Rectores isti sint ad nutum amouibiles, *iuxta doctrin. Io. Andr. in cap. deliberatione.*
2 *de offic. legat. in 6.* quia † vbi viget consuetudo cessant omnia, & maximè in casu isto, in quo non agitur de absoluta præcedentia sed tantum in quibusdam actibus, quibus ius commune assistit potius quàm resistit *ex deductis per Abb. in cap. postulastis. n. 8. de concess. prabend. Dec. in consil. 160. in princip. Gemin. in cap. à collatione. num. 7. de appellat. Pute. decis. 105. numer. 5. & 6. lib. 3.* In casu autem isto constat per testes de præcedentia Rectorum in suis Ecclesijs in diebus inuocationum per quadraginta annos de visu, & auditu à maioribus & publica voce & fama. Non obstant, quæ in contrarium deducuntur; Et primo quantũ ad statuta seu capitula erectionis Collegiatæ, nihil dicitur de præcedentia in diebus inuocationum, sed tantum in processionibus, quæ fiunt extra Ecclesiam, in quo adest particularis ratio, quia in hoc indifferenti, dignior locus debetur Canonicis. Non obstat sententia siue laudum datum de anno 1500. nam neque in illo fit mentio de diebus inuocationum, sed tantum de processionibus; & licèt subdat, quòd idem ordo seruetur in cæteris omnibus Congregationibus, declarat tamen, de quibus sentiat, quia subdit Capitulis, funeribus, siue
3 exequijs mortuorum: Vnde † hæc specierum enumeratio restringit, & declarat, de quibus intellexerit, *ad notat. per Bart. in l. quæsitum. §. fundum. de fund. instruct.* & hoc

* de anno 1577. 1578. & 1579.

[a] lib. 11.

hoc valde suadetur ex subsequenti capitulo, in quo in die benedictionis palmarum, quæ fit in Ecclesia Sancti Michaelis expressè statuit præcedentiam deberi Collegiatæ, quod quidem superfluum fuisset, si supra indistinctè & omni loco dedisset præcedentiam Collegiatæ, *cap. si quãdo. de priuileg.* & idem, si voluisset, statuisset in die inuocationum, quod cum non fecerit, censetur noluisse, *l. unic. §. fin autem in faciendo. C. de cadu. toll.* præsertim cum referat se ad so-
4 litum, & saltem non potest negari † hæc verba ita generalia esse obscura, *ut per gloss. in l. cum Stichus. de solution. Bald. in l. fin. de exercit. action. Dec. in consil.* 20. *colum.* 2. & ideo declaranda ex obseruantia, *vt per*
5 *Aretin. in consil.* 84. & † in ista consuetudinis interpretatiua non requiritur præscriptio, *vt per Put. decis.* 283 *numer.* 3. *lib.* 1. & tamen hic probatur obseruantia quadraginta annorum & vltra, cum auditu à maioribus, & publica voce & fama. Non obstat concordia anni 1586. quia licèt in ea dicatur, quòd eatur ad vocationes, & seruetur sententia arbitralis anni 1500. non obstante possessione in contrarium; nihilominus enim dicta sententia non obstet, cum non loquatur de diebus inuocationum, vt supra dictum est, neque etiam obstat concordia; immo videtur contrarium innuere, cum præcipiat, vt in dictis diebus Rectores faciant officium per se cum suis Capellanis absque eo, quòd Collegiata vel Magister Capellæ ipsius se in eo intromictat, quod est signum, quòd Rector, qui facit officium, non debet turbari in choro; Neque est superflua concordia, quia per eam prouidetur controuersiæ ortæ super iure intonandi officij, quòd prætendebatur per Collegiatam. Vltimo non obstat pos-
6 sessio † Collegiatæ ab anno 1587. quia fuit violenta & turbatiua, & ideo vitiosa, & posthabenda possessioni Rectorum, *cap. cũ causam. de probation. cum similibus.*

Romana Secretariatus.
Die Mercurij 20. Nouembris 1591.

SVMMARIVM.

1 *Clausula sine praeiudicio pecuniarum distributarum, & bonorum fisco incorporatorum posita in commissione non capit officium, super quo expressè est commissa causa.*
2 *Pecuniæ appellatio refertur tantum ad numeratam ex vulgari vsu loquendi.*
3 *Verbum distributarum adiectum verbo pecuniarum non potest conuenire alij rei quàm pecuniæ.*
4 *Verbum pecunia non accipitur in genere, sed in specie, quando vltra mentionem pecuniæ addita fuit mentio aliarum rerum vel bonorum, prout quid diuersum ab alijs rebus & bonis.*
5 *Vbi fit mentio de bonis fisco incorporatis non comprehenduntur ea bona, quæ per fiscũ nunquam fuerunt possessa, nec inter bona fisci descripta.*
6 *Restitutus ad bona fisco incorporata, dummodo in alium non sint translat. & per fiscum, sed immediatè tertys quæsita per damnationem ea recuperat.*
7 *Sententia ob solam contumaciam, & vbi nullum reperitur deductum nec probatum delictum, per comparitionem infra annum iuxta Constitutionem Py Quinti, cum omnibus inde sequutis resoluitur.*
8 *Tamdiu durat effectus contumaciæ, quamdiu durat ipsa contumacia.*
9 *Ad probandum delictum non creditur Papæ de eo attestanti in suo Motuproprio.*
10 *Sententia quæ ex actis non iustificatur, est notoriè iniusta, & nulla.*
11 *Clausula supplentes, cum alijs clausulis amplissimis, posita in Motuproprio, facit, quòd de nullitate Motusproprij dici non possit; secus est si ex defectu intentionis Motusproprius corruat.*
12 *Confirmatio non potest operari nisi cum sua causa.*
13 *Sententia contumacialis non priuat nisi elapso anno contumacibus præstituto.*
14 *Defectus intentionis, cuius in Motuproprio sublata est facultas de eo dicendi, nihilominus tempore opponi potest.*
15 *Voluntas Papæ est præsumenda, quòd talis sit, qualis de iure esse debet.*
16 *Papa prohibens restitutionem rei fisco incorporatæ intelligitur prohibere prout de iure, nempe restitutionem fieri per viã gratiæ, non autem per viam iustitiæ.*

DECISIO CMLXV.

DE anno 1584. fuerat decretum monitorium à Reuerendiss. Domino Vrbis Gubernatore contra Magnificum Dominum Cæsarem Glorierium ad informandũ Curiam sub pœna quinquaginta millium scutorum, & exequutum domi suæ dimissa copia propter eius absentiam, eoq. non comparente, & rursus domi citato declaratũ, eum incidisse in pœnas in monitorio cõtẽtas, [illegible] pro exequutione sẽ [illegible] fuerunt sequestratæ nõnullæ pecuniæ [illegible] spectantes, necnon fructus montium & censuum, & præfati census extracti, & pecuniæ ex his redactæ fisco applicatæ, & demum dictum officium Secretariatus tanquam vacans per priuationem D. Cæsaris fuit suppressum per rescriptum Motuproprio fel. rec. Gregorij Decimitertij eiusq. emolumenta Collegio Dominorum Secretariorum inter ipsos distribuenda applicata cum clausula, [illegible] lata, alijsq. prægnantissimis clausulis [illegible] Mortuo prædicto fel. record. Gregorio Dominus Cæsar comparuit, & obti-

& obtinuit à fel. record. Sixto Quinto sibi
aperiri os, & committi causam reuisionis
& nullitatis sententiæ contra se latæ Illu-
striss. Domino Auditori Cameræ cum clau-
sula sine præiudicio pecuniarum distributa-
rum, & sine præiudicio bonorum fisco in-
corporatorum, prout in commissione, cuius
vigore fuit per Auditorem Cameræ lata
sententia reuocatoria præfatæ sententiæ
Domini Gubernatoris; deinde à fel. recor.
Gregorio Decimoquarto obtinuit aperiri
os sibi, & committi causam super recupera-
tione dicti officij Secretariatus in Camera
Apostolica R. P. D. Riccio; eaq. demum
auocata & commissa mihi in Rota, fuit du-
bitatum, An Dominus Cæsar possit audiri
in casu, & ad effectum, de quo agitur, & si
sic, An dictum officium sit ei restituendum,
Et causa per Dominos diligenter discussa,
fuit resolutum quantum ad priorem partē
dubij, stante oris aperitione, eum esse au-
1 diendum. † Neque obstare restrictionem
in commissione sine præiudicio pecuniarū
distributarum, & bonorum fisco incorpo-
ratorum; nam huiusmodi limitatio non
capit officium ipsum, super quo expressè
commissa est causa, *l. doli clausula. de verb.
obligat.* frustratoria enim & nugatoria esset
huiusmodi commissio, si prohibitum esset
per dictam limitationem officium recupe-
rare: Præterea quantum ad priorem clau-
sulam pecuniarum distributarum, vtique
in ea comprehendi nō potest officium; nam
2 præterquàm quòd † ex vulgari vsu loquen-
di pecuniæ appellatio refertur tantum ad
numeratam, *vt tradit Rebuff. in l. pecuniæ.
de verb. signif.* hoc apertè colligitur ex ad-
3 iuncto illo, † distributarum, quod non po-
test conuenire officio; denique cum sequa-
tur alia clausula, & bonorum fisco incorpo-
4 ratorum, apparet † verbum, pecuniæ, non
in genere sed in specie positum esse, prout
quid diuersum à bonis, *ad notat. per Bart. in
5 l. talis scriptura. de legat. 1.* sed † neque ver-
ba illa, & bonorum fisco incorporatorum
possunt ad dictum officium referri, quod nū-
quam fuit per fiscum possessum, nec inter
bona fisci descriptum, *Bart. in l. 1. §. eligi-
tur. de vētr. in poss. mitt. Socin. iun. in consil.
126. num. 5. lib. 2. cum alijs allegatis.* [a] Ne-
que obstat, quòd satis videatur incorpora-
tum, ex quo de eo disposuit ad fauorem Col-
legij, quia ex Motuproprio constat de con-
trario, cum in eo dicatur hoc officium vi-
gore Bullæ Innocentij Octaui remāsisse ex-
tinctum & suppressum; & propterea tan-
quam spectans ad Collegium illi assignauit,
& sic cum Collegium non habeat ius im-
mediate à Camera, sed prætendat illud si-
bi per cessum vel decessum Cæsaris deberi
iuxta decretum in erectione appositum, nō
potest dici fuisse fisco incorporatum, *& ad
hoc optime facit communis opinio Doctorum*

[a] adde l. vacantia vbi Bar. n. 1. C. de bon. vacantib. lib. 10. & Aretin. de malefic. § verb. bona publicamus. n. 14.

*in l. Gallus. §. & quid si tantum. de lib. &
6 posthum.* vbi † restitutus ad bona fisco in-
corporata, dummodo in alium non sint trā-
slata per fiscum, sed immediate tertijs quæ-
sita per damnationē, ea recuperat, *vt bene
deducit Natta in cōs. 471. n. 2. & 3.* Hoc igi-
tur constituto, resolutū fuit quòd Dominus
Cæsar possit audiri, nō obstāte dicta restri-
ctione limitatione. Quantum ad secundam
partem dubij attinet, An scilicet sit ei re-
stituendum prædictum officium, Domini
censuerunt esse restituendum; nam de eius
titulo & possessione longæua dubitari non
potest; quòd autem eo fuerit priuatus per
sententiā Gubernatoris non debet ei obes-
7 se, † cum ea lata fuerit ob solam contuma-
ciam, vt ex inspectione actorum colligitur,
cum in ijs nullum reperiatur deductum nec
probatum delictum, ex quo veniret priuan-
dus, *& ita fuit in Rota pluries decisum, ve-
luti in vna Ciuitatis Castelli coram me,* [a]
eaq. per comparitionem infra annum iuxta
Constitutionem fel. record. Pij Quinti fuit
resoluta vnà cum omnibus inde sequutis;
8 nam † tamdiu durat eius effectus, quantū
durat contumacia, *Achill. decis. vnic. de
absolut. & ita tentum in vna Romana Ca-
nonicatus Sancti Angeli coram bon. memor.
Cotta,* [b] *& in Romana Notariatus coram
R. P. D. meo Orano ex doctrina Bald. in l.
1. C. de postul. Doctor. in exp. ex litteris.
vbi Dec. num. 12. de constitution. cum alijs
per informantes allegatis.* [c] Non obstat, quòd
dicta sententia videatur iustificari ex asser-
tione fel. record. Gregorij Decimitertij,
qui in suo Motuproprio narrat illam latam
fuisse de ordine & voluntate sua, & ex cau-
9 sis sibi bene notis; quia † in istis non cre-
ditur attestationi Papæ ad probandum de-
lictum *Pute. decis. 129. lib. 1. Mohedan. de-
cis. 271. Crescent. decis. 49. lat. Gabriel. de
probation. conclus. 2. num. 28. & 29. & fuit
dictum coram me in causa Imolen. Castro-
rum* [d]. Accedit, quòd ista sententia fuit
reuocata per viam nullitatis per Audiorē
10 Cameræ, & bene, † quia non iustificatur
ex actis; ideo est notoriè iniusta & nulla,
*Pute. decis. 396. in vna Toletana matrimo-
nij. in fin. lib. 1.* Non obstat, quòd senten-
tia prædicta fuerit confirmata per Grego-
rium, cum clausulis supplentes, & alijs clau-
11 sulis amplissimis, † quæ videntur obstare
quo minus possit redargui de nullitate;
quia prædictus Motusproprius corruit ex
defectu intentionis, vt mox demonstrabi-
12 tur; & † saltem non debet cōfirmatio ope-
rari nisi cum sua causa, idest vt resoluta sen-
tentia per comparitionem, resoluatur etiā
dispositio Motusproprij; hoc enim ipsi æ-
quitati & iustitiæ consonum videtur: Quòd
autem laboret vitio defectus intentionis,
patet; quia Papa supponit officium prædi-
ctum ob priuationem vacasse, & esse locum

[a] In Ciuitatis Castelli donationis die 16. Decēbris 1577.

[b] sub die vlt. Feb. 1589 & in Imp. diuer. nouiss. etc. 38. part. 1.

[c] & Fel in d. c. ex litteris. n. 14. & seqq.

[d] sub die 22. April. 1576.

suppressioni, & extinctioni; & ideo deberi Collegio, & illud falsum est; tum quòd sen-
13 tentia † contumacialis non priuat nisi elapso anno contumacibus præstituto *iuxta supra allegata*; tum etiam quia stantibus rescriptis Iulij Tertij, & Piorum Quarti & V. hoc officium non vacabat per obitum Cæsaris, sed in eo succedebant Reuerendiss. Dominus Alexander & Iulius eius filij. Neque huic rei obstat *regula Cancellariæ* 59. quia cum officium per decessum possessoris extingueretur ad fauorem Collegij, non autem vacaret ad dispositionem Papæ, illa regula, quæ voluit prouidere, ne prædecessorum facto supplantentur successores, nihil obstat istis concessionibus factis Dominis Alexandro & Iulio, hoc enim respicit solum interesse Collegij. Neque obstat,
14 quòd † in dicto Motuproprio tollatur facultas dicendi de defectu intentionis, quia nihilominus tempore opponi potest hæc exceptio, *vt per Putc. decis.* 213. *lib.* 2. *Gabr. cons.* 26. *num.* 13. *lib.* 2. Neque obstant clausulæ prohibentes restitutionem; quia
15 † cum præsumendum sit, voluntatem Papæ esse talem, qualis de iure esse debet, *cap. nouit. de Iudic. Compostell. & alij in cap.*
16 *causam quæ. de rescript.*. † Vtique dicendũ est, Papam intellexisse de restitutione per viam gratiæ, non autem de ea, quæ petitur mediante iustitia. Quare fuit conclusum in vtraque parte pro affirmatiua.

Mediolanen. Bonorum.
Die Mercurij 27. Nouembris 1591.

SVMMARIVM.

1 *Cæcus condens testamentum inter liberos non tenetur seruare solemnitates leg. hac consultissima. C. qui testam. fac. poss. sed in eo locum habet dispositio. §. ex imperfecto, quod tamen declaratur procedere, quando omnino cessat suspicio fraudis; aliàs secus est in testamento vel codicillis etiam inter liberos factis, vt n.* 2.

3 *Secundum testamentum non solemne non reuocat primum solemne in præiudiciũ extraneorum, licèt sit factum inter liberos, vbi adest suspicio fraudis.*

4 *Testamentum vel codicilli per coniecturas amentiæ suspecti redduntur.*

5 *Cæcus potest donare causa mortis etiam non adhibitis solemnitatibus. leg. hac cõsultissima, vt est communis opinio, sed hoc intelligitur procedere, si præsens sit donatarius, vel alius, qui pro eo stipuletur, aliàs resoluitur in fideicommissum, & eo casu requiruntur solemnitates d. §. ex imperfecto.*

DECISIO CMLXVI.

ILlust. Dominus Ioannes Paulus Vicecomes mente & corpore sanus, suum condiderat testamẽtum adhibitis omnibus iuris solemnitatibus de anno 1575. mense Maij: Anno sequenti de mense Octobris infirmus corpore & oculis captus non adhibita solemnitate requisita *in l. hac consultissima. §. ex imperfecto. C. qui testam. fac. poss.* fecit codicillos, in quibus ferè omnia bona reliquit Domino Io. Francisco de Turate filio eius, vt asseruit, arrogato, cui in priore testamento tertiam tantum partem hæreditatis reliquerat cum onere fideicommissi: Et quia *coram Reuerendiss. Domino Perusino* * *fuerat resolutum* codicillos fuisse nullos & inualidos stante cæcitate testatoris, fuit dubitatum, An codicilli sustinerentur, vel ex eo quòd institutus fuerit filius arrogatus, vel ex eo quòd in illis adsit clausula donationis extensa in clausula codicillari: Et per Dominos in vtroque capite fuit resolutum pro informante, nempe codicillos sustineri non posse; Omissa enim quæstione, An dispositio *leg. hac consultissima. §. ex imperfecto. C. de testam.* habeat locum in filijs adoptiuis seu arrogatis, in qua quæstione *Natta in d. §. ex imperfecto. quæst.* 16. tenet affirmatiuam, *Tiber. verò Decian. in consil.* 34. *num.* 6. *cum sequentib. lib.* 1. te-
1 net negatiuam: Et † præsupposita parte affirmatiua pro vera, communis cõclusio est, cæcum posse testari inter liberos omissa solemnitate requisita *in d. l. hac consultissima.* & in eius testamento locũ nõ habet dispositio *§. ex imperfecto.* vt testatur *Boer. qui plures citat in decis.* 240. *num.* 20. Verum
2 † hæc opinio procedit, vbi cessat omnino suspicio fraudis, propter quam maior solemnitas requiritur in testamento cæci; vbi verò adest aliqua suspicio, tunc secus, *vt tradit Socin. in consil.* 163. *col.* 2. *vers. tertia & vltima ratio. Natta in d. §. ex imperfecto. num.* 41. *& cons.* 124. *num.* 3. *Boer. in d. decis. num.* 20. *& optime Reueren. Dominus meus Mantica. de coniect. vlt. volũt. lib.* 6. *tit.* 2. *num.* 25. *versic. & quicquid sit.* Suspiciones autem multæ sunt; nam in primo testamento adsunt admixtæ personæ extraneæ; quas etiam prædilexerat ratione
3 conseruandæ agnationis; † quo casu per secundum testamentum non solemne non reuocatur primum solemne in præiudicium extraneorum, *vt post alios tradit Natta*
4 *quæst.* 45. *num.* 219. *& sequentib.* † concurrunt etiam nonnullæ coniecturæ amentiæ, quæ licèt ex se non sufficiant ad subuertendam dispositionem, reddunt tamen valde suspectũ totum hoc negotium codicillorũ: Sunt & aliæ suspiciones deductæ in facto, ex quibus Domini censuerunt nos esse in casu limitationis non autem regulæ. Quantum ad posterius caput donationis, licèt inter Doctores sit magna controuersia, An cæcus possit donare causa mortis sine solem-
5 nitatibus *d. l. hac consultissima*; † nam *Petrus,*

* sub die 14. Maij prox. præt. coram Reu. D. Comitulo.

trus, & Aloysius de Perusio inter cõsilia Bald. consil. 248. lib. 5. tenuerunt affirmatiuam, idem tenuit Roman in l. inter mortis. num. 3. de donation. caus. mort. Rimini iun. cons. 84. num. 24. Roland. consil. 82. numer. 20. lib. 1. & in hac sententia fuerunt Bald. Fulgos. Alexand. & Ias. allegati per Natt. nu. 43. & ea ratione, quia donatio causa mortis magis accedit contractui quàm vltimæ voluntati, & hæc videtur communis opinio, quamuis contrarium tenuerit Ruin. in d. l. 2. de leg. 1. & in consil. 24. num. 50. lib. 2. Alciat. in d. l. 2. num. 15. Plotus cons. 54. num. 15. & 17. & Natt. in d. §. ex imperfecto num. 43. & 44. Tamen ista quæstio non potest hic cadere, cum neque præsens esset donatarius, neque quisquam pro eo stipulatus fuerit, quorum alterum requiritur ad validitatem donationis causa mortis, l. inter mortis. de donation. caus. mort. Plot. in d. cons. 54. num. 20. Roland. d. cõs. 82. nu. 27. Et ideo resoluitur in fideicommissum, Dec. in cons. 145. num. 7. Roland. vbi supra. Vnde fit, vt reincidat in eas difficultates, quæ circa primum caput deductæ fuerunt, nempe vt corruat ex defectu solemnitatis. Et ita nemine contradicente conclusum.

Romana fideicommissi de Goris.
Die Mercurij 27. Nouembris 1591.

SVMMARIVM.

1 Hæres in satisfaciendo sibi de suo credito in bonis hæreditarijs non indiget aliquo iudicis officio, nisi velit aliquam rem particularem sibi pro suo credito appropriare, vel aliàs vti beneficio separationis.

2 Hæres non potest sibi de suo credito in bonis hæreditarijs satisfacere, si adsint pecuniæ, in quibus potius possit præsumi solutio quam super bonis.

3 Allegantio adfuisse alia bona, ex quibus quis sibi satisfacere posset de suo credito, vltra bona hæreditaria, incumbit onus probandi.

4 Testes examinati in alio iudicio coram alio iudice inter alias personas non probant, maximè in iudicio petitorio.

5 Dos cõfessata in alio iudicio inter alias personas non nocet, vbi agitur contra tertiũ non hæredem.

6 Emptum à muliere præsumitur emptum ex pecunijs viri.

7 Melioramẽta facta in domo à muliere præsumuntur facta ex pecunijs viri.

DECISIO CMLXVII.

Cum in casu, de quo agitur, tractetur, An hæres statim ab initio adita hæreditate per viam cuiusdam factæ solutionis censeatur sibi satisfecisse de suo credito in bonis hæreditarijs, quo casu non
1 requiritur aliquod factum iudicis, vt fuit resolutum in vna Romana de Incoronatis 28. Iuny 1577.* nisi vbi hæres vult aliquã rem particularem sibi appropriare pro suo credito, vel aliàs vti beneficio separationis, vt loquitur Bald. in l. si debitori. C. de pact. & tunc seruanda est forma leg. à Diuo Pio. §. si super rebus. de re iudic. l. magis puto. §. non passim. de reb. eorum. ideo censuerunt Domini, nunc non esse agendum super eo, an ex lapsu temporis præsumatur iudicis auctoritas, & citatio habentium interesse,
2 sed insistendum esse super eo, an adessent pecuniæ vel alia bona Faustinæ, in quibus potius esset præsumenda solutio, quàm super domo, de qua agitur: Quare cum Dominus Carolus sit reus & possessor, sufficit
3 ei negare adfuisse alia bona, & onus probandi contrarium incumbit Dominis de Goris agentibus, & prætendentibus Sebastianum non potuisse sibi satisfacere in hac domo, ex quo aderat dos & alia bona, ex quibus minori damno hæreditatis fieri poterat sibi solutio, ad glos. in l. cum de lege. de probation. Curt. sen. in consil. 27. nu. 17. cum alys allegatis.ª Deueniendo igitur ad probationem Dominorum de Goris, primo deducitur in hæreditate Faustinæ adfuisse dotem mille florenorum, quæ erat ei debita à Sebastiano, quem ex hac dicẽdum videtur potius sibi satisfecisse, quàm ex bonis stabilibus iuxta d. l. magis puto. Verum probatio huius dotis visa non est legitima, cum deducatur ex testibus examinatis in Curia Capitolina inter alias perso-
4 nas in iudicio possessorio, qui non faciũt fidem in hoc iudicio petitorio, & inter alias personas, ad notat. in l. 2. C. de edend. Put. decis. 171. lib. 1. & in omnem euentum probant tantum dotem confessatam, quæ
5 non nocet, vbi agitur contra tertium nõ hæredem, glos. in l. assiduis. C. qui pot. in pign. hab. Tiraq. de retract. conuent. §. 4.
6 glos. 6. num. 14. Secundo quod deducitur de Vinea à Faustina empta non concludit; nam præterquàm quòd præsumitur empta ex pecunijs viri, l. Quintus. de donation. inter vir. & vx. testes non loquuntur de possessione Faustinæ tantum, sed Sebastiani & Faustinæ; neque constat, quòd remanserit in hæreditate, vt patet ex omissione litis mo-
7 tæ contra Panzanos; Idem dicitur de melioramẽtis factis in domo sita apud Mar forium ex cadem præsumptione d. l. Quintus. Præterea ista non poterant correspondere integro credito Sebastiani, prout domus; & ideo non tenebatur illa accipere cum parte domorum, quas pro se retinuisse satis videtur constare tam ex possessione, quàm ex meliorationibus factis iunctis inscriptionibus. Et ita conclusum.

* coram Illustriss. Card. Aldobrandino in impr. diuers. nouiss. 680. part. 1.

ª Ias. in l. si cõstante. nu. 131. sol. matrim. nec cõsil. cap. in fin. Soc. sen. cõs. 104 in fi li. 3 & hãc opin. sequuta fuit Rota, Tibus tin bonon. 18. Nouemb. 1572. in imp. diuers. nouiss. 628. part. 1. corã . obuste rio, & I Bono mien de Formagliar. 31 co al illustriss. Card. Pamph.

Mediolanen. Beneficij.
Die Lunæ 9. Decembris 1591.

SVMMARIVM.

1 *Habilitas ab beneficium resultat maior ex presbyteratu, quàm ex simplici clericatu.*

2 *Clericus simplex etiam præsumitur idoneus ad beneficium obtinendum.*

3 *Maior habilitas non requiritur in præsentato ad beneficium iurispatronatus ex illis verbis in fundatione positis, & in diuinis officijs aliàs sufficienter institutus, quàm exigat ius commune.*

4 *Dictio, aliàs, videtur operari aliquam requisiti diminutionem.*

5 *In dubio semper dispositio hominis regulari debet cum dispositione legis, cui censetur se conformare voluisse.*

6 *Exercitium cura animarum commissum ab Ordinario necessario excludit illitteraturam in clerico.*

7 *Illitteratura causat inhabilitatem clerici ad beneficium.*

8 *Habitus pro habili ab examinatoribus ad beneficia curata, & ante præsentationē, & post, inuerisimile est, quòd medio tempore fuerit inhabilis ad beneficium simplex.*

9 *Relatio examinatoris, quòd quis sit inhabilis, qui prius fuit habitus pro habili, dicitur suspecta.*

10 *Per nouum examen potest quis ab examinatoribus reprobari, licèt aliàs fuerit approbatus, sicut è contra per nouum examen potest approbari, qui aliàs fuit reprobatus; maximè quando sufficit habilitas etiam infra mediocritatem.*

DECISIO CMLXVIII.

Fuit resolutum constare de habilitate Ioannis sufficienter ad effectum, de quo agitur; Primo ex ordine presbyteratus, *c.*
1 *accepimus. de atat. & qualit.* † ex quo resultat maior præsumptio, quàm ex simplici
2 clericatu, † ex quo tamen quis etiam præsumitur idoneus ad beneficium obtinendū, *vt per Abb. in cap. fin. num. 5. de præsumpt. Rot. decis. 13. num. 4. de probation. in antiq. cum alijs allegatis in Calaguritan. de Amarita coram bo. mem. Domino Cantuccio 27.*
3 *Ianuarij 1576.* * † Neque hoc casu requiri maiorem habilitatem propter verba fundationis, quàm requiratur de iure communi; nam illa verba, & in diuinis officijs aliàs sufficienter institutus, non includunt quicquam vltra iuris dispositionem; maximè
4 † propter dictionē aliàs, quæ videtur operari aliquam requisiti diminutionem, & in
5 † dubio semper dispositio hominis regulari debet cum dispositione legis, cui censetur se conformare voluisse, *l. conficiuntur. de iur. codicill.* Hanc autem præsumptionem confirmant plura alia, ex quibus habilitas colligitur; nam vltra approbationem ad ordinem presbyteratus, fuerat ei collata parochialis, antequam præsentaretur ad beneficium simplex, de quo agitur, & pluries concessa ipsi licentia tam à bon. mem. Cardinali Borromæo, quàm moderno Reuerendiss. Archiepiscopo exercendi curam animarum, tam antea, quàm postea, quæ res
6 † excludit necessariò totalem illitteraturā,
7 † quæ requiritur ad causandum inhabilitatem, *c. sp. præcipimus. & ibi glos. 34. distin. Doctores in cap. cum in cunctis. de electionib. cum alijs in d. decis. allegat.* Accedit quòd in causa appellationis fuit examinatus, & repertus valde idoneus, contra quam retulerunt priores examinatores. Neque obstat, quòd intercesserit aliquod temporis interuallum, & quòd idoneitas debet probari de tempore præsentationis, quia cum statim, quòd adijt iudicem appellationis, obtulerit se examini, non est, quòd imputemus ei, quòd statim non fuerit examina-
8 tus: Præterea † cum & ante præsentationem & post, habitus fuerit pro habili ad curata, valde inuerisimile est, quòd medio tempore fuerit inhabilis; maximè ad bene-
9 ficium simplex: † Vnde valde suspecta videtur relatio priorum examinatorum, maximè cum eam in scriptis redigere noluerint, quod tamen ex officio facere debebāt iuxta solitum, & magis standum est tot, tātisque probationibus & præsumptionibus, quæ hoc casu concurrunt, quàm simplici eorum relationi, cui euidentia facti repugnare videtur; & ideo etiam cessat, quod allegatur *ex consil. Oldrad. 18.* quia præterquàm quòd loquitur in curato, ibi non concurrebat probatio extremorum, vt in
10 casu isto, & † si quis per nouum examen reprobari potest, quod non negamus, admittendum quoque est per nouum examen, & per vrgentiores probationes approbari posse; maximè in casu, in quo sufficit habilitas etiam infra mediocritatem, *ex deductis in præfata decisione.* Et ita conclusum.

* In imp. dic. 3 … [marginal note]

Romana Legitimæ.
Die Lunæ 16. Decembris 1591.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum adiectum renunciationi operatur indiuiduam expressionem, ac si nominatim fuisset facta mentio rei, super qua prætenditur renunciatio; nec attenditur, an de ea re habuerit notitiam renuncians nec ne, sed hoc procedit si consideretur iuramentum ad actus ex se nulli validitatem; secus est si ad supplendum consensum.*

2 *Per iuramentum adiectum renunciationi, nunquam censetur suppleri consensus.*

3 *Iuramētū in renūciatione fidei cōmissi non operatur stante ignorantia fidei commissi.*

Men-

4 *Mentio specialis fideicommissi existentis requiritur in renunciante; vbi non constat, ex quo testamento fideicommissum debeatur secūdum communem opinionē, licèt secus sit, si in genere potuerit cogitari, de quo fideicommisso facta sit remissio.*

5 *Mentio specialis fideicommissi requiritur in renunciante fideicommisso, si pœna priuationis contrauenienti fideicommisso sit adiecta.*

6 *In mandato generali nunquam censetur data facultas faciendi incidere in pœnā.*

7 *Diuisio inter fratres facta de bonis fideicommisso subiectis, cum licentia alienandi verbis amplissimis cōcepta, facit, quòd emptor sequuta alienatione, molestari non possit, siue habita notitia fideicommissi, siue non, secundum communem Bartoli opinionem.*

8 *Bona fideicommisso subiecta non dicuntur bona grauati, & ex eis non potest detrahi legitima, quam reliquit grauatus in bonis suis.*

9 *Renunciatio fideicommissi facta inter diuidentes bona fideicommisso subiecta, restricta ad effectum, vt diuidentes possint bona alienare, non sequuta alienatione nullū renunciationis effectū parit.*

DECISIO CMLXIX.

HÆc causa fuit aliàs proposita die 1. Iulij proximè præteriti, informante tātum Illustrissimo Domino Valerio, & tunc fuit resolutum exequutionem laudi pro rata bonorum iurisdictionalium Montis Rotundi esse reuocandam, cum ex illis nulla veniret detrahenda legitima: Quare iterum causam proposui vtraque parte informante, & pro parte Illustrissimæ Dominæ Lucretiæ duo deducta fuerunt potissimum
1 contra decisionem; Primo † iuramentum adiectum renūciationi fideicommissi, quod operatur indiuiduam expressionem, ac si nominatim fuisset facta mētio de fideicommisso facto inter authores istorum Dominorum de anno 1552. ideoq. non esse curandum, an eius notitiam habuerint renunciātes nec ne, *per ea quæ tradit Alexand. in l. qui Romæ. §. duo fratres. num. 55. de verbor. obligat. Rip. ibid. num. 73. Crott. num. 110. Socin. iun. cons. 116. num. 75. & 76. lib. 1. cum alijs deductis per Dominos informantes**. Verum hæc consideratio non placuit Dominis; quia iuramentum potest cōsiderari ad duplicem effectum; primus est ad actus ex se nulli validitatem, & hoc respectu possunt procedere allegata, tūc enim seruandum est iuramentum, *cap. cum con-*
2 *tingat. de iureiur.* † Aut ad supplendum consensum, & verior est opinio, quòd nunquam ex eo censeatur suppleri consensus, vt distinguendo tradit *Aleiat. in d. cap. cum contingat. num. 287. bene Tiraquell. in præfat. l. si vnquam. num. 148. de reuoc. donat. latè Gabr. de iureiuran. conclus. 4. num. 3.*
3 *cum sequentib.* Vnde † cum non constet de scientia huius fideicommissi pœnalis, ex cuius contrauentione amittebantur cætera bona & Castra, cessat hoc argumentum.
4 Neque obstat, quòd † non requiratur specialis mentio, vbi in genere potuit cogitari, *ex latè deductis ex Oldrad. in consil. 300. num. 8. Corn. consil. 324. num. 4. lib. 1. Aymon. consil. 447. num. 3. cum alijs per informantes allegatis*, [a] quia contrarium est verius; vbi non fit mentio, ex quo testamēto debeatur tale fideicommissum; & illa est quæstio, quam ponit *Bart. in d. §. duo fratres. quæst. 5. nu. 18.* vbi concludit, hæc verba non sufficere ad remissionem fideicōmissi, cuius opinionem communem esse tradidit *Addit. ibi sub littera B.* sed & etiā *Alex. num. 55.* dicit opinionem Angeli cōtrarium tenentis posse sustineri tantum, vbi adesset iuramentum; sed huic rationi supra fuit responsum, *& in terminis adest pulchrum consil. Roman. 403. vbi num. 10. & sequentib. refert opinionem Angeli, & eā confutat, & hoc cons. refert & sequitur Dec. consil. 345.* licèt in suo casu ob varias cir-
5 cunstantias contrarium teneat; † hoc verò tāto magis tenendū est in casu isto propter adiectā pœnam priuationis, *vt in terminis per Bart. in l. Codicillis. §. instituto. n. 5. de legat. 2. Alexād. in l. si constante. num. 26. solut. matrim. & in cons. 168. num. 5. lib. 2. Gabr. de regul. iur. conclus. 4. num. 5.* & in
6 simili † in mandato generali nunquam censetur data facultas faciendi incidere in pœnam *Paris. in consil. 21. num. 41. lib. 4.* Neque obstāt considerationes *Socin. iun. in d. §. duo fratres. num. 126.* quia ipse concludit, quòd in iudicando non est recedendum ab opinione Bartoli, quæ est communis. Secundo principaliter contra decisio-
7 nem deductum fuit † in diuisione prædicta datam fuisse licentiam alienandi cum verbis amplissimis; ideoq. locum habere doctrinam *Bart. in d. §. duo fratres. num. 21. in 8. quæst.* qui vult, quòd sequuta alienatione, emptor non possit inquietari, siue fuerit habita notitia fideicommissi siue non, *quam Bartoli sententiam esse communem testatur ibidem Additio, eamque sequuntur Ang. num. 12. Alex. num. 58. Rip. nu. 81. Idem Alex. consil. 8. num. 7. in 5. & 189. num. 10. lib. 2. Curt. sen. in consil. 63. col. fin. Socin. iun. consil. 116. numer. 54. lib. 1. Cephal. consil. 296. num. 22. Tiber. Decian. consil. 33. numer. 106. lib. 1.* Verum huic
8 obiecto Domini responderunt † per institutionem factam de matre in legitima sibi de iure debita in bonis suis, eam non videri relictam in istis bonis fideicommisso subiectis, quæ suorum bonorum appellatione

* Gul. Bened. in c. Raynut. n. 111. de testam. Ias. in l. de his. n. 11. ff. de transaction. Tiraq. in l. si vnquā in præfat. nu. 145. Add. ad Alex. cons. 11 n. 14. li. 2. & grauit Rot. in vna Viterbiē. bonorum. 3. Martij & 5. Nouēb. 1572. corā Groppe tio.

[a] Idē Geminian. in cōs. 27. n. 2. Ias. cō sil. 40. num. 3 lib. 3.

non continentur, *iuxta decis. Pedemont.* 85.
in fin. & fuit latius deductum in alia decisione [b]. Quibus Domini addebant Dominum Valerium non ex persona sua sed Iordani venire, cui iuri non censetur renunciatum *ex deductis per Doctores in d. §. duo fratres. & ibi Alex. col. fin. Rip. num. 77. Dec. in consil. 230. col. fin. Roman. consil. 462. in fin. Tiber. Decian. consil. 3. nu. 123. lib. 1.* Aliqui etiam ex Dominis putabant
9 † renunciationem esse restrictam ad effectum, vt diuidentes possent alienare; Ideoque non sequuta alienatione nullum esse effectum renunciationis, *vt tradit Bart. in d. quaest. 8. in fin. Cephal. d. consil. 296. nu. 24.* Et ex his censuerunt esse standum in resolutis.

b sub die 1. Iul. proximè praeteriti.

Gerunden. Fontis.

Die Veneris 20. Decembris 1591.

SVMMARIVM.

1 *Testes, qui sunt partes formales, nō probāt. Idem est in his, qui dederunt mandatum in causa.*

2 *In consortibus eiusdem iuris possessio vnius prodest alteri; non enim censetur alter eo iure vti velle priuatiuè respectu alterius, vt est in iure patronatus.*

3 *Possessio communis aquaeductus probatur ex eo, quòd communibus expensis purgatur.*

4 *Possessio precaria, vt dicatur introducta, requiritur probatio dominij eius, cuius nomine precarium deducitur.*

5 *In seruitutibus praediorum acquirendis, prout est in seruitute aquaeductus, requiritur titulus, quando agitur contra proprietarium; secus est, quando agitur inter duos tertios.*

DECISIO CMLXX.

Fvit resolutum, constare de primo extremo Episcopi, eumq. esse ad suam possessionem restituendum; nam per testes ipsius probatur existentia Canalis, per quē fluebat aqua ad palatium Episcopi, quod neque ex aduerso negari potest, cum praetendant hoc totum precario fuisse concessum Episcopo; probant etiam aliquos Episcopos pro tempore habuisse clauem; secundus iuxta tertium interrogatorium, & decimusquartus iuxta quintum, & decimusquintus iuxta primum, tertium, & decimumquartum interrogatorium; & de possessione Episcopi moderni praedicti testes optimè deponunt, necnon vigesimusprimus testis super vndecimo articulo, & nonnulli ex testibus Capituli, vt bene in facto deducitur: Secundum verò extremum perspicuè probatur ex testibus, de quibus in summario Episcopi num. 6. qui optimè probant accessum Canonicorum ad fontis spiracula & demolitionem canalium, per quae aqua defluebat in palatium Episcopale. Neque obstant ea, quae in contrarium deducuntur; Et primo, quòd hunc vsum aquae Episcopus habuerit precario à Capitulo, quod ostendere conantur ex eo, quòd Capitulum deputat Fontanerium, qui solet aquam distribuere ad libitum, & prout videtur ei, & etiam aliquando denegare, prout ex testibus eorum probare conatur, quia
1 omisso, quòd † maior pars istorum testium sunt partes formales, & Canonici plerique qui dederunt mandatum in hac causa contra Episcopum; & ideo nihil probant, *vt fuit decisum coram me in vna Burgen. praeeminentiarum de Couarruuias.* [a] *quam decisionē Rota sequuta est in multis alijs causis,* & reliqui nihil aut parum dicunt, Domini considerarunt, quòd ius illud aquae ducendae ex concessione Regia aequaliter spectat ad Episcopum & Capitulum, vt ex instru-
2 mento concessionis apparet: Vnde † cum sint consortes huius iuris, possessio vnius prodest alteri, non autem censetur quis priuatiuè hoc iure vti velle respectu alterius, vt in materia iurispatronatus pluries resolutum fuit *per doctrinam Abbat. in cōsil. 54. num. 3. versic. per hoc etiam facit. lib. 1. quē refert & sequitur Lambertinus de iurepatronat. artic. 16. 3. quaest. principal. prima par. secund. libri num. 16. & 17.* Quod eo magis procedit hoc casu, in quo probatur,
3 quòd † huiusmodi aquaeductus purgabatur communibus expensis tam Episcopi, quàm Capituli, ex quo actu probatur eorum cōmunis possessio, & de hoc deponunt duo testes, de quibus in summario num. 4. Ex quibus omnibus excluditur praetensa illa possessio precaria, quam allegant infor-
4 mantes pro Capitulo † cum ad illam intro ducendam necesse fit ex parte Capituli probare dominium, quod neque probatur, quin potius aequalitas tituli ex iuribus per eum deductis arguitur, *Alexand. in l. qui iure. num. 5. de acquir. possess.* Non obstat petitio allegata, facta nomine Episcopi in Capitulo, quia non constat de mandato, & ille est Canonicus & vnus ex spoliatoribus.
5 Quòd verò dicitur de titulo, † qui in his seruitutibus requiritur, non habet locum in casu isto, tum quòd non sumus in seruitute, quam praetendat Episcopus in re Capituli, tum quòd illud habet locum, vbi ageretur contra proprietarium aquae, non autem quando inter duos tertios est cōtrouersia, vti bene declaratur *per Achill. decis. 5. de restitut. spoliat. & Pute. ibidem decis. 25.* sed & quatenus requireretur titulus, satis de eo constat ex priuilegio Regio per Canonicos allegato, de quo supra est facta mentio. Quare conclusum est, Episcopum restituendum esse ad suum pristinum statū, *iuxta cap. querellam. & ibi Butr. & Abb. de election. Afflict. decis. 395. num. 4. Cassad. decis. 14. super regul. nu. 8. Mohedan. decis.*

a sub die 10. Decēb. 1588. cuius resolutionis verba praecisa sunt huiusmodi. Oēs testes q sunt percontores vel dicūt beneficium reijciuntur, illi verò q patiuntur hāc tāth exceptionē, quod habēt cōiungi ... beneficiatos, ... sibi ... Et idē firmatū fuit supra in Rom. ... 1575 & coram ... me. ... annuersarij. ... 1580 ... de appell. ... per ... in fin. ... Ras. ... n. 20. lib. 1.

a ... exemptionis decimarum ... Iun. 1580 ... D. Decano de Rubeis ... allegat ... Rock ... comprimis ... num 42.

decis. 127. quod Domini intellexerunt limitatè pro vsu domus suæ nō autem pro perpetuo fonte deriuando, cum iste vsus non probetur, & pars Canonicorum de hoc tantum conqueri videatur; & ideo procedendum ad vlteriorem exequutionem exequutorialium aliàs decretarum.

Anagnina Iuris pascendi.
Die Veneris 20. Decembris 1591.

SVMMARIVM.

1 *Existens in antiquissima & continuata possessione iuris pascendi in aliquo loco manuteneri debet.*

2 *Examen testium factum coram iudice allegato suspecto, per plures comparitiones postea coram eodem factas sine aliqua protestatione valet; cum censeatur à recusatione recessum.*

3 *Defectus iurisdictionis iudicis causatus ex clausula sublata posita in Breui tollitur per oris aperitionem.*

4 *In possessione quis manuteneri debet, donec lis in petitorio terminetur.*

5 *Remedium possessorium per appellationem non suspenditur.*

6 *Laici non possunt per statuta libertati Ecclesiasticæ neque directè neque indirectè præiudicare.*

7 *Confirmatio statuti addit robur confirmato respectu iuris, non autem facit, vt quod prius in statuto non comprehendebatur, censeatur comprehensum.*

DECISIO CMLXXI.

1 Domini censuerunt vnanimiter ✝ mandatum de manutenendo datum Venerab. Carthusiæ esse confirmandum, cum ex testibus pro Carthusia examinatis constet de eius antiquissima possessione pascēdi cum omni genere animalium in territorio Anagnino, eiusq. continuatione, vsque ad tempus molestiarum, & litis motæ, *§. retinendæ. versic. hodie tamen. & ibi Fab. nu. 16. Instit. de interdict. Bart. in l. 1. §. quod ait Prætor. vti possid.* & maximè quia ista quasi possessio est titulata ex pluribus priuilegijs, & habet in se plurimum æquitatis, cum Carthusia habeat in territorio Anagnino magnam quantitatem terratum huic oneri subiectā, & sic vice versa pro hominibus ipsius Cōmunitatis. Non obstāt ex ad-

2 uerso obiecta; Et primo ✝ quantum ad testes, quòd fuerint examinati coram iudice allegato suspecto post appellationem interpositam ab vlteriori processu, tollitur ex pluribus comparitionibus postea factis sine vlla protestatione, & ex pluribus actibus positiuis, ex quibus censetur recessum à prætensa recusatione *Put. decis. 380. lib. 1. & alijs allegatis per Dominum Benettū*[a].

3 Non obstat ✝ defectus allegatus iurisdictionis propter clausulam, sublata, positam in Breui fel. record. Sixti Quinti, quia antea obtentum mandatum fuerat concessa aperitio oris, & causa commissa super subre-

4 ptione dicti Breuis; ✝ ideo poterat interim petere se manuteneri, donec terminaretur lis in petitorio, *Castr. in consil. 3. cum alijs per Menoch. in vlt. remed. retinen. & facit decisio allegata per Dominum Bisciam in causa Bononien. de Sancto Petro*[a]. Non obstat tertio, quod dicitur de attentatis, cum ex facto tollatur obiectum; mandatum enim fuit de mense Iulij 1590. commissio vero & inhibitio in Rota de anno 1591.

5 Quarto non obstat ✝ appellatio, quia hoc remedium non suspenditur per appellationem *Menoch. vbi supra.* Quinto non ob-

6 stant ✝ statuta Communitatis, quia non possunt laici præiudicare libertati Ecclesiasticæ neque directè, neque indirectè, *cap. non minus. de immunit. Eccles. cap. nouerint. de senten. excommunic. latè Doctores in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ. de constitut. & fuit dictum de mense Iunij præteriti in vna Massafren. coram R. P. D. meo Pamphilio*[b]. Vltimo non obstat, hæc statuta fuisse confirmata auctoritate Apostolica;

7 quia ✝ confirmatio addit robur confirmato respectu iuris, non autem facit, vt quod prius non comprehendebatur, censeatur comprehensum, *l. Aurelio. §. vlt. de liber. legat. Bald. in l. nominationes. in fin. C. de appellation. Alex. in consil. 123. num. 20. lib. 4. Ruin. consil. 158. num. 16. lib. 1. & 111. num. 18. lib. 5.* & in omnem euentum illa respiciunt petitorium, neque possunt interim impedire, quominus Carthusia manuteneatur.

[a] & in Epis. de appell 42 & 2 Io. Paul.

[a] decis. 144. & fuit dictū in vna Papien. bonorum 17 Nouēb. 1577 corā Car. Lācellotto quæ in impr. con. noui. est 361. part. 2.

[a] quæ est 64. part 2. diuer. corā Cantucio sub die 18. Mar. 1578

[b] in Massafren. furnorū die 21. Iunij 1591. coram Card. Pāphil.

Romana Secretariatus.
Die Lunæ 17. Februarij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Sententia condemnatoria propter delictum, quod ex actis non iustificatur, est notoriè iniusta.*

2 *In criminalibus necessarium est, vt de corpore delicti constet, ad hoc vt sententia valeat, & sit iusta.*

3 *Ad probationem delicti non statur assertioni Papæ dicentis sententiam fuisse ex ordine & voluntate sua, & ex causis sibi notis latam.*

4 *De vera contumacia illius constare non potest, qui non fuit personaliter citatus; maximè si monitorium fuerit nulliter exequutum.*

5 *Gubernator Vrbis vigore suarum facultatum potest citare domi, licèt aliàs requireretur citatio personalis; secus est, si ipse in monitorio præscripsit certam formā exequutionis, quæ si nō est seruata ab exequutore, exequutio citationis est nulla;*

6 *Citatio qua iuxta formam traditam venit exequenda personaliter, si fieri possit; sin minus domi solita habitationis, non potest domi exequi, si non constet de diligentia facta pro personaliter citando, alias illius exequutio est defectiua.*

7 *Relatio Cursoris in citatione fit ad id tantum, quod in ea expressum est, & non ad omnia in citatione contenta.*

8 *In pœnalibus non fit extensio.*

9 *Defectus circa exequutionem citationis per comparitionem procuratoris nõ tollitur, si de mandato non constet.*

10 *Vbi agitur de iure tollendo, & pœna inferenda, requiritur certa & indubitata scientia citati.*

11 *Ratificatio gestorum facta per reum non refertur ad ea, quorum scientia non probatur.*

12 *Vt quis sit verus contumax, requiritur quòd citatus personaliter, dicat se nolle venire, vel quòd secundo citatus non cõpareat, alias mulctari non potest.*

13 *Quis non habetur pro personaliter citato, cuius dolo factum est, ne personaliter citetur, etiam dolosè latitando, ad effectum mulctandi eum secundum communem opinionem; secus est, quando delictum contra contumacem verè fuit deductum, & in actis probatum.*

14 *Quis mulctari non potest, licèt à mulcta nõ sit appellatum, quando legitimè non fuit imposita.*

15 *Recursus ad Papam, & reuisio causa obtẽta idem operatur, quod appellatio.*

16 *A mulcta appellari potest, & peti recursus.*

17 *Sententia nulla ex confirmatione Papa, in qua est defectus intentionis, sustineri nõ potest, & quando non constat eũ habuisse notitiam nullitatis.*

18 *Ob inobedientiam & contumaciam quis nõ venit mulctãdus, nisi habeat cõiunctum iudicis contemptum.*

19 *Timor dans causam absentia & cõtumacia non trahitur ad contemptum iudicis.*

20 *Sententia cõtumacialis per comparitionem resoluitur, si sit interloquutoria.*

21 *Tamdiu durat effectus resultans ex contumacia, quàmdiu durat contumacia.*

22 *Contumax propter delictum nòn debet audiri, nisi cõstitutus in carceribus, potest tamen ex commissione Papa extra carceres audiri.*

DECISIO CMLXXII.

FVit dubitatum, An sententia Domini Gubernatoris sustineri possit, vel constet de tali comparitione Domini Cæsaris, vt eadem sententia sit resoluta in casu, de quo agitur; Et quantum ad priorem partem dubij, Domini concorditer censuerunt sententiam sustineri nõ posse neque ratione delicti, neque contumaciæ, neque mulctæ; nam quantum ad delictum, nihil de eo in actis deductum est, neque in monito-
1 rijs est enunciatum; Ideoq. † sententia hoc respectu esset notoriè iniusta, cum ex actis non iustificetur, *Frãc. in cap. dilecto. q. 55. de appellat. Felin. in cap. inter cateras. de re iudic. Pute. decis. 401. in fin. lib. 1.* nam
2 † de aliquo corpore delicti non constitit, vt in criminalibus est necessarium, *l. 1. §. item illud. ad Syllanian. Grat. in cõsil. 99. num. 7. lib. 1. inter cõsilia criminal. diuers. Clar. in pract. crimin. §. fin. quaest. 66. num. 1.*
3 † Nec sententiam sustinere potest assertio Papæ dicentis sententiam latam fuisse ex ordine & voluntate sua, & ex causis sibi notis; quia in criminalibus ad probandum delictum non statur assertioni Papæ, *Dec. in cõsil. 410. num. 9. Put. decis. 125. lib. 1. Mohedan. decis. 271. cum alijs* *. Quantum verò ad condemnationem ratione cõtuma-
4 ciæ, † sententia sustineri nequit, cum hic non constet de vera contumacia Cæsaris, cum nõ fuerit personaliter citatus, & quod plus est, monitorium fuerit nulliter exequu-
5 tum, † licèt enim Gubernator vigore facultatum possit citare domi, tamen cum hoc casu præscripserit certam formam exequutionis monitorij, illa erat seruanda; for-
6 ma autem præscripta erat, † vt Cæsar personaliter, si fieri posset, citaretur, sin autem domi suæ solitæ habitationis, & in valuis Curiæ dimissis copijs: Verum de nulla diligentia facta de citando personaliter constat; vnde exequutio defectiua est, *Doctor. in l. 4. §. Prator ait. de damn. infect. Rot. decis. 8. de dol. & cõtumac. in nou. Achill. decis. 12. de citation. Caputaq. decis. 168. lib. 1. in manuscript. & decis. 318. lib. 1. in impress.* Nec aliquid facit, quòd Cursor dicat se citasse, vt supra, quia incontinenti subdit, domi dimissa copia: Vn-
7 de † censetur facta relatio tantum ad id, quod expressum est, & non ad omnia contenta, *Dec. cõsil. 47. num. 1. Paris. consil. 103. num. 11. & 12. lib. 1. Ruin. in consil. 127. num. 5. lib. 2.* Præterea videtur potius habita relatio ad materias cõtentas in monitorio, quàm ad eius exequutionem, *iuxta notat. per Bart. in l. talis scriptura. num. 3. & ibi Ias. num. 37. de legat. 1.* Adest & alia nullitas, quæ visa est nulla excusatione tolli posse, nempe, quòd secundum monitorium, quod eodem modo erat exequendum, vltra omissas diligentias de reperiendo nõ fuit exequutum ad valuas, sed tantum domi. Nec obstat responsio, quòd non esset necessarium hoc secundum monitorium, ex quo officium cõprehendebatur sub mulcta quinquaginta millium ducatorum, quia hoc verum esse non potest, cum mulcta illa pecuniaria deberetur fisco, officium ve-
8 rò Collegio, & † in pœnalibus non potest
9 fieri ista extensio; † Neque isti defectus pos-

* quibus adde Crauett. cõs. 193. n. 4. Ruin cõs. 46 n. 10. & 107. n. 8. lib. 1. Guid. pap cõs. 144. nu. 9. Cephal. cõs. 204. n. 80.

possunt dici sublati per compatitionem Ioannis de Cametino, quia de mandato
10 eius non constat; & † vbi agitur de iure tollendo, & pœna inferenda requiritur certa & indubitata scientia *Afflict. de iur. prothomiss. §. 2. num. 8. Felin. in cap. quoniã. §. porrò. col. antepenult. vers. quid vbi perden. vt lit. non contest. Mohedan. decis. 160. Pute. 6. de probation. Caputaq. 110. in 2.*
11 Neque obstat † ratificatio gestorum facta per Cæsarem, quia non refertur ad hanc comparitionem, cuius scientia non probatur, sed ad alia per eum gesta post habitum recursum ad fel. record. Sixtum Quintum. Quantum ad condemnationẽ ratione mulctæ propter contumaciam irrogatæ, ex qua præcipuè informantes pro Dominis Secretarijs volunt sententiam sustineri, Domini censuerunt, neque etiam ex hoc capite defendi posse; nam etiam circumscriptis supra
12 relatis defectibus † negari nõ potest Dominum Cæsarem non posse dici verum contumacem, sed fictũ tantum; nã vt sit verus, requiritur *secundum Angel. cons. 8.* vel quòd citatus personaliter dicat se nolle venire, vel quòd secundo citatus non compareat; vnde sequitur mulctari non potuisse, *gloss. in l. vnic. §. fin. si quis iusdic. non obtemp. & ibi Doctores communiter, vt per Alex. n. 11.*
13 *Ias. num. 32.* vbi vult † ad hunc effectum non haberi pro personaliter citato eum, cuius dolo factum est, ne personaliter citetur etiam dolosè latitando, *Angel. ad consil. 8. latè Boss. in tit. de mulct. num 6. Marant. in suo Specul. tit. de contumac. num. 9. vbi attestatur de communi.* Neque obstant deducta *ex Felin. in cap. ex litteris. num. 20. de constit. & Tiraq. in tractat. cessant. caus. in præfat. num. 67. & 68.* quia loquuntur in eo contumace, cuius delictum iam fuit
14 deductum, & in actis probatum: † Neque ex eo etiam sustineri potest hæc mulcta, quòd ab ea non fuerit appellatũ, dato quòd legitimè imponi potuisset; quia immo habitus fuit recursus ad Papam, & obtenta
15 renisio, † quæ idem operatur, quod appellatio, *Franc. in cap. dilecto. num. 168. de*
16 *appellat.* & in specie quòd † à mulcta possit appellari, & etiam peti recursus tradunt *Bart. in l. 1. in fine principij, & ibi Cagnol. num. 105. si quis iusdic. non obtemp. Boss.*
17 *vbi supra num. 5.* † Neque tandem potest sententia sustineri ex confirmatione Papæ, quia corruit ex defectu intentionis, *vt aliàs deductum fuit.* * Neque constat Papam habuisse notitiam nullitatum supra deductarum, *Rimin. iun. in consil. 54. num. 47. & 48. lib. 1.* quod eo magis est dicendum,
18 † cum ob inobedientiam, & contumaciam quis non veniat mulctandus, nisi habeat coniunctum indicis contemptum, *gloss. magna in d. l. vnic. §. fin. quam communem dicunt ibi Cagnol. num. 20. & 28. & Seyssell. in l.*

*sup. sub die 30 Novemb. prox. præteri ti n. 11. & 12

si mora. num. 19. solut. matrimon. Clar. in
19 *prax. §. 1. in fin.* † hic verò non tam contemptus quàm timor dedit causam absentiæ. Ex his resultat resolutio posterioris
20 partis dubij, nempe † sententiam per comparitionem resolutam fuisse, cum hæc sententia fuerit interloquutoria, *vt per Socin. in d. l. vnic. §. fin. num. 7. & pluries in si-*
21 *milibus causis fuit in Rota resolutum;* † nam tamdin durat effectus resultans ex contumacia, quamdiu durat contumacia, *Bald. in l. 1. C. de postuland. Felin. in cap. ex litteris. num. 16. & Dec. num. 12. de constitut. Achill. decis. vnic. de absolut.* Nec quic-
22 quam facit, quòd † iuxta formam Bullæ Cæsar non cõstituerit se in carceribus, quia vltra quòd bulla loquitur tantum in delictis, in quibus quis non solet audiri extra Carceres, hic adest commissio causæ signata per fel. record. Sixtum Quintum, quæ supplet hanc formam, & facit, vt non requiratur alia constitutio, sed quòd possit audiri extra carceres, prout non obstante Fisci protestatione fuit auditus & absolutus per sententiam, quæ transitum fecit in iudicatum: Et ita etiam tollitur, quod dicitur non fuisse factum depositum, cum Papa aliam formam huic iudicio dare voluerit. Quare nemine contradicente fuit in vtraq; parte pro Domino Cæsare resolutum.

Romana Cedularum de Ruspolis.
Die Lunæ 24. Februarij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Subscriptio cedulæ operatur approbationem omnium in ea contentorum; secus est in subscribente folium album, cum non videatur approbare ea, quæ postea scribuntur, nisi subscribens possit prauidere, & scire, quæ ibi essent scribenda; quia tunc subscriptio præiudicat, aliàs secus.*
Vel nisi probetur, quòd aliud scriptum fuerit in cedula, quàm id, quod mandatum fuit, vt num. 2.
3 *Mercator non præsumitur subscripsisse cedulam vel folium, nisi prius præcesserit tractatus.*
4 *Ex productione iurium, quæ quis verisimiliter habuit à principali, præsumitur mandatum.*
5 *Docens de solutione facta pro alio, & de damno occasione illius passo potest agere ad refectionem illius.*

DECISIO CMLXXIII.

Fvit resolutum constare de bono iure Dominorum de Ruspolis in casu & ad effectum, de quo agitur, cum cedulæ per eos solutæ, fuerint subscriptæ à Domino Galle-
1 no, † quæ subscriptio operatur approbationem omnium contentorum in scriptura,
l. em-

l. emptor. §. Lucius. & ibi Bart. de pact. idem Bart. in l. sicut. §. non videtur. quib. mod. pign. vel hypoth. Bald. in Autht. contra qui propriam. C. de non num. pecun. Felin. in cap. 2. num. 6. de fid. instrum. Dec. in cons. 115. col. penult. Paris. consil. 47. n. 6. lib. 1. & latè deducit Gabr. de probation. conclus. 3. num. 1. Non obstat, quòd ista regula non procedat in subscribente folium album, cum non videatur comprobare ea, quæ postea scribuntur in dicto folio, *vt per Angel. in l. si ita stipulatus. §. Chrisogonus. num. 2. de verb. obligat. & ibi Ias. num. 13. Felin. in cap. quoniam contra. num. 79. versic. limita quinto. de probatio.* quia hoc procedit, quando subscribens non poterat habere notitiam eorum, quæ in folio subscripto inseri poterant, sed vbi poterat præuidere, quæ ibi essent scribenda, subscriptio præiudicat, *vt tradit Imol. in d. §. Chrisogonus. num. 10. Angel. num. 2. & 3. & Ias. num. 13. & Innocent. in cap. 2. de fid. instrum.* dicit, quòd id, quod scriptum est, præsumitur demandatum, dummodo sit tale, quod verisimiliter alicui demandetur;

2 † nisi probaretur aliud scriptum fuisse, quã id, quod mandatum fuit, *& sequitur Zabarell. ibid. col. pen. vers. quæro aliquis dedit alicui cartam albam. & Aegid. numer. 17.*

3 † Concurrit in casu isto, quòd præcesserat tractatus Galleni cum Ruspolo de subscribendis cedulis, vt ipse fatetur in suis positionibus, adeo quòd quodammodo necessarium erat, vt subscriptio Galleni præcederet, aliàs mercatores non subscripsissent, & tollitur difficultas ex testibus probantibus aliquas ex cedulis fuisse venditas à Pogino præsente Galleno, qui ex hoc censetur ratificasse omnia antea gesta, & vltra mandatum præsumptum proueniẽs ex eo, quòd Poginus habuit in manibus istas cedulas sibi traditas à Galleno cum subscriptione, & ex ratificatione ex supradicto actu venditionis resultante, Gallenus ipse in suis positionibus fatetur illum fuisse suum socium, & præpositum huic negotio; Vnde ei poterant Ruspoli credere, veluti in simili dicimus,

4 † ex productione iurium, quæ quis verisimiliter habuit à principali, probari mãdatum, cui consonat etiam, quòd fuit factus calculus inter Poginum & Gallenum super pretio cedularum à Pogino venditarum; Vnde non potuerunt Ruspoli denegare solutionem cedularum per ipsos subscriptarum, cum habeant exequutionem paratam, *Bald. in l. certum. num. 9. C. famil. Ercisc.*

5 † & docto de solutione, & quòd damnum passi erant, potuerunt agere ad refectionem damni, prout fecerunt *Alex. in cons. 199. num. 3. lib. 7. Benintend. in decis. 81. num. 12.* Et ita conclusum.

Toletana Parochialis.

Die Lunæ 24. Februarij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Testis examinatus super valore beneficij dicens se esse informatum & scire, quòd deductis oneribus valor non excedit tãtam summam, bene probat, iuncto teste de publica voce & fama.*

2 *Ecclesia commendata donec de ea fiat prouisio, intelligitur ad quatuor menses, & illis elapsis cessat Commenda, & remanet prior vacatio.*

3 *Possessio decennalis dicitur melior titulus de mundo, etiam in successore per resignationem.*

4 *Præsumptio tituli procedentis ex possessione decennali non tollitur per proauctionem tituli infecti.*

5 *Quis non potest se iuuare titulo possessionis decẽnalis sui authoris, quando eius titulum impugnauit.*

6 *Quis non est prohibitus se iuuare ex actu etiam impugnato, quando non fuit pronũciatum pro impugnatione; secus est, si impugnatio aliquo modo fuit habita pro bona & vera.*

7 *Allegatio Lapi 89. quæst. 5. non habet locum in allegante titulum ex possessione decennali sui authoris, quando constat ex qua causa author seu prædecessor possideret.*

8 *Præsumptio tituli, quæ oritur ex possessione decẽnali sui authoris, est iuris & de iure.*

9 *Contra præsumptionem iuris & de iure non admittitur probatio in contrarium, nisi sit concludens, vel per confessionem, vt est communis opinio; & multo magis si sit confessio adminiculata ex alia confessione. vt num. seq.*

10 *Confessio resignantis de titulo infecto post cessionem non nocet resignatario; secus tamen est, si sit adminiculata.*

DECISIO CMLXXIV.

FVit resolutum sentẽtiam Auditoris Cameræ esse confirmandam, cum coram eo fuerit plenè gratia Ferdinandi iustificata, prout requiritur *iuxta doctrin. Io. And. in cap. 2. de lit. contest. in 6. Felin. in cap. cõstitutus. de rescript. Mohed. in decis. 304. cum alijs;* * nam difficultas solum fiebat respectu valoris & vacationis; Ideo

1 † quantum ad valorem, quòd parochialis non excedat 800. ducatos bene probatur, per testes, quorum quintus dicit se informatum de quantitate reddituum, & scire quòd deductis oneribus nõ excedit istam summam, Idem dicit sextus ex litteris ad se transmissis de partibus, & ex publica voce & fama; Alij quoque testes idem dicunt & reddunt rationem, quia viderunt tasmias & libros, in quibus adnotantur fructus parochialis, & hæc

* addi potest Abb. cons. 70 n. 2. li. 2. Dec. 142. n. 6. Parisi. 138 nu. 1. li. 4. Idẽ Feli. ca. ad aures. col. 3 vers. tertio cõclusio. de tempor.

& hæc sufficiunt, cum agatur ad effectum iustificationis narrativæ, *ad decis. Aegid. 675. Mobedan. 148. Pute. 29. lib. 1.* Allegata autem in contrarium procedunt in materia obiectiua: Vacatio verò per obitũ Martini probatur, & quòd obierit in possessione istius parochialis, nec ista vacatio fuit consumpta in persona Ioannis; quia non constat de aliqua eius prouisione, sed
2 tantum, † quòd ei fuit per Capitulum commendata, donec obtineret prouisionem à Sede Apostolica, quod iuxta terminos Cõcilij & Bullæ fel. record. Pij Quinti intelligitur ad quatuor menses; Vnde illis elapsis expirauit Commenda, *ad notat. in cap. nemo: de electtion. in 6.* & remanet antiqua vacatio, vt prius, *Cassad. decis. 5. de priuileg. Pute. 25. lib. 1.* † Non obstat possessio
3 decennalis Ioannis, qua vult se iuuare Petrus *ex allegat. Lapi*, quæ facit, vt præsumatur melior titulus de mundo etiam in successore per resignationem, *Cassad. decis. 2. de caus. possess. & propriet. Mobedan. decis.*
4 241. † quæ præsumptio non tollitur per productionem tituli infecti veluti Commendæ, stante cursu temporis, *vt per Cassad. decis. vlt. num. 7. de procurator. Crescent. decis. 261. aliàs vlt. de probation. Sarnen. de triennal. quæst. 10. cum alijs**. Nam responsum
5 fuit, primo, quòd † etiam præsupposita decennali possessione Ioannis, non tamen potest Petrus ea se iuuare, cum titulum ipsius Ioannis authoris sui impugnauerit, dicendo ipsum possedisse sine titulo valido, & contra eum litem introduxerit super fructibus male perceptis, *cap. ex eo. de reg. iur. in 6. cum alijs per Mandos. ad allegationem Lapi 89. quæst. 5.* Neque obstat, quòd ista impugnatio fuerit facta per procuratorem in alio iudicio, & ideo non noceat in isto, quia primus libellus in summario num. 4. cantat in personam ipsius Petri principalis, & per nonnullos actus fuit sequuta ratificatio, & in specie cum citatus de ordine Nuncij comparuit mediante procuratore, & opposuit contra gratiam compositionis, & absolutionis à fructibus male perceptis obtentam à Ioanne à fel. record. Sixto V.
6 Neque obstat, † quòd non fuerit pronunciatum pro impugnatione, quo casu non prohibetur quis se iuuare ex actu impugnato, *Abb. & alij in cap. capitulum. de rescrip. Roman. in consil. 347. num. 7. Sarnen. in reg. de annali. quæst. 16. in fin. Mandos. allegat. quæst. 5.* quia hoc intelligendum est, quando quis in impugnatione succumbit, vel aliàs impugnatio non fuit habita pro bona, quia tunc ei nocere non debet; secus quando aliquo modo fuit pro bona & vera habita, & ita loquuntur Doctores allegati, & iste est casus noster, cum Ioannes ad euitandum molestias composuerit cum Camera. Secundo fuit responsum † non esse
7 locum allegationi Lapi, cum constet ex qua causa prædecessor possederit, *Caputaq. decis. 93. allegatio Lapi. lib. 1. in manuscript. vbi refert ita Rotam censuisse in vna Anconitana de anno 1553. mense Iunij corã Capisucco*; Ideo cũ constet ex qua causa Ioannes à principio possederit, non præsumitur alius titulus, *vt tradit Caputaq. decis. 93. lib. 1. in manuscript. & ita declarat Pute. decis. 360. Leo Decimus. lib. 1.* & quòd possederit ex causa custodiæ tantum, probant tertius & quartus testis. Neque obstat,
8 quòd † præsumptio, quæ oritur ex dicta allegatione sit iuris & de iure, quia nihilominus admittitur probatio in contrarium, licèt requiratur, vt sit concludens, *vt per Caputaq. decis. 26. part. 1. in impress.* hic verò cessat omnis difficultas, † ex quo habe-
9 mus confessionem Petri, quæ probatio solet admitti etiam contra præsumptionem iuris & de iure, *glos. in l. in contractibus. C. de non num. pec. quam communiter teneri tradit Couarr. de spõsal. part. 2. cap. 4. §. 1. num. 3.* Hæc verò confessio coadiuuatur ex alia confessione Ioannis, qui in supplicatione narrat factum extensè *Boss. in tit. de remed. ex sola clementia Princ. numer. 29.*
10 † & licèt confessio resignantis post cessionem non noceat resignatario, *Castren. in l. facta. §. si heres. ad Trebell. Caputaq. decis. 185. part. 1. cum alijs*, tamen fallit, vbi est adminiculata, *Achill. decis. 1. de confess.* Postremo facit allegatio tituli infecti facta per Petrum, qui vult niti allegatione Lapi, *Crescent. decis. vlt. de probation.* Quòd verò obijcitur de non probatione presbyteratus, euacuatur ex dictis testium deponentium de visu. Et ita conclusum pro Ferdinando.

*& fuit dictũ in Cremonen. pẽsion. 3. Decẽb. 1582. corã Cantuccio quæ in impr. inter nouiss. est 731. n. 20. part. 1.

Lucana Canonicatus.
Die Veneris 28. Februarij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Vt intret regula de non impetrando &c. sufficit sola supplicatio datata licet non registrata.*
2 *Supplicatio præsumitur porrecta à supplicante, qui sit præsens in curia.*
3 *Confessio facta in causa criminali præiudicat confitenti etiam in iudicio ciuili.*
4 *Regula de non impetrand. benefic. per obit. viuentium comprehendit etiam mandatum de prouidendo in forma dignum, secus in expectatiuis.*
5 *Iusta causa credendi obitum excusat ad effectum regulæ de non impetrando &c. & quando procedat.*
6 *Ad excusationem iustæ credulitatis requiritur saltem fama publica.*
7 *Litteris priuatorum nõ facilè creditur propter antidatam suspicionem.*

DE-

DECISIO CMLXXV.

1 FVit resolutum † regulam de non impe-
trando beneficia per obitum viuentium
habere locum in isto casu, cum verba ipsius
applicentur in omnibus & per omnia; Ale-
xander enim impetrauit hunc Canonicatũ
per obitum Nicolai tanquam defuncti, cum
tamen adhuc in humanis ageret; supplica-
tio enim datata est sub die 7. Februarij, Ni-
colaus verò decessit die 9. eiusdem mensis,
& sufficit sola supplicatio datata licèt non
registrata *Sarnen. quæst. 5. super hac regul.*
2 *Mandos. quæst. 9.* † eaq. præsumitur porre-
cta à supplicante, qui erat præsens in curia,
Guidobon. decis. 85. Peregrin. 278. lib. 2.
3 Sed hic cessat difficultas † ex confessione
ipsius Alexandri in causa criminali, in qua
factum explicitè narratur, eaq. probat etiã
in iudicio ciuili *l. 2. vbi Doctor. & Bald.*
num. 225. Alex. num. 28. Purpurat. circa
fin. Cagnol. num. 128. C. de edend. Non
4 obstat, † quòd versemur in mãdato de pro-
uidendo in forma dignum, *cap. si tibi absen-*
ti. de praben. in 6. Aegid. decis. 358. Sar-
nen. quæst. 4. quia verba regulæ compre-
hendunt etiam hunc casum, cum dicant,
si quis supplicauerit sibi prouideri, & sic
comprehendunt etiam mandatum de pro-
uidendo, in quo militat eadem ratio pro-
hibitionis; nec contrarium tenet *Sarnen. lo-*
co allegato, licèt enim dicat regulam non
habere locum in impetratione expectatiuę,
& postea dicat idem esse in mandato de
prouidendo, tamen hæc æquiparatio respi-
cit id, quod vltimo loco dixerat, per Expe-
ctatiuam non acquiri ius in re, sed tollit dif-
ficultatem differẽtia antiquæ regulæ & mo-
dernæ; quia regula, qua hodie vtimur, non
solum annullat prouisionem, sed & etiam
quamuis dispositionem, *vt considerat Mã-*
dos. in prohem. istius regulæ. Non obstat,
5 † quòd Alexander habuerit iustam causam
credendi Nicolaum obijsse attentis litteris
Vincentij Lippi; & ideo veniat excusandus,
vt per Rebuff. de reprobat. benefic. viuen. im-
petr. num. 52. in prax. benef. quia cum lit-
teræ fuerint scriptæ 31. Ianuarij, & non po-
tuissent recipi nisi de mense Februarij, &
supplicatio habeat datam de mense Ianua-
rij, non potest illarum prætextu excusari,
sed in omnem euentum debebat de hoc de-
fectu facere mentionem in secunda suppli-
catione, vt ibi tradit *Rebuff. nu. 53. & Sar-*
6 *nen. d. quæst. 5. latè Mandos. quæst. 4.* † &
ad effectum iustę credulitatis requiritur sal-
tem fama publica, *vt per eundem Rebuff.*
d. num. 53. Sarnen. quæst. 3. Anton. Au-
7 *gust. in Epitom. super hac regula*; † litte-
ris enim priuatorum non facilè credimus
propter auiditatæ suspicionem.

Ariminen. Castrorum.
Die Lunæ 2. Martij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Allegans falsam causam transactionis ad eam annullandam, falsitatem probare tenetur, qua euidens esse debet, & talis, qua si fuisset vera, arctaret ad ita contrahendum, & versari debet circa causam finalem, vt num. 3.*

2 *Falsitas causa probatur ostẽdendo rem aliter se habere.*

4 *Ante legitimam detrahuntur debita.*

5 *Ad effectum detrahendi legitimam attenditur tempus mortis, cum antea incertum sit, ad quam summam ascendere possit.*

6 *Præsumptio iuris est pro dote constituta per patrem.*

DECISIO CMLXXVI.

DEductæ fuerunt nonnullæ causæ, quas
informantes pro Illust. Domina Leo-
nida prætendebant esse falsas; ideoq. renũ-
ciationem, de qua agitur, tanquam ex tal-
sis causis factam non valere: Quare dubi-
tatum fuit, an constaret de harum causarum
1 falsitate, † in quo articulo tenetur Domi-
na Leonida, quæ agit ad annullandam trãs-
actionem probare falsitatem causarum
l. verum. de minorib. l. nam & postea. §. si
minor. de inreiurãd. Dec. in cons. 436. nu. 1.
maximè cum iurauerit omnia & singula
fuisse vera; *ad Doctores in l. fin. C. de nõ nu-*
mer. pec. Dec. in cons. 336. num. 9. cũ alijs
allegatis per Rimin. Iun. in cons. 551. nu. 5.
2 *lib. 5.* † quæ quidem probatur ostendendo
rem aliter se habere, *l. de ætate. §. fin. de*
interrog. action. l. cum de indebito. §. 1. de
probation. Cald. in consil. 1. de confess. Abb.
in cõsil. vlt. col. fin. lib. 2. Aym cõsil. 152.
3 *num. 8.* † Ista verò falsitas debet esse eui-
dens, *Alexãd. in l. qui Romæ. §. duo fra-*
tres. nu. 54. de verb. obligat. & versari circa
causam finalẽ, *Doctor. in l. damus. de condit.*
ob caus. Bart. in l. demonstratio falsa. §. qui
autem. num. 6. de cõdit. & demõstrat. & ta-
lis, quæ si fuisset vera, arctaret ad ita con-
trahendum, *Fulgos. in l. si cum te. num. 4.*
& Castr. num. 3. de pact. Socin. in cons. 159.
num. 22. lib. 2. & fuit aliàs coram me reso-
lutum in causa Prænestina transactionis de
*anno 1575.** Deueniendo itaque ad causas; * sub die 22. Nouẽb. 1575.
Prima est, quòd in transactione expressum
fuit pro parte Illustriss. Domini Marchionis
adesse in bonis Dominæ Cleopatræ matris
Leonidæ scuta tria millia per ipsam habita
pro dote, & scuta ducenta ex quodam lega-
to facto Dominæ Cleopatræ, per q. Domi-
num Antonellum eius patrem, & tamen ex
instrumento dotali apparet habita fuisse scu-
ta quinque millia pro dote & scuta ducen-
ta pro legato, necnon nonnulla bona mobi-
lia, suppellectilia, & gemmas, & partem

cuiusdam molendini, & quædam eredita de quibus nulla fuit facta mentio; Item in dicta hæreditate adfuisse ius petendi legitimā in bonis Antonelli, quæ prætenditur ad magnam summam ascendere, sed hæc causa non fuit habita per Dominos in consideratione, quia dos non fuit quinque millium scutorum, sed quinque millium ducatorum de carlenis, constituentium tria millia scuta in eirea, & in his erant computata vestes, & cætera mobilia, quæ temporis processu deteriorata, & minoris valoris effecta fuerunt; De alijs verò ducentum non fuit habita ratio, quia fuerunt consumpta pro legatis relictis pro Cleopatra. Quantum verò ad legitimam in bonis Antonelli, nihil iustificatur ex ea peruenisse, aut peruenire potuisse ad D. Marchionem, vltra quòd de ea nulla facta fuit mentio. Secunda causa est ea, quæ narratur legitimam D. Leonidæ in bonis Domini Iacobi patris non excedere scuta duomillia, attento quòd Dominus Iacobus erat pauper, & non habebat in bonis nisi valorem scutorū quindecimmillium, quæ tamen causa videtur falsa, cum ipse confessus fuerit se habere in redditibus scuta tria millia, quorum aliqua pars consistit in bonis iurisdictionalibus; sed huic obiectioni responsum fuit, intelligendam esse dictam assertionem paupertatis detractis debitis, prout ibidem exprimitur, &
4 est de iure; nam † ante legitimam detrahuntur debita. *l. Papinianus. §. de quarta. de inoffic. testamēt.* Præterea aderant tres aliæ filiæ, quæ non habebant bona materna; Vnde illis de maiori dote in bonis paternis
5 erat prouidendum: vltra quòd † ad effectū legitimæ attenditur tempus mortis, de quo incertum erat, ad quam summā esset ascēsura legitima, *l. cum quaeritur. C. de inoffic. testam.* & quòd adesset æs alienum, satis probari videtur, vltra quòd etiam contrarij probatio incumberet Dominæ Leonidę. Tertia causa est, quòd narratur Dominum Iacobum pro recuperatione Castrorum tot exposuisse, quòd parum plus dicta Castra valere poterant; sed neque hæc placuit Dominis; cum hactenus de valore Castrorum non constet, neque etiam de quantitate expensarum; maximè cum iste modus loquēdi, (che poco più può valere) vulgo sit in vsu ad ostendendum excessum expensarum; & est aduertendum, quod Marchio non restrinxit se ad expensas litis, sed habuit rationem omnium expensarum & laboris, & seruitij, & damnorum, & interesse, & aliorum, prout in transactione; quibus omnibus consideratis & computatis, potest constitui magna & considerabilis summa, quæ forsan æquaret valorem Castrorum, maximè cum respectu Rocchæ Frigidæ, expensæ saltem ascendant ad scuta duomillia, vt fatetur Cleopatra in legato, quod Iacobus remisit filiæ; respectu verò Montis Iani arguendo ab expensis Communitatis Cesenę, quæ erat rea & expendit scuta 4370. potest verisimiliter dici actorem expendisse vltra quinque millia in lite desuper agitata. Quarta causa, quæ deducitur, narratum fuisse Castrum Montis Iani fuisse suppositū liti in petitorio, licèt prætendatur falsa, tamen talis visa non est Dominis; licèt enim lis fuerit extincta per Motumpropriū fel. record. Pij Quinti, hæc tamen extinctio fuerat redacta ad viam iuris per fel. record. Gregorium Decimumtertium, qui commiserat causam in Camera, & hoc est, quod narratur in transactione, & dicta commissio fuerat præsentata, adeo quòd aderat penes iudicem iurisdictio procedendi in causa, licèt adhuc non fuisset citatus Dominus Iacobus, poterat enim citari, & de animo Communitatis procedendi in causa constat ex ordine dato Conseruatoribus de soluendo cautione pro Monte Iano; & de obligando conductores Gabellæ ad illum soluendum; Neque etiam falsum est, quòd dictū fuit, quòd potuisset forsan amitti Castrum, cum dubij sint litium euentus, *l. quod debetur. de pecul.* Quinta causa vltra prædictas allegata, quòd Dominus Iacobus pro omnibus dicit se dare dotem scutorum quatuordecimmillium, quæ tamen non est vera, cum quatuor millia data fuerint per Dominum Alexandrum; fuit per Dominos reseruata, vt de ea particulariter agatur, postquam fuerit probata in facto; nam hactenus de ea in actis non cōstat, vt pro parte Marchionis opponitur: Et hæc ita statuerunt Domini habita præsertim ratione
6 subiectæ materiæ, † cum simus in dote constituta per patrem, pro qua iura præsumunt, *vt post Castren. tradit Dec. in consil. 181. num. 5.*

Zamoren. Exemptionis Decimarum.
Die Veneris 6. Martij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Onera & expensa quando deseruiant ad probandam paupertatem monasterij.*
2 *Qualia onera, & quales expensæ sufficiāt ad probationem paupertatis monasterij.*
3 *Appellatione victus & vestitus, & aliarum necessitatum comprehenditur etiam habitatio, & alia, quæ non concernunt immediatè personā illius, cui victus debetur, quod tamen ex verisimili mente disponentis recipit interpretationem.*

DECISIO CMLXXVII.

1 QVantum ad primam partem dubij Domini censuerunt † probationē Monialium circa expensas esse coadiuuandam; Visa est enim debilis, & quòd non possit magnum adminiculum desumi

ex iuramento Abbatissæ, quia est pars principalis, & non agitur de modico præiudicio, cum expensæ, de quibus agitur, ascendant ad satis notabilem summam, & agitur de perpetuo præiudicio Capituli Zamorēsis, & testes non probant concludenter, quòd ista sint onera perpetua Monasterij, & etiam patiütur aliquas exceptiones quam-
2 nis leues: † Quæ verò expensæ sint deducendæ, præsupposita probatione pro sufficienti, Domini dixerunt distinguendum esse inter expensas, quæ concernunt Ecclesiam & seruitium ipsius, videlicet oleum, ceram, paramenta, & similia; necnon eas, quæ cōcernunt conseruationem bonorum monasterij, videlicet census, tributa, reparationes Ecclesiæ, & monasterij, & istæ omnes expensæ ueniunt deducendæ, quia non concernunt victum & vestitum monialium vel earum personas, vt considerat indultum fel. record. Gregorij Decimitertij. Aut loquimur de expensis Medicorum, Chirurgorum, medicamentorum, lignorum, carbonum, salariorum, & victus famulorum, & similes concernentes personas ipsarum monialium; & istæ non sunt deducendæ ex earum redditibus; & sufficit quòd eis non attentis, superfint pro qualibet moniali vigintiquinque ducati annui. Non obstat, quòd *ex notatis in l. victus. de verb. signif.*
3 † appellatione victus & vestitus, & aliarum necessitatum comprehendatur etiam habitatio, & alia, quæ non concernunt immediatè personam illius, cui victus debetur; quia ista recipiunt interpretationem à verisimili mente disponentis, quæ hoc casu videtur clara, cum loquatur pro sustentatione, & victu, & vestitu, & alijs necessitatibus, & suadetur etiam ex quantitate assignata, *Rebuff. in l. cætera. 44. de verb. signif.* Vnde omnibus expensis supradictis computatis, cum id quod superest, non sufficiat, indultum esse inutile, & non succurrere paupertati monialium, si nimis grauarentur, cum tollatur totalis illa exemptio ipsis concessa per Sixtum Quartum, & ideo expensæ illæ priori loco consideratæ omnino ueniunt deducendæ.

Parmen. Status.
Die Mercurij 6. Martij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium præsumptum est illud, quod ex præcedenti promissione per verba de futuro vel subarratione, vel anuli immissione, & subsequenti copula contractum fuit. quod ante Concilium Tridentinum habebat omnes effectus veri matrimonij ex iuris communis dispositione.*

2 *Stante matrimonio præsumpto, eoq. durante, si aliud verum contractum sit, secundum dicitur matrimonium de facto, & prima vxor matrimonij præsumpti dicitur vxor, non autem secunda.*

3 *Præsumptiones à iure approbatæ constituūt probationem sufficientem matrimonij ad effectum successionis; secus est, quando constat de malo initio, puta de concubinatu, vbi adest magna disparitas personarum, vt num. 7.*

4 *Quando non agitur de fœdere matrimonij principaliter, sed incidenter, & ad effectum successionis, sufficiunt præsumptiones, etiam si agatur de successione filiorum natorum ex legitimo matrimonio.*

5 *Vbi concurrunt plures præsumptiones à iure approbatæ, ex illis resultat plena & indubitata probatio.*

6 *Quod etiam procedit in aliquibus casibus in concursu plurium probationum hominis.*

8 *Fictio dicitur contraria veritati.*

DECISIO CMLXXVIII.

FVit dubitatum, an in casu, de quo agitur, nempe ad effectum successionis sufficiat matrimonium præsumptum, & an probetur tale matrimonium, quod dubiū, quamuis habeat duas partes, tamen causa non fuit discussa nisi super priori parte; Et licèt dubium sit conceptum de præsumpto matrimonio, tamen intelligendum non est in ea significatione, in qua Doctores Canonistæ capiunt matrimonium præsumptum,
1 † quod est illud, quod ex præcedenti promissione per verba de futuro vel subarratione, vel anuli immissione, & subsequenti copula contractum est, quod ex iuris communis dispositione ante Concilium Tridentinum habebat omnes effectus veri matrimonij, *vt per Præpos. in cap. 1. numer. 16. de sponsal. in cap. de illis. num. 2. & cap. is qui fidem. num. 1. & cap. veniens. num. 3. eod. tit. & cap. fin. num. 2. de coniug. lepros.* &
2 † ideo præcedente præsumpto, & eo durante, aliud contractum verè dicitur matrimonium de facto, & prima est vxor, non autem secunda, *d. cap. is qui fidem. num. 3.* sed est intelligendum de eo matrimonio, quod probatur per plures præsumptiones à iure approbatas, & ad eundem finem cōcurrentes, an scilicet possint constituere talem probationem, quæ sufficiat in casu isto, in quo expressè ad successionem vocantur filij masculi legitimi, & naturales, & de legitimo matrimonio procreati verè & non fictè: Et quidem pro parte Domi-
3 norum de Rangonibus † admittebatur, regulam esse pro affirmatiua, *ex glos. in cap. lator. qui fil. sint legit. quam sequitur Gemin. in cons. 27. quod pluries fuit per Rotam approbatum, veluti in causa Mediolanen. illegitimitatis de anno 1558.* * *coram bo. me. Domino de Rubeis, & in Cæsaraugustan.* * sub die u. Nouembr.

gustan. de Merata coram bon. mem. D. Bubalo, & in pluribus alys causis, ✝ quando
4 scilicet non agitur de foedere matrimonij principaliter, sed incidenter ad effectum successionis, & fuit doctrina Innoc. in cap. ex parte. num. 4. quem aly sequuntur de restit. spol. Bal. in l. filium eũ definimus. de his qui sunt sui vel al. iur. & tradit Peregrin. decis. 66. lib. 1. Pute. decis. 73. lib. 2. & in terminis vocationis filiorum natorum ex legitimo matrimonio Dec. in consil. 135. col. fin. Paris. consil. 13. num. 23. lib. 2. & similis erat substitutio in prædicta causa Mediolanen. neque ab hac opinione est recedendum, cum clara sit iuris conclusio, quòd
5 ✝ vbi concurrunt plures præsumptiones à iure approbatæ, tunc ex illis resultat plena & indubitata probatio, vt per Menoch. de præsumpt. lib. 1. quæst. 36. num. 3. & quæst.
6 38. num. 4. ✝ quod etiam procedit in aliquibus casibus in concursu plurium præsũptionum hominis, prout in quæst. 40. latè deducit, sed conabantur informantes cua-
7 dere regulam hanc ✝ limitando eam, vt non procedat, quando constat de malo initio, prout hic, in quo dicebant sumpsisse initiũ à concubinatu, vbi adest magna disparitas personarum, vt in casu isto; tamen quod attinet ad concubinatum, de eo non constat, sed solum de adulterio ex confessione Bernardini. His tamen non obstantibus, Domini dixerunt has circũstantias non facere, quin simus in casu regulæ, licèt faciant, vt plenior & efficacior requiratur, & ita procedunt allegata ex Socin. iun. in cõs. 86. nu. 26. lib. 2. & decis. Verall. 210. part 2. cum alÿs, non enim excludunt, quòd per plures & fortiores coniecturas non possit haberi concludens probatio, etiam concurrentibus istis qualitatibus, vt colligitur ex decis. Mohedan. 181. & Cbissanen. 57. & fuit visum in Veneta legitimitatis coram R. P. D. meo Pamphilio, in qua necesse fuit deuenire ad concursum circunstantiarum, ac præsumptionum pro habenda veritate; & licèt in ea fuerit pronunciatum pro non matrimonio, id fuit ex eo, quòd præualuerunt præsumptiones pro ista parte. Non obstant verba illa in fideicommisso apposita de legitimo matrimonio procreati verè & non fictè, quia fuerunt apposita ad excludendos legitimatos per subsequens matrimonium, vel per rescriptum Principis, non autem ad arctandum ad duriorem probationẽ, quàm sit ea quæ de iure admittitur, & per quam concluditur ad verum matrimonium & non ad fictum; cum
8 ✝ fictio sit veritati contraria. Cætera, quæ deducuntur per informantes, magis pertinent ad secundam partem dubij; scilicet an sit probatum tale matrimonium. Et ideo de his erit particulariter agendum.

Fauentina Bonorum.
Die Lunæ 9. Martij 1592.

SVMMARIVM.

1 Emptio celebrata nomine proprio acquirit dominium ementi, licèt ex pecunia alterius facta sit emptio.
2 Debitum clarum & liquidum per instrumentum, non extinguitur confusione per aditionem hæreditatis, ita vt in restitutione facienda non sit detrahendum.
3 Bona hæreditaria intelliguntur deducto ære alieno.
4 Retentio omnium bonorum non datur hæredi creditori, qui hæreditatem restituere tenetur, pro creditis illis, de quibus non liquet, ne interim faciat fructus suos, sed pro eis tantum, quæ sunt liquida aliquorum bonorum pro concurrenti quantitate datur retentio.

DECISIO CMLXXIX.

FVit resolutum dandam immissionem Dominis de Zannellis in bonis hæreditarijs Comitis Andreæ per Dariam promissis dictis Dominis de Zannellis, videlicet in prædio Portisani, & mobilibus, quæ constat fuisse in dicta hæreditate ex interdicto Saluiano, non autem in domuncula empta ex parte pecuniæ redactæ ex venditione domus hæreditariæ, cum Daria declarauerit velle dictum prædium in extinctionem sui
1 crediti dotalis, ✝ & dato etiam quòd pecunia hæreditaria esset, tamen cum emptio celebrata fuerit nomine proprio, dominiũ ei fuit acquisitum, iuxta text. in l. 2. C. pro soc. l. 2. C. si quis alter. vel sibi. Bart. in l. si patruus. C. comm. vtr. iud. Vnde teneretur tantum ad restitutionem pretij, quod tamen non venit restituendum, sed imputandum in causam dotis, quo nomine de-
2 bet dari retentio Accarisijs, ✝ cum debitum sit instrumentale & liquidum, quod per aditionem hæreditatis non fuit extinctum confusione, itaut in ista restitutione facienda non veniat detrahendum, iuxta tradita in l. debitori. C. de pact. maximè cũ promissio restitutionis sit facta de bonis hæ-
3 reditarijs, ✝ quæ intelliguntur deducto ære alieno: Neque in restitutione venit domus illa vendita, cum eius pretium cedat in extinctionem debiti dotis: Verum cum adhuc remaneant hæredes Dariæ creditores ratione residui dotis, Dominis placeret,
4 ✝ vt pro concurrenti quantitate daretur eis retentio alicuius partis bonorum, donec solutum fuerit dictum residuum tantum; nã de alijs prætensis creditis non liquet; neque pro eo debet dari omnium retentio, quia dispositio illa retentionis, vt retineat omnia, & faciat fructus suos interim, non potest sustineri, ex traditis per Bart. in l. 2. de his quæ pæn. nomin. & ei videtur renuncia-

tum per instrumẽtum promissionis factum Dominis de Zannellis. Et ita consultum erit vtrique parti.

Oscen. Canonicatus.
Die Lunæ 9. Martij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Regula & Breue loquens de beneficijs, de quibus disponitur per quoscunque ordinarios collatores, intelligi debet de Ordinario natiuo veluti Episcopo, non autem de inferioribus habentibus collationem vigore priuilegij, vel consuetudinis, aut concordia.*

2 *Ius conferendi Canonicatus & prabendas spectat ad Episcopũ & Capitulum simul & communiter, & num. 9.*

3 *Capitulum non potest dici Ordinarius collator, nec venit appellatione Ordinariorũ in materia odiosa; secus est in materia adaptabili, vt num. 6.*

4 *Concordia inter Episcopum & Capitulum per mortem Episcopi expirat, vt de communi; secus est, si facta fuerit sub nomine dignitatis, & successorum, vt num. 14.*

5 *Prouisio Capituli non impedit prouisionem Apostolicam, & illius exequutionem; secus si de iure Capituli doceatur.*

7 *Exceptio dicitur esse de regula, aliàs determinatio esset difformis.*

8 *Verbum, quoscunque; omnes comprehendit, & facit, quòd etiam ij comprehendantur, qui aliàs non comprehenderentur, concurrente maximè identitate rationis.*

10 *Capitulum in materia collationis Canonicatuum & prabendarum non venit appellatione inferioris collatoris.*

11 *Collatio facta in turno per Capitulum habetur, ac si coniunctim facta fuisset.*

12 *Per mortem Papa cessant omnes regula reseruatoria.*

13 *Exceptio oriens ex vẽtre breuis omnino admitti debet, nec potest denegari.*

15 *Obseruantia tribuit fidem scripturis, qua aliàs non sunt in forma probanti.*

16 *Ad sustinendam prouisionem per Capitulum factam, sufficit, quòd Episcopus non reclamauerit.*

DECISIO CMLXXX.

FEl. record. Gregorius Decimusquartus prouidit de hoc Canonicatu Domino Ludouico Vinto, prætextu quòd esset reseruatus vigore regulæ 8. per eum editæ, In qua reseruat suæ dispositioni omnia & singula beneficia reseruari solita, quæ à die obitus fel. record. Sixti Quinti Prædecessoris sui vsque ad diem assumptionis suæ Sanctitatis vacauerunt, & adhuc vacant, deq. illis per quoscunque Ordinarios collatores, vsque ad diem prædictæ assumptionis dispositum non fuerit; Vigore dictæ gratiæ obtinuit expediri litteras in forma Breuis de capienda possessione nomine Cameræ directas Auditori Cameræ, cum clausula, vt cõstito quòd Ioannes possessor de mẽse Octobris obijsset, & per Ordinarium collatorem vsque ad diem assumptionis suæ de eo minimè dispositum fuisset, corporalem possessionem apprehenderet, &c. Huius Breuis vigore processum fuit coram Auditore Cameræ, qui tulit sententiam declaratoriam contra Martinum de Santolaria prouisum à Capitulo Oscen. quod prætendit ex quadam concordia antiqua habere ius conferendi Canonicatus dictæ Ecclesiæ pro tempore vacantes. Ab hac sententia fuit appellatũ, & proposita in signatura Sanctissimi Domini Nostri commissione appellationis, fuit per eundem Sanctissimum Dominũ Nostrũ ordinatum, vt me adiuncto Dominus Auditor Cameræ videret, an esset locus exequutioni Breuis, & quatenus illi locus esset, vt ego procederem in causa appellationis; Ideo emanauit dubium, An sit locus exequutioni in casu, de quo agitur: Pro cuius resolutione discussum fuit, an exceptio Martini dicentis de hoc Canonicatu fuisse prouisum ante reseruationem Gregorij, sit legitima & probata, exhibuit autem prouisionem dicti Canonicatus sibi factam à Capitulo sub die 6. Nouembris 1590. quæ præcedit reseruationem per mensem, & instrumentum possessionis captæ 3. Decembris eiusdem anni; Necnon ad docendum de iure Capituli produxit quoddam transumptum statuti Ecclesiæ editi anno 1445. in quo cauetur, vt collationes & prouisiones Canonicatuum & præbendarum spectẽt ad Capitulum; produxit etiam nonnullas collationes per Capitulum factas, & dedit articulos ad probandam effectuationem, & obseruantiam, quæ tamen iura & testes non fuerunt admissi per Auditorem Cameræ, sed processum ad sententiam declaratoriã, de cuius exequutione agitur. Contra hæc iura plura opponebantur: Et primo, quòd
1 † tam regula quàm Breue requirens, quòd
nõ fuerit dispositum de beneficijs per quoscunque Ordinarios collatores, debent intelligi de Ordinario natiuo, veluti Episcopo, non autem de inferioribus habentibus collationem vigore priuilegij, consuetudinis vel concordiæ, quemadmodum dicitur
2 † ius conferendi Canonicatus & præbendas
in Cathedrali spectare ad Episcopum & Capitulum simul, *Cassad. decis. 22. de prabend.*
3 *Pute. decis. 20. eod. tit. cum alijs*, * † quòd
autem Capitulum non possit dici Ordinarius collator, *allegata fuit glos. in Clem. 2. in verb. volumus. de offic. Ordin. Federic. in consil. 291. glos. pragmat. sanction. tit. de collat. §. item quòd omnia. in verb. Ordinarius. Felin. in cap. cum olim. post princ. versic. & adde. de prascript. Sarnen. de triennal. quast. 37.*

* quibus adde Fräc. in c. à collatione de appellat. in 6. Abb. in c. cum Eccle sia Vulterrana post nu. 2. de electione.

quaest. 37. Secundo dicebatur concordiam
esse limitatam ad præbendas vacantes in
certis mensibus, nempe in quatuor mensi-
bus Ordinariorum, inter quos nõ est Octo-
ber. Tertio, quòd ista concordia seu sta-
tutum non est in forma probanti. Quarto
concordiam illam non esse confirmatam,
4 † ideo expirasse morte tunc temporis Epi-
scopi, *cap. venient. de transact. in glos. in
verb. confirmatum. Doctores communiter
in cap. cum venissent. de instit. Rota decis.* 1.
de locat. in nou. Put. decis. 181. *lib.* 1. Quin-
to deducebatur Gregorium in prouisione
declarasse se intelligere de solius Episcopi
dispositione; ideo non intrare inferiorum
collationem. His tamen non obstantibus,
Domini censuerunt non esse locum exequu-
tioni Breuis, sed esse procedendum in cau-
sa appellationis, cum in actis constet de
prouisione Capituli, quæ præcedit reserua-
5 tionem, † quæ licèt per se, si nihil aliud do-
ceretur, non impediret exequutionem lit-
terarum Apostolicarum, *vt per Sarnen. in
allegata quaest.* 37. *de triennal.* tamen cum
doceatur de iure Capituli, contrarium esse
statuendum. Neque obstare in contrarium
6 allegata; Et primo, quòd † appellatione
Ordinariorum non veniant inferiores; quia
id procedit in materia odiosa, vbi potest
dari concursus Ordinarij & extraordinarij
collatoris, prout in indultis supra inductis,
sed in materia adaptabili inferioribus col-
latoribus ipsi veniũt Ordinariorum appel-
latione, *Gemin. in cap. Ordinarij* §. 1. *n.* 5.
de offic. Ordin. in 6. *& ibi Ioan. Monach.
num.* 1. *&* 2. *Franc. num.* 3. *Abb. in cap.
post cessionem. in primo notab. de praeben. vbi
Aretin. num.* 1. *Dec. num.* 1. *Alciat. in
rubr. de offic. Ordin. num.* 5. *Goffred in sũm.
de offic. Ordin. Barbat. in cap. cum contin-
gat. num.* 2. *de for. compet. Hostien. in
summa, de offic. Ordin. num.* 2. *cum alijs co-
ram me allegatis in Salamãtina Iurisdictio-
nis* 23. *Octobris* 1579. Secundo videtur tol-
lere omnem difficultatem, quòd cum Papa
in dicta regula reseruet omnia & singula be-
neficia reseruari solita & consueta, inter
quæ continentur etiam ea, quæ ad inferio-
rum collationem pertinent, vt probatur ex
regula reseruatoria mensium, necesse est, vt
in ea parte, in qua excipit ea, de quibus per
Ordinarios collatores fuerit dispositum,
comprehendantur omnes etiam inferiores,
7 † vt exceptio dicatur esse de regula, aliàs
determinatio esset difformis contra regulã
l. iam hoc iure. de vulg. & pupill. quod tã-
to magis est hoc casu dicendum, cum adsit
8 † clausula quoscunque ordinarios collato-
res, quæ omnes comprehendit, *Dec. in cõ-
sil.* 529. *num.* 2. quæ facit, vt etiam ij com-
præhendantur, qui aliàs non compræhen-
derentur, *vt tradit idem Dec. in consil.* 113.
num. 4. & etiam concurrit rationis identi-
tas in vtrisque tam ordinarijs quàm extra-
ordinarijs; cum Papa non censeatur velle
ius alteri quæsitum tollere. Tertio facit,
9 quòd † in ista materia prouisionis Cano-
nicatuum ea spectat communiter ad Epi-
10 scopum & Capitulum, † neque inferioris
appellatione censendum esse Capitulum, ad
*glos. in cap. cum Ecclesia Vulterrana. & ibi
Abb. num.* 8. *de election. Cassad. d. decis.*
22. *num.* 2. *de praebend.* & possunt inter se
diuidere exercitium huius iuris, vt alterna-
tim conferant, vel vnus vnum genus bene-
11 ficiorum, alter alterum. Vnde † collatio
in turno facta perinde habetur, ac si con-
iunctim facta fuisset, *ad notat. per Bart. in
l. inter tutores. num.* 6. *de admin. tut. & fuit
dictum de anno praeterito in vna beneficiatus
Sancti Petri coram R. P. D. meo Gypsio.* a
Non obstat, quòd dicitur concordiam esse
limitatam ad certos menses, quia contra-
rium clarè legitur in ea. Neque obstat cõ-
fessio ex aduerso ponderata, quia non est
limitata, neque facta per modum taxatiuũ,
sed ita ferebat tunc occasio, cum Capitu-
lum propter reseruationem octo mensium
haberet tũc facultatem prouidendi in qua-
tuor mensibus tantum; in casu verò isto per
12 † mortem fel. record. Sixti & Vrbani ces-
sabant regulæ & earum reseruationes. Non
obstat, quod dicitur, non probari conclu-
denter istam conuentionem seu statutum,
ex quo non est in forma probanti, quia in
hoc Auditor Cameræ grauauit Martinũ, ex
quo non admisit eum ad tunc probandũ suã
13 exceptionem, † quæ omnino admittenda
erat, cum oriretur ex ventre ipsius Breuis,
Bart. in l. 1. §. *& parui. num.* 5. *quod vi
aut clam. Cassad. decis.* 10. *de reseruation.
num.* 2. *Fab. decis.* 36. *lib.* 1. *Sarnen. in com-
pend. signat. num.* 84. maximè cum hoc in-
strumentum fuisset formiter productum, &
verificabatur ex formali extractione, & pro-
ductione de eo facta in alia causa Oscen. Iu-
risdictionis in Rota pendente, & in omnem
euentum debebat concedere dilationem ad
illud formiter extrahendum. Neque ob-
stat, quòd, cum dicta concordia non fuerit
confirmata, expirauerit morte illius Epi-
14 scopi, cum quo fuit inita, † quia prædicta
concordia fuit facta nomine dignitatis, &
successorum; ideo potuit à successoribus
obseruari, prout de obseruantia hoc casu
datur maximum argumentum, quòd in
hac eadem vacatione, cum vacarent simul
ex eiusdem persona dignitas & Canonica-
tus, Episcopus prouidit de dignitate, Capi-
tulum verò de Canonicatu, & dati fuerant
etiam articuli ad probandam obseruantiã,
15 qui erant admittendi, † cum ex ea tri-
buatur fides scripturis, quæ aliàs non sunt
in forma probanti, *vt per Bald. in cons.* 400.
16 *lib.* 4. *Aym. consil.* 101. *num.* 4. † sed satis
est, quòd Episcopus non reclamauerit, ad

a sub die 2. Decemb. 159[?].

hoc vt sustineatur prouisio Capituli, *vt per Pute. decis. 21. de prabend.* Vltimo non obstat, quod dicitur de declaratione Papæ, quòd intellexerit de solis Episcopis, quia est pars narratiuæ ipsius partis, quæ regitur ab illa clausula tibi asserenti, vltra quòd loquitur de loci Ordinario seu Capitulo solum, quæ verba non restringunt se ad solum Episcopum, sed comprehendunt etiam Ordinarium, cui conuenit interpretatio supra ex sententia Doctorum & rationis identitate data. Et ita conclusum, vt suspenso articulo exequutiuo, procedatur in causa appellationis.

Romana Secretariatus.
Die Veneris 10. Aprilis 1592.

SVMMARIVM.

1 *Confirmatio Papa propter defectum intentionis nihil operatur, licèt rescriptum fuerit ex certa scientia.*
2 *Confirmatio Papa non potest verè dici ex certa scientia, licèt in ea sit apposita clausula ex certa scientia, nisi totus tenor tunc Papa innotuerit, & insertus fuerit.*
3 *Sententia lata in contumaciam habet in se ex sui natura tacitam resolutionem, si infra tempus condemnatus non comparuerit, & contumaciam purgauerit.*
4 *Confirmatio sententia lata in contumaciam recipit eandem conditionem, quam recipit sententia.*
5 *Confirmationis natura est addere tantum robur confirmato respectu iuris, non autem factum alterat, vel extendit.*
6 *Mulcta non parit capitis diminutionem.*
7 *Clausula in confirmatione posita non operantur in ijs, qua sunt facti, sed in ijs, qua sunt iuris tantum.*
8 *Clausula quorum tenores nullam habet efficaciam, quoties Papa, si sciuisset defectus, non ita rescripsisset.*

DECISIO CMLXXXI.

FVit dubitatum, An sententia Gubernatoris possit sustineri ex confirmationibus contentis in litteris Motus proprij fel. record. Gregorij Decimitertij in casu & ad effectum, de quo agitur, & causa per omnes Dominos discussa, fuit nemine discrepante resolutum ex duobus potissimum non posse sustineri: Et primo, quia cum Papa clarè non intellexerit defectus, qui inerant sententiæ, de qua agebatur, neque etiam intellexerit præiudicium, quod inferebatur filijs Domini Cæsaris,
1 † huiusmodi confirmatio tanquam laborans defectu intentionis nihil operatur, quamuis rescriptum fuerit ex certa scientia, *vt tradit Castren. in consil. 84. num. 4. lib. 2. quem refert & sequitur Alexand. in consil. 122. n. 25. & ibi Addit. in littera A. lib. 4.* quod tanto magis dicendum est in casu isto, in quo actorum extentio & insertio in litteris facta est nuperrimè in expeditione facta sub forma, rationi congruit, longè post obitum Gregorij, quæ non potest retrotrahi ad inducendam scientiam contentorum in tertij præiudicium, *& Rota aliàs in causa Calciaten. Iurisdictionis coram bon. mem. Decano de Rubeis 16. Ianuarij 1587. & postea*
2 *coram me** *resoluit*, † confirmationem non posse verè dici ex certa scientia non obstante appositione dictæ clausulæ, nisi totus tenor tunc Papæ innotuerit, & insertus fuerit, *Ferret. in consil. 38. num. 5. Dec. in consil. 33. num. 5. Gozad. consil. 9. num. 38.* Se-
3 cundo † cum sententia ista Gubernatoris haberet in se ex sui natura tacitam resolutionem, si infra tempus condemnatus comparuisset, prout & comparuit, & contumaciam purgauit, *vt per Felin. & Dec. in cap. ex litteris. num. 12. & 17. de constitution. Achill. decis. 132. in impress. sub tit. de dol. & contumac. & fuit in pluribus causis in*
4 *Rota resolutum*, [a] † vtique eandem quoque
5 conditionem recipit confirmatio, † cuius natura est addere tantum robur confirmato respectu iuris, non autem factum alterare vel extendere, *l. Aurelius. §. ex testamento. de liber. leg. Bald. in l. aduersus. in fin. C. si aduers. rem iudic. & in l. nominationes. in fin. C. de appellat. Alex. in dicto consil. 122. num. 20. lib. 4. Ruin. consil. 17. num. 10. & consil. 158. num. 16. lib. 1. & consil. 111. num. 18. lib. 5. Aym. consil. 257. num. 4.* & hæc tanto magis procedunt, quia cum prætendatur pro parte Collegij hanc sententiam fuisse latam in mulctam contumaciæ non autem ratione delicti, apertissimè redditur iniusta confirmatio, si alium intellectum sequamur, cum Papa præsupponat factum fuisse locum suppressioni officij; Ideoq. in exequutione Bullæ Innocentij Octaui illud supprimit, & applicat Collegio, & tamen non erat factus locus suppressioni, cum Cæsar neque cessisset, neque decessisset, neque ciuiliter esset mortuus, quia fuerat tantum mulctatus in summam
6 quinquagintamillium ducatorum, † quæ mulcta non parit capitis diminutionem, & hæc omnia vltra præiudicium ignoratum filiorum, quod supra deductum est; ex quibus clarè constat de defectu intentionis, ad *Bellamer. decis. 392. & 473. Sarnen. de iur. quas. non toll. quæst. 1. & fuit resolutum* [b] *in vna Barchinonen. Collegij. 3. Aprilis 1573. coram Sanctissimo Domino Nostro* [c] *plura congerit Rimin. iun. consil. 45. num. 33. lib. 1.* Non obstant aliæ clausulæ per informantes ponderatæ, quia eodem modo
7 tolluntur, † cum non operentur in ijs, quæ sunt facti, sed in his, quæ sunt iuris tantum, *vltra alios Socin. in consil. 164. nu. 7. lib. 2.*

Fer-

* In ead. Calciaten. sub die 13. Apr. 1589 num. 4.

a præsertim sup. in Cameratu Castelli de Nationis 16. Decemb. 1579. n. 9. & 11. & in hac eadem causa bis ... sub die 10 Nouemb. 1587. ... 11. & 17. Feb. ... & ... 1587. ... coram ... Castelli Angeli.

b & in hac ead. causa 10 Nouemb. ... num. 11.

c coram S. D. N. Clem. ... Rot. ... 451. ...

8 *Ferret. consil.* 32. *num.* 52. & † clausulæ, quorum tenores, nullam habet efficaciam, quoties Papa, si sciuisset defectus, non ita rescripsisset, *Paris. in consil.* 74. *numer.* 55. *lib.* 4. *Pute. decis.* 51. *tit. de prebend.* Sed & omnem prorsus difficultatem tollit, quòd D. Cæsar postea comparuit, & ex rescripto Principis admissus fuit ad defensionem, & retractata ac reuocata fuerũt gesta per Gubernatorem per sententiam Auditoris Cameræ, quæ transitum fecit in iudicatum: Vnde conclusum præfatam sententiam Gubernatoris, neque simpliciter, neque ad effectum, de quo agitur, sustineri posse ex prædictis confirmationibus.

Conchen. Erectionis.
Die Lunæ 13. Aprilis 1592.

SVMMARIVM.

1 *Applicatio facta fabrica alicuius Ecclesia de bonis locorum depopulatorum, in quibus Ecclesia desierunt esse in rerum natura, facta pro dote necessaria beneficij tam erecti quàm erigendi, & pro augmento cultus diuini non cadit sub regula reuocatoria vnionum; maximè si aliquod corpus beneficij non extinguatur, & alteri applicetur, nec in aliquo ius conferendi ladatur.*

2 *Pracipua causa regula reuocatoria vnionum fuit, ne facultas iurisconferendi ladatur.*

DECISIO CMLXXXII.

1 DOmini vnanimiter censuerunt † vnionem, de qua agitur, non cadere sub regula reuocatoria vnionum, ex quo applicatio ista bonorum Fabricæ locorum depopulatorum fit pro dote necessaria beneficij erigendi, & pro augmento cultus diuini, *Mohedan. decis.* 145. *Crescen. decis.* 116. & 141. *aliàs* 1. & 3. *de paroch. Fab.* 5. *lib.* 1. *Pute. decis.* 341. *lib.* 2. *Achill. decis.* 397. *Verall. decis.* 389. *lib.* 1. *in manuscriptis. Tanus decis.* 43. *Anto. Aug. in reg. reuocat. vnion. num.* 1. & 2. Neque procedit solum in vnione pro beneficio erecto, sed etiam in ea, quæ fit in ipsa beneficij erectione, prout expressè loquitur *dicta decis.* 116. & 141. *Crescentij*, vt patet ex earum lectura, & *ex decis.* 138. in qua narratur factũ illius causæ. Confirmatur ex eo, quòd cum gratia erectionis non expirauerit, vt fuit resolutum, * consequens est, vt non expirauerit vnio, quæ venit in necessariã consequentiam, cum sit dos omnino necessaria: Præterea rationes consideratæ *in d. decis.* 141. hic militant, cum hic non extinguatur ª aliquod corpus beneficij, & alteri applicetur, nec etiam bona alicuius beneficij, ita

2 † quòd in nullo læditur facultas conferendi, quæ fuit præcipua causa regulæ reuocatoriæ, sed tantum applicantur bona fabricarum locorum depopulatorum vacantia, in quibus Ecclesiæ desierunt esse in rerum natura, quæ essent conuertenda in vsum fabricæ earundem Ecclesiarum, si extarent, & non essent dirutæ.

* sub die Lunæ 15. Decembris anni præteriti, cuius resolutionis verba sunt hæc, Gratiã Petri nõ expirasse.

ª alij habẽt, distinguatur

Elnen. Sacristiæ.
Die Veneris 17. Aprilis 1592.

SVMMARIVM.

1 *Possessio præsumitur continuata, nisi cõstet, quòd fuerit interrupta.*

2 *Ad effectum, vt intret regula de annali, sufficit, quòd infra sex menses à die impetrationis impetrans non citauerit, licèt causam infra annum à die citationis expediuerit.*

3 *Sola detentio beneficij sufficit ad effectum regula de annali.*

4 *Regula de annali non defendit eum, de cuius non titulo notoriè constat.*

5 *Propter non dimissionem beneficij, quod quis ex decreto infra certum tempus dimittere tenebatur, non potest dici constare de non titulo, cum potuerit prorogatio obtineri.*

6 *Non potest dici constare de non titulo, quãdiu potest doceri de contrario.*

7 *Ad effectum quòd dicatur constare de non iure, requiritur confessio, vel res iudicata.*

8 *Ad derogationem regula de annali requiritur expressa derogatio.*

9 *De non titulo nõ potest dici cõstare per rem iudicatam, quando non est clara & indubitata, sed contra eam opponantur multa releuantia.*

10 *Regula de annali dicitur habere oculos retro, cum annullet omnia gesta non seruata illius forma.*

11 *Per recusationem iudicis, & appellationem ab vlteriori processu, sententia redditur nulla.*

12 *Possessio tradita infra terminum ad appellandum est attentata.*

13 *Pendente termino ad appellandum nõ currunt fatalia.*

14 *Commissio causa restitutionis omnia reponit in pristinum statum.*

DECISIO CMLXXXIII.

FVit resolutum in casu isto regulam de annali in secunda parte locum habere, cum non appareat ei fuisse in gratia Stephani derogatum; Nam constat de possessione Ioãnis per annum & vltra ante impetrationem Stephani ex instrumento possessionis Ioannis 21. Maij 1587. Impetratio verò Stephani fuit 18. Septembris 1588.

1 † & possessio præsumitur continuata, nisi constet de interruptione, & quod tollit difficultatem, Stephanus in suis litteris fate-

tur possessionem seu detentationem Ioan-
2 nis per Annum & vltra: † Tenebatur ita-
que Stephanus infra sex menses à die impe-
trationis vocare in iudicium Ioannem, &
à die citationis infra annum curare causæ
expeditionem, quod non fecit, licèt can-
sam infra annum à die citationis expedi-
uerit, tamen infra sex menses à die impe-
trationis Ioannem citari non fecit, & hoc
sufficit, vt intret regula, *Sarnen. de Annal.*
3 *quæst. 50. cum alijs allegatis*, * † & sufficit
detentio, *vt fuit resolutum coram Illustris-
simo Cardinali Plato in vna Calciaten. Sebo
lastria de mense Maij* 1588. Non obstat,
4 quòd † regula non defendat eum, de cuius
non titulo notoriè constat, *Sarnen. ibidem*
5 *q. 51. Put. decis. 200. in fi. lib. 1.* quia † non
potest dici cõstare de non titulo Ioannis ex
eo, quòd non dimisit beneficium, quod di-
mittere tenebatur ex decreto intra certum
tempus, cum potuerit obtinuisse proroga-
6 tionem temporis; ideo † non dicitur con-
stare de non titulo, quamdiu potest doceri
de contrario, *Aegid. decis. 103. cum simi-
7 libus.* & passim Rota † ad hunc effectum
requirit, quòd constet de non iure per con-
fessionem vel per rem iudicatam. Neque
obstat, quòd censeatur derogatum regulæ,
ex quo facta est in gratia mentio Annalis
8 possessionis, † quia requiritur expressa de-
rogatio, eo magis, quòd derogatum fuit
in ea limitatè quãtum ad primam partem.
Neque obstat, quòd constet de non titulo
9 Ioannis per rẽ iudicatã; † quoniã hoc posset
procedere, si haberemus rem iudicatã, cla-
ram & indubitatã, sed contra hanc rem iu-
dicatam multa releuantissima opponuntur;
10 Primo quòd est nulla stante regula, † quæ
habet, vt dici solet, oculos retro, & annul-
lat omnia gesta non seruata illius forma,
Cassad. decis. 12. super regul. Secundo vi-
11 detur † nulla stante recusatione, & appel-
latione ab vlteriori processu, *cap. cum spe-
12 ciali. de appellation.* Tertio † videntur ad-
esse attentata cum nullitate, ex quo tradi-
ta fuit possessio infra duos dies à die sentẽ-
tiæ, & sic infra terminum ad appellandum,
& fuit introductum iudicium attentatorũ,
13 † quo pendente non currunt fatalia, *Rota
decis. 15. de appell. in nou.* Vltimo fuit cõmis-
14 sa causa restitutionis, † quæ reponit omnia
in pristinũ statũ. Quibus stãtibus conclusũ
fuit intrare regulã, neq; adesse rẽ iudicatã.

* Rebuff. in prax. benef. sup reg. de annal. glos. 4 in verb. tũc per annũ & in Addit. ad regul. & glos. 5. in verb. immediatè præcedentem kl 2. dos. q. 29. & Caputaq. decal. 32.

Romana Census.
Die Veneris 24. Aprilis 1592.

SVMMARIVM.

1. *In adiudicatione facienda à Iudice requiritur subbastatio, & in subsidium non inuento emptore bona creditori adiudicantur pro iusto pretio.*
2. *Sententia, quæ adiudicat rem pro quantitate debita, & pro concurrenti quantitate, intelligi debet pro iusta æstimatione, non autem in solutum.*
3. *Sententia recipit semper interpretationem, vt dicatur lata, prout de iure ferri debet.*
4. *Ex spatio temporis præsumitur subbastatio, & cætera, quæ ad perfectam adiudicationem requiruntur, quod tamen procedit, si concurrat obseruantia pacifica, aliàs secus.*
5. *Subbastatio non requiritur, quando datur res insolutum, quæ minus valet, quàm sit debitum.*

DECISIO CMLXXXIV.

FVit dubitatum, an constet de sufficien-
ti adiudicatione Castri Riani in casu,
& ad effectum, de quo agitur, & Domini
censuerunt ex allegatis satis de ea sufficiẽ-
ter non constare: Regula enim est, quòd in
1 † adiudicatione facienda à Iudice requiri-
tur subhastatio, & in subsidium non inuen-
to emptore adiudicãtur bona creditori pro
iusto pretio, *l. ordo. & ibi Salicet. in princ.
C. de exequut. rei iudic. l. à Diuo Pio. §. si
pignora. & ibi Doctor. de re iudic. Put. de-
cis. 252. lib. 1. Afflict. decis. 358. numer. 5.
cum alijs.* * Cum itaque in sententia dica-
2 tur, quòd † adiudicatio sit Thadæo & Ale-
xandro pro summis & quãtitatibus eis de-
bitis, & pro concurrenti quantitate, hæc
verba solum important, vt pro iusta æsti-
matione non autem insolutum pro debito
3 facta censeatur; quia †, sententia semper
recipit interpretationem, vt dicatur lata,
prout ferri de iure debebat; quòd confirma-
tur, ex quo in eadem sententia iudex con-
cedit Claudiæ idem Castrum in pignus, &
loco pignoris dotalis, cum licentia ingre-
diendi ad tenendum, possidendum, & fruẽ-
dum, & aliàs iuxta formam instrumenti do-
talis disponendum, quod ostendit Castrum
non fuisse in totum datum in solutum Tha-
dæo & Alexandro, qui erant potiores & an-
4 teriores. Non obstat, quòd † ex spatio tẽ-
poris præsumatur subhastatio, & cætera,
quæ ad perfectam adiudicationem requirũ-
tur, *Afflict. decis. 178. num. 5. & 368. nu.
2. Ancharan. in consil. 40. cum deductis co-
ram me in vna Romana de Ioachinis. 25.
Octobris 1574.* quia hoc procedit vbi con-
currit obseruantia pacifica, quæ hic non
adest, stante lite per tot annos continuata.
5 Non obstat etiam, quòd † non requiratur
subhastatio, quando res data in solutum
minus valet, *Paul. in l. à Diuo Pio. §. si pi-
gnora. de re iudic. Put. decis. 252. lib. 2.* quia
hæc limitatio in facto non applicatur, cum
non constet de vero valore Castri de illo tẽ-
pore, & vidimus paucis interpositis annis
eius pretium semper creuisse, & colligitur
etiam ex commissione causæ rescissionis
per RR. Monachos Sancti Pauli ex capite

* & habuisse de practica ponitur p Io. cun. c. dis. 2. n. 4. vers pr. di... lum. 4. & facit l. 2. C si causa iudic. pign. capt. fu.

cnor-

enormissimæ læsionis. Neque postremo obstat resolutio facta in hac causa aliàs corã me *, quia immo facit in contrarium, dum in ea dicitur adiudicationem fuisse factam pro summa trigintaduorummillium ducatorum, quo casu non præiudicabatur alijs creditoribus, si Castrum erat maioris valoris. Quare conclusum adiudicationem nõ fuisse sufficientem ad effectum, vt Domini de Sylverijs exclusi censeantur.

*sub die Lunæ 21. April. 1578.

Dubium Sacræ Congregationis Concilij.
Die Lunæ 27. Aprilis 1592.

SVMMARIVM.

1 *Abbates regulares, qui habent facultatem conferendi tonsuram, & ordines minores regularibus sibi subditis, non possunt conferre personis secularibus, licet habentibus litteras dimissorias à suis Ordinarijs, ante tamen Concilij Tridentini dispositionem saltem vsque ad Lectoratum Abbates ex priuilegio Apostolico habentes iura Episcopalia poterant, dummodo in eos iurisdictionem obtinerent, & num. 5. & 8.*

2 *Abbates non possunt litteras dimissorias clericis secularibus suæ iurisdictionis, vt ab alijs ordinentur, concedere, sed tantum pro regularibus sibi subditis possunt.*

3 *Eiusdem potestatis est ordinare, & litteras dimissorias concedere.*

4 *Ordinatio Clericorum secularium ad solos tantum Episcopos pertinet.*

6 *Papa non potest dare licentiam ei, qui non est ordinatus, conferendi ordines sacros, quia nemo dat id, quod non habet.*

7 *Licentia audiendi confessiones nõ potest demandari personæ, quæ non sit idonea, & quæ potestatem audiendi non habeat.*

9 *Sublato antecedenti necessario sublatum etiã censetur consequẽs ex eo prouenientis.*

DECISIO CMLXXXV.

FVit mihi iniunctum ab Illustrissimo & Reuerendiss. Domino meo Cardinali Matthæio de ordine Sanctissimi Domini Nostri, vt sequens dubium proponerem
1 in Rota, † An Abbates, qui habent facultatem conferendi tonsuram vel minores ordines subditis sibi regularibus, possint stante decreto Concilij Tridentini *cap. 10. sess. 23.* tonsuram ac minores ordines conferre personis secularibus habentibus litteras dimissorias à suis Ordinarijs, & re maturè discussa Domini ierunt in sententiam negatiuam, vt non possint: Quamuis enim de iure communi ante Concilij dispositionem Abbates ex priuilegio Apostolico habentes iura Episcopalia possent conferre primam tonsuram, & etiam ordines minores saltẽ vsque ad Lectoratum, *ex sententia glos. in cap. Abbates. in verb. tonsuram. de priuileg. in 6.* non solum monachis & conuersis suis, sed etiam puris laicis nec conuersis nec cõuertendis, dummodo in eos Episcopalem iurisdictionem obtinerent, *vt per illum textum tradit glos. in d. cap. Abbates. in verb. quasi Episcopalem, & post Guid. & Archidiac. confirmat Turrecrem. in cap. quoniam. num. 6. distin. 69. cui sententiæ accedit Innoc. in rubr. de cler. peregr. num. 3. Angel. Clauas. in summ. in verb. ordo secundo. post Ioan. Andr. & Butr. in cap. cum contingat. de ætat. & qualit.* Tamen Concilium restringere voluit hanc facultatem ad regulares subditos tantum, vt in his solis liceat Abbatibus quantumuis exemptis tonsuram vel minores ordines conferre; & quamuis verba sint clara, itaut nulla comprobatione indigere videantur; potest nihilominus hæc sententia confirmari ex eo, quòd in eo-
2 dem loco prohibetur, † ne ab Abbatibus litteræ dimissoriæ aliquibus clericis secularibus, vt ab alijs ordinentur, concedan-
3 tur, † cum enim eiusdem sit potestatis ordinare vel litteras dimissorias concedere, *cap. 1. distin. 71.* satis apparet eis adimi facultatem dandi dimissorias, quia neque
4 etiam ordinare possunt, † & ideo denegatur eis hæc facultas respectu clericorum secularium tantum, quorum ordinationem ad solos Episcopos vult pertinere; & hoc probabiliter ea ratione, quia noluit religiosos vacare alijs negotijs præter ea, quæ ad eorum religionem pertinent, & quia fortè multi his facultatibus abutebantur in præiudicium Episcopalis dignitatis, ad quam solam de iure spectat ius ordinãdi suos sub-
5 ditos, *cap. nullus. de tempor. ordin.* † Hinc sequitur Abbates nõ posse subditos alienos etiam cum dimissorijs proprij Episcopi or-
6 dinare; nam † quemadmodum Papa non potest dare licentiam ei, qui ordinatus non est, conferendi ordines sacros, *vt tradit Innocẽt. in. cap. quanto. de consuetud.* cum nemo det id, quod non habet, ita neque per dimissorias suas potest Episcopus dare facultatem ei, qui ea facultate ex dispositione Concilij caret, prout etiam videmus, quòd consecratio suffraganei ab Archiepiscopo committi debet ei, qui aliàs eius muneris obeundi sit capax, *cap. quod sedem. de offic. Ordin. & ibi Doctor.* & similiter au-
7 dientia † confessionis potest demandari ab inferiori à Papa, dummodo personæ idoneæ, & potestatem audiendi confessiones habenti demandetur, *vt tradit Stephan. de Gaeta. in repet. cap. ad limina. §. 5. num. 257. quæst. 1.* Quod eo magis in hoc decreto Conciliari statuendum est, cum veniat addendo & immutando respectiuè dispositionem iuris communis, vt patet ex illis verbis non liceat in posterum, cum itaque ex iuris communis dispositione ipsi Episcopo non liceret alienum subditum ordinare

fine

ſine dimiſſorijs, *d. cap. nullus Epiſcopus, de tempor. ordin.* videretur ſuperflua hæc prohibitio Concilij reſpectu non ſubditorum, niſi intelligeremus eam etiam in caſu, in quo ordinandi haberent litteras dimiſſorias; Ideoq. concludendum eſt ex mente
8 Concilij, † neque etiam licere cum dimiſſorijs ordinare, ex quo ſublata eſt præciſè & abſolutè facultas Abbatibus conferendi ordines, præterquam regularibus eis ſub-
9 ditis; nam † ſublato antecedenti, neceſſario ſublatum etiam cenſetur conſequens ex eo proueniens, *ut per Bald. in l. conuenticula. num. 3. verſ. item argumentum à remotione generis. C. de Epiſc. & Cler. & in l. 1. num. 11. C. de fideicommiſſ.* hocq. eſt dicendum omnino, ne incidamus in abſurdum, quòd licentia inferioris tollat inhabilitatem prouenientem ex lege ſuperioris, *cap. cum inferior. de maiorit. & obedient. cap. inferior. diſtinct. 21. cum ſimilib.* Et ita conclusum ſalua ſemper Sanctiſſ. D. N. determinatione.

Romana Viridarij.
Die Veneris 15. Maij 1592.

S V M M A R I V M.

1 *Melioramenta facta in ſpallerijs ex mirto, melangolis, roſis, roſmarino, cedris, & ſimilibus, ſunt reficienda, ſi de certo corpore eorum conſtet.*
Idem eſt de reſtauratione facta circa aliqua ædificia in viridario.

DECISIO CMLXXXVI.

1 FVit conclusum conſtare de certo corpore melioramentorum, nempe ſpaleriarum ex mirto, melangolis, lentigine, roſis, roſmarino, & cedro, & ſimilibus, primus teſtis iuxta decimumtertiũ, & ſuper tertio & quinto, ſecundus teſtis iuxta decimumtertiũ & ſuper quarto, quartus teſtis iuxta decimũtertium & decimumquartũ & ſuper tertio, quarto, & quinto; Item quòd D Marius curauit plantare multas arbores nempe melangulos 300. Tertius teſtis iuxta decimumquintũ, & quartus ibidem, qui deponunt de priori ſtatu circa arbores, quæ aderant valde paucæ; Item circa ædificia probatur reſtauratio ciſternę, columnellarũ circa puteum catenæ & ſitulæ æreæ, Primus teſtis iuxta 17. & 32. & ſuper octauo, ſecundus teſtis iuxta 16. & ſuper octauo; Tertius teſtis iuxta 17. 27. & 32. & ſuper octauo; Quartus teſtis ſuper octauo & vndecimo, vbi deponit de feneſtris; Item reſtaurauit portam principalem viridarij & feneſtras cum cratibus ferreis, & curauit foſſam quandam repleri, primus teſtis iuxta 20. 21. & 22. & ſuper vndecimo, ſecundus iuxta 20. 21. & ſuper decimo, tertius iuxta 16. & 21. & 24. & 26. & ſuper vndecimo; quartus deponit de gallinario, vaſca, & vitreis, primus teſtis iuxta 29. & ſuper ſexto, ſecundus teſtis iuxta 31. tertius iuxta 29 31. 34. & ſuper ſexto, quartus iuxta 29. 31. & 34. Item omnes probant fuiſſe muros viridarij reſtauratos in fundamentis propter viæ depreſſionem factam iuſſu fel. record. Sixti Quinti: Ad quam autem ſummam ſint taxanda huiuſmodi melioramẽta, quia relatio facta fuit in contumaciam ab vno tantum perito electo, pro parte Domini Marij, fuit ordinatum vt fiat noua æſtimatio electis de conſenſu partium peritis, qui eam faciant habito reſpectu tam ad tempus melioramentorum factorum quàm ad tempus reſtitutionis viridarij, & deinde Rota declarabit, quod tempus ſit attendendum, & ad quam ſummam ſint taxanda huiuſmodi melioramenta.

Deciſio iſta locũ habet in viridarijs, ex quo viridaria ſunt huiuſmodi melioramentis eſſet vtilia, & ob id eſt habẽtur pro melioramentis vtilib. & nõ pro voluptuarijs, vt omnes ſeſcientiã, ad gloſ. in l. voluptuaria in verb. poſtũ. l. fin. de expẽ. in reb. dotal. facti, & eius apud declarat Alciat. 11 in penis n. 8 & ibi etiam Rebuf. in §. voluptuariæ. in pijs. de verb. ſign prout in ſimili decisũ de picturis & inueſtitionibus in palatijs magnatũ vt fuit deciſũ in cauſa Romana Palatij de Valle.

Toletana Penſionis.
Die Veneris 22. Maij 1592.

S V M M A R I V M.

1 *In iudicio exequutiuo non datur reſtitutio ad inſtar ſummarijſſimi: In iudicio verò petitorio datur.*
2 *Sententia, quæ non iuſtificatur ex actis, dicitur notoriè iniuſta, nec exequi debet, ſed reuocari, & num. 6.*
3 *Penſio coram notario caſſari poteſt ſtante maximè Papæ beneplacito, ſi tamen conſtet de penſionarij conſenſu.*
4 *Penſio caſſanda, ſub conditione caſſari non poteſt, niſi omnia ſub conditione cõtenta ſint diligenter adimpleta.*
5 *Confeſſio procuratoris non præiudicat domino, niſi habeat ſpeciale mandatum ad confitendum.*

DECISIO CMLXXXVII.

FVit dubitatum, An Didaco competat reſtitutio aduerſus ſententiam Auditoris Cameræ; & fuit per Dominos conclu-
1 ſum competere, † cum enim ſimus in ſententia lata in petitorio, in qua declaratur penſio extincta, non autem in iudicio exequutiuo, in quo non datur reſtitutio ad in-
2 ſtar iudicij ſummarijſſimi, † & hæc ſententia non iuſtificetur ex actis, apparet de eius notoria iniuſtitia, *ad deciſ. Pute. 401. in fin.*
3 *lib. 1.* † Nam licèt penſio poſſit caſſari coram notario, maximè ſtante beneplacito Papæ, *vt per Gigan. de penſion. quæſt. 45.* tamen hic non conſtat de conſenſu ipſius penſionarij, prout ex forma ſupplicationis requirebatur, propter clauſulam, accedente expreſſo conſenſu Didaci, *Sarnen. in regul. de impetr. benef. per obit. fam. Card. quæſt. 10. num. 2. Caputaq. deciſ. 207. lib. 1. in manuſcr.* Neq; obſtat mandatũ ipſius Didaci; quia dato quòd ſit in forma pro-
4 banti, † tamen fuit conceptum ſub duplici

con-

conditione, nempe quòd recuperarentur
termini decursi, & quòd soluerentur pro
extinctione scuta 1300. quæ omnia erant
diligenter adimplenda. *l. diligenter. man-
dati. l. si haredi plures. de condit. instit. Ro-
man. in consil.* 131. *&* 138. Verum de re-
cuperatione decursorum non constat, neque
etiam de solutione dictorum 1300. scutorũ,
5 † nisi tantũ per confessionem, quæ non pręiudicat domino, nisi speciale datum fuisset
mandatum ad confitendum, *Bart. in l.* 2.
§. creditum. si cert. petat. & ibi Ias. num. 21.
Purpurat. num. 87. *Bolognet. nu.* 44. *Par-
pal. num.* 17. *Socin. in consil.* 3. *num.* 6. *lib.*
1. *Castren. consil.* 186. *lib.* 1. *Capic. decis.*
96. *num.* 7. *Roman. consil.* 352. *Dec. consil.*
146. *n.* 11. Non obstant litteræ illæ missiuæ,
quia potius probant dissensum quàm con-
sensum. Neque obstat, quod de actorum
transportatione dicitur; nam coram me
pendet tantum causa appellationis à sen-
tentia lata ab Auditore Cameræ, qui pro-
nunciauit, prout in prima, & cuius acta
coram me fuerunt transportata integra. Ex
6 † his ergo conclusum dictam sententiam nõ
esse exequendam, sed reuocandã stante iniu-
stitia *iuxta decis. Guid. pap.* 215. *num.* 8. *&*
368. *& in vna Auximana dotis coram me*
14. *Martij* 1575.

Romana Domus.
Die Lunæ 25. Maij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Statutum Vrbis vult, quòd duæ conformes faciant rem iudicatam.*
2 *Sententia ob falsam causam in ea expressam dicitur continere manifestam iniustitiam, & esse notoriè iniustam.*
3 *Damnum passo non sufficit in parte, sed debet in totum consuli.*
4 *Rota nunquam exequitur sententias extra eam latas nisi gustato de bono illarũ iure.*
5 *Sententiæ nullæ nunquam transeunt in iudicatum.*
6 *Paria sunt, quòd sententia sit nulla, vel quòd sit notoriè iniusta.*

DECISIO CMLXXXVIII.

FVit dubitatum, an duæ sententiæ latæ
pro Hebræis contra Dominam Fausti-
nam sint exequendæ, & Domini in hoc con-
uenerunt attẽta facti serie eas non esse exe-
quendas, non quidem ex eo capite, quòd
1 Hebræi non gaudeant Statuto Vrbis, † per
quod cauetur, vt duæ conformes faciant rẽ
iudicatam; nam contrarium verius esse
existimarunt; sed ex eo capite, quòd præ-
dictæ sententiæ sunt iniustæ; etenim cum à
principio facto Vniuersitatis Hebræorum
Domina Faustina damnum senserit ex eo,
quòd nullus volebat conducere domum, de
qua agitur, propter excommunicationẽ ab
eorum Rabinis latam, per quam intende-
bant impedire, ne domina Faustina, quæ
notabiles impensas in reparatione domus
fecerat, posset maiorem pensionem ab in-
quilinis exigere contra manifestam æquita-
tem, cum domus longè melior & commo-
dior effecta fuisset, & Dominus Odescal-
cus sententiam tulisset, vt dicta Vniuersi-
tas teneretur singulis annis soluere dictæ
Dominæ Faustinæ pensionem dictæ domus
ad rationem scutorum centum & decem to-
to tempore quo dicta domus dislocata re-
maneret, vtique non poterant dictæ sentẽ-
tiæ absolutoriæ ferri prętextu locationis di-
ctæ domus, & renunciationis factæ per He-
bræos tam excommunicationis, quàm prę-
tensi iuris, quod ipsi Gazaga vocant, nisi
constito, quòd verè & cum effectu fuerat di-
2 cta domus locata, † quod cum nunquam
verè factum fuerit, sententiæ continent ma-
nifestam iniustitiam, nempe ob falsam cau-
sam in eis expressam, & consequenter dicũ-
tur notoriè iniustæ, *vt latè tradit Felin. qui
alios citat in cap. inter cæteras. num.* 10. *&
seq. de re iudic. Bart. & Bald. in l.* 1. *C. de
3 error. calcul.* † nõ enim quæuis locatio par-
ticularis aliquarum partium domus suffi-
ciebat in casu, & ad effectum, de quo agi-
tur, cum per eam non esset plenè consultũ
ipsi Faustinæ; quinimmo ex descriptione
ipsorummet Hebræorum apparet insuffi-
cientes fuisse locationes, quod etiam ex re-
centissimo statu ipsius domus apparet; cum
tamen domus sita sit in opportuno loco, &
prius locata semper reperiatur, quod & ve-
risimile est, tum propter loci angustiam,
tum propter frequentiam Hebræorum in
claustro habitantium, ex quibus insurgit
vehementissima suspicio contra Vniuersita-
tem, quæ omnino videtur velle eludere ef-
fectum sententiæ Domini Odescalchi; nam
4 semel malus &c. † Rota verò nũquam exe-
quitur sententias extra eam latas, nisi gu-
stato bono iure, *vt tradit Mohedan. decis.*
148. *&* 319. *Caputaq. decis.* 84. *lib.* 1. *in
manuscriptis*. Quare necesse est, vt Hebræi
liberentur ab hac pensionum præstatione,
vt restituant domum locatam personis ido-
neis, & pro aliquo temporis conuenientis
spatio, ad hoc vt tollatur omnis fraudis
suspicio, & consulatur indemnitati Domi-
næ Faustinæ; eaq. est interim manutenenda
in sua possessione exigendi, donec per Vni-
uersitatem satisfactum fuerit. Non obstat
5 res iudicata, † quia sententiæ nullæ nun-
6 quam transeunt in iudicatum; † paria au-
tem sunt, quòd sint nullæ, vel quòd sint no-
toriè iniustæ, *vt per Puts. decis.* 401. *in cau-
sa Toletana in fin. lib.* 1.

Con-

Conchen. Erectionis.
Die Lunæ 25. Maij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Clausula, si ita est, in gratia, facit eam conditionalem, & demonstrat Papam de narratis notitiam non habere, & in tali casu narratiua verificari debet.*

2 *Probatio, quæ fit per testes de auditu, & de publica voce & fama, in verificatione gratiæ impetrationis beneficij sufficit; secus est, si agatur de auferendo bona vnius Ecclesiæ, eaq. applicando alteri, & sic de perpetuo præiudicio; quia tunc nec semiplena sufficit.*

3 *Parochialitatis translatio de vna Ecclesia, licèt diruta, ad aliam, non narrata Papæ facit, quòd ob id Papa redditus fuerit facilior ad gratiam concedendam, quàm si intellexisset Ecclesias dirutas habitu remansisse curatas, quia tūc nō concessisset.*

4 *Narratiua, quæ reddit Papam faciliorem ad concedendum gratiam, est omnino verificanda.*

DECISIO CMLXXXIX.

Domini censuerunt gratiam Petri non esse iustificatam, circa plura in ea narrata, & ideo esse subreptitiam; maximè
1 † cum Papa dicat se de narratis notitiam non habere, & rescribat cum expressa clausula, si ita est, quod facit gratiam conditionalem, *Paris. in consil. 82. nu.6. Socin. iun. consil. 46. num. 33. lib. 4.* Et in primis cōsideratum fuit, narratum fuisse plures Ecclesias in dicta gratia expressas fuisse prostratas & dirutas, earumq. Ecclesiarum bona & proprietates præterquam ea, quæ earum fabricis applicata erant, necnon iura, onera, & insignia parochialia ad alias vel minores parochiales Ecclesias, consuetudine, præscriptione, aut alio titulo translata fuisse: hæc autem narratiua non verificatur, nisi de quibusdam Ecclesijs, non autem de omnibus expressis, cum testes deponant tātum de auditu, & de publica voce & fama,
2 † quæ probatio licèt in verificatione gratiæ impetrationis beneficiorum sufficiat, vt *per Aegid. decis. 116.* tamen cum hic agatur de perpetuo præiudicio, & de auferendo bona vnius Ecclesiæ, eaq. applicando alteri, secus est; & requiritur plena probatio, nec semiplena sufficit, *Mohedan. decis. 374. circa fin. & fuit resolutum coram Sanctiss. D. N. in vna Caputaquen. iurispatronatus. 11. Martij 1575.** Præterea † illud, quod narratur de translatione parochialitatis ad alias Ecclesias ex consuetudine vel præscriptione, vel alio titulo, non probatur; neque testes de alio deponunt, quàm de simplici exercitio curæ animarum: certum est autem, quòd Papa hoc intellecto fuit redditus facilior ad concedēdam gratiam, quàm si intellexisset Ecclesias istas remansisse habitu curatas, *vt per Abbat. in cap. de*
4 *multa. num. 24. de prabend.* † ea enim narratiua, quæ reddit Papam ad concedendā gratiam faciliorem, omnino est verificāda, *Rota 4. & 73. de rescript. in antiq. Aegid. decis. 4. & 95. Cassad. 11. num. 3. & 12. in fin. de prabend. Caputaq. 310. part. 1. in impress.* Illud etiam erat verificandū, quod dicitur de vsurpatione Episcopi, & maximè plurimorum scandalo, cum tamen non probetur; immo probatur distributio in pios vsus, nempe pro tabernaculo Sanctissimi Sacramenti, & pro alijs pauperibus Ecclesijs; vt deponit Consaluus in summario Petri num. 5. Postremo ea, quæ narrantur, videntur sibi inuicem repugnare: si enim omnia iura & insignia parochialium dirutarū ad alias translata fuerunt, vbi parochiani Sacramenta recipiunt, quæ est ratio, cur ista quoque bona fabricæ ad easdem parochiales translata non fuerunt, cum tamen de iure ad eas Ecclesias pertineant, in quibus Sacramenta percipiuntur, *cap. quoniā. & cap. cum sint homines. de decim. & tenuit Rota in causa Toletana fructuum de Bogas 1. Iulij 1587. coram R. P. D. meo Pamphilio, & iterum coram R. P. D. meo Penia in Toletana de Salzedon 13. Iunij 1590.* erat ergo hoc exprimendum, vt Papa, qui intellexit hæc bona fabricæ tam de iure quàm de facto vacare, non dicatur circumuentus; nam si aliter intellexisset, vel non concessisset, vel non ita facilè. Quare conclusum gratiam Petri non esse iustificatam.

* in imp. diu. nou. 191 par. 1.

Mediolanen. Beneficij.
Die Lunæ 1. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Subrogatio gratiosa in beneficio litigioso locum habet.*

2 *Existens in quasi possessione conferendi per vltimum statum beneficij, de eo prouisionem facere potest.*

3 *In præsentatione facta in lite, in qua præsentatus instat pro institutione, tunc lis dicitur esse super titulo, & causa iurispatronatus dicitur incidens & accessoria, & in tali casu causa iurispatronatus non attenditur, sed causa super titulo, quæ principaliter agitur.*

4 *Ad iudicandum, an causa sit super titulo, & sic an sit beneficialis vel prophana, Rota solet ius metiri ex parte actoris.*

5 *Episcopus non potest beneficium conferre, licèt sit vacans, quando effectum fuit litigiosum; cum tunc habeat manus ligatas, ne detur nouus collitigans.*

6 *Patroni non possunt stante lite, alterum præsentare in locum demortui.*

7 *Subrogatio gratiosa locum habet data lite, etiam in possessorio tantum; & sufficit*

quòd

quòd lis verificetur eo modo, quo fuit narrata, quamuis talis lis non faciat beneficium litigiosum.

8 *Subrogatio gratiosa intelligitur semper sine praeiudicio iuris alteri quaesiti, cui nunquam censetur derogatum, non autem intelligitur de iure Ordinarij, cui propter litem à iure sunt ligatae manus, ut conferre possit.*

DECISIO CMXC.

FVit resolutum reuocandum esse sequestrum ad fauorem D. Ioannis Ambrosij eumq. esse immittendum in possessionem stante gratiosa subrogatione ei concessa, etiam ad possessionem Federici vltimi possessoris, quo casu satis est eum docere de suo clericatu, & de possessione Federici de tempore obitus, quorum vtrunque verificatum est, *Mohedan. decis.* 327. *Pute. de-*
1 *cis.* 492. *lib.* 2. † Intrat autem subrogatio gratiosa, cum simus in beneficio litigioso *iuxta decis. factam in causa Burgen. de Pau coruo,* 24. *Octobris, & 28. Nouembris* 1588. *coram R. P. D. meo Gipsio.* Nō obstat, quod ex aduerso obijcitur litem non fuisse super
2 titulo beneficij; † Ideoq. potuisse Illustriss. Archiepiscopum vacante beneficio de eo prouidere, cum per vltimum statum ipse esset in quasi possessione illud conferendi, *cap. cum persona. de priuileg. lib.* 6. *Caputa-*
3 *quen. decis.* 201. *part.* 2. † Quia cum Ioannes Ambrosius praesentatus esset in lite, satis dicitur esse lis super titulo, cum per ipsum instaretur pro institutione, quo casu causa super iurepatronatus est incidens & accessoria, *ad tradita per Curt. iun. in l. quoties. n.* 2. *C. de iudic.* & ideo hoc non attenditur, sed id quod principaliter agitur,
4 & vulgatum est in Rota, † nos ius metiri ex parte actoris in dijudicando, an causa sit super titulo, & sic beneficialis vel prophana; & licèt regula sit pro Archiepiscopo, ta-
5 men † fallit, vbi beneficium est effectum litigiosum propter dispositionem *cap.* 1. *vt lit. pend. in* 6. tunc enim habet manus ligatas, neque conferre potest beneficium tunc vacans, ne detur nouus collitigans, & in
6 fortioribus terminis, † neque etiam patroni possunt in demortui locum alterum praesentare stante lite, non obstante quòd Papa minus velit praeiudicare patronis laicis quàm Ordinarijs, *vt per Lap. allegat.* 22. *Roeeb. de iurepatronat. in verb. honorificum. quaest.* 23. *Sarnen. in regul. de sub-*
7 *rogand. quaest.* 13. Praeterea † sufficit, quòd lis verificetur eo modo, quo fuit narrata, & ideo intrat subrogatio data lite in possessorio tantum, *vt per Sarnen. de triennal. quaest.* 11. *num.* 13. quamuis talis lis non faciat beneficium litigiosum, *vt per Cassador. decis.* 4. *vt lit. penden. Ferret. in consil.* 12. *num.* 4. *cum alijs per informantes allega-*
8 *tis.* * Non obstat postremo, quòd † subrogatio intelligitur sine praeiudicio iuris alteri quaesiti, *ad Sarnen. de subrogand. q.* 8. quia loquitur de iure tertio competenti, cui non est derogatum, veluti si tertio competeret regressus per obitum possessoris; non autem de iure Ordinarij, cui propter litem, vt aliquando sit finis litium, à iure sunt ligatae manus, ne conferre possit *d. cap.* 1. *vt lit. pend.* *Clem.* 1. *eod. tit.* Et ita conclusum.

* & per Mohedan de attentat. par. 1. c. 3. num. 130.

Romana Donationis.
Die Veneris 5. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Ad repellendum matrem à successione filij ob non petitum tutorem infra annum ex causa mortis ciuilis patris propter crimen laesa maiestatis, probanda est certa scientia facti eum suis qualitatibus.*

2 *In praeiudicialibus & poenalibus, vbi venit probanda scientia, quauis scientia non sufficit, sed requiritur, vt sit certa, & cum suis circunstantijs ad effectum constituendi in mora, & poenam inducendi.*

3 *Dispositio, qua quis propter non petitum tutorem priuatur successione, est rigorosa & poenalis.*

DECISIO CMXCI.

FVit dubitatum in casu, de quo agitur, An ad effectum repellendi Illustrissimā Dominam Marchionissam à successione, sit probanda scientia certa cum suis qualitatibus, quòd pater amiserit patriam potestatem, & quòd pupillis tutor esset dandus; Et
1 fuit per Dominos conclusum, requiri certā scientiam facti cum suis qualitatibus *per doctrinam gloss. in cap. concertationi. in verb. sciuerit. & ibi Gemin. & Franc. de appellat.*
2 *lib.* 6. † cum enim simus in praeiudicialibus, & poenalibus, quauis scientia non sufficit, sed requiritur, vt sit certa, & cum suis circunstantijs ad effectum constituendi in mora, & poenam inducendi, * *gloss. in cap. quā sit. §. electus. de electon. lib.* 6. *vbi Archidiacon. Io. Andr. Franc. Dominic. & alij Aym. in consil.* 221. *num.* 28. *Roland. consil.* 40. *num.* 9. *lib.* 3. *Rota in antiq. de dol. & contumac. decis.* 21. *Felin. in cap. quoniā frequenter. §. porrò. numer.* 22. *circa med. Cassad. decis.* 2. *num.* 4. *de poen. Ruin. in cōsil.* 66. *num.* 18. *lib.* 3. *Pute. decis.* 6. *de probation. &* 147. *lib.* 1. *Mobedan. decis.* 160. *&* 196. *Verall. decis.* 35. *num.* 7. *&* 116. *lib.* 1. *Natta in consil.* 162. *num.* 33. *& consil.* 456. *num.* 18. *latissimè Tiraquell. de retract. lignar. §.* 36. *gloss.* 2. *num.* 30. *& seq.* Nos
3 † autem esse in materia poenali, & admodum rigorosa *tradit Socein. iun. in consil.* 16. *num.* 34. *lib.* 2. *Vincent. de Franch. decis.* 364. *num.* 4. textus verò *in l. quidam decedens.*

* & fuit dictū sup infa lantan. Canonic. 26. Martij 1571. n. 2.

dens. §. fin. de admin. tutor. & cætera allegata non procedunt in iſtis terminis amiſſionis iuris, ſed tantum inducendæ obligationis. An verò probetur adfuiſſe talem ſcientiam cum circunſtantijs, & etiam data hac ſcientia, an requiratur ſcientia iuris, vbi ius nõ eſt certum & indubitatum, prout prætenditur in iſto caſu ex *allegato conſil. 16. Socin. iun.* erit particulariter diſcutiendum.

Tudertina Bonorum.
Die Veneris 5. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Fructus bonorum à patre filijs donatorum ratione patriæ poteſtatis ſunt ipſius donantis.*

2 *Stante donatione bonorum facta filijs à patre cum expreſſa prohibitione alienationis, & cum onere ſoluendi debita, ſolutio cenſetur facta ex fructibus bonorum donatorum.*

3 *In omnibus negotijs regulariter ratio temporis haberi debet, quo negotium geritur.*

DECISIO CMXCII.

DOmini ad effectum, de quo agitur, cẽſuerunt non eſſe habendam rationem
debitorum ſolutorum per donatarios viuẽ-
1 te Io. Paulo donatore, etenim † cum fru-
ctus bonorum donatorũ ratione patriæ po-
2 teſtatis eſſent ipſius donantis, † & propter
hoc eſſet expreſsè cautum in donatione, vt donatarij tenerẽtur ſoluere debita, & quòd non poſſent bona donata alienare, ſequitur ſolutiones iſtas factas fuiſſe ex fructibus dictorum bonorum, cum donatarij eſſent filij familias, & nihil proprium haberent, & in euentum quòd etiam ex proprijs bonis ſoluta eſſent, venirent excomputanda hæc debita ita ſoluta cum fructibus in vita patris donãtis per eos ex dictis bonis donatis perceptis; nam vt iudicetur, an donatio fuerit, vel non fuerit talis, vt patris teſtamentum ſuſtineatur, inſpiciendus eſt valor de
3 tempore mortis, prout † regulare eſt in
omnibus negotijs, vt ratio habeatur temporis, quo negotium geritur, *l. 2. & ibi Doctor. C. de reſcind. vend.* grauamen verò, quod prætẽditur illatum per teſtamentum, cadit de tẽpore obitus dicti teſtatoris: Vnde non obſtat, quòd onus ſolutionis debitorum ſit deducendum ex bonis donatis ad conſtituẽdum valorem dictorum bonorum, cum tale onus neque ex corporibus dictorum bonorum, neque ex bonis ipſorum filiorum, ſed ex fructibus patri debitis ſolutum fuerit, *§. 1. Inſtitut. per quas perſon. nob. acqu. l. cum oportet. C. de bon. quæ lib. Bart. in l. illud. C. de collat. Ang. in conſil. 93. Roman. in cõſil. 469.* cum ipſe vſumfructum in iſtis bonis habeat, & etiam in aduẽtitijs filiorum ſuorum. Quare concluſum ex ſolutione facta viuẽte donatore nihil diminutum fuiſſe valorem bonorum donatorũ; & ideo de huiuſmodi ſolutionibus nullam eſſe habendam rationem in conſtituendo valore dictorum bonorum.

Romana Doganæ Salis.
Die Lunæ 8. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

1 *In ratione adminiſtrationis reddenda inter ſocios, prius diſcuti debet ille, qui adminiſtrauit; ſed hoc procedit in creditore ſocietatis, qui prius debet conuenire illum, qui adminiſtrauit; ſecus eſt quando adminiſtrator deputatus fuit ab vna parte ſociorum; cum illa pars, quæ non deputauit, nec approbauit adminiſtratorem, non poſſit illum conuenire ad rationem reddendam.*

2 *Ampliſſima facultas deputandi miniſtros non facit, quòd deputatio vno modo facta alio modo ſuſtineatur.*

3 *Clauſula, omni meliori modo, quando expreſſus eſt certus modus, non operatur vltra modum expreſſum; ſed hoc procedit, quando clauſula eſt ſine copula.*

4 *In materia præiudiciali, nunquam præſumitur ſcientia nec ratificatio; & quando non adeſt procurator ad id ſpecialiter conſtitutus.*

DECISIO CMXCIII.

CVm in hoc negotio Doganæ Salis eſſent ſocij Domini Coſta, Rotella, Bucellinus, & alij, & ab ipſis fuiſſet deputatus adminiſtrator Rotella, deinde abſente Bucellino fuiſſet deputatus à Rotella, & approbatus Adminiſtrator cum participatione à reliquis Ioanne Molinella, prout in inſtrumento deputationis; Quæſitum fuit, An Domini Coſta, & Rotella, & alij ſocij tenerentur reddere rationem de geſtis hoc tempore Domino Fauſtino, & poſt iteratã dubij ſæpius propoſitionem, fuit per Dominos cõcluſum teneri ex diſpoſitione textus *in l. de illo. vbi gloſ. pro ſoc. Bald. in l. qui admittitur. eodem tit. Petr. de Vbald. in tractat. de duob. fratr. part. 10. princip. n. 1. Ruin. conſil. 166. num. 19. lib. 3. Curt. iun. conſ. 288. num. 45. lib. 3.* Neque obſtant *notat. in l. actiones. §. ſi communis. pro ſoc. Socin. in conſil. 24. lib. 1. Rota Ianuen. de-*
1 *ciſ. 46. num. 2.* † qui volunt, quòd prius diſcutiatur ille, qui adminiſtrauit, quia loquuntur in diuerſis terminis, nempe quando tertius aliquis eſt creditor alicuius ſocietatis, tunc enim debet conuenire illum, qui adminiſtrauit, ex quo cum illo tractauit, & non cum alijs, ſed in caſu iſto Bucellinus nunquam approbauit, neque intẽdit approbare perſonam Molinellæ, ideo nõ te-

tenetur illum conuenire, quod satis declaratur ex dispositione *dicta l. de illo.* in qua habetur non sufficere admittentem cedere actiones socijs, quod etiam tradit *Riminal. in consil. 166. num. 19. lib. 3.* Non obstat, quòd Rotella haberet amplissimam facul-
2 tatem deputandi ministros, † quia deputauit nomine proprio; quo fit, vt illa deputatio non sustineatur alio modo, *Anchar. in consil. 357. col. 1. Roman. cons. 496. Pute.*
3 *decis. 1. de procurator.* Vnde † quando est certus modus expressus, clausula omni meliori modo, non operatur vltra modum expressum, *Cassador. decis. 7. de appellat. Siluan. in cōsil. 47. nu. 33.* quod procedit vbi est sine copula, *Aebill. decis. 1. de clausul.*
4 Non obstat, quòd † præsumatur scientia & ratificatio Bucellini; quia hoc non procedit in materia præiudiciali, quando non adest procurator ad id specialiter constitutus *Caputaqu. decis. 68. part. 3. in manuscript.* Quòd verò dicitur Molinellam reddidisse rationem, indiget discussione, An sufficienter reddiderit.

Romana de Nardonibus.
Die Veneris 19. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Creditores habentes anteriorem hypothecam præferuntur alijs.*
2 *Creditores anteriores citati ante exequutionem ad docendum de eorum iuribus si nō doceant, amittunt ius pignoris; quod procedit, quando præfixus est terminus ad agendum, aliàs secus, & sic declaratur text. in l. si eo tempore. C. de remiss. pign. Item procedit, si dicti creditores anteriores fuerit negligentes, alias secus.*
3 *Ad effectum, vt creditor anterior citatus priuetur iure suo, debet personaliter fuisse citatus, cum non sufficiat citatio facta domi dimissa copia.*

DECISIO CMXCIV.

FVit resolutum sententiam extra Rotam latam contra Dominos Scipionem, & litis consortes fuisse iniustam & reuocandā; Nā quantū ad duas petias terræ, super quibus facta est exequutio ad instantiam Antonij Guerini, apparet eas tunc temporis non fuisse in bonis Ioannis Nardoni debitoris; cum per multos annos antea fuissent venditæ Scipioni, vt patet ex publicis instrumentis; respectu verò aliorum bonorum apparet Dominum Scipionem, & litis consortes fuisse creditores anteriores illius Antonij, à quo causam habet Angelus Corse-
1 tus; † Ideoq. illos præferri debere, cum habeant anteriorem hypothecam, de qua ex publicis instrumentis, & testibus examinatis in actis cōstat. Neque obstat, quod
2 ex aduerso pretendi potuit, † eos amisisse ius pignoris, ex quo fuerunt citati ante exequutionem ad docēdum de eorum iuribus, *per text. in l. si eo tempore. C. de remiss. pign.* quia multifariam respondetur; Et primo, quia *Butrigar. Odofr. Azo. Salicet. & Ang.* interpretantur illum textum, vt procedat, vbi præfixus est terminus ad agēdū *, quod non reperitur factum: Vnde cum non fuerit seruata forma requisita, non habet locum *l. auxilium. de minorib. cum similibus.* Secundo non potuerunt dici isti creditores anteriores negligentes, cum semper ante & post prosequuti fuerint ius ipsorum contra Nardonum in carceribus detentum, & cōparuerunt, & protestati fueruut. Tertio,
3 † citatio fuit facta domi dimissa copia, quæ non sufficit ad effectum, vt priuati censeantur iure suo, nulla alia precedente citatione personaliter exequuta, *Abb. in cap. fin. de eo qui mitt. in possess. Innocent. in cap. significauit. de testib. l. 1. §. item cum ex edicto. quæ senten. sin. appell. rescind. Tancred. de iud. tit. de citation. quæst. 2.* Sed quarto & vltimo omnem tollit difficultatem, quòd Iudex vigore illius citationis noluit procedere, nec aliquid facere, sed resoluit eam in petijt: Vnde conclusum pro dictæ sententiæ reuocatione.

* pro quo facit Bart. in l. 2. nu. 3. C. de eden. & l. si. eut. §. nō videtur. n. 2. ff. quib. mod. pig. vel hypot. sol.

Asten. Bonorum.
Die Veneris 19. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Impeditus facto aduersariorum, frui re locata, non potest condemnari ad solutionem affictus, & si condemnetur Iudex dicitur spoliare.*
2 *Exequutio subhastationis facta non seruata forma statutorum est nulla.*
3 *Iudex debet pronuntiare, prout partes volunt in his, quæ ab earum voluntate pendent.*

DECISIO CMXCV.

FVit resolutum pro informante ex pluribus, primo, quia sententia Astensis fuit
1 iniusta & spoliatiua, † cum non posset Paliarius condemnari ad solutionem affictus; attento quòd facto aduersariorum non potuerat frui re locata, *l. si fundus. locati. Socin. in consil. 156. num. 4. lib. 2. Ias. consil. 109. num. 5. lib. 1.* Ideo Iudex censetur spoliasse, *Felin. in cap. dilectus. post princip. de rescript. Card. in consil. 132. col. fin. Aym. consil. 140. num. 2.* * *& pluries fuit resolu-*
2 *tum in Rota.* Secundo, quia † in subhastatione non fuit seruata forma requisita per statuta Ducalia, & sic exequutio fuit nulla, *l. non dubium. vbi Doctor. C. de legib. Felin. in cap. cum dilecta. vers. gesta contra formā. de rescript.* Tertio visum fuit Dominis omnem tolli difficultatem ex cessione Domini Ioannis Thomæ Alferij principalis, cuius

* adde Bonadi. cōs. 91 fin. col. 4 Cranett. cōs. 14 n. 2. Grām cōsil. crimi. 36. n. 5. & sentit Rom. in cōs. 118. n. 6. & tenuit Rota in vna Perusin. bonorum 13. Maij 1567. coram Robuster.

erant bona, vt habetur in contractu locationis facto à Domino Ioanne Emanuele;
3 ✝ Ideo partes iudicis sunt pronunciare, prout partes volunt in ijs, quæ ab earum voluntate pendent, *l. si conuenerit. de re iudic. Specul. de senten. §. iuxta. numer.* 12. Et ita conclusum.

Ariminen. Castrorum.
Die Lunæ 22. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Litteræ probant contra scribentem.*
2 *Testis licèt singularis ex confessione partis suppletur, tanto magis si deponat de à se gestis, & concurrentibus testibus de publica voce & fama, vt num.* 3.
4 *In materia simulationis, standum est iudicis arbitrio.*

DECISIO CMXCVI.

QVia pro parte Illustr. Dominæ Leonidæ inter alias causas, ex quibus impugnabat renunciationem per eam factam, deducebatur, dotem à patre habitam non fuisse veram, sed in ea contineri summam quatuormillium scutorum per maritum promissorum & confessatorum; ideo datum fuit dubium, An constet de aliqua promissione, & eius effectuatione respectu quatuor millium scutorum, facta per D. Equitem Alexandrum Domino Marchioni; Et Domini circunscripto iuris effectu, de quo erit particulariter videndum, concorditer censuerunt constare de huiusmodi promissione eiusq. effectuatione; nam in apocha confecta per D. Equitem Alexandrum, quæ habetur in Summario num. 3. explicitè continetur hæc promissio, & fuit scripta manu Domini Todini Sororij Domini Marchionis & mediatoris huius matrimonij, & ab eo recognita; ita quòd nullam patitur difficultatem, quin ex ea probetur tractatus istius promissionis & dotationis: Effectuatio verò ex pluribus probatur; Et primo ex litteris Domini Marchionis scriptis Domino Todino, quæ habentur num. 1. & 2.
1 ✝ quæ probant contra ipsum *cap. 2. de fid. instrum.* in quibus fatetur se desiderasse hoc supplementum quatuordecim millium scutorum, quod erat quatuor millium, cum decemmillia per eum data fuerint, & ibi reddit causam, cur ita desiderauerit adeo explicitè, vt locus dubitationi non relinquatur, & in altera fatetur se dedisse decêmillia, & quatuor millia, quæ ab Equite dantur, penes ipsos coniuges remanere: Secūdo ex litteris Domini Todini, in quibus factum totum & conuentio exponuntur, & narrat fuisse acceptatam conditionem do-
2 natiui scutorum quatuormillium; & ✝ licèt sit singularis, tamen suppletur ex confessione Marchionis, & deponit de gestis à se *Aym. in consil. 73. num. 29. & 178. num. 3.*
3 Tertio ✝ ex quatuor testibus examinatis in partibus, & tribus in curia bene deponentibus de publica voce & fama, quòd ita se res habuerat. Quibus non contrariatur instrumentum solutionis confectum in Ciuitate Bergomensi, quia notarius remittit se ad partium assertionem respectu pecuniæ numeratæ, quæ res præbet maximum adminiculum veritatis facti *ex his, quæ tradit*
4 *Dec. in consil. 399. num. 8.* & ✝ cum simus in materia accedente ad simulationem, in qua maximè versatur Iudicis arbitrium, vt *per Aym. in consil. 156. num. 14. Natt. consil. 198. num. 16. Dec. consil. 659. Tiraq. de retract. conuent. in prohem. num. 33. Bologn. consil. 25. num. 1. Menoch. de arbitr. centur. 3. casu 247.* * istæ probationes habitæ fuerunt pro plenis, & concludentibus ipsum factum. Qui verò effectus ex his de iure sequatur, videndum erit dato, de super particulari dubio.

* quib. adde Ald. decis. 40 Cauet cōsil. 114. n. 14 Paris. cōsil. 31. n. 8. & 54. n. 21. li. 1. Natt. & Rolan. consil. 47. n. 6. lib. 4.

Toletana Archidiaconatus,
Die Veneris 26. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Gratia facta de beneficio, quod tunc temporis non vacat, dicitur nulla.*
2 *Tempus ad dimittendum beneficium non currit durantibus molestijs siue iudicialibus siue extraiudicialibus. & num.* 5.
Idem est in eo, qui vigore decreti tenetur infra sex menses litteras expedire, vt n. 4.
3 *Impedito non currit tempus.*
6 *Molestia super beneficio prouenientes facto Principis sunt valde considerabiles.*
7 *Papa potest ad libitum suæ voluntatis disponere de beneficio etiam priuando sine causa.*
8 *Introducta causa cognitione in Principis Consistorio non currit tempus delationis, nec fatalia.*
9 *Tantum temporis restitui debet impedito, qui non potuit propter controuersiam motam super beneficio illud dimittere, quantum per impedimentum ablatum fuit.*
10 *Ad dimittendum beneficia incompatibilia dantur duo menses.*
11 *Tempus datur ad dimittendum beneficium prius obtentum ea ratione, ne clericus dimittendo primum, si careat postea secundo, mendicare cogatur.*
12 *Doctr. Innocent. in c. constitutus. de appellat. reprobatur à Rota.*

DECISIO CMXCVII.

FVit dubitatum, an Archidiaconatus vacaret de tempore factæ prouisionis Domino Didaco, itaut prouisio censeatur va-
1 lida; & Domini censuerunt ✝ non fuisse tunc temporis vacantem, ideoq. gratiam fuisse

fuiſſe nullam: moti fuerunt: quia cum bon. mem. Cardinalis de Mendozza non teneretur dimittere Archidiaconatum, niſi infra ſpatium Anni, iſque obtinuiſſet plures prorogationes, quæ durabant vſque ad diē
2 23. Iulij 1588. † & interim fuiſſet ei mota controuerſia ſuper Decanatu, quem Papa prætendebat vacare per promotionem ad Cardinalatum, non currebat ei tempus, ſed interim ceſſabat, donec moleſtiæ ceſſarent;
3 nam † impedito non currit tempus, *l. quibus diebus. de condit. & demonſtrat. l. non poſſunt. C. de dol. mal. cap. imputari. de regul. iur. in 6.* & in proprijs terminis materiæ, de qua agitur, probatur *in cap. commiſſa. & ibi gloſ. de electіon. in 6. cap. licèt Epiſcopus. & ibi Doctor. de præbend. lib. 6. Clemen. 1. §. cæterum. de ſtat. monach. Vitalin. in Clemēt. gratiæ. nu. 43. in fin. de reſcript. & in Clem. ſi plures, num. 27. de præbend. Aegid. deciſ. 83. & 153. & 597. Tiraquell. de retract. lign. gloſ. 10. num. 37. Rebuff. in prax. benefic. tit. de non promot. intr. ann.*
4 *num. 47.* † quod etiam obſeruatur in eo, qui vigore decreti tenetur expedire litteras infra ſex menſes, *Mobedan. deciſ. 161.* Neque
5 obſtat, quòd † hæc controuerſia non fuerit iudicialis, quia hoc procedit indifferenter in omni moleſtia ſiue iudiciali, ſiue extraiudiciali, *vt poſt gloſ. tradit Card. in d. Clement. gratiæ. num. 8. & ibi Andr. Barbat. num. 22. Prob. in Addit. ad Monach. in c. commiſſa. num. 2. de electіon. in 6. Pelin. in cap. cum Ioannes. num. 39. de fid. inſtrum. Caſſador. deciſ. 9. de cauſ. poſſeſſ. & propriet. Rebuff. in tract. de pacif. poſſeſſ. num. 165.* & ſiue moleſtię ſint de iure ſiue de facto, *vt poſt gloſ. tradit Anchar. & Gemin. in d. cap. cō-*
6 *miſſa. & Caſſad. d. deciſ. 9.* † moleſtiæ verò illatæ Cardinali viſæ fuerunt maximè conſiderabiles, cum prouenerint facto Princi-
7 pis, † qui poterat ad libitum voluntatis ſuæ diſponere de beneficio etiam priuando ſine cauſa, *vt tradit Mobedan. deciſ. 86.* &
8 cum introducta eſſet cognitio in Principis Conſiſtorio, non currebat dilationis tēpus; quemadmodum etiam dicitur non currere fatalia, *vt reſolutum fuit coram me in Imolen. Caſtrorum. 16. Ianuarij 1573.* Neque obſtat, quòd à principio poſſeſſio fuerit pacifica, tam reſpectu tituli, quàm perceptionis fructuum; quia ſufficit, quòd quandocunque præſtetur impedimentum citra culpam impediti, *vt per Archidiac. in cap. cū ex eo. num. 2. de electіon. in 6. quem ſequitur Io. Andr. in d. cap. imputari. colum. 1.*
9 *de reg. iur. in 6.* † Ideoq. tantum temporis ei reſtituendum eſt, quantum per impedimentum ablatum fuit, *Aegid. d. deciſ. 83. & fuit reſolutum in Salamantina parochialis. coram R. P. D. Orano. 23. Iunij 1589.* quod intelligendum eſt reſpectu temporis, quod dilationi conceſſæ propter moleſtias ſubtractum eſt. Non obſtat, quòd quicquid ſit de lapſu temporis reſpectu decreti, quo inducebatur priuatio vtriuſque beneficij, tamen reſpectu iuris communis, non poſſe dici Archidiaconatum vacaſſe ſtatim expiratis dilationibus; maximè, cum poſtquam ceſſarunt moleſtiæ, adhuc ſupererat tempus, quo poterat fieri dimiſſio Archidiaconatus, quia loco duorum menſium, qui ex
10 † benigna interpretatione dantur ad dimittendum incompatibilia, *vt tradunt gloſ. & Doctores in d. cap. commiſſa. & Caſſador. d. deciſ. 9. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Papa prorogauit tempus illud anni, quod poſtea fuit pluries prorogatum; & ideo quemadmodum de iure communi non vacaſſet Archidiaconatus per lapſum illorum duorum menſium, ſi interim ſuperueniſſent moleſtiæ, ita neque per lapſum termini à Papa conſtituti poteſt intrare vacatio ſtantibus
11 moleſtijs præfatis: † Et hoc maxima ratione conſtitutum eſt, ſcilicet ne clericus dimittendo prius obtentum careat vtroq; beneficio, & mendicare cogatur, *prout tradunt Doctores in d. cap. commiſſa. Gemin. in conſil. 82. Caſſad. d. deciſ. 9. Rebuff. in praxi tit. de non promot. num. 41. & 45.* Poſtremo non obſtat, quòd non ſufficeret moleſtia ſuper titulo, niſi etiam eſſet ſuper fructibus, *Rot. deciſ. 3. de præbend. in nou. vbi*
12 *Addit.* † quia fundata eſt in doctrina *Innocent. in cap. conſtitutus. de appellat. quam Rota reprobat, vt per Aegid. deciſ. 596. & Caſſad. 9. de cauſ. poſſeſſ. & propriet. Sarnen. quæſt. 53. in 1. colum. de triennal.* Vltra quòd illud tendit ad diuerſum effectum, nempe quando quis dicatur poſſeſſor pacificus. Et ex his concluſum Archidiaconatum non vacaſſe, ideoque collationem non valere.

Romana Secretariatus.
Die Veneris 26. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Pecuniæ verbum accipi poteſt ſtrictè & latè, ſeu magis vniuerſaliter, hoc eſt in ſpecie & in genere, & num. 5.*
2 *Papa donando ſeu alienando bona confiſcata dicitur ea prius fiſco incorporaſſe.*
3 *Proprietas officiorum curiæ eſt Papæ.*
4 *Sequeſtrum & inhibitio facta à fiſco, arguit incorporationem; ſecus eſt, quando ſequeſtrum emanauit poſt ſuppreſſionem & applicationem, quia tunc non poteſt habere vim incorporationis, ſed tantum adnotationis, ſiue deſcriptionis bonorum condemnati, vt num. 14.*
5 *Pecuniæ appellatione venit tantum pecunia numerata ex vulgatò vſu loquendi; præſertim ſi verbo, pecuniæ, adiectum fuerit verbum, diſtributæ.*
6 *Officium non poteſt comprehendi ſub bonis*

fisco incorporatis, quando per ipsum fiscũ non fuit possessum, neque inter eius bona descriptum.

7 *Papa non potest dici habuisse officium pro confiscato, cum illud applicauit Collegio.*

8 *In confiscatione bonorum non comprebenduntur bona, quæ ex præcedenti aliqua dispositione, puta ex fideicommisso, alijs debentur.*

9 *Condemnatus cui per Principem bona confiscata fuerunt, restitutus, recuperat etiã ea bona, quæ per fiscum fuissent fideicommissarijs tradita, non obstante clausula in restitutione posita, præterquam ad bona in alium translata.*

10 *Ex capitis diminutione oritur mors ciuilis.*

11 *Mors ciuilis naturali æquiparatur.*

12 *Clausula quorum tenores in motuproprio, in quo adest defectus intentionis Papæ, non potest facere, vt contraria narratis in expeditione litterarum apponantur.*

13 *Restitutio concessa condemnato, cui bona fuerunt confiscata, quæ fit per viam iustitiæ non autem gratiæ, indistinctè trahitur ad omnia bona cuicunque acquisita, & comprehendit etiam fisco applicata, nisi adsit clausula, sine præiudicio distributorum, & fisco incorporatorum.*

15 *Sequestrum, quod contra inuitum apponitur, non aufert dominium, nec possessionem.*

DECISIO CMXCVIII.

FVit dubitatum nonnullis præsuppositis, An officium Secretariatus comprehẽdatur sub clausulis in commissionibus contentis, & præcipuè sub clausula, quatenus dictum officium Secretariatus non comprehendatur sub pecunijs distributis, seu bonis Cameræ Apostolicæ incorporatis, & non alias: Occasionem dubio dedit, quia in hac causa tres impetratæ fuerũt commissiones, prima obtenta per D. Cæsarem, in qua cõmittitur causa recursus, & reclamationis aduersus sententiam Gubernatoris contra ipsum latam, in qua adest clausula, sine præiudicio pecuniarum distributarum, & bonorum fisco incorporatorum; Altera, qua idem Dominus Cęsar obtinuit sibi aperiri os contra motumproprium fel. record. Gregorij Decimitertij super suppressione officij Secretariatus, eiusq. applicatione Collegiò Dominorum Secretariorum, in qua adest clausula, sine præiudicio pecuniarum distributarum, & bonorum fisco incorporatorum; Tertia fuit obtenta à prædictis Dominis Secretarijs auocatoria à Camera & commissa causa in Rota, cum clausula quatenus dictum officium Secretariatus non comprehendatur sub pecunijs distributis, seu bonis Cameræ Apostolicæ incorporatis, de quibus in dictis clausulis, & non alias; Prætendebant itaque Domini Secretarij prædictum officium sub dictis clausulis non comprehendi, ac verè fuisse fisco & Cameræ Apostolicę incorporatum ex pluribus; Et primo, quia cum Papa suppresserit dictum officium, illudq. Collegio Secretariorum applicauerit, in necessarium antecedens dicitur illud fisco incorporasse, *l. si quando. C. de bon. vacantib. lib.* 10. quia nisi prius incorporasset, in Collegium trãsferre non potuisset *l. si filius. C. de donation. Bald. in l. si quis. numer.* 4. *C. fin. regund.* Confirmatur, quòd ex quo fuit suppressus titulus officij, remanserunt tantum emolumenta ex dicto officio prouenientia, quæ in pecunia numerata consistunt; & idcirco cadit sub exceptione illa pecuniarum distri-
1 butarum, ✝ siue capiamus pecunias in stricta significatione, *iuxta glos. in l.* 2. *§. creditum. in verb. pecunia. si cert. pet.* siue in lata & magis vniuersali, *iuxta textum in l. pecuniæ verbum. de verb. signif. & Dec. in d. §. creditum. num.* 2. *Cuman. in consil.* 162. *num.* 2. Secundo hoc idem confirmatur ex
2 quo ✝ Papa donando seu alienando bona cõfiscata, dicitur prius incorporasse; & ideo non veniunt in simplici restitutione, neque recuperantur, nisi hoc caueatur expressè, *vt per Ang. in l. Gallus. §. & quid si tãtum. num.* 14. *Aretin. nu.* 22. *de lib. & posthum. Ias. in l. fin. num.* 16. *de constit. Princip. Card. in cap. quia diligentia. in* 2. *quæst. de election. Felin. in cap. inter quatuor, nu.* 4. *de maior. & obed.* Tertio quia per huiusmodi applicationẽ fiscus consequitur emo-
3 lumentum tam ratione proprietatis, ✝ cum proprietas officiorum sit Papæ, quàm ratione emolumentorum, cum pluris veneant huiusmodi officia propter hanc applicationẽ, & ita est in possessione huiusmodi emolumentorum, *vt per Bart. in l.* 2. *C. de acquir. possess. Dec. in consil.* 400. *versic. secũdo ex perceptione. cum alijs.* * Quarto, quia *Cephal cõs. 61.n.14.lib.1.*
4 ✝ ad instantiam fisci factum fuit sequestrũ, & inhibitio, ne admitteretur successor in dicto officio, neue amplius soluerentur Domino Cæsari fructus dicti officij, quod satis arguit incorporationem, *d. l. si quando. & ibi glos. in verb. ratione. C. de bon. vacant. lib.* 10. His tamen non obstantibus, fuit per Dominos nemine contradicente decisum dictum officium sub prædictis clausulis non contineri; nam *vt aliàs fuit in hac cau-*
5 *sa decisum*, [a] ✝ ex vulgato vsu loquendi, pecuniæ appellatione venit tantum pecunia numerata, *Rebuff. in l. pecuniæ. de verbor. signif.* maximè stante illo adiuncto distributarum, quod conuenire non potest officio, & quod fuit additum, & bonorum fisco incorporatorum, ostendit verbum pecuniarum non in genere, sed in specie sũptum fuisse, ad *Bart. in l. talis scriptura. de legat.* 1. ✝ Neque etiam venire potest appellatione bonorum fisco incorporatorum, cum
6

[a] sub die Mercurij 20. Nouēb. anni præteriti.

cum neque per fiscum possessum fuerit, neque inter eius bona descriptum, *Bart. in l. 1. §. eligitur. de ventr. in poss. mitt.* sed quod
7 praecipuum est, + Papa non habuit officium pro confiscato sed applicauit Collegio vti illi debitum ex dispositione Innocētij Octa-
8 ui, quo casu + quando fiscus sequuta confiscatione bonorum tradit aliqua bona, quae ex praecedenti aliqua dispositione puta fideicommisso, ijs, quibus debentur, tunc illa bona non dicuntur confiscata, neque fi-
9 sco incorporata, + eaq. sequuta restitutione etiam cum clausula praeterquam ad bona in alium translata, recuperantur per restitutum, *vt tradunt communiter Doctores in l. Gallus. §. & quid si tantum. vbi Alex. num. 13. Ias. num. 74. de liber. & posthum. Natt. in consil. 471. num. 2. Aegid. decis. 743. & 744. Roland. à Valle in consil. 45, num. 25. lib. 4.* Quod autem applicatum fuerit Officium Collegio, vti illi debitum, patet ex lectura motus proprij, ex cuius prohemio secundum communes conclusiones colligitur causa finalis, quare Gregorius voluerit declarare officium hoc spectare ad Collegium Dominorum Secretariorum, vt *tradit Bart. Bald. Angel. & Imol. in l. vlt. per illum text. iuncta gloss. in verb. modus. in fin. de hered. instit. cum pluribus cumulatis per Tiraquell. in tract. cessant. caus. limitat. 1. num. 64.* Ex quibus tollitur, quod ex aduerso dicitur, hanc fuisse causam impulsiuam; nam Gregorius applicauit, quia
10 opinatus fuit deberi Collegio + stante priuatione, & capitis diminutione, ex qua o-
11 ritur mors ciuilis, + quae naturali aequiparatur; maximè cum intellexerit vacare per cessum vel decessum, in quo licèt deceptus fuerit, tamen aut ex tali errore colligitur intentio, aut si hoc negetur, tollitur consen-
12 sus, + itaut applicatio corruat ex defectu intentionis, non obstante quòd adsit clausula, quorum tenores, quae non potest facere, vt contraria narratis in expeditione litterarum apponantur, *prout aliàs resolutum fuit in vna Cauen. coram Illustrissimo Domino meo Lancellotto.* * Et ex his tollitur argumentum, quod sumitur ex antecedenti necessatio; nam ad effectum applicationis antecedens necessariū erat vacatio per mortem naturalem, vel ciuilem, non autem incorporatio, cum fine facto hominis statim post decessum Caesaris deberetur officium Collegio ex dispositione Inno-
13 centij Octaui. Vnde + cum restitutio haec fit per viam iustitiae non gratiae, ea indistinctè trahitur ad omnia bona cuiuncque acquisita, & etiam comprehenderet fisco applicata, nisi adesset clausula supradicta, vt *per Cuman. in d. §. & quid si tantum. vbi*
14 *Ias. num. 73.* Neque obstant + sequestra, quia emanarunt post suppressionem, & applicationem officij; vnde non possunt habere vim incorporationis, sed adnotationis tantum, siue descriptionis bonorum condemnati, *l. 2. & fin. de requir. reis. Ang.*
15 *in tractat. de sequestr. ad fin.* + Vltra quod sequestrum, quod contra inuitum apponitur, non aufert dominium, nec possessionē, *Bart. & alij in l. interesse. de acquir. possess. Abb. in cap. examinata. num. 14. de iudic. Curt. in tract. de sequestr. quaest. 20. num. 71. Grammat. decis. 51. num. 2.* Vltimo nō obstat consideratio illa vtilitatis fisco Principis prouenientis; quia de hac re non est habenda ratio, cum veniat in consequentiam quandam venditionis officiorum, non verò agimus de confiscatione & incorporatione officij, quae cum facta non fuerit, vtique non obstans clausulae commissionum Domino Caesari. Et ex his virtualiter sublata sunt omnia, quae ex aduerso deducta fuerunt. Et ita conclusum.

* in Cauen. pēsionis sub die Ven. 19. Iunij 1578.

Romana seu Florentina Haereditatis.
Die Mercurij prima Iulij 1592.

SVMMARIVM.

1. *In pari probatione praeualet probatio vltimi matrimonij, quia probatio prioris tēdit ad nullitatem vltimi, vnde fortiores requiruntur probationes.*
2. *Ex habitatione per decennium extra Vrbē concludenter dicitur probatus recessus ab ea animo non redeundi, licèt aliquando ad Vrbem reuersus sit, sed tamen non multam moram fecerit, & num. 4.*
3. *Ex actu etiam nullo colligitur voluntas.*
5. *Honestas verisimilis est in muliere prouectae aetatis.*
6. *Bulla in fauorem monasterij Conuertitarum de Vrbe edita contra mulieres mala & inhonesta vita super earum bonis eidem monasterio applicandis, non comprehendit eas, quae ad meliorem frugem redierunt.*

DECISIO CMXCIX.

HAec causa fuit aliàs proposita in Rota per R. P. D. Blanchettum, * & resoluta in fauorem Dominae Martiae Bartholinae; Verum quia pro parte Venerab. Monasterij Conuertitarum fuerūt examinati alij testes, fuit mihi iniunctum à Sanctiss. D. N. vt iterum causam proponerem super eo, an Domina Antonina sit comprehensa in bulla ad fauorem monasterij edita, & causa maturè discussa, Domini perstiterunt in resolutis, non obstantibus ijs, quae ex aduerso deducta fuerunt; Et pro fundamento decisionis in vniuersum consideratum fuit in hac causa monasterium actoris onus sustinere, ideoq. debere ex veris & concludentibus probationibus intentionem suam fundare, quod tamen non videtur fecisse, cum pro parte aduersa plura & vrgentiora de-

* sub die Lunae 9. Maij 1588.

ducantur; Nam primo, quod deducitur de matrimonio Antoninæ cum Georgio, non probatur concludenter, & offuscatur per se-
1 cundum matrimonium; & † in pari probatione præualet probatio vltimi, cum probatio prioris tendat ad nullitatem vltimi, quo casu requiruntur fortiores probationes, *vt per Paris. qui allegat Doctores in c. illud. de præsumption. in consil. 59. num. 9. lib. 4.* Secundo, quod deducitur contra domicilium contractum per decennium & vltra in Ciuitate Florentiæ, non videtur satis concludenter probare intentionem monasterij; nam habitatio continua in Ciuitate Florentina probatur per instrumenta incipiendo de anno 1556. & continuando de annis 1558. 1559. 1560. 1564. 1565. 1567. 1568. vsque ad 1569. quo anno obijt, ex quá
2 † tam longa habitatione concludenter probatur recessus animo non redeundi; maximè concurrentibus tot alijs circunstantijs, nempe quòd permanebat cum Bartholino in figura matrimonij, quòd ex eo filios susceperat, quòd etiam contraxerunt nuptias Florentiæ, *ad notat. per Doctores in l. cum quædam puella. de iurisdict. omn. iud. l. ciues. C. de incolis. lib. 10. Bart. in l. lex Cornelia. §. si tantum. num. 1. de iniur. Mobedan. in consil. 89. num. 53. lib. 3.* Neque allegari ad hunc effectum potest nullitas matrimonij, quia dato & non cõcesso, quòd
3 ea probaretur, tamen † etiam ex actu nullo colligitur voluntas, *l. 1. §. si vir vxori. de acquiren. possess. l. fin. de reb. eorum. Roman. in cons. 179. num. 11.* Neque obstant testes in contrarium deducti; quia potius ex eorum dictis contrarium probatur, quòd
4 Antonina morabatur Florentiæ; † & licèt aliquando reuerteretur Romam, non trahebat ibi longam moram, & semper reuertebatur Florentiam, quorum dictum comprobatur per Dominicum Mazzeũ & Frãciscum Florentinum pro Martia examinatos: Dictum Michaelis Bonsij non concludit de tempore, immo si rectè animaduertatur, necesse est fateri, quòd loquatur ante annum 1553. cum loquatur de matrimonio quodam, quod tractabatur cum Hieronymo Attrauantio, qui tractatus necessariò præcessit matrimonium contractum cum Bartholino de anno 1553. Priorinus de Lazzaris conuincitur mẽdacij, cum dicat Bartholinum & Antoninam recessisse ab Vrbe propter metum Pij Quinti, cũ multo prius vsque de anno 1556. recessissent ab Vrbe, & Pius Quintus creatus fuit de anno 1566. adeò quòd per decem annos antea iam discesserant ab Vrbe, & verificatur intentio Martiæ ex eo, quòd ijdem testes monasterij probant, quòd Antonina accedebat ad Vrbẽ, quia hic possidebat multa bona, sed quòd non habebat hic domum apertam, patet, quia eius mobilia erant penes particulares personas; vt deponit Iulia Sanctna, & ea, quæ erant in Hortis Zanobij à Monte Magnanapoli, non possunt arguere eam hic habitasse, cum illi essent horti viri, & ipsa solum dicebatur habere censum super dictis hortis, vt deponit Horatius Milletus, quæ omnia magis arguunt eam voluisse cohabitare cum Bartholino, quàm ab eius domicilio recedere. Neque aliqua verba per eam prolata quicquam faciunt, quia bene respondetur in decisione, & magis attendere debemus facta quàm verba. Et hæc circa caput domicilij. Additum
5 etiam fuit † ex omnibus testibus probari Antoninam fuisse honestæ vitæ & conuersationis ante eius obitum, quod et fit verisimile, cum iam esset prouectæ ætatis, ita quòd neque etiam ex hoc capite potest ha-
6 bere locum prætensio monasterij, † cum bulla non comprehendat eas, quæ ad meliorem frugem redierunt, hoc autem probatur ex testibus non solùm Martiæ, sed etiã monasterij; prout in informatione facti optimè deducitur. Quare conclusum standum esse in decisis.

Parmen. Status.

Die Veneris 23. Octobris 1592.

SVMMARIVM.

1 *Tractatus de contrahendo matrimonio probatur ex dispensatione obtenta, ex qua arguitur enixa voluntas contrahendi inter partes, & est tanta efficaciæ, quòd illud probet etiam in casu, quo verba instrumenti essent dubia, an continerent matrimonium vel sponsalia tantum.*

2 *Promissio de certa dote danda facit, vt credatur confessioni viri factæ constãte matrimonio.*

3 *Testis, cui nihil opponi potest deponens se fuisse præsentem contractui matrimonij, illud probat iunctis adminiculis.*

4 *Testis interrogatus de tempore, si non firmat aliquid, sed dicat quòd iudicio suo sunt tot anni, parum plus, vel minus, magis fide dignus videtur, cum de tempore dubitatiuè loquatur.*

5 *Tractatus inter virum & mulierem tanquam coniuges, & cohabitatio, est probatio matrimonij valde vrgens ad effectum legitimitatis; præsertim si non sit tractatus & cohabitatio momentanea, sed multorum annorum, & vsque ad obitũ.*

6 *Testes super raptu & concubinatu ac disparitate examinati ad effectum eneruãdi probationem matrimonij insurgentem ex cohabitatione, per coniecturas vehementiores eneruantur.*

7 *Ex raptu nõ excluditur maritalis affectus, cum solum respiciat validitatem matrimonij.*

8 *Concubinatus præcedens, licèt faciat, quòd*

non

non possit ex cohabitatione deduci concludens probatio matrimonij, nisi aequiuoca; tamen secus est, si cum cohabitatione concurrant alia ad matrimonium inseruentia.

9 Disparitas inter virum & mulierẽ ad probationem matrimonij nõ attenditur, quãdo constat de enixa mente viri volentis matrimonium contrahere.

10 Mandatum pro obtinenda dispensatione matrimoniali facit, quòd dicatur constare de enixa mente contrahere volentis.

11 Testamentum viri, in quo relinquit talem eius uxorem, tutricem & curatricem filiorum, & dominam ac vsufructuariam, facit adminiculum pro matrimonio.

12 Item si in testamento vel instrumento enunciatur vxor contrahentis seu testantis.

13 Obseruantia scripturae facit, vt ei credatur, etiam minus solemni.

14 Nominatio facta de filijs licèt à persona suspecta, facit tamen praesumptionem lege approbatam, postquam ex huiusmodi nominatione constituti sunt in quasi possessione filiationis, & legitimitatis, quae releuat à probatione matrimonij.

15 Successio filiorum in bonis fideicommisso subiectis tanquam legitimorum & naturaliũ, & de legitimo matrimonio procreatorum, & ipsorum bonorum possessio viuente vocato ad fideicommissum faciunt validissimam praesumptionem matrimonij.

16 Quis non potest vti pro se depositione testium pro parte aduersa examinatorum, quando contra eos dedit generales & particulares exceptiones, licèt bene possit iudex ex huiusmodi depositionibus animũ suum informare ad veritatem indagandam.

17 Raptus mulieris, fides data, & machinatio in vitam primi viri, tendunt solum ad inualidandum matrimonium postea sequutum, non autem ad non existentiam illius, cum exceptio raptus non sit contraria probationi matrimonij, sed tantum tangat validitatem, & n. 18.

DECISIO M.

Actum fuit in praesenti propositione super eo, An matrimonium inter Bernardinum & Catharinã probetur sine coarctatione certi temporis; nam de hac re suo loco erit particulariter agendum, & fuit per Dominos conclusum probari ex pluri-

1 bus; Primo + ex praecedenti tractatu de contrahendo, qui concludentissimè probatur ex dispensatione per eos obtenta de anno 1508. ex qua arguitur enixa voluntas cõtrahendi inter partes, & est tantae efficaciae iste tractatus praecedens, vt Rota coram Reuerendiss. Domino Otiolen. in causa Ragusina Matrimonij de anno 1565. & 1566. censuerit verba instrumenti, quae erant dubia, an continerent matrimonium de praesenti, vel sponsalia tantum, praecedente tractatu esse intelligenda de matrimonio, non autem de spõsalibus, & tamen ibi agebatur de matrimonio principaliter & non

2 incidenter, prout in casu isto, & + promissio facta de certa dote danda facit, vt credatur confessioni viri factae constante matrimonio, Afflict. decis. 402. Aym. latè in consil.

3 40. + Secundo ex depositione presbyteri Baptistae testis examinati pro parte dominorum de Rangonibus, contra cuius personam nihil opponi potest, l. si quis testibus, C. de testib. is enim deponit se fuisse praesentem contractui matrimonij, vt alias fuit resolutum, & cõstat ex adnotationibus Accoramboni & Veralli, quae non contrariantur annotationi Oradini, is enim requirit solum ad perficiendum probationem, adminicula, quae hic concurrere ex dicendis apparebit. Neque obstat, quod opponitur eũ deponere de triginta annis, & ita percutere tempus ante dispensationem obtentam,

4 & sic conuinci de mendacio, quia + testis interrogatus de tempore, dicit se non recordari, & licèt subdat, quòd iudicio suo sunt triginta anni parum plus vel minus, tamen hoc non firmat; & ideo magis fide dignus videtur, cum de tempore dubitatiuè loquatur Bald. in l. presbyteri. num. 6. C. de Episc. & cler. Alexand. in consil. 65. num. 4. lib. 2. Aym. consil. 65. num. 10. * huic verò testi adminiculum facit alius testis Dominorum de Rangonibus, Ioannes Antonius de Monte Vlmo, qui deponit de communi reputatione omnium habitatorum Castri Zibelli, qui habebant Bernardinum & Catharinam pro coniugibus legitimis, cui contestis est presbyter Baptista; nam licèt vtatur voce illa plures, tamen ex tota depositione sua apparet eum de maiori parte hominum sensisse, cum exceperit tãtum aliquos, qui contrarium existimabant, scilicet non posse contrahi inter eos matrimonium. Tertio probatur ex eo, quòd vt

5 + coniuges sese tractabant, & simul cohabitabant, vt bene probant praedicti testes presbyter Baptista, & Ioannes Antonius de Monte Vlmo, quae probatio maximè ad effectum legitimitatis est multum vrgens, vt per Pute. decis. 103. in fin. lib. 2. Peregrin. decis. 66. lib. 1. iste verò tractatus & cohabitatio non fuerunt momentanea, sed multorum annorum, & vsque ad obitum Bernardini, & iste tractatus est magni momenti, vt per Bald. in l. non ignorat. nu. 5. C. de

6 his qui accus. non poss. Vnde + licèt praesupponantur testes super raptu, & etiam praesupponatur concubinatus & disparitas, tamen ad effectum eneruandi probationem insurgentem ex hac cohabitatione, Domini di-


* adde Bartha. cons. 44 n. 17. vol. 3. Nell. in tract. de testibus nu. 109.

dixerunt ſupradicta non admodum obſtare,
cum vehementiores coniecturæ vrgeant in
7 contrarium ; nam † ex raptu non excludi-
tur maritalis affectus, & ſolum reſpicit va-
liditatem vel inualliditatem matrimonij.
8 † Concubinatus verò licèt faciat, vt cum
præceſſit, non poſſit poſtea deduci conclu-
dens probatio ex cohabitatione, quia tri-
buitur præcedenti cauſæ, quæ durare præ-
ſumitur ; & ideo redditur probatio per co-
habitationem æquiuoca; *vt tradunt Gozad.
conſ. 77. col. fin. Paleot. de noth. & ſpur.
cap. 19. num. 2. Caputaq. deciſ. 216. part. 2.
& fuit conſideratum in cauſa Veneta de Cō-
tarenis coram R. P. D. meo Pamphilio*, ta-
men cum in hoc caſu, cum hac cohabitatio-
ne concurrant tot alia inferentia ad matri-
monium, vt mox deducetur, vtique ex illis
tollitur illa æquiuocatio, quæ ex præcedē-
9 ti concubinatu oritur ; † Diſparitas verò
attendi non debet hoc caſu, in quo habemus
enixam mentem Bernardini, qui volebat
contrahere matrimonium cum Catharina,
10 vt apparet † ex mandato de diſpenſando
per eum obtento: Vnde cum conſtet de ma-
ritali affectu, ea non obeſt, *vt tradit gloſ. in
cap. aliter. in verb. contubernium.* 30. *q.* 5.
Quarto concurrit nominatio inter ipſos de
viro & vxore probata per multas enuncia-
tiuas inſtrumentorum, veluti in quietantia
anni 1510. rogata per Petrum Paulum de
Gallicano, cuius inſtrumentis Domini di-
xerunt fidem non eſſe derogandam, ſed ha-
bendam rationem exceptionum, ſi quæ in
11 concurſu deducuntur; † Adeſt etiam teſta-
mentū Bernardini de anno 1511. rogatū ab
eodem, in quo inſtituit filios ſuos legitimos
& naturales ex Catharina vxore ſua pro
iuſto matrimonio procreatos, & conſtituit
Catharinam eius vxorem tutricem & cura-
tricem filiorum, & illam reliquit dominam
& vſufructuariam, quod eſt validiſſimum
argumentum pro matrimonio, cum concu-
binæ non ſoleant relinqui dominæ & vſu-
fructuariæ. Non obſtat, quòd illa enuncia-
tio pro iuſto matrimonio videatur affecta-
ta ; quia immo videtur appoſita ad perhi-
bendum teſtimonium neceſſitati, ne poſſent
filij ſuper hac re moleſtari, & valdè inveri-
ſimile eſt, quòd Bernardinus voluerit men-
dacium dicere in ea re, quam facere, vt ve-
ra eſſet, erat in eius poteſtate, verè ducen-
do Catharinam in vxorem, tunc enim po-
tuiſſent videri ſuſpectæ hæ nominationes, ſi
emanaſſent de tempore, quo ipſe non po-
tuiſſet contrahere, puta mortua iam Ca-
tharina, ſeu cum emanarent ea viuente,
quæ ratio eſt, vt voluerit imponere alijs
vocandi eam vxorem quæ non erat, cum
tunc poſſet facere, vt verè eſſet : Adſunt &
aliæ nominationes factæ in inſtrumentis ro-
gatis per Ioannem Hilarium, quas Domi-
ni omiſerunt ob ſuſpectam fidem iſtius no-
tarij, duobus tamen exceptis inſtrumentis,
nempe mandatum procuræ de anno 1512.
& alterius teſtamenti; Nam quantum ad
mandatum procuræ cōſtat de eius effectua-
tione per inſtrumentum rogatum per An-
gelum de Michaelibus, contra quem nihil
12 opponi poteſt, † in quo ſimiliter Cathari-
na enunciatur vxor Bernardini : Vnde ob-
13 ſeruantia † facit, vt credatur ſcripturæ
etiam minus ſolemni, *vt tradit Aym. in cō-
ſil.* 101. *num.* 4. Quantum ad teſtamentum
conſtat per acta Franciſci Perini in illius
exequutionem fuiſſe datam dotem vni filiæ
Bernardini ab eius fratribus cum præſentia
& conſenſu Catharinæ eorum matris tutri-
cis & curatricis, prout in teſtamento. Ne-
14 que obſtat, quòd † hæ nominationes ſint à
perſonis ſuſpectis; quia faciunt nihilominus
præſumptionem à lege approbatam, poſt-
quam ex tali nominatione filij conſtituun-
tur in quaſi poſſeſſione filiationis & legiti-
mitatis, & releuat eos à probatione ma-
trimonij, *vt per Butr. in cap.* 2. *in* 5. *notab.
qui fil. ſint legitim. Dec. in conſil.* 153. *nu.* 2.
Socin. conſil. 39. *num.* 1. *lib.* 1. *Pariſ. conſil.*
13. *numer.* 23. *lib.* 2. *Socin. iun. conſil.* 86.
num. 26. *lib.* 2. *Dec. conſil.* 54. *num.* 3. *Ce-
phal. conſil.* 445. *num.* 51. *lib.* 3. *Mohedan.
deciſ.* 181. Poſtremo talis nominatio etiam
habetur in quadam ſupplicatione porrecta
Leoni Decimo, in qua vti coniuges petunt
licentiam eligendi confeſſorem, & habendi
altare portabile. Quinto concurrit alia
15 validiſſima præſumptio, nempe † quòd iſti
filij Bernardini tanquam legitimi & natu-
rales ex dicta Catharina procreati ſucceſ-
ſerunt in omnibus bonis ſubiectis fideicom-
miſſo, in quibus ſucceſſiſſet Rolandus fra-
ter Bernardini, ſi ipſi non fuiſſent nati ex
legitimo matrimonio, & huiuſmodi poſſeſ-
ſio in vim vocatorum fuit habita in maxi-
ma conſideratione per Rotam in ſimili fi-
deicommiſſo in *vna Cæſaraugustana Sta-
tus de Morata coram bon. mem. Bubalo.* [a] Et
hæc præſumptio valde confirmatur ex eo,
quòd Rolandus enixè conatus eſt obtinere
huius fideicommiſſi derogationem, vel ſal-
tem ſuſpenſionem, vt portionem, quæ ſibi
obuenerat, poſſet relinquere filiabus ſuis,
& tamen mortuo Bernardino non ſolum nō
curauit recuperare bona, quę ad ipſum per-
tinebant, filijs illegitimis exiſtentibus, ſed
etiam fecit actum poſitiuum in contrariū ;
nam dum eſſet in carceribus, declarauit
velle, quòd ſua bona iuriſdictionalia depo-
nerentur penes ipſos Dominos Palauicinos
ſuos nepotes & filios Bernardini. Neque
eſt verum, quòd Rolandus parum ſuperui-
xerit Bernardino; nam inter vtriuſque obi-
tum interceſſit ſpatium trium annorum.
Sexto non leue argumentum veritati præ-
ſtare videtur, quòd hoc matrimonium pro-
batur per plures teſtes examinatos pro
par-

[a] vbi de Rota fundaent se sop tradit per Abb in c. tuas iuſſ. ſob n. 10. qui fil. ſint legit. & 3 Dec in c per tuas nu. 8. de probat. & in eiſ. conſil. 54 n. 1. Pariſ. cōſil. 13 n. 9. li. 2 & per Couar. Epito. 2 part. c. 8. §. 1 n. 9 in fin.

parte Dominorum de Rangonibus, qui deponnnt de communi reputatione, publica voce, & fama, cohabitatione, & tractatu, &
16 etiam nonnulli de visu. ┼ Neque obstat, quòd Domini Pallauicini nō possint vti pro se depositione istorum testium, cum dederint contra eos generales & particulares exceptiones, vt fuit aliàs in Rota resolutū, quia hoc non facit, quin iudex possit animum suum informare ex eorum depositionibus, cum ad eius officium spectet veritatem vndique indagare, *Put. decis.* 119. *lib.* 2. maximè verò concurrentibus alijs probationibus, cum dicto istorum conuenientibus, & quòd aliqui etiam ex illis, qui citātur ex aduerso pro probatione raptus, deponant de hoc matrimonio. Septimo huic probationi testium partis aduersæ adminiculum præstat factum ipsorum Dominorū de Rangonibus, qui per plures annos litigando nunquam negarunt hoc matrimo-
17 niū ┼, sed opposuerunt contra illud de raptu, fide data, & machinatione in vitā prioris viri, ac eius nece, quæ omnia tendunt ad inualiditatem matrimonij, non autem ad non existentiam, & ita visi sunt ipsi in hoc approbasse tacitè depositionem testiū pro eorum parte examinatorum. Octauo concurrit relatio facta per Cardinalem Simonetam Paulo Tertio, quòd isti filij erant nati ex matrimonio, cui relationi non contradixerunt Domini Rangoni, immo eam acceptasse videntur cum supplicarent pro derogatione fideicommissi, *ad l. pretium. C. de liberal. caus.* Et ex his præcipuè statuerunt Domini probari contractum fuisse matrimonium saltem de facto, & has probationes præualere coniecturis, quæ ex aduerso deduceuntur ex raptu, concubinatu, &
18 disparitate, præcipuè ┼ cum exceptio raptus non sit contraria probationi matrimonij, sed tantum tangat ipsius validitatem, de qua suo loco erit agendum. Et ita conclusum.

Finis primæ partis.



Errata sic corrige.

fol. 4	*Decis.*	12	*in vltima linea decisionis ibi, possideat* *corrige*	*possideant*
12		39	*in summar. num.* 1. *ibi, vacationee*	*vacatione*
28		84	*in summar. num.* 1. *ibi, repetitur*	*reperitur*
41		121	*num.* 6. *ibi, vbi ait quod tales*	*vbi ait tales*
56		158	*linea* 19. *ibi, Vniuersitatem*	*in Vniuersitatem*
74		201	*linea* 53. *ibi, casus*	*causas*
78		206	*linea* 29. *ibi, etiam tertio*	*etiam pro tertio*
111		279	*ibi, Die Veneris* 12. *Ianuarij*	*Die Veneris* 13. *Ianuar.*
126		297	*in princ. decis. ibi, Ex partis*	*Ex partitis*
142		325	*in summar. num.* 15. *ibi, si expressè*	*nisi expressè*
143		325	*sub num.* 14. *ibi, in inuestitura appositas*	*in inuestitura apposita*
468		771	*num.* 12. *ibi, Attestatio eorum*	*Attestationes eorum*
154		141	*in princ. decisionis adde Appostillam, præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss.* 170. *part.* 1.	
285		508	*in princip. decisionis adde Apostillam, præsens decisio habetur in impress. diuers. nouiss.* 178. *part.* 2.	

Series Chartarum.

a b c A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk.

Omnes sunt Terniones.